JACOBI PIGNATELLI

NOVISSIMÆ CONSULTATIONES CANONICÆ,

Duobus Tomis comprehensæ.

JACOBI
PIGNATELLI
E CRYPTALEIS IN SALENTINIS
S. Theolog. ac J. U. Doctoris

NOVISSIMÆ
CONSULTATIONES
CANONICÆ,

PRÆCIPUAS CONTROVERSIAS,

Quæ ad FIDEM, Ejusque REGULAM spectant, in quibus Errores Atheorum, Infidelium, Schismaticorum, Hæreticorum, & aliorum Ecclesiæ Catholicæ hostium referuntur & refelluntur; præsertimque illas quæ circa S. INQUISITIONIS TRIBUNAL versantur, ubi de Inquisitoribus, eorumque Officialibus & Ministris, de Reis in quos jus & potestatem habent, deque Pœnis pro Casuum varietate istis infligendis, & quàm plurima alia ad hoc Argumentum facientia, complectentes.

OPUS PRIMA VICE PRÆLO COMMISSUM, ET JURIS Utriusque Consultis non modò, verùm etiam Theologis, imò & omnibus Fidem Christianam profitentibus planè necessarium ac utile.


Cum INDICE CONSULTATIONUM singulis Tomis præfixo.

TOMUS PRIOR.



COSMOPOLI,
Apud DOMINICUM PUTEANUM.
M. DCCXI.

D



BIBLIOPOLÆ AD LECTOREM PRÆFATIO.

QUàm grata & omnibus accepta fuerint quæ hactenus in lucem prodiere Viri Clarissimi Jacobi Pignatelli *Opera, satis superque testantur multoties iteratæ eorum Editiones: Verùm enim verò, quantumvis doctæ ac perspicuæ fuerint ipsius Consultationes Canonicæ decem Tomis comprehensæ, non omnes complectebantur Controversias & Casus quos Iuris Canonici mystam novisse juvat. Quàm immensa sit eorum seges nemo nescit. In hisce duobus, hujusdem Authoris Tomis Consultationum, quas* Novissimas *appello, vel ideò quod prima vice typis mandentur, vel quod sint ultimæ quas exaravit, reperies plerasque omnes Quæstiones quæ ad* Fidem ejusque Regulam *spectant, in quibus Errores Atheorum, Infidelium, Schismaticorum, Hæreticorum, & aliorum Ecclesiæ Catholicæ Hostium referuntur & refelluntur, & illas præcipuè quæ circa* S. Inquisitionis Tribunal *versantur, ubi de Inquisitoribus, eorumque Officialibus & Ministris, de Reis in quos jus & potestatem habent, deque Pœnis pro Casuum varietate istis infligendis, & quamplurima alia ad hoc argumentum facientia, ut cuivis Indicem Consultationum, in adversa pagina, consulenti palam fiet. Hoc opus diu multúmque à Iuris Consultis exoptatum, summoque studio à me exquisitum, hodie tibi sisto. Hoc utere & fruere, & labori meo æqui boníque consule, vale.*

INDEX ARGUMENTORUM CONSULTATIONUM *NOVISSIMARUM*

TOMI PRIORIS.

CONSULTATIO I.

De Fidei Christianæ Definitione, ac de ea Sectariorum novitius error. Et unde sit Fides? *Pag.* 1.

CONSULTATIO II.

An Fides in hominis potestate sit? & cur non omnes credant? *Pag.* 3.

CONSULTATIO III.

An dubitantes Fidem habeant? & utrum in hæretico fides esse queat? *Pag.* 4.

CONSULTATIO IV.

Quot modis Deus revelet veritatem? & quænam sit fidei causa formalis in quam omnium credentium fides resolvatur? *Pag.* 4.

CONSULTATIO V.

An Ecclesiæ Vox, testimonium, & decretum credendorum regula, fideique criterion rectè constituatur. *Pag.* 5.

CONSULTATIO VI.

An sola Scriptura Sacra ad omnes fidei quæstiones determinandas sufficiat? & an sola Scriptura sit judex fidei? *Pag.* 6.

CONSULTATIO VII.

An vox Ecclesiæ quæstiones fidei determinantis, sit certa, & infallibilis. *Pag.* 7.

CONSULTATIO VIII.

An voci Ecclesiæ simpliciter acquiescendum sit. *Pag.* 8.

CONSULTATIO IX.

An vox Ecclesiæ definientis, divina sit, an humana dicenda? Et an Ecclesia nova fidei Dogmata docere possit? *Pag.* 9.

CONSULTATIO X.

An omnia credenda, per articulos distinguenda sint. *Pag.* 10.

CONSULTATIO XI.

An Symbolum, quod Apostolicum dicitur, editum sit ab Apostolis? An præter Apostolorum Symbolum, alia sint ab Ecclesia recepta? Et cujus sit, exorta nova de fide controversia, Symbolum explicare. *Pag.* 11.

CONSULTATIO XII.

Quot, & quibus mediis Articuli Christianæ fidei credibiles reddantur. *Pag.* 13.

De Ecclesia militante, ejusque nomine, definitione, partibus, Quinam in ea sint? an una, visibilis, & à quo tempore, anve deficere possit, per quas notas videatur, ejus unitas in quo potissimum consistat, & ex quo demonstretur?

CONSULTATIO XIII.

De Nomine Ecclesiæ, ac de ejusdem definitione. *Pag.* 15.

CONSULTATIO XIV.

De Partibus Ecclesiæ Christi, & quid sit Ecclesia militans? & quomodo ab hæreticis definiatur? eorumque in hoc errores. *Pag.* 17.

CONSULTATIO XV.

An Hæretici occulti in Ecclesia sint? Quid de Catechumenis, de excommunicatis, de schismaticis, de prædestinatis, de imperfectis Christianis? & quid etiam de pravæ vitæ fidelibus? *Pag.* 18.

CONSULTATIO XVI.

Quod Ecclesia Christi Militans unica sit, non vero duæ. Et quod vera Christi Ecclesia visibilis sit. *Pag.* 21.

CONSULTATIO XVII.

An Christi Ecclesia ab initio mundi semper visibilis fuit? Et an Ecclesia visibilis deficere possit? Ubi, quod Ecclesia persecutionibus non obscuretur. *Pag.* 23.

CONSULTATIO XVIII.

De Notis Ecclesiæ, per quas videtur, quarum Prima est quod sit una. Ubi de Paganorum & Hæreticorum discordia. *Pag.* 25.

CONSULTATIO XIX.

Quod unitas Ecclesiæ Militantis potissimum in conjunctione cum Romano Pontifice consistat, quodque ex successione Romanorum Pontificum demonstretur. *Pag.* 27.

CONSULTATIO XX.

De Secunda nota Ecclesiæ militantis, quod sit

sit Sancta. Et quomodo sanctitas in anima latens Ecclesiæ nota constitui possit. *Pag.* 28.

CONSULTATIO XXI.

De Tertia nota Ecclesiæ. *Pag.* 30.

CONSULTATIO XXII.

De Quarta Ecclesiæ nota, & de nomine Papæ & Papistæ. *Pag.* 30.

CONSULTATIO XXIII.

Quas Ecclesiæ notas hæretici assignent? Et, Quænam prior, ac notior sit, Ecclesia, An Scriptura Sacra? *Pag.* 32.

CONSULTATIO XXIV.

De divisione Personarum ratione Religionis. *Pag.* 33.

CONSULTATIO XXV.

De Paganis, seu Gentilibus, aut Ethnicis. *Pag.* 33.

CONSULTATIO XXVI.

Quæ Judæis, & Sarracenis, seu Turcis permissa inter Christianos. *Pag.* 34.

CONSULTATIO XXVII.

An, & quatenus Judæi ac Gentiles possint ad Fidem Christianam suscipiendam compelli? & in quibus casibus contra eos procedere possint Inquisitores Fidei. *Pag.* 36.

CONSULTATIO XXVIII.

De Atheis. Quid sit Atheismus, quæ prima ejus origo, quæ causa, quive effectus, qui Athei. An, & quatenus Dei existentia demonstrari possit? Quave certitudine credendum, posse illam demonstrari naturaliter via ascensionis, & à posteriori. An hoc sit de fide, anne. *Pag.* 38.

CONSULTATIO XXIX.

De Polytheismo, sive de Idololatria, Deorum pluralitatem admittente, ejusque causis, origine, varietate, progressu. Ubi tam ex S. Scriptura quàm ex Sanctis Patribus ostenditur non esse nisi unum Deum verum. Et an Deum esse tantùm unum demonstrari naturaliter possit? Quid de hoc senserint Poëtæ, Philosophi, Sybillæ? Rationes unitatem veri Dei demonstrantes. *Pag.* 45.

CONSULTATIO XXX.

Religio definitur. Quot modis ab ea receditur. Idololatria rectè dicitur cùm adversus Dei mandatum in simulachro colitur Deus. Exemplum ab Israëlitis, aliisque. Quando etiam, & quibus in rebus dicatur Idololatria. *Pag.* 58.

CONSULTATIO XXXI.

De distinctione cultus Idololatrici. De Spirituum cultu. In quibus Idololatria consistat. Latius de duplici principio. De ipso Persarum & Ægyptiorum opinio, & sententia hæreticorum quæ denique refellitur. *Pag.* 60.

CONSULTATIO XXXII.

De cultu spirituum non principum, sed ministrorum, qui à Philosophis communi nomine fere dæmones, vel dæmonia, à Peripateticis intelligentiæ, à Christianis boni, malive Angeli appellantur. In quo Gentiles & alii à natura eorum aberrarint. Ubi consideratur eorum natura, officium, cultus: Qui Spiritus hosce negarint. Qui agnorint. Vnde eos Gentes cognoverint, & quatenus in eorum natura convenerint Christiani, ac Gentiles. De naturæ hujus præstantia, & alia multa, præsertim de spectris, & oraculis ac de cultu Dæmonis apud varias nationes. *Pag.* 62.

CONSULTATIO XXXIII.

De religioso bonorum Spirituum Cultu. Apud quos is obtinuerit. Quod cultûs genus Angelis conveniat. Et unde Angelicorum hæresis nomen acceperit. De cultu divino animæ humanæ exhibito. De ejus transanimatione & migratione de corpore in corpus. De immortalitate ejus consensus Gentium, & rationes. Quomodo animarum cultus introductus. Quo pacto discernantur Lemures, Lares, Larvæ, Manes. De animarum cultu publica autoritate relatarum in Deos. Quibus is honos tributus. Alii honores divini ab heroicis. Alia. *Pag.* 69.

CONSULTATIO XXXIV.

De gravitate peccati Idololatriæ. An habeat semper annexum peccatum hæresis? De colente creaturam, ut Deum, credens illam non esse Deum, vel exterius eam ut Deum colit, interius credit talem cultum ei non deberi. De causis excusantibus ab hoc peccato. De exhibente dæmoni obsequium profanum. De sacerdote offerente particulam non consecratam. De adorante Dæmonem, putans esse Christum. Qua pœna Idololatra, & à quo Judice puniendus; *Pag.* 78.

CONSULTATIO XXXV.

An unquam licita sit Idololatria, falsorumque Deorum cultus? *Pag.* 80.

CONSULTATIO XXXVI.

Quid, & quisnam propriè sit Hæreticus? Ejus vera definitio, ac definitionis explicatio. Ex quibus constituatur hæreticus & quotuplex sit, ac hujusmodi alia, ubi effata de Hæreticis breviter ac dilucidè. *Pag.* 84.

CONSULTATIO XXXVII.

Gradus, judicium, sive censura de singulis propositionibus, quæ aliquomodo Fidei Catholicæ sunt, contrariæ sive minimè consentaneæ, sed alienæ, absonæ, absurdæ. *Pag.* 96.

CONSULTATIO XXXVIII.

Apud quem sit jus ferendi censuram de propositionibus, tum privatum, mereque doctrinale, tum publicum & autoritativum. *Pag.* 102.

CONSULTATIO XXXIX.

Ad quos pertineat ferre judicium, ac censuram propositionum hæreticalium, ac de Fide suspectorum? & quales ii esse debeant? Et an Inquisitores possent procedere contra proferentes propositiones scandalosas, temerarias & alias ejusmodi Catholicæ [illegible] minimè consentaneas. *Pag.* 106.

CONSULTATIO XL.

De Hæresiarchis, & Dogmatistis. *Pag.* 108.

CONSULTATIO XLI.

De Apostatis à Christiana Fide, ubi de iis effata, insigniora, & in praxi magis frequentia. *Pag.* 109.

Index Argumentorum

CONSULTATIO XLII.

De Schismaticis, ubi refellitur obiter fabella Joannæ Papissæ. Perpenditur gravitas & virulentia hujus criminis, recensentur schismata omnia ad hoc usque ævum, cum parænesi ad obedientiam erga Summum Pontificem Romanum. *Pag.* 112.

CONSULTATIO XLIII.

An, & quibus remediis ac mediis Schismatici salvari possint, cùm ea, quæ ad Fidem pertinent, omnia ferè credant. *Pag* 120.

CONSULTATIO XLIV.

An, quatenus, & in quibus liceat Catholicis cum hæreticis communicare? *Pag.* 120.

CONSULTATIO XLV.

An oporteat, sive liceat cum infidelibus, ac hæreticis collationibus, ac disputationibus publicis de rebus fidei agere, ut eorum confutentur errores, fideique veritas ostendatur? Quibus id liceat. Quæ in hoc regulæ observandæ sint? Et in quo casu Inquisitores procedere possint contra disputantes de fide, & quinam libri & quomodo legendi. *Pag.* 124.

CONSULTATIO XLVI.

1. An inter Lutheranos & Calvinianos aliqua ex parte Sacerdotes, & Episcopi dicendi sint, qui res spirituales, & sacras administrant?
2. An Ecclesia ibi esse dici possit, ubi Sacerdotes & Episcopi veri, ac legitimè consecrati non sunt? *Pag.* 133.

CONSULTATIO XLVII.

1. An qui baptismo in septentrione initiantur, ad Ecclesiam Catholicam pertineant, licet Sacerdotes veros non habeant? &
2. An ob orientis Ecclesiis qualis est Alexandrina, & similes, regula credendi, & Sacerdotum consecrandorum facultas juste peti possit? *Pag.* 135.

CONSULTATIO XLVIII.

An, & quatenus fideles teneantur fidem Christianam exterius, etiam Martyrio profiteri? Vbi de fuga persecutionis tempore, & signis, ex quibus fidem negari colligitur. Quando fidelis religione obligetur subeundi Martyrium; & an Martyrium aliquando cadat sub consilio. *Pag.* 136.

CONSULTATIO XLIX.

De Superstitione. Quid propriè illa sit? Quomodo differat ab Idololatria. In quo consistat malitia Sortilegii? quomodo dividatur? Quatenus invocatio dæmonis sit illicita? De pacto inter hominem & Dæmonem. Quid ad illud requiratur? In quo illius ratio consistat? Regulæ fundamentales ad cognoscendum, in quo consistat hoc pactum & quando interveniat, ac etiam quomodo rerum vanarum usus sit sortilegium? Et an in sortilegio excuset ignorantia? pœnæ in Idololatras, ac de potestate summi Pontificis aliorumque Principum Christianorum in Paganos ob solam idololatriam. Quibus propositis quæstiunculæ ferè omnes, quæ apud alios proponuntur, explicantur. *Pag.* 138.

CONSULTATIO L.

De indebito Cultu veri Dei. Quomodo exhibeatur? An semper sit peccatum mortale? Quid de cultu non falso, sed superfluo? De recitantibus Psalmum, Deus laudem meam ne tacueris, & ad quem pertineat agnitio superstitionis cultus Deo indebiti? *Pag.* 145.

CONSULTATIO LI.

De Cultu religioso, ac licito Sanctis, eorumque imaginibus, Reliquiis, ac Beatis, non Canonizatis debito, quòd ad ea, quæ spectant ad S. Officium; ubi an Pontifex errare possit in Canonizatione Sanctorum, & quid in Beatificatione; id affirmans à quo & qua pœna puniendus? Quave certitudine credendum sit, aliquas Sanctas Canonizatas fuisse Virgines? Ossa vendens, asserens falsò, esse reliquias Sanctorum, à quo puniendus? Ac de pœnis contra venerantes homines mortuos ante illorum Canonizationem, vel beatificationem? *Pag.* 147.

CONSULTATIO LII.

Speciatim de quibusdam Avicularum observationibus superstitiosis; ut enim ait Cicero de divinat. lib. 2. Omnis superstitio imbecilli animi, atque anilis est; Quid eæ sint? Earum divisio? unde dignoscatur? Quando sit vana & superstitiosa aliqua observatio? ubi tamen graviter ac seriò discutitur, an Gemmæ & lapides habeant vires & facultates? & quinam effectus ab eis fieri possint, & qui non? *Pag.* 150.

CONSULTATIO LIII.

An Gemmæ & lapides vires, & facultates habeant? & quinam effectus naturales non autem superstitiosi, & Magici ab eis fieri possint, qui non? *Pag.* 174.

CONSULTATIO LIV.

An, & quatenus vanæ observationes sapiant hæresim manifestè? Quænam in eis cavenda? Quæ revera sint vanæ superstitiones? *Pag.* 181.

CONSULTATIO LV.

De Nomine Malefici, Magi, Mathematici, Sortilegi, & aliis quibusdam. Et quid sit Incantatio, Veneficium, Magia. *Pag.* 184.

CONSULTATIO LVI.

De distinctione artium Magicarum, & Maleficiorum, & quod Maleficia per pharmaca fieri possint. Maleficiorum divisio. Somnificum, Amatorium, Hostile. *Pag.* 185.

CONSULTATIO LVII.

De Fascinatione, unde dicta. Quid sit. An revera dentur morbi à fascinatione? quot modis dicatur. Vulgò credita an detur? Quæ sit visu? Quæ voce? contactu? Propriè dicta an detur? Signa. *Pag.* 189.

CONSULTATIO LVIII.

An revera dentur Morbi, à veneficiis & incantatione inducti? Ubi de aliis maleficii hostilis speciebus, nempe de veneficio, abortu, difficili partu, lactis exsiccatione, sagittariis seu balistariis, variorum morborum illatione, ac de maleficio devovendi, deque personis, quibus malefici queant nocere, de fœdere cum dæmone ac id genus alia, de artibus Magicis mirabilium, ac scelerum effectricibus ac respondetur argumentis Vvieri, aliorumque, qui sagis patrocinantur. Cur fœminæ quàm viri veneficiis fre-

frequentiùs deditæ sint? De signis morborum à veneficiis, ac denique de eorum curatione magica, naturali, divina. *Pag.* 193.

CONSULTATIO LIX.

An liceat media, & instrumenta quibus sagæ & venefici ad morbum aliquem inducendum usi sunt inquirere, inventa amovere, comburere vel quocunque modo abolere, non quidem in contemptum, ac detestationem Magicæ superstitionis, ipsiusque dæmonis, sed spe consequendæ sanitatis & hac intentione, ut dæmon amplius non noceat? Ubi quæstiones de hac re ferè omnes diluuntur, omissis tamen nonnullis quæ à Theologis moralibus discutiuntur, & opinio Delrii variis, ac veris rationibus exploditur. *Pag.* 207.

CONSULTATIO LX.

Mira. Scelera. Fanda. Nefanda de sagis, lamiis, strigibus; De earum corporali translatione. Coitu cum dæmone, & id genus aliis, eruditè, jucundè, horridè. *Pag.* 210.

CONSULTATIO LXI.

An omnia, quæ à Magis, Sagis, lamiis, strigibus facta esse dicuntur, sint verè ab illis gesta? Quid de effectibus Magiæ? *Pag.* 216.

CONSULTATIO LXII.

De Magia universim sumpta. De magia naturali, seu physica, de artificiali, singulisque ejus partibus, An dentur? quid illæ sint? Quotuplices? Earum mira. *Pag.* 218.

CONSULTATIO LXIII.

An absque superstitione, ac illicita arte ex Astrorum repræsentatione procul absentium sensa cognosci possint, ita nimirum, ut Syderum interventu absenti cuilibet, absque alio nuncio, vel litteris vel internuncio exponerentur, ubi exempla in Sacra & profanis historiis manifestandi absentibus secreta animi nostri sensa. *Pag.* 222.

CONSULTATIO LXIV.

An per artem præsidio rerum naturalium adjutam absque arte magica dæmoniaca, verum aurum fieri possit ab alchymistis? *Pag.* 226.

CONSULTATIO LXV.

Quotuplex sit Magia? Ejus vera distinctio. An sit aliqua magia non naturalis, hoc est, quæ non ad naturam, sed ad dæmones, necessariò referri debeat? Sive an detur magia dæmoniaca, cujus prima species vocatur Gnetlia, sive magia specialis & nigra? & qui spiritus illi sint, quorum opera Magi Mira faciunt? ac de Negromantia, deque Magia Caballistica, & quis Magiæ inventor. *Pag.* 227.

CONSULTATIO LXVI.

An opera magorum sint vera miracula? Quomodo à veris miraculis differant ac dignoscantur? Quid de Prodigiis Magorum Pharaonis? Quinam ii fuerint? & quomodo ea fecerint. *Pag.* 233.

CONSULTATIO LXVII.

Quæ opera admiranda possint facere dæmones vel per seipsos, vel per Magos? ubi signa & indicia ad discernendum effectus magiæ ex pacto ab effectibus physicis, & miraculorum, & artificiosis. Quomodo dæmon invisibilem se præbeat? Qua forma apparere soleat? Quid possint magia, aut magi in dæmones? & quæ dæmones ac per eos magi facere non possint? *Pag.* 235.

CONSULTATIO LXVIII.

De spectris. Eorum causa. Figuræ. Mala. Terrores. Ludibria, fraudes, artes, ac regulæ dignoscendi apparitiones, an sint à malo, an à bono Spiritu. *Pag.* 241.

CONSULTATIO LXIX.

An & quatenus Magiæ studium sit licitum? Magia superstitiosa quàm grave peccatum. Magia non naturalis an sit superstitio hæreticalis? Quæ alia crimina cum magia admisceantur? An in ea detur parvitas materiæ? Ubi & quomodo magus, qui suo chirographo fidem Christianam abnegavit & dæmonis obsequio se dedit, possit fœdus dissolvere absque sui Chirographi restitutione. *Pag.* 244.

CONSULTATIO LXX.

De adjuratione, sive exorcismis contra dæmones, quid ea sit? Ejus conditiones. Qui adjurare possint? quo pacto adjurandum? An licitum adjurare dæmones? Ad id requisita. Media ac remedia ejiciendi dæmones. An dentur energumeni? De signis maleficii. Cur permittat Deus vexationem dæmoniacam? & cur dæmon opera malefici utatur? Quam potestatem habeat dæmon in energumenum. De licito usu, ac potestate exorcismorum. Quomodo immittantur in corpus energumeni, quæ ab eis per os ejiciuntur? Quisnam fuerit piscis ab Angelo Raphaëli Tobiæ ostensus. Et ad rem alia. *Pag.* 246.

CONSULTATIO LXXI.

De Confessario hæretici, malefici, sive sortilegi. De eorum Casuum reservatione. Deque facultate absolvendi eos, atque alios suspectos, de hæresi. *Pag.* 255.

CONSULTATIO LXXII.

De Divinatione, quatenus est Magiæ dæmoniacæ species. Ejus divisio multiplex. Quando superstitiosa. Quando tantùm illicita. Quæ dæmon possit prædicere. Divinationis fundamentum summa ejus genera. Oracula ex quibus reddita. Quot modi manganiæ, sive Gœtiæ species ac modi divinationis in quibus non explicitum pactum vel latens admodum, sed implicitum. Alia. *Pag.* 261.

CONSULTATIO LXXIII.

De Conjectatione naturali, ejusque speciebus Astronomia, Astrologia medica, ruralis, prognostica, somniis, physionomia, Spatulamantia, metoscopia, chiromantia, gestuum, & actionum significatione, deque aliis. *Pag.* 265.

CONSULTATIO LXXIV.

De Conjectatione politica, sive de sortibus. Ubi quænam sortes, & quando prohibitæ? Quot earum species, ac modi? De sorte divisoria. Ut sit licita, quot conditiones servandæ? De sorte Lotheriæ. De purgatione canonica? Quot purgationis species? Quæ purgatio canonica? Quæ vulgaris? Provocatio ad divinum Judicium. Purgatio per ignem, per aquam vel calidam, vel frigidam, Purgatio Monomachiæ, sive duelli. Juramenti. Duelli leges ac cæremoniæ, alia plura. *Pag.* 268.

CONSULTATIO LXXV.

Purgatio per Sacramentum Eucharisticum, vulgarisne, an canonica sit? *Pag.* 280.

CONSULTATIO LXXVI.

Distinctius de Divinatione dæmoniaca sive superstitiosa. Errores de divinatione. Solus Deus futura cognoscit & quomodo? An, & quomodo

sancti in hac, & in alia vita futura, præsentia, absentia videant? Quid de Sibyllis. *Pag.* 282.

CONSULTATIO LXXVII.

De Campanis prodigiosis, ac Gemmis Rationalis Summi Sacerdotis Hebræorum futura prædicentibus, ac de Oraculis terra effossis, ubi decretum S. Officii Inquisitionis de Libris, & Laminis Granatensibus. *Pag.* 287.

CONSULTATIO LXXVIII.

De Stella, quæ apparuit Magis, an fuerit supra naturam? & an per Astra possint cognosci mysteria supernaturalia futura. *Pag.* 292.

CONSULTATIO LXXIX.

An Prophetia, & Divinatio harmonicis sonis fieri possint? Num Prophetia sit naturalis? Quinam fuerint veri Prophetæ in veteri Testamento? Quomodo probabant se à Deo missos esse? Quinam fuerint falsi Prophetæ à veris discernebantur? Quid de Pythonibus, & Pythonissis sentiendum? & an etiam in novo Testamento sint veri, & falsi Prophetæ? *Pag.* 295.

CONSULTATIO LXXX.

De Magia Kabalistica, an ex Kabala numerica futura prædici possint? De Prophetiis Abbatis Joachimi, & Malachiæ, ac de Rota Bedæ attributa. Et quid de Caracteribus manuscriptis. *Pag.* 296.

CONSULTATIO LXXXI.

De Oraculis antiquis, & simulachris fatalibus. Quomodo potuerint præsagire futura? Ubi de Oraculis ex hominibus, ex statuis, ex Antris. De eorum defectu post adventum Christi. Quid apud Indos? Torreblancæ inconstantia quoad prædictiones ex Antris, vel exhalationibus. *Pag.* 300.

CONSULTATIO LXXXII.

De Imaginibus Astronomicis variæ sententiæ. An præsignent futura? Quatenus superstitiosæ, necromanticæ suspectæ? De his Torreblancæ judicium confutatur, diluuntur ejus leves rationes vi imaginationis. Quid de Inauguratione armorum, vexillorumque militum Catholicorum? *Pag.* 304.

CONSULTATIO LXXXIII.

An Prophetia, & divinatio possit esse alicui naturalis? sive an vi naturali intellectus creatus queat futura, vel occulta cognoscere, atque prædicere vel ex vi melancholiæ, sive imaginationis, vel ex habitu corporis naturali, aut ex cœlorum peculiari influxu sive sydere? Quinam fuerint veri Prophetæ in veteri Testamento? Quot modis nomen Prophetæ sumatur? Quomodo Prophetæ probabant se à Deo missos? Quomodo intelligendum sit illud Christi: omnes Prophetæ usque ad Joannem? Quomodo falsi Prophetæ à veris discernebantur? Quid verè de Pythonibus, & Pythonissis sentiendum? Et an etiam in novo Testamento sint veri, & falsi Prophetæ. *Pag.* 308.

CONSULTATIO LXXXIV.

An Divinatio possit esse naturalis saltem Angelo, ac Dæmoni? An & cur Magi, divini, sortilegi, qui sunt Prophetæ Dæmonum, aliquando vera proferant? Num saltem Angelus sive dæmon possit præscire futura pro aliquo brevi tempore congruente instanti Angelico, quod respondet aliquibus horis vel diebus nostri temporis? Num saltem possit Deus condere creaturam, cui sit connaturale cognoscere futura, & dari species, illa repræsentans? *Pag.* 313.

CONSULTATIO LXXXV.

An Angeli sive dæmones suapte natura cognoscere possint futura contingentia, etiam per astra? ubi diligenter ad id expenditur Constitutio Sixti V. adversus Astrologos. *Pag.* 316.

CONSULTATIO LXXXVI.

De Divinatione naturali & artificiosa. An dentur? Earum Mira. *Pag.* 319.

CONSULTATIO LXXXVII.

An & quatenus ex Animalibus licite prædici queant futura? Quatenus ex Monstris humanis, vel aliis portentis? Ex Hermaphroditis, sive Androginis? Ex monstris aquaticis, & aëreis? Ex meteoris? *Pag.* 320.

CONSULTATIO LXXXVIII.

An & quatenus licita sit Prænotio agricolarum, pastorum, nautarum? Ubi fusiùs de prænotione decretoria Medicorum, Chirurgorum, aliorumve, ac Torreblancæ Judicium exploditur. *Pag.* 327.

CONSULTATIO LXXXIX.

An & quatenus licitum sit prognosticon Medicorum ex signis circa ægritudines, Et an origo morbi venerei ab astris proveniat, *Pag.* 330.

CONSULTATIO XC.

An, & quatenus omnis divinatio sit superstitiosa? Ex qua superstitione imponatur abjuratio? Ex quibus modis accidat divinatio? Et quæ futura dæmon cognoscere possit? *Pag.* 332.

CONSULTATIO XCI.

De Divinationis divisione, ejusque speciebus fusior dissertatio, deque invocatione dæmonis expressa & tacita. Et an divinatio secundùm pactum explicitum, & implicitum distinguatur essentialiter? & quo pacto distinguantur? *Pag.* 335.

CONSULTATIO XCII.

Utrum ad Superstitiosam divinationem sufficiat pactum implicitum cum Dæmone, an requiratur explicitum? Ubi respondetur frivolis argumentis Torreblancæ cujus varii Errores; & disceptatur, an divinatio semper sit peccatum mortale. Et an divinatio, ejusque species sint per se malæ, anve malæ, quia prohibitæ? Ubi de signis pacti expliciti & impliciti. *Pag.* 337.

CONSULTATIO XCIII.

De Invocatione dæmonis. Quando sit actus superstitiosus, & hæreticalis subjectus Inquisitoribus. Quotuplex dæmon invocari possit. De invocatione dæmonis per modum adjutorii deprecativa, imperativa, ad finem bonum assequendum. Quodnam peccatum committat credens responsum hominis esse certum & infallibile? Num dæmones bona consulentes sint audiendi? *Pag.* 345.

CONSULTATIO XCIV.

De prima Divinationis specie explicatior disquisitio, nempè de præstigio, de Necromantia sive de arte Magica emortuali, de divinatione Pythonica, de Ariolatione, de Hydromantia, Geomantia, Aëromantia, Dactylomantia, aliisque speciebus Geomantiæ, de Aruspicina, ejusque partibus, de divinatione ex somno divino, sive raptu, vel extasi, de apparitione ac revelatione Dei per somnia. Per quos Deus loquatur? An per

Angelos? & quo idiomate Angeli loquantur cum hominibus, deque aliis graviter quidem doctè, ac eruditè. Præstigium. Pag. 347.

CONSULTATIO XCV.

An, & quatenus Divinatio per somnia, quæ non est necromantia, sed cum pacto implicito cum dæmone, sapiat hæresim manifestè? Pag. 371.

CONSULTATIO XCVI.

De secundo genere divinationis, hoc est de augurio, de auspicio, de omine, de Physionomia, deque ejus præcipuis signis, de Chiromantia naturali & Ægyptiaca. Pag. 373.

CONSULTATIO XCVII.

An & quatenus Divinatio Physionomiæ, Chiromantiæ, spatulamantiæ sit licita? sive. An & quatenus Physionomia, & Chiromantia sapiant hæresim manifestè? Pag. 398.

CONSULTATIO XCVIII.

An & quatenus licitum sit interrogare mulierem Ægyptiam, vulgò Zingaram, de bona, vel mala fortuna per manus lineas? An & quatenus Inquisitores possint procedere contra ipsas, bonam, vel malam fortunam divinantes? Et An sint tolerandi à Principibus Christianis. Pag. 402.

CONSULTATIO XCIX.

De divinatione Astrologica. An detur Astrologia. Ejus divisio. Quæ vera? Cautiones pro Medicis. Pro Astrologis. Errores Astrologorum etiam circa naturales effectus. Pag. 403.

CONSULTATIO C.

Proponitur quæstio, ejus difficultas. Pici Mirandulani falsa fundamenta, vera Theologorum. Refutantur Astrologorum placita. Eorum dicendi modi impugnantur, ac ejusdem Pici dictum exploditur. Actus liberi directè astris non subjiciuntur Argumenta Pici diluuntur, ejusdem objectiones contra influxus particulares siderum. Pag. 406.

CONSULTATIO CI.

De Astrologia Genetliaca, sive judiciaria. Adversus eam Biblia Sacra, Pontifices Summi, Concilia, Leges Principum, Patres, Theologi, Philosophi, Historici ac cæteri omnes. Pag. 411.

CONSULTATIO CII.

Rationibus Theologicis, ac Philosophicis, Astrologia judiciaria redarguitur & convincitur. Pag. 419.

CONSULTATIO CIII.

Aliæ rationes adversus Astrologos. Argumentum geminorum. Liberum hominis arbitrium, & immortalitas animæ non rectè cohærent cum Astrologorum judicio. Ciceronis, Pici, Ropheni, maximè verò Bardessani Syri in Astrologos dissertatio. Vana & futilis prædictio Astrologorum de aliquo, quod sit futurus summus Pontifex, Imperator, Dux Reipublicæ, Generalis Religionis, & hujusmodi. Falsitas & incertitudo prædictionum Astrologicarum. Astrologiæ judiciariæ, nulla potest esse scientia, vel ars. Saturni revolutiones, & anachronismi, sive errores Chronologici Astrologorum. Pag. 423.

CONSULTATIO CIV.

Recensent pro se primùm Astrologi plures veras prædictiones. De Nigidio Figulo ex Suetonio in Augusto jam diximus. De Tiberio ultra præsagia futuri ejus principatus apud Sueton. cap. 14 Ita Lipsius in monit. & exempl. mon. 5. num. 12. quem alibi adduxi. Pag. 431.

CONSULTATIO CV.

An Astra, si non sunt causa, sint saltem certa signa omnium futurorum; Pag. 437.

CONSULTATIO CVI.

An saltem verum ac licitum sit judicium Astrologorum de corporum constitutionibus & inclinationibus hominum, eorumque passionibus appetitus sensitivi, & per eas de actionibus humanis? Pag. 439.

CONSULTATIO CVII.

Num liceat ex Genesi conjicere temperamentum patris? Pag. 444.

CONSULTATIO CVIII.

An aliqua prædictio ex astris prohibita sit jure tantùm positivo? doctorum variæ sententiæ, de quibus singulis breviter disputatur. Vera sententia. Quomodo abjurare debeant Astrologi. Et An Sixtus V. prohibeat tantùm illicita & mala per se, & sic malum esset secundum se, etiam prædicere non certò, & in communi libera, & fortuita. Pag. 448.

CONSULTATIO CIX.

De Arte Notoria. Quid ea sit? An, & quatenus licita, vana, superstitiosa? De arte Paulina: Quomodo differat à notoria. Iterum de Cabala, ad quas superstitiones pertineat? Quomodo abjurare debeant? Alia. Pag. 453.

CONSULTATIO CX.

De Fato Ethnico, Astrologico, Christiano. Et primùm de Ethnico. Pag. 455.

CONSULTATIO CXI.

De Fato tum Mathematico, tum Astrologico & Stoico, ubi Anacephalæosis eorum ferè omnium, quæ dicta sunt de Astrologia judiciaria. Pag. 458.

CONSULTATIO CXII.

De Fato Christiano. Pag. 464.

CONSULTATIO CXIII.

Ad quæ Crimina se extendat crimen Hæresis? Quisnam sit suspectus de hæresi? Quid, ac quotuplex sit suspicio, præsumptio, opinio, contra hæreticos, & contra suspectos de hæresi quomodo procedant Inquisitores? Pag. 465.

CONSULTATIO CXIV.

De abusu Sacramentorum ac verborum S. Scripturæ, an & quatenus in illo procedat S. Officium? Pag. 469.

CONSULTATIO CXV.

De abusu Sacramenti Baptismatis, pœnæ in rebaptizantes. An & quatenus sint Apostatæ? An suspecti de fide, & irregulares? quid de adulto baptizato ab hæretico? Pœnæ baptizantium imagines, vel res alias. Quid de suscipiente baptismum ab hæreticis? Quidve è Christiano fingente se infidelem ac petente baptizari ob quæstum; An sit illi indicenda abjuratio, & qualis? Pag. 470.

CONSULTATIO CXVI.

De abusu Sacramenti Eucharistiæ. Pag. 473.

CONSULTATIO CXVII.

De abusu Sacramenti Pœnitentiæ, ubi accuratè explicatur Constitutio hac de re Gregorii XV. & casus ferè omnes ad id pertinentes? Pag. 474.

CONSULTATIO CXVIII.

De abusu Sacramenti Matrimonii, sive de Polygamia remissivè. An pertineat ad S. Officium priva-

privativè quoad forum laicum? Res judicatæ. Breve Clementis VIII. ad Proregem Neapolitanum. Et ad rem alia. *Pag.* 488.

CONSULTATIO CXIX.

De Abusu verborum Sacræ Scripturæ. *Pag.* 494.

CONSULTATIO CXX.

De Sortilegiis, ac Sortilegis. Quotuplex sit sortilegium? Torreblancæ hallucinatio. Quænam dicantur ac sint sortilegia qualificata, quæ non qualificata, sive quænam sint hæreticalia, quænam simplicia? *Pag.* 494.

CONSULTATIO CXXI.

Utrum sapiat hæresim manifestam invocatio dæmonis ad ea, quæ ipse scire vel facere potest? ubi Torreblancæ, ac aliorum aberrationes, ubi iterum de Sortilegiis hæreticalibus, & simplicibus. *Pag.* 497.

CONSULTATIO CXXII.

An sit Sortilegium qualificatum sive hæreticale, quod committitur cum ossibus mortuorum, acceptis ex aliquo cœmeterio. Quid de Sortilegio ad sanitatem cum hostia non consecrata? Præsertim celebrando Missas super illa, cui tamen non applicantur verba consecrationis à Sacerdote; imò quandoque Sacerdos nescit, an adsit talis hostia. Quidve de Sortilegio amatorio? Quid de Sortilegio in quo Sanctitas alicujus Sancti canonizati in dubium revocatur, ut si invocatur in sortilegio sanctus aliquis sub conditione, Si sanctus es? Et utrum sit sortilegium hæreticale uti nominibus, & characteribus, ac signis ignotis, præcipuè nominibus Angelorum præter Michaëlem, Gabrielem, & Raphaëlem. *Pag.* 500.

CONSULTATIO CXXIII.

An Ordinarii, ac Inquisitores in causis sortilegiorum sint judices privativè quoad laicos? Quomodo procedendum sit contra divinatores, sortilegos, strigas, & maleficas? ubi de hac re instructio pro Episcopis, & Inquisitoribus. *Pag.* 502.

CONSULTATIO CXXIV.

De Sacrosancto desertæ ac violatæ fidei Christianæ, impiæ, & sacrilegæ in ea inconstantiæ, Tribunali in quo præcipua Christianæ fidei, Mysteria, ipsamque Christianam Religionem adversus atheos, Ethnicos, Judæos, atque hæreticos propugnatur.

De Inquisitoribus, deque eorum vicariis & Commissariis, eorumque dignitate ac potestate, ubi, ferè dixerim, omnia quæ ad S. Officium Inquisitionis pertinent, quæ facere, quæve non facere ii possunt per saturam, sive per effata Aphorismos, & axiomata, recisis extranearum quæstionum sylvis breviter, sed clarè, solidè, ac certò ex vera sententia, pro usu quotidiano, juxta theoricam ac praxim decernuntur. *Pag.* 507.

CONSULTATIO CXXV.

De Inquisitorum jurisdictione ac exemptione. *Pag.* 513.

CONSULTATIO CXXVI.

Quinam dicantur Hæretici, Apostatæ à fide, Schismatici, receptatores hæreticorum, defensores, fautores, suspecti de hæresi, qui jurisdictioni Inquisitorum subjiciuntur? *Pag.* 517.

CONSULTATIO CXXVII.

De Jurisdictione Inquisitoris in suos familiares, in confugientes ad Ecclesiam, in absentes, in delinquentes in loco alterius Inquisitoris, vel Episcopi, in Apostatas, ab ordine vel à Religione, in quæstuarios, in mortuos & alios. *Pag.* 522.

CONSULTATIO CXXVIII.

De Inquisitorum Jurisdictione in Judæos, & infideles. In eos qui ipsis injurias, & contumelias in Regulares imponunt. Quomodo ea illis concessa cum Episcopis quando expiret. De eorum remotione ab officio, & translatione ab uno ad alium locum. In quas pœnas, ob quas causas, & quatenus incurrant, & à quo absolvi possint? *Pag.* 527.

CONSULTATIO CXXIX.

De Inquisitorum Vicariis, sive Commissariis. A quo eligantur. Quas conditiones habere debeant. Quot inquisitor instituere possit. Quosve, quibus gaudeant privilegiis. A quo recipiant jurisdictionem. Quam facultatem subdelegare possint. De eorum præcedentia; & exemptione ab observantiis regularibus, ac remotione de loco ad locum. Eorumque jurisdictio quando expiret, ubi demum de inquisitoribus eorumque Vicariis, sive commissariis plura effata proferuntur, aliqua de Consultoribus. *Pag.* 531.

CONSULTATIO CXXX.

De Inquisitorum Consultoribus, Quales esse debeant. A quo eligendi. In quibus casibus ab Inquisitoribus vocandi. Quænam eorum suffragia, merces, obligatio, ac pœna in non servando secreto a quo puniendi. Eorum privilegia. Quatenus esse possint advocati fiscales S. Officii, vel reorum, ubi ad rem effata. *Pag.* 538.

CONSULTATIO CXXXI.

De Advocato fiscali S. Officii. De ejus necessitate à quo eligatur, & qualis. Ejus munus. In quibus actibus præsens esse debeat. Qua de causa recusari possit tanquam suspectus. De ejus juramento calumniæ; Deque ejus appellatione à sententia inquisitorum, ac de obligatione recipiendi depositiones testium, tam contra inquisitum, quàm pro inquisito. *Pag.* 541.

CONSULTATIO CXXXII.

De Advocato & Procuratore hæretici, ac suspecti de hæresi, ejus munus. Quis qualisve. Quid de hæretico pertinaci. Cui dandus. Quatenus & à qua sententia possit appellare, ac recusare Inquisitorem. *Pag.* 543.



JACOBI PIGNATELLI

Sacræ Theologiæ ac J. U. Doctoris,

NOVISSIMÆ CONSULTATIONES CANONICÆ.

Parui D. Augustino. 1. *de Trinit. c.* 3. qui, *Optandum esse*, ait, *ubi Hæreses vigent*, *ut quicunque aliqua scribendi facultate præditi sunt*, *ii scribant omnes*, *etsi non modò de rebus iisdem scripturi sunt*, *sed eadem etiam aliis verbis fortasse scripturi.*

DE FIDE, EIUSQUE REGULA.

CONSULTATIO I.

De Fidei Christianæ Definitione; ac de ea Sectariorum novitius error. Et unde sit Fides?



FIDES est virtus, divinitus infusa, cujus vi omnino assentimur iis, quæ à Deo tradita sunt, hoc est, Dei est donum, quo mens illustrata disponitur, ac inclinatur ad assentiendum iis omnibus, quæ à Deo revelantur. Quemadmodum enim per naturale lumen intellectus homo de naturali veritate bene judicat, inclinaturque ad assentiendum principiis per se notis, ita quoque mens per lumen fidei de credendis rectè censet, inclinaturque ad assentiendum rebus à Deo revelatis, ut explicat Augustinus *Homil.* 32. *inter Homil.* 50. *tom.* 10.

Porrò fides, licet etiam actum credendi significet, hîc tamen, ut habitus est, definitur, & quidem in intellectu residens, cujus actus est credere, seu assentiri, accedente voluntatis imperio. Nam per quandam electionem voluntas intellectum, ex se ad utramque contradictionis partem indifferentem, movet ad consentiendum ei, quod Deus revelat. Siquidem cùm obscurè à Deo credibilia revelentur, lumen fidei, quo intellectus à Deo perfunditur, non ita sufficienter ipsum convincit, ut assentiri debeat, sed opus est voluntatis electione, quæ à Spiritu Sancto pia affectione mota intellectum captivet, eique imperet, ne ab assensu rei credibilis propter inevidentiam refugiat juxta illud Apostoli 2. *Corinth.* 10. *Redigentes in captivitatem omnem intellectum in obsequium Christi.*

Hujus rei evidens exemplum in Abraham fuit, qui *contra spem in spem credidit*, *nec consideravit corpus suum esse emortuum*, *sed confortatus est fide*, *dans gloriam Deo*, *plenissime sciens*, *quia quæcunque promisit Deus*, *potens est ea facere*, *Rom.* 4. Quò pertinet illud Apostoli, *corde creditur ad justitiam.* Quia intellectus pia voluntatis affectione movetur ad consentiendum. Unde *Joan.* 12. causa infidelitatis Judæorum, indurationi cordis eorum adscribitur, in quem locum D. Augustinus *tr.* 26. *in Joan.* ait, *Judæos non potuisse credere, quia nolebant*, & Concilium Tridentinum *Sess.* 6. *cap.* 5. *Disponuntur homines ad justitiam*, *dum excitati divina gratia, fidem ex auditu concipientes libere in Deum moventur, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt.*

Hinc actus Fidei justificantis meritorius est, quia imperatus fit à pia voluntatis affectione. Deo enim gratum est, quod credendo se quis obedientem Dei verbo exhibeat, ac remuneratione dignum, quod mens humiliter sese Deo subjiciat, ejusque autoritati cedat, plus ei tribuens, quàm ipsa sapiat. Unde Ambrosius *in cap.* 4. *Epist. ad Roman. Credere*, *aut non credere*, *voluntatis est. Neque enim cogi quis potest ad id, quod manifestum non est, sed invitatur, quia non extorquetur, sed suadetur. Quamobrem assentiens præmiis afficiendus est, sicut & Abraham, quod non vidit, credidit.*

Ex quibus intelligitur, quàm vanum sit hæreticorum commentum, qui contendunt, actum fidei justificantis esse actum fiduciæ, quæ modus quidam est spei in voluntate existentis, cùm credere sit actus ab intelle-

ctu profluens, cujus objectum sit verum, & ad fidem pertineat, intelligere, cognoscere, scire, credere, assentiri. Quæ omnia ad intellectum proprie spectant, juxta illud Apostoli, *fide intelligimus aptata esse secula*, *Hebr*.11. item *credidit Abraham Deo*, *Genes*.15. *& Rom*. 4. promittenti scilicet ex sterili, ac sene uxore filium, ex cujus semine Christus nasceretur, ac rursus 2. *Corinth*. 10. *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*. Et aperte fidem à fiducia, sicut causam ab effectu distinguens, ait *Ephes*. 3. *In quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia per fidem ejus*. Neque verò necessarium est, omnem, qui credit, etiam fiducià roborari, cùm possit aliquis, non omissâ fide, desperare; quoniam fiducia, ex fide per dilectionem operante, generatur.

Non est igitur Fides voluntatis fiducia, cujus functio est cum appetitu quodam propendere in rem speratam, sed est habitus, seu facultas intellectus, qua certò ea credimus, quæ à Deo nobis revelantur. Nihil enim aliud est credere, teste Augustino *lib. de prædest. Sanct. cap*.2. *lib. de Spir. & liter. cap*.30. quàm cum assensione cogitare, sive consentire, verum esse, quod dicitur. Unde commendatur Abraham, quia credidit Deo, & Joannes *cap*.1. *v*. 4. ait: *Nolite omni spiritui credere*. Et in Evangelio *cap*.11. *omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi: utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus, filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti*. Et Joan. 14. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* Hæ ac similes veritates solo intellectu creduntur, non autem sperantur. Spes enim & fiducia de futuris sunt, non de præteritis, & voluntatis sunt facultates, non autem actus, intellectus, ad quem pertinet cognoscere, intelligere, cum assensione cogitare; quod est credere. Præterea credimus mala, & præterita, quæ non speramus.

Ex quibus manifeste apparet, jure S. Concilium Tridentinum *d. sess*. 6. *can*.12. damnasse novitiam sectariorum doctrinam his verbis: *Si quis dixerit, fidem justificantem esse fiduciam divinæ misericordiæ, peccata remittentis per Christum, vel etiam fiduciam solam esse, qua justificamur propter Christum, anathema sit*. Sane diserte Scriptura sacra Fidem à spe atque adeo à fiducia distinguit 1. Corinth. 13. *Nunc autem manent fides, spes, & charitas, tria hæc*. Ad *Colos*. 1. *In fide fundati, & immobiles à spe Evangelii*, ac *Petri* 1.3. *Ut fides vestra, & spes esset in Deo*. Ad *Ephes*. 4. *Unus Dominus, una fides*.

Quocirca perperam Erasmus contra veterum Interpretum sententiam, Apostolum non de Fide Theologica, superius à nobis definita, sed de fiducia loqui scribit *in annot. in cap*. 13. *ad Hebr*. dum ait: *Est autem fides sperandarum substantia rerum*. In quo Calvinus, & alii hæretici, Erasmum sequuti, Apostolum sic exponunt: *Fides est, quæ facit, ut extent, quæ sperantur*. Sive, *fides est certa, securaque possessio eorum, quæ nobis à Deo promissa sunt, & quia hæc speramus, non videntur. Is ergo veram*, inquiunt, *habet fidem, qui certa, firmaque persuasione Deum sibi esse propitium credit, & de illius benevolentia omnia sibi promittit*. Sed quòd Apostolus ibi per fidem, non fiduciam, aut spem, sed humilem mentis assensum intelligat, quo verbo Dei creditur, etiamsi non plene, neque evidenter comprehendatur, evincunt illa Apostoli verba *oportet accedentem ad Deum, credere, quia est*. Et: *Fide credimus, aptata esse secula verbo Dei*, & Sancti ibidem ab Apostolo commendantur à fide, quam adhibuerunt verbo Dei, cujus testimonium illud est infallibile. De qua fide Apostolum loqui etiam Interpretes attestantur. Quoniam fides, ac ejus actum in assensu, operationeque intellectus constituunt, istamque fidem initium salutis esse, justumque ex fide vivere, ac per fidem justificari; & operari justitiam, docent.

Ut autem prior definitionis fidei pars, qua virtus infusa dicitur, illustretur, inquirendum est, *Unde fides obveniat?* Eo magis, quod olim extiterint, nec adhuc desint, de fidei christianæ origine varii errores.

Primus fuit Tironii, qui apud August. *lib*. 1. *de doctr. Christ. cap*.33. putavit, opera nobis dari merito fidei, ipsam verò fidem sic esse à nobis, ut nobis non fit à Deo.

Secundus Vitalis, qui arbitratus est pro infidelibus non esse orandum, sed eis duntaxat verbum veritatis esse prædicandum, cui libero suæ voluntatis arbitrio, absq; alio speciali Dei auxilio assentiri queant. In eodem errore hæsit Pelagius cum Cœlestio, gratiam Dei, sine qua nihil boni facere possumus, dicentes, non esse, nisi in libero arbitrio, quòd nullis suis præcedentibus meritis ab illo accepit nostra natura, ad hoc tantum ipso adjuvante per suam legem, atque doctrinam, ut discamus quæ facere, & quæ sperare debeamus.

Tertius eorum fuit, qui opinati sunt, naturam non ita esse depravatam, quin possit velle sanari, & propositæ veritati acquiescere, vel eam contemnere; ideoque non opus esse voluntatem gratia Dei præveniri, mentemque supernaturali lumine ad credendum perfundi, sed sufficere, si præcedat veritatis præconium, cui naturaliter insitum nobis liberum arbitrium consentit ex seipso, si vult, aut dissentit. Nam credendi voluntate donata, excludi putant omnem prædicandi vigorem. In qua opinioue Augustinus seipsum quandoque fuisse testatur *lib. de prædest. Sanct. cap*. 3. *similiter*, ait, *errabam, putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona quibus temperanter, & justè ac piè vivamus in hoc seculo. Neque enim fidem putabam gratia Dei præveniri, ut per illam nobis daretur, quod posceremus utiliter, nisi quia credere non possemus si non præcederet præconium veritatis. Ut autem prædicato nobis Evangelio consentiremus, nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse, arbitrabar*. Quem errorem deinde retractavit ex professo *lib. de prædest. Sanct. cap*. 3. *& lib*.1. *retract. cap*. 23.

Quartus error, prædicto vicinus, eorum est, qui initium fidei Deo quidem tribuunt, sed ideo duntaxat, quia præveniente gratia pulset, docendo suadeat, ac illuminet, ipsum verò actum credendi libero arbitrio, solum generali Dei concursu adjuto, relinquat eliciendum. Unde fit, ut ex duobus pari gratia, externa & interna, præventis, unus prædicationi acquiescat, & credat, alter verò non credat, sed dissentiat. Et ex duobus pari tentatione pulsatis, unus perseveret, alter cadat. Arbitrabantur enim, liberum hominis, etiam lapsi, arbitrium, ex se non minus valere, ac posse ad consentiendum Dei vocationi, & ad acceptandum oblatum à Deo donum, in bonoque permanendum, quàm valeat & possit ad dissentiendum vocationi, & ad respuendum oblatum à Deo donum, eligendumque malum, & pari momento hominis animum ad virtutes, & vitia moveri. Quam opinionem ex professo confutat Augustinus *lib. de prædest. Sanct. cap*. 8. docens, Deum interna, peculiarique gratia *operari credere, ac velle*, imò ex nolentibus volentes facere, talemque gratiam occultè humanis cordibus divina largitate tribui, quæ à nullo duro corde respuatur, cùm ideo tribuatur, ut cordis duritia primitus auferatur. Homini enim vitiato necessarium esse auxilium, docet, non solum quo possit & sine quo aliquid non fit, sed tale, ac tantum, quo fiat, ut voluntas hominis velit, obediat, bonum recipiat, & perseveranter teneat, præconio veritatis consentiat, ac verè credat. Quæ omnia quidem in homine ita operatur Deus, ut naturalem liberi arbitrii facultatem non violet, nec imminuat, sed juxta proprium operandi modum suaviter moveat, gubernet, dirigat, sic ad bonum inclinando, ut homo flexibilem ad oppositum liberi arbitrii facultatem retineat, qua dum credit, & consentit veritati, possit non credere, ac dissentire. *Facile namque Deo est, aversas, & adversas in fidem*

fidem suam convertere hominum voluntates, ait idem Augustinus *lib. de bon. persev. cap.* 8. & *cap.* 13. totum esse dandum Deo, asserit, initium boni, & complementum, velle, & facere, ac permanere in bono; perfectius enim esse perficere, quàm inchoare. Proinde non esse Deo imperfectius adscribendum, homini melius, hoc est Deo initium, homini autem finem.

Quintus error est asserentium, fidem non tribui Christi merito, sed generalis providentiæ dono, quemadmodum Christi Incarnatio non est facta meritis Christi, sed ex largitate providentiæ Dei, ut per Dried. *lib. de redempt.& capt.hum.gen. ar.*4. Ruard.*ar. 6. de satisfact.* Hic error apertis scripturæ testimoniis refellitur. Apostolus enim *ad Ephes.* 1. ait *Benedixit nos omni benedictione spirituali in Christo.* Atqui fides ad benedictionem spiritualem cumprimis pertinet. Ad *Ephes.* autem 6. *Pax fratribus,& charitas cum fide à Deo Patre, & Domino nostro Jesu Christo.* Ad *Heb.*12. *Aspicientes in autorem fidei, & consummatorem Jesum.* Ad *Philip.* 1. *Vobis donatum est pro Christo,non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Deinde humilitati, & obedientiæ Christi adscribit Apostolus ad *Philip.*2.*quod omnis lingua confiteatur, quod Dominus Jesus sit in gloria Patris.* Atqui confessio ista fide peragitur. Unde Christus *Joan.*17. Patrem oravit *pro eorum conversione,qui credituri erant in ipsum*,significans,fidem donari merito suæ orationis.

Hinc à Concilio Milevitano *ca.*4. definitum est,à Deo per Christum nobis dari,quod sciamus,quidnam facere debeamus. A Concilio quoque Tridentino *sess. 6. cap.* 7. quod fidem,spem,& charitatem à Deo per Christum infusam accipiamus,& *cap.6.* docet,totius nostræ justificationis causam meritoriam esse Christum.*Cap.*verò 8.tradit,fidem esse primam radicem,ac initium nostræ justificationis. Accedit, quod Ecclesia conversionem infidelium à Deo per Christum petat,agnoscens, fidem intercessione,ac merito Christi nobis dari à Deo. Quicquid enim Christus absolute à Patre petiit, hoc meruit.

Neque verò dici potest,Christum fidei,dispositionumque ad justificationem causam esse effectivam,non autem meritoriam; quia Christus nihil, quod ad salutem nostram pertineat, in nobis efficit, quod non etiam nobis meruerit, ut D.Thom.3.*p.* q.49.*ar.*1.docet,Christi passionem esse medicinam universalem ad curandum hominis morbos; ad medicinæ verò conditionem pertinere non tantum sanitatem conferre,verum etiam ad illam disponere. Idipsum Augustinus luculentis verbis attestatur; *fidem*, ait,*dedisti mihi, quam inspirasti per humanitatem filii tui*,lib.1.Confes. & lib.de bon.persev.cap.7. Post casum hominis, nonnisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum, nec nisi ad gratiam suam, ut homo non recedat ab eo. *Hanc gratiam posuit in illo, in quo sortem consequuti sumus,per fidem verò accedimus ad Deum*,ad *Hebr.* 11. & *ad Roman.* 5. & *lib.*1. *contra* 2. *Epist. Pelag. cap.* 3. *Nemo potest aliquid boni velle, nisi adjuvetur gratia Dei per Jesum Christum*, juxta illud Christi *Joan.*15. *sine me nihil potestis facere : at velle credere, bonum est.*

Quibus rejectis erroribus, certa fide tenendum est, *fidem, qua Christiani sumus, tam perfectam, quam inchoatam, tam vivam, quam mortuam à Deo Christi merito dari*, secundum Christi doctrinam: *hoc est opus Dei, ut credatis in illum, quem misit ille* Joan. 6. & : *sine me nihil potestis facere, Joan.* 15. Et illud Apostoli *ad Philip.* 2. *Vobis donatum est pro Christo, non solum, ut in eum credatis, verum etiam, ut patiamini pro eo.* Utrumque enim ostendit Dei donum; quia utrumque dixit esse donatum 1. Corinth. 4. *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* & 2. Corinth. 3. *Non quia idonei sumus cogitare aliquid, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* & ad *Ephes. 6. Charitas cum fide à Deo Patre, & Domino Jesu Christo.* Quibus scripturis Augustinus *lib. de prædestinat. Sanct. cap.* 3. & *seq.* se convictum fuisse scribit, ut fidem solius Dei munus esse crederet. Et S. Thomas *in* 3. *p. quæst.* 8. Christum esse Caput Ecclesiæ supponens, infert ab eodem influere in Christianos omnem motum supernaturalem, ac proinde credere, ac velle quodcunque bonum religionis, & pietatis. *Et art.* 3. *ad* 1. ait, infideles potentiâ esse Christi membra, quam potentiam fundari in duobus, asserit. Primariò in Christi virtute, quæ adversas hominum voluntates nullo negotio ad se convertere potest. Secundario autem in potentia liberi arbitrii. Unde sequitur, Christi virtute infideles disponi ad fidem, ut fiant actu membra Christi, atque, quoniam credunt, ipsum credere illorum quidem esse propter arbitrium voluntatis, simulque Dei donum esse per Christum propter spiritum Fidei, seu inspiratam facultatem credendi. *Utrumque*, ait Augustinus *lib. de prædestin. Sanct. cap.* 3. *Credere & velle bonum, Dei est, quia ipse præparat voluntatem; & utrumque nostrum, quia non fit, nisi volentibus nobis.* Et cap. 9. *Fides igitur & inchoata & perfecta, donum Dei est*, hoc est, Fides, sive viva, sive mortua, illuminatione supernaturali habetur, quoniam sit de rebus humanum captum superantibus, ut monet etiam Chrysostomus *Homil.* 12. & 7. *in* 1. *ad Corinth.*

CONSULTATIO II.

An Fides in hominis potestate sit? & cur non omnes credant?

EMergit hîc ex dictis quæstio, *Quomodo Fides in hominis sit potestate, si donum Dei existat? cùm hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari videamus.*

Respondendum, Fidem prorsus esse in hominis potestate, quia credimus, cùm volumus, non credimus, quia nolumus. Id autem quisque in potestate habere dicitur, quod si vult facit, si non vult, non facit, Augustino teste *lib.de spir.& lit.cap.*30. & 31. Cum autem quis cum vult, credit, & cùm credit, volens credit, sequitur, Fidem in nostra potestate consistere, & credere nostrum esse, quia non fit, nisi volentibus nobis.

Quia tamen Deus præparat voluntatem, ut credere velit inspirando facultatem benè operandi per Spiritum sanctum, idem actus credendi simul tribuendus est Deo, & libero arbitrio; quia per Dei donum procedit ab intellectu & voluntate nostra.

Si verò quis pressius inquirat modum, quo Deus agit, ut velimus bonum, & credamus, respondet Augustinus *lib. de spir. & lit. cap.* 33. binis persuasionibus id agere Deum. Una externa, quæ fit prædicatione,Evangelica lectione,aut monitione, vel qualibet extrinseca suasione. Altera intrinseca persuasione, quæ fit illuminatione mentis,atque immissione cujusdam Divini amoris in voluntatem. Non enim omnis interna suasio efficit,ut credatur, & ut quod cognitum fuerit, appetatur; sed illa sola tantæ rei sufficit, quæ sic animum succendit, commovet, ac delectat, ut ad appetendum id, quod cognitum fuerit,voluntatem hominis inclinet, efficiendo, ut quicquid aliud voluptas, aut dolor suggesserit, boni,aut veri propositi delectatione superetur. Tunc enim res cognita appetitur, si tantum delectet, quantum diligenda est.

Cur autem hoc fidei donum non omnibus detur, Fidelem movere non debet, qui credit, ex uno omnes esse in condemnationem justissimam, ita, ut nulla Dei esset justa reprehensio, etiamsi nullus inde liberaretur. Unde constat, ad magnam pertinere gratiam, quod plurimi liberentur, qui in eis, qui non liberantur, agnoscere debent, quid sibi deberetur. Nec in suis meritis, quæ paria

paria vident esse damnatis, sed in Domino glorientur, ac inde ad gratias suo liberatori agendas incitentur. Sic passim Augustinus docet, posse Deum omnes intus trahere sic, ut audiant, & credant, sed nolle, ut in vasis misericordiæ suam gratiam commendet, (omnes enim, qui secundum propositum Dei miserentis vocantur, credunt, & obediunt prædicationi) in aliis verò, quos in massa damnata relinquit, vult justitiam suam ostendere; bonus in beneficio certorum, justus in supplicio certorum: bonus in omnibus, quia bonum est, debitum reddere, justus in omnibus, quia debitum sine cujusquam fraude condonat. Sed cur hunc potius, quàm illum Deus liberet, huic potius, quam illi persuadeat, hunc potius, quàm illum secundum propositum misericordiæ vocet, ad inscrutabilia Dei judicia referendum est, quæ admirans Apostolus exclamat: *O altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* *Rom.* 11. & *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Rom.* 9.

Consultatio III.

An dubitantes Fidem habeant? Et utrum in hæretico Fides esse queat?

Ad primum. Explicata priori definitionis Fidei parte, qua virtus infusa dicitur, superest, ut de altera parte disseramus, hoc est. *cujus vi omnibus iis assentimur, &c.* id est firmiter adhæremus, sive consentimus, & acquiescimus, quæ divinitus revelantur. Ubi primò de iis, *qui dubitant*, occurrit quæstio, *An fidem habeant?*

Observandum, Dubitationem quandam ex infirmitate nasci, qualis fuit Petri, dum à Christo audivit *Matth.* 14. *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Cujusmodi dubitatio fidem non evertit, sed minuit. Cum Fide enim nonnulla dubitatio, imo ignorantia consistit, ut Apostolus illis verbis indicat: *Et si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus revelabit. Verumtamen ad quod pervenimus, ut idem sapiamus, in eadem permaneamus regula*, ad *Philip. cap.* 3. Dubitatio alia reperitur pertinaciæ conjuncta. Hæc fidem tollit, atque hæreticum facit, ut docet Augustinus *Epist.* 1612. coarguens Donatistas, quod tot indiciis convicti, adhuc in suo schismate permanerent.

Fides ergo consensum exigit constantem, ac firmum, quia revelationi primæ veritatis innititur, quæ nec falli, nec fallere potest. Quare qui veritati satis sibi manifestatæ acquiescere nolens, adhuc dubitare præeligit, hæreticus merito habendus est, sicut & ille, qui unicum fidei articulum pertinaciter rejicit. At de hoc alibi latius.

Ad secundum. Cum una sit Fides specie, ac genere, Apostolo teste ad *Ephes.* 4. per quam credantur eædem veritates divinitus revelatæ, ac hæretici qualescumque naufragium faciant in fide 1. *ad Timoth.* 1. manifeste consequitur, quod unius articuli pertinax rejectio totam Fidem evertat, quodque infidelitate quacunque vera Fides amittatur, Concil. Trid. *sess.* 6. *cap.* 15. Quod exemplo monetæ adulterinæ Chrysostomus illustrat *Homil* 1. *in Epist. ad Galat.* Alii verò similitudine cymbali, quod sonum integrum retinet, quamdiu nulla fissura corrumpitur, accedente verò minima rima confestim priorem sonum amittit. Quare fatendum est, Fidem cum hæresi simul non consistere, sed infidelitate amitti, sicut quolibet peccato mortali charitatem pelli docet D. Jacobus Ep. 2. dum ait: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

Neque obstat, quod hæreticus unum articulum inficians, alios, ut prius dono supernaturali credere videatur: Nam cùm formalis ratio fidei sit autoritas Dei revelantis, sequitur, eum Fidei habitum non habere, qui in uno articulo Dei autoritati non acquiescit, nec cedit, sed talis judicio suo innixus, quod vult recipit, non habitu fidei, sed placito suo, interdum etiam quodam supernaturali dono adjutus. Nam virtute Fidei omnibus iis assentimur, quæ à Deo credenda proponuntur, quia par est omnium, quæ à Deo revelantur, certitudo.

Consultatio IV.

Quot modis Deus revelet veritatem? Et quænam sit Fidei causa formalis, in quam omnium credentium fides resolvatur?

Quod ad primum. Veritatem hominibus non uno modo Deus proponit. Nonnunquam enim id facit evidenti revelatione, claro lumine mentem perfundendo, ut rem intelligat, sciat, videat, aut prospiciat, quemadmodum fit dono intellectus, Scientiæ, ac Prophetiæ. Unde Prophetæ dicti sunt *Videntes*. Porro illa videri dicuntur, quæ per seipsa intellectum, aut sensum nostrum ad sui cognitionem permovent. Aliquando Deus veritatem certò quidem revelat, sed lumine obscuro ita, ut intellectus non sufficienter ab objecto revelato ad assentiendum commoveatur, sed accedere opus sit piam, humilemque voluntatis affectionem, quæ intellectum captivet, & in obsequium Christi redigat, imperioque suo ad consentiendum inclinet. Qualis revelatio obscuram, & ænigmaticam solum cognitionem generat, cujusmodi est Fides.

Duo itaq; Dei revelatio complectitur. Unum ex parte rei creditæ, scilicet Fidelitatem Dei loquentis. Alterum verò ex parte credentis, videlicet illuminationem mentis. Dei enim testimonium Fidele est, ideoque infallibile, simul verò oculum mentis illuminans, ut prima veritas revelans agnoscatur, quæ triplici modo veritate excellit. Nam verum tribus modis dicitur, sicuti & veritas triplex est. Prima consistit in conformitate rei ad sua principia, & nuncupatur veritas naturæ, quo modo aurum verum dicitur. Secunda veritas in conformitate intellectus ad rem consistit, & vocatur intellectus, seu judicii, ut dicimus, verè judicasti. Tertia in conformitate verbi interioris, & exterioris consistit, quæ sermonis veritas appellatur, fraudique, ac mendacio opponitur. Non enim quisquis falsum dicit, mendax est, sed qui aliter loquitur, quam sentit, sive falsum, sive verum enuntiet. Quibus omnibus modis Deus veritate præcellit. Naturæ quidem, propterea, quoniam est idipsum, quod est. Veritate quoque intellectus, quoniam sapientissimus est, omniumque rerum exactissimam habet scientiam, ut falli nequeat. Veritate demum assertionis, quia Fidelis, & optimus est, qui proinde fallere non potest. Et quoniam quicquid in Deo est, Deus est, ideo non solum Deus verus est, sed etiam prima summaque veritas.

Unde respondetur ad secundum. Formalis Fidei nostræ causa, sive objectum formale, per quod, & propter quod formaliter, ac principaliter credimus, est prima veritas revelans, & intus in corde testificans. Nam Deus principaliter, & per se credibilia proponit, atque ut propositis assentiamur, interna operatione mentem illustrando, & voluntatem inspiratione piæ affectionis inclinando, efficit. Proinde Fidei Catholicæ fundamentum primarium, in quod omnis credentium Fides ultimo resolvitur, non est docentis, seu testificantis Ecclesiæ autoritas, testimonium, vox, aut decretum. Nam hæc omnia ad genus externæ causæ pertinent, sine qua licet ordinariè fides non obtineatur, absque tamen externo Angelorum, atque hominum ministerio Fides haberi potest. Loquitur enim Deus nonnunquam, revelando immediatè

mediatè per seipsum, uti Pater cœlestis revelavit Petro *Math.* 16. Christum esse Messiam, & Paulo Evangelium. Præterea externa Fidei causa licet intellectum ad fidei assensum invitet, & adjuvet propter innatam infirmitatem, rerumque divinarum ignorantiam, nec non insitam mortalibus superbiam, plurimumque conducat ad unitatem Fidei conservandam, attamen sola Ecclesiæ vox, & autoritas ad veri nominis Fidem inducere nequeunt, quia talis Fides esset acquisita, non infusa, & virtus humana, non ex Deo, ac insuper, quia sine Dei dono, & arcano Spiritus sancti lumine nulla veri nominis Fides haberi potest. Quemadmodum enim ad intelligendum principia scientiarum multa sunt præambula, & media, per quæ principia cognoscantur, qualia sunt institutio, disciplina, explicatio per exempla, vel effecta, terminorum expositio, ac similia, nihilominus sola formalis ratio illis assentiendi est lumen naturale intellectus agentis, quem propterea splendori ac luci Aristoteles comparat; ita plane in assensu Fidei, ratio formalis assentiendi articulo Fidei est lumen supernaturale à Deo revelante infusum, quod tam proponit intellectui credibile, quàm inclinat intellectum per voluntatem nova gratia motam ad credendum revelanti Deo. *Vox enim Ecclesiæ docet forinsecus, sed Cathedram habet in Cœlo, qui intus docet*, ait Augustinus *tr.* 1. *in Epist. Joan.* Ultimum itaque, in quod omnis Fides resolvitur est Deus revelans, non solum externe per Ecclesiam, sed etiam interne suadens, & persuadens.

Hinc primam credendi rationem Apostolus in Deum refert 1. *ad Thessal.* 2. *Cum accepissetis à nobis verbum Dei, non accepistis illud, ut verbum humanum, sed sicut vere est, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.* Et ad Galat. 1. *Licet nos, aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*: Quia scilicet verbum Dei verax est, certum, & immutabile, ac permanens in æternum. Quod cùm sit primum Fidei fundamentum non verò autoritas Pauli, nec alicujus Angeli, sequitur, Dei testimonio nullum majus afferri posse, & cùm Deus falli aut fallere nequeat, immutabilisque sit, contrariam sibi doctrinam invehere non posse. Unde Augustinus *lib.* 11. *confess. cap.* 3. ait, *se litteris sacris non credere propter scribentis autoritatem, sed loquentis.*

Cæterum his obstare videtur, quod si prima credendi ratio in testimonium Spiritus sancti mentem interius illuminantis reduci debeat, minime videatur esse necessarium externum visibilis Ecclesiæ testimonium. Dicent enim homines, erroribus suis patrosinari volentes, se per Spiritum Fidei, hoc est per illuminationem, suggestionesque Spiritus sancti decernere, quid credendum sit, quidque ut adulterinum à Fide alienum, sicut hodie Sectarii prætendunt.

Sed respondeo, quod licet Fides nostra ejusdem sit rationis cum Fide Prophetarum, Apostolorum, aliorumque, qui Deo crediderunt, sicuti & nos, attamen quod in Prophetis, & Apostolis Fides longe majoribus Spiritus sancti donis exornata fuerit. Siquidem tanto lumine interius perfusi fuere, ut credenda distincte viderent, & veritatem à falsitate discernerent; ideoque externo, ac publico testimonio Ecclesiæ non indigerent. Hoc enim abunde intensissimum lumen Fidei, Sapientiæ, & intellectus eis præstabat, quod aliis qui obscurius illuminantur, datur Angelorum, hominumve ministerio. Nam clara singulorum credendorum revelatio qualis facta est Apostolis, qui à Deo primi Ecclesiæ Doctores constituti sunt, non passim immediatè à Deo absque humano ministerio fit, sed ordinarie Deus per Ecclesiæ Magistros & Doctores nobis loquitur, ac suggerit omnem veritatem.

CONSULTATIO V.

An Ecclesiæ vox, testimonium, & Decretum credendorum regula, fideique criterion rectè constituatur?

ETsi veritas à Deo, non ab Ecclesia primam suam originem trahat, & per solum Fidei habitum infusum absque omni externo medio Fidem Deus ingenerare possit, sicut Moysen, Prophetas, Apostolos, variosque alios electos intus docuit, attamen externam Ecclesiæ vocem, perpetuum, & ordinarium medium homines ad fidem inducendi, in eademque confirmandi esse voluit, ut qui veritatem immediatè revelantem minus contueri possent, illam per homines luce veritatis suffultos propositam, tanquam per nubem, seu lucernam rutilantem, suavius apprehenderent, sicut Joannes *fuit missus à Deo, ut testimonium perhiberet de lumine, & omnes crederent per illum.* Non quia diei claritas eget testimonio lucernæ, sed quia hominum oculi lucem in se resplendentem tolerare non poterant.

Hinc Deus ab initio mundi Fideles, ut plurimum per alios loquens erudivit. In Lege quidem naturæ per Angelos, aut primogenitos familiarum, & in Lege scripta per Moysen, deinde per Sacerdotes, & Prophetas. Sic in Lege gratiæ per Filium Dei incarnatum, & per Apostolos, eorumque successores. Et sicut Deus nobis loquutus est in Filio, cùm in terris esset, sic illo in cœlos abeunte nobis loquitur in Ecclesia Doctoribus, & Magistris, quibus docendi munus commisit, dicendo: *Euntes docete omnes gentes* August. *tr.* 25. *in Joan.* & *lib. contra mendac. cap.* 20. Et *qui vos audit, me audit.* Hinc Paulus *verbum suum Dei verbum esse affirmat* ad *Hebr.* 1. Quod ex *cap.* 17. *Joan.* Augustinus ostendit, tractans illa Christi verba: *Qui per verbum eorum credituri sunt in me.* Et Petrus *Epist.* 1. *cap.* 1. ait: *Verbum Domini, quod permanet in æternum*, esse *verbum Ecclesiæ permanenter, & perpetuò evangelizatum*, cui Paulus consonat dum ait: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*, scilicet prædicatum. *Nam quomodo audient sine prædicante?* 1. *ad Thess.* 2. *Hoc est verbum Fidei, quod prædicamus*, Augustinus *tr.* 209. *in Joan.*

Vox igitur Ecclesiæ Catholicæ est certum veritatis testimonium à Deo constitutum, omnes ad credendum obligans. Est enim verbum Dei per Ecclesiam loquentis, cui non minus credendum est, quàm si Deus per se immediatè loqueretur. Quomodocumque enim Deus loquatur, sive per se, sive per alium audiendus est, nec in certitudine credendi, sed tantum in modo discendi discrimen est; alioquin infirmior esset nostra Fides, quàm Apostolorum, & minùs certa eorum Fides & salus, qui prædicantibus Apostolis crediderunt, quàm Petri, qui Deo immediate revelanti credidit. At clare in rebus generatis conspicimus, quod eandem naturam per medias causas quotidie productæ habeant, quam ab initio ex nihilo à Deo creatæ habuerunt. Similiter ergo Fides, qua Deo per se loquenti vel per alterum creditur, paris est certitudinis. Quia ratio tota credendi ex autoritate, & testificatione loquentis promanat. *Quod enim credimus, autoritati debemus*, ait Augustinus *lib. de util. cred. cap.* 12.

Ne quis autem de docentis Ecclesiæ autoritate dubius fluctuaret, aut circumferretur omni vento doctrinæ, Deus non solis Prophetis, vel Apostolis autoritatem docendi, & testificandi concessit, sed etiam Pastoribus, ac Doctoribus Ecclesiæ perpetuò futuris, quos, Apostolo teste, *dedit in opus ministerii, in ædificationem corporis sui, in confirmationem sanctorum.* Ut eorum opera

opera credentes, non secus quam alii olim voce Apostolorum in Fide conserventur. Hos enim Deus testes omnis veritatis constituit, ut cum Petro dicere possint; *Præcepit nobis populo prædicare, & testificari, Act.* 1. 2. 3. & 10. de quibus Isaias c. 43. *Vos testes mei, dicit Dominus. Eosdem posuit Ecclesiæ magistros, Ephes.* 4. *depositi custodes* 1. *Timoth.* 6. *columnas, & firmamenta veritatis,* 1. *Timoth.* 3. Per hos demum loquitur Deus, ac proinde qui eis loquentibus credit, Deo per ipsos testificanti credit, juxta illud: *Qui vos audit, me audit,* planissime ostendens, cujus personam gerant, cum docent. Se enim Deus in illis loqui asserit, nec secus illos esse audiendos, quam seipsum.

Quemadmodum ergo revelanti Deo credimus, quia verax est, nec falli, aut fallere potest, ita Ecclesiæ judicanti, atque testificanti, hoc esse credendum, omnino credimus. Quia Deus per Ecclesiam loquitur, eamque infallibilem veritatis testem esse constituit, ejusque vocem audiri, illique obediri jussit. *Matth.*10. *Luc.* 10. *ad Hebr.* 13. adeo, ut Ecclesiæ, atque Deo credere, vel obedire, aut non credere, & reluctari pro eisdem in Scripturis accipiantur juxta illud *Exod.* 14. *Crediderunt Domino & Moysi servo ejus, Marci ult. Qui non crediderit vobis,* scilicet prædicantibus. *Domine, quis credet auditui nostro? Rom.* 10. Unde Paulus *verbum suum, verbum Dei* esse asserit 1. *ad Thessal.* 2.

Porro hîc observandum est, Verbum Dei non solum esse Scripturam Veteris, & Novi Testamenti, sed etiam quicquid Spiritus veritatis Ecclesiam docet, sive per traditiones Apostolicas non scriptas, seu circa sensum, & intelligentiam verbi scripti. Præterea sciendum est, ipsum Dei verbum sive scriptum, sive non scriptum, non esse per se medium, sive objectum Fidei formale, sed materiale. Quia verbum non loquitur, sed per loquentis vocem, seu Dei, vel Angeli, seu Ecclesiæ auditur. Ideoque non verbum Dei, sed Ecclesia est Judex quæstionum Fidei, est Doctor concludens, & veritatis testis, cui per Scripturas, vel alia media concludenti creditur, cujus determinationi obeditur, quæ nobis veritatem testificatur. Ideoque proprie Scripturam credimus, Ecclesiæ verò credimus, & obedimus, sicuti populus Israeliticus Moysi credidit, & Rex Agrippa Prophetis *Exod.* 14. *Act.* 26. *Et creditum est*, ait Apostolus 2. *ad Thessal.* 1. *testimonium nostrum*, quia scilicet erat vox Dei per os nostrum loquentis, docentis, & attestantis, August. *lib. de util. cred. cap.* 12. & 14. Non enim in doctrina religionis spectandum est quid dicatur, sed quis loquatur. Quoniam religio nititur autoritate, ac testimonio, non autem ratione, & argumentis juxta illud Augustini *lib. contra Epist. fundam. cap.*4. *Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoneret autoritas.*

Hinc in doctrina Fidei ante omnia quærendum est de potestate docentis, ac de persona loquentis. Etsi enim verum in se semper maneat verum, sive Angelus, sive Satanas, sive Catholicus doctor, sive hæreticus seductor hoc dicat, attamen nec Satanas, nec hæreticus vera dicens in causa religionis audiendus est, quia testis idoneus, & certus neuter est, sed falsus uterque. Quia vel veris falsa permiscet, vel malo fine verum affirmat, ut scilicet postea seducat. Unde Christus diabolo profitenti, *Scio, te, quia sis Sanctus Dei, Luc.* 4. dixit: *Obmutesce*, & Paulus diabolo clamanti, quod servus esset Dei, præcepit exire *Act.* 16. Licet enim hæreticus, imo & Satanas verbum Dei loqui possit, non tamen propterea ei credendum est, quia autoritatem docendi veritatem à Deo non accepit. Ecclesiæ verò Doctoribus ideo credendum est, quia veritatis divinæ legitimi testes à Deo constituti sunt, & autoritatem docendi, & testificandi à Deo acceperunt ita, ut causa eis credendi sit Deus per ipsos revelans, loquens, docens omnem veritatem. Quam sane autoritatem vel ordinaria, & legitima missio, vel miracula demonstrant. *Pro Christo*, ait *Apostolus legatione fungimur.* Proinde quando loquebatur Apostolus, Christus, cujus ille personam gerebat, per eum docebat. Et quando nunc Ecclesia auditur, Christus per eam loquens, auditur, juxta illud: *Qui vos audit, me audit.* Hinc unus est magister noster, Christus, scilicet principalis, qui per se, ac Spiritum Sanctum infallibiliter Ecclesiam, & per ministeriales Magistros omnem veritatem ordinarie docet ita, ut à voce loquentis Ecclesiæ communiter, non autem à solo scripto Dei verbo, Fides dependeat; quia Deus ordinarium modum hunc esse voluit, ut per illam docentem credatur, per quam ipse loquitur, & quam infallibilem veritatis esse testem constituit, per hujus vocem homines voluit ad Fidem vocari, & in Fide conservari. Quare hujus vocem, testimonium, & magisterium ordinarium esse credendorum regulam, & veluti Lydium lapidem, ad quem omnia credenda examinari debeant, rectissime concludimus.

Consultatio VI.

An sola Scriptura Sacra ad omnes Fidei Quæstiones determinandas sufficiat? Et an sola Scriptura sit Iudex Fidei?

AD primum. Quamvis Sacra Scriptura sit infallibilis regula Fidei, ut communiter tenent, non solum Catholici, sed etiam hæretici, estque de Fide *ex S. Concilio Tridentino sess.* 4. & deducitur *ex* 1. *ad Timoth.* 3. *ex Joan.* 15. *& ex Lucæ ult.* Quia Scriptura continet verbum Dei revelatum, ac proinde applicat autoritatem divinam, quæ infallibilis est ita, ut implicet, quod contineat mendacium. Nihilominus hæreticis familiare est, obedientiam Ecclesiæ voci debitam hoc fuco repellere, quod Scripturam Sacram revereantur, per quam Deus indubitanter loquitur, quodque ea sola ad omnem Fidei doctrinam sufficiat. Cæterum quod sola Scriptura per se nulla ratione ad Fidei mysteria, decernenda sufficiat ex eo liquet.

Primo, quod interprete egeat, interpretatioque fieri debeat non ex affectu legentium, sed revelatione Spiritus ejusdem, à quo scripta est. Nam nihil in Scriptura tam apertum est, quin à diversis in varios, pugnantesque sensus trahatur, si cum præjudicio opinionis præconceptæ legatur. Idem enim in Scriptis, quod in cibis accidit. Opus ergo est magisterio Ecclesiæ, *ex cujus ore verbum Dei non recedit. Isai.* 57. *Cum qua Spiritus Sanctus in æternum manet, ut illam omnem veritatem,* etiam intelligentiæ scripturarum, *doceat* Joan. 16. cui assistit Christus, *manens cum illa usque ad consummationem seculi, Matth. cap. ult.*

Secundo. Scriptura sacra liber est Fidelium, cujus omnes partes propter credentes vel ad credentes scripte sunt ut patet ex tota Scriptura veteris Testamenti, ac Novi. Proinde Scriptura Sacra nonnisi à Fidelibus & Orthodoxis intelligi potest juxta illud *Isai.* 7. *Nisi credideritis, non intelligetis.* Hinc Eunuchus legens Isaiam, non intelligebat, donec Philippus ei ostendit Jesum, qui in littera latebat *Act.* 8. Quare meritò Augustinus *lib.* 2. *de doctr. Christ. cap.* 7. pietatem Fidei ad intelligendas Scripturas secundum gradum constituit. Hujus defectu *Judæi velamen incredulitatis, in corde habentes, Scripturas intelligere non poterant* 2. *Corinth.* 3. *Quin eis fiebat mensa in laqueum, Rom.* 11.

Præterea neque ab ipsis Fidelibus Scriptura facile intelligi sola lectione, aut meditatione potest propter styli obscuritatem maximam, quam eruditissimi Scripturarum expositores agnoverunt, ac propter mysteriorum altitudinem, & profunditatem, etiam ubi perspicua videtur, nec non propter fœcunditatem, quæ

cum

cum plures sensus pariat, non ita facile à quovis quisnam sit germanus, percipitur. Unde non uno, eodemque sensu omnes illam accipiunt.

Postremo accedit brevitas, cujus gratia multa prætereuntur, quæ tamen ex serie traditionis intelligenda sunt, ut sæpe Augustinus monet *lib. de fid. & oper. cap. 4. & Epist. 119.* Ex quibus evidenter sequitur, Scripturas Sacras absque voce interpretantis ac docentis Ecclesiæ, ad Fidei doctrinam solas per se non sufficere.

Denique nec sciri potest absque voce testantis Ecclesiæ, quænam sit divina Scriptura. Nam si quis totam Scripturam Sacram vel neget, aut nesciat, nisi Ecclesiæ autoritate persuadeatur credere, nunquam Scriptura seipsam probare poterit, quod sit verbum Dei pronunciatum. Multa insuper Fide credenda sunt, quæ in Scriptura non docentur, sed viva voce per successiones temporum veluti manu traduntur, ad quæ determinanda Scripturam insufficientem esse patet: Neque vero ullius Scriptoris intentio fuit, totam Fidei regulam scripto aliquo complecti. Nam alioqui tota Scriptura uno momento scribi debuisset. At Fides integra, & ad salutem sufficiens in Patriarchis ante omnem Scripturam fuit, & in populo Judaico ante Scripturas Novi Testamenti, ac demum in multis Christianis antequam tota Scriptura Evangelica, vel Apostolica scriberetur. Nec verò Christus scribi, sed annuntiari voce viva suam doctrinam edixit. Nec Evangelistæ, aut alii Scriptores Novi Testamenti totam Fidei doctrinam opera dedita conscribere intenderunt, sed prædicationis viva voce prius factæ commonitoria quædam brevia, & cohortationes ad eam retinendam occasione data fidelibus reliquerunt, sicuti Lucas de suo Evangelio testatur: *Ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.* Et Paulus in singulis pœne suis Epistolis Lectorem remittit ad *prædicationem viva voce prius factam* ad *Rom. decimosexto. Præter doctrinam, quam vos didicistis* 1. *Corinth.* 11. *Sicut tradidi vobis*, 2. *Corinth.* 1. *Non alia scribimus vobis, quam quæ cognovistis.* Ad *Galat.* 1. *Si quis evangelizavit præterquam quod accepistis.* Ad *Philip.* 4. *Quæ didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agite.* Ad *Coloss.* 2. *Sicut accepistis, sicut didicistis.* 1. *ad Thessal.* 4. *Scitis, quæ præcepta dederim vobis, poster. ad Thess.* 2. *Tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam.* 2. ad *Timoth.* 1. & 2. *Quæ à me audisti, hæc commenda Fidelibus.* Ubi clarum est, Paulum ad acceptam viva voce doctrinam, tanquam unicam, atque plenissimam Fidei normam non autem ad solas Scripturas suum lectorem ablegare. Multa enim Paulus docuit quæ non scripsit, *August. in Joan. tract.* 98. *& in Psal.* 103. *Conc.* 2. Apostolos enim scribendi minimam habuisse rationem notat Eusebius lib. 5. *cap.* 18. *&* 24. & Chrysostomus *Homil.* 1. *in act.* Quia nunc Testamenti doctrina non tam in charta, quam in hominum cordibus, non atramento, sed Spiritu Dei vivi scribenda erat. Est quidem Scriptura in genere externorum testimoniorum, & in materia credendorum Fidelibus adjumento, ut credant, sed tamen non sola sufficit. Quia viva vox Ecclesiæ forinsecus docens, proponens, explicans & ipse divinus Spiritus intus illuminans, præter Scripturarum litteralem doctrinam, sive generandæ, sive alendæ Fidei nostræ necessaria sunt.

Ad secundum. Est necessarius in Ecclesia Judex animatus, qui tanquam Magister judicet secundum regulas Fidei probatur id ex D. Paulo 2. ad *Timoth.* 2. *In quo positus sum ego prædicator, & Apostolus, & Magister gentium.* Et Act. 26. *Ad hoc apparui tibi, ut constituam te Ministrum, & testem eorum, quæ vidisti.* Ex quibus verbis apparet, adesse in Ecclesia magisterium circa res fidei, quod ab initio Ecclesiæ redactum fuit ad praxim ab Apostolis. Nam cùm orta esset difficultas, an circumcisio, & legalia essent servanda ex necessitate salutis, fuit coactum Concilium Hierosolymis, ut habetur *Act.* 15. & responsum: *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris,* &c. Multæque sunt controversiæ, quæ non possunt definiri ex Scriptura, quia nulla fit in ea mentio de ipsis, ut an aliqui libri sint Canonici. Quot sint Sacramenta novæ legis, & hujusmodi alia, ut proinde necessarius sit Judex animatus qui possit eas definire.

Hic autem Judex controversiarum Fidei est Ecclesia, atque adeo sunt ii, qui repræsentant Ecclesiam, ut Summus Pontifex, & Concilium, cui præsideat Pontifex, vel per se, vel per suos Legatos. In Deuteronomii enim *cap.* 17. Deus jubet in difficilibus adire Sacerdotes, & acquiescere eorum sententiæ. Et 2. *Joan.* 20. Petro speciatim dicitur: *Pasce oves meas*, atque adeo etiam successoribus ipsius. Quia Christus voluit perpetuo providere suæ Ecclesiæ. Pascere autem est tradere doctrinam necessariam ad sustentandas oves in vita spirituali, juxta illud Hieremiæ 3. *Dabo vobis Pastores secundum cor meum, & pascent vos scientia & doctrina*, & 3. Luc. 22. *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Cum autem Petrus, atque adeo successores ipsius habeant Fidem indefectibilem, ac debeant alios in Fide confirmare consequitur, ut sint Judices Fidei, ut arguunt Lucius primus *Epist. ad Episc. Hispaniæ, & Galliæ*, Felix primus *Epist. ad Benignum*, Leo IX. *Epist. ad Petrum Antiochenum*, Agatho *Epist. ad Constantinum Imperatorem*, quæ & approbata *in 6. Synodo art.* 14.

Consultatio VII.

An vox Ecclesiæ quæstiones Fidei determinantis, sit certa, & infallibilis?

Superbi, rebellesque Ecclesiæ Filii, ut omnem Ecclesiæ docentis, testificantis, aut judicantis sive per summos Pontifices, sive per Concilia, Episcopos, ordinariosque Pastores, & Magistros autoritatem convellant, non alia conditione vocem Ecclesiæ audiendam statuunt, nisi verbum Dei proferat, aut nisi consentanea Scripturæ doceat. Hac arte omnem Ecclesiæ doctrinam in dubium revocantes, ac seipsos tam verbi Dei, quam definitionis Ecclesiæ judices constituentes. Quoniam ergo hæc illorum cavillatio omnium hæreticorum est nota, omniumque hæreseon fundamentum, quod omnem religionis, ac Fidei certitudinem labefactat, ideo comprobandum est, vocem Ecclesiæ quæstionem Fidei decernentis, esse certam, ac infallibilem.

Primum, quia Deus per illam loquitur *Matth.* 10. *&* 18. Et veritatis infallibilem testem constituit. Qui ergo Ecclesiam non simpliciter audit, sed conditionem exigit, ut Scripturis, & rationi consentanea dicere videatur, talis impius, & in Deum injurius est, cui per Ecclesiam loquenti non absolute, ac simpliciter credere vult, sed sub conditione, si vera & scripturæ consentanea dicere videatur. Sic enim Ecclesiæ testimonium non ex veritate Dei, qui eam in testem assumpsit, sed ex suo pendere vult arbitrio, ac sibi potius, quam Deo credit juxta illud Augustini ad Manichæos lib. 17. contra Faustum cap. 3. *Qui in Evangelio quod vultis creditis, vobis potius, quam Evangelio creditis.*

Secundo. Deus nonnisi per Ecclesiæ docentis Sapientiam infirmitati, ac ignorantiæ sui humanæ in eis, quæ ad fidem necessario pertinent, succurrere instituit; Pastores enim & Doctores dedit *ne simus parvuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ*, ad *Ephes.* 4. Proinde necessarium est, Ecclesiam in eis, quæ Fidei

sunt, ita sapere, ut neque falli, neque fallere possit, alioqui naturæ ignorantiæ non succurritur, sed imponitur.

Tertio. Voluit Deus Ecclesiæ vocem extrinsecus omnem nobis manifestare veritatem, sicut ipse intrinsecus revelat. Dixit enim: *Ite, docete omnes gentes*, adjiciens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi, Matth. ult.* Significans, se cum Apostolis, eorumque successoribus, qui perpetuo Ecclesiam docebunt, futurum, nec permissurum, ut in docendo Ecclesiam à fide aberrent. Si autem Christus assistit Ecclesiæ, non potest errare; alioquin error tribueretur Christo, ut arguit Chrysostomus *Hom.* 11. *ad populum*, Augustinus *Conc.* 2. *in Psal.* 101. Leo X. *in Bulla contra Lutherum*, aliique Patres.

Quarto Scriptura *Joan.* 14. & 17. aperte tradit; Spiritum Sanctum cum Ecclesiæ Magistris perpetuò mansurum, ut eos doceat omnia, quoad scilicet intelligendas recte Scripturas, omniaque necessaria dogmata. Unde sequitur, Ecclesiam non solum esse veracem, sed etiam Magistram infallibilem, utpote quæ à Spiritu Sancto loquatur; ut Apostoli attestantur docendo Act. 15. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*, & Paulus 1. ad Thessal. 4. *Qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum suum Sanctum in nobis.*

Quinto. Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis, suo videlicet stabili Magisterio Fideles confirmans, atque certissimo, ac infallibili testimonio efficiens, ut propositis credibilibus, firmissime à nobis credatur, non quidem expectans immediate doceri à Deo enthusiasmis, aut novis afflatibus, neque mediis certis, ac necessariis concludendo, sed autoritate, ac potestate divinitus accepta doctrinam Fidei aperiendo, explicando, decernendo, atque irrefragabili testimonio confirmando. Non enim Ecclesia de rebus Fidei ex scientia, vel arte concludit, sed doctrinæ semel acceptæ certissima & infallibilis est testis, conservatrix, aperiens, & explicans quid acceptæ ab initio Fidei sit consonum, quidque virtute in Fidei semine latebat, ac quidnam ex articulis Fidei revelatis recte deduci possit. Unde Ecclesiæ Pastoribus, & Magistris simpliciter credenda proponentibus, ac decernentibus, non minus credendum est, quàm est Legislatori jubenti obtemperandum. Quia sicut ex accepta potestate divinitus Legislator jubet, ita ex decernendi potestate, & gratia à Christo accepta, Ecclesiæ Pastores docent, ac decernunt.

Hinc in Conciliis omnibus Conclusiones & Decreta, non autem probationes, & argumenta videmus, non quod sine argumentis concluserint, sed quia non ex formitate argumentorum, sed ex suggestione Spiritus sancti, & potestate à Christo accepta infallibiliter veritatem concluserunt, ut *Act.* 15. Apostoli. Non enim Ecclesiæ doctrina est argumentatio, sicut Theologica scientia, quæ ex arte, & principiis disciplinæ Theologicæ, docet, persuadet, Fidem tuetur, ac rationibus ostendit, non esse improbabilem. Sed Ecclesia ex potestate Fidem decernit, constituit, autoritate sua prædicat, esse infallibilem, ac circa articulos fidei revelatos versatur. Non enim scientiæ, sed Fidei scholam Christus instituit, nec ad probandum argumentis, sed prædicandum verbo Evangelium, Ecclesiæ Magistros misit, quorum dictis tanquam suis, Fideles certo & secure acquiescere voluit, cum propter assistentiam Spiritus sancti tum propter expressam promissionem Christi, quia se cum Ecclesia usque ad consummationem seculi futurum dixit, ut per eam & ipsam Scripturam, & Scripturæ sensum & multa extra Scripturam infallibiliter doceat eam illuminando per verbum à se immediatè revelatum, sive scriptum, sive non scriptum, sed viva voce traditum. Quod enim Ecclesia per assistentiam Spiritus sancti, quoad res ad salutem necessarias, in omnem veritatem inducatur, in Scripturis aperte nobis revelatum est, etiamsi media, quibus in docendo Ecclesia uti debet, explorata non habeamus. Quare hæc infallibilitas docentis Ecclesiæ studium, & industriam non excludit, sed potius includit. Nam qui finem dat, etiam media ad finem necessaria præbet, & à mediis consecutionem finis impedientibus conservat, prout in salvandorum prædestinatione manifestum est, ubi non solùm vita æterna, sed etiam media ad illam necessaria prædestinationis effectus sunt.

Ecclesia igitur ita est infallibilis in credendo, ac proponendis rebus Fidei, ut nunquam possit errare. Est de Fide contra Theodosianos, Arianos, Donatistas, Luciferianos, Iconomachos, Lutheranos, Calvinistas, & omnes hæreticos nostri temporis. Definitur autem in Concilio Niceno *l.* 3. *c.* 3. & ita in Nicolai II. *art.* 6. *to.* 5. & habetur in Symbolo Apostolorum *Credo in Spiritum Sanctum, & Sanctum Ecclesiam Catholicam.* Si enim Ecclesia est sancta, non potest errare in fide, & omnia Concilia confitentur hanc veritatem, dum initio præponunt Confessionem Fidei.

Rogabit forrasse aliquis, *Unde sciamus, Ecclesiam non falli*? Respondetur, quia Deus illi promisit suam assistentiam. At unde habeatur quod hæc promissio sit facta à Deo. Si dicatur ex propositione Ecclesiæ, quia ita proponit credendum, committitur circulus.

Tenendum est de Fide, Deum revelasse mysteria Fidei ex 2. Petri cap. 1. *Spiritu sancto inspirati loquuti sunt Sancti Dei homines*, & ex Joan. 1. *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me.* Est enim de Fide Ecclesiam regi à Spiritu sancto, & consequenter esse de Fide tenendum, quicquid proponit credendum. Proponit autem credendum, mysteria Fidei esse revelata à Deo.

Consultatio VIII.

An voci Ecclesiæ simpliciter acquiescendum sit?

Quanquam vox Ecclesiæ non sit prima veritas, sed primæ veritatis manifestatio, attamen æque nos obligat, ac si Deus ipse per se loqueretur, quia non est conditio, hominum autoritate inducta, sed à Deo ipso ordinata, infallibilis & divina, quam qui contemnit, Deum ipsum rejicit. Quare qui Ecclesiam docentem audire nolens, veritatem alibi quærendam arbitratur, is à Deo recedit, & à prima veritate, quæ seipsam ministerio vocis Ecclesiæ revelat. Et quamvis Ecclesiæ vox Dei respectu ministerialis, atque instrumentalis tantum sit; attamen, quoad nos, magistralis est, verè docens atque decernens credenda, cui provide nos, tanquam discipuli magistro, & filii parentibus obedire necesse sit. Et licet Ecclesiæ vox nihil intus doceat, sed solus Dei Spiritus, attamen verè docet, inducit, atque persuadet, ac cum autoritate prædicandi externum ministerium exercet, atque quod Fidei est, decernit, sit tamen, ut per hujus ministerium Deus ipse omnia principaliter faciat, qui Ecclesiæ Pastores assumit, ut per ipsos doceat omnem veritatem, utque nuncii, ac testes sint infallibiles divinæ voluntatis, qualescumque tandem sint in seipsis, boni, aut mali, sapientes, vel rudes, facundi, aut barbari, intentione bona docentes, aut prava. Eorum enim ministerium Deus, qui infallibiliter eis assistit, ac per eos principaliter operatur, audientibus efficit salutare.

Unde gaudebat Apostolus, dum omnimodo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus prædicaretur, & dum affirmasset, se abundantius omnibus laborasse; *Non ego*, ait, *sed gratia Dei mecum*, ad *Philip.* 8. Rursus *priori Cor.* 3. *Neque qui plantat, neque qui rigat*,

rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus. Dei adjutores sumus. Dei ædificatio estis, insinuans per Ecclesiæ Pastores Deum agere, non autem ipsos per se. Quo sensu Dominus ait, *unus est Magister vester*, *Matth*. 10. qui scilicet habet doctrinam à seipso, & docet per ministros suos. Sic unus est Spiritus, qui loquitur, sed per homines, quos mittit. Veritas prima lux est animæ, ac mundi, sed affulget per ministros, veluti per lucernas illuminatas, quibus dixit: *Vos estis lux mundi*, *Joan*. 10. Deus regit nos, ac pascit, sed per Pastores, ac Doctores, quos dedit, *Joan*. 1. *Matth*. 6. *Ps*. 22. *ad Eph*. 4. Quare ibi quærenda est veritas, ubi Christus est docens, loquens, & dictans. *Ex veritatis ore*, inquit Augustinus *enar. in Psalm*. 57. *agnosco Christum, ipsam veritatem. Ex veritatis ore agnosco Ecclesiam, veritatis participem* Et *Epist*. 166. *In Cathedra veritatis posuit Deus doctrinam veritatis*. Similiter Chrysostomus *Homil*. 2. *in* 2. *ad Timoth. Sacerdos Angelus Domini est, nihil ex seipso loquitur. Si despicis, non illum despicis, sed Deum*. Et alibi *Homil*. 85. *in Joan. Deus omnia facit, Sacerdos linguam, & manum præbet*. Eodem sensu vox Caiphæ fuit vox Dei, *Joan*. 11. & vox Pharisæorum bona docentium, etiamsi mala facerent, *Matth*. 23. ubi Dominus nos de Pastorum doctrina securos fecit, dicendo: *Omnia, quæcumque dixerint vobis, facite*, illis verbis docens, quod voci Ecclesiæ in doctrina Fidei, & morum simplicitate acquiescere oporteat; quia licet subjective sit humana, origine tamen est divina juxta illud Prophetæ: *Ego pascam oves meas Ezech*. 34. per Pastores scilicet Ecclesiæ, August. *lib. de past. cap*. 10.

Porrò hîc observandum est, infallibilitatem hanc doctrinæ Ecclesiæ non nasci ex immediata Spiritus sancti revelatione, neque ex plenitudine scientiæ Magistrorum Ecclesiæ, qui in Scripturis sanctis, Augustino teste *Ep*. 3. & 119. *cap*. 1. multo interdum plura nesciunt, quam sciunt; neque ex certitudine mediorum, quibus ad concludendum utuntur, cùm sæpe Scripturis, aliisque argumentis non necessariò, sed probabiliter concludentibus, utantur; neque insuper hæc infallibilitas à solo studio, & industria Doctorum, Scripturas, & alia docendi media diligenter consulentium; neque demum à sola perpetua Spiritus sancti assistentia piis precibus invocata dependet; nam alioquin frustra rerum sacrarum studia susciperentur, & de re controversa magna conquisitio fieret, qualem adhibuisse presbyteros, ut cum Apostolis dogma controversum decernerent, legimus *Act*. 15. & in omnibus Conciliis sequentibus adhibitam fuisse, videmus; sed infallibilitatem in docendo substantiam Fidei, & publica dogmata, resque ad salutem necessarias sortitur Ecclesia ex eo, quod potestatem, & gratiam à Christo decernendi ea, quæ sunt ad fidelium salutem necessaria, acceperit, & Spiritus sancti assistentia munita, ejusque suggestione adjuta, ex qualibuscumque argumentis non nisi veritatem concludet, quia Deus in necessariis non deest, & alioquin insufficienter Ecclesiæ providisset. Proinde semper ejus doctrina erit infallibilis, etiamsi ratio docendi non ita.

In quo quidem primi Ecclesiæ Magistri à successoribus differunt. Apostoli enim, quia Spiritus sancti amanuenses, & organa, primique Fidei Evangelicæ Magistri fuerunt, qui omnia de novo absque duce præcedentis Ecclesiæ docere debebant, ideo immediata revelatione Dei, ac scientiæ Sacrarum Scripturarum plenitudine indigebant, necnon peculiari Spiritus sancti directione, tam circa media, quàm conclusiones, ut omni ex parte doctrina eorum esset certa, infallibilis, atque Divina. Unde illis solis concessum fuit novos Fidei articulos in Symbolo condere, nova Sacramenta promulgare, Scripturam Canonicam scribere; succedenti verò Ecclesiæ, quia ista necessaria non sunt, ideò nihil eorum facit, sed majorum vestigiis insistens, tradi æque doctrinæ inhærens, partim sua autoritate credentibus pro tempore Fidei doctrinam confirmat, partim dubia emergentia aperit, & explicat, atque ita potius testem agit quàm autorem, nec fundamenta ponit, sed solum superædificat, non plantat, sed rigat, nec prima semina jacit, sed potius in aliorum labores subintrans, seminata colit, tuetur, ac metit. Longe autem majori peritia, & certitudine opus est ad prima principia rerum statuenda, quàm ad conservandum res jam existentes. Satis enim fuerit semel acceptis diligenter insistere, & ex eis alia deducere. Quod facilius est, quàm rem penitus ignoratam de novo explorare, ac docere.

Unde in Conciliis Patres non nova, sed ab antiquis accepta posteris tradidere, & contra emergentes hæreses novas, & peregrinas doctrinas obtrudentes, depositam, seu ab Apostolis acceptam Fidei doctrinam conservarunt, nihil novi addendo, sed perperam intellecta corrigendo, & obscurius credita ex præcipuis quibusdam articulis, in quibus, ut in principiis, ac semine latebant, eruendo.

Atque hoc sensu intelligendum est, articulos Fidei non crescere secundum substantiam Fidei, sed tantum secundum explicationem, propter quam contra nova hæreticorum commenta nonnunquam novas voces introducere cogitur *D. Thom*. 2. 2. *qu*. 1. *ar*. 7. ut contra Arrianos *Homousion*, contra Nestorianos, *Theotocos*, contra Sacramentarios, *Transubstantiationem*, quales voces non pertinere ad profanas vocum novitates, quas in hæreticis Apostolus reprehendit, ostendit Augustinus *tract*. 93. *in Joannem*.

Consultatio IX.

An vox Ecclesiæ definientis, divina sit, an humana dicenda? Et an Ecclesia nova fidei dogmata docere possit?

Ad primum. Quia Sectarii omnem Ecclesiæ doctrinam ad humanas traditiones pertinere volunt, indeque Patrum interpretatione, Conciliorum Decreta, Romanorumque Pontificum responsa vilipendunt, prætexentes illud Christi: *Frustra me colunt, docentes mandata, & doctrinas hominum*, ideo non inutile fuerit hîc explicare quidnam de voce Ecclesiæ sentiendum sit, & an humana, vel potius divina Ecclesiæ doctrina sit vocanda.

Principio sciendum est, omnia scientiarum dogmata ab æterno lumine, totius veritatis lucidissimo fonte, promanare, ideoque ratione primæ originis ex Deo esse. Sed licet omnis scientia, & doctrina in illa prima origine conveniat, tamen in modo positionis differt, & ex hujusmodi conditionis diversitate discrimen omne sortitur. Nam scientia, quæ lumine naturæ simplici rationis intuitu, absque ullo discursu de principiis scientiarum naturalium, & axiomatum ex eis proxime fluentium habetur, cognitio naturalis dicitur. Quæ verò per deductionem, discursum, & per modum illationis obtinetur, acquisita, & humana scientia est, licet etiam naturalis ex parte objecti vocetur. Quæ autem cognitio nec vi naturæ, solo videlicet rationis intuitu simplici, nec per discursum, sed per divinam revelationem, seu per dispositionem Dei specialem proxime habetur, non scientia, sed Fides nuncupatur, & cognitio, non humana sed divina. Quia non per modum naturæ, neque disciplinæ, humanæ generatur, sed autoritati Dei innititur, qui per se immediate, vel per Ecclesiam docet.

Unde patet, quod Ecclesiæ docentis vox de Fide, licet per homines administretur, tamen quia Deo istos homines mittente, & hanc illis potestatem, non per media humana, non per discursum, aut arbitrium hominum, sed per seipsum, & per Sacramentum à se institutum, conferente, exercetur, propterea

rea quod tam Ecclesiæ doctrina, quàm illa omnis potestas, & omnia, quæ ex eadem, ut tali, promanant, non mere humana, sed potius Divina censeri debeant, sicut Apostolus innuit 1. *Corinth.* 14. contra eos, qui verba ejus tanquam humana contemnebant, disserens. *An à nobis*, ait, *verbum Dei processit? Si quis videtur Propheta esse, aut spiritualis, cognoscat, quia quæ scribo vobis, Domini sunt mandata*, ubi suum verbum, Dei mandatum vocat. Et *Joan.* 17. *Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo.* Et 1. *Joan.* 4. de iis, qui ex humana prudentia, non ex autoritate à Deo accepta loquuntur: *Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit.* Et Petrus *posteriori Epist. cap.* 1. *Explicationem Scripturæ* ait, *non fieri propria interpretatione, nec humana voluntate, sed Spiritus sancti inspiratione.*

Ac postremo hac ratione Dominus Joannis doctrinam ex cœlo, non ex hominibus fuisse docet; nempe, quia *missus erat à Deo, ut omnes crederent per illum* Luc. 29. Sic cum Ecclesia in mundum missa sit ad omnes gentes docendum, & ut testis sit veritatis, *Matth.* 28. *Act.* 1. sequitur ejus vocem non esse ex hominibus, sed ex cœlo, atque potestatem habere non tantum humanam, sed etiam divinam.

Ad secundum. Cùm unica sit, ac fuerit Christi Ecclesia, quæ pro diversitate hominum ac temporum varium docendi modum habuit, dicendum est, unam & eandem Ecclesiam à Deo potestatem accepisse, tam novos articulos immediate à Deo revelatos infidelibus proponendi, quàm eosdem fidelibus sua autoritate consignandi, confirmandi, ac emergentibus dubiis explicandi. Sed primitivæ Ecclesiæ Magistris, qui apud gentes de novo fidem, & doctrinam nova revelatione à Deo acceptam plantare debebant, ad quas tanquam speciales Christi Legati mittebantur, usus potestatis illius prioris necessarius erat, succedenti verò Ecclesiæ, quæ non novis, sed antiquis revelationibus, ac primitivæ Ecclesiæ Fidei innititur, posterior docendi modus convenit, qui in rigando, superædificando, veritatem sua autoritate confirmando, & aperiendo, nec non emergentia dubia resolvendo, consistit.

Quemadmodum enim Deus res primùm suâ potestate creavit, & postmodum easdem jam creatas conservat, & eadem potestate vegetativa hominis anima in infantibus augmentum, in senibus verò nutrimentum solum efficit, ita eadem Ecclesia primum accepta à Deo potestate novos Fidei articulos edidit per Apostolos, postmodum verò per succedentes Ecclesiæ Pastores antiquam ab initio receptam fidem conservat, præsentisque Ecclesiæ doctrinam suo judicio, & autoritate confirmat ita, ut non solum illius primitivæ Ecclesiæ, sed etiam modernæ judicio, & autoritate tuti simus, quod in veritate ambulemus, quia præsentis Ecclesiæ testimonio probari debet, quid Apostoli prædicaverint, & hanc audio, ut Christo, & Apostolis credam.

Novi ergo articuli Fidei bifariam intelligi possunt. Uno modo, quia nova doctrina, nunquam antea hominibus tradita, jam primùm à Deo per Ecclesiam revelatur. Hîc opus est nova Dei revelatione, qualem Apostoli acceperunt secundum illud Pauli ad *Ephes.* 3. *Quod aliis generationibus non est agnitum, filiis hominum, sicuti nunc revelatum est Sanctis Apostolis ejus.* Hujusmodi novam doctrinam in Lege Naturæ, primi Fideles de omnipotentia Dei acceperunt. In lege verò scripta de simplicitate, ac veritate Dei. Ac denique in Lege Gratiæ de mysterio Trinitatis, atque Christi Incarnatione Apostoli varias novas revelationes acceperunt.

Alio modo nova Fidei doctrina vocatur. Quia licet prius quidem tradita fuerit in semine ac virtute, attamen obscurius in se, vel paucis, nondum manifeste, quoad omnes. Hujus generis nova doctrina per Ecclesiam omni tempore tradi potest, quatenus propter insurgentes hæreses aliquid explicatius definitur, ut in omnibus Conciliis factum est, in quibus veteris Ecclesiæ Fides plenius explicata est, ut id, quod in ea continebatur implicite à quovis postea explicite crederetur, ut per D. Thomam 2. 2. *q.* 1. *ar.* 10. *ad* 1. & 2. *argum.*

Si ergo absolute novi articuli, quoad substantiam fidei, intelligantur, sic ab hominis lapsu nulla ætate creverunt. Quia in fide primorum parentum, quibus semen benedictum promissum erat, omnia implicite continebantur, quæ postea explicite à posterioribus credita sunt, Idem D. Thom. *loc. cit. art.* 7.

Si autem de novis Fidei articulis, quoad explicationem, agatur, id omni tempore potest, & facit Ecclesia. Quod autem alterum non possit, aut non faciat, accidit, non defectu potestatis, sed quod rei natura non permittat, sicut Deus non potest facere contradictoria simul esse vera, obstante rerum natura. *Quodcunque in Ecclesia*, inquit Lyrinensis, *fide Patrum satum est, hoc idem Filiorum industria decet excolatur, observetur, proficiat, & perficiatur, accipiant licet prisca dogmata evidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem.* Quare Ecclesia in suis Symbolis nullos novos fidei articulos condidit, sed Veteres plenius, & explicatius credendos tradidit.

Consultatio X.

An omnia credenda, per articulos distinguenda sit?

Sciendum hîc in primis est, omnem doctrinam ab Apostolis Ecclesiæ traditam, & quæ in Ecclesia publice creditur, ac docetur, ad Fidei Christianæ regulam pertinere, quæ ab omnibus omnino perseveranter retinenda est, qui à Christi corporis unitate nolunt recedere, ut per Augustinum *Epist.* 57.

Ad præscriptum hujus regulæ omnia Religionis dogmata dimetienda sunt. Hinc Apostolus 2. *Corinth.* 10. *Fidem Corinthiorum vult crescere*, ac *secundum regulam doctrinæ à se tradita*, Irenæus lib. 5. cap. 4. Origen. in proœm. lib. de Princip. Eandem regulam vult Galatas sequi cap. 1. & 6. & ad *Philip.* 3. *in eadem*, inquit, *permaneamus regula*, quam Apostolicam regulam, Patres traditionem Apostolicam vocant, sive scripto, sive tantum viva voce tradiderint.

Hæc autem Fidei regula, forma, seu traditio tripliciter considerari potest. Primum, ut regula summaria, & contracta, quæ Fidei caput, fundamentum, & radicem complectitur, de qua *Joan.* 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Quidquid enim de ultimo fine, aut de mediis obtinendæ salutis credi debet, hîc implicite continetur, non quia per necessariam consequentiam singula inde credenda deducantur, sed quia in reipsa cognita, quæ hîc traditur, reliqua insint, sive ex natura rei, sive ex divino beneplacito.

Hujusmodi quoque est universale principium illud Apostoli ad *Hebr.* 11. *accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit* In priori enim illo, *Deus est*, reipsa continentur omnia quæ Deo conveniunt, utpote, quod sit Unus, Trinus, Omnipotens, Incommutabilis, Creator, &c. In posteriori verò, quod *sit Remunerator*, continetur Providentia, Judicium, Misericordia, omnisque modus divinæ Providentiæ, quo Deus homines ad salutem perducere destinavit, ac proinde Christi Incarnatio, Passio,

sio, humani generis Redemptio, illiusque per gratiam & Sacramenta, variaque media executio. Talem fidei nostræ brevissimam regulam vocat Apostolus ad *Roman.* 10. *Confiteri ore Christum Jesum, & corde credere, quia Deus illum suscitavit à mortuis.*

Alio modo fidei regula consideratur, ut in certos articulos distincta, capitales tamen, & generales, quique aliorum articulorum multorum semina sunt. Hæc regula fidei Christianæ principia complectitur. Talis regula est Symbolum Apostolicum.

Tertio modo regula fidei considerari potest, ut omnes fidei conclusiones factas, & ab Ecclesia universaliter receptas continet, Vincentius Lyrincasis *cap.* 30. *& seq.* Augustinus *lib. de bon. persever. cap.* 20. *& ep.* 49. *q.* 2. Et hæc est regula fidei explicata, qualem Concilia generalia postmodum ediderunt, novis semper incrementis quoad explicationem, auctam, ad quam saltem implicitè tenendam omnis Christianus obligatur. Concil. Carthag. 4. *c.*1. Concil. Trid. *sess.* 25. *c.* 2. Episcopi verò ordinandi, atque omnes, qui ad dignitatem Ecclesiasticam, vel gradum superiorem in Universitatibus admittuntur, in hanc regulam ex decreto B. Pii V. jurant.

Porrò ex his facile apparet, non omnia in Scripturis, & Ecclesiæ traditione contenta, in certos fidei articulos referenda fuisse, sed ea sola, quæ ab omnibus Christianis expressa fide credenda sunt, qualia sunt ultimus finis, & media ad illum consequendum necessaria. Neque verò quidquid ad fidem per se pertinet, novum statim articulum constituit, sed quod specialem habet difficultatem, & inevidentiam.

Est enim fidei articulus propositio catholica, principii rationem in fide obtinens, specialemque difficultatem, & inevidentiam, omnibus Christianis ad explicitè credendum, proposita, cujusmodi sententiam, à partibus corporis ducta similitudine, articulum vocamus. Quemadmodum enim corporis membra articulis distinguuntur, ita & fidei confessio distinctis fidei dogmatibus, quæ dum seorsim nobis credenda proponuntur, appositè fidei articulos nuncupamus. Prætèrea hac articuli voce insinuatur, quod sicuti unus, idemque homo remanens incrementum accipit, statu, habituque mutatur, (tot enim sunt parvulorum artus, & membra, quot senum,) ita quod una, eademque omnium, quoad substantiam, fides profectum, non permutationem admittat. Cùm enim fides una sit, Apostolo teste *ad Ephes.* 4. substantiam ejusdem unam & eandem semper esse, necessarium est, licet modus credendi possit esse diversus, atque fidei mysteria pro temporum ratione varia. Idemque fidei dogma cum tempore consolidatur, ut scilicet intelligatur illustrius, quod antea obscurius credebatur, atque crescit, ac dilatatur; Sed in eodem genere, ut si quid novi dicatur, non tamen nova fidei doctrina proferatur, quæ non antea in fidei, ac religionis semine latitaverit, ut præcedenti capite latius ostensum fuit.

Consultatio XI.

An Symbolum, quod Apostolicum dicitur, editum sit ab Apostolis?

An præter Apostolorum Symbolum, alia sint ab Ecclesia recepta?

Et cujus sit, exorta nova de fide controversia, Symbolum explicare?

Etsi quædam Symbola quadam ratione, Apostolica dici possint, quia doctrinam, ab Apostolis traditam, continent, quo modo Hilarius de Symbolis adversus Arrianos Nicenum Concilium, Apostolicum vocat, & Epiphanius in Ancorato Symbolum Constantinopolitanum Apostolis attribuit; attamen proprie Symbolum Apostolicum nuncupamus, quod ab Apostolis ipsis in unum collectis pro communi regula Christianæ professionis editum est, de quo contra universæ Ecclesiæ usum communi omnium fidelium sententia probatum ambigere, an ab Apostolis editum sit, maximæ fuerit insaniæ. Unde patet Laurentii Vallæ ac Erasmi negantium, Brentii, & Artopœi dementia, vel ignorantia crassa, cùm plurima veterum hac de re luculentissima extent testimonia.

Et in primis Clemens Romanus *Epist.* 1. *ad Jacobum* expressis verbis scribit, Apostolos priusquam in varias Provincias dividerentur, Symbolum fidei edidisse, ut conformis esset tam docentium, quàm discentium ubiq; doctrina. Irenæus *lib.*1.*contra hæres.cap.*2. *&* 3. *& lib.* 3. *&* 4. Symboli recenset articulos, tanquam ab Apostolis editos. Tertullianus *lib. de præscript.* eosdem confitetur ante omnes hæreses traditos. Ambrosius *Epist.*81. *& Serm.* 38. duodecim Apostolorum Symbolo fides sancta concepta est, qui velut periti artifices in unum convenientes clavem suo consilio conflaverunt: clavem enim quandam ipsum Symbolum dixerim. Hieronymus *in Epist. ad Pammachium contra errores Joannis Jerosolymitani:* In Symbolo, inquit, fidei, & spei, nostræ, quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta & atramento, sed in tabulis cordis carnalibus post confessionem Trinitatis, & unitatem Ecclesiæ, omne Christiani dogmatis Sacramentum carnis resurrectione concluditur. Augustinus *Serm.* 181.*de temp.* à majoribus traditione acceptum dicit, quod Apostoli simul positi, & Spiritu Sancto pleni, breve suæ prædicationis compendium, fideique regulam communi collatione instituerint, quam secundum numerum Apostolorum duodecim sententiis comprehensam, Symbolum vocaverunt. Et *Serm.*115. unicuique Apostolo suum articulum attribuit, ac *lib. de fid. & oper. cap.*9. monet, ut baptizandi de fidei articulis juxta traditionis seriem interrogentur. Leo *Serm.* 11. *de passione Dom.* regulam fidei in ipso Symbolo per autoritatem Apostolicæ institutionis accepimus. Et *Epist.* 13. *ad Pulcheriam:* Ipsius Catholici Symboli brevis, & perfecta confessio duodecim Apostolorum, totidem est consignata sententiis, tanquam instructa sit munitione cœlesti, ut omnes hæreticorum opiniones, solo ipsius gladio possint detruncari. Maximus *in Serm. de Symbolo* Apostoli Ecclesiæ Dei, quam adversus militiam diabolici furoris armabant, mysterium Symboli tradiderunt, ut quia sub uno Christi nomine credentium futura erat diversitas, signaculum Symboli fideles, perfidosque secerneret, & alienus à fide, atque hostis appareret Ecclesiæ, qui aut tanquam baptizatus nescisset, aut tanquam hæreticus corrupisset. Isidorus *lib.* 2. *de divin. Offic.* compendiosè refert, quæ priores Doctores de Symbolo scripserunt. Innocentius III. *lib.* 2. *de myst. miss. cap.* 24. singulis Apostolis unum Symboli articulum tribuit.

Utrum tamen singuli Apostoli singulos articulos ediderint, an potius totum Symbolum ab omnibus simul contextum sit, incertum est, neque ad augendam, vel infirmandam ejus autoritatem refert, quandoquidem in omnibus, & singulis Apostolis, unus, idemque Spiritus loquutus fuerit. Ideoque licet Symbolum portio Scripturæ sacræ non sit, quia illud Apostoli non scripto, sed vivæ vocis ministerio tradiderunt, attamen non inferioris est autoritatis, quàm Scriptura sacra. Gregor. *lib.* 1. *registr. Ep.* 24. sicut Sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor. Quemadmodum enim scimus Ecclesiæ testimonio, Matthæi Evangelium à Matthæo Apostolo conscriptum esse, ita vivæ vocis traditione scimus articulos fidei in Symbolo ab Apostolis digestos esse, ac verbum Dei non scriptum continere.

Cùm porro dicat Apostolus ad *Ephes.* 6. *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi*

ignea

ignea extinguere, consequitur, Symboli Apostolici frequentem recitationem adversus mundi, & diaboli impugnationes quàm plurimum valere, ac instar tutissimi scuti protegere. *Justus* enim *ex fide vivit.* Et sicut *corde creditur ad justitiam*, ita *ore confessio fit ad salutem* ad *Rom.* 10. Ideo in confessionis vocem crebro erumpendum est. Quare sapienter Ambrosius *lib. 3. de Virgin.* suam hortatur sororem, ut frequenter Symbolum legat, cùm cubitum pergit, cum à somno mane surgit, & quandocumque horror aliquis animum concutit: *Quando enim sine militia sacramento miles in tentorio, bellator in prælio*; Augustinus *hom.* 42. *inter* 50. & *lib.* 1. *de Symb. cap.* 1. *tom.* 9. Symbolum quotidie dicite, quando surgitis, quando vos ad somnum collocatis, commemora fidem tuam. Sit tibi tanquam speculum, symbolum tuum, ibi te vide, si credis omnia, quæ te credere confiteris, & gaude quotidie in fide tua, sint divitiæ tuæ, sint quotidiana ista mentis tuæ vestimenta. P. Leo *Epist* 13. docet brevem symboli confessionem ad omnium hæreticorum opiniones detruncandas sufficere, ac valere, ut in nullo à vero devietur. Petrus Chrysologus *serm.* 62. ait, quotidie personandum Symbolum, ut nemo initi cum Deo pacti obliviscatur, neque promissionum divinarum, cœlestiumque bonorum, ad quæ fides Symbolo contenta nos transmittit. Similia prosequuntur Chrysostomus *hom.* 1. *in Symb.* aliique Patres. Hinc P. Thomas 2. 2. *q.* 1. *art.* 7. observat, Symbolum Apostolorum in Ecclesia dici, mane ad Primam, & in Completorio, quasi contra tenebras errorum præsentium, præteritorum, & futurorum, atque occulte recitari, quia fide nondum publicata, persecutionisque tempore editum fuit. In Missa verò palam Symbolum Patrum decantari, quia fide manifestata, Ecclesiaque pacem sub Constantino, & Christianis Imperatoribus obtinente, conditum fuerit. Prius tamen ante mysteriorum confectionem fidei Christianæ Symbolum decantatum fuisse, attestatur Dionysius Areopagita, in quo universa divina in nos emanantia beneficia contineri scribit.

Ad secundum. Præter Apostolorum Symbolum, tria sunt alia generaliter in Ecclesia suscepta.

Primum est Nicenum sub Constantino Magno contra Arrianos, à Concilio Niceno editum, quod paris est cum Concilio autoritatis, de quo Athanasius *in epist. ad Epictetum*, Hilarius *lib. de Synodis*, Gregorius Nazianzenus *tract. de fide Nicena*, Basilius *epist.* 60. & 70. Epiphanius *sub finem lib. de hæresib.* Cyrillus *in exposit. Symb. Niceni tom.* 4.

Porrò sicut Catholici, ita & Arriani suum habuere Symbolum, de quo Hilarius *lib.* 4. & 6. *de trinit.* Hieronymus *contra Luciferianos*, Nicephorus *lib.* 8. *hist. cap.* 47. similiter Pelagiani suum habuere Symbolum, de quo Augustinus *lib.* 1. *de gratia Christi cap.* 32. Lutherani suam confessionem, & Sacramentarii Calvini institutionem, quam & Confessionem vocant.

Secundum Symbolum est Constantinopolitanum, ab universali Concilio secundo Theodosii senioris tempore contra Macedonium coacto, editum, quo nunc Ecclesia in officio Missæ utitur, adjecta solummodo particula, *Filioque*, ad majorem veritatis explicationem. Quod Symbolum, teste Magistro sententiarum *lib.* 2. *dist.* 11. Leo III. Pontifex in testimonium, quòd à Latinis reciperetur, tabulæ argenteæ inscriptum post S. Pauli corpus in altari posuit.

Tertium est Athanasii, quo Ecclesia in Horis Canonicis ad Primam utitur, estque paris cum prioribus autoritatis, non quidem ratione Autoris, sed quia susceptum est ab Ecclesia toto Orbe diffusa, de quo Nazianzenus *orat. in Athanasium*, & Augustinus *in Psal.* 20. Continent autem hæc tria Symbola eandem fidei veritatem, sed in posteriori plenius explicatur quod in priori implicite continetur, ut pulchrè Vincentius Lyrinensis explicat *cap.* 32.

Ad tertium. Quemadmodum in veteri Lege Deus omnes de Religione quæstiones summi Sacerdoti judicio definiri, eumque qui obtemperare nollet, interfici statuit, ita & in novo Testamento Christianos sine exceptione aliqua Ecclesiam, hoc est Ecclesiæ Pastores, quorum supremus est B. Petri successor Pontifex Romanus, Christi in terris Vicarius, audire præcepit, gravi addita comminatione, *qui Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus*, id est à spe salutis alienus. *Nam Christus est Salvator corporis sui*, id est Ecclesiæ.

Ad Romani Pontificis itaque munus pertinet, exortas omnes de fide, aut de religione controversias dirimere, suaque autoritate terminare, ac proinde si opus sit, novum Symbolum edere. Una siquidem Ecclesiæ fides esse debet, ac idipsum omnes dicere, nullaque esse schismata oportet. Quod sane obtineri nunquam poterit, nisi nova de fide mota lite per supremum aliquem visibilem judicem quæstio definiri possit, qui necessitatem obediendi latæ sententiæ omnibus fidelibus imponere queat. Id, quod solus potest Romanus Pontifex, Petri successor, totiusque Ecclesiæ Pastor, cui à Christo peculiari privilegio dictum est: *Pasce oves meas. Confirma fratres tuos. Non deficiet fides tua. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, *quæ est domus Dei vivi, columna & firmamentum veritatis*, suo magisterio, & autoritate docens omnem veritatem ex promissa infallibiliter Spiritus Sancti assistentia, Christique directione ita, ut solus Romanus Pontifex propria sibi à Deo concessa autoritate Concilia generalia congregare, sua sententia confirmare, suoque judicio prorsus rata, certa, & irrefragabilia efficere possit.

Intersunt quidem etiam Conciliis Episcopi, Doctores, ac Principum Legati, etiam laici, sed longe dispari conditione. Nam Episcopi, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, in Conciliis præsident; atque de rebus fidei sententiam ferunt, ut Jacobus *Act.* 15. de se ait: *Ego judico*, sed eorum judicium omnino firmum non erit, nisi Vicarii Christi comprobatio accedat, cujus fides sentire nequit defectum. Augustinus *lib.* 2. *contra Julian. in epilogo.* Doctores verò in Conciliis intersunt, velut consiliarii, non autem tanquam judices. Principes autem, atque laici Conciliis intersunt, non ut judices quæstionum fidei, sed tanquam Protectores Ecclesiæ, decisionumque ejusdem testes, atque executores. Ex quibus triplex de Fidei doctrina Judicium esse colligimus.

Primum est rationis, quoad simplicem, firmumque assensum qualis fidei est, cujusmodi generis judicium omnibus fidelibus commune est. Potest enim quisque ex regula fidei, quam tenet, hæreticis respondere, quamvis hæreses nesciat, ut observavit Augustinus *lib. de agone Christiano cap.* 4. & *lib.* 12. *de Gen. ad litt. cap.* 14.

Secundum judicium est discretionis, quo credenda ex propriis causis agnoscuntur. Hoc perfectorum est, qui exercitatos habent sensus, & contradicentes possunt arguere, quales sunt dono sapientiæ & intellectus præditi Doctores, Augustin. *tract.* 98. *in Joannem.*

Tertium judicium est determinativum ex auctoritate à Christo accepta, cujus generis judicium Ecclesiæ Prælatis proprium est, quos Christus posuit regere Ecclesiam, ac pascere gregem sibi commissum, ac docere omnem veritatem, ut non circumferantur omni vento doctrinæ *Act.* 20. & *ad Ephes.* 4. inter quos Ecclesiæ Pastores Romanus Pontifex Summus est, cujus judicio quisquis non obtemperat, rebellis matri Ecclesiæ, Deique ordinationi habetur.

Opportunissimum autem remedium ad componenda Religionis dissidia, concordiamque scissæ Ecclesiæ restituendam Theodosio Imperatori visum est, si novam doctrinæ formam inducentibus, sublata disputandi liber-

libertate, proponeretur, ut omnes excitatæ de novo controversiæ ex veterum Patrum, qui Ecclesiæ calculo approbati essent, traditione judicarentur. Sic enim tutum, ut contentiosis via præcluderetur, ne quisque pro cerebri sui intemperie Dei verbum interpretaretur, & suum illi sensum, prout causæ commodum putaret, adfingeret, suamque sententiam Judicio Patrum, si nulque publico antecerret. Ac insuper eo magis veterum Patrum judicio standum esse, quia cùm ante natam contentionem floruerint, nullique præsenti parti, aut sectæ unquam addicti fuerint, ut minime suspecti controversæ nunc doctrinæ censores agnoscendi sint. Quæ sententia Theodosio per Nectarium ad Sisinnii suggestionem proposita, sapientissime placuit, eoque facto memorandum toti posteritati novas ex doctrinæ diversitate discordiarum flammas emergentes opprimendi, reliquit exemplum.

Quod ipsum ante docuerat Tertullianus, seriò admonens, ne Catholici cum hæreticis de sacris litteris disputaturi, in arenam descendant, sed potiùs, ut ad majorum traditionem provocent, & ex illa germanam Scripturæ intelligentiam, omnemque de fidei quæstionibus veritatem petant, atque confirment. Idem tradit Origenes *tract.* 29. *in Matth. Illa sola* inquit, *est credenda veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica traditione discordat.* Athanasius: *Hoc solummodo respondere hæreticis sufficit, quod ista non sunt Catholicæ Ecclesiæ, neque ista Patres nostri senserunt. Et sane cum his Ecclesiæ Magistris non sapere, omnino est desipere.* Basilius. *Quæ à sanctis Patribus edocti sumus; ea interrogantibus nos annuntiamus.* Augustinus *lib.* 2. *contra Julian. in epilogo: Quod invenerunt in Ecclesia quod tenuerunt, didicerunt, docuerunt. Quod a Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Nondum apud illos judices aliquid agebamus, & apud eos acta est causa nostra. Nec nos, nec vos eis noti fueramus, & eorum contra vos latas sententias recitamus. Nondum vobiscum certabamus, & eis pronunciantibus vicimus.* Vincentius Lyrinensis: *Necesse est omnibus Catholicis, ut sanctæ sanctorum Patrum fidei inhæreant, adglutinentur, immoriantur. Quisquis hos in sensu catholici dogmatis unum aliquid in Christo sentientes contempserit, non hominem contemnit, sed Deum.* Quæ omnia conformia sunt divino oraculo: *Videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & invenietis requiem animabus vestris.*

Sanè quàm parum disputationibus, & colloquiis nostra & superiori ætate effectum sit, experientia demonstravit. Nihil enim fere aliud sequutum est, quàm à Tertulliano fuit prædictum, *quod scilicet, disputationibus firmi fatigentur, infirmi capiantur, medii cum scrupulis dimittantur.* Quare observandum est Marciani edictum, *ut de semel judicatis non amplius disputetur.*

CONSULTATIO XII.

Quot, & quibus mediis Articuli Christianæ Fidei credibiles reddantur.

Quia testimonia Dei credibilia facta sunt nimis, multa per Catholicos Doctores argumenta congeruntur, quibus Christiana fides, & Evangelica doctrina evidenter credibilis esse ostendatur, quæ ad octo potissimum Capita reduci possunt, quæ ipsa deinceps ordine subjungemus.

Primum argumentum desumitur ab antiquitate Fidei Christianæ, quæ omnibus Paganorum erroribus multo vetustior est, ut ostendit Tertullianus *in Apolog. cap.* 19. & 20. Augustinus *lib.* 18. *de civit. cap.* 37. & 38. Omnes insuper hæreses præcessit. Nam bonum semen ante zizania seminatum fuit, autore Christo.

Et sane notum est, cur, ubi, quando, & quomodo singulæ hæreses inceperint. Quo argumento utitur Tertullianus *lib. de præscript. adversus hæres. Qui estis? ubi tandiu latuistis?* & Hilarius *lib.* 6. *de Trinit. Tarde venerunt pii isti Doctores.* Hieronymus *in epist. ad Pammachium, & Oceanum. Eam senex teneo fidem, quam puer didici. Et contra Luciferianos ad fin. Brevem tibi apertamque animi mei sententiam proferam, in illa esse Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata usque ad diem hanc durat.* Similia habet Optatus *lib.* 2. *contra Parm.* Augustinus *lib. contra epist. fundam. cap. quarto.*

Secundum argumentum desumitur ex Prophetarum oraculis, qui, Deo inspirante, omnia fidei Christianæ mysteria prædixerunt, multisque figurarum umbris ea expresserunt. Quoniam illa doctrina verè divina credenda est, quæ non nisi à Deo suam originem habere potuit. At solus Deus futura contingentia prædicere potest juxta illud Isaiæ: *dicite quæ ventura sunt, & sciemus, quoniam Dii estis vos.* Cum ergo sola Religio Christiana oraculis Prophetarum ab initio mundi prænuntiata fuerit, omniaque, ut prædicta fuerunt, ita evenerint, sequitur, eam esse veram Religionem. Quo argumento utitur Apostolus, dum ait, *se segregatum in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas.* Eusebius *lib. demonstrat. Evang.* Augustinus *lib.* 4. *de civit. cap.* 24. & *li.* 22. *cap.* 6. & 7. Prosper *lib. de prædict. & promiss. Prophetarum.*

Tertium argumentum ex amplitudine locorum, & varietate gentium, quæ fidem Evangelicam receperunt, trahitur. Prædixerunt enim Prophetæ, totum Orbem terrarum in Christum crediturum benedictionemque ab eo consequuturum Genes. 15. *in semine tuo benedicentur omnes Tribus terræ.* Psal. 2. *Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Psal. 71. *Dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos Orbis terrarum.* Similia apud Isaiam 2. Danielem 3. & alios Prophetas legimus. At nulla Philosophorum, aut hæreticorum secta totum Orbem implevit, uti Christi doctrina. Nam impietas Mahometica ad multas occidentales partes nunquam penetravit, & singulæ hæreses certis temporibus, certisque limitibus coarctatæ fuerunt. Hoc argumento utitur D. Augustinus *de util. cred. cap.* 14. & 17. & *lib. contra epist. fundam. cap.* 4. Apostolus ad Rom. 1. *Fides vestra annuntiatur in universo mundo.* & ad Coloss. 1. *In universo mundo est, & fructificat, & crescit.*

Quartum argumentum elicitur ex stabilitate, continuaque successione fidei catholicæ, quæ nunquam interrumpi, aut interire potest, cùm dixerit Christus Matth. 16. & 28. *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Regni ejus non erit finis.* Dan. 9. & *Luc.* 1. *si opus hoc, aut consilium ex hominibus, dissolvetur: at si ex Deo est, non potest dissolvi, Act.* 5. Unde omnium Philosophorum, hæreticorumque sectas paulatim defecisse conspicimus, fidem autem Evangelicam repugnantibus primò Judæis, deinde Paganis, postremo hæreticis, invictam permansisse, quinimo & inter persecutiones crevisse, atque sicut aurum in fornace, illustriorem esse redditam. Quod Arca Noè jam olim adumbraverat, cùm aquis non opprimeretur, sed sublevaretur usque in Cœlum. Quare veteres Ecclesiastici Scriptores persecutionem Ecclesiæ vitis putationi sapienter comparant, & sanguinem Martyrum semen Christianorum vocant, Justinus *in dialog. cum Triphone*, Leo *ser.* 1. *de Petro & Paulo*, Tertullianus, & alii.

Hæc autem fidei constantia resplendet potissimum in robore fidelium omnis sexus, & ætatis, qui pro dogmatibus Ecclesiæ retinendis bonorum, ac vitæ jacturam animis promptissimis sustinuerunt, atque in serie Romanorum Pontificum, quæ hactenus inter tot oppugnationes nunquam interrupta fuit, adversus quam nec hæretica perversitas, nec Paganorum perfidia, quantum-

vis Principum seculi viribus adjuta, unquam praevalere potuit, cui quandiù Principes, Regna, Provinciae, populique adhaeserunt tam diù floruerunt. At ubi ab Apostolica fide ac sede recesserunt, tanquam rami ab arboris trunco praecisi, confestim exaruere. Cujus rei manifestum exhibent documentum Ægyptus, Oriens, & Graecia, Septentrionaliaque Regna. Hoc stabilitatis testimonio Veteres passim utuntur, Irenaeus *lib.* 3. *contra haeres. cap.* 3. Tertullianus *lib. de praescript.* Optatus *lib.* 2. *contra Parmen.* Epiphanius *haeres.* 27. Cyprianus *lib.* 4. *ep.* 2. *& lib. de unit. Eccles.* Augustinus *lib.* *contra epist. fundam. cap.* 4. & *lib. de util cred. cap.* 17. Theodoretus *lib.* 9. *de legib. & lib.* 8. *ac* 9. *curat. graec. affect.*

Porro quantum stabilitatis in Christi fide reperitur, tantum instabilitatis in haereticorum doctrina conspicitur. Sectae enim mox in varias alias dissecantur. Ruunt de errore in errorem, novas indies fidei confessiones cudunt, & recudunt, imo sibi ipsi unus haeresiarcha plerunque adversatur, dum nunc hoc, nunc illud sentit, & quod ante placuerat, postea improbat, sicut notavit Apostolus 2. *ad Timoth.* 3. de haereticis pronuntians: *Homines corrupti mente, reprobi circa fidem, sed ultra non proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus.* Augustinus *in verba psal.* 57. *tanquam aqua deficient.*

Quintum argumentum sumitur ex miraculis, in Evangelicae fidei confirmationem ab initio usque hodie factis. Nam Deus cujus solius potentia tam multa, tamque praeclara supra naturae ordinem signa, in confirmationem doctrinae Christianae contigerunt, falsitati testimonium perhibere nequit. Impossibile enim est mentiri veracissimum Deum, aut falli, vel fallere. Inter miracula verò Augustinus enumerat, quod Orbis universus per duodecim Apostolos infirmos, ignobiles, rudes, & juxta seculum pauperes, Christo fuerit subjugatus, cùm videamus, nullis armis, neque cooperante seculi potentia, & facundia, unam aliquam Paganorum Philosophorum, aut haereticorum sectam toti mundo persuaderi potuisse. Quo argumento utitur Augustinus *lib.* 28. *contra Faustum cap.* 4. variisque aliis locis *lib. contra epist. fundam. cap.* 4. *&* 5. *lib. de util. cred. cap.* 17. *lib.* 10. *de civit. cap.* 8. 12. 16. *&* 32. De paganis, & haereticis constat, eos nulla unquam vera miracula in suae perfidiae confirmationem edidisse. Refert quidem Valerius Maximus *lib.* 8. quod statuae & bruta vocem quasi humanam emiserint, quodque virgo Vestalis aquam cribro hauserit, & Cicero *de divinat.* quod augur cotem novacula sciderit. Sed haec omnia levia, quaedam etiam vana, vel inutilia signa occulta vi daemonum edita sunt, ut de Magis Pharaonis, & de Antichristo Scriptura testatur. Nam Magi suis incantationibus prodigia edentes aliquandiù Moysi restiterunt *Exod.* 7. & *Antichristus*, Apostolo teste 1. *ad Timoth.* 3. *adveniet secundum operationem Satanae in omni virtute, & signis, & prodigiis, mendacibus, faciens ignem de Coelo in terram descendere, ac ut loquatur imago bestiae.* Sed hujusmodi signa vim creaturae non superant, ideo vera miracula non sunt, quoniam daemonum virtute fiunt.

Quod enim Pseudoprophetae, falsitatis confirmationem, ignem de Coelo per invocationem Baal frustra deducere tentarint *ex lib.* 3. *Reg. cap.* 18. notissimum est. De Symone Mago, quod per aërem volare non potuerit, sed orante Petro à daemonibus desertus fuerit, narrat Ægesippus *lib.* 3. *de excidio Hierusalemitano cap.* 2. Manichaeum frustra tentasse infirmo Regis Persarum filio restituere valetudinem, scribit Epiphanius *haeres.* 66. Cyrolam Arrianum, quendam caecitatem simulantem, ex vidente caecum fecisse, refert Gregorius Turonensis *hist. Francor. lib.* 2. *cap.* 3. Eunomium frustra mortuum suscitare tentasse, scribit Cassianus *collat.* 15. *cap.* 3. Illud idem nec quicquam fuisse conatum Polychrontium Monothelitam, Acta Synodi sextae *Act.* 15. testantur. Optatus *lib.* 2. *contra Parm.* scribit, Donatistas qui canibus Eucharistiam comedendam objecerant, ab eisdem in rabiem conversis discerptos. Paulus Diaconus *lib. ult. Roman. rer.* refert, Iconomachum quendam sepulchro in cludi se passum diaboli suggestione, & fraude Constantinum Iconomachum collaudasse, ut haeresis mortuorum responsis confirmari videretur. Lutherus superiori seculo daemonium ejicere tentavit, sed mulieris obsessae manus non evasisset, nisi ejus discipuli portas securibus patefecissent, Staphilo teste, qui se interfuisse narrat. Et Calvinus Brulaeo cuidam, mortuum se fingenti, vitam restituere attentans, eundem ex vivo mortuum fecit, ut *in Calvini vita* Bolsecus *cap.* 13. memoriae tradidit. Quare in hujusmodi Pseudoapostolos illud Tertulliani belle quadrat: *Apostoli à mortuis suscitabant, isti de vivis mortuos faciunt.*

Cur autem in Catholicae fidei confirmationem nunc passim, sicut in Ecclesia primitiva, non fiant miracula, tradit Augustinus *lib.* 1. *retr. cap.* 13. *Ne anima semper visibilia quaereret.* Addit Gregorius *homil.* 29. *in Evangelia: fides plantata, irrigatione indigebat ut cresceret.* Quam causam repetit *libro* 34. *moral. cap. secundo* & Apostolus *priori Corinth.* 1. *Judaei signa petunt.* Et *cap.* 14. *signa sunt non fidelibus, sed infidelibus.*

Sextum argumentum deducitur ex admirabili concordia, communique fidelium omnium, & stabilissimo consensu in universis dogmatibus Fidei, qui apparet in ejusdem omnino doctrinae susceptione, in generalibus Conciliis, & in communibus Sacramentis, ac una Religione, omnium fidelium populorum more confirmata. *Deus* enim *autor est pacis, non divisionis neque dissensionis.* 1. *Corinth.* 14. Et *omne regnum in seipsum divisum desolabitur, Matth.* 12. Quare Apostolus certam reprobae doctrinae notam assignat, pugnam, & dissensionem, *Doctrinis variis, & peregrinis, nolite abduci* ad *Hebr.* 13. Et Jacobus *suae epistolae cap. tertio, nolite plures Magistri fieri*, id est, nolite propria diversaque docere.

Sicuti enim inter Vetus, & Novum Testamentum, ita & inter sacros omnes scriptores, licet diversis temporibus, locis & occasionibus scripserint, mira est consensio. Similiter quoque Concilia generalia, Pontificumque decreta in rebus fidei per omnia inter se consentiunt. Et quanquam in minoribus, & adiaphoris rebus Ecclesiastici scriptores aliquando dissentiant, in gravioribus tamen plane idem sapiunt. Nam omnia sua judicio summi Pastoris, cujus est Ecclesiam Spiritu sancto assistente in omnem veritatem dirigere, submittunt. Quare meritò laudatur Theodosius, quod ex priscorum Ecclesiae doctorum consensu exorientes haereses profligandas esse judicaverit, Sozom. *lib. septimo hist. cap.* 9.

Quod autem inter haereticos nulla, ne quidem in praecipuis Christianae fidei capitibus, concordia sit, ex Lutheranorum, & Sacramentariorum libris, quibus se invicem mire, misereque jactant, notum evadit. Imo nec iidem haeretici de uno, eodemque dogmate unum & idem sentiunt, ut Molles, & Rigidi Lutherani dicti evincunt. Quin nec unus, idemque haeresiarcha secum ipse convenit, quod ex innumeris Lutheri, & Calvini contradictionibus luce meridiana clarius est, quorum confessiones & scripta diversis temporibus edita sibimet palam contradicunt Vide Stanislaum Rescium *de atheismis Evangelicorum*, ubi *cap.* 9. Evangelicorum sectę, & opiniones, fidei, legibusque Ecclesiasticis repugnantes à Lutheri temporibus ad annum 1596. ducentae fere & septuaginta numerantur, & quantum quaeque audendo, fingendo, mentiendo,

tiendo, blasphemando Christum, & Ecclesiam persequendo valeat describuntur. Id, quod aliis omnibus hæreticis omni ætate solenne fuisse, facile ostendi potest.

Nam ex Simonis Magi secta mox varias alias hæreses propagatas esse scilicet Menandrianorum, & alias, refert Irenæus *lib. 1. cap. 21. contra hæreses.* Et de Valentinianis, cùm essent plurimi, vix duos, aut tres inter se de omnibus dogmatibus convenisse, scribit idem autor *lib. 1. cap. 5.* Donatistarum hæresim in minutissima frustula suo tempore divisam fuisse, testatur Augustinus *lib. 1. de baptism. cap. 6.* De Marcionitis idem scribit Epiphanius *lib. 1. contra hæres.* & de Montanistis *lib. 2.* De Messalianis, *hæres. 80.* Idem de Manichæis Augustinus *heres. 46.* De Arrianis idem testatur Ruffinus *lib. 10. hist. cap. 25.* quos singulis penè annis fidei suæ confessionem commutasse in utroque ad Constantium libro scribit Hilarius. Ab Eutychianis totius Orientis sectas exortas esse, tradit Evagrius *in hist. lib. 3. & 4.* & Damascenus *de centum hæresibus.* De Lutheranis item hoc ipsum ostendit Staphylus *l. de concordia discipul. Lutheri*, & Gulielmus Lindanus *in tabulis analyticis.* Qua dissensione hæreses, Deo providente consumuntur juxta Isaiæ vaticinium: *Convertere faciam Ægyptios contra Ægyptios*, & ut bellum hæreticorum pax sit Ecclesiæ.

Quod autem nec in sectis Paganorum vera consensio fuerit, ex eo patet, quod ad eamdem Religionem apud eos pertinuerint Dii inter se belligerantes, ut Augustinus notat *ser. 11. de verb. Dom.*

Philosophi verò mutuis dissensionibus suam ipsorum doctrinam potenter everterunt, Basilius *orat. 1. de oper. sex. dier.* notavit, & Theodoretus *lib. de fide*, Augustinus *lib. 8. de civit. cap. 41. & 52.* ubi ait diabolum per hæreticos efficere conatum, ut in Ecclesia Christi liberæ dissensiones essent, sicut in Academiis Philosophorum, ut quemadmodum illæ per multas contentiones ab invicem consumuntur, ita tandem in Ecclesia Christi per dissensiones idem eveniret.

Septimum argumentum deducitur à puritate, & sanctitate doctrinæ Catholicæ, quæ nullum errorem neque in fide, neque in moribus continet. *Est enim lex Domini immaculata, psal. 118.* Et quamvis res hominum captum superantes tradat, non tamen rationi humanæ contrarias docet.

Triplicem verò in Christi doctrina perfectionem reperimus. Prima est in rerum divinarum cognitione. Secunda in hominum moribus dirigendis. Tertia in eo, quod non solum viam consequendæ veræ fructuosæque virtutis, immortalitatisque aperiat, sed & operandi, ac bene, recteque vivendi opem, virtutemque subministret. Nam *Evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti* ad *Rom. 1.* Quanquam verò Christi gratia occulte præstetur, attamen palam elucet in perfectione vitæ illorum, qui hanc doctrinam profitentur, quorum alii Virgines, alii Martyres, alii Confessores, & inter hos nonnulli Eremitæ, alii Cœnobitæ, rebus istius mundi abjectis, Angelicam in terris vitam ducunt.

In legibus autem, & doctrina Paganorum, Poëtarum, Philosophorum, atque Hæreticorum quamplurima falsa traduntur, cum ratione pugnantia, legi naturæ adversantia, fœdissimis sceleribus, & flagitiis plenissima, ut *lib. 6. & 7. de civit.* ostendit Augustinus, & Theodoretus *lib. 6. de legib.* ubi Lycurgi, Platonis, aliorumque Legislatorum placita cum legibus Christianorum conferens, demonstrat, illorum legibus scelera, flagitiaque suaderi, ac laudari; Christi autem legibus nonnisi mores sanctissimos præscribi, hominesque ad spem regni cœlestis, beatæque, ac immortalis vitæ incitari, erigi, vocari. Poetas verò tanquam impietatis, omnisque licentiæ Magistros, Plato ipse à sua Republica ejecit, ut refert Theodoretus *lib. 2.* Augustinus *lib. 6. de civit. cap 5.* Mythicæ, sive fabulosæ Theologiæ turpitudinem describit. Et *lib. 7. cap. 34.* Numæ Pompilii libros propter sacrorum spurcitiam, Romani Senatus jussu, concrematos fuisse, ex Varrone refert. Quibus non absimiles hæretici, obedientia legum, pudore, ac omni morum honestate profligata, in omne vitiorum atque obscœnitatum carnis genus præcipites ruunt, ut de veteribus hæresiarchis Epiphanius *contra hæreses* memoriæ prodidit, & de nostri seculi hæreticis idem testantur quotquot de vita, gestis, & moribus eorum scripserunt.

Postremum argumentum sumitur ex efficacia doctrinæ Evangelicæ, quæ brevi tempore totum Orbem penetravit, Judæorum ritus, Idolorumque cultum abolevit, juxta Isaiæ vaticinium *cap. 2. Elevabitur Dominus solus in die illa*, & Habacuc *cap. 2. Ante faciem ejus ibit mors*, id est à facie Crucifixi diabolus fugiet, interprete B. Leone *ser. 8. de pass. Dom.* Augustino *lib. 22. de civit. cap. 5.* Accedit Joannis testimonium *cap. 12. Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*, quod vel tunc apparuit, quando Christi leges Romanos, Persas, omnesque barbaras nationes sibi obedientes reddiderunt, legesque Solonis, Platonis, aliorumque Legislatorum, omnemque Gentilium Theologiam naturalem, fabulosam, & civilem aboleverunt.

De Ecclesia militante, ejusque nomine, definitione, partibus, quinam in ea sint, an una, visibilis, & à quo tempore, anve deficere possit, per quas notas videatur, ejus unitas in quo potissimum consistat, & ex quo demonstretur.

CONSULTATIO XIII.

De Nomine Ecclesiæ, ac de ejusdem Definitione.

Ecclesiæ nomen Latini à Græcis mutuati, post divulgatum Christi Evangelium ad res sacras transtulerunt, ut significet *evocationem* seu *cœtum vocatorum.* Ac primò generatim ad omnem intelligentium creaturarum multitudinem, tam Angelorum, quam hominum in una societate unum Deum Creatorem colentium significandum usurpatur, ut idem sit Ecclesia, quod Civitas Dei, Domus, & Templum, in quo Deus habitat. Templum autem summæ Trinitatis est Ecclesia universa, constans Angelis, & hominibus sanctis, quæ una est consortio æternitatis, & vinculo charitatis, instituta ad colendum unum Deum, à quo tota sanctificatur, ac regitur. Sic *ad Ephes. cap. 1.* Apostolus. *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam* ad *Hebr. cap. 12. Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in Cœlis.* Augustinus *in Enchirid. cap. 56. & 61. & lib. 12. de civ. cap. 9.*

Secundò nomen Ecclesiæ significat cætum, concilium, aut congregationem hominum, sive fidelium, sive infidelium 2. Paralip. 6. *Ecclesia magna valde*, Psal. 25. *Odivi Ecclesiam malignantium.* Act. 19. *Legitima Ecclesia.*

Tertiò Ecclesiæ nomine *Præsides, & Pastores Ecclesiæ* significantur. Matth. 18. *Dic Ecclesiæ*, Act. 14. *cum congregassent Ecclesiam.* Item deducti sunt ab Ecclesia, Act. 24. *excepit eos Ecclesia.*

Quartò Ecclesiæ nomen loco tribuitur, in quo populus Christianus rei sacræ causâ solet convenire, Judith 6. *omnis populus tota nocte intra Ecclesiam oraverunt*, ea loquendi formula, qua continens significat contentum, vel

vel qua signa rerum significatarum nominibus appellantur. Templum enim materiale figura est Templi spiritualis, quod ex vivis lapidibus ædificatur, ut Augustinus docet *ser. 2. de dedicatione.*

Quinto usitata Scripturarum sacrarum consuetudine nomen Ecclesiæ significat cœtum hominum ex massa damnationis per Christi gratiam evocatorum ad serviendum uni Deo in fide unius Mediatoris Jesu Christi. Qua significatione à lapsu generis humani usque ad finem mundi una esse dicitur Ecclesia, cujus caput est Christus, à quo vitæ spiritualis subministratio membris omnibus connexis ei per fidem obtigit juxta illud Joan. 15. *ego sum vitis, vos palmites*, in quem locum Augustinus admonet, Christum secundum quod homo est, factum esse caput Ecclesiæ, quæ in hominibus est, quoniam unius naturæ sunt vitis & palmes. Idem tradit *Enchiridii cap. 56. & 61.*

Quamvis autem Novi ac Veteris Testamenti eadem, quoad essentiam, fuerit Ecclesia, frequentius tamen, atque aptius illa hominum multitudo, quæ unum Deum in fide unius Mediatoris, secundum ritus Legis Mosaïcæ colebat, appellata est Synagoga, quàm Ecclesia. Quoniam congregari magis sit pecorum rationis expertium, in quibus proprie greges dicere consuevimus, vocari autem sit intelligentium. Judæi verò pecorum more præsentia tantum spectabant, atque sectabantur; Christianus verò populus futura, æternaque bona quærit, ut notat Augustinus *in Psal. 77. & 81.* atque *inchoata expos. Epist. ad Rom.* Non igitur absque ratione Christus suæ Reipublicæ nomen Ecclesiæ indidit. *Matth. 18.* Et Apostoli, scriptoresque Ecclesiastici accepto Spiritu sancto, Christianorum Societati hoc Ecclesiæ nomen appropriaverunt, *ut ex cap. 5. Act.* patet: *Et factus est timor magnus in universa Ecclesia*, cujus majores partes etiam Ecclesiæ nomen retinent. Unde Apostolus Rom. 16. *salutant vos omnes Ecclesiæ Asiæ.* Et Joannes Apocal. 1. *septem Ecclesiis* scribit. Nec solum Apostolus majoribus Christianorum cœtibus Ecclesiæ nomen tribuit, ut Ecclesiæ, quæ est Corinthi, Philippis, Galatiæ &c. sed etiam privatis fidelium familiis, 1. Corinth. 16. *cum domestica Ecclesia*, ad Philemonem: *Ecclesiæ, quæ in domo tua est.*

Sunt & alia plura nomina, quibus Christianorum Respublica describitur 1. *ad Timoth.* 3. vocatur *domus Dei*, quia ab uno summo Patrefamilias gubernetur. Nuncupatur *Grex ovium* Joan. 10. & 21. Item *sponsa Christi* 2. Corinth. 11. Apocal. 22. necnon *uxor Christi*, Apoc. 19. ad Ephes. 5. dicitur *corpus Christi*. 1. Corinth 12. *omnes nos in unum corpus baptizati sumus.* Ephes. 1. ad Colos. 1. *quæ est corpus ipsius.* Nuncupatur denique *Templum Dei, Populus Dei, Civitas Dei, Regnum Dei, Regnum Cœlorum, Societas Jesu* 1. Corinth. 1. & 1. Joan. 1. *Vinea* Psal. 79. Cant. 2. Isai. 5. Hierem. 5. Math. 20. & 21. *Columba* Cant. 6. *Amica & soror* Cant. 1. & 6. Bernard. ser. in Cantic.

Quibus omnibus nominibus Ecclesiæ unitas, seu potius unanimitas designatur ac varia beneficia, quibus fideles Deus afficit, inculcantur. Inter omnia tamen *Ecclesiæ* nomen præcellit, quo mysteria diversarum vocum amplitudine comprehensa, uno intuitu homini contemplanda offeruntur. In evocatione siquidem, quam Ecclesia denotat, gratiæ splendor elucet, qua homo de statu damnationis ad statum salutis translatus est juxta illud 1. Petri 2. *Qui de tenebris vocavit vos in admirabile lumen suum.* Unde Paulus passim hanc divinam vocationem commendans, scribit *vocatis sanctis*, id est vocatis ad sanctitatem, ipsaque vocatione sanctificatis. Ad Rom. 1. &. 1. ad Corinth. 1. Psal. 106. *Dicunt qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregavit eos, & deduxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis.* Hierem. 31. *Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, inter quos erunt cœcus, & claudus.* Cantic. 4. *Veni de Libano, sponsa mea*, id est de idololatria ad fidem.

Aptissime vero fidelium cœtus *vocationis* nomine designatur. Quoniam ad Dei populum nemo instinctu proprio se adjungit, sed quisquis venit, à Deo gratuita vocatione prævenitur. Vocat autem Deus non solum extrinsecus aures corporis, Pastorum, Ministrorumque verbi Dei non pulsando, sed & interius per secretam inspirationem fidei, qua fit, ut qui mente audit, à patre discat, & veniat, Joan. 6. & ad Rom. 8. *Quos vocavit, hos & justificavit.* Ubi observandum, vocationem etiam interiorem esse multiplicem. Una enim generalis est omnium credentium, & baptismi sacramentum suscipientium, de qua Act. 2. *Quoscunque advocaverit Dominus*, & Matth. 22. *Multi vocati, pauci verò electi*, per fidem, & Sacramentorum communionem multi locum convivii sine veste nuptiali ingrediuntur, qui tandem inspiciente per judicium sponso, ejiciuntur.

Alia quædam specialis vocatio secundum propositum electionis ad gloriam reperitur, de qua Rom. 8. *Qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Et, *quos vocavit, hos justificavit, & quos justificavit, hos & glorificavit.* Hæc electorum vocatio est, qua fit, ut sic vocati non solum credant, sed etiam recte vivant, nec ad tempus tantum, sed usque in finem perseverent. Quam vocationem hæretici Ecclesiæ vocabulo significari contendunt, ab eaque invisibilem Ecclesiam, solos prædestinatos complectentem, constitui, docent. Cœterum falluntur. Quoniam Ecclesia à communi vocatione interiori dicitur, qua multi vocati, non tamen electi, per fidem, & baptismi susceptionem Christi familiam ingrediuntur, hoc est Ecclesiam, quamvis merito vitæ postea male gestæ, tandem ejiciantur.

Exposito Ecclesiæ vocabulo, de re per Ecclesiam significata subjungendum est. Ac licet Angeli, qui in accepto justitiæ munere perseveraverunt, nulla Christi Mediatoris vocatione indiguerint, ideoque, aptius dicantur ad eandem cum hominibus Dei civitatem, quàm ad eandem Ecclesiam pertinere. Quia tamen Scriptura, & Augustinus *Enchir. cap. 51. & 61.* Ecclesiæ vocem tam Angelis, quàm hominibus tribuunt, in sua describemus Ecclesiam amplitudine hoc modo: *Ecclesia est societas creaturarum rationabilium per dona supernaturalia uni Deo adhærentium.* Quam definitionem subindicat Augustinus *Enchirid. cap. 56. & 61. & lib. 12. de civit. cap. 9. Bernard. ser. 27. in Cantic.*

Ut autem Ecclesia ab hominum evocatione per Christum ex perditionis massa censetur, generaliter in hunc modum definiri potest: *Ecclesia est cœtus hominum fide Christo Capiti adhærentium.* Quæ descriptio Ecclesiæ substantiam exprimit, ideoque ad omnia tempora militantis Ecclesiæ, ad omnes ejusdem status, nec non ad omnes particulares Ecclesias, ex quibus ab initio generis humani una generalis Christi Ecclesia conflatur, se se porrigit. Omnis enim hominum societas, quæ fide Christo adhæret, per eumque, veluti mediatorem justitiæ influxum à Deo expectat, Ecclesia Christi est. Unde prisci Sancti, sive tempore Legis naturæ, sive tempore Legis Mosaïcæ, qui in Christum crediderunt, ab eoque justitiam, & salutem expectarunt, nobiscum ejusdem Ecclesiæ fuerunt, cujus licet diversæ sint ætates, varii status, aliæ conditiones, nova privilegia, tamen ex omnibus partibus una resultat Christi universalis Ecclesia. *Neque enim putandum est, quod antiquis justis sola, quæ semper est, Divinitas Christi, non etiam, quæ nondum erat, ejus Humanitas revelata profecerit*, inquit Augustinus *lib. de peccato orig. cap. 26. & lib. de catechiz. rudib. cap. 3.* exemplo Jacob, qui dum nasceretur, manum prius, quàm caput in lucem emittens, Christum ostendit, quandam sui corporis partem, antequam in carne appareret præmisisse in Sanctis, qui eum nascendi tempore præierunt, qua velut manu se caput Ecclesiæ nasciturum esse prænunciaret, quos

ait

ait eidem corpori, cujus Christus caput est, cohæsisse, credendo in eum, quem prænuntiabant. Non enim præcurrendo divulsi sunt, sed adjuncti potius obsequendo. Nam etsi manus à capite præmitti potest, connexio tamen ejus sub capite est.

Porrò non uno modo cuncta Christi membra illi adhærent. Beati enim per visionem fidei succedentem, & flagrantissimam charitatem cohærent. Qui verò in terris peregrinantur, Christo per fidem, & unitatis amorem, atque certis Sacramentorum, sacrificiorumque vinculis, quæ pro temporum varietate diversa quoque instituta fuere, tum inseruntur, tum inter se colligantur. Unde patet, Sacramenta ad essentiam Christi Ecclesiæ minime spectare; quoniam sicut hic pro vario statu Ecclesiæ mutata fuerunt, ita in futura vita plene cessabunt.

Ex quibus liquet, *Ecclesiam* recte generatim describi in Catechismo art. 9. numer. 2. *fidelium congregationem, sive populum fidelem per universum orbem dispersum* ex Augustino *in Psal.* 149. uti Gregorius *hom.* 38. *in Evangel.* consonans *Regnum*, inquit, *cælorum est congregatio justorum*, Beda in 26. cap. Job: *Ecclesia est omnium Sanctorum Congregatio*, Irenæus lib. 3. cap. 3. contra hæreses, *Ecclesiam*, intelligit, *eos qui sunt undique fideles*. Quæ definitiones indicant solum partes Ecclesiæ substantiales, non tamen excludunt proprietatem, quæ certos Ecclesiæ status, aut partes concernunt, per quas Ecclesia conspicua redditur & à conventiculis hæreticorum, schismaticorumque discernitur.

Bellarminus verò *lib.* 3. *de Ecclesia cap.* 2. Ecclesiam, ita definivit: *est cœtus hominum ejusdem christianæ fidei professione, & eorumdem Sacramentorum communione colligatus sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipue unius Christi in terris Vicarii Romani Pontificis*. Atque hæc est præfata militantis Ecclesiæ definitio. Est enim *cœtus*. En genus, cùm detur cœtus hominum, & Angelorum subdit *hominum*. En exprimitur Ecclesia militans in hominum multitudine ex universitate consistens, *can. loquitur* §. *Ecclesia* 24. *q.* 1. *can. Ecclesia de consecr. d.* 1. *Ejusdem fidei christianæ professione*, ut declaretur, quod, etsi Ecclesia in multitudine, & universitate credentium consistat, in se tamen una, & eadem est, ut inquit Hieronymus *in can. legimus q.* 3. *d.* 9. *& Cyprianus in d. can. loquitur.* Et ut explicetur, non sufficere ad constituendum aliquem in Ecclesia quod christianam fidem corde credat, sed ulterius requiri ejusdem fidei professionem, nempe confessionem externam. Subditur: *Et eorundem Sacramentorum communione colligatus*. Nam etsi corde, ac ore fidem quis profiteatur, non tamen potest dici esse in Ecclesia, nisi etiam sit glutino Sacramentorum colligatus. Denique subjicitur: *sub regimine legitimorum Pastorum &c.* ut nobis innotescat, esse omnino necessarium ad hoc, ut in Ecclesia quis constituatur, ut non modo Christi nomen fide, corde, ac ore profiteatur, ac simul Sacramentorum communionem habeat, sed etiam quod hæc omnia faciat sub regimine legitimorum Pastorum, ac præsertim Romani Pontificis, ut latius dicemus in consultatione de schismate ac schismaticis.

CONSULTATIO XIV.

De Partibus Ecclesiæ Christi, & quid sit Ecclesia militans? Et quomodo ab hæreticis definiatur? eorumque in hoc errores.

Ecclesiæ Christi duæ sunt potissimum partes. Una triumphans, altera militans vocatur. *Triumphans* est cœtus eorum, qui de mundo, carne, ac dæmone victores, ac ab omnibus hujus vitæ periculis liberi, æterna beatitudine perfruuntur. *Militans* verò est cœtus fidelium in terris cum mundo, carne atque dæmone luctantium.

Quæ duæ partes non duas re distinctas Ecclesias; sed unicam constituunt, cujus pars antecessit, altera indies sequitur, donec suo capiti per visionem quoque conjuncta, in sempiterna fœlicitate conquiescat. Et quia, *nemo Deum habiturus est in cœlis patrem, qui Ecclesiam hic in terris non habuerit Matrem*, nullique hominum extra Ecclesiam salutis æternæ spes facta sit, *Christus enim est salvator corporis sui, ad Ephes.* 5. Ideo profuerit, de hac militante Ecclesia scire, quidnam sit? qualis? quibus donis, ac privilegiis à Christo novi Testamenti tempore ornata, quibus denique proprietatibus ab omnibus hæreticorum conventiculis discerni queat, item quæ hominum genera complectatur?

Ecclesia hujus temporis est hominum cœtus ejusdem fidei vinculo, & eorumdem Sacramentorum communione colligatus sub regimine legitimorum Pastorum, & præcipue Christi Vicarii, Romani Pontificis. Unde ab ea sunt alieni omnes infideles, ut Pagani, Judæi, & hæretici, schismatici quoque, catechumeni, & excommunicati. Hinc à Sectariis perperam definitur Ecclesia, quod sit *prædestinatorum congregatio*, ita, ut omnes, & soli in ea sint prædestinati, sicut docuit Wiclef *apud Waldensem tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 8. *&* 9. quem secutus est Joannes Hus *ar.* 1. 2. 3. 5. *&* 6. ut habetur in Concilio Constantiensi Sess. 15.

Novatiani, teste Cypriano *lib.* 4. *epist.* 2. & Donatistæ, Augustino teste *lib. de hæres. cap.* 69. Ecclesiam definiebant, esse *Congregationum hominum fidelium, qui nunquam in graviora scelera, potissimumque circa fidei confessionem lapsi fuerant*. Nam à cœtu suo vulgares peccatores non excludebant, ut fraudatores, mœchos, & similes, ut ex Epiphanio hæresi Catharorum liquet.

Pelagiani Ecclesiam definiebant *multitudinem hominum perfectorum, nullum peccatum habentium*, teste Augustino *hæres* 88.

Lutherani Ecclesiam definiunt, esse *hominum Congregationem, vere credentium, & obedientium Deo.* Unde sequitur, malos non esse in Ecclesia, nisi nomine, & corporali admistione. Ideoque duas Ecclesias confingunt. Unam *veram, cujus sint privilegia in scripturis expressa, quæ sit invisibilis, solisque oculis fidei conspicua*. Alteram vero, *externam quæ nomine tantum sit Ecclesia, omnesque contineat, qui in doctrina fidei, & usu Sacramentorum conveniunt, & in hac bonos, & malos inveniri permistos, confitentur.*

Calvinus duas cum Lutheranis constituit Ecclesias. Unam *veram ex* solis prædestinatis constantem, ac soli Deo notam. Alteram verò *externam, & visibilem*, quam definit, esse *universam hominum multitudinem in Orbe diffusam, qui in fidei confessione, & Sacramentorum participatione eundem nobiscum Deum, ac Christum profitentur.* In hac malos & bonos esse asserit.

Contra hos omnes errores Catholica doctrina tradit, unicam esse in terris visibilem Ecclesiam in eadem fidei professione, Sacramentorumque communione, unum Christi Vicarium agnoscentem, Romanum Pontificem, à qua sint alieni omnes infideles, qui nunquam Christo per baptismum nomina sua dederunt, sed alias Religiones sectantur, quales sunt Judæi, Turcæ, Pagani. Hos foris esse, docet Christus Matth. 18. *sit tibi sicut Ethnicus.* Et Apostolus 1. Corinth. 5. *Quid mihi de iis qui foris sunt, judicare?*

Excluduntur quoque ab Ecclesia hæretici, qui aliquando in Ecclesia fuerunt, sed ab ea per hæresim, vel apostasiam recesserunt. Hos ait Apostolus *circa fidem naufragasse* 1. Timoth. 1. significans, illum fidelem dici non posse, qui vel unum fidei articulum pertinaci animositate repudiaverit, sicut neque justus est, qui vel unum letale peccatum commiserit juxta illud Jacobi 2. *Qui totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus*

factus est omnium reus. Quemadmodum enim per rei minimæ admiſſionem adulteratur moneta, & cymbalum minima fiſſura corrumpitur, ita & fides unius articuli negatione vitiatur. Nam *qui, quod vult, credit*, &, *quod vult, non credit, non Deo, ſed judicio ſuo credit*, ut habet Auguſtinus *lib.* 17. *contra Fauſtum cap.* 3. *lib.* 32. *cap.* 19. *tr.* 67. *in Joan.* Unde Athanaſius *in Symbolo*: Qui integram fidem non ſervaverit, in æternum peribit. *Luc.* 5. parabolâ de reti, præ multitudine piſcium ſciſſo, idem ſignificatur. Ad *Timoth.* 3. hæreticus dicitur *ſubverſus, & proprio judicio condemnatus*, id eſt, interprete Hieronymo, *non per excommunicationem, ut multi peccatores, ejectus, ſed ipſe ab Eccleſia ſeipſum ejecit.* 1. Joan 2. *ex nobis exierunt*, id eſt, ab Eccleſia, in qua prius nobiſcum erant, ſeceſſerunt, *ſed non erant ex nobis* ſecundum divinam electionem, Auguſtinus *lib. de bon. perſever. cap.* 8. Cyprianus *in epiſt. ad Jubaianum, hæreticos, cum extra Eccleſiam ſint*, ait, *ſimiarum more ſibi Eccleſiam vendicare.* Hieronymus *in dialogo contra Luciferianos* inquit, *eos, qui ab alio, quam à Chriſto nomen habent, ut Valentiniani, &c. non Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti ſynagogam eſſe.* Auguſtinus *lib. de unit. Eccleſ. cap.* 4. *Non utique ſunt in Eccleſia, qui non credunt.*

Eadem habentur ac ſimilia *in can. non in vobis de conſecr. d.* 4. *in can. ſiquis* 1. *q.* 1. *in can.* 2. *q.* 1. *in can. advocavit* 24. *q.* 1. *in can. ipſa pietas* 23. *q.* 4. *in cap. ſtatutum de hæret. in* 6. *in cap.* 3. *eod. tit.* in quibus omnibus hæretici extra Eccleſiam conſtituuntur.

Hanc veriſſimam ſententiam ſequitur, ac probat Bellarminus *lib.* 3. *de Eccleſia militante cap.* 4. Sander. *de viſib. Monarch. lib.* 8. *cap.* 32. Canus *de loc. Theolog. lib.* 4. *cap.* 5. aſſerens, hanc eſſe communem omnium Theologorum, probarique duobus Conciliis Lateranenſi, & Florentino. Eamque etiam probant Juſtin. *in auth. de privil. dot. hæret. mul. non præſt. & in lib.* 1. *cum auth. ſeq. C. de hæret.* Quicquid contra dixerit Alph. à Caſtro, cujus argumenta diluit Bellarm. *loc. cit.*

Quanquam verò hæretici extra Eccleſiam ſint, attamen puniri ab Eccleſia poſſunt. Nam licet militiæ deſertorem, qui ad hoſtium caſtra transmigravit, cogere, ut redeat. Characterem enim baptiſmi extra Eccleſiam hæretici retinent, quo admonentur ad unionem Eccleſiæ redire. Primum autem unionis vinculum internum eſt fides. Nec aliud probant Caſtrij argumenta. Quibus ſubjicio, quod Eccleſia exercet juriſdictionem in hæreticos, præſertim ob injuriam ſibi illatam propter ementitam Sacramenti fidem, *cap. majores de baptiſm. cap.* 1. ubi Gloſſa *v. non debet*, *de ſponſ. duor. cap. cum inter in fine de ſponſ.* & *can. Judæi d.* 45. Sic & Eccleſia animadvertit quoque in Judæos *lib.* 2. *& l. Judæos, & l. Judæi* 15. *C. de Jud. & cap. in nonnullis eod. tit.* Et generaliter animadvertit contra omnes infideles, & Chriſtianæ Religionis obtrectatores pluribus in caſibus, quos peculiari conſtitutione complexus eſt Gregorius XIII. quæ incipit, *Antiqua Judæorum*, de qua ſuo loco.

Consultatio XV.

An hæretici occulti in Eccleſia ſint? Quid de Catechumenis, de excommunicatis, de ſchiſmaticis, de prædeſtinatis, de imperfectis chriſtianis? & quid etiam de prava vitæ fidelibus?

De occultis Hæreticis, qui foris catholicam fidem profitentur, & communione Sacramentorum veris fidelibus permiſcentur, Doctores variè loquuntur. Quidam extra Eccleſiam illos eſſe aſſerunt; alii verò in Eccleſia conſtituunt; ſed non tam de re ipſa, quàm de modo loquendi laborant. Conſentiunt quidem Catholici omnes, occultos hæreticos in Eccleſia ſecundum quid eſſe, hoc eſt ſecundum externam fidei profeſſionem, item ſecundum Sacramentorum communionem, nec non miniſteria, juriſdictionem. Exercent enim poteſtatem regiminis ligando, ſolvendo, excommunicando, beneficia conferendo, vel auferendo. Conſentiunt inſuper omnes Catholici, occultos hæreticos ſecundum aliquid extra Eccleſiam eſſe, videlicet animo & voluntate, atque ſecundum internos nexus, quibus membra uniuntur Capiti inter ſe, qui conſiſtunt in fide, atque fraternitatis amore, aliiſque virtutibus. Differt enim Chriſti Eccleſia à terrena Republica in eo, quod requirat, ut membra ſua internis nexibus uniantur inter ſe, atque cum capite. Hæc verò ſolum exigat, ut omnes hominum ordines Rempublicam conſtituentes, eam foris coniunctionem habeant, quæ pacem, tranquillitatemque Reipublicæ temporaliter promoveat.

Quare in ſpeciem diſſentientes concordamus ſententias, tenendo, hæreticos occultos eſſe in Eccleſia, quoad exteriores nexus, & poteſtatem regiminis, & juriſdictionis, ac eatenus poſſe vocari membra, ſive partes Eccleſiæ; non vero eſſe in Eccleſia ſecundum interiores nexus, ac proinde non eſſe viva Chriſti membra, ſed arida, & emortua, neque ſenſum, neque motum à capite haurientia. In quo à malis Catholicis non parum differunt, qui fidem, & fraternitatis amorem retinent, quibus licet Chriſtus per charitatis, & juſtitiæ ſubminiſtrationem non influat, attamen eis intimè & fidem, & chriſtianæ ſocietatis amorem donat. Quod Joannes ep. 1. cap. 2. ſignificat, dicens: *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis.* Quomodo ex nobis, ſi non erant ex nobis? Reſpondet Auguſtinus lib. 3. de baptizat. cap. 18. & lib. 4. cap. 16. *intus fuiſſe carne, ſed foris ſpiritu.* Ex nobis fuiſſe profeſſione & externa Sacramentorum communicatione; ſed non fuiſſe ex nobis, inviſibili, ac interna charitatis compage. Sic Judam inter Apoſtolos, occultorum hæreticorum expreſſiſſe typum tradit idem Auguſtinus in Joan. tract. 61. *Erat* enim *unus Apoſtolorum numero, non merito; ſpecie, non virtute; commixtione corporali, non vinculo ſpirituali; carnis adjunctione, non cordis unitate; communione Sacramentorum, non ſecundum proprietatem criminum.* Et lib. de geſtis cum Emerico cap. 1. *Quidam*, ait, *corde poſiti in parte Donati, præſentiam nobis exhibent corporalem, carne intus, ſpiritu foris.* Et *lib. de catechiz. rud. cap.* 17. tria hominum genera in Eccleſia conſtituit, nempe fictos Chriſtianos, quales ſunt occulti hæretici, qui Deum non timent, chriſtianamque Religionem irrident. Deinde carnales fideles, in hac vita felicitatem expectantes. Ac demum ſpirituales ſpe cœleſtium bonorum in Eccleſia Deo perſeveranter obedientes. Origenes homil. 21. Joſue: *In Hieruſalem, hoc eſt, in Eccleſia, ſunt quidam Jebuſæi, fide & actibus perverſi.*

Poſtremo evincitur, occultos hæreticos quodammodo in Eccleſia eſſe ex veteribus, qui docent, eos, qui extra Eccleſiam ſunt, nullam in fideles autoritatem, vel juriſdictionem habere. Cyprianus, *lib.* 1. *epiſt.* 6. *& lib.* 2. *epiſt.* 1. At rata eſſe, quæ in Eccleſia ab occulto hæretico geruntur, docet canon Audimus 24. q. 1. *Sin autem ex corde ſuo novam hæreſim confinxerit, ex quo talia prædicare cœpit, neminem damnare potuit.* Ubi ſupponitur, actus juriſdictionis occulti hæretici non eſſe irritos; alioqui redderentur incerta pene omnia, cùm de occultis ſcientia nequeat haberi. Huc etiam pertinet, quod in corpore humano ſint partes, quæ vivunt, & ſentiunt, aliæ quæ vivunt & non ſentiunt, ac demum emortuæ adhærentes, quæ nec vivunt, neque ſentiunt.

De Catechumenis vero. Secunda definitionis Eccleſiæ pars, quæ eorundem Sacramentorum communionem exigit, illos, & Excommunicatos ab Eccleſia excludit, quoniam illi ad Sacrorum participationem

nem non sunt admissi, hi verò sunt dimissi. Sed cùm nullus damnationis diluvium extra Ecclesiam evadere possit, nec ulla extra Ecclesiam peccata remittantur, ut habet Augustinus *Enchirid. cap. 56.* si baptismum non contemptus, sed necessitatis articulus excludit, credendum est, catechumenos adultos pœnitentes invisibiliter Ecclesiæ via extraordinaria inseri, Ambros. *orat. de obitu Valentiani*, Bernardus *ep. 77.* Non tamen ideo militanti Ecclesiæ invisibili junguntur, qualis nulla est, quia nullo adhibito Sacramento. Nam & Christus non ideo invisibilem domum intravit, quando, januis clausis, invisibili aditu legitur ingressus, sed quemadmodum ordinarium est, ut per januam in domum intretur, ita per baptismum in Ecclesiam, ut *Act. 2.* indicatur: *Qui ergo receperunt verbum, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.* Gregorius Nazianzenus *orat. in S. Laurentium* ait: *Catechumenum fidelem dici non posse, nisi per baptismum ingressus sit.* Chrysostomus *homil. 24. in Joan.* inquit, *catechumenum nihil cum fideli commune habere, non mensam, non civitatem.* Cyrillus lib. 12. in Joan. cap. 50. *catechumenum incircumciso comparat, qui Agnum paschalem edere non poterat.* Augustinus *tr. 4. in Joan.* & *tr. 44. & lib. 8. confess. cap. 8. & lib. 2. de Symbol.* catechumenos conceptis, nondum natis assimilat, quia per baptismum corpori Ecclesiæ incorporantur juxta illud Act. 1. *Macta & manduca*, cum de Cornelio Centurione, in corpus Ecclesiæ trajiciendo, ageretur. Duo enim ad salutem necessaria sunt, Fides, & Baptismus. *Qui enim crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, Marc. 16. & *in uno corpore baptizati sumus*, 1. Corinth. 12. Gregorius *hom. 38. in Evangel.* ait *neminem convivium intrare sine fide, & baptismate.* Omni tempore post lapsum oportuit fideles unius Dei, ac unius Mediatoris fidem congruis tempori Sacramentis profiteri, Augustinus *lib. 18. de civit. cap. 47. & lib. de prædest. Sanct. cap. 9.*

Et hanc sententiam probant Glossa *in cap. cave, v. si christiana 28. q. 1. & in can. catechumenum de consecr. d. 4.* Gemin. *in can. audite d. 34.* Dec. *in cap. 1. n. 26. in 2. lect. de constit.* Steph. Cajet. *in repet. can. ad limina sub n. 209. §. 5. 30. q. 1.* Menoch. *de arb. cas. 290 num. 17. & seq.* & ex Theologis Canus *de loc. theol. lib. 2. cap. 2.* Bellarm. *de Eccles. mil. lib. 3. cap. 3.* Suarez *to. 4. p. 3. disp. 53. sect. 4. num. 8.* Henriq. *de indulg. lib. 7. cap. 18. n. 3.* Sanchez *in decal. lib. 4. cap. 37.* Alter. *de censur. to. 1. lib. 5. cap. 2.* Quod est contra Navar. *in comm. de jubil. not. 31. num. 48.* & Andream ab Alea *in cap. 1. à num. 2. & 8. cum seq. de constit.* ac nonnullos alios recentiores.

Ex quibus deducitur quod catechumeni non ligantur Ecclesiasticis constitutionibus, Sanchez *loc. cit. lib. 1. cap. 12. num. 14.* & consequenter non tenentur præcepto *cap. omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss.* Sanchez *ibid. num. 15.* Neque ligantur vinculo excommunicationis. Omnes enim carentes baptismate sunt incapaces excommunicatione *cap. gaudemus de divort.* ibique Anchar. *num. 19.* Marquard. *de Judæis p. 2. cap. 5. num. 3.* cum aliis, quos adstipulat Ricciul. *de jur. person. lib. 2. cap. 6. num. 1.* Operatur tamen excommunicatio in catechumeno effectus, quos operatur in cœteris infidelibus, de quibus *in cap. eos, de Judæis*, Archid. *in can. eos, qui de consecr. d. 4.* Nec possunt contrahere matrimonium cum fideli per textum *in d. can. cave 28. q. 1.* Gloss. *in can. 1. num. pabulo 30. q. 1.* D. Thom. *in 4. d. 39. q. un. ar. 1. ad 2.* & Sanch. *de matr. disp. 71. num. 2. lib. 7.* Quibus adde Comit. *resp. moral. lib. q. 17. in fine.* Nec possunt apostasiæ pœna damnari, si ad priorem sectam revertantur, ut per Simancham *de cath. instit. tit. 31. num. 6.* Farinac. *de hæres. q. 117. num. 31.* Quicquid in contrarium scripserint Alph. de Castro *de just. hæret. punit. lib. 1. cap. 8.* Alter. *de censur. to. 1. lib. 5. cap. 2.* & Ugolin. *de censur. Pontifici reservat. p. 2. §. 1. ante num. 4.*

Cùm enim catechumenus sit intra tempus ad fidei probationem præstitutum *L. nulli*, ubi Bartol. *num. 2. C. ne Sacr. baptism.* sequitur, quod, licet constanti animo statuisset baptismum suscipere, si tamen intra illud tempus, mutata voluntate, fuerit ad priorem infidelitatem reversus, non poterit tanquam Apostata puniri. Tum quia nequit dici apostata qui nunquam fuit Ecclesiam ingressus, *arg. l. manumissiones ff. de just. & jur. l. decem ff. de verb. oblig.* cum traditis à Vital. *in clem. 2. n. 82. & seq. de pœn.* Et tum quia id jure permittente facit, ad exemplum ejus, qui intra probationis tempus à Religione recessit, quem constat, apostatam non esse *1. cap. pen. de regular.* Anan. *in cap. consuluisti eod. tit.* Fit verò catechumenus reus gravissimi criminis apud Deum propter contemptum Sacramenti, & ob injuriam Spiritui sancto irrogatam *can. non dubito d. 4.*

Item deducitur, quod catechumenus cognoscens carnaliter Christianam, punitur eadem pœna, qua punitur infidelis, Menoch. *de arb. cas. 290. num. 17. & 18.* Quod in votis catechumenorum, non possint dispensare Prælati, quia non subduntur Ecclesiasticæ potestati, & dispensatio est quædam absolutio procedens à spirituali potestate Prælati, ut recte probat Sanchez *in decal. lib. 4. cap. 34. num. 36.* contra Henriq. *lib. 7. de Indulg. cap. 20. num. 8.* Quod non possumus eos tradere Ecclesiasticæ sepulturæ, vel cum Psalmis ad sepulturam eorum cadavera ducere, Concil. Brachar. *1. cap. 34. & seq.* Durant. *de rit. Eccles. lib. 1. cap. 23. num. 14.* ubi plura de catechumenis.

Et de Excommunicatis. Qui à Sacramentorum communione, fideliumque societate per excommunicationis sententiam depulsi sunt ab Ecclesia, non solum juxta externam conversationem, sed etiam interiorem membrorum connexionem resecti sunt ita, ut à Christo pro ovibus non agnoscantur nec singulari tutela contra diabolum foris grassantem protegantur. Nam quæcunque ministri Christi *ligant in terris, ligata sunt & in cœlis.* Nec Christus eum agnoscit ovem, qui de Ecclesiæ grege pulsus est. *Si enim Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus, Matth. 18.* & Apostolus 1. Corinth. 5. *Tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.* Tertullianus *in apolog. cap. 37.* docet, per excommunicationem privari hominem omni commercio spirituali. Quemadmodum in veteri lege Deuter. 24. jubebatur tolli de medio malus, ita in nova lege per excommunicationem jubetur auferri noxius, ut notat Augustinus *q. 39. in Deuter.* & *lib. de vera Relig. cap. 6.* & *Enchir. cap. 35.* ac docet textus *in cap. per tuas de sent. excom. in can. omnis christianus, in can. canonica, in can. cum aliquis, in can. quicunque, & in can. videas 11. q. 3. in can. de communione, in can. certum, in can. sacerdotes & in can. Apostolicæ 24. q. 2.* estque communis Patrum, quos recenset Bellarminus *de Ecclesia mil. d. lib. 3. cap. 7.*

Injustè verò lata excommunicatio, si legitimus juris ordo servatus sit, ab exteriore fidelium communione separat, non autem ab invisibili Christi, & Ecclesiæ societate, Augustinus *lib. de ver. Relig. cap. 6.* & Origen. *in Levit. hom. 14.* Unde pariter injustè excommunicati extra Ecclesiam militantem constituuntur per textum *in cap. à nobis §. nos igitur*, & *in cap. tuas ibique Abb. num. 3. de sent. excom.* Innoc. *in cap. ex parte ad fin. de Offic. Jud. ord.* Calder. *in cap. ab excommunicato num. 6. de rescript.* Feder. *de Sen. cons. 74. num. 2.* Anchar. *cons. 60. in fin.* Rom. *cons. 369. num. 12.* & Steph. Costa *in cap. l. num. 12. de sent. excom.*

Nam excommunicatio, quod attinet ad Ecclesiam militantem, non sumit vires à justitia causæ, sed à clavium potestate, Abb. *in. d. cap. ab excommunicato. num. 10.* Gemin. *in cap. Romana ante num. 3. de sent. excom. in 6.* ibique Franch. *num. 4. &* Innoc. *in d.*

cap. ex parte de offic. Jud. ord.

Atque ex hac ratione prætendens se esse injustè excommunicatum, non auditur, nisi prius petat absolutionem, *cap. per tuas* §. *verum* ibique *Abb. num.* 3. *de sent. excom.* ac Felin. *num.* 7. traditque Vivius *dec.* 39. *num.* 8. Unde contemnens excommunicationem injustam ligatur quoad Deum, quia contemptus refertur ad potestatem clavium *d. cap. ex parte* §. *verum,* & *can. qui justus*, §. *huic* 11. *q.* 3. *can. notandum* 24. *q.* 3. Theologi *in* 4. *sent. d.* 18. *ar.* 1. *ad.* 4. Contemnere autem quis dicatur? consulendus est Abbas *in cap. per tuas num.* 4. ubi & Socin. *num.* 11. *de sent. excom.* & Covar. *in cap. alma mater* §. 1. & 7. *num.* 6. *p.* 1. *eod. tit. in* 6. ubi late

Idque etiamsi injustitia insurgat ex falsitate causæ. Nam & hæc etiam constituit extra Ecclesiam, Glos. *in d. cap. ex parte*, 11. *redire*, ibique Innoc. *sub initio,* & Abb. *numer.* 6. Cordub. *in quæst. lib.* 1. *q.* 43. Estque communis opinio, de qua Socin. *inter consilia Curtii sen. cons.* 20. *num.* 24. & Clar. *in* §. *fin. q.* 77. *num.* 33. Dummodo tamen judex intelligat causæ falsitatem, &, ea non obstante, proferat excommunicationem, secus autem si credebat veram causam, quæ erat falsa, & si scivisset illam non protulisset, quia excommunicatio sumit etiam vires ab intentione excommunicantis, Innoc. Abb. & Socin. *locis modò allegatis.*

Id tamen limitatur primo, ut procedat, quoad Ecclesiam militantem, secus autem quoad Deum, apud quem sententia excommunicationis non aliter afficit, quàm si rite ac rectè feratur, ut docent D. Hieronymus relatus *in can. siquis non recto* 24. *q.* 3. Origen. *in can. cum aliquis exierit ead. caus.* & *quæst.* D. Augustinus *in can.* & *si ad tempus* 11. *q.* 5. *cap.* 5. *de re judic. in* 6. Unde Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi pronunciat æterni judicii Tribunal illum reum non habere, quem judex injuste condemnat, Covar. *loc. cit.* ubi testatur de communi. Nam judicium Dei innititur veritati quæ non fallit, nec fallitur; judicium verò Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam & fallere contingit, & falli, *cap. à nobis* 28. §. *nos igitur de sent. excom.* Glos. *in cap.* 1. *n. condemnat de sent.* & *re jud. in* 6. & *in d. cap. Romana* §. *in universitatem* 11. *irretiri de sent. excom. eod. lib.*

Secundo limitatur, ut non procedat in excommunicatione nulla. Nam hæc non ligat, *cap. diversitatem de conces. preb.* ibique Glos. 11. *subtrahuntur.* Felin. *in cap. Apostolicæ num.* 12. *de except.* Covar. *ibid. n.* 5. Navar. *in cap. cum contingat in* 2. *remed. num.* 3. *de rescrip.* Rota *in Calaguritana fructuum* 24. *Januarii* 1586. *coram Bubalo*, & apud Seraphinum *dec.* 1098. *num.* 4. & *dec.* 1239. *num.* 3. Quod procedit non solum quoad Deum, sed etiam quoad Ecclesiam adeo, ut neque sit timenda, ceu docent Palud. *in* 4. *d.* 18. *q.* 1. *concl.* 2. D. Antonin. *in sum. p.* 1. *tit.* 24. *cap.* 73. Hinc excommunicatus nulliter non tenetur abstinere à divinis, neque ab hominum communione, Palud. & Antonin. *loc. alleg.* Navar. *ibid.* Covar. *in d. cap. alma mater num.* 6. Gutier. *can. quæst. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 36. & Cordub. *q.* 43. *sub initio*, & si sit pauper debentur illi alimenta, & sumptus litis, Seraph. *d. dec.* 1098. Quod intelligendum est, quatenus de nullitate constet notorie, alias, quoad Ecclesiam esset timenda, Covar. & Gutier *locis adductis*, ille *sub num.* 7. hic vero *num.* 37. & *seqq.* & ante eos Angel. *in sum.* 11. *excommunicatio* 3. *num.* 19. Sylvest. *eod. n.* 2. *num.* 1. Mexia, qui alios citat *ad leg. Reg. tit. de los terminos p.* 2. *num.* 31. Fatentur tamen Corduba, & Gutierez supra, quod si excommunicatus nulliter non posset aliter tueri suam innocentiam, in tali casu licite posset, cessante scandalo, excommunicationem non servare. Nullitas autem quot modis possit considerari in excommunicatione, vide Abb. *in d. cap. ab excommunicato num.* 6. & *seq. de rescript.* Jo. Andr. Franch. & alios *in d. cap. Romana* §. *universitatem de sent. excom. in* 6.

Quod verò ad schismaticos. Tertia pars definitionis Ecclesiæ requirit agnitionem unius supremi visibilis Capitis, seu Vicarii Christi in terris, qui est Romanus Pontifex, cui nolentes subiici, & obedire, schismatici sunt, quia Ecclesiasticæ unitatis vinculum abrumpunt, Cyprianus *lib. de unit. Eccles.* schismaticos de Ecclesia non esse, declarat, exemplo partis ab humano corpore dissectæ, quæ mox pars esse desinit. Similiter ramus ab arbore scissus, fluvius à fonte divisus, arescit, radius à sole separatus, deficit, ipso sole permanente.

Hanc Ecclesiæ unitatem adumbravit inconsutilis Christi vestis, quæ integra permansit. Hanc vestem scindunt, qui odio, invidia, vel impatientia Ecclesiam in partes dividunt. Quia vero ex Cypriano lib. 4. ep. 9. & lib. 1. ep. 6. *Ecclesia grex est, suo pastori adunatus; qui cum Episcopo non sunt, extra eam sunt, qui se ab ejus unitate diviserunt.* Irenæus *lib.* 4. *cap.* 62. *contra hæres.* Chrysostomus *hom.* 3. *in* 1. *ad Corinth.* & *homil.* 11. *ad Ephes.* comparat schismaticos manui abscissæ, quæ confestim esse membrum desinit. Hieronymus in cap. 3. ad Titum *propter Episcopalem dissensionem schisma nasci*, asserit. Et *in* 1. *cap.* Amos idem affirmat. Augustinus *lib. de fid.* & *symbolo cap.* 10. differentiam inter hæresim, & schisma tradit, quod illa fidem, hoc fraternam charitatem violet, de qua Petr. 2. *epist. cap.* 1. in pietate amorem fraternitatis, quo scilicet aliquis in Ecclesiæ societate vivere, ac mori exoptat, ejusque perturbationes, adversaque omnia dolet, de ipsius autem prosperitate gaudet, in eaque sola Sacramenta, reique omnes ad cultum Dei pertinentes dare, nec non accipere proponit, cujus fraternæ charitatis inimici foris sunt, vel aperte, vel animo, Augustinus *lib.* 1. *contra Donatist. cap.* 19. Unde Apostolus ad Hebr. 10. *Non deserentes collectionem nostram.* Et Judas in epist. can. *Hi sunt, qui segregant semetipsos.* Quibus adde Jacobal. *de Concil. lib.* 7. *art.* 1. *ad* 3. *dub.* Imol. *cons.* 164. *n.* 17. Decian. *tr. cr. lib* 1. *cap.* 67. *num.* 20. & Farinac. *de hæres. q.* 174. §. 2. *num.* 45. & aperte habetur *in can. pudenda* 24. *q.* 1. *in can. Novatianus* 7. *q.* 1. *in can. non vos* 23. *q.* 5. & *in can. quoniam* 23. *q.* 1. Et sane schismatici vel sunt hæretici, vel saltem excommunicati. Constat autem ex superius dictis, quod cum hæretici tum excommunicati extra Ecclesiam sunt constituti.

Quantum verò schismatis crimen sit ex novo schismaticis irrogato supplicio *Num.* 16. Cyprianus ostendit *lib.* 1. *ep.* 6. & *lib. de simplicit. Pastor.* Augustinus *lib.* 3. *contra Donat. cap.* 18. & *lib.* 1. *contra Parmenianum cap.* 4. & 7. dicit, schisma superare cuncta scelera, de quo nos suo loco.

De Prædestinatis autem. Quod Calvinus post Vuiclefum, & Hussium, in Ecclesia vera solos prædestinatos falsò collocet, ex eo patet, quod Christus *Matth.* 3. doceat, continere instar areæ triticum, & paleas, igne comburendas.

Quare fatendum est, in Ecclesia vera militante reprobos cum electis reperiri, cum in Ecclesiæ compagem regenerationis Sacramento transferantur juxta illud Apostoli 1. Corinth. 12. *omnes in unum corpus baptizati sumus.*

Sciendum tamen est, duobus modis aliquem vocari Filium, Ovem, & Christi Membrum. Uno modo secundum præsentem justitiam. Quo modo loquens Apostolus ad Roman. 8. dicit: *Qui spiritum Christi non habet, hic non est ejus*, & 2. ad Timoth. 2. *Novit Dominus, qui sunt ejus.* Alio modo secundum Dei prædestinationem, juxta quem modum *Lupi multi intus,* & *oves foris* esse dicuntur. Sic Augustinus *lib. de corrept.* & *grat cap.* 9. & *lib. de bon. persever. cap.* 8.

Quod vero ad imperfectos, Pelagiani, & Anabaptistæ, nullum veniale peccatum agnoscentes, solos perfectos

fectos Christianos in Ecclesia ponunt. Cœterum apertè Scriptura docet, Sanctos multis peccatis, durante hujus vitæ decursu obnoxios esse, neque propterea de Ecclesia non esse, 3. ad Roman. 8. *Non est homo, qui non peccet*, Psal. 31. *Tu remisisti impietatem peccati mei: pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno.* Proverb. 24. *septies in die cadit justus* Eccles. 7. *Non est, qui non peccet.* Matth. 6. omnes jubentur orare: *dimitte nobis debita nostra.* Jacobi 3. *in multis offendimus omnes*, 1. Joannis 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* Concilium Milevitanum *can.* 7. & 8. definit, justos non solum humiliter, sed etiam veraciter pro seipsis dicere: *dimitte nobis debita nostra.* Cyprianus serm. de eleemosyna: *Quisquis se inculpatum dixerit, superbus est.* Nazianzenus orat. 2. in Julianum: *omni prorsus peccato vacare, supra naturæ humanæ modum Deus constituit.* Hieronymus lib. 2. & 3. contra Pelagium ait, *justos ad breve tempus, sed non diu absque peccato esse posse.* Augustinus de spir. & lit. cap. ult. inquit, *hominem ex Dei privilegio absque omni peccato vivere posse; sed tamen reipsa neminem, excepto Christo, & B. Virgine, ita vivere.* Quod repetit *lib. de nat. & grat. cap.* 34. ubi expresse B. Virginem excipit. Idem tractat *epist.* 89. & 95. *totoque lib. de perfect. justit. & lib.* 1. *contra* 2. *epist. Pelagianorum cap.* 14. notat, Apostolum requirere, ut ordinandus nullum crimen habeat, non autem, ut nullum omnino peccatum.

Dicitur autem Ecclesia Cantic. 4. *tota pulchra*, & ad Ephes. 5. *sine ruga, & macula*, vel respiciendo ad statum futuræ vitæ, ubi reipsa talis erit, hîc verò tantum in spe, aut considerando statum ejus, quem baptismus efficit, in quo sponsa Christo desponsatur, & ab omni ruga peccati emundatur, aut per synecdochen, ratione partis id ei tribuitur; quoniam multi in ea sunt immaculati, & perfecti suo modo, scilicet perfectione vitæ. Quomodo Noë Genes. 5. vocatur *justus, & perfectus*, & Psal. 17. *ero immaculatus* & Psal. 118. *Beati immaculati*, ad Ephes. *Elegit nos ut essemus Sancti & immaculati*, ad Philip. 3. *Quicunque perfecti sumus*, Augustinus *lib.* 1. *retract. cap.* 7.

Et quod ad pravæ vitæ fideles contra Novatianos, Donatistas, & Confessionistas, certa fide tenendum est, in Ecclesia Christi militante non solum esse imperfectos fideles, qui levia peccata habeant, sed etiam manifestos peccatores, qui scelera gravia palam committant, quandiù excommunicationis mucrone non præscindantur, ut patet ex parabola Christi de area continente paleas *Matth.* 3. de sagena continente omne genus piscium, *Matth.* 13. de nuptiali convivio *Matth.* 22. de fatuis virginibus, & hœdis cum ovibus *Matth.* 25.

Idipsum Dominus similitudine vitis corroborat, in qua sunt aridi palmites, & infrugiferi *Joan.* 15. Et rebelles pervicaciæ merito ejiciendos extra Ecclesiam, agnoscit, *Matth.* 18. Quin & Præpositos, qui subditos concupiant, *Matth.* 23. & 24. Apud Corinthios Apostolus in Ecclesia fuisse scribit incestuosum 1. *Corinth.* 5. & *in epist. ad Roman. cap.* 1. gravissima scelera in infidelibus reprehendit. In Epistolis quoque ad Corinthios, & ad Galatas, nec non in aliis. Similiter Joannes *in Epist. & in Apocal. cap.* 1. & 3. Ecclesias de peccatis non exiguis coarguit.

In Ecclesia quoque Veteris Testamenti nunquam peccatores defuerunt, à quibus tamen Prophetæ, atque justi nunquam se quantum ad Templum, Altare, Sacrificia, & alia, quæ religionem concernebant, separaverunt, ut Augustinus urget *in Breviculo collat.* 3. ubi Donatistas hoc argumento ita fuisse confutatos refert, ut, quod responderent, non haberent. Ac in omnibus libris contra Donatistas editis ex professo docet in Ecclesia esse bonos, & malos, tanquam grana & paleas. Quod in arca Noe animalia munda, & immunda continente, adumbratum fuisse, Augustinus, & Hieronymus contra Luciferianos ostendunt.

Hinc Episcopi labores exaggerat Nazianzenus *orat. apolog.* 1. quia bonos, & malos regere debeat; similiter Chrysostomus *lib.* 3. *de sacerdotio*, & Gregorius *in Pastoral.*

Quod autem in vera Christi Ecclesia, etiam malæ vitæ fideles sint, facile intelliget, qui animadverterit, Christianos dici non à charitate, sed à fidei christianæ professione in certa hominum societate, quæ à Christo suæ institutionis, atque doctrinæ originem trahit, unaque fide, & eorumdem Sacramentorum communicatione, ac mutua dilectione, veluti nexu unitur. Cujus quidem societatis diversæ sunt partes, varium à capite influxum recipientes. Siquidem nonnullæ velut instrumenta viva per charitatem operantur. Aliæ verò, tanquam membra ægra, arida, vel emortua, per ordinis, & jurisdictionis potestatem, ad quam justitiæ vita non exigitur, adhuc aliquid efficiunt. Moventur enim à Spiritu Sancto, qui est mystici hujus corporis velut anima, ut efficaciter quædam operentur, ut ex professo Augustinus docet *tract.* 5. *in Joann. & lib.* 2. *contra Parmenianum cap.* 10. & 11. ostendens, effectus Sacramentorum non dependere à sanctitate ministrorum, & in una Ecclesia esse bonos & malos, sicut in una civitate sunt boni, & mali cives, in una familia boni & mali filii, liberi & servi, in uno corpore membra viva, & humores pectus aggravantes.

Consultatio XVI.

Quod Ecclesia Christi militans unica sit, non verò duæ. Et Quod vera Christi Ecclesia visibilis sit.

Cum Lutherus, Calvinus, aliique Sectarii ab unius veræ Christi Ecclesiæ testimonio Scripturarum Sacrarum traditionem, sensum, omniaque fidei dogmata pendere, inficiari non auderent, ejusque autoritate premi se vehementer sentirent, nec ullas commentis suis latebras superesse intelligerent, si ad Ecclesiæ judicium deveniretur, ut angustias illas effugerent, suæque perfidiæ aliquod velum reperirent, duas esse Christi Ecclesias confinxerunt. Unam *Invisibilem* ex solis justis, vel prædestinatis constantem, ad quam pertineant privilegia Ecclesiæ à Christo promissa, hanc solam esse veram Ecclesiam, quæ non possit deficere, neque in necessariis ad fidem aberrare contendunt. Alteram verò *Externam*, & oculis conspicuam ponunt, indifferenter ex bonis, & malis conflatam, quæ in fide, & moribus errare, immo perfidia depravari, persecutionumque procellis extirpari possit.

Istud verò figmentum ex eo palliare nituntur, quod Scripturæ, vetere sque Ecclesiastici scriptores de una, eademque Ecclesia diversimode loquantur, quia habeat distinctas partes, variis qualitatibus affectas, varias ætates, status, & tempora, propter quæ illi contraria tribui videantur, attamen habito respectu ad tempus vitæ, aut ad tempus Gloriæ, vel ad partem hanc, vel illam eidem conveniant. Ut Cantic. 1. *Nigra sum & formosa*, Isaiæ 52. & 60. *populus tuus omnes justi. Omnes, quæ sua sunt, quærunt. Macula non est in te.* Quibus locis toti Ecclesiæ attribuitur, quod proprium est perfectorum, aut imperfectorum; vel quod Ecclesiæ competit ratione status præsentis vitæ, aut futuræ gloriæ, ut admonet Augustinus *lib. post collationem contra Donat. cap.* 8. & *lib.* 1. *retract. cap.* 7. & *lib.* 3. *de doctr. Christ. cap.* 31. & 32. & Concilium Constantinopol. in symbolo *unicam* esse definit Ecclesiam Christi veram, cui ratione diversarum partium, aut variarum ætatum, & statuum hæc omnia tribuantur: Credo, ait, unam sanctam,

etiam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Una enim Christi est sponsa, una columba, una amica, una uxor, unum ovile, unum corpus, *Super hanc Petram*, ait Dominus Matth. 16. *ædificabo Ecclesiam meam.* & 1. Corinth. 11. *Christus caput est Ecclesiæ.* Ad Ephes. 5. *Ecclesia subjecta est Christo.* Rursus ibidem: *dilexit Ecclesiam: & Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo, & Ecclesia* & 1. ad Timoth. 3. *Ut scias, quomodo te oporteat conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi.* Apostoli quoque unicam in symbolo Ecclesiam credendam proposuerunt, quæ ex multis partibus conflata sit, cujus Christus Primarium Caput, Vicarium autem Episcopi sint, inter quos ministerialis potestatis apicem Romanus Pontifex obtinet.

Cùm verò unicum Christi mysticum corpus existat, nec plures sponsas, vel uxores Christus habeat, ut Apostolus *ad Ephes.* 5. ex Scripturis confirmat: *Erunt duo in carne una, & adhærebit uxori suæ*, consequitur, non duas, sed unicam esse Christi Ecclesiam. Hinc Augustinus *lib. 1. de doctr. Christ. cap.* 32. Ticonium jure arguit, quod Christi corpus bipartitum fecerit, cum Scriptura *unum corpus, & unum Spiritum* esse pronuntiet *Ephes.* 4. & 1. *Corinth.* 12. & *ad Colos.* 1. & 2.

Et dum calumniarentur Donatistæ, quod Catholici duas Ecclesias constituerent, unam in terris, quæ bonos, malosque complecteretur; alteram in cœlis, quæ solos bonos, responderunt Catholici, se non duas Ecclesias ponere, sed unius, ejusdemque Ecclesiæ partes, & tempora distinguere. Partes quidem, quia bonos, & malos habeat, sicut idem corpus habet partes sanas, & morbidas, vel aridas, suo tempore à corpore separandas. Tempora verò, quoniam alius status Ecclesiæ in hac vita sit, alius post resurrectionem, quemadmodum unus, idemque Christus ante passionem passibilis, post resurrectionem verò gloriosus & immortalis est, Augustinus *lib. 7. contra Donatistas cap. 51. & lib. de unit. Eccles. cap. ult. & lib. 3. de doctr. Christ. cap. 32. & alibi passim.* Ita Christus *Matth.* 5. unius Ecclesiæ partes, diversas obtinere qualitates ostendit, distinguens justitiam Discipulorum à justitia Pharisæorum. Et *cap* 6. discernens pios ab hypocritis *Matth.* 7. dicens, quosdam ædificare domum suam, id est justitiam suam supra petram, alios verò super arenam.

Neque insuper duas Ecclesias propter duo Testamenta, Vetus, & Novum constituere oportet. Quia idem Testator aliter providit filiis, aliter servis, qui ad eamdem familiam pertinent, aliter quoque liberis suis infantibus, aut parvulis, aliter adultis. Synagoga ergo Veteris Testamenti, non alia fuit Ecclesia, sed alius Christi Ecclesiæ status, alia fidelium ætas, quibus tamquam parvulis congruebant imperfectiora præcepta, carnaliaque promissa. Sicut ergo idem est infans, puer, vir, sanus, & ægrotus, ita propter diversos status, ætates, aut affectiones, non est multiplicanda Ecclesia.

Unde non est alia militans Ecclesia, alia Triumphans, alia novi Testamenti tempore, alia tempore Legis Naturæ, vel Legis Mosaicæ, sed unius, ejusdemque Christi Ecclesiæ variæ sunt ætates, conditiones, ac formæ, ante legem, sub lege, tempore gratiæ, atque post resurrectionem, ut *ad Galat.* Apostolus indicat, & *ad Hebr.* 12. ad futuræ vitæ statum respiciens, *Ecclesiam primitivorum in cœlis conscriptorum* vocat, Augustinus *collat. 3. cap. 4.*

Quod autem vera Christi Ecclesia visibilis sit, cum visibile dicatur, quod sub aspectum cadere, sensibusque corporeis percipi potest, & Ecclesia Christi vera in terris militans, societas sit hominum, Christi fidem, atque doctrinam profitentium, eisdemque externis, & visibilibus Sacramentis utentium sub regimine, ac obedientia unius summi Pastoris, Romani Pontificis viventium, consequitur, Christi Ecclesiam veram esse conspicuam, visibilem, immò digito demonstrabilem, non secus quàm Regnum Neapolitanum, Hispanum, Gallicanum oculis cerni potest. Nam sensu dijudicari potest, quæ Civitates, Provinciæ, Regna, & hominum quorumcumque societates in una, eademque doctrina, & usu eorumdem Sacramentorum consentiant, & cum Romano Pontifice, velut supremo dominici ovilis Pastore communicent.

Idque locum habuit à primo Ecclesiæ Christianæ ortu, similiter in progressu, ac usque in finem seculi hominum cœtus Vicario Christi adhærens sensu dijudicari poterit, non solum à fidelibus, sed etiam ab illius persecutoribus. Nam invisibilis Deus, homo visibilis factus est, sibique visibiles Apostolos, & Discipulos adjunxit, quos etiam visibilis baptismatis signaculo coagulari voluit, & super eosdem visibiliter Spiritus Sanctus in die Pentecostes descendit. Quibus deinde hominum uno die tria millia sunt adjecta, & rursum postea quinque millia per ejusdem fidei professionem, ac visibilis baptismi susceptionem, ut *Act.* 1. 2. 3. & 4. legitur. Ac postea recepit Samaria Verbum Dei, quod exinde seminatum est per totam Judæam, & Galileam, & Samariam, *Act.* 9. ac deinde per Syriam, Liddam, Joppen, Cæsaream, ubi Cornelius Centurio cum multis aliis, accepto visibiliter Spiritu Sancto, baptizatus ad visibilem Ecclesiæ compagem accessit, *Act.* 10. Et dispersi à tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano, perambulaverunt Phœniciam, & Cyprum, & Antiochiam, ubi multus numerus credentium conversus est ad Dominum, ad quos Ecclesia, quæ Hierosolymis erat, misit Barnabam, qui accito ex Tarso Paulo, Antiochiæ tantam apposuere turbam Domino, ut cognominarentur primum Antiochiæ Discipuli *Christiani*, Act. 11. *cap.* 13. 14. 15. 16. 17. & 18. *ac sequentibus* narratur Evangelii propagatio per Syriam, Asiam, Troadem, Macedoniam, Thraciam usque ad Philippenses, Thessalonicenses, Corinthios, Cyprum, Rhodum, Cretam, Melitam, Syracusas, Rhegium, Puteolos, ipsamque Romam, cujus Ecclesiæ fidem jam tunc in universo Orbe annunciatum fuisse Paulus attestatur *Roman.* 1.

Atque ex eo tempore illi universi, & soli de vera Christi Ecclesia habiti sunt, qui eidem fidelium societati adjuncti fuere, nec ab ea per hæreses, aut schismata recesserunt, aut peccatorum gravitate per excommunicationem ejecti sunt. Cujus societatis Vicarium, fundamentum, sive primum Rectorem, Christus Petrum constituit, dicendo, *Pasce oves meas* Joan. 21. uti promiserat Matth 16. *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Alios quoque ejusdem Ecclesiæ rectores, Apostolos, & Episcopos Petro adjunxit, Act. 20. *Attendite gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*, utique visibilem, quam alioqui regere non potuissent, si invisibilis extitisset. Neque enim corripi, vel ejici possunt invisibilia Ecclesiæ membra, neque audiri, vel adiri potest Ecclesia invisibilis, ut ad eam contumax deferatur.

Cùm ergo Christus Ecclesiam audiri corripientem, eique nos obedire, & ad ejus tribunal fidelium causas referri voluit, indubitanter visibilem esse manifestavit. Et Paulus *Act.* 15. deducitur ab Ecclesia, confirmat, & visitat Ecclesias, Apostolorum, Seniorumque mandata perfert ad Ecclesias, scribit Ecclesiæ, quæ est Corinth. 1. *Corinth.* 2. Ecclesiis Galatiæ, *ad Galat.* 1. utque ambigi nequeat de significato Ecclesiæ, ad Philippenses nomen veluti exponens *ad Philip.* 3. *Omnibus sanctis in Christo Jesu*, inquit, *qui sunt Philippis, cum Episcopis, & Diaconis*, insinuans, se nomine *Ecclesiæ* intelligere cœtum fidelium, in quo sit populus Episcopo, aliisque ministris adunatus. qualem visibilem Ecclesiam confitetur, se aliquando fuisse persequutum, de qua 1. ad Timoth. 3. *Ut scias, quomodo oporteat conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia*

sia Dei vivi, *columna*, *& firmamentum veritatis*. Cujus quidem domus visibilem rectorem sua ætate Damasum fuisse, confitetur in eum locum Ambrosius.

Denique in Scripturis nusquam Ecclesiæ nomen invisibili hominum societati tribuitur, Num. 20. *Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem?* 3. Reg. 8. *Rex benedixit omni Ecclesiæ Israel*. 1. Machab. 8. *Et statuit Judas, & fratres, & universa Ecclesia Israel*. Judit 7. *Act*. 7.

Unde assimilatur Ecclesia Soli, qui latere non solet, Psal. 18. *in Sole posuit tabernaculum suum*. Quia Ecclesia occultari nequit, Augustinus *tr*. 2. *in epist. Joan. & epist*. 166. Alibi comparatur Ecclesia *visibili civitati* Matth. 5. Psal. 47. Isaiæ 61. quæ visibili hominum ministerio ædificatur, *Ephes*. 4. Item *monti conspicuo*, Isaiæ 2. Micheæ 4. Daniel. 2. vel *Civitati supra montem positæ*, Matth. 5. Augustinus *lib. de unit. Eccles. cap*. 12. *& lib*. 13. *contra Faust. cap*. 13.

Præterea in Evangelio Ecclesia comparatur *Areæ, Reti, Ovili, Convivio, Regno*. Quæ omnia, ut sunt visibilia, ita quoque conspicuam esse Christi Ecclesiam ostendunt, Sacramentorum visibilium consortio, nexuque colligatam. In nullum siquidem religionis nomen, seu verum, seu falsum coagulari homines possunt, nisi visibilium signorum consortio vinciantur, ut docet Augustinus *lib*. 19. *contra Faust. cap*. 11. Adeoque visibilem Ecclesiam esse Christus docuit, ut *Matth*. 23. ejus rectores super cathedram Moysis sedere dixerit, eosque quamvis non facerent, quod docerent, audiri præceperit. Hinc leprosos ad Sacerdotes misit, quos ipse quoque Dominus honoravit, ejusque mater Maria, Simeon, Anna, & cœteri ejus temporis justi cum eis communicarunt, eodem templo, eisdemque sacrificiis usi sunt, nos instruentes, necessarium esse, Capiti, & præfectis Ecclesiæ adhærere, illis obedire, membris cœteris pacifice communicare, in Ecclesia perseverare, nec prætextu malitiæ aliquorum licere se ab Ecclesiæ corpore nefario schismate divellere, quia extra Ecclesiam nulla operanda sit salus, ut admonet Cyprianus *lib. de simplic. Prælat*. Hieronym. *epist. ad Damasum*, & Augustinus *lib*. 4. *de baptism. cap*. 1.

Unanimi quoque consensu Veteres aperte tradunt, Ecclesiam visibilem esse. Cyprianus *lib. de unit. Eccles.* Origenes *homil*. 30. *in Matth*. Augustinus *lib. de unit. Eccles & contra Parmen. lib*. 3. *cap*. 5.

Cœterum inquireret aliquis, cur in Symbolo profiteamur, nos Ecclesiam credere, non autem videre? Respondeo, unam Christi veram Ecclesiam videri, & credi, sicut Apostoli eundem Christum in terris videbunt, & in eum crediderunt. Hominem enim Christum Discipuli oculis cernebant, eique visibili societate communicabant; attamen hunc eundem Jesum B. Virginis Filium, Deum esse non videbant, sed credebant. Neque propterea duplicem Christum fecere; sed nonnulla ad externam hominis pertinentia oculis cernebant; alia verò ad Majestatem Divinitatis spectantia credebant. Idemque Christus permanens secundum externa oculis corporis inspiciebatur, secundum interiora verò, solis fidei oculis credebatur.

Ad eundem planè modum de Christi Ecclesia quippiam videmus, aliud verò credimus. Hominum enim cœtum, qui est Ecclesia, videmus; sed quod ille hominum cœtus vera sit Ecclesia, non videmus, sed credimus. Ad fidem enim pertinet, quod cœtus hominum Christi fidem profitentium sub regimine, atque obedientia Romani Pontificis, sit vera Christi Ecclesia, sub qua fidei propositione hanc evidentem subsumimus: Isti, qui Romanum Pontificem agnoscunt, cœtus hujusmodi sunt, quod oculis, & sensibus percipimus. Ex quibus duabus propositionibus, altera Fidei, altera evidenti, conclusionem partim inevidentem inferimus. Ergo isti homines, qui nunc fidem Christi profitentur, sub obedientia, & regimine Pontificis Romani sunt vera Christi Ecclesia, cui proinde visibiliter adhærere, utque communicare tenemur. Non enim *Deum habebit patrem, qui Ecclesiam non habuerit matrem*.

Quod ergo hic cœtus sit vera Christi Ecclesia; quod in eo solo vera pietas & sanctitas reperiatur; quod fide, spe, & charitate Christo adhæreat, quod hujus sui mystici corporis Christus caput, & Salvator sit, quodque omnium hujus corporis membrorum quædam sit interior connexio, dependentia, mutuorumque officiorum communicatio, non videtur, sed creditur. Quemadmodum baptismi Sacramentum, id est aquæ infusionem, & verborum prolationem oculis videmus, sed quod illa aquæ infusio, verborumque certorum prolatio Christi verum Sacramentum sit, oculis non cernimus, sed fide credimus. Non igitur absurdum censeri debet, quod circa rem unam diversa consideratione versetur fides, & aspectus. Nec propterea res una dicetur duplex, aut simpliciter visibilis & invisibilis (contradictoria enim in idem, secundum idem cadere nequeunt) sed res verè asseretur visibilis, etiamsi quadam sui consideratione sit invisibilis.

Consultatio XVII.

An Christi Ecclesia ab initio mundi semper visibilis fuit? Et an Ecclesia visibilis deficere possit? Ubi, quod Ecclesia persecutionibus non obscuretur.

AD primum. Quemadmodum à lapsu generis humani vera Religio, & fides unius Dei, uniusque Mediatoris Dei, & hominum Jesu Christi in carne venturi hominibus inspirata fuit, ita quoque fidei ejusdem professio certis visibilibus Sacramentis, & sacrificiis facta fuit. In nullum enim religionis nomen homines coalescere possunt, nisi aliquo visibilium signorum consortio colligentur. Unde historia Genesis tradit, proprios fratres Cain & Abel Deo sacrificium obtulisse, quos omnes postea justi sunt imitati, ut de Enos, Henoch, Noè, Job, Melchisedech, Abraham, Isaac, Jacob legimus, ut reliquos Dei cultores idem fecisse subintelligamus. Quibus sacrificiis in animalium sanguine, aut frugum incensione, vel aliarum rerum oblatione factis, adumbratur oblatio Christi, qua placandus erat Deus, auferendaque peccata mundi.

Sicut autem veram religionem & fidem, illiusque professionem ab initio fuisse constat, ita quoque scriptura, discretionem fuisse regni Christi, seu Ecclesiæ, à regno diaboli, sive impiorum societate, manifestat, sedulo digerens seriem generationum fratricidæ Cain, qui fuit pater civium, amatorumque mundi, & Seth, à quo propagata est societas filiorum Dei in qua veluti pietatis schola ex certa quadam disciplina Deus invocabatur, externisque ritibus colebatur, *Genes*. 4. 6.

Ac tandem licet nonnulla horum, & illorum permistio sequuta sit, nunquam tamen filiorum Dei societas plane defecit, sed à Seth usque ad Noè virum justum, ac perfectum conspicua remansit, ac postmodum in Sem, Japhet, Melchisedech, Abraham, aliisque juxta sacram Historiam emicuit. Abrahæ verò tempore Dei populus visibili circumcisione à cœteris gentibus distingui cœpit, à cujus tempore, licet in aliis gentibus nunquam aliqui fideles Dei cultores minus noti defuerint, attamen in Abrahæ posteritate, ex qua Christus nasciturus erat, spectabilior fuit Christi Ecclesia, seu populus Dei, qui reipsa religionem, quæ Christiana nunc vocabulo novo dicitur, tenuit. Nam Sacramentis præfigurativis

guratívis annunciabat futurum, quod nunc aliis Sacramentis profitemur esse adimpletum.

Sed notabilior adhuc eadem Societas facta est, quando ex Ægypto admirandis prodigiis eductus Israeliticus populus, in Rempublicam erectus est, accepta Mosaica Lege, Cathedra, Sacerdotio, Sacrificiis, Festis, Ritibus, Cæremoniisque plurimis. Verùm multò adhuc illustrior esse cœpit, quando accessere celeberrimi Prophetæ, potentissimi Reges, Augustissimumque Salomonis Templum, cujus fama Orbem pervasit, ut ex adventu Reginæ Sabæ colligi potest.

At post Christi adventum longè adhuc illustrior Ecclesia Christi, quam prius effecta est, quando per universum Orbem dilatata, omnes Monarchias amplitudine, gloria, & fama, nec non divitiis superavit. Imperatores potentissimos, Reges, Monarchas, Duces, ac Principes filios, defensoresque habuit, extensa nimirum ab Oriente usque ad fines Occidentis, à Meridie usque ad Septentrionem juxta illud Apostoli ad Rom. 1. *Fides vestra annuntiatur in universo mundo*; Et *in omnem terram exivit sonus eorum*, Rom. 10. ac pulchre *ad Rom.* 3. insigniter conspicuam Christi Ecclesiam factam docet per manifestationem justitiæ Christianæ in vita, & moribus hominum. Tunc enim virginitas, & cœlibatus vigere cœperunt, rerum caducarum abjectio, cœlestium amor. Tunc Eremitarum, Monachorumque surrexere greges, Monasteriorum religiosarum personarum tam fœminei, quàm masculini sexus infinitus pene numerus. Quibus accessit exterior forma gratiæ Novi Testamenti congruens, ut per omnes nationes, & gentes diffusa in unitate, per unum supremum visibile Caput, cui suprema regiminis Ecclesiastici potestas à Christo tributa est contineri facilius posset, cooperantibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Doctoribus, Abbatibus, Parochis, aliisque omnibus Ecclesiæ Ministris, & potissimum adjuvante amplissimo Cardinalium Senatu, constante sanctissimis, doctissimis, ac usu rerum exercitatissimis viris, ex omni Orbis Christiani natione delectis. Quorum omnium Ecclesiæ Ministrorum multitudo, & amplitudo tam conspicuam efficit Christi Ecclesiam, ut ab initio mundi nulla fuerit in terris spectabilior, illustrior, aut toti mundo notior Monarchia.

Postremo, quod omni tempore Ecclesia, sive populus Dei fuerit conspicuus, demonstrat impiorum persecutio. Nam ab Abele primo martyre, civitas diaboli semper populum Dei persecuta est. Quod patet in Cain, & posteris, qui posteros Seth, filios Dei impugnarunt usque ad tempora Noë, quibus diluvio extinctis, impius Cham justo Noë illusit, ac ex eo natus Nemroth justos filios Sem oppressit; postmodumque filii carnis semper filios Spiritus oppugnaverunt, ut patet in Ismaele persequente Isaac, in Esau comminante Jacob, in Ægyptiis nitentibus opprimere Israelitas, in Phylistæis, aliisque infidelibus populo Judaico semper infestis, ac Christo præsente, carnales Judæi, eum usque ad crucem insectati sunt, Apostolosque deinde ipsius partim occiderunt, partim aliò fugere compulerunt, & Ecclesiam Christi nascentem, crescentem, & adultam, Reges, Principes, Populi, & Privati expugnare omni arte tentarunt. Sed adversus universa hujus mundi mala persecutiones, hæreses, peccata & quæcumque Diaboli machinamenta, tanquam inexpugnabilis arx in rupe fundata, invicta permansit, juxta illud Christi Matth. 16. *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Visibilis ergo semper Christi Ecclesia fuit. Quod enim invisibile est, nemo persequitur.

Ad secundum. Cum privilegia veræ Ecclesiæ à Christo concessa, visibili Ecclesiæ militanti, non autem alicui invisibili, qualis nulla est, conveniant, manifeste convincitur, dici non posse, quod visibilis Christi Ecclesia deficere possit, non autem invisibilis. Quod autem Scriptura visibili Ecclesiæ promissa facta doceat, evidenter ostendit illud Christi Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram*, id est te Petrum, *ædificabo Ecclesiam meam*, id est, Rempublicam Christianam. *Et tibi dabo claves regni Cœlorum*, id est, super te ædificabo Ecclesiam, constituendo te fundamentum, caput, supremum gubernatorem omnium Christianorum plenitudine potestatis spiritualis ad Ecclesiæ regimen necessariæ tibi concessa; hoc enim claves insinuant. *Et quodcumque solveris*, &c. id est, quæ in terris ex hac potestate gesseris, leges ferendo, dispensando, censuris innodando aut quacumque alia ratione impedimenta salutis amovendo, *soluta*, vel *ligata erunt in Cœlo*, id est, tua facta, tanquam mei Vicarii, rata habebo. *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, id est, quæcumque potestates infernales, ut sunt Diabolus, Peccata, Schismata, Hæreses, seculi potestates Christianos persequentes, Hypocritæ, malæ vitæ fideles, doli, fraudes, vis, perfidia, pœnæ illatæ, mors, fames, angustia, gladius, & quidquid nos à Christo separare nititur, nihil omnino horum Ecclesiæ prævalebit sic, ut illam scilicet aboleat, vel à veritate abducat. Quod rerum eventus confirmat.

Nam Christi Ecclesiæ, neque Paganorum perfidia, neque persecutorum potentia, neque infidelium hæreticorum fraudulentia huc usque prævalere potuit, neque unquam prævalebit. Impossibile namque est, mentiri fortissimum, omnipotentemque Deum, qui dixit: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Et *Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Quem locum de perpetua Ecclesiæ duratione interpretatus Augustinus *ep.* 80. & Leo *ep.* 31. & Apostolus *ad Ephes.* 4. docet Pastorum, & Doctorum ministeria in finem usque seculi perduratura, *in ædificationem corporis Christi, donec omnes occurramus in virum perfectum*, id est, usque ad consummationem seculi. Hæc autem officia in sola visibili Ecclesia reperiuntur, Augustinus *lib.* 22. *de civit. cap.* 15. 17. *ac* 18. Idipsum quoque Vates Regius expressit *Psal.* 47. *Deus fundavit eam in æternum*, ut in commentario Augustinus exponit. Isaiæ 61. *Omnes qui viderint illos, cognoscent, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* Et Malachiæ 1. *Magnum est nomen in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* An invisibile est, quod à Solis Ortu usque ad Occasum in mensa Domini vero Deo sacrificatur? An ignota hominum societas, vel invisibiles sunt Ministri, qui in omnibus gentibus offerunt? Sane non per invisibilem, sed in Ecclesia visibili & per visibiles Sacerdotes, Romano Pontifici adhærentes à Solis Ortu usque ad Occasum in omnibus gentibus Missæ Sacrificium Deo vivo & vero exhibetur, & offertur.

De quo visibili cœtu hominum Apostolus ad Rom. 1. ait: *Fides vestra annuntiatur in universo mundo.* Quò & pertinet, quod Ecclesia vocetur *Regnum*, & quidem instar montis conspicuum, Daniel. 2. nunquam interiturum. Luc. 1. *Regni ejus non erit finis. Psal.* 88. *Thronus ejus sicut Sol.* In quo regno semper usque ad consummationem seculi, mali & boni permiscendi sunt, quemadmodum in area triticum, & palea *Matth. tertio & decimo tertio.* Item *Psal.* 88. Si Ecclesia regnum sit, necessariò visibili hominum congregatione constat, qui se invicem noverint, certisque legibus dirigantur, ex quibus aliqui præsint, aliis pareant, aliqui doceant, alii discant. Isaias cap. 49. *Ecce, dedi*

dedi te in lucem gentium. Reges videbunt , & consurgent. Erunt Reges nutritii tui , & Reginæ nutrices tuæ &c. & cap. 59. *Spiritus meus , qui est in te , & verba mea , quæ posui in ore tuo , non recedent de ore tuo , & de ore seminis tui , dicit Dominus , à modo , & usque in sempiternum.* Unde liquet , Ecclesiam visibilem non defecturam, quam Daniel *cap.* 1. comparat *Monti , omnem terram replenti* , Isaïas vero 2. atque Micheas 4. *monti conspicuo , illustri , manifesto* , quam Christus *Matth.* 18. omni tempore audiri jussit. Non enim una ætate solum habuit locum. *Qui Ecclesiam non audierit , sit tibi tanquam Ethnicus , & Publicanus* , sed quandiu erunt corripiendi in Ecclesia , omni videlicet ætate. Ac Luc 10. addidit Dominus : *Qui vos audit , me audit* , & Matth. 23. *quæcunque dixerint , facite.* Si Ecclesia visibilis errare posset, sane Christus eam audiri non præcepisset, multò minus omnia , quæ diceret , fieri statuisset.

Donatistæ olim , sicut & nunc Sectarii , visibilem Ecclesiam perisse, ac in paucis tantùm in Africa justis remansisse contendebant , contra quos Augustinus *lib. de unit. Eccles. cap.* 19. differens ; *neque* , ait , *tot testimoniis commendaretur , quod erat citò periturum , & sic taceretur , aut quod solum esset relinquendum , aut ex quo solo totum esset reparandum.* Et ex professo illud commentum *lib. de unit. Eccles. & in Psal.* 101. *conc.* 2. *& in Psal.* 147. *& epist.* 48. *& pluribus aliis locis* confutat. Hieronymus contra Luciferianos de sua paucitate gloriantes , ac in sola Sardinia Ecclesiam remansisse fabulantes , eos Christi crucem evacuare scribit. Tertullianus *lib. de præscript.* Fieri non posse ait, quod omnes Ecclesiæ aberrent , nullamque Spiritus sanctus respiciat. Nestorii superbiam Vincentius Lyrinensis in suo Commonitorio notat , dicentis , Ecclesiam in mysterio Incarnationis cœcos doctores fuisse sequutam.

Præterea impossibile est , veram Christi in terris Ecclesiam omninò visibili forma carere. Nam homines , qui Ecclesiam veram hìc constituunt , vel palam fidem suam confitentur , & idololatriam fugiunt, aut non. Si profitentur,jam conspiciuntur ab ipsis tyrannis , qui eos persequuntur. Si non profitentur fidem, sed ea corde retenta Idololatriam & hæreses profitentur jam non sunt Christi vera Ecclesia , in qua *corde creditur ad justitiam , ore verò confessio fit ad salutem* , ad Rom. 10. Et, *qui me negaverit coram hominibus , negabo eum coram Patre meo* , Matth. 10. Quare , si professio fidei , verbique Dei prædicatio in terris desit , consequitur , nullam in terris esse veram Christi Ecclesiam , inferique portas adversus eam prævaluisse, atque Christi regnum dissipatum esse. Quod nunquam futurum *Danielis* 9. luculenter asseritur.

Porrò Christi regnum exigit , ut specie quadam visibili cœlestem præ se politiam ferat , ex qua Christum ibi regnare intelligi possit. Forma verò hæc visibilis Ecclesiæ , quando maxime floruit , & juxta Prophetarum vaticinia Reges , Populi , Gentesque ad illam confluxerunt , & diaboli , infidelitatisque dominium oppressum jacuit , prorsus eadem fuit, quam modò cernimus. Tempore siquidem Constantini Templa , in eisque altaria fuerunt , populi ad Sacrificium , quod ibi quotidie offerebatur , conveniebant , pro vivis & defunctis orabant. Clericorum ordines erant varii ; in Episcopos , Presbiteros, Diaconos, subdiaconos , inferiorisque gradus distributi. Apparebat Ecclesiæ disciplina per excommunicationes, degradationes , per satisfactiones , laboriosasque pœnitentias. Reconciliabantur pœnitentes, baptizabantur adhibitis exorcismis, aliisque cœremoniis. Infantes renati per Episcopos chrismate consignabantur. Florebat monastica vita , honorabatur virginitas Deo consecrata. Christi , Sanctorumque Imagines in Templis cernebantur. Jejunium quadragesimæ , atque quatuor temporum magna religione ab omnibus fidelibus observabatur , nec non primaria festa , quæ hodie celebrantur. Ac inter cœtera quoque plurimum eminebat ab ipsa Petri Sede continua Episcoporum successio , quorum sententiis hæreses damnabantur , ac eorundem autoritate universa Christi Ecclesia regebatur , cohærentibus sibi obedientiæ , concordiæque vinculo inferioribus sacerdotibus , populique Christiani gubernatoribus. Extabant Patriarchæ , Primates, Archiepiscopi , Episcopi , aliique inferiores Ecclesiæ ministri.

Hæc exterior Ecclesiæ politia sub omnibus Christianis ac fidelibus Imperatoribus, ac Regibus , aliisque Principibus catholicis , ubique terrarum conspicua fuit. Quod ex omnibus historiis , ac veterum scriptorum libris , qui priscis temporibus floruerunt , adeo perspicuum est , ut extremæ ignorantiæ , aut impudentiæ fuerit , ea de re ambigere aut contendere. Imo , licet hanc exteriorem Ecclesiæ formam nostræ ætatis hæretici tolerare nolint , illam tamen inviolatam magna ex parte veteres hæreses reliquerunt , at *homil.*19. *in opere imperfecto in Matth.* apud Chrysostomum legere quis poterit , ubi in vestimentis ovium hæreticos venire dicit, quia systhema Christianitatis præ se ferant , habendo sacerdotii ordinem , Altare, Sacrificium , Baptismum , Scripturas , &c.

Ecclesia verò super Petrum fundata , quæ à Tyrannis, hæreticis, aliisque hostibus acriter impugnatur , non tamen adversitatibus evertitur , aut minuitur , quin potius firmatur , & augetur , nec solum non obscuratur , sed etiam illustratur ; quoniam in suis fortissimis sapientiæ , confessionis , patientiæque luce resplendet. Unde Hieronymus in epist. contra errores Joannis Hierosolymitani , *persecutionibus* , ait , *Ecclesia crevit , martyriis coronata est.* Tertullianus in Apologet. *Plures efficimur , quoties metimur. Semen est sanguis martyrum. Grana multiplicata in agro Dominico resurgunt.* Prudentius hymno 4. *Martyrum semper numerus sub omni grandine crescit.* Hilarius lib. 7. de Trinit. *Ipsa est , quæ dum persecutionem patitur , floret ; dum opprimitur , crescit ; dum arguitur, intelligit. Tunc stat cùm superari videtur.* Augustinus lib. 5. de civit. cap. 18. Leo serm. 1. de Petro & Paulo: *Non minuitur persecutionibus Ecclesia , sed augetur , & grana , quæ singula cadunt , multiplicata resurgunt.* Cyprianus in serm. de lapsis , sui temporis Christianos laudat , qui persecutionis urgentis ferociam , stabili congressione fregerunt. Justinus contra Triphonem inquit , persecutionem id esse Christi Ecclesiæ , quod putatio in vite. In cujus rei typum Israëlitæ quo magis opprimebantur , eo magis augebantur , Exod. 10. Beda in Cantic. 5. Chrysostomus homil. 4. in cap. 6. Isaïæ, Bernardus serm. 76. in Cantic. *Nec verbositate Philosophorum , nec cavillationibus hæreticorum , nec gladiis persecutorum potuit Ecclesia , vel aliquando poterit , superari.*

CONSULTATIO XVIII.

De Notis Ecclesiæ , per quas videtur , quarum prima est quod sit Vna. Vbi de Paganorum , & Hæreticorum discordia.

QUemadmodum Christus , in terris conversans , per sui corporis lineamenta oculis corporeis videbatur , & ab aliis hominibus discernebatur; sed per opera , quæ foris edebat , se Deum esse, demonstrabat, quod non cernebatur oculis corporis , sed oculo mentis , fideique credebatur ; ita Christi corpus mysti-

cum Ecclesia, in terris militans, externam habet formam, per quam veluti conspicuis sensui nostro notis videtur, atque ab omnibus aliis conventiculis discernitur ita, ut certa fide credere debeamus, hunc ipsum cœtum, in quo notas à Scripturis, & Symbolo expressis oculis intuemur, esse veram Christi Ecclesiam. Quemadmodum enim Christo in terris, visibiliter conversante, non sufficiebat in genere aliquem Christum credere, sed oportebat certo judicio sibi persuadere, hunc Jesum, in quo signa videbantur, ex quibus meritò credendum erat, quod ipse Christus esset, verum esse Christum, à Deo promissum. Sed uti Christus tunc ab iis, qui amabant, & oderant, videbatur, sed non æque agnoscebatur, ita nunc Ecclesia Christi vera, tam ab impiis, quàm justis, oculis aspicitur, sed sub propria notione à solis amatoribus agnoscitur, qui certas ejus tesseras, veluti propria delineamenta cernunt, & dijudicant.

Non enim desunt, qui Ecclesiam videant, ut lupus ovem, qui insita rabie ad eam dilaniandam incitatur, sicut Judæi Christum intuebantur, clamantes, *Crucifige eum.* Alii verò & oculis contuentur, & corde agnoscunt, mentisque judicio amant, & piæ voluntatis studio sequuntur, ut prosequitur Augustinus *in psal.* 149. id illustrans exemplo eorum, qui *Matth.* 21. dixerunt, *Ecce, hic est hæres; venite, occidamus eum.*

Cœterum, licet variæ sint Ecclesiæ notæ, quibus ab omnibus aliis hominum cœtibus discerni possit, attamen eas ad quatuor in Symbolo Constantinopolitano assignatas revocabimus, videlicet quod sit *Una, Sancta, Catholica, & Apostolica.*

Porrò Unum multipliciter dicitur. Primum numero. Sic Ecclesia una est, quia non plures. Quæ tamen proprietas per seipsam non reddit Ecclesiam conspicuam; nam & singulis invisibilibus Angelis hæc unitas competit.

Secundo Unum dicitur aggregatione, sicut acervus granorum, grex animalium, unus panis ex multis granis, unum vinum ex multis acinis.

Tertio Unum dicitur aptâ rerum diversarum conjunctione, unione, seu dispositione. Sicut dicitur unum corpus, una vestis, una domus, unus mundus.

Quarto Unum dicitur concordiâ, & animorum consensu. Sic *omnium credentium unum cor fuisse*, dicitur *Act.* 4.

Quanquam verò his quatuor modis Ecclesia Christi una dicatur, attamen duobus postremis, tanquam notis Una dicitur, quia ordinatam plurium membrorum unionem cum suo capite, ac inter se invicem in ea reperire liceat. Ex qua unitate fluit altera in animorum consensu sita, ut omnes ad eundem finem aspirent juxta illud Apostoli ad Ephes. 4. *Vocati estis in una spe vocationis vestræ.* Similiter inde consensus emanat in eis rebus, quæ ad finem omnibus propositum destinantur, quæ partim in rebus, partim in factis consistunt, ut scilicet omnes idem dicant, credant, observent, & faciant quantum ad ea, quæ Dei cultum concernunt juxta Apostolum 1. Corinth. 1. *Ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata*, & cap. 10. *Unus panis, unus calix.* Sub quibus cœterorum Sacramentorum ritus intelliguntur. Et ad Ephes. 1. *Unus Deus, una fides, unum baptisma.* Hanc verò animorum concordiam efficit unus Spiritus Sanctus, qui totum corpus Ecclesiæ regit, animat, movet, agit, docet. Ephes. 4. *Unus Spiritus, unus Deus, unus Dominus, unum caput, ex quo totum corpus connexum est.*

Quia tamen Christus visibiliter hìc in terris remansurus non erat, quò facilius concordiæ jura firmarentur, hominum imbecillitati prospiciens, sui loco, & vice visibile caput in terris constituit, cui omnes familiæ, Christi domestici, obedire tenerentur, ut se facturum insinuaverat *Matth.* 24. *Marc.* 13. *& Luc.*12.

Et sanè id congruebat, ne rebelles Christiani se cum invisibili capite absente concordiam habere prætexerent, utque visibili capite constituto, in Ecclesia schismatis tolleretur occasio. Nam, *si unius potestate multitudinis coërceri nequeat audacia, tot nascentur schismata, quot erunt capita*, ut Hieronymus *contra Luciferianos, & Jovinianum observat.*

Una ergo dicitur Ecclesia propter unitatem fidei, doctrinæ, sacramentorum, rituum, Rectoris, atque Capitis visibilis. *A prima enim sui origine Ecclesia per series ministrorum, & populorum in ea, quam primum accepit, religione decurrit*, ut notat Ambrosius *in Luc. cap.* 11.

Quod autem animorum concordia signum sit Regni Dei, & discordia regni diaboli, attestatur Dominus Matth. 12. *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur* 1. Corinth. 14. *Non est dissensionis Deus, sed pacis. &* Joan. 13. *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si pacem habueritis ad invicem.* Augustinus *lib.* 18. *de civit. cap.* 52. ait, diabolum per hæreticos efficere conatum, ut in Ecclesia liberæ forent dissensiones, quomodo in Academiis Philosophorum, quæ mutuis dissensionibus consumptæ sunt. Sed à Deo, pacis autore aliter provisum est, Quoniam omnes sacri Scriptores, & veritatis assertores, licet diversis locis, temporibus, & linguis scripserint, tamen in omnibus fidei dogmatibus, tanquam uno Spiritu loquuti, per omnia consentiunt, Augustinus *eo lib.* 18. *cap.* 41. & Irenæus *lib.* 1. *contra hæres. cap.* 3. 5. *&* 8. Similiter omnia Conciliorum, Pontificumque decreta contra diversissimas, imò sæpe contrarias hæreses edita, planè consonant, ac in universum omnes per Orbem Catholici de omnibus fidei dogmatibus idem sentiunt, cum sensum suum unius summi Pastoris Ecclesiæ judicio subjiciant.

In Paganorum vero sectis nulla est unitas, nulla consensio, imo ab eisdem in eadem religione Dii constituuntur inter se dissentientes, ut *serm.* 11. *de verb. Dom.* Augustinus ostendit. Quanta verò inter Philosophos dissensio fuerit, declarat idem Augustinus *lib.* 18. *de civit. cap.* 41. Theodoretus *lib. de fide*, & Basilius *orat.* 1. *de opere sex dierum*, & nos *supra.*

Porro inter Hæreticos nullam esse concordiam, imo unam hæresim in plures mox dividi, omnium temporum Historiæ tradunt, de quibus etiam supra, quas cum luctu grassari videmus. Quæ licet sibi invicem adversentur, suaque dissensione se invicem consumant, attamen omnes istæ sectæ, veluti Samsonis vulpes caudis ab invicem colligatæ, catholicæ fidei unitatem, Ecclesiæque fruges, dissensionis incendio absumere nituntur.

Neque verò mirum sit, diversas hæreses inter se dissentire, cùm ipsi hæreseon autores secum pugnent, ac sæpe contradictoria scribant, ut in Luthero, & Calvino plerique notarunt.

Et quidem Augustana Confessio sæpius mutata, & variè edita est. Similiter & Calvini institutionum libri, ut quæ prima fuerit editio penè ignoretur. Quod eis accidit, quod infallibilem veritatis autorem ac testem non habeant, sed inconstans, mutabile, ac errori obnoxium hominis judicium. Ecclesia vero Spiritum sanctum, in omnem veritatem dirigentem, habet Magistrum, eique Christus æterna veritas autoritatem dedit, infallibile testimonium de veritate perhibendi.

Nec verò quis obiiciat, etiam Doctores Catholicos inter

ter se in multis dissentire. Sciendum etenim est, distinguendas esse quæstiones fidei ab eis, in quibus, salva Christiana fide, licet dissentire, quia nondum sunt ab Ecclesia definitæ. Sic *Act.* 15. innoxia facta est inter Barnabam, & Paulum dissensio; inter Cyprianum, & Stephanum de baptismo hæreticorum inter doctores scholasticos varietas est opinionum; sed quoniam universi Catholici se se matris Ecclesiæ judicio subiiciunt, idem se credere profitentur, & certam habent omnium controversiarum terminandarum, componendarumque regulam; ideo ex doctrina Ecclesiæ animorum conjunctio per se nascitur; ex hæresi verò, ubi quisque judex esse vult aliorum, per se consequitur animorum irreconciliabilis dissensio, indeque divisiones, & schismata, partium studia, & bella, sicut ipsa nos experientia docet.

CONSULTATIO XIX.

Quod unitas Ecclesiæ militantis potissimum in conjunctione cum Romano Pontifice consistat, quodque ex successione Romanorum Pontificum demonstretur.

CUm unio membrorum Ecclesiæ inter se invicem potissimum ex unius supremi Capitis Ecclesiæ autoritate dependeat, manifeste sequitur, ad Ecclesiæ unitatem in primis requiri, ut quis supremo Ecclesiæ capiti obedientia se se subiiciat, ei connectatur, cohæreat, communicet, suoque loco in corpore mystico, non secus ac quodvis membrum in corpore humano, consistat, alterius membri functionem non invadens, ne dolorem, perturbationemque pariat. Quod Apostolus *ad Ephes.* 4. similitudine corporis humani eleganter illustrat, dicens, Christum esse Caput, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate

Quæ autem sint membra istius mystici corporis quæ sibi invicem jungi debeant, dicens. *Unus Deus, & pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi qui ascendens in altum dedit dona hominibus. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores&, Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut jam non simus parvuli fluctuantes, & non circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumvocationem erroris. Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & connexum est per omnem juncturam subministrationis, augmentum sui corporis* &c.

Ubi Apostolus tradit, Christum ascendentem in cœlum visibiles in terris reliquisse suos Vicarios, & Ministros, per quos Ecclesia doceretur, & Sacramentorum cibo pasceretur, nec non in veritatis agnitione conservaretur, detectis errorum magistris, lupis, & latronibus, qui fideles falsa doctrina, vel morum pravitate corrumpere niterentur Ac hujus rei curam Dominum commisisse, ait, constitutis Pastoribus, & Doctoribus, qui non uno seculo tantùm perdurarent, sed usque ad consummationem seculi, quando electorum numerus, erit completus, corpusque Christi mysticum, id est Ecclesia, ædificari, hoc est augeri, multiplicarique desinet. Tunc non docebit unus proximum suum, quia cuncti electi limpida veritatis contemplatione perfruentur. Quandiù verò periculum est, ne circumferamur omni vento doctrinæ, opus est pastorum, doctorumque ministerio, ut in una fide constantes permaneamus.

Quos autem Christus, in cœlum ascensurus Pastores & doctores totius sui gregis in terra reliquerit, Matth. 28. testatur Apostolis dictum, *Ite, docete omnes gentes.* Et Joannes 21. refert, Dominum Petro dixisse: *Pasce oves meas.* Quibus verbis Christus Petrum totius sui gregis universalem Pastorem fecit, totique Ecclesiæ præfecit, & suum in terris Vicarium esse voluit, eique tam oves fœtas & parientes, significantes Episcopos, omnesque inferiores Ecclesiæ ministros, quàm agnos, id est, laicos fideles cujuscunque generis, ei subiecit, obedireque decrevit, ut, capite constituto, schismatis tolleretur occasio. Alioqui enim Pastores, & Episcopi diffiderent pluresque in Ecclesia magistri fierent Jacob. 3. Nam in multitudine nisi exsors quædam uni potestas competat, qua omnibus imperare possit, tot erunt schismata, quot capita, & nullus erit ordo; sed quemadmodum apud dæmones sempiternus horror, & perturbatio

Quod autem Primatum Petro datum noluerit Dominus, eo moriente, extingui, sed ad ejus successores transire, manifestum est ex illis *Matth.* 16. verbis: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, id est super te Cepham, sive Petrum, Rempublicam Christianam fundabo ita, ut tu sis Ecclesiam tuo, & successorum ministerio aucturus, confirmaturus, & usque ad sæculi finem gubernaturus, ac in unitate conservaturus. Hinc Cyprianus *in lib. de unit. Eccles.* inquit: *ut Dominus unitatem manifestaret, unitatis originem ab uno incipientem autoritate sua disposuit.* & Optatus *lib.* 2. *contra Parmenianum* ait, Petrum Apostolorum primum in Episcopali Cathedra Romæ resedisse, in quo vno Cathedræ unitas ab omnibus servaretur. Unde illam Ecclesiam Cyprianus lib. 1. ep. 3. *Principalem*, & lib. 4. dicit: *Unum Episcopatum multorum Episcoporum concordi numerositate diffusum.*

Ab hac Sacerdotis unitate originem à Christo per Petrum habente, docet idem Cyprianus, *Ecclesiam unam* dici lib. de unit. Eccles. Et Leo epist. 84. & serm. 3. de sua ordinat. *licet universa Ecclesia distinctis ordinata sit gradibus, ut ex diversis membris sacrati corporis integritas subsistat, nos tamen omnes, sicut ait Apostolus, nec quisquam ab alterius ita divisus est officio, ut non ad connexionem pertineat capitis cujuslibet humilitas portionis.* Augustinus lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 16. *Ecclesia corpus est Christi. Corpus ergo suum multis membris diversa officia gerentibus nodo unitatis*, & *charitatis adstringit.*

De hac eadem unitate disserit Prosper *in epist. ad Dematriadem*, & Gregorius *homil. 6. in Ezechiel.* Bernardus autem *lib. 3. ad Eugenium* scribere non dubitavit, ita hic sub uno summo Pontifice Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, Presbyteros, vel Abbates reliquosque in hunc modum ordinatos, quomodo Seraphin, & Cherubin, cœterique usque ad Archangelos, & Angelos sub uno capite Deo sunt ordinati. Unde Leo ep. 87. exsortem esse mysterii divini scribit eum, qui ausus sit à Petri soliditate recedere. Et Hieronymus in epist. ad Damasum: *Si qui Cathedra. Petri jungitur, meus est. Beatitudini tuæ, id est, Cathedra Petri consocior.* Et in epitaphio Marcellæ, Romam esse tutissimum contra hæreses refugii portum, docet. Irenæus *lib. 3. contra hæres. cap.* 3. ad Romanam Ecclesiam, propter

ter potentiorem principalitatem, omnem debere Ecclesiam convenire asserit.

Quod autem unitas Ecclesiæ militantis ex successione Romanorum Pontificum demonstretur, palam est. Nam quemadmodum unitas regni & familiæ ex successione Capitum sibi invicem succedentium ostendi solet, ita Ecclesiæ unitas ex successione Romanorum Pontificum sibi invicem continue in Petri cathedra succedentium evidenter comprobatur. Quia sicuti ad Christi ovile non pertinuerunt, qui se à Petro cunctarum ovium Christi Pastore diviserunt, ut Simon Magus & alii fidei hostes, ita & hodie ab Ecclesia convincuntur esse alieni, quicunque Petri, & successorum ejus cathedræ non communicant, sed vocem Lutheri, Calvini, aut cujuscunque alterius novi magistri, spreta Romanæ Ecclesiæ doctrina, excipiunt, audiunt, consectantur.

Unde certissima Veteribus fuit ad hæreticorum, vel schismaticorum conventicula dignoscenda, nota, & tessera, si cum Petro, aut Romano Pontifice, Petri successore aliquis communione jungeretur, aut ab eo divisus alteri societati se se adjungeret, forisque doceret, aut discipulos colligeret adeo, ut & Apostolus Paulus post annos quatuordecim à sua conversione secundum revelationem ascenderit Hierosolymam, ut cum Petro Evangelium, quod in Gentibus prædicabat, conferret, ne fortè Paulo Ecclesia non crederet, si eum à Petro dissentire putaret.

Quare & nunc veluti ad Lydium lapidem examinanda est omnis Doctrina, utrum cum Petri, & Romanæ Ecclesiæ traditione consentiat. Quod si dissentiat, adulterina doctrina est. Ita Veteres omnes Ecclesiastici scriptores unanimi consensu docent, Irenæus *lib. 3. cap. 3.* Cyprianus *lib. de unit. Eccles. & lib. 1. epist. 6.* Tertullianus *lib. de præscript.* Ambrosius *orat. de obitu Satyri*, Hieronymus *ad Damas. epist. 57.* Augustinus *contra epist. fundam. cap. 4. & epist. 165. atque alibi*, Optatus *lib. 2. contra Parmen. aliique.*

Consultatio XX.

De secunda nota Ecclesiæ militantis, quod sit Sancta. Et quomodo sanctitas, in anima latens, Ecclesiæ nota constitui possit?

Ad primum. In Symbolo non solum *unam* esse profitemur Ecclesiam, sed etiam quod *Sancta* sit. Sanctum autem pluribus modis dicitur.

Primo, quod Deo consecratum, sive dedicatum est, Levit. 27. *Animal siquis voverit Domino, sanctum erit.* Ezech. 37. *Inter Sanctum & profanum, non habuere distantiam.* Hac significatione Israëliticus populus vocatur *Sanctus* Deuter. 7. & 14. ac Exod. 19. Eadem significatione Apostolus Ecclesiam *Sanctam* appellat 2. Corinth. 1. & ad Colos. 1. ac alibi. Quia per baptismum Deo consecrata sit ad ei jugiter inserviendum: Et Petrus ep. 1. cap. 2. *Vos genus electum, Regale Sacerdotium, Gens Sancta.* Eadem significatione Templum *Sanctum* dicitur 1. Corinth. 3.

Secundo *Sanctum* idem est, quod purum, mundum, ut sanctitas immunditiei opponatur. Sic Apostolus ait 1. Corinth. 7. *Filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* & 2. Corinth. 7. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* Et Luc. 1. *Ut serviamus Domino in sanctitate* ac 1. Petr. 1. In omni conversatione *Sancti sitis.* Dionysius Areopagita de divin. nomin. cap. 12. *Sanctitas est*, ait, *libera, perfectaque, ab omni scelere munditia.* Cyrillus lib. 10. in Joan. cap. 25. *Sanctum est, quod à mundi sordibus longe abest.* Juxta hunc modum Ecclesiam quoque *Sanctam* profitemur, quia Deo cohæreat, à mundo sit segregata, quæ sursum sunt sapiat & quærat, non quæ super terram. Qua ratione ab hæreticorum, schismaticorumque conventiculis longe abest, quæ non nisi carnalia sapiunt, & quærunt.

Tertio *Sancta* dicitur Ecclesia, quia omnis ejus professio sancta est, nihil falsi, aut injusti continens, quantum ad fidei, aut morum doctrinam. Sanctissimis enim legibus, & sacris cœremoniis, aliisque ad pietatem incitamentis veram rationem pertingendi ad sanctimoniam tradit. Qua nota distinguitur Ecclesia ab omni secta Paganorum, Philosophorum, Judæorum, Turcarum, Hæreticorum, atque Schismaticorum, quarum nulla est, quæ non contineat exploratos errores, rectæque rationi adversantes: quoad doctrinam, vel mores, ut Arnobius *lib. 4. & sequentibus contra Gentes*, & Augustinus *lib. 7. de civit.* ex professo demonstrant. De Philosophis idem exequitur Theodoretus *lib. 9. de affect. Græcor.* Ostendens, Lycurgi legibus permitti adulteria, Persarum legibus incestas nuptias cum matre, filia, sorore. Massagetarum legibus, ut senes à propinquis devorentur, ex turribus deiiciantur, aut canibus obiiciantur. Legibus Scytharum vivos cum mortuis sepeliri. Legibus Platonis communionem uxorum, pedicatum, extinctionem conceptuum, cœdes infantium permitti. Alcorano Mahumetis docetur, quod Judæi, Christiani, & Turcæ in suis legibus salventur, & quod futuræ vitæ beatitudo consistat in cibo, potu, uxorumque complexu.

Quam autem nefanda hæreses commendaverint, testatur Epiphanius *de Gnosticis hæres. 26.* quod scortationes probaverint. De Carpocratianis *hæres. 27.* quod omne genus scelerum admiserint. Augustinus *hæres. 26.* Montanistas refert, obtulisse sacrificium ex sanguine anniculi infantis. Manichæorum deliria recenset Augustinus *hæres. 46.* Donatistæ seipsos interimebant, aut occidere nolentes interficiebant, ut martyres fierent, teste Augustino *ep. 50.* Lutherani dicunt, infantes, dum baptizantur, audire verbum Dei, credere, Deum diligere. *Quod asserere, est injuriam humanis sensibus facere*, ait Augustinus *ep. 57.* Anabaptistæ nocturna conventicula, in quibus caninas nuptias exercent, celebrant, Calvinistæ docent, omnia necessitate absoluta evenire.

Ergo hæresis doctrinâ suâ polluit, legibus suis bonos mores evertit, sacrificium, quo Deus placatur, è medio tollit; hominibus ad omne genus vitiorum portas aperit, Deumque ipsum omnis sanctitatis fontem, malorum autorem statuit. At Ecclesia nullam turpitudinem, nullum errorem, nihil contra rationem docet, quamvis multa supra captum humanum, quin potius mores honestissimos exigit, pacem, & concordiam fovet, obedientiam erga superiores, corporis castigationem, jejunia, cœlibatum, virginitatem, continentiam, paupertatis voluntariam electionem commendat, ad virtutum quarumcunque officia, & Evangelicæ perfectionis consilia complectenda hortatur, ac colendi Dei ratione castissima utitur.

Proinde meritò sola Ecclesia *Sancta* prædicatur. Augustinus lib. 2. de civit. cap. 28. *Nihil in Ecclesiis Christianis turpe, & flagitiosum proponitur, ubi veri Dei, aut præcepta insinuantur, aut miranda narrantur, aut dona*

dona laudantur, aut beneficia postulantur. Et lib. 22. cap. 7. *persuadebatur veritas nova consuetudini, sed non contraria rationi.* Lactantius lib. 4. cap. 30. *Sciendum est, illam esse veram Ecclesiam, in qua est religio, confessio, & pœnitentia, quæ peccata & vulnera, quibus subjecta est imbecillitas carnis, salubriter curat.* Optatus lib. contra Parmenianum initio: *Sanctitas Ecclesiæ de Sacramentis colligitur. sancta est Ecclesia in votis, sancta in sacrificiis, sancta in ministeriis, sancta in cæremoniis, sancta in omnibus & singulis observationibus, quæ ad Dei cultum ab ea usurpantur.*

Quarto *Sancta* dicitur Ecclesia, quoniam in se continet veræ Sanctitatis fontem. De quo Zachariæ 13. *Erit fons patens domui David, in ablutionem peccatorum, & menstruatæ.* Qui fons sic in Ecclesia est, ut extra eam vera sanctitas comparari nequeat. Foris sanctitatis species, vestimenta ovium reperiuntur, non autem vera sanctitas. Quod significatur Ezechielis 47. ubi pisces in palustribus locis consistentes, dicuntur non sanari.

Quinto *Sancta* dicitur Ecclesia, tanquam corpus à suo capite, Augustinus *in Psal.* 85.

Sexto *Sancta* dicitur Ecclesia, ut corpus à spiritu suo, quia Spiritus sanctus Ecclesiam regit, vivificat, continet, sanctificat.

Septimo *Sanctum* dicitur, quod est firmum, & inviolabile. Qua significatione Leges, & Civitatum muri *Sancti* dicuntur, nec non homines in justitia confirmati. Sic Apostolus ait 1. Corinth. 3. *Siquis Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei Sanctum est.*

Sed hic occurrit dubitatio. Quomodo Ecclesia plurimos continens malos, potius *Sancta*, quàm *impura* dici queat? Respondendum est, Ecclesiam rectè *Sanctam* dici, quia in ea sola sit vera sanctitas, multique in ea sancti omni tempore comperiantur. *Melior autem est unus timens Deum, quàm mille impii*, Eccles. 17. Nec putandum est justos impiorum permistione inquinari. Quia nemo adultus operibus alterius polluitur, nisi consentiat: Sic enim immundum tangere censemur 2. *Corinth.* Apud hæreticos, & schismaticos autem nulli verè sancti, sed omnes impii sunt.

Ad secundum. Ut item hominis anima per se invisibilis, ex motu, actionibus, & operibus externis apparet, ita Ecclesiæ Sanctitas in externis virtutum officiis relucet juxta illud Christi Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* Et ad Philip. 2. *Lucetis sicut luminaria in mundo.* ac 1. Petri 2. *Ut ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum*, & cap. 4. *Admirantur, non concurrentibus vobis in eadem luxuriæ confusionem.* Quod ab Isaia prænunciatum est cap. 55. *sicut terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum germinat, ita Dominus Deus germinare faciet justitiam, & laudem coram universis gentibus.* Quod per gratiam novi Testamenti, ac prædicationem Evangelii Christi per totum Orbem impletum esse conspicimus. Tunc enim paupertas voluntaria, virginitatis decus, vidualis castitatis observatio, conjugalis continentiæ puritas, propriæ voluntatis abdicatio, jejuniorum assiduitas, vestium, honorum, epularum, pomparum, & caducarum rerum omnium contemptus, vigere passim ubique cœperunt. Tunc modestia, vitæ sinceritas, mutua charitas, mundissimus Dei cultus, abjecto carnali Judæorum, ac impuro Gentilium ritu in omnibus gentibus effulserunt, ut ex cap. 4. Act. epistolisque Apostolicis, nec non Ecclesiæ primitivæ historiis abunde liquet.

Quinimo siquis animo revolvat Ecclesiæ Catholicæ magistros, primum Patriarchas, & Prophetas, deinde Apostolos, aliosque, Christi Discipulos, qui per universum Orbem Evangelicam doctrinam seminarunt, ac Doctores, qui contra singulas hæreses pro veritatis elucidatione dimicarunt, nec non institutores singulorum religiosorum Ordinum, eos omnes, tam pios, sanctos, à Deo illuminatos, castos, sobrios, humiles, rerum futurarum amatores, præsentiumque contemptores fuisse deprehendet, ut nihil vel ab hostibus fidei, nisi nimia sanctitas reprehendi possit. Sicut de sui temporis monachis attestatur Augustinus *lib. de morib. Eccles. cap.* 31. & 34. ubi contra Manicheos disserit, qui solum in vitia quorundam Catholicorum intenti, oculos à consideratione virtutum in plurimis coruscantium avertentes, persuadere nitebantur, Catholicos omnes improbos esse. Quem verò perpetuum esse hæreticorum morem, idem Augustinus *epist.* 137. tradit. Ideoque hæreticis obiici crimina minus convenire dicit, quibus securè obiici possit, quod non sint Catholici, quia mala vita hæresim, aut schisma non contineat, cùm in Ecclesia non desint, quorum vituperanda sit vita.

Ex quo tamen consequens non est, sanctitatem non discernere Christi Ecclesiam ab impuris hæreticorum, schismaticorumque conventiculis, quia bona vita nonnisi intra Ecclesiam agitur, mala verò intus, & foris. Unde in Ecclesia semper multi sunt sancti, quamvis permisceantur aliqui mali. Sed ex hæreticis nullus omnino est sanctus, aut absolute bonus. Quod ex discursu vitæ Catholicorum animadverti potest.

Quales enim primi Ecclesiæ magistri fuerint, historia sacra exponit. Qualibus vero post Apostolos plantatoribus, rigatoribus ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus Sancta Christi Ecclesia creverit, Ecclesiasticæ historiæ docent. De qua re loquens Augustinus lib 2. in Julianum. *Isti sunt*, ait, *Episcopi, & Pastores docti, graves, sancti, veritatis acerrimi defensores*, Cyprianus *lib.* 4. *epist.* 2. Episcopos fuisse ordinatos dicit, ætate provectos, fide integros, in pressura probatos, in persecutione proscriptos. E contra verò Gentilium doctores fuerunt aut Poëtæ leves, aut Philosophi superbissimi, ut Theodoretus *lib. de legib.* ostendit.

Hæresiarchæ verò ad unum omnes ex ambitione, fastu, avaritia, odio, vel invidia exorti sunt adeo, ut Augustinus *lib. de Pastorib. cap.* 8. intrepide asserat, quod una Mater Superbia omnes hæreses genuerit. Id, quod de Simone Mago, Ario, Nestorio, Pelagio, Luthero, Calvino, & aliis, historiæ illorum vitam describentes, attestantur. Vide Bellarminum *lib.* 4. *de Eccles. cap.* 13.

Elucet insuper Ecclesiæ Sanctitas ex veris miraculis, à plerisque Sanctorum in suæ fidei, ac doctrinæ confirmationem, Deo assistente patratis, qualia nunquam ab Ethnicis, Turcis, Judæis, vel hæreticis facta esse, constat, sed per solos veræ Dei Ecclesiæ ministros. Quibus admirandis operibus se in Ecclesia Catholica retentum fuisse, confitetur Augustinus *lib. contra epist. fundam. cap.* 4. & 5. *ac lib. de util. cap.* 14. & 17. totumque mundum ad fidem fuisse miraculis perductum ait idem Augustinus *lib.* 22. *de civit. cap.* 8. Quando itaque Augustinus *lib. de unit. Eccles. cap.* 16. & *in Ioannem tr.* 13. inquit, *non esse credendum miracula facientibus*, nihil aliud, intendit quam docere, non esse certum id, quod mirum apparet, statim verum esse miraculum, cui oporteat intrepide acquiescere.

Sæpe enim hæreticorum miranda sunt mendacia, speciem divinæ virtutis habentia, non veritatem, ut antea quoque annotavimus. Lege Bellarminum *lib.* 4. *de Eccles. cap.* 14. & Joannem Lensæum *lib. item* 4. *de Eccles. cap.* 12. Sunt enim miracula extraordinariæ missionis veluti sigilla secundum illud Joan. 5. *ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Similia habentur Joan. 10. & 14. ac Marci ultimo: *Prædicaverunt ubique Domi-*

no cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis. Ad Heb. 2. *Constante Deo signis & virtutibus* Matth. 11. *Renuntiate Joanni, quæ audivistis, & vidistis*, significans, nihil efficacius ad fidem comprobandam esse miraculis. Inde Christus *Joan.* 2. miraculum edendo, gloriam suam manifestasse dicitur, id est divinitatis testimonium protulisse.

CONSULTATIO XXI.

De tertia nota Ecclesiæ.

TErtia Ecclesiæ proprietas est, quod sit *Catholica*, id est Universalis per totum Orbem dispersa. Unius profecto fidei splendor à Solis ortu usque ad occasum per omnia loca, per cunctas hominum nationes, per omnia denique tempora diffusus est juxta illud Act. 1. *Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Judæa, & Samaria usque ad ultimum terræ.* Unde colligit Augustinus, Ecclesiam vocari Catholicam à toto Orbe *lib. de unit. Eccles. cap.* 2. 3. *& 6. ac epist.* 48. 50. 161. *&* 170. & *lib.* 4. *contra Crescon. cap.* 60. comparat Ecclesiam arbori, cujus rami per Orbem sunt extensi.

Hac itaque nota distinguitur Ecclesia ab omni hæresi, quæ certo loco ebullit, & emoritur. Optatus *lib.* 2. *contra Parmen.* vocat Ecclesiam *Nationalem*, quia per omnes nationes porrecta sit. Pacianus in epist. 11. *Catholicam* dici tradit, quia per omnes gentes, & loca diffusa sit juxta illud Apostoli ad Rom. 1. *fides vestra annuntiatur in universo mundo.* Et ad Colos. 1. *Evangelium in universo mundo est, & fructificat.* Quod Genes. 22. prænunciatum fuit: *In semine tuo benedicentur omnes Tribus Terræ.* Et Psal. 2. *Postula à me gentes*, & Psal. 35. *Confitebor tibi in Ecclesia magna.* & Isaiæ 52. *Redemptor tuus, Deus omnis terræ vocabitur.* Et passim Scripturæ omnes Evangelicam doctrinam in universo terrarum Orbe prædicandam clamant, Ecclesiamque Christi non fore hîc, aut ibi tantum, sed ubique, semper, & apud omnes nationes. Id enim *Catholicum* vocatur, quod ab omnibus, quod ubique, ac semper creditum est, Lyrynensis *contra hæreses.* Quod nomen inter cunctas hæreses sola sic Ecclesia retinuit, ut Pagano interroganti, ubinam ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum suam Basilicam ostendere audeat, Augustino teste *lib. contra epist. fundam. cap.* 4. Immo *in Psal.* 21. Augustinus eos, qui agnoscere nolunt Ecclesiam, per omnes gentes diffusam, ait, cum Scripturis debere litigare. Et in *Psal.* 101. *conc.* 2. *contra Donatistas, fabulantes Ecclesiam in sola Africa remansisse*, atque Hieronymus *contra Luciferianos, asserentes Ecclesiam in Sardinia latere*, docent ex totius Orbis communione *Catholicam* agnosci. Idem Optatus *lib.* 2. *contra Parmen. confirmat*, & Cyrillus *catech.* 18. Pacianus *in epist. ad Sympron. Catholicum nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum sonat, nec hæreticos sumit autores.* Et infra: *Christianus mihi nomen est, Catholicus verò cognomen. Illud me nuncupat, istud ostendit. Hæresis autem à primo sui dogmatis autore nomen sortitur, nomenque Christianum iis relinquit, à quibus discedit.* Sic 1. Corinth. 3. schismatici dicebant: *Ego sum Apollo, ego Pauli, ego Cephæ. Sunt enim distincti cognominibus*, ait Justinus contra Triphonem, *denominati ab hominibus, ut quisque fuit autor novæ alicujus doctrinæ.* Irenæus lib. 1. cap. 20. *Habent nomina à principe impiissima sectæ.* Lactantius lib 4. cap. 30. *Christiani esse desierunt, qui Christi nomine amisso, humana, & externa vocabula induerunt.* Athanasius ser. 2. contra Arianum: *A Christo Christiani sumus, & nuncupamur, qui aliunde fidei suæ originem deducunt, merito autorum suorum nomina præ se ferunt.* Chrysostomus hom. 33. in Act. *Ab hæresiarchæ nomine illi appellantur. Nobis autem nullus vir nomen dedit, sed fides ipsa.* Hieronymus contra Luciferianos: *Sicubi audieris eos, qui dicuntur non à Domino Jesu Christo, sed ab alio aliquo nominari, scito, non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam.* Unde Hilarius *lib. ad Constantium* fideles contra vim Arianorum exclamasse commemorat: *Catholicus sum, nolo esse hæreticus. Christianus sum, non Arianus.* Epiphanius *hæres.* 68. successores veterum Christianorum suis Ecclesiis inscripsisse, ait: *Ecclesia Catholica.* Meletianos verò suis: *Ecclesia martyrum.* Quare veteres hæreticis, tamquam fractis ab arbore ramis obiici voluerunt, quod non essent Catholici. Cyprianus lib. de unit. Eccles. Optatus lib. 2. contra Parmen. Augustinus lib. de unit. Eccles. cap. 4. & epist. 137. ac lib. de util. creden. cap. 14. & 17. Tertullianus de præscrip. cap. 37. *Quid estis? unde venistis? Quid in meo agitis, non mei?* Absurdissimum quidem censet Augustinus *lib. de unit. Eccles. cap.* 14. *&* 15. Quod Donatistarum hæresis post trecentos annos ex Carthagine per omnem terram propaganda esset. Quid vero nunc ille diceret, si post mille quingentos, vel sexcentos annos, novam ex Saxonia, Geneva, vel quovis alio mundi angulo protrudi religionem videret? Imo cudi, ac recudi novas indies fidei confessiones? Providit enim Deus, ut nulla una, & eadem secta ubique sit, neque diù perduret, sed instar aquæ decurrentis, in torrente citò siccetur, & emoriatur, ut notat Augustinus *in Psal.* 57. Cyprianus *lib.* 4. *epist.* 2. comparans igni levi, qui citò promicat, & in principio fervet, sed mox languescit.

Quia verò hæretici dum pauci sunt, de sua gloriari paucitate solent, ut de Cresconio refert Augustinus *lib.* 3. *cap.* 66. *contra eundem*, qui ajebat: *In paucis frequenter est veritas, errare multorum est.* Eunomius quoque hortabatur, ne quis vellet multitudine mendacium à veritate discernere, ut refert Basilius lib. 1. contra eundem. Sciendum est, nos non simplici Christianorum multitudine niti, sed autoritate commoveri plurimorum divinarum Scripturarum præstantissimorum Interpretum, nos tot Martyres, tot Confessores, tot Sacerdotes, Christianique gregis Pastores, ac Duces sequi, qui eximia, divinaque sapientia pleni fuere, vitæ admirabilis, quorum plurimi suam doctrinam miraculis confirmarunt. Talem præcedentium multitudinem Augustinus Julianum intueri volebat *lib.* 1. *contra Julianum cap.* 7.

Ad hanc Ecclesiæ notam revocari potest non interrupta Ecclesiæ duratio, antiquitas, amplitudo. Et sciendum, tam particulares Ecclesias, quàm unumquemque fidelem, quia Catholicæ Ecclesiæ pars sit, usu recepto Catholicum dici.

CONSULTATIO XXII.

De quarta Ecclesiæ nota, & de nomine Papæ *&* Papistæ.

QUarta Ecclesiæ nota est, quod sit *Apostolica*, id est Apostolorum ministerio fundata, & Apostolorum Principi B. Petro, ejusque successori Romano Pontifici adhæreat. Apostolica enim dicitur

tur propter originem, successionem, & Apostolicam Sedem. In hac enim sola Ecclesia reperitur Episcoporum ab Apostolis usque ad nos deducta successio. Unde omnes veteres hac successione, tanquam evidentissimo argumento, ad veram Christi Ecclesiam discernendam, utuntur. Irenæus *lib.* 3. *cap.* 3. à Petro usque ad Eleutherium Romanos Espiscopos recenset, per quam successionem omnes hæreses confundi scribit, & *lib.* 4. *cap.* 42. illis Sacerdotibus adhærendum docet, qui successionem ab Apostolis habent, quibus solis veritas tradita sit. Tertullianus *lib. de præscript. cap.* 32. *Edant hæretici origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris habuerit autorem, & antecessorem.*

Hoc enim modo Romanorum Ecclesia Clementem à Petro ordinatum, refert Eusebius *lib.* 3. *cap.* 4. & *in Chron. Roman. Episcop.* successionem enumerat, ut ex ea continuatio Ecclesiæ pateat. Epiphanius *hæres.* 27. Optatus *lib.* 2. *contra Parmen.* Donatistas alloquens, *Vos*, inquit, *cathedræ vestræ originem ostendite, qui vultis sanctam Ecclesiam vobis vendicare.* Hieronymus *contra Luciferianos* in ea permanendum Ecclesia docet, quæ ab Apostolis fundata in hunc usque diem perseverat. Augustinus, *epist.* 162. & 165. à Petro usque ad Anastasium Romanos Pontifices enumerat. Et in psalmo contra partem Donati. *Numerate*, inquit, *Sacerdotes vel ab ipsa Petri sede.* Et lib. contra epist. fundamen. cap. 4. *Tenet me in Ecclesia à sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.* Et lib de util. creden. cap. 17. illius Ecclesiæ gremio condere se Christianum oportere asserit, quæ ab Apostolica sede per successiones Episcoporum frustra hæreticis oblatrantibus culmen autoritatis obtinuit, & *lib.* 28. *contra Faustum cap.* 2. & 4. urget Ecclesiæ successionem usque ad suam ætatem. Et Hieronymus epist. 57. ad Damasum: *Cathedræ Petri communione consocior. super illam Petram Ecclesiam ædificatam scio. Quicunque extra hanc domum Agnum comederit, profanus est.* Similiter Cyprianus *super Petrum Ecclesiam ædificatam*, affirmat *lib.* 1. *ep.* 3. & *lib.* 4. *epist.* 9. Basilius *homil.* 9. *de pœnit.* & Hilarius *in* 16. *cap. Matth.*

Ex quibus sequitur, schismaticas Ecclesias, quæ ad aliquem Apostolorum successionem referunt, ut Moscovitæ ad B. Andream, vel ex eo posse convinci non esse Apostolicas, quoniam primariæ Apostolicæ Sedi super quam Ecclesia Christi ordinatione fundata est, non adhæreant. Unde iis evenit, ut ab ipso capite discedentes, fidem & instituta ab ipsis Apostolis tradita, non retineant, neque diù Apostolicum depositum custodiant 1. *ad Timot.* 6.

Sed non immeritò quærit aliquis, cur Ecclesia super fundamento Prophetarum, & Apostolorum fundata, *Ephes.* 2. potius Apostolica, quàm Prophetica vocetur?

Respondeo, novi Testamenti Ecclesiam nuncupari *Apostolicam* à suis ædificatoribus, plantatoribus, rigatoribus, pastoribus, & rectoribus, quales fuere Apostoli, non autem Prophetæ, qui Synagogam veteris Testamenti duxerunt, quæ, ut umbratica, ita quoque Prophetica, & Mosaïca dici potuit. At discussis, impletisque veteris Testamenti figuris, exorta lux Evangelica, per omnes gentes Apostolorum ministerio delata fuit, & ex filiis tenebrarum evocati lucis filii, Ecclesiam novi Testamenti adauxerunt, donec omnia mundi regna pervaderet juxta illud Isaiæ cap. 60. *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, & vide; omnes isti congregati sunt, venerunt tibi.* Et cap. 49. *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.*

Siquis autem ambigat, cur Apostoli in Symbolo hanc, quod *Apostolica* sit, notam, non posuerint, sicuti *Sanctam & Catholicam?* Respondeo; evidens id fuisse, dum viverent, suoque labore Apostoli Ecclesias fundarent; at quod esset omni tempore sancta futura, & per totum Orbem propaganda Christi Ecclesia, tunc non videbatur, sed credebatur. Accedit, quod Apostoli maluerint suos discipulos vocari *Christianos*, quam *Apostolicos*, ne potius seipsos, quàm Christum velle celebrare viderentur. Deinde Prophetiam *Deuter.* 25. adimplere conveniebat, qua fratri sine liberis defuncto, superstes ei generare, illiusque nomen primogenito imponere jubebatur, ut defuncti fratris nomen celebre remaneret, ut exponit Augustinus *lib.* 32. *contra Faustum cap.* 10.

Sed cum progressu temporis dubitari potuisset, quænam doctrina verè esset Apostolica, declarandum fuit, quod id facile disci posset magisterio ejus Ecclesiæ, quæ Apostolica esset origine, sacerdotum continua successione, atque pastoralis autoritatis culmine, ut sicut in veteri Testamento Christus ex sola posteritate Abrahæ, atque in familia Davidis quærendus fuerat, ita novi Testamenti tempore, Christi corpus, quod est Ecclesia, ejusque vox, & doctrina in ea sola societate quæreretur, quæ ab Apostolis esset per legitimorum succedentium Episcoporum ministerium congregata, & summo Pastori Petro, ejusque successoribus communione adhæreret. Ad hanc Petram Deus nos recurrere voluit, ut ex hac successione ad originem deveniamus, sicut per rivulum pervenitur ad fontem, & rami arboris per truncum radici adhærent, variique ad unum Solem radii perducunt.

Porro nomen *Papæ*, unde, quæ ejus notio, à quo ævo, & quid sonet, quive hoc titulo quondam decorati, variæ sunt sententiæ. Lege Pamelium *ad Tertullian. lib. de pudic. cap.* 13. *numer.* 101. & *ad epist.* 3. *S. Cypriani. S.* Ignatium *epist. ad Mariam*, Vualfridum *lib. de reb. Eccles. cap.* 7. Ferrarium *lib.* 3. *de epistol. Eccles. cap.* 1. Duarenum *lib.* 1. *de sacr. minist. cap.* 10. Savarum *ad lib.* 6. *Sidonii epist.* 1. Baronium *ad Roman. Martyrolog.* 10. *Januarii*, Sirmundum *ad epist.* 1. *lib.* 4. *Ennodii*, Remundum Ruffum *ad cap.* 17. *Molinæi*, Corrasium Miscel. *cap.* 5. & præ cœteris Ignatium Braccium *de Ethymologia nominis Papæ*, qui de hac voce disserit plenissimè.

Ego puto, nomen Papa idem sonare, quod Pater Patrum, qui titulus rectè cadit in Romanum Pontificem. Et ita Remigius Altisiodorensis *de celebrat. Missæ*, & Thomas Illyricus *tr. de potest. Papæ* §. *non igitur*, qui præmissa confirmatinoe multiplici, quod omnes Sacerdotes dicantur Patres fidelium, addit, ut pateat Romanum Pontificem esse patrem cœterorum Patrum, inditum illi esse nomen *Papæ* quod quidem usu receptum est, ac decreto Gregorii VII. anno 1073. in Synodo contra schismaticos firmatum, ut solus Romanus Pontifex, Papa diceretur. Id, quod apud Græcos quoque invaluisse, non quidem jam ab ævo Justiniani, ut scripsit post Ruffum Pamelius *ad citatam epist.* 3. *S. Cypriani*, sed longe serius, docemur ex Nicetæ Chroniatæ, & aliorum sciptis.

Papa itaque quasi *Pater Patrum* accommodatione quadam Summus Ecclesiæ Pontifex usu recepto vocatur, & Papatus, seu Pontificatus non gentis, aut sectæ nomen est. sed potestatis, quam Christus in Ecclesia sua perpetuam esse voluit.

At verò ab hoc nomine Sectarii Catholicos per contemptum *Papistas*, & *Pontificios* appellant, quæ tamen nomina in se nihil mali continent; quia non à particulari

ticulari aliquo homine, qui novæ alicujus sectæ autor extiterit, deducuntur, ut hæreticis proprium est, sed his nominibus Catholici denominantur ab iis, qui Christi nomine Ecclesiam gubernant. Papa enim & Pontifex fuit Christus atque Petrus, universalis Ecclesiæ Pastor ac Rector ab eodem constitutus, ut postquam per ascensionem in cœlum visibiliter hic præsens esse desineret, ejus nomine ac vice Domini gregem pasceret, ac regeret.

Papistæ ergo nomen nihil aliud significat, quàm hominem, Papæ communionem tenentem, seu Petri Cathedræ, summoque Ecclesiæ Pastori, & vero Christi Vicario adhærentem. Proinde Papistæ, atque Pontificii nomina, veritatis confessionem continent. Attestantur enim, quempiam verum esse Christi, Apostolorumque discipulum, amatorem, atque germanum Christianum. Quod optandum, & æterna laude, non autem vituperio dignum est. Probrosum quidem esset denominari à privato quopiam sectæ artifice, & audire vel Arrianum, vel Lutheranum, vel Calvinistam. At Romanus Pontifex non est privatus quispiam novitatum faber, sed est persona maximè publica cui Christus Vicariam Ecclesiæ suæ Præfecturam concredidit, ut proinde ab eo nuncupationem trahere perinde sit ac fidelem & Catholicum denominari. Multus est Cardinalis Hosius variis epistolis, ut ostendat nemini debere probrosum videri, quod Papista dicatur, nominatim *epist.* 79. 111. & 209. optimeque olim S. Chrisostomus *hom.* 3. *in acta* admonuit non esse erubescendum de quancunque tali denominatione.

Sicuti verò Hæretici nunc per contemptum obedientes Ecclesiæ filios *Papistas* vocant, ita Judæi maledico ore, & animo dixisse leguntur: *Tu discipulus illius sis*, de Christo loquentes *Joan.* 9. Et Ariani Catholicos vocabant *Homousianos*, id est, *credentes Filium Patri consubstantialem.* Quod verissimum erat. Augustinus *lib. de util. cred. cap.* 17. refert, Ecclesiæ Catholicæ ab hæresibus diversa imponi solere nomina. Et Ambrosius *in orat. de obitu Satyri*, Romanum & Catholicum idem significasse testatur

CONSULTATIO XXIII.

Quas Ecclesiæ notas hæretici assignent? Et, Quænam prior, ac notior sit, Ecclesia, an Scriptura Sacra?

AD primum quod attinet. Externas Ecclesiæ veræ notas Sectarii varias assignent, quæ ad duas revocari possunt. Prior est *pura Evangelii doctrina.* Posterior autem est *Sacramentorum juxta Evangelium administratio.* Sed cum in schismate istæ notæ reperiantur, Christi veram Ecclesiam discernere nequeunt, ut probat Augustinus *lib.* 2. *contra Cresconium cap.* 29.

Præterea notas non communes, sed proprias esse oportet. Atqui hæ duæ notæ ab omnibus sectis opinione sua vendicantur; unaquæque enim de Scripturarum intelligentia gloriatur, seque juxta Christi præscriptum sacramenta ministrare contendit.

Deinde nota, re cujus est, notior esse bebet. At notior est vera Christi Ecclesia, quàm vera Scripturarum intelligentia, quæ ab Ecclesia discitur, ut veteres uno consensu docent ex Christi dicto: *Qui Ecclesiam non audierit* 1. *Matth.* 18. Et ex Apostoli doctrina *ad Ephes.* 4. tradentis, Christum posuisse Pastores, & Doctores, à quibus veritatem audiremus, & in dubiis instrueremur, ne essemus sicut parvuli fluctuantes. Irenæus *lib.* 3. *cap.* 4. Tertullianus *lib. de præscript.* Augustinus *contra epist. fundament. cap.* 5. & *lib. de util. creden. cap.* 14. Cum enim Ecclesia jus habeat testificandi de vera Scriptura, cur non etiam interpretandi, ac exorta de Scripturæ sensu controversia dijudicandi? Atqui testem ac judicem, atque doctorem oportet notiorem esse quàm sit doctrina, quæ à doctore petenda sit. Non igitur vera prædicatio Ecclesiæ nota constituenda est, cum scire nequeamus, quænam vera sit Scriptura, & quis ejus genuinus sensus, nisi ex testimonio veræ Ecclesiæ.

Sed obiiciunt Sectarii, Chrysostomum *homil.* 49. *in Matth. in opere imperf. dicentem, non nisi per Scripturas cognosci, quænam vera sit Ecclesia.*

Respondeo, illum autorem non esse Chrysostomum, sed quendam Arianum; nihilominus dictum ejus posse intelligi, verum esse quando contra eos disputatur, qui Scripturas recipiunt, & de Ecclesia dissentiunt. Tunc enim ex Scripturis facile ostenditur, ubinam Ecclesia certò reperienda sit, non tanquam ex nota Ecclesiæ, sed quia Scriptura luculenter Ecclesiæ notas designet, qualis nimirum sit, ubi cœperit, quomodo creverit, quousque progressa sit, quibus pastoribus, & rectoribus adhærere debeat. In eum sensum non humanis documentis, sed divinis oraculis Sanctam Ecclesiam demonstrari, asserit Augustinus *lib. de unit. Eccles. cap.* 2. & 3. & *epist.* 166.

Ad secundum. Ecclesiam absolute priorem, & notiorem esse Scriptura sacra, vel inde liquet, quod multis annorum centuriis Dei Ecclesia fuerit ante omnem Scripturam, quæ tandem per Prophetas, & Apostolos à Deo Ecclesiæ tradita fuit, ut illam conservaret, alisque communem faceret, ac si opus foret, illam interpretaretur, verumque illius sensum cum autoritate dijudicaret ita, ut ab illius judicio nulla restaret in terris provocatio, sed qui magistram hanc audire nollet, velut Ethnicus, & Publicanus, à Christi hæreditate alienus, haberetur, *Matth.* 18.

Sciendum tamen est, aliquando contingere, Scripturam esse quibusdam notiorem ipsa Ecclesia, quando videlicet de vera Christi Ecclesia controversia excitatur, & Scriptura utrinque recepta, de illa clarum perhibet testimonium. Sicut, dum contra Donatistas in sola Africa Christi Ecclesiam concludentes, Augustinus dissereret, ex Scripturis palam loquentibus eosdem convicit.

E contra verò subinde accidit, ut Ecclesia notior sit ipsa Scriptura, cui testimonium perhibet. Et ita probatur unum ex alio, quæ sibi invicem attestantur. Ut, quando de parvulorum, vel hæreticorum baptismo Scriptura obscure testimonium perhiberet, & nota esset Ecclesia, tunc Augustinus Ecclesiæ testimonio ratum esse parvulorum, atque hæreticorum baptisma comprobavit.

Atque ex his facile respondebitur ad quæstionem, utrum Ecclesia suam autoritatem à divina Scriptura, an è diverso Scriptura ab Ecclesia sortiatur?

Respondeo, aliud esse autoritatem, aliud veritatem. Hanc enim Scriptura à solo Deo accipit, sed testimonium, quod sit vera & infallibilis, ab Ecclesia. *Non enim*, ait Augustinus, *Evangelio crederem, nisi me autoritas Ecclesiæ commoveret*, contra epist. fundam. cap. 4. sed postquam Scriptura Ecclesiæ testimonio autoritatis apicem adepta est, vicissim Ecclesiæ testimonium præbens, autoritatem ei conciliat, non secus ac Joannes Baptista Christo testimonium perhibuit, dicendo: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Item *Hic est, qui baptizat.* Et vicissim Christus Joanni testimonium magnificum dedit, eique autoritatem comparavit, dicendo: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista.*

Ex quo insuper exemplo clare patet, Scripturam, Verbumque Dei non hominum subjici judicio, quando Ecclesia ei perhibet testimonium de vero sensu, & intelligentia; neque etiam asserit, verbum Ecclesiæ majoris esse autoritatis in se, quàm verbum Dei Scripturis contentum in se sit. Nam verbum Dei est illuminans, at verbum Ecclesiæ est lumen illuminatum. Proinde illud candelæ ardenti, hoc autem lucernæ ab alio lumine lumen suum mutuanti comparatur.

Tantam nihilominus Ecclesiæ Christus autoritatem con-

concessit, assistentiamque Spiritus sancti, omnem veritatem suggerentis, promisit, ut in omnibus, quæ fidei & pietatis sunt, proponendis, errare nequeat. Quare merito concludimus, illum habendum, ut Ethnicum, qui Ecclesiam non audierit, *Matth.* 18 Nec habiturum Deum Patrem in cœlis, qui Ecclesiam non habuerit matrem in terris, ut sæpe diximus. Sicut enim universi homines inundante diluvio, qui in Noë arca non fuerunt, mortui sunt, ita superveniente universali judicio, externa morte obruentur quicunque extra Ecclesiæ Christi societatem deprehendentur.

CONSULTATIO XXIV.

De divisione personarum ratione Religionis.

EX hactenus dictis ratione Religionis ita dividimus personas. Qui fidem Christianam non habent sunt Idololatræ, Pagani, seu Gentiles, aut Ethnici, Judæi, Turcæ, sive Saraceni, Apostatæ à fide. Certum est enim, quidquid à fide Christiana discrepat, legi christianæ esse contrarium, *l. Cœlicolarum C. de Judæ.* Quod & dixit Deus: *Qui non est mecum contra me est.*

Qui fidei Jesu Christi adhæret, fidelis & Christianus dicitur, *can. mater Ecclesia de conservat. d. 4. ex D. Augustini lib. 1. de merit. & remis. peccat. cap. 25.*

Qui vero prius eam receperit, & postea in aliquo vel in quibusdam articulis ab ea dissentit, pertinaciter errorem defendens hæreticus, *can. hæreses, can. dixit Apostolus* 24. *q.* 3.

Si in totum eam relinquat, & transeat in Paganismum, vel Judaismum, Apostata, *l. 1. & toto tit. de Apostat.*

Si verò se separat, non quidem à fide, sed ab unitate Ecclesiæ, ei rebellando, schismaticus, Augustinus *contra Crescon.* & *in quæst. in D. Matth. cap.* 2. Optatus *lib. 1. contra Parmen.* Hieronym. *ad cap. 3. epist. ad Tit. can. inter hæresim* 24. *q.* 3. Qui primum è gentilitate venit ductus voluntate credendi in Christum, & viva voce in fidei christianæ mysteriis instruitur, Cathecumenus.

Qui Deum esse neget, Atheus.

CONSULTATIO XXV.

De Paganis, seu Gentilibus, aut Ethnicis.

PAgani dicuntur infideles, & extra Ecclesiam positi Idololatræ, *cap. quum sit laudabile de Judæis, qui legibus Canonicis, seu Ecclesiasticis non ligantur, cap. gaudemus de divort. Quamvis indirecte subiiciantur; cap. post miserabilem, & cap. quanto de usur. Et cap. & si Judæis, de Judæis.*

Paganus à pagô dictus, pagus à fontibus circa quos rustici cogunt vicos, & villas aquationis facilioris causa, ut ait Festus. Unde Paganus pro ignaro, & amuso, ac rustico. Sic opinor Persius se vocat semipaganum *satyr.* 1. quasi semifontanum, non omnino aqua fontis Musarum participem. Sic quoque D. Augustinus recte vocat Ethnicos, seu Infideles, idololatras, paganos, velut barbaros, & ignaros veræ legis, & inde Paganismus, error, sive infidelitas.

Paganorum autem nomine Jurisconsulti fere semper intelligunt ignobiles, non milites, quos illis opponunt *l. jus nostrum ff. de reg. jur. l. si ignorans ff. locati.* Item apud Cæsares, & apud juris Pontificii autores Paganus pro alieno à fide christiana, qui colit Idola ponitur, ut *tit. C. ne christianum mancipium hæreticus, vel Judæus, vel Paganus habeat, vel possideat*, & *tit. C. de Paganis & sacrificiis eorum*, Optatus Milevitanus hos dicet Paganos, ut alienos à civitate Dei, & in pagis extra eam civitatem viventes.

Gentiles verò ac Ethnici pro eodem ac Pagani, pro Idololatris *Ethos* gentem significat, inde Ethnicus, Hebræis *goi*, gentilis. Hieronymus opponit Ethnicum Christiano contra Jovinianum, dum ait: *Et si ducendæ essent uxores, Christianas tantum accipi juberet, an Ethnicas.* Extra populum electum reliquas nationes, tanquam à salute alienas, & infideles, gentes vocavit sacra Scriptura, monuitque populum, ut Idololatras vitaret, *Deuter.* 7. D. *Matth. cap.* 15. donec Deus & eas vocavit ad cognitionem veritatis, & ad conversionem ab infidelitate *Isaiæ cap. 2. & 66. Act. 2. & 18. ad Rom. 15. ad Galat.* 1. & 1. *ad Timoth.* 2. vocati & aliquando Græci pagani, ut in Eclogi Basilicorum *lib. 1. tit. peri ellinon.*

Judæi universi, qui fidem Messiæ habuerunt venturi, ac verum Deum coluerunt, dicti sunt, quanquam nomen ab uno tantum filiorum Jacob, primogenito nempe, à Juda habuerunt, ex cujus genere Christus natus est, ut docet D. Augustinus. Ab illis Palestinæ regio in Syria dicta Judæa, ubi habitarunt, à qua tamen hodie exules, & vagi per universum mundum dispersi sunt. Dicti & *Israëlitæ* à Jacobo duodecim Patriarchatum patre, qui à Deo Israël nominatus est, *Genes.* 32. dicti & *Hebræi* ab Heber abnepote Sem, filii Noachi benedicti, in cujus domo fertur conservata lingua prima, & cognitio veri Dei, in divisione linguarum, *Genes. cap. 10. & 11.* ut habetur *ex libro Seder Gnola Hebræorum cap.* 2. Vide & Suidam *in v. Hebræi.* Ad Hebræos scripsit epistolam D. Paulus, etsi nonnulli non esse Pauli minus recte dicant. Extat & novella, ut liceat Hebræis secundum traditam legem Sacras Scripturas Latine, vel Græce, vel alia lingua legere, *Novel.* 136. Tertullianus *lib.* 18. *Apologet. Hebræi*, inquit, *retro, qui nunc vocantur & Judæi.* Manethon etiam apud Josephum scribit *Hycsos*, vel *Hyocusos*, ut scribit Eusebius *lib. 10. præpar. Evang.* vocatos, quod sacra Ægyptiorum lingua, Reges, Pastores significat, pro quo facit *cap. 6. Genes.* scribit & Artapanus apud eundem Euseb. 9. *præpar.* dictos fuisse *Hermiuth.*

Hæc autem gens ab initio fuit populus peculiaris Dei veri, qui etiam ei mysteria sui cultus, & futuri Messiæ adventum propalavit. Et Eusebius *cit. lib.* 9. *ac* 10. & Porphyrius Judæos dixerunt natura Philosophos, ut scribit Paulus Israëlita *ad præcepta Judæorum in præfat.* ubi etiam refert Megastenis eandem sententiam, & Platonis opinionem 1. *vol. de bono.* Dio quoque Cassius *lib.* 37. scribit, omnes, qui ritum Judæorum servassent, Judæi nomine appellatos, etiam alienigenos, quare autem, se ignorare. Hosque multum Romæ, & alibi multiplicatos, legum potestatem vicisse, unum Deum coluisse, nullum simulachrum in Templo habuisse. Fuerunt ita ritus Judæorum pluribus in locis observati, etiam inter non Judæos, veluti circumcisio signaculum repromissionis, & fidei Messiæ, Genes *cap.* 17. *v.* 9. *& seq.* Levit. 12. *v.* 3. Judith. 14. *v.* 3. Luc 1. & 2. Act. 7. *v.* 8. usitata apud Colchos, Ægyptios, Æthiopas, quos Syri, Phænices, qui sunt in Palæstina docuerant, ut autor Herodotus in 2. fuerint in summa ab initio venerabiles Judæi ac celebres ubique terrarum ante adventum Christi.

Postquam verò malitia propria, & invidia obcœcati, Dominum nostrum Jesum Christum, verum in lege illorum etiam promissum Messiam rejecerunt, & crucifixerunt, cœperunt esse sibi, ac omnibus gentibus abominabiles, & malitia obdurati, conati sunt quoque sacram legem depravare, ut docet Galatinus *lib. 1. adversus Judæos cap.* 8. & quia lucem quoque Scripturarum amiserunt juxta professionem Isaiæ *cap.* 2. & adhuc adhærent cortici legis, impotentes mentem ejus assequi, unde & Judaizare dicimus, verba sequi simpliciter, non mentem *cap. un.* §. *fin. de sacr. unct.*

In Lege quippe antiqua, cui mordicus sine distinctione adhærent Judæi sunt præcepta & moralia & mystica. Moralia, quæ mores informant, ut diliges Deum tuum. Non occides &c. de quibus *in can. quid in omnibus* 32. *q.* 7. Mystica sunt, quæ aliud significant præter id, quod littera sonat, quorum quædam sunt cæremonialia, alia Sacramentalia. Sacramentalia sunt, quorum ratio reddi potest,

test, ut est præceptum Circumcisionis, & observationis Sabbathi, quæ translata sunt, translato, Sacerdotio, cap. translato de constit. cap. majores de baptism. Cœremonialia sunt, quorum ratio reddi non potest. Quare ad litteram præcepta, ut, *non arabis in bove & asino*, *non facies vestem de lino & lana contextam*, can. in novo 6. q. 7.

Lex porrò antiqua divina, quantum ad præcepta moralia, non est immutata; sed cœremonialia & sacramentalia mutata fuerunt, quantum ad sonum, seu superficiem litteræ, at non quantum ad mysticum sensum, & intellectum ejus litteræ, *can. Marcion* 1. *q.* 1. *& can. fin.* §. *fin. d.* 6. ibique Glos. Sic vetus Testamentum fuit transitorium, hircorum, ac vitulorum sanguine dedicatum, temporalia promittens. Novum autem, quod fuit sanguine Christi consecratum, & confirmatum, promittit æterna, & æternum manet, *cap. cum Martha* §. *cœterum de celebrat. Missarum.* Sic in pluribus distinguuntur Judæi à Christianis, & Judæi alieni à Religione, & fide Christiana hodie sunt.

De Turcis, Turcarum que nomine, omissis controversiis, placet, Togurmam, de quo Genes. 10. Turcico nomini dedisse originem, & ita etiam Elias *in Tisby* censet, ac meminit de his Ezechiel *cap.* 27. vocans Thorgama *Thunnos*. Turcas vocari à Plinio docet Hermolaus in suis castigationibus Plinianis *lib.* 6. *cap.* 7. Theodorus Gaza ex Scylace, Turcas dicit eos, qui apud Strabonem dicuntur Curtii, quos Romani contracte Curtos vocant. Et à Scythis, qui C... usium montem habitant inter Pontum Euxinum, & Caspium mare, originem habere, omnes fere consentiunt. Sic Plinius ait, Turcas populum Scythiæ *lib.* 6. *cap.* 7. & Mela sub finem libri, etsi quidam aliter legat, sed ridicule, & Herodotus *in* 4. sacræ litteræ hos per *Magog* significant alicubi. Nam Magog, Hebræis est Scythia, erantque ibi Idololatræ ex numero eorum, quos Paganos diximus, quales & erant Sarraceni, antequam admitterent Mahumetica impietatem.

Fuerunt isti Turcæ ex Israëlis genere, ut docet de his omnibus Nicephorus Calixtus *lib.* 18. *histor. Eccles. cap.* 30. Ita Turci, & Turcomanni dicuntur, qui aliquando ex Scythia, & Tartaria Orientali *Turkestan* nomine, erumpentes, Alanos, Colchos, Armenios, Capadocas, & magnam Galatiæ partem, Persas, & Sarracenos gladio infestarunt, Rege existente nomine Seldulch, regnante Pipino, Caroli Magni patre, anno Domini 756. ut scribit Egnatius *lib* 2. Gulielmus Tyrius *lib.* 1. *belli Sacri cap.* 7. Meminit Ammianus Marcellinus de Sueco oppido inter Thraciam, & Daciam, ubi angustiæ, & claustra Succorum, ubi Lazius munimentum esse putat, quod hodie dicitur *Turkzuest*; neque quisquam ideo dubitavit nomen Turcarum ortum à Suecorum nomine, sive legamus cum Rhenano verorum, quia nomen commune, & idioma loci conversionem similem retinet litterarum Turkzuest. Unde vulgo Turcæ dicti. Ex ea gente hodie & Asia Minor, & Major, & Cilicia impletur.

Sarraceni, Sarracenia Arabiæ Petreæ regio apud Ptolomæum, qui cum Plinio Sarracenorum urbem Atram vocat, sitam in Arabia fœlici, Hebræis Sarraceni dicti *Chassuin*, ut ait Arias Montanus. Inter Persas, & Ofrænam, Mesopotamiam, & Euphraticam provinciam constituuntur Sarraceni à Justiniano, cum quibus & illi matrimonia contraherent, *in constitutione ejusdem Justiniani tertia tit. de his, qui in Ofrœna, & Mesopotamia illicitas nuptias contrahunt*, cui & conjungenda *Novella Justiniani alia* 154.

Amianus Marcellinus *de Sarracenis lib.* 14. sic scribit: *Amici, nec inimici Romanis unquam, nec habendi ultro citroque, tempore Galli Cæsaris dis ursantes, ut milvi, subito omnia rapiebant. Harum gentium exordium ab Assyriis, & porrigitur usque ad Nili cataractas, & confinia Gythiniarum. Omnes pari sorte sunt bellatores seminudi, coloratis sagulis pube tenus amicti, equorum adjumento pernicium, gracilium camelorum per diversa reptantes in tranquillis, vel turbidis rebus. Nec eorum quisquam stivam apprehendit, aut arborem colit, aut arva subigendo quaritat victum, sed errant semper per spatia longe lateque distenta sine lare, sine sedibus fixis, aut legibus per fervens diutius cœlum; vita semper illis est in fuga, uxoresque illis mercenariæ conductæ ad tempus* &c. qui plura addit de victu illorum ex ferina carne, & potu lactis, non vini ac de aliis. Meminit & Sarracenorum Sextus Rufus in Trajano: *Sarracenorum*, inquit, *& Arabum loca occupavit.*

Sarracenorum Arabum antiqua gens ex suo initio Idololatriæ deservit, melius Agareni, quam Sarraceni dicti. Nam & Ismaëlitæ dicti ab Ismaële, à quo descendunt, qui fuit primogenitus Abrahæ ex ancilla Agar, à qua Arabes illi Agareni nati per duodecim Principes generis multiplicati, & maledicti. Quorum Ismaëlitarum natio, quemadmodum autor eorum Ismaël natus secundum carnem ex Abrahamo, & ancilla persequebatur Isaac filium natum ex libera Sarra, secundum promissionem genitum, sic ea persecuta est fideles primùm Judæos, dehinc Christianos ad *Galat.* 4. *Genes.* 16. *can. si gens Anglorum de* 56. Ipsi verò Ismaëlitæ, ut prestantiores haberentur, noluerunt amplius dici ab Agar, Agareni, sed à Sarra, tanquam ex libera, Sarraceni. Cœterum Mahumetes regnavit in Arabia, filius perditionis, & pseudo-Propheta per decem annos, & illi facti Mahumetani, qui ibi habitabant Sarraceni, *Clem. un. de Judæis.*

Consultatio XXVI.

Quæ Judæis, & Sarracenis, seu Turcis permissa inter Christianos?

Judæis, quamdiù feruntur inter Christianos; permissum fuit suas omnes inter se ferias, & festivitates servare juxta ritum parentum suorum, *cap. & si Judæos de Jud.* & *cap. sicut Judæi eod. tit. can. qui sincera d.* 45. Dummodo sine contemptu Christianæ Religionis ritus suos colant; nam ita facere prohibentur, *l. Judæos, & l. die Sabbatho C. de Jud. l. Christianis C. de Pagan.* Permissum fuerat Judæis Legibus Romanis filios tantum suos circumcidere, non alios non suæ superstitionis; alioquin si fecissent, pœna castrantis puniebantur, *l. circumcidere ff. ad leg. Cornel. de sicar.* & perpetuo exilio cum bonorum proscriptione, *l. Judæi C. de Jud.* Imponitur & eis alia pœna à canone *in can. nulli* §. *siqui d.* 54. Fuit permissum etiam aliquando sub Clemente IV. Pontifice, Sarracenis sub legibus in Italia vivere à Carolo Rege Hierosolymorum, fratre D. Ludovici, ut scribit Platina *in vita ejus Clementis.*

De Sarracenis, qui & Pagani, ac infideles sunt, idem dicendum, si modò non persequantur Christianos, & velint pati jugum, quod imponitur Judæis, neque quicquam in contumeliam Domini nostri moliantur, & si sustinentur interim dum de salute eorum proxima speratur, idque sine injuria, sine etiam ullis sacrificiis impiis illorum Idolis ac sine Templis. Sic notatur *in can. dispar.* 23. *q.* 8. *& in cap. in nonnullis de Jud. l.* 2. *C. de Pagan. l.* 2. *C. de sum. Trinit. & fide cath. l. Conventicula C. de Episcop. & Cler.*

Cler. Clem. un. de Jud. ubi Cardin. n. 3. ac Imola. Ratio autem, cur Judæis liceat inter Christianos Synagogas, & ferias habere, non autem Gentilibus sive Paganis, Sarracenis ac Turcis, dies festos agere, nec Templa & Meschitas habere, ea est, quia Judæi unum colunt Deum ac verum, Pagani vero Idola, Sarraceni, & Turcæ Mahumetum, impium, ac nefandum pseudoprophetam. Nec Judæi sunt adeo detestabiles sicut Gentiles, sive Sarraceni, ac Turcæ. Nam fides Judæorum habuit principium veritatis, ut per Bald. in d. 1. 2. num. 4. C. de sacra Trinit. & late Petrus de Carcasona in l. quoniam in fine C. de hæret.

Licitum autem est communicare cum Infidelibus in rebus politicis, ac civilibus. Colligitur ex illo 1. Cor. 7. v. 12. siquis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et cap. 10. 27. si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne, quod vobis apponitur, manducate. Hic concedit Apostolus duplicem communicationem cum Infidelibus. Unam in matrimonio, alteram in cibo, & potu. Hæ autem videntur esse præcipuæ inter eas, quæ solent fieri in rebus & actionibus civilibus. Si igitur hæ duæ licitæ sunt, reliquas omnes licitas esse verisimile est. Excipitur tamen casus, siquis ex tali communicatione timeret periculum defectionis à fide. Tunc enim deberet abstinere. Quia eodem præcepto, quo prohibetur defectio, prohibetur etiam periculum defectionis, & consequenter communicatio, in qua est tale peccatum.

Nullo tamen modo licitum est communicare cum infidelibus in iis rebus, & actionibus, quæ directe pertinent ad cultum infidelitatis. Colligitur etiam ex illo 2. Cor. 6. num. 14. Nolite jugum ducere cum infidelibus.

Licitum verò est, admittere infideles ad prædicationem verbi Dei, non tamen ad sacrificium Missæ. Ita D. Thomas in 3. p. q. 80. ar. 4. ad 4. ac definitum est in Concilio Carthaginensi 4. can. 84. qui sic habet: Episcopus nullum prohibeat ingredi in Ecclesiam, & audire verbum Dei, sive Gentilem, sive Judæum, sive hæreticum usque ad Missam Catechumenorum. Quæ verba referuntur apud Gratianum can. Episcopus de consecr. d. 1. ac tot. tit. de Pagan. & sacrif. eorum in cod.

Hoc tamen eodem tempore distingui debent Judæi, & Sarraceni inter Christianos viventes signo externo publice delato in habitu, seu pileo, ne damnatæ commistionis excessus, per velamen erroris hujusmodi ulterioris excusationis possint habere diffugium, d. cap. in nonnullis de Jud. Non licet etiam Judæis aut Paganis inter Christianos novas extruere Synagogas, aut Templum, cap. consuluit, & cap. 3. de Jud. L. hac valitura C. eod. tit. Licet tamen Judæis, ut ibidem dicitur, antiquas, si habeant, reficere. Minusque Sarracenis, Turcisque Mahumeticis, meschitas, Clem. un de Jud. ubi ex Concilio Viennensi interdicitur publice invocare nomen Mahumeti, vel peregrinationes ad sepulchrum alicujus Mahumetani, quem habuerint pro sancto, facere. Quocirca si Pagani, vel Idololatræ voluerint habere simulachra rejiciendi sunt, & puniendi morte, can. non solum 28. q. 1. maxime si Christianos ad infidelitatem provocent, Deuter. cap. 3. v. 6. Satius & erit si Principes hujusmodi homines omnino tollant, nec permittant impiam hanc superstitionem, quæ nocet Reipublicæ, & habet impios homines, juxta ea, quæ describit Salomon Sap. 14. v. 27. ibi: Infandorum cultura. Jussit Constantius, aliique Cæsares, claudi templa Paganorum, ac tolli eorum sacrificia, imposita proscriptione bonorum, ac mortis supplicio apetentibus, & sacrificantibus l. nemo venerandi & l. seq. ac l. 1. & 2. C. de Pagan. & sacrif. eor. Niceph. Calixtus lib. 8. cap. 18. & 25. Legitur in Nomocan. tit. 4. c. 4. & 10. Græca Constitutio, nuper per compendium transcripta in nove excusis Codicibus Justiniani sub tit. de Paganis in fine, per quam non licet Paganis docere quancunque doctrinam, nec publica licet frui illis annona. Quare multo magis prohibentur, docere, ac profiteri suam impietatem, & Christiani discere: culpa enim par est, discere, ac docere prohibita, l. culpa C. de malef. & mathem. De Templo Judæorum Hierosolymitano Rufinus scribit lib. 10. hist. Eccles. cap. 8. & 39. quod Judæi cum Juliano Apostata à fide, Imperatore, conati sunt reædificare in odium Christianorum, sed terræ motu, & igne suborto, prohibitos.

Sic tamen hujusmodi infideles sub spe conversionis ad Christum inter Christianos aliquando sustinentur, ut inhibitum sit Christianis cum Judæis habitare, manducare, bibere, lavari, aut ab illis medicamentum accipere. Quod si quisquam aliter fecerit, si Clericus sit, deponendus erit; si laicus excommunicandus, can. Apostolorum 69. in sexta Synodo c. 11. & in can. 13. nullus eorum 28. q. 1. Quidam in medicis distinguunt, ut pharmaca quidem simplicia possint à Judæis emi, non mista, & ut in casu necessitatis, si alius medicus non sit, vel si sit, sed non idoneus, possit quis Judæo uti. Vide Angelum, & Rosellam v. Judæus. Consortium etiam Judæorum prohibetur in can. omnes 28. q. 1. Extat & canon Apostolorum 70. quod siquis Christianus oleum ad sacra Gentilium, aut in synagogam Judæorum in festis eorum detulerit, aut lucernas accenderit, à communione excludatur. Oleo enim utebantur etiam Gentiles in templis suis l. si sponsus §. 12. ff. de donat. inter vir. & uxor. Quamvis aliquando permissum fuerit Christianis cum Ethnicis, aliisque quàm Judæis cibum capere, can. Infideles 22. q. 2. can. ad mensam 11. q. 3. Olim porrò licuit potius cum Ethnicis cibum capere, quàm cum hæreticis, & excommunicatis; quia sperabatur de salute eorum, hodie nec cum illis licet; quia discretionem habent ciborum d. can. ad mensam, ubi ratio; nisi si quando quis mittatur Ecclesiastes ad infideles convertendos, quia licebit de cibis illorum edere, dummodo contra prohibitionem canonum non edat, cap. quam sit laudabile de Judæis, & ibi explicat Glossa.

Prohibitum Christianis cum Judæis, Paganis, aliisque infidelibus conjugium inire, can. non oportet, can. cave, & can. siquis Judaica 28. q. 1. & ibi in contrahentes pacta excommunicatio. Jure civili pœna adulterii in l. nequis christianam C. de Jud. Prohibetur & hæc conjunctio cum infideli in sacra pagina Genes. 6. Exod. 34. 2. Esdræ 9. 3. Reg. 11. Act. 1. & 1. ad Cor. 6. Deuter. 1. v. 21. & cap. 7. v. 3. & cap. 24. v. 1. Concilio Laodiceno c. 3. Chalcedonensi c. 14. Carthaginensi can. 21. apud Tertul. 2. ad uxor. apud Cyprian. 3. ad Quirinum, apud Augustin. lib. 1. de adult. conjug.

Nec obest, quod Moyses aliquando sibi conjunxerit Æthiopissam can. plerunque, §. item obiicitur 2. q. 7. Quia illud fuit in figura, quod Dominus aliquando copulaturus sibi esset Ecclesiam ex Gentibus, de can. plerunque §. his itaque respondetur. Rursum in Concilio Toletano 4. cap. 61. unde sumptus can. sex malorum 28. q. 1. Ubi sic statuitur: Quicunque ex his, qui baptizati sunt, à modo consortia infidelium non vitaverint, & illi Christianis donentur, & illa publicis ædibus deputentur. Sic imponitur pœna corporalis conjugium cum infidelibus attentantibus juxta leges civiles, ut in can. constituit 17. q. 4. cap. in Archiepiscopatu de raptor. Alioquin Ecclesia non judicat de infidelibus, quia extra Ecclesiam sunt, cap. gaudemus de divort. & can. multi 2. q. 1. Sim-

implex etiam coitus cum Judæo Christianæ, vel contra, ignis pœnam habuit ex Boërio *dec.* 316. *n.* 5. Clarus *lib.* 5. *sententiarum* §. *fornicatio n.* 26. refert, se vidisse damnatum Judæum, qui Christianam cognoverat pœna decennii ad triremes, & Oldrad. *conf. ult.* ait, statutum contra Judæum, qui Christianam etiam cognovisset, ut ei abscinderentur virilia, eaque vidisse ante palatium affixa. Communis etiam Doctorum opinio est, ob id Judæum, vel Christianum non damnari ad mortem, sed ad aliam pœnam, ut scribit Boer. *d. dec.* 316. puta pecuniariam secundum Alciatum *conf.* 458. & Alexand. *conf.* 13. *vol.* 7. An autem & quatenus puniri possint in S. Officio, alibi docuimus.

Quinimò inter infideles matrimonium contractum, si alter in infidelitate velit remanere, fidelis infidelem debet relinquere, si in contumeliam Creatoris esset conjunctio, *cap. quanto*, & *cap. gaudemus de divort.* Unde *can. non solum*, & *can. Sic enim recedere* 28. *q.* 1. Sic, si unus ex Judæis infidelibus fiat Christianus, altero remanente in infidelitate, fidelis ab infideli Judæo abire debet, *can. Judæi, qui Christianis mulieribus* 28. *q.* 1. ex Concilio Toletano 4. *c.* 62. *ibique.* Glossa, quæ multis modis distinguit. Unaque cum fideli transibunt filii in infidelitate nati minores in favorem fidei, & à parente infideli separantur, ne ejus involvantur erroribus, Concil. Tolet. 4. *c.* 59. & *can. Judæorum filios* 28. *q.* 1. ubi tamen Glossa ait, non esse filios per vim baptizandos; nam alioquin brevi desinerent esse Judæi; nec verum esset dictum, quòd reliquiæ Israël salvæ fient. Adde superioribus similem textum *in* §. *fin. de conversf. infidel. lib.* 3. *tit.* 34.

Eadem ratione propemodum prohibitum est cujuscunque generis, vel sexus Christianis famulitio domestico inservire Judæis, aut Paganis, qui contra fecerint excommunicationi subiiciuntur, *cap. Judæi cap. ad hæc*, ubi ratio, de Judæis. Saturum & ne nutrices Christianæ sint Judæorum. Quod si Judæi habitas non reliquerint, interdicitur illis omne commercium cum Christianis, *d. cap. ad hæc & cap. Etsi Judæos de Jud.* Quæ pœna contumacibus Judæis solet imponi, ut *in d. cap. & si Judæos*, & *cap. postulasti de Jud. cap. cum sit nimis absurdum eod. tit. cap. post miserabilem*, & *cap. quando de usur. cap.* 2. *de testib. in* 6. Et est excommunicatio indirecte, per quam excluduntur à consortio Christianorum Judæi, ut notat Glos. *in Clem.* 1. *de testib.* & *in clem. un. de usur.* & *in cap. Judæi sint de Jud.* Cum tamen alioquin, nisi in prohibitis, consortium permittatur illis Christianorum *Clem. un. de Jud. d. cap. ad hæc*, ibique. Glos. *v. assidui.* Ideo coloni agrorum eorum possunt esse Christiani, *cap.* 2. *de Jud.* permittiturque illis libertas imponendi pretium rebus suis, vel præfectis eorum *in l. nemo externus C. de Jud.* Multoque magis Judæis, Paganisque habere vel emere Christianum mancipium interdictum est. Quia nefas est, quem Christus redemerit, blasphemum Christi in servitutis vinculis retinere *cap.* 1. & *fin eod. tit. can. mancipia*, *can. præsenti d.* 54. *can. Judas* 7. *q.* 4. *l. un. C. ne Christianum mancipium hæreticus, vel paganus*, & *cap. habeat*, & rescriptum *in cap. consuluit de appel.* non recipiendas appellationes Regis Franciæ pro Judæis interpositas, ut christiana mancipia retinerent, quod essent contra canonicas sanctiones, quæ, non obstantibus appellationibus, essent servandæ. Sed gravioribus pœnis, sanguinis, proscriptionisque bonorum Judæus afficietur, qui ausus fuerit Christianum ad suam religionem pertrahere *l. Judæus*, *l. de Judæis C. de Jud.* ac ibi extat etiam alia similis, latiorque constitutio græca, nunc scripta, incipiens, *si Judæus*, sumpta ex Basilicorum ecloga *lib.* 60. *tit.* 54. *cap.* 31. Vel christianorum mulieres, vel pueros rapere, *cap. in Archiepiscopatu de raptor.* Et quia Judæi inimici sunt malitiosissimi Crucis, & Christi, interdicto fuit generaliter vetitum, ne Judæi ostia, vel fenestras domorum in die sanctæ Parasceves Paschæ aperiant, & cautum, ut claudant tota die, ut fuse *in cap.* 4. *de Judæis*, neve in publicum prodeant, ne audeant illudere dominicæ passioni, *cap. nonnullis* §. 1. *de Jud.* Eadem ratione Cæsares Honorius, & Theodosius prohibuerunt *in l. Judæos C. eod.* ne Judæi solennes agerent festivitates, in quibus sanctæ Crucis adsimilatam speciem in contemptum Christianæ fidei, sacrilega mente exurebant, quod faciebant in memoriam minuendam crucifixi. Unde quidam Judæi occasionem irridendi passionem & mortem Domini sumebant.

At de his satis. Alia sparsim, ac bene multa in aliis nostris tomis, & apud Marquardum *de Judæis*, ac Ricciul. *de jur. person. lib.* 2. In quibus verò casibus Judæi ac Gentiles puniri possint in S. Officio dicemus suo loco.

Consultatio XXVII.

An, & quatenus Judæi ac Gentiles possint ad Fidem Christianam suscipiendam compelli? Et in quibus casibus contra eos procedere possint Inquisitores fidei.

Ad primum. Certum est, Prælatos Ecclesiæ, qui habent jurisdictionem spiritualem, non posse infideles ac Judæos compellere ad fidem, vel baptismum suscipiendum. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 10. *ar.* 8. aliique passim. Colligitur ex illo 1. Cor. 5. *v.* 12. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare? Nonne de iis, qui intus sunt vos judicatis? Nam eos, qui foris sunt Deus judicabit?* Ubi per eos qui foris sunt intelligit infideles, qui sunt extra Ecclesiam, & per eos, qui intus sunt, intelligit fideles, qui sunt in Ecclesia. Ex quo fit, quod Prælati Ecclesiæ non habeant potestatem jurisdictionis in Infideles, & in Iudæos, qui sunt extra Ecclesiam. Atque adeo non possint eos judicare, aut pœnis ad fidem compellere.

Principes verò Christiani, qui habent jurisdictionem temporalem, non possunt etiam ullos infideles, Paganos ac Iudæos, ne quidem eos, qui ipsis subjecti sunt in temporalibus directe ad fidem, vel baptismum compellere per textum *in cap. sicut Judæi de Jud. can. sincera*, *& can. de Judæis d.* 45. estque communis sententia Doctorum, nominatim D. Thomæ *loc. cit.* & aliorum, quos congessit Ricciul. *de jur. person. lib.* 2. *cap.* 31. ubi à *n.* 14. respondet argumentis Scoti *in* 4. *d.* 4. *&* 9. Nam potestas & jurisdictio illorum Principum ordinatur tantum ad finem naturalem, nec se extendit ad ea, quæ sunt ordinis supernaturalis. Susceptio autem fidei, & baptismi non pertinet ad finem naturalem, sed ad supernaturalem. Et quoniam actus credendi debet esse liber. Unde fides suscipi non debet metu suppliciorum, aut mortis. Multoque minus infideles non subjecti compelli possunt ad fidem, immo nec in eos animadverti, aut bellum suscipi ex eo, quod infideles sunt, ut per Azor. *lib.* 8. *cap.* 24. *q.* 1. & *Castropal. tr.* 4. *disp.* 2. *pun.* 6. *num.* 3. *tom.* 1.

Hinc

Hinc Theodoricus Rex Judæis apud Cassiodorum *lib.* 2. *var. Ep.* 27. permittens reficere Templum. *Damus*, inquit, *siquidem permissum; sed errantium votum laudabiliter improbamus*, *Religionem imperare non possumus*, *quia nemo loquitur*, *ut credat invitus*. Et rursus apud eundem *lib.* 10. *var. Epist.* 26. Theobaldus Rex Justiniano Imperatori scribens, *cùm divinitus*, inquit, *patiatur multas religiones esse*, *nos unam non audemus imponere. Retinemus enim legisse voluntariè sacrificandum esse Domino*, *non cujusquam cogentis Imperio*. Et Tertullianus ad Scapulam, *non est*, inquit, *religionis cogere religionem*, *quæ sponte suscipi debet*, *non vi*. Consentit Clemens Romanus *initio lib.* 9. *recognit.* ad Jacobum fratrem Domini, ac D. Bernardus in Cantic. ser. 66. ait, *suadenda*, *non imponenda*.

De facto tamen aliter aliquando contigisse legimus, & Principes coegisse Judæos commorantes in regnis, vel ditionibus suis, fidem & baptismum suscipere. Paulus enim Diaconus refert *lib.* 23. quod Thesias, Arabum dux Judæos, & Christianos ad menzerisandum, id est ad characterem Mahumeti accipiendum, compulerit. Et Heraclius etiam Heracletæ Filius, Imperator, Iudæos invitos ad baptismum compulit, ut in epitome vitarum Cæsarum post Aurelium Victorem habetur in ejus vita. Extat tamen Heraclii secundi constitutio *lib.* 1. *juris Orientalis*, qua omnes Hebræos Hierosolymis expulit, & cavit, ne intra tertium miliare accedere liceret. Extat & *in eodem libro* alia Constitutio Leonis Iconomachi Orientis Imperatoris, quam anno sexto Imperii, Hebræos, ac Montanos ad baptismum adegit. Sisebutus quoque Rex Hispaniarum coegit Iudæos ad nonaginta milia ad baptismum venire, *can. de Judæis d.* 45. vel regno suo excedere, idque regni sui anno quarto, & Heraclii quinto, ut scribunt Isidorus *in Etym.* & Ado. Quod postea dicitur æmulatus Dagobertus, Francorum Rex, ut scribunt Vasæus, Paulus Æmilius, & Aymon. *lib.* 4. *Hist. Franc. cap.* 22. Hoc autem cum quadam causa factum ab utrisque putatur fere eodem tempore. Eoque, ut scribit Blondus *libro nono decad.* & Paulus Æmilius *in* 1. quidam Astrologus prædixerat à circumcisis vastandum Imperium. Sub annum quoque 1295. jam tertiò Iudæi in tota Francia spoliati, & exacti sunt, hancque expulsionem ipsi appellant *Kalo*, quod anno 36. post illam Philippi Augusti exactionem, quæ incurrit 1190. pulsi tunc Iudæi migrarunt in Germaniam. Unde & Iudæos Germanos esse de radice, seu trunco Francorum scribit Rabinus Elias in Tisbi in radice *Karbatz*. Extat & alia novella 55. Leonis Imperatoris Philosophi, ut Iudæi secundum ritus Christianismi vivant, per quam emendavit titulum Codicis Iustiniani de Iudæis, & Novellam Iustiniani 46.

Possunt tamen cogi Iudæi, ac Infideles à Prælatis Ecclesiasticis ad retinendam Fidem, quam semel susceperunt, etiamsi à principio vi coacti, & necessitate compulsi illam susceperint, quando coactio fuit conditionata, id est non susceperint baptismum, nec consensum præbuerint in illius susceptionem, nisi coacti fuissent, modò tamen in actu suscipiendi voluntarie baptismum susceperint; secus autem si coactio fuerit absoluta, & nunquam hujusmodi consensus fuerit adhibitus. In tali enim casu character non imprimitur, ut docet Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 24. *sect.* 1. *concl.* 1. aliique ac probatur *ex can. de Judæis d.* 45. desumpto ex Concilio Toletano 4. *cap.* 56. ubi sic habetur: *Qui autem jampridem ad Christianitatem coacti sunt venire, oportet, ut fidem, quam etiam vi, vel necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, & fides, quam susceperunt, vilis & contemptibilis habeatur.*

Quamvis autem non liceat Infideles, neque directe, neque indirecte cogere invitos ad Fidem, hoc tamen non procedit in illa coactione, quæ fit per jactantiam prædicationis. Illa enim potest, ac debet erga Infideles cujuscumque generis adhiberi, quia non est coactio, sed efficax persuasio, D. Thom. *in quæst. de verit. q.* 22. *art.* 9. *in resp. ad ult. arg.* Innoc. *in cap. quod super nu.* 8. *de vot.* Turrecrem. *in can. de Judæis num.* 1. *in resp. ad* 1. *d.* 45. Borgnin. *dec.* 21. *num.* 18. *tit. de contract.* ubi refert, ita fuisse conclusum Papiæ, ac ita ibi servari. Unde si Infideles, ac Iudæi sint subjecti Principi Christiano, probabile esse, quod compelli possint ad audiendam Fidem ait Bannes 2. 2. *qu.* 10. *art.* 10. *dub.* 4. *concl.* 4. Suarez *disput.* 18. *sect.* 2. *num.* 3. Filiuc. *tr.* 22. *cap.* 4. *num.* 117. & Castropal. *loc. cit. pun.* 5. *num.* 4. Etsi Castropalaus, aliique cum Bannes putent probabilius, non posse subditos infideles cogi à Principe Christiano ad Fidem. Et ad Constitutionem Gregorii XIII. pro concione habenda Iudæis die Sabbathi, relatam à Pegna post directorium, respondent, quod mulcta ibi Iudæis imposita, nolentibus audire concionem Evangelicam, non est pœna, sed quoddam tributum, quod Romanus Pontifex ab illis exigere potest.

At tenendum est, tanquam certum, posse summum Pontificem mittere prædicatores ad Infideles, qui eos doceant Christi doctrinam, ut per Sotum, qui pluribus id probat *in* 4. *sent. art.* 10. *concl.* 1. Nam ex hac obligatione solum compelluntur audire prædicationem Evangelii, non autem illud sequi, ac proinde non est compellere ad Fidem. Quare Nicolaus Tertius in sua prima Constitutione, & Gregorius XIII. in Constitutione, *Sancta Mater Ecclesia* statuerunt, quod in omnibus locis, in quibus adest competens numerus Iudæorum, qui Synagogam constituat, semel saltem in hebdomada pro eorum conversione prædicatio habeatur, ad quam sub pœnis, ibi contentis accedere cogantur omnes utriusque sexus majores duodecim annis, ac legitime non impediti, in Civitate habitantes, vel aliunde advenientes, etiamsi ibi domicilium non habeant ita, ut tertia saltem eorum pars semper adsit.

Iacobus etiam Rex Aragonum perpetuo suo edicto, dato Ilerdæ quarto Idus Martii 1242. statuit, ut quandocumque Archiepiscopus, Episcopi, vel fratres Prædicatores, aut Minores accesserint ad Villas, vel loca, ubi Sarraceni, vel Iudæi moram faciunt, ac Dei verbum iis proponere voluerint, iidem ad ipsorum vocationem conveniant, ac patienter eorum audiant prædicationem. Quod si spontè venire noluerint, Officiales ejus ad id, omni excusatione postposita, compellant. Quod quidem edictum fuit confirmatum ab Innocentio Quarto suis litteris ad Archiepiscopum Terraconensem, quæ incipiunt: *Ea, quæ ad Regis æterni gloriam*, datis Lugduni 13. Kalend. Septembris anno sui Pontificatus tertio, ut habetur in Constitutionibus Concilii Terraconensis collectis anno 1555. *lib.* 5. *tit. de Judæis & Sarracenis Constit.* 4. Et quidem possunt Principes seculares indirecte compellere Infideles, ac Iudæos ad Fidem, vel baptismum duobus modis. Primo negando illis jus habitandi in suis Provinciis, nisi audiant prædicationem Evangelii. Nam quod quis absolute, ac sine conditione alicui negare juste potest, id multò magis negare potest sub honesta aliqua conditione. Principes autem Christiani possunt absolute negare Infidelibus, ac Iudæis jus habitandi in suis Provinciis. Atque adeo possunt etiam negare sub hac conditione, nisi velint audire prædicationem Evangelii. Secundo imponendo illis majora vectigalia quàm aliis subditis Christianis, manendo tamen intra limites justitiæ, ut hac ratione alliciantur ad Fidem Christianam, quando vident majori benignitate agi cum Christianis, quàm cum aliis. Vide Gratianum *in can. Jam verò* 23. 9. 6.

Hinc valdè displicet id, quod Castropalaus, ac nonnulli alii inconsultò dixerint, summum Pontificem Romæ exigere tributum à Iudæis ex prædicatione Evangelii. Hoc enim semper alienum fuit ab Ec-

clesia Romana, ut constat *ex capit. sicut Judæi, de Judæis.*

Certum etiam est, posse Ecclesiam per se vel per Christianos Principes compellere quoscunque infideles, ne prædicationem legis Evangelicæ, ac propagationem Fidei impediant; Sed potiùs, ut permittant. Ita etiam D. Thomas *cit. q.* 10. *art.* 8. Sotus *in* 4. *d.* 5. *qu.* 1. *art.* 10. ac Victoria *in relect. de Indis.* Quare, si infidelis aliquis Princeps blasphemiis, irrisionibus fidem Christianam afficeret, iniqua persuasione, vel persecutione illius prædicationem impediret, poterit Ecclesia vi, & armis hujusmodi violentiam, ac injurias propulsare, ut per Sot. *loc. cit. concl.* 2. Innocent. *in d. cap. quod super num.* 7. ac Doctores communiter, quos citat Filiuc. *ibid. num.* 118. probaturque ex pluribus decretis, quæ referuntur *in caus.* 23. *qu.*8.

Nam Princeps, qui habet aliquod jus, aut potestatem, non solum potest illam exequi, sed etiam potest quoscumque alios compellere, ut non impediant proprii juris executionem. Immò etiam bello punire eos, qui ipsi injuriam inferunt, impediendo prædicti juris executionem. Ecclesia autem habet jus, ac potestatem prædicandi Evangelium per universum Orbem ex Matth. 28. *num.* 19. & Marc. 16. *num.* 15. Ac proinde habet etiam potestatem compellendi quoslibet infideles, ut non impediant Evangelii prædicationem.

Ex quo sequitur, Ecclesiam posse concedere alicui Principi Christiano curam & potestatem introducendi, & conservandi idoneos prædicatores in Provinciis Infidelium, ac ulciscendi omnes injurias hujusmodi prædicatoribus illatas. Immo etiam titulo belli occupandi Infidelium Provincias, in quibus non permittitur libera Evangelii prædicatio.

Ac certum denique est, Infideles subjectos in temporalibus Principi Christiano, vel Ecclesiæ, cogi posse, ut deponant errores rationi naturali contrarios, ac removeri à falso cultu, & superstitione Idolorum, nihilque audeant perpetrare in contemptum, vel injuriam, & ignominiam Christianæ Religionis. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 10. & 11. ibique Bannes *dub.* 2. Suarez *disput.* 18. *sect.* 4. *num.* 9. & tradunt Conink *disp.* 18. *dub.* 12. *concl.* 2. Filiuc. *loc. cit. numer.* 19. Castropal. *ibidem pun.* 7. *num.* 1. Eymer. *in direct. p.* 2. *qu.* 46. ibique Pegna *com.* 71. qui multos alios refert.

Ad secundum. Casus, in quibus Quæsitores Fidei procedere possunt contra Judæos, ac Infideles leguntur in Constitutione Gregorii XIII. *Antiqua Judæorum improbitas*, quod adducemus, cùm de illorum jurisdictione tractabimus.

Consultatio XXVIII.

De Atheis. Quid sit Atheismus, quæ prima ejus origo, quæ causa, quive effectus, qui Athei. An, & quatenus Dei existentia demonstrari possit? Quave certitudine credendum, posse illam demonstrari naturaliter via ascensionis, & à posteriori? An hoc sit de Fide, anne?

INter omnia Sacræ doctrinæ principia præcipuum obtinet locum supremi alicujus Numinis existentia: *Accedentem enim ad Deum oportet credere*, id est cognoscere, *quia est*, Hebr. 11. si ibi sermo sit de existentia Dei, ùt auctoris Naturæ, & ex D. Augustino lib. 4. de civit. cap. 20. *Fidei primum, & maximum officium est, ut verum credatur Deum. Quod ab Atheorum calumniis vindicandum est.*

Atheismus significat falsam & impiam illorum persuasionem, qui alicujus supremi Numinis existentiam directè negant, dicuntque in corde suo: *Non est Deus.* qui rectè proinde à Davide insipientes appellantur *Psal.* 13. & 51. Extremæ enim dementiæ est, Deum negare, & plusquam infidelitatis, quia nec opus divina Fide, ut cognoscatur & sciatur, Deum esse, sed ad id sufficiat lumen ipsum naturale. Etsi enim Deum esse ex Scripturis Sacris, ac doctrina Fidei convinci, extra controversiam sit, cùm nihil pene aliud tota Scriptura clamet, adeoque esse Deum asseveret, ut etiam ab existendo nominari, cognoscique velit, referens Deum de seipso dixisse: *Ego sum qui sum*, posse tamen insuper naturali ratione probari, Deum esse, fatendum est, non quidem à priori, quia Dei esse nullam habet causam & Dei natura nec verbis explicari, nec animo, vel intellectu comprehendi potest, sed ex effectibus Deum esse tam luculenter demonstrari potest, ut meritò sint inexcusabiles, qui debitum ei cultum non exhibent, pluresque Athei potius Dei existentiam præ malitia, & quantum ad affectum nolint, quam præ ignorantia nescire. Quod forte per illam particulam *in corde* significare voluit Psalmista locis modo citatis. *Pauci inveniuntur tantæ impietatis*, ait Augustinus ser. 10. de verb. Dom. *ut impleatur in eis, quod scriptum est: Dixit stultus in corde suo, non est Deus. Insania ista paucorum est. Sicut enim magna pietas paucorum est, ita & magna impietas, nihilominus paucorum est.* Utinam ferreo hoc ævo nonnisi paucorum sit!

Quod spectat ad primam hujus impietatis originem, illos, qui nullum omnino Deum admiserunt Lactantius lib. 7. cap. 9. ait *non modo Philosophos, sed ne homines quidem fuisse.* Consensit prope Augustinus tract. 106. in Joan. *Exceptis paucis*, inquit, *in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum Deum mundi hujus fatetur authorem.* Eandem Atheismi causam Damascenus libro primo Fidei capit. tertio his verbis tradit: *Pravitas tantum invaluit, ut quosdam in irrationabilissimum, & omnium malorum pessimum barathrum detruderet, ut dicerent, non esse Deum.*

Aliam causam attigisse videtur Lactantius de ira Dei cap. 9. ubi recensens *minutos, & inertes*, ut vocat, *Philosophos*, qui tot seculis, & ingeniis assertum Numen tollere aggressi sunt, recenset Diagoram, & Theodorum, quos, ait, quia nihil novi poterant reperire omnibus jam dictis, & inventis, maluisse contra veritatem, id negare, in quo priores universi absque ambiguitate consenserant.

Protagoram dubitasse de Deitate, commemorat ibidem Lactantius, at nonnisi de Diis Athenienşium dubitasse, scribit Josephus *lib.* 2. *contra Appionem.* Fuisse verò omnino impium, ac opinatum, nullum esse Deum, prodit Eusebius *lib.* 14. *præparat. cap.* 1. & Epiphanius *in compend. doctr. Eccles.* quæ habetur in fine Pavarii, & Sextus Empyricus *lib. contra mathemat. in exam. Physic. capit. secundo.* Tametsi quæ de Protagoræ libro refert Eusebius *supra*, & Theophilo *libro tertio ad Autol. sub initio*, ejus dubitationem tantum sonant. Communiter tamen hæc impietatis origo tribuitur Protagoræ, ut testatur Tullius 1. *de natur. Deor.* & Lactantius *de ira Dei cap.* 9. & *libro secundo divin. Instit. cap.* 2. Et quamvis hunc initio non de Deo simpliciter, sed de Diis Atheniensibus dubitasse, scripserit Iosephus, sensim tamen Deum omnem sustulisse, docent Eusebius, & Epiphanius locis allegatis. A quo errore ita populi tunc abhorruerunt, ut referat Iosephus ibidem, hoc solo nomine Protagoræ natale solum ab Atheniensibus fuisse deletum, & utinam cum ipso tam horrendum impietatis monstrum!

At longe aliter res se habuit. Nam & complures adhuc post ipsum ex antiquitatis memoria repetuntur, qui divinitatem funditus negarunt, ut Theodorus Cyrenaicus, teste Tullio 5 de nat. Deor. & Diagoras, de quo Cæcilius apud Minutium in Octavio v. g. & Athenagoras orat. pro Christian. *Diagoræ*, inquit, *est*

aperte promulgata sententia, nullum plane extare Deum. Idem ex Plutarcho confirmat Theodoretus 2. *adversus Græcos in fine.* Sed & Athenienses eam ob causam decrevisse talentum ei, qui Diagoram occideret, refert Cyrillus *lib.* 6. *in Julianum ad text.* 1. & *Josephus* 2. *contra Appionem*, eorundem Atheniensium, ac etiam Scytharum, ac Persarum in impietate hac eliminanda studium adjungens. Causam atheismi Diagoræ Sextus supra memorat, fuisse, quod pejerasset quidam, à quo ipse læsus fuerat, ideoque pœnam evasisset humanam, nec tamen divina ultio subsequuta esset.

His accedit Clitomarus, & Critias, ut autor est Theophilus supra. Quibus Ælianus 2. *var. Histor. cap.* 31. adjungit Euhemerum Messenium, Diogenem Phrygem, Hypponem, & alios, quos, ait, Barbaris omnibus nequiores fuisse, cum omnes Barbari Deum agnoverint. Irrationabile, sterile, atque inutile hujusmodi genus hominum vocat Maximus Tyrius *dissert.* 1. *num.* 4. Aggregatum eidem Atheorum numero Heraclitum, testis est Clemens Alexandrinus *in protreptic. ante medium.* At injuria audivisse Atheum, constat ex ejus epistola ad Hermodorum, qua seipse de hujusmodi crimine purgat, clauditque eam perillustri sententia. Questus enim, quod lapides Deorum nominibus inscripti testes essent deitatis apud Ethnicos, subdit: *Opera testimonium, Deo, perhibere debent, ut Solis, nox, & dies de eo testantur. Quatuor anni discrimina testimonium ei ferunt, terra universa fructum producens testis est. Lunæ circulus, illius opus, cœleste testimonium.* Sic ille, ostendens Deum non se reliquisse sine testimonio. Itaque Justinus *in apolog. ad Antonin.* vocat Heraclitum, Christianum, & purgat ab atheismi calumnia.

De Stoicis ita loquitur Theophilus 2. ad Autolycum sub initio: *Stoici quidam Deum esse in universum abnegant, aut si sit, eum nullius, quàm sui curam gerere. Hæc quidem Epicurus, & Chrysippus delirant.* Quod eodem recidere monet Lactantius *lib. de ira Dei cap.* 9. qui tamen eos purgat, asserens eos & de existentia Deitatis, & de providentia benè sensisse. Quod constat ex *Epicteto Stoico cap.* 38. *Enchir. ac sæpe alibi.* At Epicurum non modò Deum fuisse improvidum, sed omnino etiam inficiatum esse, ex Possidonio refert Lactantius *de ira Dei cap.* 4. tametsi eum depellendæ invidiæ causa verbo tenus admitteret. Quod Possidonii judicium approbat Tullius *ad finem lib.*1.*de nat.Deor.* & annuit Sirenius *lib.* 1. *de fato cap.* 3. *& lib.* 4. *cap.* 1. Sed aliter censuit ipsemet Tullius 2. *de nat. & alii apud Sextum Empyricum lib. contra mathem. in exam. scient. phys. cap. an sint Dii.* Refert enim Sextus, eos dixisse, Epicurum secundum vulgus negasse numen, non tamen reipsa. Epictetus apud Arrianum *lib.* 2. *dissert.* 20. ait, Epicurum id conatum, ut persuaderet Deos non esse, vel si sint, humana tamen non curare, neque aliquid commune nobis cum illis esse, idque quod sanctum & pium in ore habent homines, esse falsum, & ementitum quiddam, profectum ab impostoribus, & à legislatoribus, ut populos continerent.

Videtur tamen de Epicuro receptius esse, quod duntaxat, ut loquitur Tertullianus *cap.* 46. *apologet.* Deum statuerit otiosum, & inexercitum, ac neminem humanis rebus. Ita Epiphanius *circa initium Panarii*, Lactantius *lib.* 3. *cap.* 17. Augustinus *lib.* 18. *civit. cap.* 41. Theodoretus *in Epit. divin. decret. cap. de provid.* & 6. *contra Græcos fere sub principio*, Atticus *apud Eusebium* 15. *præpar. sive lib. contra Philosophos cap.* 4. & ipse Epicurus *Epist. ad Menicœum*, quam refert Laërtius *lib.* 10.

Socrates, quod polytheismum, tunc receptissimum damnaret, atheismi damnatus est, ut habetur ex Cyrillo 8. *contra Julian. ad tom.*1. Qua etiam ex causa Christiani Athei dicti sunt, teste Justino *supra*, & Arnobio *lib.* 6. *in fine & lib.* 3. *num.* 23. & Athenagora *orat. pro Christian. init.* & aliis plerisque antiquis. De prætensa vero Socratis sanctimonia, plura, ut alios omittam Pererius *disp.* 18. *in Epist. ad Roman.* & Erasmicam Socratis apotheosim minime sane ratam habuit Hadrianus Cardinalis *lib.* 4. *de vera Philosophia cap.* 8. *&* 9. omnes universè gentium Philosophos ignibus æternis addicens.

Aristotelem Atheis annumeratum, imo atheismi auctorem, pronunciatum à quibusdam, referunt Carpentarius *digress.* 3. *in Alcinoum*, & Neovillæus *lib.* 3. *de pulchritudine animi cap.* 10. Platonem item atheismi insimulat Crispus *distrib.* 1. *lib.* 2. *pag.* 38. Sed apertæ calumniæ sunt. Quod vero Tullium atheis aliquoties recenset Augustinus *lib.* 5. *Civit. cap.* 9. tametsi ait, eum dissimulanter egisse, aliis judicandum relinquo. Inter Atheos etiam adnumerandus Lucianus, omnium numinum irrisor, ob impietatem, teste Suida, discerptus à canibus, & non alium præter Naturam Deum agnoscens Lucretius *lib.* 5. *ac* Plinius *libro duodecimo cap.* 1.

Sed quid antiquos numero, dum nostris adhuc temporibus omnia fere mundi regna tot hujusmodi impiis & consceleratis nebulonibus scatent, eo cavendis magis, & formidandis, quod tecti occultique sunt, majorique propterea impunitate grassantur. Macchiavellum cum toto grege suo meritò inter Atheos recenset Lessius *cap.* 2. *de provid. Dei*, quod iis credi Deum ex usu vitæ est, quodque aliarum rerum procurationem non habere videantur, quam earum, quæ ad externam reipublicæ gubernationem pertinent; de religioso autem cultu ea ratione duntaxat solliciti sint, quatenus ad continendos populos in civili disciplina, & obedientia, arbitrio humano expedire judicaverint.

Hæc enim falsa pietatis simulatio ex alio fonte, quam ex ipso Atheismo proficisci non potest. Merito etiam annumerari debent, qui animæ rationalis immortalitatem negant. Hæc enim duo dogmata, summa videlicet supremi alicujus Numinis existentis providentia, & animarum immortalitas, sunt adeo inter se connexa, ut se vicissim statuant, & tollant. Unde etiam inter diversa Atheorum argumenta, istud ab illis fieri solet: Sola animæ immortalitas Deum esse convincere videtur. Atqui mortalis est. Igitur nullum superest divinitatis, divinæque alicujus providentiæ fundamentum.

Idipsum de fabulosis, ac indignis Ethnicorum de Deo placitis dixit Aristoteles 12. *Metaph. text.* 50. Et de Jove armato Seneca *lib.* 2. *natural. cap.* 42. Nec alio fine excogitatas fuisse Deorum statuas fatebantur aliqui Ethnici apud Arnobium *lib.*6. *in fine*, & de Deitate ipsa aliqui apud Sextum Empyricum *contra Mathem. in exam. scientiæ Phys. cap.* 1. Ac nominatim Critias, ex quo hæc verba refert cap. 2. *Fuit tempus quando erat hominum vita inordinata & belluina, & ministra virium, cùm neque bonis ullum esset præmium, neque ullum malis supplicium. Deinde mihi videntur homines leges tulisse, quæ pœnas irrogarent, ut tyrannus esset Justitia, & ancillam haberet Contumeliam. Multabatur autem si quispiam peccaret. Deinde quoniam leges quidem ipsos eò adducebant, ut palam scelera non admitterent, clanculum autem ea admittebant, tunc mihi videtur vir aliquis ingeniosus & prudens cognovisse, quod operæ pretium faceret, si inter mortales invenisset, quemadmodum malis metus esset incutiendus, etiamsi clam agerent, aut dicerent, aut cogitarent. Hinc Deum introduxit, nempe quod sit Deus minime interitui obnoxia vigens vita, menteque audiens, & aspiciens, cogitansque, & hæc attendens, & divinam gestans naturam. A quo auditur quidem quicquid dictum est inter homines. Quicquid autem fit, videre poterit. Si quis autem apud se tacitus aliquid cogitat mali,* hoc

hoc Deos non latebit, inest enim prudentia. Hæc autem dicens, induxit documentum longe jucundissimum, nempe falsa oratione tegere veritatem. Semper autem hic dicebat Deos, ut maxime terreret homines eò ducens. Unde præscivit timores esse mortalibus, laboresque, & afflictiones calamitosæ vitæ ex superno circuitu, ubi vidit esse fulgura, & horrendos sonos tonitrui, & stellarum cœli corpus affabre factum & varium opus sapientis artificis. Unde & candens procedit astri globus, humidusque in terram imber proficiscitur. Ad hos timores reduxit homines, per quos verbis dæmonem pulchrè, & in decenti loco fecit habitare, iniquitatem autem extinxit legibus. Sic ille ibi: Et cùm pauca adjecisset, subjunxit: *Sic autem primum arbitror aliquem persuasisse mortalibus, ut existimarent esse genus dæmonum.* Sed meritò possumus in hunc intorquere, quod in Plinium Vives lib. 1. de verit. Fidei cap. 9. *O proditorem generis humani! Nam si id secretum tanti nostra refert ignorari, tu qui profers, an non prodis nos, & vinculum illud dissolvis, quo societates, cœtusque hominum continentur?*

Nec injuria sanè Plato *lib. 12. de legib.* gravissime statuit, si salva futura est Respublica, nullo modo esse permittendum, ut qui ejus curam capessunt, impiam de Deo sententiam habeant, cùm Reipublicæ salus nitatur vera Dei cognitione. Id, quod usus quoque ipse, & experientia tot seculorum confirmat. *Nusquam enim*, ait Plutarchus lib. contra Colotem cap. 28. *extare urbem, aut oppidum, quibus nullus sit Deus, nulla juramenta, nullæ preces, nulla sacrificia ad bona curanda, & mala impendentia procuranda. Talem urbem à nemine unquam visam, aut etiam videri posse, potiusque conspiciendam sine Sole urbem, quàm sine Deo, ac religione. Hos enim esse nervos totius humanæ societatis & fundamenta, sine quibus, nullæ leges vigere, nulla politia consistere queat.* Et Tullius de natur. Deor. *Nulla est tam barbara natio, nulla gens tam efferata, cui non insideat hæc persuasio, Deum esse.* Et qui in aliis vitæ partibus minimum videntur à belluis differre, quoddam tamen perpetuo religionis semen retinent, suaque sacra & sacrificia habent. Cujus quidem conceptionis etiam idololatria documentum præbet.

Quare vanissimum est, quod a nonnullis dicitur, paucorum calliditate excogitatam esse religionem, ut hac arte simplicem populum in officio continerent, cùm ipsi Deum esse non crederent. Quamvis enim nonnulla commenti sint homines, quibus reverentiam plebeculæ injicerent, quò haberent obsequutiores ejus animos, id tamen nunquam obtinuissent, nisi prius constanti de Deo persuasione hominum mentes imbutæ fuissent.

Adversus hujusmodi Deitatis hostes Divus Augustinus, 3. contra litteras Petiliani cap. 21. ait dici in Psalmo, *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus, hoc* inquit idem Augustinus in Psalm. 13. ac ibidem Chrysostomus, *nemo audet dicere, etiamsi ausus fuerit cogitare*, insigni sane pudendæ blasphemiæ testificatione.

Imo si Novatianum audimus lib. de Trinit. cap. 3. Irenæum lib. 1. cap. 19. Origenem hom. 12. in Hierem. Fulgentium Epist. de baptismo Æthiopis & Augustinum in Psal. 80. ad illud: *Non erit in te Deus recens,* omnes quotquot sunt hæretici, referendi sunt in hanc classem. Quamvis enim in officina decepti cordis, ut Augustinus supra loquitur, fabricent sibi phantasma Dei, quale volunt, illudque non in Templis, sed quod est peius, in corde suo ponant ita, ut falsorum, ridendorumque simulachrorum templa ipsi fiant; *tamen non est Deus, qui ingenio hæretici fictus est*, ait supra Novatianus. Nec refert, quod hæretici nomine tenus, Deum admittant. Deus enim, ut notavit Maximus Madaurensis Ethnicus, apud Augustinum Ep. 43. *omnibus religionibus*, quantumlibet ementitis, *commune nomen est*. Rectè ergo dixit Clemens Alexandrinus lib. 7. Strom. cap. 9. *hæreses assuefacere nescio quomodo, eum qui non est nosse Deum*, hoc est Deo carere.

Quod autem attinet ad causas Atheismi, *hoc est, cur aliquis Atheus fiat?* Prima est insipientia, cordisque insania, atque fatuitas, per quam homines in opiniones absurdissimas, ac diversos errores facile labuntur.

Secunda. Ingens peccatorum numerus, eorum præcipue, quæ ad libidinem, & gulam pertinent, quæ tenebris mentem obsident, & nescio quam hebetudinem, atque torporem ingenerant, ut eleganter ac docte more suo Div. Thomas 2. 2. *quæst.* 153. *art.* 5. explicat.

Tertia. Quod ita judicent homines, prout affecti sunt, ac prout rem illam, de qua judicium ferunt sese habere vellent. Inde enim fit, quod, etsi creaturæ omnes Deum esse appetant naturali, & innato appetitu, velut primam, atque præcipuam sui esse causam, appetitu tamen elicito, ne juxta delictorum suorum gravitatem puniantur, vellent animas suas esse mortales, ac proinde Deum non esse.

Quarta. Quod homines omnia Dei consilia suo judicio metiri velint, quæ cùm assequi non valeant, putant nullum esse Deum eo ferè modo, quo Saducæi, qui dum Spiritus concipere non possent, eos esse negarunt.

Pro quinta causa statui potest Impatientia hominum, & incredulitas, qui nisi statim impetrent, quod à Deo postulant, nullum esse Deum falsissimè concludent ex eo, quod non eos confestim exaudierit.

Sexta causa est, quia vident rerum naturalium ordinem semper eodem modo, atque tenore se se habere, quapropter nullum esse rectorem existimant, sed res suopte genio hos, & illos versus peragere, hanc aut illam suæ durationis periodum ex seipsis obtinere, cùm tamen potius ex ordine, statoque rerum omnium tenore concludere deberent revera sapientissimum aliquem esse provisorem, & gubernatorem, qui modo convenientissimo, sapientiaque ineffabili hæc omnia in debitum ordinem redigat, atque moderetur.

Septima causa est inordinatum studium, nimiaque sollicitudo, qua nonnulli rebus naturalibus incumbunt, & earum motus omnes, opera, proprietates, & affectiones in causam naturalem referunt adeo, ut nihil illis supra naturam esse videatur.

Octava causa est hæresis, quæ est ad Atheismum via latissima. Nec mirum cum hæresis & Atheismus eandem originem habeant, incredulitatem videlicet, quæ ex superbia, atque nimia proprii judicii æstimatione proficiscitur.

Nona. Impiorum familiaritas, & consortium cujuslibet status, & sectæ hæreticos alloquendo. Ubi enim vident aliqui unumquemque eorum affirmare, atque jurejurando confirmare, quod stet ex illius parte veritas, alios verò falsitatem, & mendacium sectari, inde concludunt, melius esse nihil ex iis, quæ spectant ad religionem, quàm aliquid credere.

Decima est, quia belluarum instar solis sensibus credunt, præter quorum objecta, cætera omnia, quæ ad divina, atque spiritualia pertinere dicuntur, chimerica & phantastica existimantur.

Undecima. Cùm aliquid, quod antea velut miraculosum credebat Atheus vi causarum naturalium fieri deprehendit, statim imperitè concludit, cœtera, quæ miracula, atque adeo solius Dei opera nuncupantur, ut mortuorum resurrectionem, cœcorum illuminationem, & alia mirabilia, ut quod dæmones aliquos possideant, & energumeni, quantumvis ignari, variis linguis loquantur, vel naturæ vi, vel alicujus peritissimi artificis, causas occultas applicatis industria fieri.

Duodecima,

Duodecima quod impios bonis omnibus affluere, in regnis, atque rebuspublicis primatum tenere, bonos opprimere videant, justos autem malis omnimodis plerumque opprimi, atque pro nihilo haberi. Hinc enim concludunt Athei, vel nullum esse Deum, vel eum bonitate, justitia, atque providentia carere.

Decima tertia, quia dum tam paucos esse audiunt, qui divino cultui vacent, & numen divinum debita veneratione prosequantur, hinc concludunt fieri non posse, ut revera sit aliquis Deus optimus, qui fidelium, & omnium hominum, totiusque mundi curam habeat; alioquin, ajunt, facere debuisset, cùm illud posset, ut vel omnes verum ejus cultum, vel saltem plures amplecterentur.

Decima quarta, quia existimant, quæcumque vera esse dicuntur, eodem modo probari, atque adeo res morales, ac divinas sub mathematicam demonstrationem cadere debere, cùm tamen unumquodque suum peculiarem modum habeat, & alia sint moralia, alia divina, alia etiam physica, metaphysica, & mathematica argumenta.

Hæ sunt præcipuæ rationes, & causæ Atheismi, quas non minus prolixe, quam docte persequitur P. Mersennius *in Genesim cap.* 1. *v.* 1. *ar.* 3. illasque diluit, atque evertit.

Posset denique cum sexto Empyrico *lib. primo Pyrronic. hypothyposeon cap. primo* fieri tale argumentum. Quod si Deus sit, cùm sit bonus infinite, ac perfectissimus, nulla in mundo esset malitia, aut imperfectio. Nam contrarium unum infinitum destruit totaliter aliud. Cui argumento responsurus Arnobius *lib. secundo numer.* 49. post multam exaggerationem difficultatis, insolubilem existimare videtur. Alexander autem, quem refert, & late rejicit Simplicius *lib.* 2. *cœli in fine*, concedit Deum non posse mala excludere, alioqui ea omnino fuisse prohibiturum.

Et verò hoc ipsum argumentum multos Philosophos vexasse, testatur Lactantius *lib. de ira Dei cap.* 13. Sed recte respondet Scotus *in* 1. *d.* 2. *q.* 2. *in fine*, ac Sylvester *q. secundo conflati ar. tertio* oppositum non excludi formaliter ab altero opposito nisi à subjecto, in quo est. Et sic Deus infinite bonus, ac perfectus excludit à se omne malum & omnem imperfectionem. Effective autem non tenetur Deus excludere omne sibi oppositum, sed potest permittere ad bonos fines de quibus D. Thomas *lib. tertio. contra Gentes cap.*71.& Syrenius *lib. quinto de fato à cap.* 13. Dei sane benignitatem ex mali permissione sæpe eruunt Patres. Et ex eo, quod bona ex malis, quæ permittit, eruat, infinitam Dei potentiam agnoscit Plotinus *Enneade tertio lib. secundo cap. quinto* jure laudatus à Theodoreto lib. 6. adversus Græcos sub finem. *Magnæ facultatis est*, inquit etiam Æneas Gazeus in suo Theophrasto jure hoc suspiciens, *etiam ea, quæ male facta sunt in usum aliquem bonum convertere, & quæ nos informia fecimus, ea in formam pulchram posse redigere & perfecta exhibere.* Pulcherrime item hoc exaggerant Clemens *lib. primo stromat. cap. octavo* Nyssenus *sub finem orationis de iis, qui præmature obeunt*, Boëtius *lib. quarto de consolat. prof. sext. sub finem*, Prosper. *ad dub. septim. Genuensium*, S. Dionysius *cap. quarto divin. nomin. in fine*, Eucherius *homil. quart. de Epiphan.* Synesius *epist.* 57. Damascenus *lib.* 2. *fidei cap.* 29. Augustinus *lib. undecimo civit. cap. decimoseptimo* & *lib. decimotertio cap. quarto & undecimo*, ac *lib. de agone Christiano. cap.* 7.

Cœterum postremam hanc objectionem, cùm obiter proposuisset Trismegistus *cap. septimo. Asclepii*, ait primum respondendum nihil ad eam omnino esse, quasi scilicet indignam censeat, cui respondeatur. Tum subdit, Deum exclusioni malitiæ providisse, donando nobis rationem qua possimus quidquid nos dedecet cavere. Plura in Atheos pete ex Mullo *lib. primo de divina historia cap.* 11.

Gradus vero, quibus in hanc voraginem descenditur in hodiernorum Atheorum moribus copiose describit Vestonus *lib.* 3. *de hominis officio cap.* 17. & breviter, sed optime rem attigit Clemens Alex. *lib.* 3. *stromat. cap. quarto* ubi post alia in hanc rem sic ait: *ut Deus ignoretur, efficit vitæ institutum.* Et paulo ante: *Quomodo fieri potest, ut qui victus est à voluptatibus, Domino assimiletur, aut Dei habeat cognitionem?* Optime item alter Clemens *lib. primo recognit. sub initio* ait, *domum fumo peccatorum repletam, prohibere inhabitantes aspectu conditoris.*

Videamus ejusdem impietatis fructus. Ut enim Atheismus est effectus, ita & radix omnium vitiorum ex voluntate. Sic Chrysostomus in *psal.* 13. Athei cor *Templum impietatis* appellavit. Sic Regius Propheta tam *psal. decimo tertio* quam 52. asserit, eos, qui insipienter dicunt in corde suo non est Deus, corruptos, & abominabiles factos esse in studiis, & iniquitatibus suis, nec esse qui faciat bonum, non esse usque ad unum. Enimverò quemadmodum assensus in hanc propositionem, *Deus est*, fundamentum est totius Religionis, ac principium per se dirigens voluntatem ad bonum honestum, radixque totius bonitatis moralis adeo, ut Plato *lib.* 10. *de legib.* dixerit: *Qui Deos esse putat, nec facit quicquam sponte impie, nec loquitur.* Ita semel illo sublato, necesse est omnem virtutem de medio tolli, timorem omnem è cordibus hominum eradicari, & tandem vitiis omnibus criminibusque fræna liberius laxari usque ad omnem prorsus humanitatis corruptionem. *Quomodo enim*, ait Nyssenus tr. 2. psal. 13. *in suo quis esse duret, qui non est in eo, qui est. Quomodo quis maneat in eo, qui est, si non credat ei, qui est, quod sit.* Certè Plotinus *Ennead. secundo lib. nono cap. decimo sexto* ait, malum omnem in primis id habere, ut despiciat Deum, neque prius aliquem totum esse malum, quàm despiciat superos, ac si nondum in aliis omnibus malus est, ex hoc tamen uno in cunctis malum evadere. *Unde sicut corruptio abominationem meretur*, ait Hilarius ad eundem psalmi locum, *ita etiam nihil Regnis omnibus, rebusquepublicis bene institutis execrabilius esse debet quam falsum illud insipientum Atheorum dogma, dicentium in corde suo, non est Deus.* Denique de condignis pœnis tantæ impietatis legendus Plato *lib. decimo de legib. in fine.*

Porrò existentia Dei nullo pacto potest demonstrari à priori. Non enim potest ex natura objecti assignari ratio, quæ sit radix existentiæ. Nam existere in Deo habetur formaliter per primum conceptum ipsius. Primus autem conceptus importat rationem entis, non quocumque modo, sed prout est propria Dei. Hæc autem est ratio entis per essentiam, quæ formali modo in suo conceptu importat existentiam.

Quoniam verò præter Atheos, existentiam Dei absolutè negantes, sunt aliqui Hæretici, ut Illyricus, & Lutherus apud ipsum, qui illam ita admittunt, & saltem voce confitentur, ut tamen existiment sine Scriptura, solo affulgente lumine naturali, homines nihilo plus de Deo scire, quàm pecudes. Sunt etiam aliqui Doctores Catholici concedentes, rationes naturales, quæ afferuntur ad probandum Deum, omnes quidem esse probabiles, & intra genus probabilitatis multas esse adeo efficaces, ac certas moraliter, ut reddant homines inexcusabiles, si non venerentur Deum, ac illi debitum obsequium præstent

ſtent, in quo valde differunt ab Atheorum, & hæreticorum ſenſu, non tamen eſſe veras & perfectas demonſtrationes, ideo placet videre in communi, an & quatenus certum ſit, Dei exiſtentiam eſſe à nobis naturaliter cognoſcibilem, & à poſteriori demonſtrabilem. ?

Reſpondeo affirmative. Probatur deinde ex Scripturarum autoritate. Job. 36. ita habetur; *omnes homines vident eum*, ſcilicet Deum, *unuſquiſque intuetur procul.* Quod de notitia Dei evidenti ex creaturarum conſideratione naturaliter acquiſibili, communiter explicatur à Patribus, ſicut & illud Iſaiæ cap. 40. v. 26. *Levate in excelſum oculos veſtros, & videte quis creavit hæc.* Item ſapient. 13. dicitur: *Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui eſt, neque operibus attendentes, agnoverunt, qui eſſet artifex.* Et poſt pauca ſubjungit. *A magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ, cognoſcibiliter poterit Creator horum videri.* Et rurſus: *Si enim tantum potuerunt ſcire, ut poſſent æſtimare ſeculum quomodo hujus dominum non facilius invenerunt?* Ubi Sapiens ex communi Interpretum conſenſu invehitur contra illos, non qui nullo modo cognoverunt Deum, ne probabiliter quidem, ut ſatis conſtat ex toto contextu, & maxime ex ultimis verbis, ſed contra illos Philoſophos & exiſtimatos Sapientes, qui cùm haberent ſcientiam hujus ſeculi, id eſt rerum corporalium, & terrenarum, tantam tamen non habuerunt, quantam potuiſſe de Deo naturaliter habere ex creaturis ad excludendum falſos Deos. Unde iis verbis exprimit ſapiens cognitionem iſtam certam, & evidentem peti à rebus creatis, tanquam propriis effectibus ipſius Dei. Similiter ex pſalmo decimo octavo *Cœli enarrant gloriam Dei, &c.*

Alius, & principalis locus, qui afferri ſolet, eſt ex D. Paulo ad Roman. cap. 2. ubi ſic habet: *Revelatur enim ira Dei de Cœlo ſuper omnem impietatem, & injuſtitiam hominum eorum*, ſcilicet infidelium, *qui veritatem Dei in injuſtitia detinent.* Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtavit. Inviſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Sempiterna quoque ejus *virtus*, & divinitas ita, ut ſint *inexcuſabiles.* Ubi illæ particulæ *manifeſtum eſt illis*, & illæ aliæ *intellecta conſpiciuntur*, in prima & propria ſui ſignificatione denotant cognitionem evidentem, nempe à poſteriori, ut ex textu colligitur.

Quare D. Hyeronymus in hoc D. Pauli *intellecta conſpiciuntur*, tam evidenter, inquit, intellecta ſunt, ut conſpecta dicantur. Et S. Dionyſius de divinis nominibus cap. 7. aſſerit, Deum per ſcientiam cognoſci. Item epiſt. ad Titum: *Advertendum eſt*, ait, *duplicem eſſe traditionem Theologorum, unam Symbolicam, & myſticam; alteram Philoſophicam & demonſtrantem.* Quem locum explicans S. Maximus ait, *philoſophicam, & demonſtrantem Theologiam appellari, quæ eſt ex perſpicientia Creaturarum.* Quo certè nihil ad id clarius. Tandem D. Cyprianus lib. de idolor. vanit. D. Athanaſius orat. contra Idola, & D. Auguſtinus *lib. de ſpirit. & litter. cap.* 12. docent, quod Athei negent Deum eſſe id provenire tantum ex eorum protervia, vel cœcitate, quod ſcilicet nolint perpendere vim argumentorum, non autem ex defectu ſufficientis demonſtrationis.

Quapropter ſi in quibuſdam aliis S. Scripturæ, ſanctorumque Patrum locis videtur hominibus adimi omnis cognitio Dei, ut in pſalmis ſæpius habemus, non eſſe intelligentem Deum, & Iſaiæ cap. 1. *Iſrael autem me non cognovit*, ad vitandam omnem autologiam, reſpondeo, omnes hujuſmodi locos debere intelligi ex ſubjecta materia juxta aliquem ex his ſenſibus. Vel de cognitione exiſtentiæ Dei, ut diſpoſitiva ad ſalutem, ad quam non eſt diſpoſitio ſcientia, ſive cognitio Dei, autoris naturæ, ſed fides ſive cognitio Dei, ut autoris ſupernaturalis. Vel de Deo non ſecundum quæſitum, an ſit, ſed quid ſit. Ita enim per demonſtrationem à poſteriori ex creaturis, tanquam ex effectibus diſtinctè, ac evidenter probari poteſt exiſtentia Dei, ut tamen quidditas ejus, aut eſſentia, niſi valde imperfectè, & ſub confuſa quadam tantum ratione cognoſci poſſit. D. Athanaſius ad Serapionem de Spiritu Sancto ait, *Deitas non demonſtratione rationum traditur, ſed fide.* Vel de quibuſdam divinis myſteriis, quæ naturaliter minime poſſumus attingere, ut Deum eſſe Unum & Trinum, velle nos gratis inſtificare, &c. quæ ut ſunt ſupra totum ordinem naturæ, ita & ſupra totum rationis humanæ captum, ac vires. Vel de ſceleſtis hominibus, qui Deum cognoſcere ex creaturis non potuerunt ex ſuppoſitione pravi affectus, quoad alia divertebantur.

Poſtremò probatur ratione, divinam exiſtentiam eſſe evidenter demonſtrabilem vera demonſtratione àpoſteriori, quantum eſt ex ſe, ac per ſe. Ex effectu poteſt, quantum eſt ex ſe, demonſtrari cauſa neceſſaria ſeu neceſſariò requiſita ad productionem talis effectus. Hoc eſt certum, ac evidens lumine naturæ, ut ſatis patet ex Philoſophia, in qua ex effectibus neceſſariaque illorum connexione cùm ſuis cauſis, argumentamur ad illarum notitiam, ſaltem quoad *an eſt.* Nam ſicuti ex hoc, quod cauſa, ut ſic, dicit ordinem ad effectum, poſſumus per illam à priori argumentari ad effectum, ita etiam à poſteriori per effectum ad cauſam. Quia etiam effectus dicit ordinem ad ſuam cauſam, præſertim quando cauſa non eſt per ſe nota, ut accidit, & ſupponitur in præſenti. Atqui creaturæ omnes ſunt veri quidam effectus Dei, & Deus eſt cauſa neceſſaria, ſive neceſſariò requiſita ad illarum productionem. Atque adeo per ſe loquendo, ſive quantum eſt ex ſe poteſt evidenter demonſtrari, Deum eſſe demonſtratione à poſteriori ex creaturis, tanquam ex effectibus. Quod eſt propoſitio cognita per fidem, quæ à nullo conſequenter Catholico negari poteſt. Eſt enim argumentum theologicum ex majori neceſſaria lumine naturæ, & ex minori cognita per fidem. Quod eſt diligenter advertendum ad reſolvendum quanta & quali certitudine ſit certa hæc præſens concluſio.

Oſtenditur etiam veritas hujus concluſionis reſpectu noſtri, quod ſcilicet, ſpectata natura & conditore humani intellectus pro præſenti ſtatu viæ, non ſolum per ſe, & ex ſe ſit demonſtrabilis, ſed etiam in ordine ad imperfectionem noſtri intellectus. Primo addendo tantum aliquas particulas argumento ſtatim facto, ſic: Ex effectibus notioribus nobis poſſumus nos certò, ac evidenter devenire in cognitionem exiſtentiæ cauſæ illorum. Creaturæ autem ſunt effectus nobis notiores, quorum Deus eſt cauſa neceſſaria, hoc eſt neceſſariò ad illorum productionem deſiderata. Et proinde ex creaturis poſſumus evidenter devenire in cognitionem Dei.

Secundo quia quotieſcumque eſt cognoſcibilis certò & evidenter infallibilis, & neceſſaria connexio effectus cum ſua cauſa, eſt etiam demonſtrabilis ex effectu cauſa. Hæc propoſitio videtur omnino certa, tota ſiquidem argumentatio ab effectu ad cauſam fundatur in neceſſaria, & infallibili connexione utriuſque. Sed ab intellectu humano cognoſcibilis eſt certo, ac evidenter infallibilis, atque neceſſaria connexio inter creaturam, & Deum. Ergo ab intellectu humano demonſtrabilis eſt ex creatura Deus. Minor ita declarari poteſt. Nomine Dei, in illa contento intelligimus primam cauſam, primumque principium.

Nomine

Nomine creaturæ totam entis creati collectionem. Hæc autem dicit infallibilem connexionem cum causa prima, & increata, certo ac evidenter ab humano intellectu cognoscibilem, &c. Cum enim ens creatum non potuerit creari, vel produci ex seipso, alioquin esset simpliciter prius ac posterius seipso, quod involvit contradictionem, essetque actu antequam esset, statim intellectus bene ac sapienter dispositus colligit certo ac evidenter ex terminis ipsis, debuisse creari ab aliquo extra ipsum, atque adeo ab ente increato, quod est extra collectionem creati.

An autem hoc sit de fide, an ne? Discrepant inter se Doctores. Aliqui enim existimant, id tantum esse certum certitudine quadam philosophica, non autem theologica ita, ut qui illam negaret, nulla prorsus censura theologica esset dignus. Alii tamen volunt, id ita esse certum, ut existiment oppositum esse vel temerarium vel erroneum, vel contra fidem. Divus enim Thomas de verit. q. 10. ar. 12. ait, esse *manifeste falsum*, & 1. contra gentes cap. 12. appellat *errorem*, quam censuram probant multi, Bannes 1. p. q. 2. ar. 2. ait esse propositionem *temerariam in fide* & Nicolaus Isambertus ibidem *hæreticam* appellat, quatenus vult conclusionem nostram esse de fide.

Hac in re ita distinguendum puto. Aliud est, aliquid posse demonstrari, & aliud, aliquid reipsa & de facto demonstrari Primum affirmat dari solummodo sufficiens medium, per quod talis veritas possit demonstrari, illud tamen non explicat in particulari nec de facto applicat. Secundum verò id præstat, & exequitur. Quare sicut hæc duo valde inter se distinguuntur, ita etiam aliud est negare absolute demonstrabilitatem divinæ existentiæ à posteriori per creaturas, & aliud negare, quod rationes, quæ ad hunc finem de facto adducuntur non sint efficaces, nec veræ ac perfectæ demonstrationes.

Si quis igitur, id negando, concederet tamen veritatem esse ex se nobis demonstrabilem, existimarem illum non esse censura aliqua theologica dignum. Nam revera non est certum secundum fidem, aut secundum Theologiam, quod hæc, vel illa ratio in particulari ad probandum Deum esse, sit perfecta demonstratio. Pro pessimo tamen philosopho esset habendus. Quia non est dubium, quin aliquæ ex his rationibus, si non omnes, attentis duntaxat principiis philosophicis solo lumine naturali notis, sint veræ ac perfectæ demonstrationes pro demonstranda adversus Atheos supremi alicujus Numinis existentia.

At siquis negaret primò, Deum non esse à nobis tanta certitudine cognoscibilem ex creaturis, quanta satis sit ad inducendum debitum cultus, censerem plane, illum esse hæreticum. Quia testimonia sacræ Scripturæ, quibus hanc conclusionem munivimus, si accurate ponderentur, expositione Patrum illis adjuncta, saltem probant, tanquam quid de fide certum, possibilem esse naturaliter talem Dei cognitionem, propter quam homines, qui ita Deum cognoscant, teneantur eum colere ita, ut, si secus faciant, sint omnino inexcusabiles.

Si quis itidem negaret, cognitionem hanc non esse demonstrativam, seu, quod idem est, assereret, divinam existentiam non esse naturaliter à nobis demonstrabilem demonstratione à posteriori per creaturas, etsi illa opinio non esset aperte hæretica, nihilominus tamen juxta censuram D. Thomæ, & aliorum saltem dicenda esset temeraria, & erronea in fide.

Ratio autem est primò, quia negare conclusionem argumenti theologici, constantis ex majori necessaria lumine naturæ, & ex minori cognita per fidem, non vacat temeritate, vel errore theologico. Sed, ut patet, hæc propositio sive conclusio, quod Dei existentia sit demonstrative, aut evidenter cognoscibilis per creaturas, sequitur ex majori necessaria lumine naturæ & ex minori certa secundum fidem. Atque adeo illam negare non vacat temeritate, erroreque aliquo theologico, utpote contra certissimam conclusionem theologicam.

Hujus rei multa & manifesta possent adduci exempla. Si enim aliquis existimaret, sicuti revera est, quod ex eo, quod homo sit rationalis, evidenter sequitur, quòd sit risibilis. Si semel ex fide certum esset, hominem esse rationalem, sequeretur ex evidenti discursu theologico, quod etiam esset risibilis ita, ut si quis negaret consequentiam, non solum esset temerarius in philosophia, sed etiam in theologia.

Eodem modo, si evidens est ex effectibus à nobis posse cognosci demonstrative causam à posteriori, ut libenter admittunt Doctores contrarii, cùm certum sit ex fide, creaturas esse effectus Dei, certum erit, etiam ex discursu theologico, ex creaturis posse evidenter cognosci divinam existentiam à posteriori. Hinc si quæ esset opposita inter Doctores catholicos sententia non posset à temeritate excusari. Consulto dixi, si quæ esset opposita, quia non desunt, qui asserant Gabrielem, Petrum Alliacensem, Bassolum, & nonnullos alios, pro illa citari solitos, tantum fuisse loquutos de aliqua demonstratione evidenti, quæ statim extorqueat assensum, convincat omnem omnino intellectum, quantumvis rudem, dum negarunt naturalem existentiæ divinæ demonstrabilitatem, non autem de demonstratione intellectum non protervum, ac bene dispositum convincente, de qua tantum procedit difficultas, quando dicimus, Deum non probabili solum suasione, sed demonstratione evidenti cognosci posse ex creaturis.

Temeritas item hujus sententiæ satis etiam patet ex adductis S. Scripturæ testimoniis, quæ in prima, & propria sui significatione ita videntur expressè denotare certam & evidentem cognitionem petitam ex necessaria habitudine, & connexione, quam creaturæ, posita sua existentia, habent cum Deo, ut saltem sit temerarium, & erroneum contrarium asserere. Juxta regulam enim communem & certam, quotiescumque, verba S. Scripturæ in suo proprio ac primario sensu, quem præ se ferunt, accipi possunt sine periculo alicujus absurdi, non possunt sine aliqua saltem temeritate, detorqueri ad aliquos alios sensus minus proprios, alioquin ante expressam definitionem Ecclesiæ nihil haberemus certum in S. Scriptura. Quod autem prædicti S. Scripturæ loci sic intelligantur, non modo nullum sequitur absurdum, sed inde potius multo magis inexcusabiles redduntur mali homines, si Deum non agnoscant. Ergo si non evidenter, prudentissime tamen ita debent intelligi, ac explicari, ut recurrere ad alium sensum minus proprium, quod nimirum Scriptura loquatur tantùm de aliqua probabili & conjecturali cognitione, censeri debeat saltem temerarium, & in fide erroneum.

E quibus sequitur, propositionem hanc, *Deus est*, si intelligatur præcise de Deo, ut est autor naturæ, & sic nihil aliud significat, nisi quod detur una suprema causa omnium rerum, ita esse per accidens objectum fidei in eo, qui non habet de illa scientiam, ut tamen per se loquendo sit objectum mere scibile, tanquam quid præambulum ad fidem, ejusque articulos, ut docet D. Thomas 1. p. q. 2. ar. 2. *Sic enim* inquit, *fides præsupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam, & ut perfectio perfectibile.* Quatenus præsupposita semel certa, & evidenti cognitione naturali divinæ existentiæ, potest intellectus humanus facile convinci, ac disponi ad submittendum se fidei hoc pacto.

Inter autem plures rationes quibus demonstratur Deum esse, quæque afferri solent, quarum tamen aliquæ infirmæ sunt, vera demonstratio desumitur à subordinatione causarum, & nititur duobus principiis naturali lumine evidentibus. Primum est: *Quicquid producitur, ab alio producitur.* Alterum: *In causis efficientibus subordinatis non potest dari processus in infinitum.* Unde sic conficitur demonstratio. In causis subordinatis efficientibus non potest progredi in infinitum. Sed in hoc rerum ordine, ut experientia patet, datur subordinatio causarum, quarum nulla potest producere seipsam, Ergo sistendum in aliqua prima improducta.

Primum principium declaratur per deductionem ad impossibile. Nam si idem posset producere seipsum sequeretur idem esse, & non esse. Assignato enim eodem instanti, esset in illo, quia produceret. Quod enim producit est ita, ut in priori naturæ supponatur esse. Quod vero produceretur in priori naturæ supponitur non esse.

Secundum verò principium declaratur eodem modo. Quia si in causis subordinatis progrederetur in infinitum, sequeretur, quod tota collectio causarum esset dependens, quia nulla adesset prima independens, à qua cœteræ dependerent. Rursus etiam tota esset independens, quia nulla esset causa, à qua tota illa collectio dependeret. Etenim nulla causa posset operari. Quod enim in operando dependet ab alio, indiget ipso ita, ut absque eo non possit operari. Ergo, si progreditur in infinitum, singulæ causæ erunt dependentes, atque adeo indigentes. Ergo, cùm non sit, qui suppleat indigentiam, nulla poterit operari. Item si daretur progressus in infinitum omnes illæ causæ infinitæ non terminarentur aliqua prima. Ergo omnes essent mediæ, & haberent aliam superiorem, à qua dependerent. Ergo nulla esset causa. Quia nulla posset incipere causationem ex eo, quod non posset incipere à se.

His accedunt & sequentes rationes, quibus Deum esse demonstratur. In rerum natura oportet reperiri aliquod ens necessarium, quod suæ necessitatis nullam causam habeat, alioqui contingeret nihil omnino esse, aut progressum fieri in infinitum.

Ad hæc. In rerum natura est aliquod primum ens, optimum, verissimum, nobilissimum, quod omnibus aliis sit causa entitatis, bonitatis, veritatis, atque laudabilis virtutis. Nam, cùm nihil seipsum esse, facere possit, sequitur, omnia, quæ sunt, ejus participatione, quod per se est, existere, bona, vera, nobiliaque esse. Nam unumquodque in suo genere primum, reliquorum generis graduum causa est, Aristoteles *lib. 2. metaph. cap.* 4.

Præterea. Invenitur totius universi Gubernator, qui res omnes in suum finem dirigat, quem semper, aut plurimum assequuntur Nam id, quod ordinatum, dispositumque perseverat, causam intelligentem extra se habere oportet, quæ causas naturales, etiam rationis expertes, ordinet in suum finem, atque dirigat, Dionysius Areopag. *lib. de divin. nomin. cap. septimo* Chrysostomus *hom. quart. & decim. ad Antioch.* Cyprianus, Lactantius, & alii. Creatura omnis Deum esse clamat, ejusque invisibilem potentiam creaturæ magnitudo, sapientiam pulchritudo, ordinatissimaque dispositio, bonitatem verò rerum omnium utilitas ostendit. Ex quibus effectibus Creatorum potuisse agnosci docet Sapiens *cap. decimotertio* & à quibusdam agnitum fuisse, ait Apostolus *Hebr. cap. undecimo.*

Alia probatio facilis, & popularis, sequens simul viam demonstrativam, est hujusmodi. Quoties alicujus rationem à priori, & in qua quiescamus quærimus, naturæ evidenti instinctu rationem optimam & verissimam, uniformissimam, & facillimam, maximeque infallibilem, ac necessariam, in qua suavius quiescamus, cœteris rationibus præferimus. Contemplare itaque totam hanc mundi machinam, & totam possibilium, & impossibilium collectionem, & uno verbo totam unitatem intelligibilem, & pulcherrimum illum veritatis ordinem, cujus species, & pulchritudo omnium sapientium animos rapit, solisque stultis non placet, quia ipsi nolunt videri stulti. Rogo, quænam sit ratio prima, & à priori horum omnium? Mirabili compendio tibi respondemus, esse rationem maxime unam, maxime immutabilem, & necessariam, maxime veram, & maxime bonam, & ipsum optimum alliciens omnium animos, tanquam centrum, in quo quiescamus. Hæc autem ratio est ipse Deus. Cogita quam poteris, nullam invenies uniformiorem, veriorem, meliorem, aut magis necessariam, nullam jucundiorem, & suaviorem. Excogita quamlibet aliam rationem, quævis alia est defectuosa. Si enim non est defectuosa, caret defectione, & in se habet totum cumulum perfectionum simpliciter simplicium. Eo autem ipso, quod sit defectuosa, habebit displicendi meritum. Ergo merito ea nobis ratio displicebit. Si ergo quævis alia ratio displicere debet, nostra debet placere. Ergo est bona, & vera. Nam si non est vera, displicere debet. Conjungimus ergo in hoc argumento viam congruentiæ, & demonstrativam. Quod si hic modus argumentandi solet placere in qualibet exigua veritate, multo magis in totius veritatis ordine explicandæ.

Confirmatur hic modus argumentandi ex Aristotele. Unitatem Dei sic ipse conclusit. *Non est bona multitudo Principum. Entia bene volunt gubernari. Uno ergo Principe.* Ratio plane gravissima, & tanto Philosopho digna, qua suam metaphysicam de rebus divinis conclusit. Est tamen hæc ratio simul demonstrativa, & congruentiæ. Ego ad propositum sic applico. Entia nolunt defectum, ut in eo quiescant, sed fugiunt. Bonum enim est cuicumque id quod amatur ab ipso, aut amaretur si haberet intellectum, ut egregie ipse Aristoteles definivit in Rhetoricis. Inquietatur autem mens quolibet defectu viso. Estque consideratione dignum, experientiam docere, animum humanum nullis bonis habentibus defectum satiari. Imo quo majora talia bona obtinet, eo redditur avidior, & magis inquietatur. Plus enim inquietudinis patiuntur divites Principes, ac Reges, quàm simplex rusticus cui severus sit victus ex quotidiano labore. Quid enim sunt magnæ fortunæ Principum cum defectu mortalitatis agnito, nisi miserabiles tragædiarum casus? Nunquam fuit poëta ita ingeniosus, qui ausus fuerit ad fletum excitare theatrum miserabili sorte unius simplicis rustici, securi de suo victu ex quotidiano labore. At quilibet, etiam non ingeniosus poëta historiis Principum fictis facile lacrymas movet.

Ratio à priori est. Quia natura tota fertur ad bonum, quia bonum, non quia malum, nec quia defectuosum, & contra retrahitur ab illo, & incipit sentire fastidium propter defectum animi, & dolorem, si ergo omnia bona habent defectum, & nulli inest cumulus omnium perfectionum simpliciter simplicium, necesse est, totam naturam inquietari labore quodam stulto. At natura non vult ita gubernari nec bonum est, regnare hæc bona, quæ non afferunt pacem, sed inquietudinem perpetuam. Unum ergo bonum est perfectum, in quo sit omnis perfectio, Alioquin unum ex duobus faciendum est. Vel cessandum est omnino ab amore, vel indulgendum perpetuæ inquietudini. Hoc secundum est stultum. Primum non est concedendum; quia prudentis est amare bonum virtutis. Ergo, ne hæc in absurda incidamus, fatendum est existere bonum perfectum.

Sed

Sed respondebit Atheus, nos cum Aristotele ultro assumere, Mundum bene gubernari. Ideo ipse negat Deum, & providentiam, quia sibi videtur mundum male gubernari. Sed ad primum dicere possem, ex parte mundum male gubernari, ex ea scilicet parte, quæ gubernatur ab impiis, & non timentibus Deum. Ex hoc autem fit, remedium unicum esse obedire Deo, tanquam gubernatori. Deinde dico, relicta parte peccatorum, reliquam gubernationem esse optimam, & id multos autores magna eloquentia demonstrasse. Vel autem mundus bene gubernatur, vel male. Quicquid dixeris, probo, esse Deum. Si bene. Ergo habet bonum Gubernatorem. Si male. Ergo debuit aliter gubernari. Ergo potuit. Ergo existit potentia bene gubernandi totum mundum. Hæc autem est Deus.

Neque his repugnat, quod Apostolus dicat: *oportet credere accedentem ad Deum*, *quod sit*, & Augustinus lib. 11. de civit. cap. 4. & lib. 10. confess. cap. 6. *Mundum videri, Deum credi.* Et, *quod cœlum & terra surdis loquantur*, *nisi Deus altus misereatur.* Nam ejusmodi sententiis tantum humanæ mentis per lapsum primi parentis excœcatio facta insinuatur, quæ impedit, ne ex creaturæ solius contemplatione in plenam Dei cognitionem devenire queamus, sed opus sit, ut mentis obumbrationem vera Fidei Lux discutiat, sine qua omnis Philosophorum de Deo cognitio fuit confusa, indistincta, multo parta labore, plurimisque falsitatum erroribus permixta, D. Prosper *lib. 2. de revocat. gent. cap.* 17. Et D. Thomas 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 8. *ad* 1. Unde multo certius, ac plura de Deo Fide tenemus, quàm Philosophi ratione naturali unquam investigare potuerint.

Postremo licet olim nonnulli extiterint, qui Deum esse negarint, & hodie non pauci emergant impii, dicentes in corde suo, *non est Deus*; attamen & illi velint, nolint, quod nescire cupiunt, frequenter sentiunt. Dum enim aliquid iræ divinæ indicium se profert, Deum, quem student contemnere, inviti exhorrescunt, ac timore maximo perturbantur. Unde id, nisi ex divinæ Majestatis ultione, quæ eorum conscientias anxietate percellit? Et quantumcumque audaces Dei contemptores esse videantur, nunquam tamen, se ab hoc stimulo conscientiæ omnino extricabunt. Unde ipsi quoque Numinis contemptores exemplo sunt, vigere semper in omnium hominum animis aliquam Dei notionem. Nam licet judicium cœleste, quodque de religione omnibus seculis creditum est, verbis eludant, se tamen è Dei metu eximere nequeunt, quia intus eos mordet conscientiæ vermis, qui nunquam emoritur, sed torquet, nec integram sivit esse peccati voluptatem.

Contra quos Atheos, ad evincendum esse aliquem Deum in primis valet anxietas, & stimulus conscientiæ, quæ delinquentes mox apprehendit, & torquet, ut in primo parente apparuit, qui se à facie Dei abscondere tentavit, ut Chrysostomus *Hom.* 17. *&* 20. *in Genes.* ostendit.

Item testantur pœnæ & supplicia peccatorum, Deumque contemnentium, ut immissio diluvii, conflagratio Sodomæ, perditio Pharaonis, omniumque Ægyptiorum Israelitas persequentium, sicut iis auditis Jetro *Exod.* 18. dixit: *Nunc cognovi, quia magnus Dominus super omnes Deos.*

Idipsum convincunt miracula, omnem creaturæ virtutem excedentia, ut resuscitatio mortuorum, conservatio in igne, vel à morsu Leonum, ut Danieli accidit, prædictio Prophetarum, qui futura contingentia, liberosque hominum actus, tanquam sibi præsentes, reserarunt.

Convincunt & conservatio, ac protectio cultorum Dei, quos miris modis Deus invictos ab initio mundi reddidit, ut coram Holoferne Achior insigni oratione deduxit, concludens Judith. 5. *Si non est offensio populi hujus coram Deo suo, non poterimus resistere illis, quoniam Deus illorum defendet eos, & erimus opprobrium universæ terræ.* Quod nec Consiliarii Aman, hostis Judæorum, ignorarunt, dum ei dixerunt. Hester 6. *Si de semine Judæorum est Mardochæus, ante quem cadere cœpisti, non poteris ei resistere, sed cades in conspectu ejus.*

Denique Deus se per incarnationem hominibus manifestavit, restituendo cœcis visum, claudis gressum, ægrotis sanitatem, surdis auditum, mortuis vitam, convertendo aquam in vinum, multiplicando panes, se mortuum resuscitando, in cœlum ascendendo, Orbem terrarum ad credendum in Christum crucifixum adducendo. In ea enim summa Dei virtus apparet, *quod in nomine Jesu omne genu flectatur*, quodque toti Orbi salutis spem Fide in Crucifixum pendere persuaderi potuerit. *Crux* enim *Judæis scandalum, Gentibus stultitia.* Sed opera Christi testimonium perhibent de ipso, quod sit Deus Joan. 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite.*

Pro veritate divinæ existentiæ vide præ aliis, Tertullianum *lib.* 1. *contra Marcionem cap.* 10. Divum Chrysostomum *orat.* 12. Asclepium Aristotelis interpretem 1. *Metaph.* Sextum Epyricum *lib.* 8. *com. in Mathemat.* Philonem Judæum *lib.* 1. *de Monarchia.* Lactantium *lib.* 2. *divin. instit. cap.* 8. Minurium Felicem *in Octavio*, Theodoretum *Serm.* 4. *de provid.* Epiphanium *in lib. contra gentes.* Gregorium Nazianzenum *Orat.* 4. *&* 30. Ioannem Chrysostomum *in Psalm.* 13. Ioannem Damascenum *lib.* 1. *de fide Orthod.* Augustinum tam *lib.* 8. *&* 11. *Civit. cap.* 4. quam *lib.* 10. *confess. cap.* 6. *& lib.* 3. *de libr. arbitr.* Thomam Aquinatem 1. *p. q.* 2. *ar.* 1. *&* 2. *& q.* 103. *per totam, &* 2. 2. *q.* 102. *ar.* 2. & *lib.* 3. *contra Gentes cap.* 64. omnesque verè Catholicos, præcipue P. Mercennium *cit. cum. cap.* 1. *v.* 1. *art.* 3. *in Genes.* ubi tam exactè reperiuntur contritæ Atheorum objectiones, ut nihil superesse videatur.

Ego hic obsigno hanc Consultationem cum Tertulliano in Apologet. cap. 17. *Cum Atheismus sit summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt, utique in S. Officio contra Atheos debet esse summa punitio.*

Consultatio XXIX.

De Polytheismo, sive de Idololatria; Deorum pluralitatem admittentibus, ejusque causis, origine, varietate, progressu. Vbi tam ex S. Scriptura quàm ex Sanctis Patribus ostenditur non esse nisi unum Deum verum. Et an Deum esse tantùm unum demonstrari naturaliter possit? Quid de hoc senserint Poetæ, Philosophi, Sybillæ? Rationes unitatem veri Dei demonstrantes.

Vidimus in superiori Consultatione, ut Mosaicæ etiam, & Christianæ doctrinæ expertes, partim traditione perpetua, partim è rerum natura cognoverint homines Universitatis parentem & Opificem. Ex eadem verò doctrina per manus tradita, rationeque firmata, non multos, sed Unum animo conceperunt, qui omnia condiderit, & arbitrio suo moderaretur. Itaque illi etiam, qui Mundi gubernationem à pluribus dicerent sustineri, cùm tamen aliquid maximè serium promere vellent, veterem servare consuetudinem, quàm novæ insistere, maluerunt, ut qui *Deum* potius, quàm *Deos* dicerent. Unde Lactantius libro secundo cap. 1. *Cum jurant, & cum optant, & cum gratias agunt, non Jovem, aut Deos multos, sed Deum nominant, adeò ipsa veritas, cogente natura, etiam ab invitis pectoribus erumpit.* Pluraque inibi in hanc mentem. Idem lib. 1.

lib. 1. cap. 2. *Cuncti de uno Deo, cum id negare non possunt, ipsum se colere affirmant; verum hoc sibi placere, ut Jupiter nominetur.* Nec temerè hoc à Lactantio dici, ipsa Gentilium confessione comprobatur. Senecam audi lib. 4. de benef. cap. 7. ubi inter alia inquit: *Quoties voles tibi licet aliter, hunc Autorem rerum nostrarum compellare. Tot appellationes non possunt esse, quot munera. Hunc & Liberum patrem, & Herculem, ac Mercurium nostri putant. Sic hunc Naturam voca, Fatum, Fortunam, omnia ejusdem Dei nomina sunt, variè utentis sua potestate.* Alium dabo itidem Gentilem. Is erit Maximus, qui sic suo, aliorumque Gentilium nomine loquitur epistola ad B. Augustinum: *Equidem unum esse Deum summum atque magnificum, quis tàm demens, tàm mente captus, neget esse certissimum? Hujus nos virtutes per mundanum opus diffusas multis vocabulis invocamus, quoniam nomen ejus cuncti proprium ignoramus. Nam Deus omnibus religionibus commune nomen est. Ita fit, ut dum ejus quasi quædam membra carptim variis supplicationibus prosequimur, totum colere profectò videamur.*

Nec eorum hoc duntaxat judicium est, qui à nato Christo vixerunt. Similiter enim vetustissimi Philosophorum sensere, uti Italicæ sectæ princeps Pythagoras.

Hinc Lactantius de ira Dei, cap. 11. *Pythagoras unum solum consitetur, dicens, incorporalem esse mentem. Ideò & Deum vocabat* Monada, *sive* unitatem. Macrobius in Somn. Scipion. lib. 1. c. 6. *Monas initium, finisque omnium, neque ipsa Principii, aut Finis sciens, ad summum refertur Deum.* Idem cognoscere est ex Nicomacho Geraseno apud Photium, Mercurius Trismegistus, etsi Sacerdos esset, & ad Idolorum templa concederet eadem sensisse, quæ Moyses docuit, & unum Deum laudibus celebrasse, testatur Cyrillus Alexandrinus lib. 1. contra Julianum, fidemque faciunt ejusdem Mercurii verba in Pimandro, ubi Deum deprecans, ut rationabile sacrificium suscipiat, sic eum in singulari alloquitur: *Ineffabilis, indicibilis, silentio vocatus, qui scilicet silendo vocans, audiens etiam silentes*, mox orationem exordiens, ait, *Sanctus Deus, qui vult cognosci, & cognoscitur à suis. Sanctus es, qui solo verbo cuncta fecisti, Sanctus es, cuique omnis natura fuit imago, Sanctus es, quem non formavit natura, nimirum cujus forma nusquam in natura est, Sanctus es, qui superior, & fortior es, omni laude superior.* Et quamvis nonnulli dubitent, vel etiam negent ea opera, quæ sub ejus nomine circumferuntur, esse ipsius, sed conficta à posterioribus fuisse, plures tamen alii oppositum docent. Omnes autem conveniunt, esse alicujus antiqui Philosophi unum solum Deum agnoscentis, cujus etiam testimoniis cùm usi fuerint Lactantius, Augustinus, & alii multi viri doctissimi, dicendum est, ea probatam continere doctrinam; de quo fusius videri poterit Augustinus Eugubinus *tom.* 3. *lib.* 3. *de perenni Philosophia cap.* 3.

Orpheus cùm anteà tercentum sexagintaquinque Deos invexisset, unum postea sub mortem agnovit, ut testatur Theophilus *in* 3. *ad Autolicum*, & inter alia, quæ de Deo cecinit, sic habet.

Unicus est per se existens, qui cuncta creavit.

Deindè:

Magnum adeò præter Regem non alter habetur:

Item:

In cunctis Deus unus.

Homerus etiam naturæ instinctu sæpè Deum universalem nominavit, de quo vide S. Justinum Philosophum, & Martyrem *in Apologia*. Hesiodus *apud Clementem Alexandrinum*. Aratus *operis initio*, Phocilides *in præceptis parænetcis*.

Est unus, sapiensque, potens Deus, atque beatus.

Sed omnium præstantissimè Sophocles apud Justinum, Athenagoram, Clementem, Cyrillum, & Eusebium in Chronico.

Unus profectò est, unus est tantùm Deus,
Qui cœlum, & amplum condidit terræ globum,
Marisque fluctus, vimquè ventorum gravem.
Plerique nostrûm, mente sed capti, Deum,
Simulachra nobis, ceù mali solatium,
Cùm saxea, atque acervea consecravimus,
Sive aureas, eburneasque imagines;
Sacris, & istos colimus, his festos dies
Agimus, pios hos esse nos remur modo.

Post Trismegistum habemus Simonidem, qui non modò singularem Deum nominavit, sed item de sapientia, bonitateque ejus ineffabili, & incommunicabili altissimè philosophatus est. Testimonium sapientiæ adducitur ab Aristotele *lib.* 3. *Metaph. cap.* 2. Bonitatis à Platone in Prothagora. Refertur & istud à Clemente in Proteptico, & Cyrillo adversus Julianum Pythagoræ dictum: *Deus quidem est unus. Is autem non est, ut quidam existimant, extra mundum, sed in ipso totus. In toto circulo præses omnis generationis, universorum temperatio semper existens, & opifex suarum virium, & operum omnium. In cœlo illuminator, omnium pater, mens, & animatio totius circuli, omnium motus.* Eadem ferè Architas Pythagoræ discipulus apud Jamblicum de secta Pythagoreorum. Eandemque doctrinam tradit apud Philonem Judæum Philolaus ejusdem Pythagoræ cum Archita auditor. *Princeps, & dux omnium Deus, unus semper existens singularis, ipse sui similis alius ab aliis.* Asclepius ad Ammonem Regem de Deo profundè scribens, eum singulariter nominat, & ei tanta Majestate laudes concinit, concluditque his verbis: *Supremus omnium Rex Deus.* Plato & Aristoteles Deum unum, ac supremum apertissimè omnium prædicarunt. De Platone testatur Cyrillus *lib.* 1. *contra Julian.* Laudans Porphyrium, qui *in lib.* 4. *Histor. Philosoph.* ait, Platonem *de uno Deo* & sensisse, & loquutum esse. Nullum verò nomen ei convenire, neque humanam mentem eum capere. Hoc ipsum de eodem Platone, & Aristotele asserit Athenagoras.

Proferamus post Poetas, & Philosophos nonnulla Sybillarum de unitate Dei testimonia. Quemadmodum enim, nè quis in hujus veritatis testificatione deesset, Anna mater Samuelis 1. *Reg.* 2. divino Spiritus afflatu inter cætera cecinit. *Non est Sanctus, ut est Dominus, nec enim est alius extra te, & non est fortis sicut Deus noster.* Ita quoque inter Gentiles Deus non sine speciali providentia Sybillas esse voluit, quæ eandem veritatem, pluresque alias ad divina mysteria pertinentes docerent, passim citatæ à primis Ecclesiæ Patribus, ex quorum Libris hæc deprompsimus testimonia, eo, quo referuntur ordine *tom.* 1. *Biblioth. Sanctorum Patrum, ex lib.* 1. quem citat Theophilus Antiochensis *lib. contra gentes ad Antolycum.*

Conditor omnia qui nutrit, cunctisque suavem
Indidit afflatum, mortales qui regit omnes.
Unus, qui solus regnat Deus, atque supremus
Omnipotens nunquam genitus, qui conspicit ipse
Omnia, mortali non aspectabilis ulli.

Ex lib. 2.

Unus & immensus Deus est, regnator & unus.
Æthereus, sese consistens totus in uno,
Cuncta videns solus, non aspectabilis ipso.

Ex lib. 3.

Nam solus Deus, & nescit habere secundum.

Ex lib. 4.

Audi, gens Asia nimis, Europæque superba,
Hæc, quæ mellisono verissima vaticinari
Ore puro, nostro dictata à Numine magno.

Ex lib. 5.

Nè Deus æternus succensens deleat olim
Omne genus, vitamque hominum, stirpemque nefandam
Æternus genitor, sapiens Deus usque colatur.

Minùs

Minùs itaque mirum est, in tam sonora Naturæ Deum unum denunciantis veluti voce unitatem illam probasse Mahemetanos, quibus, ut scribit Barthomæus Georgievitz *lib. de Turcar. Ritib. cap.* 1. in templis loco imaginum habentur inscripta Arabicè hæc verba: *La illah, illelah*, id est, *Non est Deus nisi unus.* Et ejusdem significationis verbis, nempè: *allah hechber*, id est, *Deus verus unus*, de turri sacra miræ altitudinis ter alta voce à Sacerdote ingeminatis, convocatur ad orationem, tandemque convocati ad longum tempus corpora in latus quatientes nihil alind submissa voce cantillant, quàm suum *La illah illelah*, *non est nisi unus Deus.* Itaque apparet, Dei unitatem apud Gentes, etiam depravatissimas, fuisse compertissimam.

Atque hæc iis etiam firmantur, quæ legere est apud Bessarionem in 2. adversùs Platonis calumniatorem *cap.* 4. & 5. Sed fusè in primis hoc argumentum tractavit Augustinus Steuchus *in* 2. *de perenni Philosophia*, ubi multa non infeliciter congessit, excepto, quod genuinis scriptoribus adulterinos securè permiscet, quales inter alios, quos passim ad partes advocat, Hermes Trimegistus, & oracula Sybillina.

Porrò Polytheismus significat superstitiosum illorum errorem, qui ejusdem supremi Numinis unitatem directè negant, indeque Deorum pluralitatem admittunt, & colunt. Ut enim unitas, qua asserimus, unum duntaxat esse Deum, involvit negationem omnis alterius Dei distincti ab illo, quem dicimus esse unum, quemque adoratione, ac servitute illi soli debita veneramur, non solum tanquàm possibilis, Deus enim necessariò est unus, atque adeò non actu non datur, sed nec dari prorsùs potest ullus alius Deus; ut, inquam, unitas Dei similem involvit negationem, ita qui semel negant ejus unitatem, sive illum esse unum, plures consequenter Deos confingere, iisque divinum honorem, & cultum exhibere tenentur. Unde rectè Polytheistæ, nec non etiam Idololatræ vocantur, loquendo de Idololatria propriè sumpta, prout illam potissimum intendimus in hoc loco impugnare, ad quam tria requiruntur. Opinio aliqua divinitatis de idolo, sive re quæ adoratur. Affectus adorationis in voluntate, adoratio ipsa, sive exhibitio omnis submissionis, & recognitionis alicujus excellentiæ divinæ in re sic adorata.

Idololatriæ autem hoc modo consideratæ plures solent assignari causæ, quas D. Thomas 2. 2. *qu.* 94. *art.* 4. ad duas reducit. Primam vocat dispositivam, sive occasionalem ex parte hominum se tenentem. Alteram consummativam ex parte dæmonum. Ubi, dum ait, causam Idololatriæ dispositivam fuisse ex parte hominum, non loquitur de illis, attenta præcisè vel absolutè eorum natura, cùm potius naturalis ratio illis dictet, quod unus sit Deus, & quod non sit mortuis cultus divinus exhibendus, neque rebus inanimatis. Sed in responsione ad primum refundit illam in naturæ defectum, vel per inordinationem affectus, prout scilicet homines aliquem hominem, vel nimis amantes, vel nimis venerantes honorem Dei ei impenderunt, vel per repræsentationis delectationem, quatenus homo naturaliter de repræsentatione delectatur, ut docet Aristoteles *in poet. cap.* 2. & ideò homines rudes à principio videntes per diligentiam artificum imagines hominum expressivè factas, divinitatis cultum eis impenderunt. Vel tandem per ignorantiam intellectus, qua homines veri Dei excellentiam non considerantes, quibusdam creaturis propter pulchritudinem, seu virtutem, divinitatis cultum exhibuerunt.

Cùm autem ex eodem D. Thoma *loco memorato art. ad* 4. duplex distinguenda sit idololatria, una sine imaginibus, alia cum illis, & Idolis sensibilibus, ita se res habet, ut potissima prioris causa fuerit ignorantia veri Dei, propriæve ejus excellentiæ non debita consideratio, ut habetur Sap. *cap.* 13. *v.* 1. Posterior autem, sive Idololatria cum cultu, ac veneratione sensibilium simulachrorum originem habuerit ex delectatione à repræsentatione promanante, ut eodem Sapientiæ *cap. dicitur v.* 10. Nec non ex nimio affectu ad aliquos homines mortuos, ac desiderio præsentiæ illorum, accedente tyrannide, vel nimia Principum assentatione, ejusdem libri Sapientiæ cap. 14. ubi Sapiens, asserens priùs Idolorum usum non fuisse ab initio, neque futurum in perpetuum, sed ab hominibus otiosis, & vanis inventum esse, modum inventionis describens, ait: *Acerbo enim luctu dolens pater, citò rapti filii fecit imaginem, & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquàm Deum colere cœpit, & constituit inter servos sacra, & Sacrificia. Deinde interveniente tempore, convalescente iniqua consuetudine, hic error, tanquàm lex, custoditus est, & Tyrannorum imperio figmenta colebantur.* Et hæc concludit Sapiens nonnullis interjectis, *fuit vita humana deceptio. Quoniam aut affectui, aut Regibus deservientes homines, incommunicabile nomen lapidibus, & Lignis imposuerunt.*

Dæmones autem vocantur à D. Thoma causa Idololatriæ consummativa, vel quia se colendos hominibus errantibus exhibuerunt, tùm oraculis dando responsa in Idolis, tùm spectris, ac præstigiis, tùm plura, quæ ab hominibus miserabilia videbantur, patrando, tum eis aliqua temporalia bona promittendo. Vel etiam quia sine his, Dæmone suadente, ac tentante, homines in Idololatriam prolapsi sunt, creaturas, à quibus, aut quarum auxilio in suis necessitatibus, aut ærumnis sublevari sperabant, ut Deos colendo, in quo cultu ratio Idololatriæ consistit, unde & Psalm. 95. dicitur: *Omnes Dii Gentium dæmonia.* Nam aut erant Dæmones, aut Figmenta dæmoniaca, cooperante dæmone cum suis præstigiis, ac deceptionibus, ut aliæ etiam præter ipsum creaturæ, vel animatæ, vel inanimatæ, ut Dii, à Gentibus colerentur.

Quàm verè hæc dicantur à nobis, arguit, quod Gentiles, præter eximios quosdam, etiam cùm Deum cognoscerent, eum tamen non cognoscerent Deum, hoc est, cùm viderent esse Deum, qui universum hoc regeret, & coli à nobis vellet, non tamen viderent, eum esse, cujus revera esset divinitas, ut qui eam tribuerint Dei opificio, quam rerum naturam vocamus. Quare illis contigit, ut cœco illi apud B. Joannem cap. 9. Hic enim cùm videret Filium Dei, à quo visum acceperat, rogavit nihilominus, quis esset Filius Dei, ut si Regem cernas, & Regem esse nescias. Ac quasi alto pressi stupore, talem imaginati sunt, qualia forent, quæ oculis se quotidie subjicerent, somnioque suo nimium creduli opificium amplexati sunt pro opifice, divinitatem non tribuendo Deo, sed non-Deo. Quod verè erat veritatem in mendacio detinere. Unde Apostolus ad Roman. 1. v. 25. *Commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & servierunt creaturæ potius quàm Creatori, qui est benedictus in sæcula*, ut vulgaris vertit Interpres. Quia veritas, esse Deum, mendacium erat, Naturam esse Deum. Veritas quoque foret, colendum esse Deum, mendacium, Naturam honore prosequendam divino. Ut non malè hoc dicat Alexander ab Hales in 3. p. sum. q. 30. quæ est de adorat. art. 1. *Veritatem Dei tenere est unum Deum colere, veritatem in mendacium convertere est creaturæ servire pro Creatore. Vera enim Religio in unius constat veri Dei servitio. Una enim est vera divinitas. Si ergo Idololatria creaturæ servit pro Creatore, commutat veritatem in mendacium.* Sed ut multò amplius fecissent, *illa sublimitas*, ut Cypriani utar verbis de vanit. Idol. *non potest habere consortium, cum sola omnium teneat potestatem. Una est divinitas, eoque nec cultus ejus discerpi potest.* Plura afferre possem de istis, qui Deum, non ita cognoscerent, celebrarent, eumque & Belial sociare vellent, quantoperè hic cultus variarit, tum pro temporum, vel terrarum spatiis, tum pro legislatorum decretis, vel philosophorum sectis, nisi fastidium vererer.

Solùm

Solum igitur addam aliquid de Peruanis summum Deum agnoscentibus, quem vocant *Viracocha*, item *Pachacamac*, ad hæc *Pachaiachacie*, id est, *Creator cœli ac terræ*. Aliis etiam elogiis ornant, in quibus est *Usapu*, hoc est, *admirabilis*. Et tamen nullum in lingua sua vocabulum habent, quo Deum proprie exprimere possint, cœterarum gentium instar, quale Latinum *Deus*, Hebræum *El*. Ac propterea Hispani, eò ad prædicandum Evangelium profecti in literis ad Indos perscriptis, non alia appellatione, quàm Hispanica *Dios* usi sunt, quo pacto illud sunt consequuti, ut eadem nunc Americani utantur. Iidem in templo *Pachamac*, hoc est, *Creatoris*, quod in Peru extructum, sic colunt Creatorem, ut nihilominus sacrificent Diis suis. Nempè proclive satis est iis persuadere de summo Deo: at non item haud aliud præter eum Numen esse, vel coli debere. Tantus in animis eorum inveteratus error valet. Quorum author est nobis Josephus Acosta *lib.* 5. *cap.* 3.

De Polytheismi autem origine, hoc est, de initio temporis, in quo introduci cœpit, tot sunt, quot capita sententiæ. Aliqui enim existimant, Idololatriam, etiam per usus simulachrorum incœpisse à tempore Enos filii Seth, ac nepotis Adæ, vel quia ipse cœpit Dei imaginem ritu Catholico erigere juxta illud Genes. cap. 4. v. 26. *Iste cœpit invocare nomen Domini*, & inde alii erronee sumpserunt occasionem Idola colendi, ac depingendi Deum sub forma sensibili, tanquàm propria Dei, quod ad Idololatriam spectat, ut docet Dionys. Carthusianus sequens scholasticam historiam *Genes*. 4. & sumitur ex Hebræorum lectione, ac interpretatione, quam ibidem refert Liptmanus *in Catena* ex D. Hieronymo. Vel quia ipsemet Enos fuit tam pius, & sanctus, ut cœperint illum invocare, eique tanquam Deo imaginem dicare. Quod significat Theodoretus *qu.* 47. *in Genes.*

Alii ad Ægyptios initium hujus pravi cultus referunt. Cùm enim impius Cham Noe Filius in Ægypto regnaret, docuit accolas adorare Cœli astra, Solem, Lunam, & Stellas, ut Deos. Quod, inquiunt, suasu difficile non fuit in regione, ubi propter defectum nubium, ac imbrium mira claritate, ac pulchritudine fulgent, mirosque in terram emittunt influxus. Quinimmò horum exemplo omnes propè populi, ac gentes in hoc unum deinceps convenisse videntur, ut Solem, & Lunam, cæteraque Astra, Deos esse crederent.

Inter omnia autem astra Solaris cultus prævaluit. In hanc varia eos sententiam impulerunt, ex quibus est, quod in sublimi, ipsisque cœlis spectaretur. Nam ut Aristoteles ostendat, cœlum non corrumpi, ita differit lib. 1. de cœlo cap. 3. textu 12. *Omnes de Diis eam habent opinionem, atque omnes, qui Deos esse existimant, tam Græci, quam Barbari, supremum Diis locum tribuerunt, propterea quod immortali conveniat immortale. Aliter enim fieri non potest.* Ibique simplicius hoc appellat naturalem quandam existimationem in animis humanis. Quod etiam scribit Themistius in sua paraphrasi, interprete Mose Alatino Hebræo Spoletino. Ac etiam ex sermone Gentili hæc adstruit Tertullianus Apolog. cap. 17. *Quod Deus dederit, omnium vox est*, Judicem quoque contestatur illum, *Deus videt*, &, *Deo commendo*, & *Deus mihi reddet*. O testimonium animæ naturaliter Christianæ! Denique pronuncians hæc, non ad Capitolium, sed ad cœlum respicit. *Novit enim sedem Dei vivi: ab illo, & indè descendit.* Atque hæc conveniunt cum Sacris Literis. Non tamen eo pertinere videtur, quod vulgo referunt *ex Psalm.* 19. juxta vulgarem impressionem v. 5. *In sole posuit tabernaculum suum.* Ubi hebræa sonant, *Soli posuit tabernaculum in ipsis, puta cœlis.* Solidius est, quod Servator noster Christus sic docuit nos precari. *Pater noster qui es in cœlis.* Atque etiam hoc ita reddere possis, *qui inhabitas cœlos*, ut loquitur Psaltes *Psalm.* 11. *v.* 4. & 112. *v.* 5. item 120. *v.* 1. Quod tamen commodè capiendum quando ut Philo ait Sacræ Legis allegor. lib. 2. edit. Turneb. *Omnia implet Deus, & omnia penetrat, & sui vacuum, desertumque à se nihil relinquit.* Similiterque Theophilus ad Autolycum *lib.* 2. item Origenes *in* 2. *contra Celsum* Macarius *Homil.* 7. & 16. Præterea Nazianzenus, Nyssenus, Chrysostomus, Theodoretus, Damascenus. Ex Latinis Cyprianus, *de vanit. Idol.* Hilarius *lib.* 1. *de Trinit.* Ambrosius *lib.* 1. *de Spir. S. cap.* 7. & *in Psal.* 118. *ser.* 19. Hieronymus *in Isai. cap.* 66. Augustinus *Ep.* 57. *ad Dardanum* & *lib.* 7. *Confess. cap.* 5. ubi egregia similitudine id declarat, & tot alii. Ut Deus non eò cœlos inhabitare dicatur, quasi iis sit circumscriptus, sed ad significandam Dei providentiam, quia qui cœlos inhabitat, præest cœlis, & iis, quæ cœlis subsunt, ut in uno illo fiduciam reponere debeamus. Hinc Psal. 113. v. 5. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo, & in terra? Ex his dilucet, quo discrimine à Græcis, & Barbaris Christiani putarint, Deum *Cœlos* inhabitare. Interim in eo consentiunt, Deum esse in cœlis eoque mirandum minus si Gentiles Solem, quo nihil in eo illustrius, Deum, vel unum, vel præcipuum putarint.

Præterea Gentiles eò Solem putarunt Deum, quia in lucidis illis corporibus æther nihil haberet Sole excellentius. Quatuor verò eum commendant, regio Vati memorata, & ex eo Gregorio Nazianzeno adducta *orat.* 20. quæ est in laudem Basilii: *Laudatur apud Davidem Solis pulchritudo, & magnitudo, & cursus celeritas, & vis, ac facultas.* A motu, secundum Pythagoricos, est sonus suavissimus, undè Sol Divûm Lyra. Quæ cùm rapere omnes deberent in admirationem, & laudem opificis, longè aliter in maxima mundi parte evenit. Nam cùm horum quædam vulgares etiam animæ viderent, cætera paulatim sapientiores Gentilium perspicerent, pariter penè omnes in eum delapsi sunt errorem, ut vel solem crederent unicum cœli Numen, quomodo Ægyptia eum appellat Theologia, vel saltem præcipuum Solem Numen putarent, Syderibus aliis, ob minorem utilitatem, honore inferiori cultis. Promanavit igitur hic error ab imperfectione animi humani. Quod & docet D. Thomas *opusc. de Symb. Apost.* ubi quatuor esse causas, ob quas homines defecerint à cultu veri Dei adstruit.

Quàm autem antiquus sit Cultus solaris, ex Mose discendum est, cujus temporibus hunc cultum obtinuisse colligitur ex interdicto illo repetitæ Legis cap. 4. v. 19. *Nè fortè eleves oculos tuos in cœlos, & videas Solem, & Lunam, atque Stellas, cum universo exercitu cœlorum, & impulsus adores, atque colas ea.* Valdè etiam antiquitatem hanc comprobat locus ille Jobi *cap.* 31. *v.* 26. 27. ex quo non modò vetustatem Idololatrici hujus cultus ostendit, sed etiam ritus ejus, quo Solem adorabant, manum osculantes, ut hæc verba indicant: *Si osculatus sum manum meam ore meo.* Quem locum etiam Hieronymus *in Ezechiel.* 8. 17. & Apolog. 1. *in Rufinum* refert ad ritum, quo Gentiles in adorando dexteram ori admovebant. Pertinet quoque eodem 1. sive 3. Reg. 19. *Genua, quæ non sunt curvata antè Baal, & omne os, quod non adoravit eum osculans manum.* Apud Gentium Scriptores passim fit mentio hujus ritus. Apuleius *Apolog.* 1. Lucianus *lib. de Saltatione.* Et *in Demosthenis encomio.* E nostris etiam Minucius Felix *in Octavio.*

Valdè autem verisimile est, perantiquum etiam esse, & fortasse à primis solaris cultus temporibus, morem illum provenisse, ut præcipuè colerent Solem Orientem ac quocumque etiam tempore ad Orientem conversi precarentur Deum. Israelitæ autem contra Occidentem versi, ubi Sanctuarium erat, preces Deo fundebant, atque ita se ostendebant *precantes adorare non Solem Orientem, sed Solis Dominum*, ut ait Anastasius Nicænus *quæst.* 18. *inscripturam.* Hoc ita esse tùm porta Orientalis ostendit, per quam ingressi Tabernaculum, vel

Templum

templum, ad Occidentem oraturi pergebant, ut cognoscimus ex *Exodi 26*. Tum etiam verba Ezechielis Prophetæ 8. 16. ubi Israëlitæ accusantur, quod precaturi ad Orientem se converterent. Sic Magos precatos refert Herodotus *lib.* 1. Vitruvius *lib.* 4. *cap.* ult. & Maro 12. *Ænead.*

Christiani veteres in hoc maluere Gentilium, quàm Judæorum ritum sequi. Clemens Alexandrinus *lib.* 7. *Strom.* Hinc & visi solem adorare. Tertullianus *Apolog.* Clemens Romanus *lib.* 2. *constit. cap.* 57. Origenes *in lib. Num. homil.* 3. Augustinus *lib.* 2. *de Serm. Dom. cap.* 19. Damascenus, etiam ab Apostolis id ajunt institutum. Ac similiter sentit Justinus, sive alius, *quæstionum, & responsionum ad Orthod. resp.* 118. Item Athanasius, vel alius *ad Antiochum q.* 37. S. Basilius *de Spir. S. cap.* 27. immò & Augustinus *ad Casulanum presbyterum.* Templa etiam Orientem versus extrui à Christianis solere, præter Clementem Romanum loco memorato, Paulinus quoque author est *ep.* 12. *ad Severum.* Sed cùm ritu convenirent, longè tamen aliud spectarunt Christiani, quàm Gentiles. Hi Solem spectabant, qui sensus illustrat, Christiani Solem justitiæ Jesum Christum, qui mentes illustrat. Undè & à Tertulliano Oriens *Christi figura* dicitur, contra Valentianum *cap.* 3. atque hanc rationem adducit Clemens Alex. *lib.* 7. *Strom.* Sed alii eò respici dicunt, quia Paradisum, undè ejecti sumus, spectemus, rogantes, ut illuc restituamur. Sic Athanasius ad Antiochum *q.* 37. & Basilius *ad Amphilochium de Spirit. S. cap.* 27.

Quàm autem latè Solis cultus patuerit, nunc ostendam. Sol ob beneficam vim Osiris, ob maleficam, & violentam Typhon, ac Seth vocabatur. Cultus Emessenis, cum Mercurio, & Marte nomine Elagabali. Cultus Phœnicibus, Syris mediterraneis, Assyriis, & Madianitis, nec non Sabæis Ægyptiis, Æthiopibus, Marmaricis, & Ammonitis, Pœnis, Græcis, & Romanis, præcipue Persis. Undè Persa bello captus, & Christiana sacra fictè suscipiens, sermone dulci, at perfido, ferebat hoc semper in oro Symbolum; Soli Deo honor, & gloria. Sol nempe Deus Persarum.

Sed longæ fuerit operæ, si omnes velim gentes referre, quæ sub nominibus diversis Solem pro summo habuerint Numine. Nam Orbe propemodum universo consuetudo hæc fuit, idque ab antiquissimis idololatrici cultus temporibus. Undè est, quod Gentes etiam illæ, quibus commerciorum munus cum aliis fuit, eoque veteris forent erroris retinentiores, vel solum colerent Solem, ut Messagetæ, de quibus Herodotus sic scribit: *ex Diis unum Solem venerantur.* Atque addit deindè, equum, ut & Persas, ei sacrificasse. Quia Deo celerrimo celerrima victima conveniret. Ab Indis etiam Solem, sed unà cum Luna, cultum fuisse, prodidit Ctesias *in Indicorum opere.* Idem statuendum de incolis Haaulam, quæ nunc Zeilam, Ptolomæo Taprobrana, nisi ea Sumatria potiùs, de qua gente Benjaminus Tudelensis *in itinerario suo*, Ben Atia Montano interprete. Gentes etiam Germanicas, ac Sarmaticas, Solem maximè cunctatas, donec Christo nomen darent, satis cognoscere est ex Annalibus illorum populorum, & iis qui reliquere nobis vitas Sanctorum à quibus gentes hæ primùm conversæ fuerunt. Immo extremæ etiam Septentrionis nationes admodum tenui nunc quoque Christi notitia imbutæ, simulac æstivo tempore Sol conspici cœpit, adorant eum, gratiasque agunt pro Semestris spatii & tenebris, & frigore lucem, caloremque apportet, ut Olaus magnus refert *rerum Gothicarum lib.* 3. *cap.* 2. De Solis etiam cultu apud Tartaros, vel potius Tataros, varii testantur. Atque idem dixero de gentibus Americanis, uti insulis Canebalicis, quarum incolas non alios colere Deos, quàm Solem, Lunam, Cœlumque, in opere, quod inter alias navigationes, illam Christophori Columbi exhibet, legas *cap.* 88. & 92. *sive edit. Paris. ann.* 1532. *pag.* 81. & 84. Item de Cerabarois populis propè Hiebram, & Beraguam; quos orientem Solem venerari, tradit Petrus Martyr Mediolanensis. *Oceaneæ decadis* 3. *lib.* 4. Item de Peruinis, qui post *Viracocham*, hoc est, *Creatorem* universi, in primis Solem coluerunt, cui tertium honoris gradum Guaca, sive Tonitru obtinebat. Tantus verò is honos Solis fuit, ut in Metropoli Cusco etiam infantes ei mactarent. Quod Acostæ traditum *Indicorum lib.* 5. *cap.* 4. Habes de sacrificiis, quæ syderi huic faciunt Peruini apud Joann. Lerium *navigationis in Brasiliam cap.* 16.

Elementa quoque visibilia, ut aërem, ac ignem iidem coluerunt Ægyptii, Nilumque ipsum, cujus aquarum abundantia Ægypti regio fertilis redditur, nec his Diis contenti, vix animal utile, aut nocivum reliquere, quod non colerent, ut Deum. Insuper his Diis brutis addidere multa herbarum genera, de quibus præ aliis Juvenalis *lib.* 5. *Satyr.* 15. *O sanctas gentes, quibus Dii nascuntur in hortis.* De iisdem Ægyptiorum Diis videri possunt Herodotus in Euterpe, Diodorus Siculus, Solinus, D. Augustinus *lib.* 2. *de civit. cap.* 22. Euseb. *de præpar. lib.* 8. *cap.* 26. ac Theodoretus *de Evangelii cognitione lib.* 13.

Sed, quod magis est, plures ad illos spectare videntur sacræ Scripturæ loci in quibus vel condemnatur, vel prohibetur, vel etiam reprehenditur nonnunquam similis Idololatria filiorum Israël, quam propter diutinam cum Ægiptiis conversationem discere ab illis potuerant, Deuter. cap. 4. v. 19. *Ne forte elevatis oculis in cœlum videat Solem, & Lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea, & colas quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt.* Idem *cap.* 17. *v.* 3. & *lib.* 4. *Reg. cap.* 21. *v.* 3. & *lib.* 2. *Paralip. cap.* 31. *v.* 3. ac *Exodi.* 8. *v.* 25.

Nonnulli docent, Idololatriam ab Assyriis, ad quos etiam Chaldæi pertinent, initium sumpsisse, quatenus Nembrod, sive Belus, de quo *Genes.* 10. *v.* 10. fuit autem principium regni ejus Babylon circa annum mundi 1841. aut propter elementi ignis activitatem, aut quia didicerat à suis majoribus, mundum, sicut diluvio perierat, ità aliquando igne absumendum fore; ideoque illum timebat, ut Deum cœpit colere, suisque subditis colendum proponere, tali postea apud eos cultu multo tempore permanente, qui non obscure colligi potest ex illo Genesis 18. *ego Dominus, qui eduxi te de Hur Chaldæorum.*

Ninus autem hujus Nembrod filius, primus quoque Idolorum inventor dicitur, quia, ut narrat Magister *in hist. scholast. super cap.* 2. *Genes.* vita functo Nembrod, patre suo, in solatium doloris imaginem ejus fecit, quam tanto prosequutus honore, ut quibusvis reis ad illam confugientibus libenter parceret, propter quod etiam cœperunt homines divinos illi honores impendere, ut ait D. Hieronymus in illud Isaiæ 46. *confractus est Bel.* cujus rei exemplo cœteri non solum Diis suis, verùm & sibi dilectis vitâ functis, simulachra formandi, eaque adorandi usum sumpserunt.

Nec leve ejus sententiæ argumentum, aut obscura conjectura est, quod pleraque Idola variarum nationum, præcipue Orientalium, ex hoc Belo appellationem duxerint, una vel altera literula mutata, ut observavit D. Hieronymus in cap. 2. Oseæ. Nam Idolum Mohabitarum vocabatur *Beelphegor*, Num. 25. eo quod coleretur in monte Phegor, cujus fit mentio Num. 23. Idolum Tyriorum, ac Sydoniorum vocatum est *Baal*, & *Belial*, cujus toties fit mentio in Sacra Scriptura; & *Baal Sanes*, id est, Princeps cœli appellatum est Idolum Punicorum, ut ait D. Augustinus *q.* 16. *super Librum Judicum*, ac *Beelzebud* Idolum Acharonitarum 4. *Reg.* 1. à muscis, *Zebud* enim muscam significat,

significat, quæ in odorem mactatorum illic pecorum advolabant. Quare, ut illi supremum suorum Deorum Beelzebud vocabant, ita Judæi in eorum odium, ac irrisionem principem dæmoniorum appellabant eodem nomine, Lucæ 11. *In Beelzebud principe dæmoniorum ejicis dæmonia.* Tot autem in locis Idolum Assyriorum cultum fuisse, aut ab illis in alias nationes, & regna Idolorum formationem, & adorationem diffusam fuisse, in causa forsan fuit, quod prima, & suprema penes eos mundi monarchia per multos annos extiterit. Unde Nahum. cap. 3. de Ninive, Metropoli Assyriorum, fundata à primo inventore Idolorum Nino habetur: *Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, & gratæ, & habentis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, & familias in maleficiis suis, ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum.*

Est tandem sententia Judæorum, referente D. Thoma 2. 2. *q.* 94. *ar.* 4. ac Isidoro *Etymolog. cap. ult.* quæ facit Ismaelem primum Idolorum inventorem, & datorem, putantque aliqui, Ludum illum Ismaelis cum Isaac, qui valdè displicuit Saræ, Genes. 22. fuisse adorationem Idolorum ab Ismael ex luto formatorum, quam Isaacum fratrem suum docebat.

In hac sententiarum varietate primum assero, nunquàm sic obcæcatum fuisse mundum ante Christi adventum, ut aliquo, vel modico tempore nullus verus Dei cultor internus, & externus fuerit, sed omnes Idololatriæ, aut cultui falsorum Deorum indulserint. Hoc autem est tam certum quàm certum etiam de fide est, veram Dei Ecclesiam nunquam defecisse, nec defecturam esse.

Aio deindè probabilius, ac verisimilius esse quod in prima mundi ætate, hoc est, à creatione mundi usque ad diluvium inventa non fuerit Idololatria. Sic expressè docet Cyrillus Alex *li.* 1. *&* 3. *adversus Julianum*, nec non D. Thomas 2. 2. *q.* 94. *ar.* 4. *ad* 2. videturque habere fundamentum in illo Sap. 14. ubi dicitur, Idola neque fuisse ab initio, id est, in prima ætate, neque in æternum mansura. Nam, ut ait D. Augustinus lib. 15. de civit. cap. 8. *Tam longa fuit vita illorum hominum primæ ætatis, ut qui minimum vixit antè diluvium ad septingentos quinquaginta tres annos perveniret; Nam plures ad nongentos annos etiam transierunt.* Igitur cùm recens adhuc in illis esset memoria creationis Mundi ab uno solo, ac vero Deo, juxtà doctrinam ab Adamo, cui ferè omnes convixerant, traditam, verisimilius videtur, tunc nec cogitationem plurium Deorum, nec Idololatriam primùm fuisse exortam, multoque minùs à tempore Enos, aut occasione illius.

Postremo dico, certissimum esse, quod in temporis intervallo à diluvio usque ad Abrahamum, jam erat Idololatriæ usus, tam sine, quàm cum imaginibus, ac Idolis sensibilibus, incertum autem quo præcisè tempore, & à quibus inceperit, probabilior tamen sententia videtur esse illa, quæ Idololatriam sine imaginibus Ægiptiis, cum imaginibus verò Nino primum tribuit. Propterea que Eusebius de præpar. Evangel. refert, *Ægyptios primos omnium Solem, & Lunam Deos putasse, quibus non sanguinem, aut nidorem afferebant, sed fruges terræ, quam etiam ipsam, ut Deum adorabant.*

Quænam autem illarum antiquior fuerit, aut priùs inceperit, dubium quoque est inter Doctores. Quidam enim affirmant, Idololatriam creaturarum cœlestium sine Idolis ab hominibus fabricatis antiquiorem fuisse, non tam ex propria Philosophorum inventione, siquidem munus philosophandi, ac inquirendi Deum ex creaturis non videtur tam antiquus, sicut Idololatria imaginum, quam ex quadam admiratione cœlestium corporum, ac syderum, & præcipuè Solis, & Lunæ, nec non propter miros eorundem in terram influxus. Alii verò docent, Idololatriam cum Imaginibus fuisse primam.

Hæ duæ sententiæ facile possunt conciliari, si dicatur, primam esse veram, quoad privatum cultum, quem unusquisque sibi eligebat juxta proprium errorem, vel opinionem. Alteram autem de publico cultu per dedicationem Templorum, & Sacrificiorum. Sic enim verius esse videtur, illum incepisse cum Idolis, & ab illis initium duxisse. Quia Sapient. 14. expressè dicitur; *Initium fornicationis, Idolorum inventio.* Loquitur enim ibi Sapiens de propriis Idolis arte factis, & fornicationem vocat, juxta usitatam Scripturæ phrasim, superstitionem colendi creaturas divinis honoribus.

Verisimile pariter est, prius fuisse ab hominibus inchoatas, & in æstimatione habitas imagines hominum, ac postea dæmones se se insinuasse, cœpisseque per illas imagines aliqua responsa dare, vel alia prodigiosa patrare, ut homines deciperent, & in eis aliquid divinum esse facilius persuaderent.

Tandem quia legitur apud Plinium *lib.* 34. *cap.* 7. *& lib.* 35. *cap.* 12. Plasticam artem prius fuisse quàm statuariam, verisimile quoque est, Idola ex luto formata priora fuisse, quàm ex alia materia fabrefacta.

Quod verò attinet ad Polytheismi varietatem ac divisionem relicta illa parte, quæ attendi posset penes Deorum falsorum numerum prope infinitum, nec non materiæ diversitatem; *neque enim interest*, inquit Tertullianus lib. de Idololatr. cap. 3. *an plastes effingat, an cælator sculpat, an Phrygio detexat, quia nec de materia refert, an gypso, an coloribus, an lapide, an ære, an argento, an filo formetur Idolum.* Primum polytheismus ratione modi colendi, vel adorandi dividi potest in verum, & fictum, nec non in verum & falsum simul. Quare observandum est, duobus, vel tribus modis, posse aliquam adorationem dici veram, nimirum vel ex parte personæ adorantis, vel ex parte rei adoratæ, vel ex utroque simul. Cum enim adoratio consistat in recognitione & confessione alicujus excellentiæ per signum aliquod protestativum, ut existentes in re adorata, interdum talis significatio falsa est, quia res ipsa talis non est, sicut significatur, sive in illa talis non reperitur excellentia, & tunc dicitur adoratio falsa ex parte objecti, seu rei adoratæ, etiamsi ex parte subjecti, sive ex intentione adorantis non sit ficta, sed vera, quatenus verè intendit talem rem adorare.

At verò si adorans non intendit interius ita adorare sicut exterius ostendit, tunc adoratio dicitur non tam falsa, quàm ficta ex parte adorantis. Quia scilicet in re adorata vere invenitur illa excellentia, quam signa exteriora demonstrant, licet adorans illam non recognoscat, aut verò confiteri non intendat. Si autem signum adorationis, & in se falsum sit, & ab adorante ficto exhibeatur animo, tunc adoratio & ficta simul, & falsa dici poterit.

Ex his dicendum est, omnem Idololatriam esse falsam adorationem ex parte rei adoratæ. Quia in ea protestatur excellentiam, quæ in illa non habetur. Quare in hoc sensu omnis Idololatria potest dici falsa latria. Latria enim significat adorationem protestativam divinæ excellentiæ in eo, cui exhibetur. Et ideo tunc est simpliciter ac verè latria, quando verè significat talem excellentiam in re adorata. Quando autem falsò illam significat, est falsa latria, quæ idololatria dicitur.

Hæc autem ipsa Idololatria potest interdum esse vera Idololatria ex parte adorantis, interdum verò falsa. Vera dicitur, quia non ex animo ficto procedit, sed ex intentione adorandi, licet aliàs falsum significet, sicut qui falsam propositionem affirmat, putans esse veram, & ex intentione dicendi veram, formaliter non mentitur, licet materialiter falsum proferat. Sic ergo potest esse aliqua vera, id est non ficta Idololatria, quamvis in se sit falsa; aliqua verò potest esse ficta, seu falsa etiam ex parte adorantis, qui talem cultum ex animo non impendit. Quæ fictio nonnunquam esse potest ex parte intellectus, ut cum quis non existimat esse

esse in re sic adorata divinam excellentiam, & nihilominus propter extrinsecas causas vult illam externo signo profiteri. E contra aliquando potest esse fictio in solo affectu, ut accidit in dæmonibus, qui velint, nolint, credunt in Christo divinam excellentiam, & interdum coguntur illam agnoscere, eique genua flectere, & nihilominus affectum non habent adorandi Christum, sed solum exhibendi hoc, vel illud signum, quia ita constringuntur. Sæpe etiam potest esse fictio ex utroque capite, ut patet in fideli, qui à tyranno cogitur thus offerre Idolis, in quibus non credit esse divinam excellentiam, nec habet animum faciendi illum actum in honorem Idolorum, sed solum exterius ad evitandam mortem, vel ob alias causas. Unde aliquando etiam poterit interiore affectu in verum Deum hujusmodi actum referre.

Ex dictis igitur tria debent ad Idololatriam concurrere circa Idolum, ut omnino vera, & in suo consummata sit genere, scilicet existimatio aliqua divinitatis de Idolo, seu re, quæ adoratur, affectus adorationis, & tandem adoratio ipsa, seu exhibitio signi submissionis, & recognitionis alicujus excellentiæ divinæ in re sic adorata, vel interioris, si adoratio sit mere interna, vel exterioris, si externa insuper sit, ad Idololatriam omnino veram ex parte colentis requiritur opinio divinitatis, seu alicujus divinæ excellentiæ in re adorata.

Secundo Idololatriæ varietas, ac divisio desumi potest ex parte objecti materialis, sive ex multiplici rei adoratæ differentia. Etsi enim attenta hujus vocis etymologia, nomen Idololatriæ significare tantum videatur Idololatriam cum imaginibus, secundum quod Idolum illud componens solet definiri Imago destinata ad indebitum cultum alicui tribuendum; quia tamen ipsummet Idoli nomen ex hac sua primæva significatione extensum est ad significandam quamcumque creaturam, quæ tanquam Deus colitur, sive colenda proponitur supremo cultu soli vero Deo debito, etiamsi talis res non sit imago, neque ut imago alicujus falsi Dei adoretur, sed ut ipsemet falsus Deus juxta communem loquendi modum Sacræ Scripturæ ubique obvium, cui etiam suffragatur ratio. Si enim omnis adoratio creaturæ, per quam, ut Deus colitur, peccatum Idololatriæ est, manifeste sequitur, omnem creaturam, sic adoratam, Idolum esse, etiamsi non in aliqua imagine, sed in se, ac propter se immediate adoretur. Qua ratione Tertullianus *lib. de Idololatr. cap.* 3. dixit, *Idololatriam agi posse sine Idolo*, id est sine simulachro, *& aliquando factam esse sine isto nomine, licet non sine isto opere.* Ubi significat nomen Idoli, & Idololatriæ non quidem fuisse, donec simulachra pro Diis adoranda introducta sunt, rem autem ipsam, id est, Idololatriæ vitium sine simulachris sensibilibus exerceri potuisse.

Idololatria itaque hoc modo considerata, primùm dividitur in eam, quæ fit sine imaginibus, & in illam, quæ fit cum illis. Rursus prima tot habet partes, quot sunt creaturæ, vel animatæ, vel inanimes, quibus olim Gentiles divinos tribuisse honores, tam profanæ, quàm sacræ ipsæ testantur historiæ, Sapient. 13. ubi expresse dicitur, illos, *aut ignem, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut Solem & Lunam rectores Orbis terrarum, Deos putasse*, ac Hierem. cap. 3. *Nunquid vidisti quæ fecerit aversatrix Israel? Abiit sibimet super omnem montem excelsum & sub omni ligno frondoso, & fornicata est ibi.* Multi enim interpretes hujusmodi verbis alludi putant ad cultum idololatricum, quo antiquitus arbores annosæ loco falsorum Deorum colebantur, quem usque ad nostra etiam tempora perdurasse apud Indos Peruanos, refert Acosta *lib.* 5. *de histor. Indor. cap.* 5. similiter quando Levitici *cap.* 26. *v.* 1. præcipitur: *Non facietis vobis Idolum, & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum. Ego enim sum Dominus Deus vester*, per illa verba non facietis Idolum, & sculptile, intelliguntur statuæ in honorem Deorum falsorum affabrè factæ, omnis que proinde Lapis, statua factus sub nomine sculptilis comprehenditur; per subsequentia verò: *Nec erigetis titulos, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra*, videntur significari impositi etiam ac rudes lapides, in quibus tamen aliquod magnum apparebat in quantitate, in situ, in eminentia, quibus olim Pagani divinos exhibebant honores, quosque ubi eos erigebant vice falsorum Deorum titulos appellabant. Et hi sunt tituli, qui citato Levitici loco prohibentur. Nam alii excitati in memoriam alicujus rei insignis non vetabantur, ut ille, quem erexit Jacob *Genes.* 28. in signum mirificæ visionis, ac memoriam divinæ promissionis ad ipsum factæ, nec non Absalon 2. *Reg.* 18. qui à Josepho *lib.* 7. *antiquit.* dicitur fuisse columna marmorea. Nisi velimus dicere jam tempore Moysis apud Gentes usum fuisse eos colendi lapides, ut quid divinitatis habentes, in servandis confinibus, quos Terminos appellabant.

Altera Idololatriæ, quæ fit cum imaginibus, species in tot quoque partes dividi potest, quot fuere Idolorum, ac simulachrorum genera, quibus Gentiles divinos exhibuerunt honores. Idolum enim non est simulachrum tantum, quod humana effigie factum, & consecratum est, ut nimis restricte illud describit Isidorus lib. 8. etymolog. verùm ad alias etiam figuras se extendit, ut expresse dicitur Sapient. 13. Exodi 32. & latius explicat D. Paulus *ad Romanos* 1. Imo etiam potest figurari Idolum, quod non sit alicujus rei veræ, vel speciei effigies, sed fictæ, ut chimeræ, ad quam tamen malè etiam ab aliis limitatur ratio Idoli, ut sentire videtur Origenes *homil.* 8. *in Exod.* sic exponens quod Paulus ait 1. Corinth. 8. *Scimus, quod nihil Idolum est in mundo.* Quod sequitur Theodoretus *q.* 38. *in Exod.* & Oecumenius *in* 1. *ad Corinth.* aliique plures. Etsi enim verum sit, multa talia fuisse Idola Gentium, ut habetur ex Athanasio Orat. contra Idola, nihilominus Idolum potuisse etiam esse, ac de facto fuisse imagines alicujus rei veræ, & aliquando subsistentis clarè demonstrant memorati Sacræ Scripturæ loci.

Non tamen sufficit, ut quæcunque imago sit Idolum, quod sit consecrata, id est ad cultum dicata, sed debet restringi ad consecrationem indebitam, seu excedentem creaturæ capacitatem ita, ut propterea Idoli ratio in hoc consistat, aut per hoc compleatur, quod sit imago ad indebitum cultum alicui creaturæ tribuendum destinata. Quare licet Idolum possit esse imago veri hominis, aut alicujus alterius rei veræ, si tamen destinetur ad colendum illum hominem, ut Deum, jam erit imago falsi Dei, & sub ea ratione erit imago rei non existentis. Quo in sensu accommodari potest superius adducta Origenis, & aliorum sententia, recteque D. Augustinus *in lib. Judic.* declaravit Idolum *cujusdam Dei falsi simulachrum.*

Imo fortassis eadem, vel proportionali ratione, si quis iniquum hominem, & in peccatis mortuum sibi depingeret ad cultum, quamvis non ut Deum, sed ut Sanctum, hominem illum colere vellet, talis imago rationem Idoli participaret, ut docet Sanderus *lib.* 1. *de Imag.* Quia, licet talis imago verum repræsentaret hominem, simul etiam falsum referret Sanctum. Et in hoc quoque sensu recte dici potest Idolum involvere falsitatem in sua repræsentatione, ac subinde imaginem falsam, intelligendusque est D. Paulus *loco citato* 1. *Corinth.* 8. in ratione, qua Deum falsum, vel personam summo honore dignam repræsentat, unde post adducta verba statim subjungit, *quod nullus est Deus, nisi unus.* Et ita etiam dicuntur Idola non esse, Esther *cap.* 14. *v.* 11. nec non

non in aliis pluribus Scripturæ locis.

Tertio Philosophi Gentiles, præsertim Varro, Idololatriam, sive Polytheismum, in triplicem Theologiam juxta Augustinum *lib. 6. de Civit. Dei cap. 5.* & Eusebium *lib. 1. & seq. de præparat. Evang.* distinxerunt, Physicam, Civilem, Fabularem. Ad primam spectant opiniones, quas de uno, vel pluribus Diis Philosophi in suis scholis ac libris docebant, & D. Thomas 1. 2. *q. 94. ar.* 1. ad duas reducit. Physica fuit eorum, qui totum mundum animari ab ipso Deo asserebant, & ideo illum, vel præcipuas ejus partes adorabant, tanquam divinitate plenas, nec non aliorum qui, licet non unum, & eundem Supremum Deum existimarent animare totum mundum & singulas ejus partes; varia tamen numina inferiora credebant esse in Sole, Luna, Elementis, &c. Altera est Platonis, & aliorum, qui, teste D. Augustino *lib. 7. de Civit. cap.* 12. cum agnoscerent, esse unum Summum Deum, cæterarum rerum conditorem, nihilominus plures minores Deos colebant, quos Intelligentias aut dæmones vocabant, inter quos etiam annumerabant quorundam mortuorum hominum animas divinitatis participes effectas.

Civilis, quia veluti communi civium usu, & consensu introducta erat, eaque frequentius Pontifices, ac populi in Deorum cultu uterentur. Et licet difficile sit explicare, quam Varro inter hanc à Physica, & fabulari differentiam statueret, ut habet D. Augustinus *lib. 6. de civit. cap. 29. & seqq.* verisimile tamen est sitam fuisse in opinione divinitatis, quæ simulachris, aut imaginibus ab hominibus factis inesse putabatur. Quam opinionem idem Augustinus *lib. 8. de civit. cap. 23.* Hermeti Trismegisto tribuere videtur, dum ait. *Ille alios Deos dicit à Summo Deo factos, alios ab hominibus.* Priores enim Dii videntur ad Theologiam physicam pertinere, posteriores verò ad civilem. Siquidem ii Dii ab hominibus facti, videntur esse Idola, & simulachra, *quæ opera sunt manuum hominum.*

Fabularis vero, quia licet priores Theologiæ non minus falsæ essent, quàm ista, nihilominus ista per excellentiam ita vocata est, quod nec vanis ratiocinationibus, nec solis dæmonum præstigiis introducta fuisset, sed ed eam spectaret adoratio quorundam hominum mortuorum, quos Gentes, ut Deos colebant ex falsa hominum traditione, Poetarumque præsertim figmentis. In hoc enim Idololatriæ genere docet D. Thomas 2. 2. *q. 94. ar.* 1. Gentiles quidem usos fuisse Idolis, & simulachris, ea tamen ut Deos non adorasse, sed homines quosdam, qui per illos repræsentabantur, quos appellabant Jovem, Apollinem, Mercurium, &c. de quibus hominibus, etsi innumeras fabulas confingerent, ac de illis, quod mirabilius est, innumera scelera, & turpissima narrarent flagitia, nihilominus eos, Deos esse opinabantur &, ut tales colebant, quod sibi persuaderent divinitatem esse aliquam excellentiam, quæ ab hominibus comparari posset, non tantum virtute, sed etiam industria, potentia, aliisque similibus modis, quantumvis cum omni vitiorum genere conjunctis. De cujus etiam falsæ Theologiæ superstitione, videtur loquutus Sapiens *cap.* 14.

Quartò Polytheismus dividi potest juxta nationum, in quibus viguit, diversitatem, prout unaquæque specialem aliquorum Deorum cultum amplexa fuisse legitur. Multi in S. Scriptura passim referuntur quos simul collegit Theatrum vitæ humanæ ut Idolum. De his quoque disseruerunt Lactantius *in libr. instit.* D. Augustinus *de civit. præsertim lib.* 1. 3. 4. *&* 18. Gyraldus, Alexander ab Alexandro, Ripa *in Iconologia*, pluresque alii, ac præ omnibus Græci, deinde Romani. Subacta enim Græcia, quasi captivam ejus superstitionem circa polytheismum, falsorumque Deorum cultum in patriam transtulerunt, adeo ut referat Blondus plusquam triginta Deorum millia Romam triumphantem coluisse, recteque propterea S. Leo *ser. 1. in natal. Apost. Petri & Pauli* ait, quod *cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus, & magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem.*

Unde quantum utraque natio erat sic per dæmonem tenacius alligata, tantùm per Christum fuit mirabilius absoluta, cujus fidem ac doctrinam Atheniensibus evangelizandi, nec non Idololatriam destruendi, cùm D. Paulus in Areopago peroraret occasionem sumpsit, inspecta ara cum hac inscriptione *Ignoto Deo.* Historiam habes Actor. cap. 17. Difficultas autem est quis sit ille *Ignotus Deus.* Divus Hieronymus *in epist. ad Titum cap.* 1. sic ait: *Inscriptio autem aræ non ita erat, ut Paulus asseruit, Ignoto Deo, sed ita: Diis Asiæ, Europæ, & Lybiæ, Diis ignotis, & peregrinis. Verùm quia Paulus non pluribus indigebat ignotis, sed uno tantum ignoto Deo, singulari verbo usus est, ut doceret illum esse suum Deum, quem Athenienses in aræ titulo prænotassent, & eum recte scientes colere deberent, quem ignorantes venerabantur, & nescire non poterant.* Ita Hieronymus, cujus autoritas sufficere potest ad hujus sententiæ probabilitatem, præsertim cum illi consentire videatur Pausanias *lib. 1. in Attica*, ubi inter alias ponit aras Deorum, & Heroum, qui ignoti vocantur.

Verum hæc sententia aliis non placet. Quidquid enim sit, an una sola ara extiterit Athenis cum hac inscriptione, an verò plures. Quod Pausaniæ loquendi modus solum videtur sonare, volunt, in qualibet ara hanc fuisse inscriptionem, *Ignoto Deo*, ex quibus unam commemorat Apostolus se vidisse. Cui sententiæ favet tum textus sacer *de cap. 17. Actor.* Tum quia Paulus volens inscriptione illa suadere Areopagitis, unum esse verum Deum, aliter inscriptionem non citavit, quàm se haberet. Et tum quia apud Lucianum gentilis homo sic jurare legitur, *Per ignotum Athenis.*

Dubitatur etiam, *An ille fuerit unus verus Deus?* Pro parte negativa citatur Oecumenius *in cit. cap. 17. Act.* Aperte tamen affirmativam tenet Michael Syngellus *in vita S. Dionysii Areopagitæ*, ubi scribit eum in Ægypto existentem, ac Solis defectum videntem in die dominicæ passionis, dixisse: *Ignotus Deus carne patitur, propter quem Universum est tenebris obscuratum, & tremefactum.* Et hunc sermonem asserit: sibi puero fuisse à patre traditum. Deinde subjungit; *Cum Philosophi, qui tunc Athenis erant intelligerent, Naturæ vices maxime mutari, & verti, potuisse Aram ignoto Deo, de quo nunc loquitur Paulus constituere. Et fortasse Dionysius ex Ægypto reversus, autor fuit, ut talis ara Ignoto Deo erigeretur.* Similia fere tradit Comestor *in Acta cap.* 93.

At in hac re nihil omnino certi statui potest, nisi quod Apostolus hujusmodi inscriptionem, aut vero, aut falso Deo factam torsit in argumentum Evangelicæ prædicationis contra Idololatriam. Cæterum manendo intra limites probabilitatis, verisimilius puto, eam aram Deo vero unico fuisse dicatam, quidquid de occasione, vel causa talis erectionis: Nam D. Paulus ait: *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis.*

Quinto tandem ratione subjecti potest dividi Polytheismus, quatenus non solum Gentiles eum amplexi sunt, verum etiam nonnulli ex illis, qui divinarum Scripturarum autoritatem recipiunt. Igitur inter Christiani etiam nominis professores plures hæretici duos constituerunt Deos, in eoque turpius aliqui eorum ipsis Gentilibus errarunt, quod Deorum istorum alterum malum esse penitus finxerunt, ac bonitatis

nitatis omnino expertem. Ita desipuerunt Gnostici ex Nicolao, vel Carpocrate orti, teste D. Augustino *lib. de hæresib. hæres. 6.* Cerdon *ibid. hæres.* 21. & apud Epiphanium *hæres.* 41. Marcion Ponticus sequutus est Cerdonem ex eodem Augustino *hæres.* 22. Sed quia de Cerdone ait, posuisse unum Deum bonum, & alterum justum. Quod idem refert Irenæus *lib.* 1. *adversus hæres. cap.* 28. inde Alphonsus Castrius *lib.* 5. *advers. hæres. v. Deus hæres.* 1. asserit, Cerdonem non admisisse alterum Deum, tanquam malum, nihilominus D. Augustinus *loc. cit.* refert, quosdam attestari, hunc hæreticum similiter constituisse alterum Deum malum, hoc ipsum intelligendo per ly *justum*, hoc est crudelem, & sævum. Duos quoque Deos bonum & malum concessit Apelles apud eundem Augustinum *hæres.* 23. & Epiphanium *hæres.* 44. Hic tamen hæreticus dixit, Deum malum factum fuisse à Deo bono. Rursus hic error de duplici Deo, bono, & malo, maxime, inquit apud Manichæos, ita à Mane, perditæ illius sectæ autore dictos, ut refert Augustinus *hæres.* 66. Manichæos sequuti sunt Priscillianistæ in Hispania apud Augustinum *hæres.* 70. & Leonem Papam *epist.* 91. *cap.* 14. At de hoc plenius infra

Præter hos fuerunt alii, qui occasione mysterii Sanctissimæ Trinitatis erraverunt, dividentes tres naturas divinas in tribus personis, qui proinde tres plane Deos constituebant, indeque appellati sunt Tritheitæ, vel etiam Trinitarii. Ita ex antiquis Ademas, Caristius, & Peraticus Euphrates, cujus sequaces appellati sunt Peratæ apud Theodoretum *lib.* 1. *hæretic. fabul. cap.* 19. Metangismonitæ, id est Transvasantes dicti, *quod filium intrare in Patrem, ut vas minus in majus assererent* ex Philastrio *in catalog. hæres.* & Augustino *lib. de. hæres. hæres.* 58. Joannes Philoponus, ut refert Nicephorus *lib.* 18. *hist. Eccles. cap.* 47. Severitarum quoque, sive Theodosianorum quarta & quinta secta variis nominibus nuncupata, licet in aliis dissentirent, in hoc tamen conspirabant, quod tres assererent deitates, sive naturas in divinis per omnia similes, teste eodem Nicephoro *lib.* 18. *cap.* 49. & 50. Tradit etiam D. Anselmus *lib. de incarnat. Verbi cap.* 1. & 3. Clericum quendam in Gallia docuisse, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum non *esse unam tantum rem, sed tres res esse tres personas, sicut tres Angeli, aut tres animæ, ita tamen, ut potentia & voluntate omnino sint idem.* A quibus omnibus verbo tenus dissedisse Abbatem Joachimum crediderunt multi. Licet enim concederet, *quod Pater & Filius & Spiritus sanctus sunt una essentia, una substantia, unaque natura, verum unitatem hujusmodi non veram & propriam, sed quasi collectivam, & similitudinariam esse fatebatur. Quemadmodum dicuntur multi homines unus populus, & multi fideles una Ecclesia,* ut refertur *in cap. damnamus de sum. Trinit.*

Ex recentioribus tandem quidam Valentinus Gētilis & ejus sequaces eandem essētiam divinam juxta numerum trium divinarum personarum multiplicarunt, in eoque se ab Arianis differre professi sunt, quod pares, sive æquales tres essentias trium personarum assererent. Sed postea præfatus Valentinus asseruit inæqualitatem, quatenus *solum Patrem*, dixit, *esse immensæ substantiæ, & essentiatorem, & eminentiorem cœteris. Filium autem, & Spiritum sanctum esse circumscriptibilem, & essentiatum, licet non in tempore, sed ab æterno genitum ac spiratum ex Patris substantia*, quemadmodum posteriores Arianos sensisse refert Augustinus *lib.* 6. *de Trinit. cap.*1. Unde etiam Maximinus *apud Augustinum lib.* 1. *contra ipsum* confitetur, Filium non ex nihilo, sed ex Patris substantia genitum juxta sententiam Concilii Ariminensis.

Sunt etiam qui Polytheismo annumerant hæreticos Arianos, & Macedonianos, sed immerito, cùm hi putaverint Filium & Spiritum Sanctum esse creaturas Patris, solumque Patrem esse verum Deum per naturam. Unde si quandoque contra illos fuit etiam sanctissimis Ecclesiæ Patribus pro divinæ naturæ singularitate certandum, id non nisi ex consequenti factum est, & quatenus supponebatur ab illis ex divinis probatum Scripturis contra præfatos hæreticos, quod Filius, & Spiritus Sanctus essent Deus, cum in divinis ita dentur tres personæ realiter inter se distinctæ, ut tamen sint unus, & solus Deus, non autem tres Dii, ut inepte aliqui inferebant Ariani, ac impie asserebant alii hæretici superius adducti.

Sed adversus hos hæreticos, eorumque reliquias demonstremus modo ex sacris litteris, sanctisque Patribus Dei unitatem. Ut enim recte ait Damascenus lib. 1. fidei cap. 5. *apud eos, qui Scripturis credunt, Deum esse unum absque controversia est.* Hujusmodi autem Scripturæ loci, ex quibus fundamentalis hæc fidei nostræ veritas colligitur, ad tres potissimum reducuntur classes. Prima continet illa, in quibus expresse asseritur, unum tantum esse verum Deum, à quo omnes aliæ res factæ sunt. Deuteron. cap. 4. v. 35. *Ut scires, quoniam Dominus ipse est Deus, & non est alius præter eum.* cap. 6. v. 4. *Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est* cap. 32. v. 39. *Videte, quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me.* Idemque habetur lib. 1. Reg. *cap.* 2. *v.* 2. & *lib.* 2. *cap.* 8. *v.* 23. *Psal.* 17. *v.* 32. *Psal.* 85. *v.* 10. Sapientiæ. 12. *v.* 13. & *cap.* 13. & 14. *v.* 21. Ecclesiastici *cap.* 1. *v.* 8. Isaïæ *cap.* 43. *v.* 10. *cap.* 44. *v.* 6. *cap.* 45. *v.* 5. Oseæ *cap.* 13. *v.* 4. Malachiæ *cap.* 2. *v.* 10. Marci *cap.* 12. *v.* 29. & 32. Joannis *cap.* 17. *v.* 3. D. Paulus 1. *Corinth.* 8. *v.* 4. Ad *Galatas cap.* 3. *v.* 30. Ad *Ephesios cap.* 4. *v.* 5. & 1. ad *Timoth. cap.* 2. *v.* 5.

Altera classis amplectitur innumeros prope locos, in quibus Sacra Scriptura præcepto unius Dei cultu Idolorum, Deorumque multitudinem detestatur. Præcipui sunt Exodi cap. 20. v. 3. *Non habebitis Deos alienos coram me* cap. 22. v. 20. *Qui immolat Diis occidetur, præterquam Domino soli.* Deuter. cap. 5. v. 7. *Non habebis Deos alienos in conspectu meo.* Similia leguntur *cap.* 8. *v.* 19. *cap.* 11. *v.* 16. & 28. Josue *cap.* 23. *v.* 7. Psal. 80. *v.* 10. Ex quibus aperte constat, præter unum Deum verum, non posse dari alios Deos veros, sed omnes esse necessariò falsos ita, ut divinitas in plures numero, vel specie distinctos Deos dividi non possit, aliàs divinæ Scripturæ male cultum divinum ad unum solum numero, cœteris exclusis, & in abominatione habitis, restringerent.

Ad tertiam classem pertinent illi Scripturæ loci, novi præsertim Testamenti, quibus ita realis divinarum personarum inter se distinctio statuitur, ut simul significetur, eas esse unam numero essentiam, unam substantiam, sive unam naturam divinam, atque adeo unum Deum, non autem tres Deos, ut asserunt hæretici. Matthæi *cap. ult.* & Marci 16. dum Christus Dominus jubet, Apostolos baptizare: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Etsi enim hæretici Sabelliani ex hoc loco suum errorem confirmare conati sint, nimirum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum una tantum esse tritonymiam personam, eo quod Christus non dixerit, baptizantes eos in nominibus, sed in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, hoc solum indicat unitatem trium personarum in natura divina. Quamobrem præscripta ibi baptizandi forma, in qua trium divinarum personarum nomina propria per conjunctionem, quæ diversa copulat, omnium primò exprimuntur, refellitur, & Sabellius confundens personarum pluralitatem, vel, ut ait Hieronymus in epist. ad Marcellam, *Trinitatem in unius personæ angustias cogens*, & Tritheita naturam divinam juxta numerum personarum dividens, ac triplicans, Ecclesia catholica media incedente via, quæ contra pri-

primum errorem realem trium divinarum personarum inter se distinctionem, vel pluralitatem, contra secundum verò perfectam earumdem in una & eadem numero substantia, vel natura divina identitatem, & unitatem docet, atque adeo non plures, sed unum tantùm esse verum Deum.

Alter locus habetur Joannis cap. 10. n. 30. ubi Christus ait: *Ego & Pater unum sumus.* Quibus sane verbis, omnes etiam Patres tam Græci, quàm Latini, qui disputarunt contra Arianos usi sunt. Quia tam Ariani divinitatem Filii negantes, quam Tritheitæ, illam quidem admittentes, sed in personis juxta earum numerum multiplicantes, manifeste convincuntur erroris. Ideo, ut argumentum ex illis petitum, quo forsan adversus eos nullum est efficacius, Catholicorum manibus eriperent, illud, *unum sumus*, primùm Ariani ad unitatem, aut concordiam voluntatis torquere conati sunt, exponentes Patrem, & Filium esse unum non essentia, sive substantia, sed animorum consensu, & unanimi concordia voluntatum, ut refert Augustinus *lib. 6. de Trinit. cap. 3.* & *lib. 2. contra Maximum Arianum cap. 12.* fusius autem *lib. 3. contra eundem cap. 22.*

Sed, omissis aliis, non solum nobis ostendendum est, illa Christi verba intelligi debere de una numero natura, non autem specie tantum in divinis personis, ut contendunt Tritheitæ. Primùm quia Concilia, & Patres unanimi semper consensu his verbis, *unum sumus* consubstantialitatem Filii cum Patre, indeque divinitatem contra Arianos probarunt. Non igitur de unitate solum specifica, aut de unitate concordiæ debent intelligi, sed de una, & eadem numero, singularique natura, qua divinæ personæ sunt unus numero Deus.

Deinde quia ad hoc, ut tres personæ dicantur simpliciter, & absolute unus Deus, sive quod idem est, quid unum, sine ullo addito, non sufficit unitas specifica naturæ divinæ realiter in illis multiplicatæ, nec etiam unitas concordiæ voluntatum realiter distinctarum. Frustra igitur adversarii recurrunt ad hujusmodi interpretationes, ut eludant Scripturæ locos, quibus unus verus Deus perpetuò asseritur.

Eodem modo discurrendum est de altero loco ejusdem S. Joannis *epist. 5. cap. 5.* ubi ait: *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt*, unitate scilicet numerica ejusdem essentiæ, vel naturæ divinæ, supposita, quam præfati non negant hæretici, personarum divinitate.

Hæc eadem unitatis Dei veritas probatur item ex sacrosanctis Conciliorum decretis. ex Concilio Niceno *in Symbolo*, ex Synodo Constantinopolitana act. 10. ex Concilio Toletano 4. & 6. *ac.* 11. ex Concilio Arelatense 4. ex Patrum concordi sententia, qui licet tres in Deo divinas agnoverint personas nihilominus tamen illas non tres Deos, aut dominos, sed unum esse numero Deum acerrime semper propugnarunt. Ex quibus aliqui sunt, qui adversus Polytheismum, & Idololatriam ex professo scripserunt.

In seculo primo & secundo id asserunt Patres Græci & Latini, Clemens Romanus *Constit. Apostolic. lib. 6. cap. 1. & 14.* ac *lib. 8. cap. 15.* & *lib. 1. recognit.* Dionysius Areopagita *de divinis nomin. cap. 1.* & *de myst. Theolog. cap. 3.* Ignatius *in epist. ad Philippenses, & Antiochenos*, Prochorus *de vita B. Joannis cap. 1.* & 5. Justinus tam *in eversione quorundam dogmatum Aristotelicorum*, quàm *in expositione orthodoxæ fidei*, Theophylus Episcopus Anthiochenus *lib. 3. ad Autolicum*, Irenæus *lib. 1. cap. 2. & 19. lib. 2. cap. 1. lib. 3. cap. 3.* & *lib. 4. cap. 75.* Clemens Alexandrinus *lib. 5. stromatum*, & *lib 1. pædag. cap. 6.* & 8. *ac lib. 3. cap. 12.* ex Latinis Tertullianus *in apologet. adversus Gentes cap. 17. adversus Praxeam cap. 2. ad Scapulam cap. 2. & lib. 4. contra Marcionem cap. 2.*

In tertio & quarto seculo ex Græcis, Origenes *in proœm. lib. de principiis & cap. 3. homil. 13. in numer. homil. 4. in Isaiam, ad cap. 3. epist. ad Romanos*, nec non *dialogo 1. de recta in Deum fide*, Gregorius Neocæsariensis *in confessione fidei*, Eusebius Cæsariensis *de præparat. Evang. lib. 11. cap. 9.* & *in epist. de fide Nicenæ*, Athanasius *in orat. contra Idola*, necnon *de æterna substantia Filii cum Deo*, & in dictum, *omnia mihi tradita sunt à Patre*, Basilius *epist. 141.* quæ est apologia ad Cæsareanos, & *serm. de Ascesi, seu exercitatione monastica*, item *homil. 10. in Hexameron* Gregorius Nazianzenus *in orat. 29. quæ est de dogmate, & constitutione Episcoporum*, item *in orat. 13. quæ est 2. de pace*, & 32. Epiphanius *hæres. 57. & 62. in ancorato*, Cyrillus Hierosolymitanus *catech. 4. 6. & 16.* Gregorius Nyssenus *lib. de Trinit. ad Eustachium*, & *præfat. in orat catech.* Joannes Chrysostomus *homil. 20. in priorem ad Corinthios & serm. de Sancta & consubstantiali, vivificaque & inseparabili Trinitate.*

Ex Latinis Minutius Felix *in Octavio*, Cyprianus *de Idolorum vanitate*, Zeno Veronensis *ser. 1. de Genes.* Dionysius Papa *apud Athanasium epist. de decretis Synodi Nicenæ*, Arnobius Rhetor *lib. 2. contra Gentes*, Lactantius *in libris institut.* & *in lib. de ira Dei cap. 11.* Osius Cordubensis *in Synodo Nicena lib. 2.* Hilarius *ad Psal. 134.* & *lib. de Synodis adversus Arianos*, Lucifer Calaritanus *de non conveniendo cum hereticis*, Phabadius *lib. contra Arianos*, Ambrosius *ad cap. 9. Lucæ*, & *lib. 1. de fide cap. 2.* & *lib. 2. cap. 4.* necnon *lib. de dignitate humanæ conditionis cap. 2.* Optatus Milevitanus *lib. 4.* Philastrius Brixiensis *in heresi triformem Deum facientium cap. 47.* Hieronimus *ad cap. 45. Isaiæ, & ad cap. 4. epist. ad Ephesios*, Gaudentius Brixiensis *in tr. 7. de Exodo* & *in tract. de promis. Paraclet.* Ruffinus *in apologia sua de fide ad Anastasium.*

In quinto & sexto seculo ex Græcis Synesius *hymn. 1. Laudo te, unum. Laudo te, tria. Unum ens es tria, triaque ens unum es*, Cyrillus Alexandrinus *adversus Anthromorphitas cap. 6. de adoratione in Spiritu lib. 3. contra Julianum lib. 4. & 8.* Isidorus Pelusiota *lib. 1. epist. 494. & lib. 2. epist. 142.* Theodoretus *in Genes. q. 20. in Numer. q. 44. & dialog. 1.* Basilius Seleuciensis *orat. de Verbi Incarnatione*, Andreas Cæsarensis *ad cap. 10. Apocal.* Joannes Mazentius *in confessione fidei*, Æneas Gazæus *in Theophrasto*, Zacharias Mithilenæus *de mundi æternitate contra Philosophos*, Procopius Gazæus *ad cap. 1. & 3. Geneseos*, Justinianus Imperator *in fidei confessione*, Rusticus Diaconus *contra Acephalos*, Anastasius Synaita *lib. 1. de rectæ fidei dogmatibus*, Procopius Cartophylax *in encomio S. Marci.*

Ex Latinis Augustinus *lib. 11. de civit. Dei cap. 10. lib. 1. de Trinit. cap. 4.* Item *ser. 6. de tempor. & lib. 3. contra Maximinum Arianum cap. 16.* Paulus Orosius *lib. 6. cap. 1.* Paulinus Nolanus *epist. 23. & 25.* Vincentius Lerinensis *contra hæreses cap. 22.* Petrus Chrysologus *ser. 57. 59. & 60.* Eucherius Lugdunensis *de spiritualibus formis cap. 1.* & *homil. 1. de Epiphania*, Arnobius Romanus *de Deo trino, & uno*, Leo primus *ser. 1. de Pentecoste cap. 3.* & *ser 2. cap. 3.* Claudius Marius Victor *præfat. in Genes.* Eugenius Carthaginensis *de fide ad Hunericum*, Salonius *in Ecclesiasten Salomonis*, Ferrandus diaconus *regul. 4.* Fulgentius *lib. 2. ad Monimum cap. 7. lib. 2. & 11. ad Trasimundum cap. 1. & 9. libr. ad Donatum c. 2. & 3.* Boetius *lib. 1. & 2. de Trinit. lib. 3. de consolat. pros. 10.* Paschasius Diaconus *præfat. in lib. de Spiritu Sancto & lib. 1. cap. 4.* Hormisda *epist. 76. ad Justinum*, Cassiodorus *ad Psal. 50. & 116.* Junilius Africanus *in Genes.* Gregorius Magnus *in Symbolo, & homil. 27. in Ezechielem.*

In septimo & octavo seculo ex Græcis Leontius *de sectis ait 1.* Antiochus *de fide homil. 1* Sophronius Hierosolymit. *epist. ad Honorium*, & *alia ad Sergium Constan-*

Constantinopolit. Maximus monachus *centuria* 2. *de charit. n.* 29. & *expositionis Liturgiæ cap.* 24. Thalassius Hecatontade 4. *n.* 84. & 85. *ac* 98. Petrus Episcopus Nicomediæ *in* 6. *Synodo Constantinop. act.* 10. Germanus Constantinopol. *epist. ad Joannem Synadon*, Joannes Damascenus *lib.* 1. *cap.* 5. & *cap.* 10. Elias Cretensis *in orat.* 1. & 23. *Nazianzeni.*

Ex Latinis Isidorus Hispalensis *præfat. in Numer.* & *lib.* 7. *etymolog. cap.* 4. Hildefonsus Toletanus *ser.* 5. *de assumpt. Mariæ*, Agato *epist. ad Constantinum Imperatorem*, Aponius *lib.* 3. *in Cantic.* Beda *in lib. Boetii de Trinit.* ac *de substantiis*, & *ad cap* 5. *Joannis*, Alcuinus *lib.* 1. *de Trinit. cap.* 3. Ambrosius Ausbertus *lib.* 3. *de Apocal.* Carolus Magnus *ad Elipandum Toletanum Episcopum*, & *lib.* 1. *legum cap.* 6. & 82.

In nono & decimo seculo ex Græcis Nicephorus Constantinopolitanus *epist. ad Leonem tertium*, Michael Syngellus *in encomio Dionysii Areopagitæ*, Theosteuctus *de S. Nicephoro*, Basilius Macedo Imperator *in exhortat. ad Leonem cap.* 1. Leo philosophus Imperator *epist. ad Omarum Regem Saracenorum*, Theophilactus *ad cap.* 12. *Joannis*, & 4. *posterioris ad Corinthios*, Moses Barcepha *de Paradiso p.* 2. *cap.* 6.

Ex Latinis Haymonius *ad cap.* 43. *Isaiæ*, & *super Evangelum in fer.* 6. *Paschæ*, Angelonius *lib.* 1. *Reg. cap.* 1. & 13. Hincmarus *in vita S. Remigii* Rabanus Maurus *epist. ad Bonosum Abbatem*, Remigius Antisiodorensis *de celebrat. Missæ.* Radulphus Flaviacensis *lib.* 10. *in Levit. cap.* 2. Smaragdus Abbas ad *cap.* 4. *epist. ad Ephesios.*

In undecimo, & duodecimo seculo, ex Græcis Oecumenius *ad cap.* 2. *prioris ad Tmotheum*, Euthymius *ad cap.* 12. *Marci*, Joannes Zonaras *tom.* 3. *Annal. in Constantino Magno*, Georgius Cedrenus *in Constantino*, Constantinus Ha menopolus *de fide orthodoxa*, Nicetas Choniates *lib.* 2. *orthodoxæ fidei cap.* 21. 22. & 31. ac *lib.* 4. *cap.* 14.

Ex Latinis Berno Augiensis *ser.* 7. *de S. Marco*, Guitmundus Aversanus *in confess. de S. Trinitate*, Anselmus *de incarnat. Verbi cap.* 4. *epist. ad Ephesios*, & *lib. de vestimentis*, Rupertus Tuitiensis, *lib.* 2. *in Joannem cap.* 6. & *lib.* 5. *de glorificat. Trinit. cap.* 18. Hugo Victorinus *lib.* 7. *erudit. didascalic. de Trinitatis summæ per visibilia agnitione cap.* 19. Richardus Victorinus *lib. de Trinit. cap.* 25. Bernardus *serm. par vor.* 51. & *lib. de consid. ad Eugenium cap.* 8. *Petrus* Lombardus *lib.* 1. *distinct.* 2. Otto Frisingensis *de reb. gest. Friderici Imperatoris lib.* 1. *cap.* 5. Hugo Etherianus *lib.* 1. *de Spiritu Sancto cap.* 8. & *lib.* 3. *cap.* 2. Petrus Blesensis *epist.* 83. Potho Brumiensis *lib.* 4. *de statu domus Dei cap.* 2. Adam Victorinus *in prosa de S. Trinitate*, Innocentius tertius *lib.* 4. *de myster. missæ cap.* 9.

Qui in aliis deinceps seculis pro unitate Dei scripserunt adversus Polytheismum, & Idololatriam innumeri cum sint, tum Doctores Scholastici, tum alii, sufficit præclariores Sacræ Scripturæ, ac veterum Patrum locos ostendisse contra Tritheitas. Quoniam verò multa in divinis revelantur Scripturis, naturaliter etiam de Deo cognoscibilia, nunc disceptandum est, an inter illa numerari debeat, quod sit unus, sive quod idem est, an adversus Polytheistas, Sacras Scripturas negantes, unum tantum esse Deum, vel non uno plures posse Deos esse, valeat naturaliter demonstrari.

Et sane qui negant demonstrabilem esse Dei existentiam lumine naturali, multò magis id fateri tenentur de ejus unitate, quodque consequenter probabili duntaxat ratione suaderi possit immultiplicitas divinæ naturæ in plura individua, non autem certò, nisi ex S. Scriptura, adducendo nimirum motiva credibilitatis, quibus ostenditur, evidenter esse credibile, quod doctrina in sacris litteris contenta, quamque ex illis proponit Religio Catholica, fuerit divinitus revelata, atque adeo certissime per fidem credenda. Pro hac sententia citari solent Gulielmus Ocham *in* 1. *d.* 2. *q.* 10. Gabriel *ar.* 2. Major *q.* 3. *ar.* 3. Petrus Alliacensis *in* 1. *sent.* Adamus *q.* 1. *ar.* 2. Bassolis *q.* 3. *ar.* 3. aliique nonnulli.

Alii vero docent, singularitatem divinæ naturæ, seu quod plures dari non possint veri Dii, non solum esse certum ex fide, verum etiam evidens ex ratione. Ita D. Thomas 1. *contra Gentes cap.* 42. ibique Ferrariensis & *p.* 1. *q.* 11. *ar.* 3. ubi & Cajetanus, D. Bonaventura *in* 1. *d.* 2. *q.* 1. Ricchard. *ar.* 1. *q.* 1. Scotus *q.* 3. Argentinas *q.* 1. Zumel, Molina, Fasolus, Vasquez *in d. locum D. Thomæ*, Gillius *lib.* 2. *tr. cap.* 7. Suisinger. *tr.* 3. *de Deo uno disp.* 1. *q.* 1. Suarez. *disp.* 29. *Metaphis. sect.* 2. & 3. Quæ sententia, ut est inter Patres, ac Doctores communior, ita quoque videtur non solum probabilior, sed omnino certa. Quod autem tot olim homines in eo fuerint errore versati, ut plures existimarint esse Deos, imo, quod mirabilius est, bruta animalia, volucres, serpentes, imo & lapides, ut Deos adorarint, nullum inde sumi potest argumentum, ut contraria veritas de unitate Dei non censeatur demonstrabilis naturali lumine, cùm hic error Gentilium in pluralitate Deorum non provenit ex defectu sufficientis in contrarium demonstrationis, sed ad alias referendus est causas, nempe ad hebetudinem mentis, præ qua multi rationum vim, ac pondus penetrare non potuerunt. Et quia ipsimet Philosophi, licet unum Deum cognoscerent, & existimationem plurium Deorum vulgi errorem esse, non ignorarent, profiteri tamen veritatem non ausi sunt, vel quia decepti sunt à dæmone, qui affectantes divinos honores, illis persuadebant sibi etiam esse debitos propter insignem excellentiam, & potestatem.

Quod etiam Dei unitas abstrusior, minusque pervia dicatur lumini naturali, quàm ejusdem existentia nihil obstat ejus demonstrabilitati, cùm unam veritatem esse alia abstrusiorem, absolute non arguat, eam esse indemonstrabilem, nisi aliquid aliud accedat, viribus naturæ omnino insuperabile. Quod in præsenti non contingit veritate. Quia nihil apparet in ea, quod repugnet, aut difficilem intellectui eam reddat. Unde D. Bonaventura *in* 1. *dist.* 2. *ar.* 1. *q.* 2. recte ait: Plures esse Deos, neque esse possibile, neque esse intelligibile, si recte accipiatur significatum hujus nominis Deus. Rationes autem quibus unitas Dei demonstratur, adducuntur inferius.

Inquiret fortassis aliquis, *an Deum esse tantùm unum ita sit lumine naturali pervium, ut de tali veritate dari non possit ignorantia invincibilis?* In hac difficultate duo sunt præcipua Doctorum placita. Aliqui enim simpliciter negant dari posse ignorantiam invincibilem unitatis Dei. Alii vero absolute affirmant.

Ego distinguendum esse puto de illo objecto, secundum quod cadit sub præceptum fidei supernaturalis, & secundum quod præcise comprehenditur sub obligatione præcepti naturalis. Cùm enim duæ sint partes materiæ fidei, una supernaturalis omnino, quæ nisi per revelationem cognosci non potest, ut mysteria Trinitatis, Incarnationis, & cœtera hujusmodi. Alia verò naturalis, quia per rationem naturalem attingi potest, ut Deum esse, & unum esse. Inter quas hoc est discrimen, quod circa priorem materiam solum cadit obligatio præcepti supernaturalis. Quia lumen naturale illam non attingit. Circa posteriorem autem cadit duplex obligatio, una præcepti supernaturalis fidei, quatenus etiam ila pars à Deo revelata est, & alia præcepti naturalis quo obligatur homo ad illas veritates cognoscendas, etiam in pura natura.

Ex hisce loquendo de objecto, secundum quod cadit sub præceptum fidei supernaturalis, verisimilius est, posse dari ignorantiam invincibilem de Deo uno. Quia, ut desumitur ex D. Thoma 2. 2. *q.* 10. *ar.* 1. dari potest ignorantia invincibilis totius revelationis fidei, non minus

minus ut est de veritatibus naturalibus, quàm ut est de supernaturalibus. Siquidem revelatio fidei de quacunque materia sit, etiam naturali, non fit, nisi modo supernaturali, ac proinde per prædicationem, ac propositionem rei credendæ sub autoritate divina. Sub illo igitur respectu, quo Deum esse unum divinæ subjacet revelationi, atque adeo redditur materia, & objectum fidei, dari potest ignorantia illius invincibilis in omnibus his, ad quos non pervenit hæc revelatio, nec sufficiens ejus propositio, cujusmodi sunt infideles, qui negativi appellantur. Neque enim in præsenti nos loquimur de illis, qui Evangelium audierunt, vel audire potuerunt, quorum satis constat, infidelitatem esse positivam, atque adeo peccatum, sed tantum de illis, qui ipsum Evangelium, aut doctrinæ revelatæ prædicationem audire nullo modo potuerunt.

Si verò habeatur sermo de hoc objecto, altero modo spectato, hoc est lumine naturali cognoscibili, eadem ratione de illo, ac de existentia ipsiusmet Dei proportionaliter discurrendum videtur. Unde assero, nullam reperiri nationem, vel communitatem, apud quam dari contingat ignorantiam invincibilem de unitate Dei, sive negativam, hoc est nullo modo cogitando de illa; sive positivam, hoc est positive assentiendo, quod non sit unus. Hæc assertio patet ex dictis, nec non etiam ex eo, quod præceptum colendi unum Deum naturale est, ac per ipsum lumen rationis sufficienter promulgatur. Atque adeo dari non potest ignorantia invincibilis illius in tota aliqua natione, multoque minus in toto genere humano, adeo, ut talis præcepti transgressio propter ignorantiam excusari valeat. Etsi enim fieri possit, ut dicta promulgatio aliquibus personis, & pro aliquo tempore sufficienter non applicetur, vel quia ob incapacitatem, rationes, unde unitas Dei colendi probatur, invenire, aut penetrare nequeunt, vel etiam, quia majores illas comprehendentes, à quibus docendi essent, interdum in hoc præstando negligentes se habere possunt, ex suppositione tamen, quod hæc veritas sit naturaliter cognoscibilis, maximeque necessaria ad convenientem institutionem humanæ vitæ, etiam merè naturalem, & ad tendendum in ultimum finem ejusdem ordinis, non videtur dari posse ignorantia invincibilis illius in tota aliqua natione, minusque in toto genere humano, sive quod idem est, videtur impossibile, stante præsertim suavitate divinæ providentiæ, quin semper inter homines fuerint, modoque sint aliqui, qui Deum esse unum naturaliter cognoscere, idque cœteros edocere potuerint, ut satis patet in Philosophis fere omnibus, quos idcirco Apostolus ad Roman. 1. vocat *inexcusabiles*, ob falsorum Deorum cultum. Quod tamen non esset verum, si unitatem Dei defectu luminis naturalis invincibiliter ignorassent.

Quare ii maxime, qui aliquam habent cognitionem veri Dei, & errant putando, esse alios Deos, quibus divinus sit tribuendus cultus, nullo modo possunt per ignorantiam invincibilem excusari, cùm ipsamet existimatio unius veri Dei sufficiat ad illam ignorantiam, & deceptionem expellendam, si vellent, ut tenentur, advertere. Nam qui credit, & recognoscit esse in Republica unum supremum Regem, in ipsa familia unum supremum caput, quomodo ignorare potest peculiarem honorem illis debitum, non esse alteri exhibendum?

An autem dari possit aliqua ignorantia invincibilis de unitate Dei respectu particularis individui adulti & ratione utentis, per quam ab Idololatria excusabilis reddi valeat, dicendum arbitror, vel illam dabilem non esse, saltem pro longo tempore, vel esse rarissimam, & non posse inveniri, nisi in homine adeo rudi, ut vix censeatur gaudere pleno rationis usu, præcipue in his superioribus rebus, ut accidere potest in aliquo Gentili, qui neque per se philosophari valeret, nec ullam aliunde rectam instructionem haberet. Ad hanc enim veritatem de qua agitur, licet naturaliter sit cognoscibilis, cùm tamen per se nota non sit, necessaria est vel inventio, vel doctrina, ut cognoscatur. His ergo deficientibus, fatendum est, in hujusmodi homine toto illo tempore inveniri posse ignorantiam de unitate Dei invincibilem, ob quam tunc ab Idololatria, vel ab errore circa multitudinem Deorum excusabilis redderetur.

Hanc cæterum ignorantiam non habere locum posse in homine adulto, plenum rationis usum habente longo saltem, vel toto vitæ suæ tempore, clare demonstrant tum hucusque dicta, tum quia veteres docent de intimo illo, ac tacito testimonio, quod suus cuique dicit animus, etiam vanis Deorum superstitionibus, ac publicis erroribus occupatus, non minus circa Dei unitatem, quàm existentiam, de quo librum Tertullianus edidit, *quem de testimonio adversus gentes inscripsit*, in eo demonstrans homines eo instinctu naturæ ferri, ut unicum Deum agnoscant, & communi sermone sponte fateantur. Videndus est etiam *in Apologetico cap.* 17. Idemque asserit Minutius Felix *in Octavio*, & Arnobius *in* 2. *lib. nec.* Lactantius *lib.* 2. *instit. cap.* 1. Plotinus denique *Ennead.* 6. *lib.* 5. *cap.* 1. egregiè illud idem testimonium animæ singularem Deum profitentis agnovit, ubi sic ait: *Unum quiddam, idemque numero esse simul, ubique totum, communis indicat mentis humanæ notio, quando omnes naturali quodam instinctu clamant in unoquoque nostrûm esse Deum adeo, ut unus in omnibus, idemque sit Deus*, &c. *Atque hoc est omnium firmissimum principium, quod animæ nostræ velut eloquuntur, quod ex singulis in unam summam redigitur.* Præcipua hujus testimonii dicta, quibus unicum Deum esse, etiam Ethnici professi sunt, jam initio protulimus.

Plurimæ tum apud veteres, tum apud modernos scriptores inveniuntur rationes unitatem veri Dei demonstrantes. Aliæ ex mundi gubernatione, externisque Dei operibus assumptæ, aliæ ex divinitatis natura conditioneque ipsa petitæ ex summa ejus perfecti cui nihil deesse potest, quod Deus infinitus, & incircumscriptus est, quod omnis multitudo Principum mala est. Quare cùm nequeant esse duæ res naturâ distinctæ, summè perfectæ, neque duæ infinitæ, & optimum sit regimen Monarchicum, unicum consequenter esse naturaliter Deum, summe perfectum, absolute infinitum. Et quod Deus est unicus, quia est ens à se, & quia est ens necessarium, & quia est actus purus. Nos verò sic primùm illam probamus. Deus est ens necessarium, ac per essentiam. Ergo est unus. Quia si ens per essentiam posset multiplicari, non esset major ratio, cur in duobus, vel pluribus posset multiplicari, sed posset multiplicari in infinitum, ut sunt naturæ specificæ. Ergo cùm sit necessarium, actu daretur infinitas Deorum. Et quia si multiplicaretur, deberet habere aliquid reale, per quod multiplicaretur, & hoc deberet esse extra quidditatem entis per essentiam, alioquin conveniret unicuique, cui conveniret esse ens per essentiam. Unde non esset ens per essentiam. Quia extra ens per essentiam, non datur ens per essentiam. Ergo Deus non esset secundum se totum ens per essentiam.

Deinde ita. Individuatio, sive singularitas est de intrinseca ratione entis per essentiam. Quia cùm ens per essentiam sit summe necessarium, habet intrinsece omnem rationem entis sibi necessariam. Unde etiam habet existentiam, cumque singularitas sit ratio necessaria, erit ipsi intrinseca. Ergo repugnat ens per essentiam multiplicari. Singularitas enim ponit repugnantiam ad multiplicationem. Natura enim, quæ per se ipsam, & essentialiter est hæc singularis, non potest multiplicari aut alteri individuo communicari.

Quia

Quia singularitas est propria unicuique. Quod de facto competit Deo, qui ob infinitam simplicitatem,& actualitatem sui esse,secundum idem est Deus,& hic Deus ita,ut non solum Deus sit sua singularitas,sed etiam de essentia illius sit, esse hunc numero Deum,qui de facto est in individuo. Nam si singularitas naturæ divinæ non esset de essentia Dei, sive quod idem est, non includeretur in intrinseco, atque essentiali conceptu naturæ divinæ, sed cum fundamento in re ex parte ipsius, liceret eam perfecte concipere, non concepta singularitate Dei intrinsecè inclusa intra totam essentiam illius naturæ, vel esset differentia divisiva essentialis; per quam divideretur una natura divina essentialiter ab alia, & constitueretur unus Deus specie diversus ab alio; vel esset differentia individualis, & numerica. Illud primum dici non potest. Non enim datur ratio generica divinitatis, & ratio specifica contrahens illam ad hanc speciem, ut patet ex eadem infinita simplicitate divina, & supponitur in hoc argumento, in quo directe probatur, non esse plures Deos numero tantum diversos, non solum quia in Deo, cùm sit actus purissimus, nulla datur materialitas, ex qua juxta veriorem sententiam desumitur distinctio mere numerica, & individualis, sed etiam quia ad differentiam cujuscunque creaturæ, omnino est idem in Deo ob infinitam ejus simplicitatem, quod ejus natura sit sua singularitas adæquate, & quod singularitas sit ipsa ejus quidditas & essentia, alioquin Deus non esset in ratione essentiæ infinite simplex.

Neque dicas hinc tantùm sequi, non posse dari duo entia per essentiam solo numero distincta; non autem, quod non possint dari, veluti specie distincta. Nam primo respondeo. Ens per essentiam, sicuti est sibi sufficiens, ita et includit quidditativo modo omnem rationem sibi necessariam ad essendum, atque adeo non solum singularitatem, sed etiam omnem rationem specificam. Ideoque non potest specifice plurificari, quia plurificatio deberet fieri per aliquid, quod quidditativo modo non includeret secundo. Si essent plura specie, deberent singula esse ens per essentiam, ac proinde ens per essentiam plurificaretur in illis. Hoc tamen fieri non potest, quia quidditativo modo includit singularitatem.

Postremo probatur in hunc modum. Deus est actus purus, & perfectissimus, atque adeo non potest esse multiplex. Nam de ratione actus puri est, quod excludat omnem rationem potentialitatis. Et quia hæc non excluditur, nisi per actum, ut illam excludat, debet habere omnem rationem actualitatis, cujus est capax ens per essentiam. Ergo cùm sit ens à se, est capax omnis actualitatis, quæ est à se. Sed si esset multiplex, non haberet omnem rationem actualitatis; quia multiplicitas importaret diversam rationem actualitatis, ratione cujus unus Deus distingueretur ab alio, & hæc actualitas esset à se, ac proinde non esset in quolibet omnis ratio actualitatis.

Quod si dixeris, rationes allatas posse applicari ad demonstrandam in Deo unitatem personæ, ideoque non sunt demonstrativæ. Respondeo negando assumptum. Quia probant solum unitatem unius entis summi, & unius naturæ. Pluralitas autem personarum stat cum una, & summa natura ita, ut nullo modo ratione ipsarum habeatur plurificatio in ratione summi entis per essentiam.

Præterea Deum non posse multiplicari, neque numero, neque specie, sed omnino unum tantum esse fundatur in infinita ejus perfectione, ratione cujus dicitur comprehendere in se totam plenitudinem essendi vel formaliter, vel eminenter, & esse id, quo nihil majus, & excellentius concipi potest. Ut enim scitè ait Tertullianus lib. 1. contra Marcionem cap. 3. *Veritas christiana districte pronuntiavit, Deus si non unus est, non est; quia dignius credimus, non esse quodcunque, si non ita fuerit, ut esse debebit.* Si autem duo, vel plures darentur Dii, nec essent infinitæ perfectionis, sive non haberent infinitatem omnimodam essendi, neque id, quod altius possimus imaginari. Oporteret enim eos differre, sc.licet in deitate. Non enim differrent solum in persona præcise. Nam sic essent unus numero Deus, ut sunt de facto tres personæ Sanctissimæ Trinitatis habente unam, & eandem numero naturam, & propterea in illis non valet hoc argumentum. Deberent ergo etiam distingui in natura, & consequenter vel distinguerentur per differentias individuales diversas quo pacto distinguntur inter se, ac differunt plures homines, vel per differentias essentiales, qualiter inter se differant duo Angeli naturaliter in opinione probabiliori numero immultiplicabiles intra eandem speciem. Utrumque autem est impossibile. Ita enim aliquid conveniret uni, quod non alteri. Si ergo competeret aliquid uni, quod non alteri, vel illud, quod hic Deus habet præ alio est actus purus, & entitas infinita, vel quid potentiale, & finitum. Si secundum. Ergo creatum, & non Deus. Quia Deus est, quo majus nec esse, nec cogitari quidem potest. Si verò id quod habet unus præ alio, est perfectio actus puri, & infinita. Ergo hæc deest alteri, & illa, quæ est in altero, deest isti, proindeque manet uterque privatus aliqua perfectione divina & infinita, & sic non est summe perfectus, cùm deficiat illi perfectio infinita. Impossibile est igitur plures esse Deos. Unde & antiqui Philosophi, quasi ab ipsa coacti veritate, ponentes principium infinitum, posuerunt unum tantum principium.

Superest solum difficultas, an stante hucusque demonstrata divina unitate, recte unus numero Deus dici possit, vel illi competere unitas numerica? Sustinent aliqui partem negativam, cui favet D. Basilius epist. 141. quæ est apologia ad Cæsarianos, eo quod ex tali modo loquendi videtur sequi plures Deos esse posse, saltem per potentiam logicam. Unitas siquidem numerica videtur esse non posse, nisi respectu numeri vel actualis, vel certe possibilis.

Alii verò affirmativam docent. Quod tamen videtur pertinere ad controversiam de nomine potius, quàm de re. Unde sic breviter rem hanc absolvo. Ubi Deus appellatur unus numero, id accipiendum est non positive, sive affirmative, quasi natura divina possit numerari, vel sit divisibilis in plura singularia, quo pacto Deus non tam diceretur unus numero, quàm unus è numero, hoc est unus connumerabilis cum aliis Diis, sed intelligi debere negative hoc sensu, quia dicta natura est tantum una, & non multiplex, nulliusque divisionis capax, ut contingit in unitate, quam Logici numericam vocant, quæ propterea dicitur maxima unitatum, quia nullam admittit divisionem. Sic enim Deus recte vocari potest, imo debet, unus numero Deus. Quare dum primæ sententiæ autores negant, Deum esse unum numero, nihil aliud verè negant, nisi esse unum Deum inter plures Deos, sive qui cum aliis Diis numerari possit.

Etsi igitur unitas Dei subsistentis in tribus Personis realiter inter se distinctis, sit objectum divinæ revelationis, cuicunque lumini naturali prorsus impervium, attamen si sermo sit de unitate Dei, abstrahendo ab hoc, quod in una, ut existimarunt Philosophi, vel in pluribus, ut fides nos docet, subsistat personis, sive de unitate per negationem plurium numero, vel specie Deorum, ab uno vero Deo, illam plusquam satis demonstrant superius allatæ relationes, ad quas D. Thomas habet *lib.* 1. *contra Gentes cap.* 42. Marsilius Ficinus *in* 2. *de immortalit. animar.* Petavius *tom.* 1. *Theolog. dogmat. lib.* 1. aliique passim.

Credere igitur nos profitemur in Deum, non in plures Deos. Unus enim tantum est Deus, unus Rex Regum, Dominus Dominantium, unus Creator rerum, unus autor, & finis omnium, cui soli cultus Latriæ debe-

debetur juxta doctrinam Scripturarum, traditionem Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, omniumque Christianorum, doctorum; *Scimus*, ait Apostolus 1. *Cor*. 8. *quoniam nullus est Deus, nisi unus.* Sunt quidem plures, qui appellantur Dii, sed unicus est naturâ Deus, cœteri vocantur Dii propter participationem quandam excellentiæ, perfectionisque divinæ, ut Principes, Judices, Sacerdotes, atque Prophetæ; *Psal.* 49. 81. 85. Exod. 7. & 22. Joan. 10. Dionys. Areopag. *lib. de divin. nomin. cap.* 12. sunt & alii, qui stulto Gentilium errore Dii nuncupantur, sed nobis, ait Apostolus, *unus est Deus.*

Consultatio XXX.

Religio definitur. Quot modis ab ea receditur. Idololatria recte dicitur cùm adversus Dei mandatum in simulachro colitur Deus. Exemplum ab Israëlitis, aliisque: Quando etiam, & quibus in rebus dicatur Idololatria.

Adumbravimus ea, ad quæ lumine Naturæ potuit perveniri tum in cognitione veri Dei, tum in cultu ejus, in quibus duobus Religio consistit, ut quæ sit rectus veri Dei cultus, vel si plenius eam definire sit animus præeunte Apostolo sub initio Epistolæ ad Titum: *agnitio veritatis ejus, quæ est secundum pietatem ad spem vitæ æternæ.* Quo loco Apostolus Religionem vocat cognitionem, sive fidem, nempe non theoricam, quæ solum instruit intellectum, sed practicam, quæ præterea perficit voluntatem, quippe quæ, ut finem proximum sibi propositam habeat pietatem, hoc est dilectionem Dei, & proximi; ut ultimum verò finem, spem vitæ æternæ.

A Religione hac, vera, rectaque bifariam receditur. Vel defectu, qui est divini Numinis contemptus, vel excessu ejus, qui est Dei cultus superfluo quopiam vitiatus. Prior dicitur *Impietas*, & aliquibus *Irreligiositas*. Posterior vocatur *Superstitio*, à superstando, non quasi Deus verus vero cultu nimium coli possit, sed quia ad materiem cultus accedat, quod eum corrumpat. Utrumque modum exponit Clemens Alexandrinus ad Gentes: *Extrema ignorantiæ sunt Impietas & Superstitio, extra quæ pudendum est manere.* Imo similiter ante eum Plutarchus in erudito Libello de Iside, & Osiride: *Nonnulli à recto itinere aberrantes, plane in superstitionem inciderunt. Alii, velut paludem, fugiendo superstitionem, imprudentes in præcipitium quasi quoddam, in impietatem inciderunt.*

Ad prius genus pertinet, qui taciti cum insipiente dicunt, *Non est Deus*, ut regius Psaltes gemino, sed ejusdem argumenti psalmo, conqueritur, 13. & 52. sive secundum Latinos 14. & 53. Tam fœdus error vocatur à multis *Barbarismus*, & *Scythismus*, quorum ille putatur juxta Epiphanium ante diluvium, hic postea obtinuisse usque ad Serugum, cujus tempore cœperit Hellenismus. Sed nec Epiphanius dicit Barbaros illos, vel Scythas, nullum Numen agnovisse, nec satis convenienter Scythæ memorantur ante Serugum, cùm citra dubium Babylonica turri longe sint posteriores. Præterea & Barbarismi, & Scythismi nomina parum huic rei sunt idonea, nec aliunde hausta, quam ex male intellecto Apostoli loco ad Colossenses 3. 11. *Ubi non est Græcus, & Judæus, Barbarus, & Scythes.* Neque enim Apostolus variam de Deo sententiam signat; sed solum ait, in renovatione Christiana non meliorem aut deteriorem esse conditionem Judæi, quàm Græci, nec Græci quàm Barbari, nec vulgaris Barbari, quàm Scythæ, etsi hic cœteros superare barbarie existimetur.

Irreligiositatis autem nomen latius nobis in hac re patet, quàm Plutarcho in verbis allatis, uti & Superstitionis vocabulum latius usurpamus quàm ab eo factum. Atque id, quia omnis à recta Religione recessus nominibus istis, quibus meliora non suppetunt, generatim comprehendatur. Atheotis, igitur, hoc est Numinis inficiatio dicitur nobis, quandocunque non agnoscitur Deus, & providentia ejus circa singulos & in hac vita, & futura. Itaque quadruplex est Irreligiositatis genus, aliud alio nequius.

Primo committitur illa, siquis eò furoris deveniat, ut ad tempus saltem, quia non videt Deum, eò in animum suum inducere possit, nec esse Deum. Deinde si non colitur, vel saltem nonnisi ob naturam præstantem, non verò quia quis opem ab eo, vel gratiam expectet, quippe qui neminem amet, neminem curet. Unde Impii, ac inficiatores cultus divini dicti, qualis Epicureus omnis: *Parcus Deorum cultor, & infrequens*, ut Horatio ode 34. lib. 1. describitur. Exinde si existimetur, uti Summates viri summorum curam gerunt, imis, & minutis alios præficiunt, ita Deos cœlestes de procerum rebus laborare, non spectare illas homunciones. Quod Cæsar tumultuanti ait militi apud Lucanum *in* 5. *belli civilis n.* 341. *& seq.* Semiepicureos puto, non incommode dixeris. Denique si Deus solum colatur, ut remunerator in hac vita. Quæ Sadducæorum mens erat, ut ostendit Vossius *in dissertatione de Rabbinorum temporibus.*

Similiter Superstitionem, de qua plenius suo loco, laxius ea voce accepta nuncupo, quando Deus agnoscitur, ac providentia ejus erga omnes, & hic & in altera vita, sed aut veri Dei cultus præstatur falso Numini, aut falso cultu Deus verus coli existimatur. Prius vocari solet *Superstitio falsi cultus*, quia falsum colitur Numen. Posterius dicitur *Superstitio cultus indebiti*, quia non colitur Deus eo cultu, quo debetur. Prior modus etiam vocatur Idololatria.

Neque obstat, quod non semper pro Deo colatur imago, aut simulachrum, quale si divino honore afficiatur, Idolum nuncupatur. Nam isthac propria magis Idoli significatione laxius extensa, Idolum etiam dicitur, quidquid mens humana in veri Numinis locum substituit. Et ad hoc genus loquendi præeunt nobis septuaginta senes 1. *Paralip.* 16. 26. Ac Idola etiam retinuit Latinus interpres Hebraicè est *Elilim*, hoc est *vanitates*, vel ut aliis *nullitates*. Unde & Apostolus ait 1. Cor. 8. 4. *Idolum non est in mundo.* Quasi diceret, Idolum nec numen est, nec vim numinis habet, sed res est vana, & inane hominum commentum, eoque nulla virtute præditum, ad hominem vel sanctificandum, vel polluendum. Unde deinceps colligit, in edendis iis, quæ Idolis sunt immolata, per se nullum esse crimen, sed tum demum peccari, siquis hac edendi libertate abutatur, neglecta charitate, ut si de iis comedat cum offendiculo infirmi fratris. Hæc evincunt, non de solis imaginibus vel simulachris, divino honore affectis, Idolum usurpari, sed aliquanto laxiori significatione, quomodo & Idoli, & Idololatriæ nominibus passim veteres utuntur Theologi, quemadmodum vel fidem fecerint eorum descriptiones. Ita Tertullianus lib. de Idololatria cap. 2. *Idololatria Deo fraudem facit honores illi suos denegans, & conferens aliis ut fraudi etiam contumeliam conjungat.* Et Cyprianus ad Fort. in exhort. ad Martyr. *Tunc Idololatria committitur, cùm divinus honos alteri datur.* Gregorio Nazianzeno quoque orat. panegyr. in natalem Christi dicitur, *cultus, atque adorationis translatio à Creatore ad creaturam.* Itidem Ambrosius, sive potius Hilarius, Diaconus Romanus in cap. 5. epist. Paulinæ ad Ephesios: *Idololatria Dei honorem usurpat, & vindicat Creaturæ.* Ac similiter B. Augustinus *lib.* 5. *locutionis de Deuter.* & *lib.* 1. *de Trinit. cap.* 6. ut tot alios Patres prætereain.

Imò nec arbitror solum esse Superstitionem, vel Idololatriam, si homo in tantum à veri ratione recesserit,

efferit, ut alium colere Deum in animum inducat; sed etiam si cultum religiosum, mandato Dei adversantem, quadam mentis inductione complectatur, non omnem dico, cùm multi hic erroris gradus esse possint; sed si is, Deo invito, in creatura præstetur, ut symbolo divinum Numen repræsentante. Claro, & illustri, sed deformi exemplo fuere Israëlitæ, Deum venerantes in vitulis Aronicis. Ubi bifarium peccatum, efformando idolum, & honorando. Efformando quidem, *quia transmutarunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem bovis comedentis herbam*, ut verbis utar Scripturæ *Psal.* 106. *v.* 20. & *Rom.* 1. *v.* 23. Honorando autem, *quia adorarunt vitulum, eique sacrificarunt*, ut eadem loquitur Scriptura *Exod.* 32. *v.* 8. *& Act.* 7. *v.* 41.

Existimet aliquis, non graviter adeò peccasse Israëlitas: Nam cùm dicerent: *Fac nobis Deos, qui antecedant nobis*, ut est Exod. 31. 1. non aliud eos egisse, quàm ut symbolum veri haberent Numinis, quemadmodum falsò Gentiles gauderent, atque hoc eo fine exoptasse, ut isto symbolo præsente, ac præeunte, signum haberent præsentis, & præeuntis Numinis divini.

Equidem non diffiteor, Israëlitas universos, vel saltem non extrema stultitia obcæcatos, propositum habuisse colendi in vitulis verum Deum. Quod inter alios etiam agnoscit Joannes Ferus *in Act.* 7. *v.* 41. ac probat ex ipsis Israëlitarum verbis Exod. 32. 4. *Hi sunt Dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Indeque colligit, non in alieni Dei cultu peccasse, sed eo, quod contra Dei præceptum, eum in Idolo colere vellent. Neque huic obstat sententiæ, quod Hebraïce ibi est *Elohim tui.* Nam Neh. 9. 18. ubi idem refertur, singulari numero est, *Deus tuus.* Et satis constat, *Elohim* tribui uni Deo Israëlis, ut ex numero plurativo de naturarum multitudine statui non possit. Nihilo validius quod vitulum colentes obliti dicantur Dei, ut legere est *Deuter.* 32. *Psal.* 106. *Latinis* 105. *& Jerem.* 2. Quia rectè id Bonaventuræ, Richardo *dist.* 7. *ar.* 3. *q.* 1. *lib.* 1. & aliis in re alia observatum, duplicem esse oblivionem. Unam, qua species abolentur ex animo. Alteram, qua illæ non recoluntur, ut oportet, nempe animo circa alia magis intento. Unde fit, ut quis contrarium agat ejus, quod acturus esset, si convenienter recordaretur. Posteriori ratione homo dicitur oblitus Dei, ac fœderis divini, cùm stultis cogitationibus indulgens, alium colere Deum, vel in symbolo interdicto venerari præsumit. Hæc propterea non oblivio est, sed quasi oblivio. Quia homo se componit, quasi oblitus, Nihilominus in Scripturis secundum metaphoram, ipsa etiam Numinis oblivio nuncupatur.

Et sanè Israëlitas non propriè oblivione voluntaria memoriam contrivisse benefactorum Dei, liquido ostendit, quod vitulus dicitur ille Deus, qui Israëlitas duxerat ex Ægypto, ubi per vitulum non nisi veri Dei imago intelligi potest. Et ibidem, commate proximo, cùm Aaron coram vitulo altare extruxisset, disertim Festum indicit Jehovæ, quod nomen grande nunquam ille, aut Moses Diis gentium tribuisset.

Dixeris, Israëlitas non vehementem adeo pœnam promeritos videri, si non desciverint, à vero Deo. Quasi non sufficiat, quod desciverant à cultu vero. Coluere enim Deum ritu gentili, qui præterquamquod divinæ esset voluntati repugnantissimus, in ista humanarum mentium caligine plenissimus periculi fuit, quia experientia ostendit, quàm facile cultus symbolicus in proprium convertatur. Accedit, quod considerari hæc debent, non solum ex proposito hominis, sed etiam ex natura rei, & judicio divino. Atque utcunque Israëlitæ putarent, observantiam suam non in vitulis, sed in Deo sisti, Deo tamen prorsus aversante hunc cultum, ac quasi à se repellente, non potuit honos ille per vitulos ad Deum transferri, sed necesse eum fuit in vitulis terminari. Unde & hujusmodi vitulum Idolon vocare non dubitat protomartyr Stephanus *Act.* 7. 41. Ut licet in vitulo voluerint latriam præstare vero Deo, merito nihilominus sic quoque Idololatria nuncupetur.

Valde eo etiam inclinat animus, ut existimem idem esse judicii ferendum de simulachro Michæ, *de quo Judic.* 17. Siquidem mater ejus argentum, unde factum simulachrum, sacrificasse dicitur Jehovæ, & Micham velle in eo colere Deum Israëlis, satis arguitur verbis istis: *Nunc novi Jehovam benefacturum esse mihi, eò quod est mihi Levita in Sacerdotem.* Et tamen vetus Interpres, quod Hebraïce *Teraphim*, interpretatur *Idolum.*

Longeque apertior res de vitulis, quos Jeroboam in Dan, & Bethel constituit, ut legere est 1. *sive* 3. *Reg.* 12. *v.* 28. Hosce vitulos pro Idolis habuit Deus, ut ostendunt illa de Jeroboamo verba cap. 14. v. 9. *Fecisti tibi Deos alienos, & conflatiles, ut me ad iracundiam provocares: me autem projecisti post corpus*, [sive tergum *tuum.*] Quid istis apertius? Et tamen verum Deum in vitulis coli Jeroboam jussit. Quod non obscure ait Flavius Josephus antiquit. Judaïc. lib. 8. cap 3. sive in tralatione Rufini 8. Comparat enim se cum Salomone, &, ut convenientiam cultus ostendat, ait; *Et ego feci duos vitulos, qui idem ac Deus nomen obtinebunt.* Nec sane alium inducendo Deum, populo Israëlitico persuasisset. Aperteque hoc minoris idololatriæ genus à manifesta illa, crassaque distinguit Scriptura 1. Reg. 16. v. 30. 31. 32. *Et fecit Achab, filius Amri, malum in conspectu Domini super omnes, qui fuerunt ante eum. Nec sufficit ei, ut ambularet in peccatis Jeroboam, filii Nabat. Insuper duxit Jezabel, filiam Et-baal, Regis Sidoniorum, & abiit, & servivit Baal, & adoravit eum. Et posuit aram Baal in templo Baal, quod ædificaverat in Samaria, & plantavit Lucum; & addidit Achab in opere suo, irritans Dominum Deum Israël, qui fuerunt ante eum.* Quàm aperte docet, diversam esse rationem in vitulis adorantium verum Deum & illorum in simulachris colentium Solem vel aliud Dei opificium.

Et discrimen hoc respexit etiam Elias Prophetes cum 1. *Reg.* 18. *v.* 11. ait. *Quousque claudicaturi estis in duabus cogitationibus? Si Jehova est Deus, sequimini eum. Sin autem Baal, sequimini eum.* Et Rex Jehu 2. *sive* 4. *Reg.* 10. *v.* 16. cum Baalis servos necaret, ac statuas tolleret: *Vide*, inquit, *zelum meum pro Jehova.*

At idem, qui verum Deum in vitulis adorarent, non sustulit, sed appellat *servos Jehovæ*, comparate nimirum præ Baaliticis cultoribus, & æstimando eos ex proposito humano. Quod etsi non penitus tollebat Idololatriæ crimen, multis tamen partibus levius reddebat, etiam æstimatione divina; nempe Idololatria est ex iis, quæ Aristoteli vocantur *æquivoca ad unum*, & ad unam naturam, ut lib. 3. Metaph. cap. 2. vel *ab uno*, ut *lib.* 1. *Eth. cap.* 4. vel *secundum prius, & posterius* dicta, ut *lib. de ortu, & interitu.* Quale genus est *ens* ratione substantiæ, & accidentis; demonstratio ratione illius, quare sit & quod sit. Scholastici *æquivoca analoga* appellant, sed perperam, ut videre est ex iis, quæ Aristoteles scribit *lib.* 7. *phys. context.* 31. & quæ ibidem annotavit Simplicius.

Est item, præter hæc duo Idololatriæ genera, quæ

quæ magis proprie sic dicuntur, tertium etiam, sed à natura veræ proprietatis longius recedens, quippe plane metaphoricè. Deus enim in Verbo suo *Ephes.* 5. & *Colos.* 3. etiam appellat Idololatras, qui fiduciam non tam in summo collocant Numine, quàm in divitiis. Ac par eorum est ratio, qui summum Bonum non in Deo, & conjunctione sui cum Deo reponerent; sed in corporea voluptate. Unde in Scriptura *Philip.* 3. 19. Deus eorum dicitur venter. Ac similiter pronuncies, ambitiosis honorem esse Deum. Universe enim est verum, quod B. Hieronymus in Prophetæ Amos *cap.* 4. scribit: *Unusquisque adorans vitia sua, atque peccata, Deum habere cœpit, à quo victus est*, dicente Petro Apostolo 2. 2. 19. A quo enim quis superatur, hujus & servus est. Avarus aurum, gulosus ventrem, libidinosus penem, & Beelphegor colit. Lasciva mulier, quæ cum in deliciis mortua est adorat *venereas voluptates.*

Hujusmodi tamen Idololatria, ubi non objecto, sed solo actu peccatur, non proprie, sed ut dixi tralatitie Idololatria vocatur. Nec enim id homines ejusmodi sibi propositum habent, ut honori, ventri, opibus cultum præstent religiosum, vel per eorum venerationem colant superiorem aliquam naturam. Sed, Scripturis præeuntibus, consideramus rem, qualis est in se, & natura sua: Nam pro summo aliquid bono habere, vel fidere alicui supra omnia, revera est actus soli Deo conveniens. Eoque, cui sic fiditur, utcunque non credatur Deus, tamen colitur, ut Deus, cumque actus, qui illis præstatur, ex intentione agentis, solum sit moralis; tamen natura sua, ac propterea etiam interpretatione divina, est religiosus, ac divinus. Nobis verò decretum est agere non de quavis Idololatria, sed de ea duntaxat, qua homo Deum sibi colere proponit, nec de ea omni, nec enim de illa, qua actu tantummodo aberratur, verum qua objecto etiam peccatur, hoc est, qua falso numini cultus præstatur divinus.

CONSULTATIO XXXI.

De Distinctione Cultus Idololatrici. De Spirituum cultu. In quibus Idololatria consistat. Latius de duplici principio. De ipso Persarum & Ægyptiorum opinio, & sententia hæreticorum, quæ denique refellitur.

IN hoc argumento separabimus singula profani cultus genera, tum eorum hominum, locorum, temporum, quibus primæva traditio per pectora humana minus turbide profluxit; tum quibus per eadem pluribus mæandris erravit impurius, & decoloratione fœdiori ex admixto majoris erroris veneno.

Primum verò, quod sæpe nec veteribus satis fuit observatum, distinguere opus est inter cultum proprium & symbolicum. Proprius vocatur, quando quod colitur proprie & in se Deus esse existimatur. Qualis fuit cultus Solis ipsius, vel Herculis, sive Thebani, sive alterius gentis. Symbolicus appellatur cùm quid colitur, non quia credatur Deus, sed quia Deum significet. Quomodo Sol cultus in igne Vestali, Hercules in statua.

Proprius dividitur in simplicem & mixtum. Simplex dicitur ubi animus in unius cultum fertur, ut unius Solis, vel unius Herculis Thebani. Mixtus est, quando animus colentis in plura diffunditur, ut quando Hercules colitur cum Sole, & illi in hoc, huic in illo honos habetur. Cultus proprius, vel simplex, vel est substantiæ, vel accidentis. Substantia vel est spiritualis, vel corporea. Spiritus vel est summus, vel medius, vel imus: Summus, ut mundi Opifex, cujus veneratio in falso cultu consideratur, quatenus corrumpitur, si inter eum, & alterum honos divinus dividatur, vel si Deus colatur in Idolo. Medius Spiritus est Angelus bonus, malusve, quorum utrumque dæmoniorum nomine Platonici intelligunt. Imus spiritus est genius, sive anima defuncti.

De hoc spirituum cultu sic censendum est. Ante animas humanas Angelos divino affectos honore. Ante Angelos bonos Principem malorum, quem per excellentiam Satanam dicimus; non solum tamen, sed unà cum Deo, boni omnis fonte. Origo hujus cultus derivatur à corrupta, tum traditione, tum ratione. De traditione quidem depravata in dubium vocabit nemo, qui peregrinus adeo non sit in sacris nostris, ut ignoret quidquid Deus fecisset, bonum fuisse; sed postquam Satanas præ invidia primos parentes de statu innocentiæ dejecit, terram propter eos fuisse maledictam, nec Deum propterea omnem amorem generis deposuisse humani; quippe qui variis modis omnes omni ab ævo ad pœnitentiam provocet, ac invitet. Sed Satanas, mille fraudum artifex, circumit universos, in nihil æque intentus, quàm ut illos tum à recto avertat cultu, tum hîc gravissimis malis, Deo ita permittente, affliget, & post judicium ultimum, socios habeat pœnarum, quas ipse est subiturus.

Salutarem adeo doctrinam nunquam destitit Noachus prædicare liberis ac nepotibus suis ea spe, ut ipsi per manus ista traderent ex se nascituris. Sed quæ Patriarcha tantus præbuerat dextera, hæc paulatim posteri sinistra acceperunt. Justius enim hoc de se dicere potuerit Noachus, quàm de auditoribus suis querebatur Theodorus Cyrenaicus apud Plutarchum de Iside & Osiride. Noachidæ igitur exinde duo sunt commenti principia, pari, vel suppari potestate, boni unum, alterum mali, atque eò deventum fuit, ut quemadmodum colerent principium boni, quo bona conferret, ita venerarentur principium mali, ne inferret mala.

Ad traditionem corruptam corrupta etiam ratio accessit. Sic enim collegerunt: Is, qui in se est optimus, & omnis boni fons unicus, non est miseris mortalibus mali ullius principium, & causa. At verò in mundo hoc multa sunt homini mala & noxia, tum in mutis animantibus ac plantis, uti basiliscus, aranea, aconitum, & similia, tum etiam in cœteris, uti fames, pestilentia, tempestates, cœteraque id genus. Quare cùm non debeamus Deum comminisci, qui dextera panem ac potum salubrem, sinistra venenatum eidem præbeat cibum, potumque, omnino præter principium omnis boni, etiam statui oportere omnis mali principium, ac proinde illi facienda esse sacra, ut bonum consequamur; huic vero ad malum averruncandum.

Quàm vetusta hæc sit sententia, arguit, quod ea fuerit antiquissimorum inter Gentiles Legislatorum, ac Sacerdotum, atque ab iis in philosophos veteres sit derivata. Quod aperte docet Plutarchus loc. cit. concludens: *Existimant enim alii duos esse Deos, quasi contrariis deditos artibus, ut bona alter, alter mala opera conficiat. Alii eum, qui est melior, Deum, qui deterior, dæmonem dicunt.* Postea verò refert Plutarchus, quomodo opinio eadem fuerit Persarum, qui illam accepere à Zoroastre, de cujus antiquitate certant Authores an plures fuerint Zoroastres? Id certe vitium est mentis humanæ, ut quo pretium adderet opinionibus, eas antiquiori potius, quam juniori tribuerit. Is, eodem Plutarcho teste, cùm duo statuisset principia, boni principium vocavit Oromasdem, mali Arimanium, ac Oromasdem quidem fuisse ait stellas, & bonos Deos, inque ovo posuisse. Per ovum hoc mystice mundus intelligitur, cui ovalem figuram antiquissimi tribuerunt. Hinc Thebaidos incolæ Deum mundi opificem repræsentare volentes, efformabant eum ovum ore effundentem. Ovum enim interpretantur mundum, ut ex Porphyrio. Etiam in Orgiis Libe-

Liberi Patris, quæ ab Orpheo instituta, Ovum mundi erat symbolum, ut docent Plutarchus *Symposiacon lib. 2. quæst. 3.* & Macrob. *Saturnal. lib. 7. cap. 16.* Unde Proclus in Timæum eadem esse ait, *Orphæi Ovum, & Platonis Quod est.* Cum ovo etiam mundum comparat Varro in Logistorico apud Probum *in Eclog. 61.* Ovum igitur, hoc est mundum, fecerat Oromasdes; sed Arimanius, cùm malos genios condidisse dicitur, tum ovum illud perforasse, atque ita bona permiscuisse malis, mala bonis. Hinc coortas esse inimicitias inter Oromasden & Arimanium, atque alterum alterius opus demoliri. Quæ fabulosa esse, nemo non videt. Interim non obscure hìc apparent reliquiæ doctrinæ Noachicæ, tum de Deo, habitante lucem inaccessam, mundique opifice, tum de Satana, aëris, & caliginis principe, mali omnis fonte & autore.

A Zoroastris, ac Persarum doctrina conferamus nos ad Ægyptios, ex quibus, ut antea vidimus, soli Thebaidos incolæ unicum Deum, mundi architectum, *Kneph* à se nuncupatum, coluerunt; cœteris Ægyptiis plures erant Dii, præcipuus interim honos duobus erat principiis, ac causis Universi. Uni omnis boni, unde rerum generatio. Alteri omnis mali, unde rerum corruptio. Ac ex eorum sententia in hac rerum ab utroque principio mistura, prævalet facultas melioris Numinis; attamen non in tantum ut deterioris opus aboleat prorsus. Quippe & vis ista deterioris principii peritissimis inhæret corporibus, saltem illis sub Luna constitutis. Atque inde est, quod semper meliori repugnet facultati.

In Principio illo præstantiori, diviniorequé, & ejusdem opere tria considerantur, quorum unum patris, alterum matris, tertium prolis se instar habeat. A primo est forma, ab altero materies, tertium est ipse mundus. Primum dicitur Osiris, alterum Isis, tertium Orus. Principium deterius vocatur Typho. Ac Isis quidem, quæ naturæ est feminæ, eoque receptaculum boni & mali, sponte sua fertur ad id, quod melius est. Sed Typho alte inhæret & corpori & animæ Universi, semperque melius principium impugnat. Melioris Principii, quod Osiridem dixere, in anima imago est Ratio, sive Mens; Typhonis verò simulachrum est pars animæ rationis expers, & affectibus æstuans. In corpore humano, Osiridis imago est facultas bonum præstans temperamentum, Typhonis autem facultas morbos & mutationes arcessens. In Cœlo & elementis Osiridem repræsentat quicquid ordinatum, & æquabile. Typhonem quicquid inordinatum, & inæquabile, ut Solaris, vel Lunaris luminis defectus, procellæ ac tempestates inundationes marinæ, atque ita in cœteris, quicquid modum & ordinem non tenet

Horum omnium testis est Plutarchus libro sæpius memorato de Iside & Osiride, ex cujus sententia duo hæc principia sunt duo Spiritus mundi Præsides, ut valde hæc conveniant cum Zoroastris doctrina. Sed longe aliter hæc de principiis illis capiebant multi ex Ægyptiis Sacerdotibus, qui per Osiridem intelligebant tum Solem, tum Lunam, tum Nilum; per Typhonem, tum Solem, tum Mare; per Isidem, tum Lunam, tum Terram. Ea interpretatio non satisfacit Plutarcho, ut qui contenderet, nihil corporeum, & sensus expers pro Numine coli posse. Quare ut vulgariorem Ægyptiorum de Diis suis opinionem explanatione commoda reddat meliorem, per Isidem quidem intelligere jubet mundum, per Osiridem autem ac Typhonem, Deos, vel dæmonas magnos, quorum virtute rerum natura gubernetur.

Etiam ex Plutarcho cognoscimus, quomodo illa de principiis duobus opinio ad Græcos sit Philosophos derivata. Exemplo sit Pythagoras, quam duo ait statuisse principia, bonum, malumque. Ab illo esse unitatem, finitum, quiescens, impar, quadratum, æquale, dextrum, splendidum. Ab hoc esse binarium, infinitum in motu versans curvum, par, altera dimensione longius, inæquale, sinistrum, tenebricosum. Ac fortasse nec aliud voluit Philolaus Pythagoricus, quando ut apud Stobæum *in Eclogis physicis* legimus, principia rerum statuit, *finitum & infinitum.* De Empedocle Agrigentino magis liquet, quem Plutarchus inibi ait unum inducere boni principium, quod amor, vel amicitia, vel etiam harmonia dicitur, nempe quia est rerum conjungens. Alterum principium mali, quod lis, vel rixa nuncupetur, puta quia sit res disiungens. Atque idem tradidit Diogenes *lib. 8.* & ex nostris Justinus martyr *in paranet. ad Gentes*, & Clemens Alexandrinus *in protrept.* Platonem quoque his comitem addit Plutarchus, licet aliter censeat Augustinus *lib. 8. de civit. cap. 13. & lib. 10. cap. 10.* Ac Romani quoque & Græci, tametsi non cognoscerent duo solum rerum principia, hactenus tamen priorum institere vestigiis, quod pro bono, maloque effectu Deos discriminarent. Siquidem eorum iis alia bona, quæ juvarent, alia mala, & ut Maro vocat, læva, quæ nocerent. Atque ut apud Augustinum legas citato cap. 13. *Labeo numina mala victimis cruentis, atque hujusmodi supplicationibus placari existimat, bona vero ludis, & talibus, quasi ad lætitiam pertinentibus rebus.*

At propius sententiæ de gemino rerum principio, bonarum uno, malarum altero, adhæsit Manes cum discipulis vigintiduo, in quibus præcipue memorati Thomas, Buddas, Hermas, sive Tyrbo, & Acua, à quo Manichæi aliter dicti Acuanitæ, Epiphanius *hæres 66.* & Nicetas Choniates, sive Colossensis *lib. 4. thesauri orthodoxi cap. 33.* Nec tamen Manichæi sic temere loquebantur, ut dicerent duplex esse Numen, vel si duos dicerent Deos, non aliter hoc solent interpretari, quàm unum propriè, alterum improprie Deum dici, ut Faustus Manichæus apud D. Augustinum. Quomodo etiam Apostolus Paulus *2. Corinth. 4. vers. 4.* ait, Deum hujus seculi, qui diabolus est, excæcasse fidelium mentes. Sed in eo tamen convenientia est, quod ex duobus principiis, quorum unum esset Deus, alterum sive Hyle, sive dæmon, à priori bona, ab altero esse mala crederentur. Ab illo Solem non factum quidem prolatum tamen, vel missum. Ab altero autem colubrum, & alia id genus animalia facta esse in genere tenebrarum. Quæ qui dicit, is diabolum creatorem, ac proinde Deum facit. Hanc Manetis insaniam legere est apud Epiphanium loco citato, nec uno loco apud Augustinum. Paucis vero apud eum *lib. de hæresib.* Ubi per hæreticos, quos Manes secutus dicitur, intelligit Marcum, Cerdonem, Apellem, alios, qui itidem duo statuerant principia. Sed cum Manem hunc constet natione fuisse Persam, ac Persicis etiam disciplinis, sumptibus viduæ cujusdam fuerit imbutus, ut Epiphanius tradit, magis verisimile fit, patriam in eo religionem sequutum fuisse, Zoroastris enim & Magorum hæc doctrina erat, ut è Plutarcho ante vidimus. Atque idem à Laërtio adstruitur è Dinonis *lib. 5. hist.* Aristotelis *lib. 1. de hist.* Hermippo *lib. 1. de Magis*, Eudoxo, ac Theopompi *lib. 8. Philip.* & Eudemo Rhodio.

Satis ex his liquet, quàm antiqua sit, ac unde profluxerit doctrina de duobus naturæ principiis bono Deo maloque genio, quorum ille sit causa omnis boni in natura, & coli debeat, ut faciat benè, hic autor sit omnis mali, & colendus sit, ne malus male faxit.

Quod si adversus hoc venenum quæratur antidotum ex usu sit adire Epiphanium *hæres. 66.* ac præcipue B. Augustinum *lib. 21. contra Faustum*, item *lib. de natura boni contra Manichæos & aliis in locis.* Ad hæc Damascenum contra eosdem. Mirum verò Fausto, homini non plane obtuso, placere potuisse sententiam tam absonam. Nec opinio tam aliena ab omni ratione,

tione, quicquid dicat Plutarchus, multum habuit auctoritatis apud prudentiores. Itaque cùm Faustus Manichæus catholicis objectaret, quod dogma de uno Deo à Gentilibus hausissent, respondet ille lib. 20. contra eum cap. 19. *Discat Faustus, vel potius illi, qui ejus litteris delectantur, monarchiæ opinionem non ex Gentibus nos habere, sed gentes non usque adeo ad falsos Deos esse delapsas, ut opinionem amitterent unius veri Dei, ex quo est omnis qualiscumque natura.* Firmat hæc Iustinus Martyr de Monarchia.

Sed operam lusimus, nisi argumento etiam occurramus eorum qui sententiæ nostræ discrepant. Si enim præter Deum illum unicum, cujus unitas passim in Scripturis prædicatur, quemque Philosophi agnoverunt, ex superius dictis solo affulgente lumine naturali, alius quispiam foret, mali artifex, priori contrarius, pari cum eo potestate, & agendi vi hoc est infinita, præditus esse deberet. Siquidem Dei nomen, conditionemque tueri vellet. Si autem æqua amborum esset vis, & potestas, quam in boni Dei opera ille malus exerceret, multa inde sequerentur absurda & impia. Ut enim ait D. Athanasius sub initium libri illius, in quo adversus Gentiles disputat, præfatosque hæreticos refellit: *In iis, quæ pari sunt potestate prædita, nihil est, quod excellat, & præstantius sit. Quippe si nolente altero existit alterum, æqualis est amborum tum vis, tum imbecillitas. Vis quidem æqualis, quatenus in eo, quod existunt ambo, voluntatem suam vincunt mutuo. Imbecillitas verò par erit utriusque, quod invitis ipsis, ac præter eorum voluntatem res accidunt. Siquidem & Bonus, renitente est malo, & Malus nolente Bono.* Insuper ait: *Si quæcumque sensibus percipimus, opera sunt Mali, quodnam Boni opus erit? Nihil enim apparet præter id, quod ab opifice creatum est. Quod autem Boni indicium erit, cùm nulla extent ejus opera, ex quibus cognosci queat? Nam ex operibus artifex dignoscitur. Quinam porro duo omnino esse possunt invicem contraria? Aut quid est, quo illa separantur, ut disjuncta consistant. Fieri enim non potest, ut simul existant, eo quod se se mutuo extinguendi vim habent. Sed neque alterum esse in altero potest, quod insociabilis, ac dissimilis natura sit illorum. Itaque tertium erit quiddam, quod illa dirimit, ipsumque Deus. Sed hoc cujus tandem erit naturæ. Utrum illius, qua inest Bono, an qua Malus præditus est. Incerta plane res erit. Atqui utriusque simul esse nequit.* Hactenus Athanasius.

Præterea, cum ex etiam dictis, Dei appellationi subjecta notio sit ejusmodi, ut infinitum aliquid, & infinita vi consequenter pollens ad agendum pariter, ac resistendum significet, hoc est prorsus insuperabile, & quicquid voluerit summa æque potestate, ac facilitate perficiens, non possunt duo esse vel plures contrarii, ac repugnantes, quales sunt Bonus ille, ac Malus, quos hæretica pravitas adinvenit. Si enim tales essent duo, necessario id, quod vellent, efficerent simul & non efficerent. Quod implicat contradictionem. Efficerent quidem, quoniam quicumque Deus est, is est omnipotens, & nihil ejus voluntati resistere potest. Cùm autem se se invicem oppugnarent, nec alterum altero esset inferius, neque ei cedere vellet, aut posset, quoniam nec Bono Malum obsequi, nec Malo Bonum cedere sponte sua potest, multò verò minus invitum, si infinitum, ac si Deus est, huic repugnante divinitatis jure, ac nomine, neuter ageret quicquam, sed alter alterum præpediret. Et sic de aliis absurdis, in quibus expendendis, superfluum est diutius immorari post obsoletum hunc de multiplicibus Diis, & contrariis errorem, jam olim explosum à Tertulliano contra Marcionem, à Tito Bostrensi, ac Didymo *contra Manichæos tom. 4. Bibl. Patrum*, Epiphanio Augustino, aliisque pluribus Græcis pariter, & Latinis.

Nec continuò si quid noceat, eo pro tali habendum quod rerum naturæ incommodet. Nam quod uno est loco noxium, id juvat alio. Quis ignorat quantum in periculum homines conjiciat cicuta? Attamen in Liguribus Taurinis pro cibo habetur non delicato solum, sed etiam salubri, & inter cœtera urinam ciere idoneo. Et quàm multa sunt homini venena in cibis, quæ prosunt ei in medicamentis? Atque ut neutra ratione commodo, atque usui forent, tamen sic quoque emolumentum homini afferrent, dum pro cibo sunt mutis animantibus, quæ nobis postea in alimentum vel medicamentum cedunt.

Dixeris, ut hoc ita sit in quibusdam, tamen esse ex venenis innumera, ex quibus nullam homines vel muta animantia capiant utilitatem. Sed enim scimus & multorum ex illis utilitatem insignem prodi ab iis, qui in arcanis naturæ rimandis studium, & operam collocarunt, etsi de omnibus id ostendere non possumus, non eo malignitatis culpanda est natura, vel ejus autor, sed inertiæ id nostræ tribuendum, qui non quantum poteramus veræ ac diligentiæ in indagando eorum usu posuerimus. Quid quod sic quoque ex venenis illis utilitas ad nos redit? Excitant enim industriam nostram in discernendis salubribus à venenatis. Patientiæ quoque materiem hinc habebemus. Cumque videmus quot periculis obnoxia sit hæc vita, magis cognoscimus iram Dei erga peccatum, ob quod in hanc miseriam sumus conjecti. Ardentius quoque Deum oramus, ut prudentia nos instruere, & per Angelos suos custodire dignetur.

Consultatio XXXII.

De Cultu Spirituum non principum, sed ministrorum, qui à Philosophis communi nomine fere dæmones, vel demonia, à Peripateticis intelligentiæ, à Christianis boni, malive Angeli appellantur. In quo Gentiles & alii à natura eorum aberrarint. Ubi consideratur eorum natura, officium, cultus. Qui Spiritus hosce negarint. Qui agnorint. Unde eos Gentes cognoverint, & quatenus in eorum natura convenerint Christiani, ac Gentiles. De naturæ hujus præstantia, & alia multa, præsertim de Spectris, & Oraculis ac de cultu Dæmonis apud varias Nationes.

Spiritus non agnovere Saducæi, ut est *Actor.* 23. 8. Objectant nobis Judæi, quod libros Mosaicos agnoscerent pro divinis ubi sæpius commemoratur ut Angeli apparuerint. Verum verisimile est, Saducæos eludere hæc solitos, cujus ratio nunc gemina occurrit. Una est, ut per eas non aliud intellexerint, quàm qualitates à Deo productas in imaginatione ejus, quem de re aliqua velit edocere. Altera est, ut putarint Deum producere Spiritus, quando eorum opera uti velit, postea eos destruere, ac producere quidem separando quiddam ab anima mundana, quod postea redeat in naturam generalem.

Ex Gentium Philosophis Democritus non agnovit spiritus ullos, nec Aristoteles alios, quàm Orbium cœlestium motores. Licet non ignorem aliud de Aristotele visum fuisse Augustino Steucho *lib.* 8. *de perenni philosophia cap.* 26. Sed enim si alios statuisset, saltem ubi optima erat occasio, non hoc sivisset nos ignorare. Nunc nec levem ejus rei mentionem videmus, præterquam ubi ex aliena loquitur sententia. Ac valde hanc de eo opinionem firmat, quod similiter senserint

præci-

præcipui ejus Interpretes, ante alios Alexander, præterea Simplicius, & Averroes. Aliqui tamen aliter, sed hi à præceptore, ut aliis quibusdam, ita hac etiam parte, recesserunt, primùm Theophrastus, multis post seculis Ammonius, & Philoponus, item ex Arabibus, Avicenna & Algazel.

Nec causa erat, cur hac parte hi jurarent in Democriti, vel Aristotelis opinionem, qui prius deseruissent sententiam Veterum. Pythagoras enim dæmonia posuit, imo primus id Philosophorum fecerit, si Simplicio credimus in libris de anima. Nec dubium, quin in eo Pythagoras vestigiis eorum institerit, quibus usus magistris fuit, Thracibus, Ægyptiis, Persis, Chaldæis, atque aliis, quemadmodum in libro de Philosophorum sectis ostendit Vossius. Plato, qui post Socratis excessum Pythagoreos audivit, eorum hanc opinionem sequutus fuit, uti Platonem sectatores ejus Apulejus, Plotinus, Porphyrius, Proclus, Psellus.

Mirum verò videtur, unde Gentiles agnoverint spiritus, sive dæmonia, quæ Saducæi, Peripatetici, & alii magni nominis negarunt, uti hodieque multi eos tollunt; sed qui nihil credant, nisi quod manibus palpent, vel oculis saltem videant.

Non dubium, quin à primis Noachidis per manus traditum sit, esse spiritus, quorum ministerio utatur Deus in Orbe administrando. Præterea intelligere propiùs potuerunt quisque à gentis suæ conditoribus. Siquidem Moabitæ, & Ammonitæ habuere traditionem à Lotho, quem Angeli è Sodomis eduxerant, ut est *Genes.* 19. Ismaelitæ hauserint ex Agar, cui Angelus aquam ostendit, ut est *Genes.* 21. 17. Postea item in Moabitis firmata hæc opinio, cùm Angelus se opposuisset Bileamo, ut Israelitis malediceret, quemadmodum legere est *Num.* 22. *vers.* 22. Nec dubium, quin non pauca ejusmodi alia contigerint, ut ut Spiritus Sanctus ea in Scripturis ' præterierit, quia sufficerent nobis, quæ habemus. Neque enim repente omnes facti sunt pessimi, sed paulatim à recto descitum, ut admodum sit credibile diu etiam postea aliquos saltem fuisse, quos misericors Deus per Angelos suos alloquio dignaretur, sed magis & magis religione pura retro eunte, pauciores.

Neque tamen, si deesset affatus Angeli boni, eò desiere se mali offerre Angeli, idque domi, in agris, sylvis, mari. Quia tanto id frequentius factum, quanto major esset Dei ignorantia, quomodo hodieque in gentibus Idololatricis contingit, atque etiam in Lapponibus, & Finnis, extimi Septentrionis populis, ubi tenuis est, valdeque diluta veri Numinis cognitio.

Hujusmodi oblationes *Spectra* dixere, sed voce aliquanto angustiori, quando spectrorum vox est à veteri verbo *Specio*, hoc est video, unde species. Atqui spectrorum nomine non ea solum intelliguntur, quæ videmus, sed etiam quæ auditu cognoscimus,ut fragores, & strepitus insolitos; vel si ubi videas neminem, vox aliquid significet humana major. Græce similiter *phantasma* dicitur *Matth.* 14. & *Marci* 6. ubi historia refertur Christi inambulantis aquis, ac discipulorum putantium se spectrum conspicere. *Pneuma* dicitur *Luca* 24. quando discipuli Iesum post resurrectionem conspicantes, Spiritum se videre censent.

Et sane opinionem spectrorum in populo obtinuisse Judaïco, præter ista ostendit historia Heliodori à formidabili equite flagellati, ut est II. *Machab. cap.* 3. Item quinque Equitum Judæ Machabæo opem ferentium, de quo *ejusdem libri cap.* 11. Sed enim hæc spectant Judæos, nunc de Gentibus proprie agimus è quibus non modò vulgus, sed flos etiam populi in hac sententia fuit. Neque ignorabant subinde spectra fingere homines, sivo otio pene marcentes, qui aliquam capiunt voluptatem, si aliis sint terrori, sive invidos, avaros, ambitiosos,libidinosos, qui hisce artibus rebus suis student, cujus rei vix aliquo in ordine plus exemplorum habemus, quàm in Sacerdotali. Tale illud de Tyranno, Saturnum ementiente, ut potiri liceret mulierum amplexibus, de quo Rufinus *lib.* 11. *cap.* 25. Item *de Mundo adolescente*, sic à Sacerdote instructo, ut se Anubidem simulando Paulina frueretur, de quo Josephus *Antiquit. lib.* 18. *cap.* 6.

Addere etiam liceat melancholicos, & furiosos, quibus atra bilis imaginationem corruperat, uti & metu nimio multis contingit. Unde mulieres, & pueri, & horum similes, eadem patiuntur. Ac par ratio est in miopybus, surdastris, ebriis, quales, quia sensu minus valent, quandoque etiam sanctè affirmant, visa sibi, vel audita de quibus fidem nulli fecerint cordato. Unde Plutarchus de spectro Dionis in vita ejus disserens, scribere non dubitat: *Tametsi perhibent qui negant talia, nemini cordato visum dæmonii, vel simulachrum obversari; verum pueros, mulierculas, & deliros ex corporis imbecillitate homines, quum aliquo tenentur mentis errore, vel intemperie corporis, opiniones alienas, atque absonas admittere, dum malum dæmonium superstitiose credunt se invasisse.* De quo nos & alibi. Sed enim ibidem refert Plutarchus, ut Genius & Dioni, & Bruto significant vitæ suæ exitum. Non hæ viles erant animæ, sed viri magni, & graves, Philosophia uterque exculti, qui tamen usque adeo spectris fuere commoti, ut amicis suis eorum, quæ vidissent, sollicitè indicium facerent. Neque ignotum, quid de Curtio Rufo narret Plinius *lib.* 7. *epist. ad Suram.* Quod si semper apparitiones ejusmodi non animarum sunt, sed spirituum, pertineat huc quoque, quod de Athenodoro magni nominis Philosopho, ibidem refertur, cui narrationi fidem adstruit, quod exitus, & sapientissimæ Atheniensium Civitatis judicium, eam comprobarit. Sed longum esset commemorare omnia quæ gravibus viris è gentilibus ipsis subnixa sunt. Varii adeantur, qui hoc argumentum tractarunt, de quo & nos suo loco.

Neque ex spectris solum collegere Gentiles, esse dæmonia ac Spiritus, sed etiam ex oraculis, quæ aliter dicuntur Deorum responsa, & aut è terræ cavernis, vel è simulachris edebantur, idque solertia quidem humana, sed sæpe etiam dæmoniaca. Nam constitere quidem fraudibus vatum, sed non solis, cùm multa prædixerint, ad quæ nulla ratione humanæ mentis acumen pertigisset. Atque hæc iis etiam præstitere, qui oracula venerant exploratum, hominibus vafris, nec admodum credulis. Aristoteles, qui dæmonia non credit, vel saltem non memorat, nisi cùm, ut diximus, ex aliena loquitur sententia, divinationes istas tribuit humori melancholico, Plutarchus & alii vapori terrestri à sole educto. At unde quæso, evincent, vim aliam habere, quam, ut quæ prius sciant homines, subtilius, vel disertius promant? De hoc alibi.

Præterea verò esse Spiritus, sive incorporeas substantias, collegere Gentiles ex mirandis illis, quæ fiunt per *magiam*, tum illam,quam *albam* vulgo dicunt, Veteres autem *theurgiam* vocabant, tum quam *nigram* nuncupant, antiqui autem *Goëtiam* nuncuparunt. Priori deditos, laudabiles ajebant, alteri addictos, detestabiles. Sed, ut Augustinus ait lib. 10. de civit. cap. 9. *sunt utrique ritibus fallacibus dæmonum obstricti sub nominibus Angelorum.* De quibus etiam alibi.

Præter hæc, etiam dæmonia esse collegerunt ex ostentis, & prodigiis. Quod negare non potuit ipse Macchiavellus *lib.* 1. *disput. cap.* 56. ubi prodigia, & cœlestia signa ad Spiritus refert; cùm enim supremam ad causam recurrere nollet, nullam reperiit magis idoneam quam Spiritus aëreos.

Sed an Spiritus omni omnino corpore careant, alibi disquisivimus, ubi & quomodo corpus assumant.

Magna verò est naturæ hujus spiritualis excellentia, quæ & princeps ratio est, cur eò devenerint homines, ut honorem illi exhiberent divinum. Ac primum superant eo mortale genus, quod natura eorum alterationi, sive mutationi quidem, non interitui tamen obnoxia sit; contra quam nonnullis gentium philosophis persuasum fuit, illis inprimis, qui post seculorum aliquot decursum, suum quoque eos manere fatum crediderunt. Atque ut hi, cum belle se mereri putarent de Spirituum natura, si longævam adeo illis vitam tribuerent, multum tamen de gloria imminuerunt; ita longe excellentiæ hujus modum excedunt Peripatetici, cùm eos semper fuisse, Deoque coæternos arbitrantur.

Multo verius illi, qui originis pariter, ac temporis principium illis dederunt. In quo ipso tamen variè peccatum, cùm Manes iis ortum tribuat à summo mali Principio, ac Cabalistæ plerique & cum iis Arabs Avicenna, dæmonum unum ab altero originem suam ducere existiment. In quo propius à primæva traditione abiit Plato, ut qui hactenus ei institerit, quod à Deo principe ac supremo eos productos putavit. Unde Origenes in proœm. lib. periarchon: *Est illud in Ecclesiastica prædicatione esse Angelos Dei quosdam, & virtutes bonas, quæ ei ministrent ad salutem hominum consummandam. Sed quando isti creati sint, & quomodo sint, non satis in manifesto distinguitur.* Itaque alii putarunt, illos cum hoc mundo productos. Alii demum post eorum ruinam, mundum hunc fabricatum tradiderunt. Utriusque sententiæ autores prodidit Stephanus Gobarus, de quo Photius *in biblioth. cod.* 232. Sed Scriptor iis intercidit, quare defectum ejus historia veterum temporum ex parte supplebimus.

Græci Patres eò fere propendent, ut Spiritus ante mundum hunc conditos arbitrentur, ut Origenes *in Genes. homil. prima in Isaiam cap. quarto in Matth. cap. vigesimo tr. decimo* Basilius *in Hexaem. homil. prima & secunda*, Nazianzenus *serm.* 38. *de natali Domini pag.* 617. *edit. Morel.* & *de Pascha orat. secunda* quam & citat Damascenus. Eademque in sententia Chrysostomus *in Genes. homil. duodecima* & de Providentia *orat. prima* Æneas Gazæus *in Theophrasto*, qui paulo ante annum vixit quingentesimum, & quinquaginta circiter annis eo junior Anastasius Sinaita *lib. primo Hexaem.* & circa annum Septingentesimum Damascenus *fidei orthodoxæ lib. secundo cap. secundo & lib. quarto cap. decimoquarto.* Cur verò ita senserint, ex Hexaëmero Joannis, cognomento Philoponi, qui claruit circa annum quingentesimum vigesimum, varias adfert rationes Photius *in bibliotheca cod.* 211.

Nec tamen desunt è Græcis, quibus aliter fuit visum, ut Epiphanius *hæres.* 65. *quæ est contra Paulum Samosatensem.* Eamque Epiphanii fuisse opinionem, fatetur quoque Scriptor quæstionum ad Antiochum *quæst. tertia.* Unde videre est, perperam hoc opus Athanasio tribui, cùm is Epiphanio sit antiquior. Videtur in Epiphanii sententiam etiam propendere Theodoretus *in Genes. quæst. tertia.* Saltem ait, qui contrarium pro certo habent, parum solidè sententiam suam probare. Interim reponit hanc quæstionem inter quæstiones supervacaneas. Ac tandem, modò quis fateatur, Angelos esse à Deo creatos, de cœtero sic statuit. *Siquis Angelorum cœtus ante Cœlum & terram conditos dixerit, non offendet verbum pietatis. At verbosis contentionibus insistere, quæ nihil ad aliud prosunt, quàm ad subversionem audientium, expresse prohibet divinus Apostolus.*

In Latinis quoque variatum. Qui ante Augustinum vixere, statuere maluerunt creatos esse ante mundum, ut Novatus *de Trinit. cap. primo.* Hilarius *lib.* 12. *de Trinit. non longe à fine, & lib. contra Auxentium,* Ambrosius *lib. primo Hexaem. cap.* 5. *& præfat. psalm.* Hieronymus *in epist. ad Tit. cap. primo* ad verba illa. *Quem promisit Deus ante tempora secularia.* Unde colligit, saltem Angelos fuisse ante Mundum, ne desint quibus hoc Deus promitteret.

Sed Augustinus non audet certò de hoc præfinire, ut videre est, cùm alibi, tum lib. 11. de civit. cap. 9. 19. & 32. Unde Paræus ad Genes. 1. vers. 1. *Augustinus ubique dubitat, & sententiam in medio relinquit. Quare & nos relinquamus in medio.* Nec tamen sic dubitat, ut non eò magis inclinet animus, Angelorum creationem etiam à Mose describi, ut qui putet, nomine Lucis primo die à Deo productæ, Angelos signari. Quæ expositio nec Gregorio Magno displicuit *in moral.* 32. & venerabili Bedæ *in Genes. cap. primo.* Imo nec Cyrillo *lib. secundo* contra Julianum desertorem, qui maligne admodum Mosem traducebat, quia de Angelorum productione sileret. Et fortasse poterat hæc Augustini interpretatio placere, nisi tam apertè apud Mosem legeremus, primæ diei lucem à Deo diem vocatam, ut nullum effugium sit nisi dicendo, præter sensum istum, ut vocant litteralem, esse & alterum allegoricum, quod cujus pretii sit ubi non præit Scriptura, alibi dicemus. Quanquam verò Ludovicus Vives, *ad Augustinum lib. undecimo de Civit. cap. nono* annotet, Latinos prope omnes hac in opinione sequi B. Augustinum. Video tamen ejus temporibus propiores statuere potius Angelos ante mundum creatos. Ita Cassianus *collat. octavo cap. septimo,* Gennadius *de Eccles. dogm. cap. decimo,* Isidorus Hispalensis *de summo Bono lib.* 1. *cap.* 12.

In hoc Veterum dissensu Petrus Lombardus *lib. secundo dist.* 2. *quæst.* 2. cùm Augustini, mox Hieronymi exposuisset sententiam, subjungit deinde: *Nos, quod prius dictum est, pro captu intelligentiæ magis approbamus, salva tamen reverentia secretorum, in quibus nihil temere asserendum est.* Sed nihil prohibet, quominus verba ipsa Hieronymi, ab eo producta ex commentario in epistolam ad Titum, adscribamus: *Sex millia, necdum nostri temporis implentur annorum; & quantas prius æternitates, quanta tempora, quantas seculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus Angeli, Throni, Dominationes, cæterique Ordines servirent Deo absque temporum vicibus atque mensuris, & Deo jubente substiterunt.* Ad quæ hic respondet, arbitrari se ea ab Hieronymo ex aliena dici sententia. Quod majoris foret ponderis, nisi is sensus tum temporis in Latina pariter ac Græca Ecclesia fuisset. Magistrum verò sententiarum ea parte sequi amant D. Thomas, omnisque Scholasticorum chorus. Unde eò deventum, ut plurimi arbitrentur, non hæreticum quidem, temerarium tamen fore, siquis priorum sententiam præsumat.

Hac in re ita tenendum est. Certum de fide est dari Angelos, qui sint naturæ præstantioris hominibus. Thob. 12 *Psalm.* 8. *ad Hebr.* 2. *Matth.* 18. quibus in locis non solùm habetur, dari has creaturas, sed etiam esse intellectuales, & excellentiores homine. Atque ita omnes Theologi, ac sancti Patres, ac communiter Philosophi ethnici, qui Angelos nomine intelligentiarum, dæmonis, Genii, ac his similibus appellabant, contra Atheos, nihil in mundo admittentes, præter res corporeas, & contra nonnullos antiquos philosophos, quorum meminit Aristoteles *lib.* 4. *phisic. tex.* 52. & 57. Item contra Saducæos quorum meminit D. Lucas *Act.* 23. Cui errori favent Anabaptistæ, dum in re tam Angelos custodes quàm dæmones negant, & illorum custodiam ad cogitationes bonas, istorum oppugnationem ad cogitationes malas transferunt.

Favet

Favet etiam Georgius Venetus, qui, ut refert Arboræus *tom.* 1. *Theosophiæ lib.* 1. *cap.* 2. probare nititur, Angelicam naturam non esse præstantiorem humanâ, Quod est in re negare Angelos.

Idque tamen non potest evidenter ratione naturali demonstrari, sed tantum probabiliter, & cum quadam morali certitudine. Ita Scotus *quod lib. septimo* Marsil. *quæst.* 2. *ar.* 1. Zumel 1. *par. quæst* 50. *ar.* 1. *quæst.* 1. Valentia *tom.* 1. *disp.* 4. *quæst.* 1. *pun.* 1. Suarez *in metaph. disp.* 35. *sect.* 1. Estius *in* 2. *dist.* 2. §. 2. Sylvius 1. *part. quæst* 50. *ar.* 1. *concl.* 1. Arriaga *de Angelis disp.* 1. *sect.* 1. de Quiros *tr.* 8. *disp.* 50. *sect.* 1. Aversa *quæst.* 50. *sect.* 1. Herinex *tr.* 3. *disp.* 2. *quæst.* 1. aliique magis communiter *contra Bubalum de Angel. quæst.* 50. *quæsit.* 2. Lar. 1. *part. quæst.* 50. *disp.* 261. *dub.* 4. *num.* 2160. Esparzam *lib.* 2. *quæst.* 1. *ar.* 14. *& seqq.* ac Baynes 1. *part. quæst.* 55. *ar.* 1. *concl.* 3. Probatur. Non potest demonstrari à priori, quia non habent causam necessariam suæ existentiæ. Nam cùm sint creaturæ, contingenter existunt. Neque à posteriori, quia non adest aliquis effectus, qui sit per se connexus cum ipsis ita, ut non possit esse ab alia causa.

Unde licet motus Cœli exigat causam intellectualem, non tamen per se exigit Angelum, quia potest esse à Deo. Sic motus Cœlorum, qui maxime movit Philosophos ethnicos ad astruendas intelligentias separatas, sive substantias intellectivas, homine superiores, refundi potest vel in formam propriam ipsorum corporum Cœlestium, vel in impulsum à Creatore ab initio creationis impressum, vel immediate in ipsum Deum, cui si res sola ratione naturali esset definienda, potius quam Angelis adscribendum fore Cœlorum motum colligit de Quiros *loco præcitato num.* 4. ex talis motus uniformitate, ad quam servandam male idoneæ videntur creatæ intelligentiæ, arbitrio liberæ, defectibiles, in Deum, Deique opera sæpius peccantes, & à recto tramite aberrantes. Et quod ad antiquos Philosophos nihil cogit admittere ipsos ex solo Cœlorum motu deduxisse Intelligentias. Forte enim istas hauserunt ex ipsis Scripturæ libris, aut ab Hebræis didicerunt Cœlorum motum. Quando deinde aliqui ipsorum ex solo Cœlorum motu intelligentias deduxissent, nihil compellit admittere in tali deductione evidentiam. Neque enim quicquid antiquis Philosophis naturæ lumine innotuit, innotuit evidenter. Non negaverim tamen plures antiquos Philosophos, qui aut Deo immediatam gubernationem rerum materialium, aut intelligentiis libertatem negarunt, ex his principiis, quamvis erroneis, potuisse facilius, & efficacius inferre Intelligentias Cœlorum motrices, quàm nos possimus ex veris naturæ principiis, & sic facile concedi potest alicui gentili Philosopho evidentia formæ circa Intelligentiarum existentiam.

Et verò, quæ fiunt ab energumenis, & arreptitiis hominibus, puta locutiones variarum linguarum, idiotarum dissertationes de rebus scientificis, manifestationes rerum absentium, aut occultarum, translationes fere instantaneæ gravissimorum ponderum, imbecillium puellarum resistentia pluribus viris, etiam robustissimis, conantibus ipsas à loco aliquo dimovere, aliaque hujusmodi, possunt omnia refundi in Deum ipsum propter secretos suæ providentiæ fines ad tales effectus specialiter concurrentem infundendo species peregrinorum idiomatum, aut rerum scientificarum, revelando res absentes aut absconditas, augendo vires motivas, aut motui resistentes. Possunt etiam ex his aliqua refundi in vehementem phantasiæ perturbationem, quæ, ut patet in phræneticis, conducere potest ad aliquos effectus, qui ab homine sanæ mentis præstari non possent, præsertim loquendo de iis, quæ ex virium robore, & conatu proveniunt. Possunt tandem eadem fere omnia referri in animas defunctorum à corpore separatas, quas certum est in statu separationis esse proportionatas ad aliqua opera, ad quæ sunt impares in statu conjunctionis, sive unionis ad corpus.

Opera artis magicæ, puta quod specula quædam res absentes referant, tanquam præsentes. Quod res quædam inanimes, nedum irrationales, de futuris interrogatæ, responsa ferant. Quod ad verba quædam taliter vel taliter disposita, mirabiles effectus sequantur, & id genus alia, quando turpitudinem, moralemve malitiam non involvunt, possunt in Deum, tanquam in causam reduci. Quando verò turpia sunt, & peccaminosa, possunt referri in animas separatas hominum improborum, ac reproborum. Et cum satis non constet de virtute ac viribus animarum separatarum ex eo quod effectus aliquis superet virtutem naturalem hominis in hac vita, non statim evidenter infertur provenire à substantiis, homine superioribus, dubitari quippe adhuc potest utrum proveniat talis effectus ab animabus hominum à corpore separatis, præsertim si plures hujusmodi animæ supponantur simul applicatæ, quæ quidem simultanea applicatio inter animas separatas mutuam penetrationem admittentes, facillima est. Atque hinc habetur, non esse evidens dari artem magicam, quæ dici debeat dæmoniaca, & in qua Magi cum dæmonibus, sive malis Angelis paciscantur, & qui ex arte magica dæmoniaca probare intenderet dæmonum existentiam, supponendo artem dæmoniacam, peteret principium, illamque ipsam dæmonum existentiam supponeret, quàm probare contenderet.

Perfectio Universi est medium, quod sicuti à D. Thoma cœteris omnibus præfertur in ordine ad probandam Angelorum existentiam, ita ab Esparza, aliisque nonnullis recentioribus urgetur præ cœteris, tanquam demonstrativum talis existentiæ. At nihilominus quomodocumque ex perfectione Universi arguatur, non demonstratur Angelorum existentia. Qui enim dicunt pertinere ad perfectionem Universi quod contineat omnes gradus possibiles entis, non possunt positive demonstrare, gradum substantiæ completæ purè spiritualis esse gradum entis possibilem; nec possunt convincere eum, qui responderet pro perfectione Universi sufficere, quod contineat majorem partem graduum possibilium entis, & esse ipsius perfectionem absolutè considerandam, non comparative ad omnia possibilia. Sicuti enim, ut civitas dicatur perfecta, sufficit si plures vias, pluraque ædificia cujuscumque rationis, aut quod comparata ad alias civitates contineat omnes gradus rerum quæ in aliis possunt reperiri. Non est itaque necessarium, quod Universum sit perfectum extensive secundum omnes gradus, sed id pendet ex libera voluntate Dei; atque ideo non potest innotescere, quod sit tale, nisi vel ex revelatione, vel ex effectu, vel quia gradus secundum se sint noti.

Qui dicunt ad perfectionem Universi pertinere quod exprimat perfectam similitudinem suæ causæ, non possunt demonstrare, esse dabilem expressionem divinæ similitudinis majorem ea, quam exhibet homo ad Dei imaginem efformatus; nec possunt convincere eum, qui responderet exprimere similitudinem causæ spectare ad perfectionem effectus univoci, non ad perfectionem effectus æquivoci, cujusmodi est Universum respectu Dei.

Et tandem dicunt ad perfectionem Universi pertinere, quòd detur in ipso cognoscitivitas adæquans cognoscibilitatem, non possunt positive demonstrare, possibilem esse talem cognoscitivitatem, nec possunt convincere eum, qui responderet, satis esse, quod detur talis cognoscitivitas ex speciali auxilio Dei elevantis, & roborantis imbecillitatem humanæ intelligentiæ.

Possibilitas igitur Angelorum nec potest positive demonstrari vera demonstratione. Nam à posteriori non adest aliquis effectus, quem evidenter cognoscamus possibilem, ac ita per se connexum cum possibilitate

Angelorum, ut ex ipso illam necessario colligamus. Neque habemus à priori notam causam. Quia non adest alia, præter Dei omnipotentiam ac ipsius ideam, quæ non sunt nobis naturaliter cognita, secundum quod in particulari terminantur ad naturam Angelicam.

Potest tamen negativo modo demonstrari. Certum namque est, posse Deum facere quicquid in se ipso non implicat. Nam eo ipso, quod non implicat, est aliquod ens, & radicatum in divina potentia. Possumus autem naturaliter cognoscere Angelos non implicare. Quia illud in se non implicat, quod constat ex talibus rationibus, quæ ad invicem proportionatæ se habent, & una perficit aliam. Hujusmodi autem est ratio substantiæ, spiritualitatis, & intellectualitatis. Unde possunt conjungi in eadem creatura.

Ac probabiliter potest ostendi existentia Angelorum cum quadam morali certitudine. Quia dantur aliqui effectus, qui licet non excedant facultatem naturæ universalis, excedunt tamen facultatem naturæ particularis: Vel quia fiunt instantaneè, vel quia non adsunt causæ requisitæ; vel quia non præcedit debita dispositio, ut instantaneæ apparitiones corporum, productio serpentum, ut habetur *Exod.* 7. quæ fiunt à Magis, auxilio dæmonum, nec enim fieri possunt à Deo, quia multoties contingunt cum turpitudine, neq; est probabile, esse aliquam animam separatam, cùm aliquando declarant, se non esse animas. Quod sane confirmatur ex apparitionibus bonorum Angelorum, quæ seclusis illis, quas per fidem habemus, frequenter solent fieri. Et quia congruum fuit, Deum creare Angelos, ut reperiretur in Universo creatura intellectualis secundum perfectum gradum.

Quare naturali ratione valde probabiliter constat, Angelos esse. Probatur id ex effectibus allatis, qui fere omnes congruentius referuntur in Angelos, quàm aut in Deum, ad quem minus congruit sine omnimoda necessitate confugere; aut in animas separatas, quibus minus probabiliter tribui potest virtus adeo excedens virtutem animarum conjunctarum corporibus, ut valeant præstare miros illos effectus, qui ab Energumenis, & Magis præstantur. Perfectio item Universi, licet sine Angelis subsistat, melius tamen cum Angelis elucescit, ex consequenti licet evidenter non convincat, probabiliter tamen suadet Angelos existere. Antiquorum etiam Philosophorum communis fere consensus in Angelis admittendis satis ostendit, ipsos ex aliqua ratione valde probabili fuisse ad id inductos; neque enim doctorum virorum communis consensus aut temere, aut casu haberi potest. Tandem cùm ratio naturalis esse soleat pedissequa fidei, & quicquid propemodum ex fide certum est, naturalibus congruentiis roboretur, sicuti existentiæ Angelorum supra tribuimus ex fide maximam certitudinem, ita debemus eidem in præsenti tribuere ex ratione naturali maximam probabilitatem.

Quod verò ad Angelorum productionem certa fide tenendum est Angelos à Deo ex nihilo creatos esse juxta illud ad Colos. 1. *In ipso condita sunt universa, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus.* Et in Symbolo Niceno *Factorem Cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium.* Unde non potuerunt esse æterni, neque etiam æternitate participata necessaria. Quia de ratione creaturæ est, quod producatur à Deo contingenter ac libere.

Multi tamen opinati sunt ante corpora spiritus extitisse, ac postmodum in corpora velut carceres relegatos fuisse. Quod Origenistarum commentum à fide alienum est. Ex hoc porro dogmate defluxisse videtur & aliorum sententia, qui Angelos ante mundum visibilem creatos putarunt. Quæ sententia diligentius postea occasione Arianorum, qui Christum etiam incepisse tradebant, discussa, minus Scripturæ consentanea visa est, quæ Angelos inter opera sex diebus facta commemorat.

Quare Augustinus, Epiphanius, Beda, Scholasticique Doctores verius Angelos cum mundo corporeo fuisse conditos, docent, quorum sententiam Concilium Lateranense sub Innocentii III. relatum in cap. firmiter de sum. Trinit. comprobavit, ac probatur *Ecclesiast.* 24. ubi de sapientia genita dicitur, primogenita ante omnem creaturam. Proverb. 8. *Dominus possedit me antequam quidquam faceret.* Hoc autem non esset verum, si Angeli fuissent ab æterno. Nam non fuissent ante omnem creaturam. Angelus enim est pars quædam hujus Universi, & pertinet ad integritatem ipsius, atque adeo non fuit conveniens creari ante mundi productionem. Et licet Angelus sit incorruptibilis, ideoque fuit conveniens esse ab æterno. Est tamen incorruptibilis ab intrinseco, potestque annihilari à Deo, & ideo cùm ab extrinseco sit defectibilis non illi congruit æternitas, etiam à parte ante.

Creati sunt itaque in tempore simul cum mundo corporeo, scilicet cum Cœlo, & terra. Id aliqui putant esse de fide propter definitionem memorati Concilii Lateranensis. Alii verò volunt, Concilium, non intendisse hoc definire. Est tamen conclusio saltem moraliter certa, nec sine periculo erroris, aut temeritatis negari potest. Probatur Ecclesiast. 20. *Qui vivit in æternum creavit omnia simul*, simultate scilicet durationis. Genes. 1. *In principio creavit Deus Cœlum & terram.* Non fuisset autem in principio, si præcessisset creatio Angelorum. Sexta Synodus *ar.* 13. in qua recipitur tanquam orthodoxa epistola Sophronii, ubi ait, *de principio visibilis mundi, & constitutione, quæ facta est, confiteor, quod omnia non tantum visibilia, sed & invisibilia unus Deus condidit.* Clarior est, ac solemnior hac in re autoritas Concilii Lateranensis cit. cap. firmiter, in hæc verba *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod unus est solus verus Deus, &c. qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam, & deinde humanam.* Atque ita docent præter Patres antea citatos, Hugo Victorinus *lib.* 1. *de Sacram. p.* 1. *cap.* 2. *&* 3. & cum Magistro D. Thom. 1. *p.* 9. 62. *ar.* 3. ac Theologi fere omnes, ita ut licet ex una parte antiquis temporibus opposita sententia fuerit quidem communior, & apud Sanctos Patres receptior, non adeo tamen indubitata, sicuti ipsam proclamat Cassianus, cùm D. Augustinus, D. Fulgentius aliique nonnulli Cassiano aut antiquiores, aut contemporanei negaverint productionem Angelorum ante productionem mundi visibilis. Unde nostris temporibus evasit, non solum communior, verum etiam fere prorsus extra controversiam sententia, multoque magis quia indicatur in Scriptura & quasi definitur in Lateranensi Concilio, propter quam definitionem Ferrariensis 2. *contra Gentes cap.* 83. *ad finem*, affirmat esse dogma fidei, quod Angeli creati non fuerint ante mundum corporeum, & censendum fore hæreticum qui nunc teneret pertinaciter oppositum. Cum Ferrariensi sentiunt quidam ex Salmanticensibus, nonnullique alii viri docti apud Molinam 1. *p. q.* 61. *ar.* 3. §. *contrarium*, ubi Molina ipse ait, sibi etiam videri veram Ferrariensis sententiam; nihilominus statim §. seq. propter plurimos graves Doctores oppositum sententes, non vult condemnandum esse hæresis, vel erroneæ sententiæ eum, qui affirmaverit Angelos ante mundum corporeum esse conditos, sed solum temeritatis. In qua mitiori temeritatis censura conveniunt Estius *in* 2. *d.* 2. §. 4. Valentia 1. *p. disp.* 4. *quæst.* 12. *pun.* 2. Lugus *lib. tertio disp.* 18. *cap. primo numer.* 30. Lao *quæst.* 61. *disp.* 309. Herinx *tr. tertio disp. secunda quæst. prima numer. octavo.* De Quiros *tr. octavo disp. quinquagesima sect. tertia numer. vigesimo* aliique Theologi, præsertim recentiores. Unde si minus pro-

propter solam autoritatem Lateranensis Concilii, saltem propter unanimem iam nostris temporibus Theologorum sensum non potest nunc sine aliqua temeritate asseri creatio Angelorum ante mundum corporeum, neque enim potest non temere asseri, quod nemo prudens nunc audet asserere.

Absoluta hac quæstione, videamus, unde spiritualis naturæ præstantia non minus eluceat. Sunt hæc duo imprimis, Perspicacia intellectus Angelici, & in rebus exequendis potentia. Quippe, ut de priori prius dicamus, non sensuum egent ministerio, sed se quidem per suam intelligunt essentiam, res verò materiales percipiunt per superadditas species, quibus non res modò intelligibiles, sed sensibiles etiam repræsentantur, non universe duntaxat, ut Averroi visum fuit *in 12. metaph.* sed proprie, distincteque, quatenus sunt singulares.

Hæc intelligentia non solum præterita complectitur, sed etiam præsentia, non omnia tamen, quia cogitationes nosse humanas, nisi quopiam se indicio exerant, potestatem exuperat finitam, ut non obscure nos docet D. Paulus 1. *Corinth.* 2. *vers.* 2. Ad futura etiam hæc scientia se extendit, nec quævis tamen. Nam certò quidem prævident, quorum causæ sunt necessariæ; illa autem, quæ ut plurimum fiunt, probabili conjectura ex causis intelligunt, tantoque verisimilius nobis, quanto & naturæ præstantis acumine, & quia sunt immortales, plurimorum seculorum memoria, & experientia præcellunt. Sed ecquid futurum sit, quod planè est contingens, eorum etiam captum excedit, quia res ejusmodi nec in causis cognosci ab iis queant, quandoquidem sunt indeterminatæ; nec in seipsis, quia cum existentiam necdum habeant, non possunt iis esse præsentes, ut quemadmodum soli sunt Deo præsentes, ita solus ea cognoscat. Unde Isaiæ 12. & 42. *Annunciate nobis futura, & dicemus, quod Dii estis.* Itaque ex eo, quod de Christo tam multa, quæ finitus prævidere intellectus neutiquam posset, tot ante seculis constantissime à Prophetis sint prædicta, veritas Evangelii solide adstruitur *ad Rom. primo* & 1. *Petri* 2. Atque hæc de ingenii perspicacia

In rebus etiam exequendis magna eorum Potentia est. Ut inter multa, quod corpora gravia sustollunt, perque aëra in spatia longissime dissita transferunt. Quomodo Habacuc ex Judæa, capillis ab Angelo apprehensus Babylona est translatus, ut est Daniel. 14. & Christus se passus transferri in pinnaculum Templi, & montem excelsum. Ob hanc & intelligentiam & potentiam, etiam iis si instrumentis agant, quibus homines, longe tamen majora hominibus efficiunt. Cum enim Angeli, seu boni illi seu mali, causas rebus applicant, effectus non respondet virtuti instrumentali, sed Angelicæ. Quomodo nempe securis ex se quidem habet, ut secare possit, sed plus secabit vir, quàm puer; pulchrius artifex, quàm alius. Simile etiam videmus ex calore animalis, qui ex se habet, quod calescit, rarefacit, segregat; sed ab anima habet, quod generet sanguinem, carnem, ossa. Itidem igitur in Angelorum operationibus non cogitandum modò de instrumentis, quæ moventur, sed etiam de virtute ejus, à quo moventur.

Ad Angelicam hanc potentiam, quæ intellectus, ac voluntatis est instrumentum, incredibilis etiam velocitas refertur. Atque hinc attributæ iis alæ. Ita Cherubim in Exodo cum alis factæ. Isaias ait Seraphim ad se volasse. Daniel etiam, & Ezechiel advolantes conspexere. Hoc Chrysostomus, homil. de incomprehensibili, fieri ait per condescensionem, quia describuntur, non quales sunt naturâ, sed prout facilius à simplicibus concipiuntur, & intelliguntur. Ac Chrysostomus quidem ait ibidem, adsignari alas ad significandum, unde veniant. *Alæ significant altitudinem naturæ.* Et mox addit *Gabrielem volantem describi, ut discas, eum ex superis, ac altissimis sedibus ad homines descendisse.* Sed ut de isto non adversor Chrysostomo, ita & alteram esse rationem existimo, quam B. Hieronymus addit in Jes. cap. 6. *Alas*, inquit, *habere dicuntur propter velocitatem ac celerem in cuncta discursum, sive quia semper in altioribus commorantur.* Nempe quomodo & ventis ad eorum velocitatem denotandam pennæ tribuuntur, unde & Deus dicitur Psalm. 17. & 103. *volare, & ambulare super pennas ventorum.* Quamobrem non dubito, quin, quod Angeli referuntur alati, id maxime pertineat ad velocitatem indicandam, quam quia nec mali Angeli amisere, eo & hi alati dicuntur. Unde in Avoth. cap. 16. *Tria sunt dæmonibus communia cum Angelis, quod alati sint, quod præsciant futura, & quod ab uno mundi extremo ad alterum celerrime se transferant.*

Depinguntur etiam juvenes, non quia sic existant, sed quia sic sæpe apparuerunt, & ut indicetur eorum vitam nunquam senescere, & in albis vestibus propter eorum puritatem, ac innocentiam, ut etiam notant Azor *p.* 1. *lib.* 9. *cap.* 7. *q.* 2. *&* 3. Vasquez *in* 3. *p. q.* 25. *disp.* 103. *& de adorat. lib.* 1. *disp.* 3. *numer.* 44. 62. *& seqq.* Bellarm. *tom.* 4. *controv. lib.* 2. *cap.* 8. Sic Pater æternus depingitur Senex, quia ita Danieli 7. apparuerit. Filius in ejus pectore, quia à Patre est genitus. Spiritus Sanctus in specie Columbæ, quia sic dignatus est, se nobis ostendere. Et ita retinetur harum imaginum usus, quia ab Ecclesia est communiter approbatus, & in septima Synodo generali, quæ est Nicena *act.* 2. *&* 5. & in Concilio Tridentino *sess.* 25. *cap.* 2. definitum retinendum esse hujusmodi usum depingendi Deum & Angelos.

Nunc videamus etiam de Officio naturæ angelicæ. Nam & hæc altera fuit ratio, ob quam homines cultu eam divino dignarentur. Officium hoc triplex est pro triplici ministerio, quod Deo summo in cura præstant generis humani. De eo quoque tum Gentilium opinionem exponam; tum quatenus ea cum Sacris Scripturis, & Interpretibus earum Sanctis Patribus consentiat.

Primum ea spectat, quæ à Deo summo postularunt, cujusmodi duo sunt, unum in precibus Deo offerendis; alterum, si exaudiantur, in bonis homini procurandis. De utroque illorum sic Apuleius libro de Deo Socratis: *Cæterum sunt quædam divinæ mediæ potestates, inter summum æthera, & infimas terras, in isto intersitæ aëris spatio, per quas & desideria nostra, & merita ad Deos commeant. Hos græco nomine* dæmonas *nuncupant, inter mortales, cœlicolasque vectores, hinc precum, inde donorum.*

Porro hoc ministerium, quod Spiritibus assignari à Platonicis videmus, iisdem etiam tribuunt veteres Christiani. Ut Origenes in lib. 5. adversus Celsum, & Augustinus lib. 2. meditat. cap. 3. *Dicuntur Angeli orationes, & vota nostra offerre Deo, non quia Deum doceant, quia omnia, antequam fiant, sicut & posteaquam facta sunt, novit; sed quia ejus voluntatem super his consulunt, & quod Deo jubente completum esse cognoverint, hoc nobis evidenter, vel latenter reportant. Unde hominibus ait* Job. cap. 12. *Cum orastis, orationem vestram obtuli Deo. Similiter & nos cum oramus, non Deum docemus, quasi nesciat quid velimus, & quo indigeamus; sed necesse habet rationalis creatura temporales causas ad æternam veritatem referre, sive petendo, quid erga se fiat, sive consulendo, quod fiat.* Planeque his gemina habet *epist.* 120. *ad Honor.* Hæc de primo spirituum ministerio.

Alterum posuere Platonici extra preces, tum in mandatis Dei denuntiandis; tum in patrandis mirabilibus, ac portentosis: tum in futuris prædicendis, de quibus sic ibidem, Apulejus: *Per hos eosdem, ut*

Plato in Symposio autumat, cuncta denuntiata, & Magorum varia miracula, omnesque præsagiorum species reguntur. Quod igitur Templorum valvę sua sponte aperirentur, quod statuæ loquerentur, quod exta invenirentur sine corde, ac similia, quæ apud Livium, Obsequentem, & alios leguntur, à dæmonibus procurari credebant.

Atque ad eosdem retulere Oracula. Quale illud Jovis Ammonis, quod constitutum honori Chami Noachidæ. Item illud Apollinis Pythii, quod à Cadmo fuit. Ad hæc Dodonæum, ubi præsidere Columbæ Dodonides, ut est apud Pausaniam in Arcadicis, hoc est fœminę vaticinatrices, quæ Thessalorum lingua dicebantur Peliades, voce ambigua, ut quæ & Columbas, & fatidicas iis denotaret, undè fabulæ origo. Credo fuisse id Oraculum à Dodanim, qui posteri fuere Javanis, ut est Genes. 10. 4. Vetus admodum etiam fuit Trophonium Oraculum, de quo eleganter Nicolaus Leonicenus dialogo, qui sic inscribitur. Alia etiam apud Maximum Tyrium lege, dissertation. 26. & alios, de quibus & nos alibi.

Quod verò Platonici statuunt Deum ministris uti Spiritibus in mandatis deferendis, in mirabilibus patrandis, in prædicendis futuris, id omne etiam doctrinæ convenit Christianæ. Sic enim Angelos scimus pastoribus Bethlehemiticis nuntium attulisse de nato Salvatore; item resurrectionem ejus annuntiasse mulieribus. Quid etiam mirandum magis, quam quod à Mesacho, Sadracho, & Abednago in ardentissimum conjectis fornacem, Angelus Domini sic quasi vento quodam omnem flammam, atque æstum arcuit, ut non modò non læderentur, sed etiam carmine suo Deum celebrarent? Inque judiciis Domini exequendis, quàm mirandum, quod in exercitu Senacheribi centum octoginta quinque millia una nocte occideret gladio suo, quem gladium Josephus ex Beroso pestilentiam interpretatur. Sane & in Davidica historia 2. Samuel. 24. dicitur Angelus Domini gladio exerto conspectus à Davide, occisis pestilentia septuaginta virorum millibus. Prædictionum etiam Angelicarum passim habemus exempla. Sic Manoè, ejusque uxori, prædicta Samsonis nativitas, & indoles, futuraque per eum liberatio populi Israelitici à Palestinis. Danieli indicata per Angelum redemptio generis humani post septuaginta annorum hebdomadas secutura. Item quæ futura esset populi Judaici conditio sub Regibus Persicis, Ægyptiis, ac Syriacis. Per Gabrielem prædicta B. Mariæ nativitas Christi. Per Angelum quoque Zacharias edoctus de nascituro filio Joanne.

Tertium ministerium posuere Gentiles in tutela hominis. Censorinus: *Genius est Deus, cujus in tutela, ut quisque natus est, vivit,* nempe singulis singulos custodes apponi voluere. Addebant Platonici eosdem esse testes eorum, quæ dicerentur à nobis, vel etiam cogitarentur, etiam recti hortatores, & monitores in dubiis. Qua de re sic idem Apulejus: *Ex hac sublimiore dæmonum copia, Plato autumat, singulis hominibus in vita agenda testes, & custodes singulos additos, qui nemini conspicui, semper adsint, omnium non modo actorum testes, verùm etiam cogitatorum. Ac ubi vita edita remeandum est, eundem illum, qui nobis prædictus fuit, raptare illico, & trahere veluti custodiam suam ad judicium atque illic in causa dicenda assistere; siqua commentiatur, redarguere, siqua vera dicat asseverare; prorsus illius estimonio ferri sententiam.* Socraticum postea in hoc Angelo colendo subdit post aliqua his verbis: *Socrates, vir apprime perfectus, hunc Deum suum cognovit, & coluit.* Sed hoc de Socratis genio vide etiam geminam dissertationem Maximi Tyrii.

Hæc quoque magnam habent convenientiam cum eo, quod Christiani docent, Deum nobis dare Angelos Custodes. Qua de re sunt aurea Davidis verba Psal. 91. *Non occurret tibi malum, & plaga non appropinquabit tabernaculo tuo; quoniam Angelis suis mandavit, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Super manus portabunt te, ne offendas ad lapidem pedem tuum.* Ita Angelus viæ comes fuit, qui Eliam sub junipero quiescentem, & fame, sitique prope enectum, commonuit, ut pane prunis imposito & scypho aquæ, quæ capiti dormientis apposuerat Angelus, corpus reficeret, quia iter grande, dierum nempe quadraginta, restaret, quod inter omne Elias virtute ejus cibi emensus fuit. Jubet etiam Apostolus 1. ad *Corinth. undecimo vers. decimo* ut mulier potestatem, hoc est, velamen potestatis sub viro, sive subjectionis signum, in capite habeat propter Angelos, hoc est, ob Angelorum reverentiam, qui nobis apponuntur, & sacris cœtibus læti intersunt, indecoro autem habitu offenduntur.

Ex eo etiam id evincitur, quod legimus *Act. duodecimo, vers. decimoquinto* cum Ancilla Rhode dixisset, se agnoscere vocem Petri præ foribus stantis, hi quibus illud nunciabat, dicerent: est Angelus ejus. Ut inde liqueat, communem fuisse opinionem inter Judæos, singulis hominibus Angelum à Deo custodem attributum. Nec à morte nostra hanc eorum curam cessare, indicat parabola de Lazaro, qui ab Angelis dicitur in sedes beatas relatus. Multa de hac Angelorum cura singulari legere est apud Sanctos Patres, inter eos est S. Basilius *in psal.* 48. S. Hieronymus *lib. tertio in Matth. cap. decimo octavo versic. decimo* Hilarius *in psal.* 134. Chrysostomus *in epist. ad Hebr. cap.* 1.

Vidimus, unde Gentiles agnoverint esse Spiritus, & quanta iis naturæ sit præstantia, & quam eorum curam erga homines putarint, in quo ostendimus sic satis convenire Platonicis cum Christianis, ut admodum verisimile fiat, vel ipsos, vel eos, unde doctrinam hanc didicerat Plato, partim accepisse illam ex traditione antiqua à primis Noachidis haustam, partim ubi majorem partem obliterata erat, recepisse ab Hebræis, vel Ægyptiis, aut aliis, qui eam à gente Judaïca hausissent. Nunc ad cultum venio spiritualem cujus fundamentum in naturæ præstantia, & erga homines cura posuisse eos, dicebamus.

Cultus iste vel malorum est Spirituum, vel etiam bonorum. Mali hodieque variis coluntur terris, inter alias in Oriente à Calecutensibus, qui Deum quidem mundi conditorem agnoscunt, ac *Temerani* appellant, sed eum ajunt, quò, curæ expers mundanæ, suavius vitam ageret, vicarium orbi regundo præfecisse dæmonem, nomine *Deumum*, cujus simulachrum quàm horribile habeant, & quomodo Sacerdotes, qui iis *Bramini* vocantur, sacra faciant, cognoscere licet ex Ludovico Vartomanno *lib. 5. navigat. cap.* 2. Quàm verò hic malorum Spirituum cultus sit vetustus, nec antiquiorem, nec certiorem testem producere est, quàm divinum Mosem, qui repetitæ legis *cap.* 32. *versicul.* 17. ut grande peccatum refert, sacrificatum esse *Lasthidim*, id Septuaginta vertunt *dæmoniis*. Vulgata similiter, item Vatablus, Junius, alii *dæmonibus* vel *dæmoniis*.

Est & alter locus Levit. 17. *vers.* 7. *ne sacrificetis Laschirim.* Ubi Septuaginta vertere *vanis, futilibus*, sive *non Diis.* Sed Aquila magis institit vocis proprietati. Reddidit enim, uti Arias Montanus *pilosos*, speciatim verò *Sahir* est hircus, ut Levit. 4. de quo antea. Et sane in illo etiam Levitici loco 17. *vers.* 7. per *Sahirim* hirci, per hircos, dæmones intelligunt Rab. David Kimchi *in libro Radicum*, & Rab. Moses Maimonides *lib.* 3. More Nebuchim *cap.* 47. Ac causam afferunt

afferunt, quia Satanas præcipue in hirci figura ſe ſoleat hominibus offerre. Unde Gentiles inter numina retulere Faunos, ſive Ægipanas, pro quo *Capripedes Panes* ait Propertius *lib.* 3. *eleg.* 17. uti *capripedes Satyros* Lucretius *in* 4. Nec ſane alii ab his Sileni, niſi quod *Satyri* nomen generale ſit, præcipue autem junioribus tribuatur; at *Sileni* ſint ſeniores, qui junioribus Satyris præfecti. Nec à vero abludit Satyrus unius literæ immutatione fieri à voce ea, qua Moſen uſum vidimus, nempe à *Sahir*, quo dicebamus proprie notari *piloſum*, vel *hircum*, ac metonymice dæmonem. Iſaiæ tamen 13. *verſ.* 21. ubi ſermo de Urbis excidio ſic ut in ædium ruinis habitaturi ſint furunculi, & ululæ, & *ſehirim*. Aben-Esdra, quia de ululis anteceſſit, aves intelligit horrendas locorum deſertorum. Verum Septuaginta, qui Levitici *cap. decimoſeptimo verſ.* 7. verterant, non dubitant hic *dæmonia* transferre. Ac ſatis veriſimilis eſt opinio Serarii; qui *ſuo in Tobiam commentario* cenſet lapidem ſacrificari ſolitum Chaldæis, & Hebræis adverſum dæmonem terreſtrem d ci *menos ſehirim*, hoc eſt fugans piloſos, ſive *dæmonia*.

Sane & dæmones locis gaudere deſertis, notiſſimum eſt. Unde fortaſſe Pſal. 90. ſive 91. verſ. 6. *dæmonium meridianum*, quod à meridie, hoc eſt deſerto venire. Nam Judæis deſertum eſt ad meridiem. Sequor Vulgatam, quæ ſic habet. Olim enim egebatur *veſched*, hoc eſt *& dæmonio*, quam vocem & vidimus jam ante Deuter. 32. *verſ.* 17. Sed nunc legitur *jaſchud* id eſt *vaſtante*.

Ex Gentium Scriptoribus apud nullos de Spirituum cultu tam multa reperias, quàm apud Platonicos, quorum opinio erat *Spiritus procurari certis precatibus*, ut ait Apulejus de Deo Socratis, ſatiſque hoc ex iis elucet, quæ ſuperius diximus.

Sed in quæſtione eſt, an bonos coluerint Spiritus an malos: Quin propoſitum iis fuerit, bonos venerari, non eſt cur dubitemus. Atque hæc etiam cauſa, cur jejuniis ſe bona fide præpararent. Sed pro bonis ſe mali Spiritus injecerunt. Boni enim cultum ejuſmodi, ut Dei proprium, averſabantur. Et agnoſcit Porphyrius eos quibus ſacrificarent, libamine carnium delectari, imo fumigatione, nidoreque vivere, ac pingueſcere, quæ ridicula quidem ſunt; interea tamen, cujuſmodi coluerint Spiritus, oſtendunt. Præſertim cum idem fateatur, omne id genus ſpirituum pro malo habendum, quod ſanguine capiatur victimæ, ac cogi debeat, ut faciat quæ homines velint. Firmantur hæc quoque iis, quæ Lucanus de magia cecinit *lib. ſexto* & illis, quæ D. Auguſtinus adverſus Platonicos diſſerit *lib. decimo de civit. cap. undecimo.* quæque ibidem Vives annotavit. Et ne Porphyrio inſiſtam, Platonici etiam cœteri eos invocarunt Spiritus, qui Delphico, ac cœteris oraculis, præſiderent. At hi mali fuere Spiritus, quia non rectum, ſed gentilem exegere cultum, uti ludos, lectiſternia, & alia, nunc Jovis, nunc Apollinis, nunc alterius numinis honori.

Quamobrem ita ſtatuendum, non illos invocaſſe Angelos, qui continuò vident Dei faciem in cœlis, ſed illos, ut Empedocles vocat apud Plutarchum de non fœnerando, *dæmones, qui de Cœlo deciderunt*, qui ſub imagine ſuſpenſis fœde adeo illuſerunt primis parentibus, ac nunc quoque, ſed inconſpicui immanibus ſpiris, vibrante lingua circa nos ſerpunt, ut animas veneno ſuo inficiant, ac interficiant. Hos etiam oſtendit eorum myſticum, ſive arcanum ſacrificium. Sic enim in Chriſtianorum opprobrium, quibus ita dicitur Euchariſtiæ Sacramentum, nominarunt abominandum ſacrificium ſuum, quantum colligere eſt ex ſermone illius Thracis apud Michaelem Pſellum *pag.* 18. de operationibus dæmonum. Quo in ſacrificio quandoque etiam mactabatur, dictu horrendum, infans materno exſectus utero, quod, ut legas apud Baptiſtam Carmelitam in vita S. Catharinæ, ita multo ante proditum à Lucano in 6.

Atque hic apertus eſt dæmonum cultus, præter quem alter eſt uſque adeo occultus, ut ipſi qui eum colant, neſciant, ac propterea, vel mortem potius oppetere ſint parati, quam hujuſmodi quid profiteri. Tales ſunt qui multa videre agentes alios ex pacto cum dæmone, quæ ipſi citra pactum, ſaltem expreſſum, imitentur, ſic quoque reſpondente eventu; imo & illi, qui iſta ab aliis pacti neſciis didicerunt, ac tam miranda fieri putant, non vi dæmoniaca, ſed naturæ, quippe longè potentioris, quàm vulgo credatur. Huc retulimus eos, qui verbis, aut characteribus quibuſdam ignotis, agunt, de quibus ſuo loco ſatis dictum.

Consultatio XXXIII.

De religioſo bonorum Spirituum Cultu. Apud quos is obtinuerit. Quod cultus genus Angelis conveniat. Et unde Angelicorum hæreſis nomen acceperit. De cultu divino animæ humanæ, exhibito. De ejus tranſanimatione, & migratione de corpore in corpus. De immortalitate ejus conſenſus Gentium, & rationes. Quomodo animarum cultus introductus. Quo pacto diſcernantur Lemures, Lares, Larvæ, Manes. De animarum cultu publica autoritate relatarum in Deos. Quibus is honos tributus. Alii honores divini ab heroicis. Alia.

ALatria malorum Spirituum ad venerationem venio bonorum, quos ab hominibus prius fuiſſe cultos valde eſt veriſimile. Sane Joſephus Albus *lib. tertio in Icarim cap. decimo octavo* arbitratur, hanc omnium antiquiſſimam fuiſſe Idololatriam, quod homines Angelis cultum ſtatuerint, tanquam mediatoribus, & ſequeſtris inter ſe, & Deum. Sed enim hic etiam honor univerſe damnatur Deuter. ſexto. verſ. decimotertio item 10. verſ. 20. & Matth. quarto verſ. decimo *Dominum Deum timebis, & illi ſoli ſervies.* Item ab Apoſtolo ad Galat. quarto verſ. octavo *Iis, quæ natura non ſunt Dii, ſerviebatis.* Et ut particulatim magis de Angelis dicam Apocal. decimo quarto verſ. decimo Angelus B. Joanni adorare volenti ait. *Vide ne feceris, conſervus tuus ſum.* Etiam ad Coloſ. ſecundo verſ. octavo legitur: *Videte, nequis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum.* At commate decimo octavo. *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate, & religione Angelorum, quæ non vidit, ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ.* Ex quibus ſatis conſpicimus iſtius inanis philoſophiæ exemplum ab Apoſtolo exhiberi, quando quis humilitatis prætextu non recta ad Deum, ac Chriſtum preces ſuas fundit, ſed mediatores Angelos more Platonicorum invocat.

Coloſſi, quibus ea ſcribit Paulus, Phrygiæ erat civitas, uti metropolis ejus Laodicea. In Phrygia autem, & Piſidia obtinuit hic cultus, non Apoſtolicis modo temporibus, ſed etiam tribus poſt ſeculis; unde Synodus Laodicena anno Chriſti 364. (non ut aliqui volunt ante Nicenam generalem) ſic cavit can. 35. ſive 138. juxta collectionem & interpretationem Dionyſii Exigui. *Quod non oporteat Chri-*

Christianos Ecclesiam Dei relinquere; & ire, atque Angelos nominare, & Congregationes facere, quæ interdicta noscuntur. Si quis igitur inventus fuerit huic occultæ idololatriæ serviens, sit anathema, quia derelinquit Dominum nostrum Jesum Christum, filium Dei, & se Idololatriæ tradidit. Sic legit Theodoretus, cujus verba ad memoratum Paulinæ Epistolæ locum sic latinè sonant: *Qui legem defendebant, etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes, legem per eos datam. Mansit autem hoc vitium in Phrygia, & Pisidia. Quocirca Synodus quoque, quæ convenit Laodiceæ, quæ est Phrygiæ metropolis, lege prohibuit, ne precarentur Angelos, & ne relinquerent Dominum nostrum Jesum Christum.* Atque eadem repetit *in cap.* 3.

Qui verò Angelos putant utiliter invocari, aiunt, Theodoretum loqui de invocatione istiusmodi, qua prætérito Christo, invocarentur Angeli, velut Dii, hoc est honore, qui uni Deo deberetur; videlicet volunt, bifariam ab hominibus coli Angelum. Aliis, ut natura Deum, sive ut principium primum, bonum summum. Aliis, ut Dei ministrum, cujus ope, atque auxilio facilius aliquid impetretur à Deo. Atque hoc etiam nos Origenes docet, libro octavo contra Celsum: *Angelos ex officio suo nominare docti, invenimus, propter divinitatem quandam interdum Deos vocari à Sacra Scriptura; sed non sic, ut jubeamur eos adorare, aut divinis honoribus colere, quamvis dona Dei nobis afferant. Omnia enim vota, omnes interpellationes, deprecationes, & gratiarum actiones, destinandæ sunt ad Deum, rerum omnium dominum, per majorem omnibus Angelis, summum Pontificem, vivum Verbum, & Deum.* Mens eadem Arnobio sub initio libri tertii adversus Gentes, & discipulus ejus Lactantius lib. secundo cap. decimo septimo. *Neque Angeli cùm sint immortales, dici se Deos aut patiuntur, aut volunt, quorum unum, solumque officium est, servire nutibus Dei. Itaque nullum sibi tribui honorem volunt, quorum honor in Deo est. Illi autem, qui desciverunt à Dei ministerio, quia sunt veritatis inimici, & prævaricatores, Dei nomen sibi, & cultum Deorum, vindicare conantur.* Et Augustinus de vera Religione cap. quarto, ubi cum de Sanctis defunctis dixisset, *honorandos esse propter imitationem, non adorandos propter religionem*, subjicit, idem de Angelis esse statuendum. *Quare*, inquit, *honoramus eos charitate, non servitute.* Et lib. vigesimo contra Faustum Manichæum cap. vigesimo primo, *Ipsi sancti vel homines, vel Angeli exhiberi sibi nolunt. quod uni Deo deberi norunt. Apparuit hoc in Paulo, & in Barnaba, cùm commoti miraculis, quæ per eos facta sunt, Lycaonis illis, tanquam Diis immolare voluerunt. Conscissis enim vestibus suis, confitentes, & persuadentes eis se Deos non esse, ista sibi fieri vetuerunt. Apparuit & in Angelis, sicut etiam in Apocalypsi legimus, Angelum se adorari prohibentem, ac dicentem adoratori suo: Conservus tuus sum, & fratrum tuorum. Ista sibi plane superbi Spiritus exigunt, diabolus & angeli ejus, sicut per omnia Templa, & Sacra Gentilium.* Idem *lib. primo contra Maximum, Arianorum Episcopum, & lib. decimo de civit. cap. septimo & decimo quinto ac in psalm.* 96. Adi & Chrysostomum *in epist. ad Hebr. cap. primo homil. tertio* ac Theodoretum *lib. secundo græc. affect.* ubi inter alia inquit de Angelis: *Neque verò hos Deos putamus, neque divinum illis honorem tribuimus, neque adorationem inter eum, qui vere Deus est, & Angelos partimur, sed eos honoratiores quidem hominibus, attamen conservos esse dicimus.*

Eos, qui Angelos colerent, Angelicos dixere, quorum meminit Epiphanius *hæres.* 60. & ex eo Zonaras, ac Balsamon *ad trigesimumquintum can. Concilii Laodiceni*, & si in Codice Justinianeo *lib. primo tit. vigesimo nono* qui est de offic. mag. milit. In tribus manuscriptis Ingilena reperit Russardus Jurisconsultus. Clarius verò etymon perspexit Augustinus hæresi trigesim. nona, *Angelici* in Angelorum cultum inclinati, quos Epiphanius jam omnino *defecisse, testatur.*

Cœterum sicuti Deum in Sanctis ejus recte laudamus, ita & in ministris honoramus. Nec enim æquum est sine honore præteriri ea instrumenta, quibus Numinis sui præsentiam specialiter Deus exhibet. Unde sæpius Angeli Dii nuncupantur, quia in suo ministerio, veluti in speculo, divinitatem aliqua ex parte nobis repræsentant. Nec id mirum videri debet, cùm & Principibus, & Præfectis id honoris detur, ut Dii appellentur. Quia summi Regis, ac Judicis vices in sua functione gerant. Quibus, si congruus honos propterea meritò debeatur, quanto magis Angelis, in quibus divinæ gloriæ claritas multò abundantiùs refulget? Porrò licet Angelis honor eximius deferendus sit, non tamen Latriæ cultu, qui soli Deo exhibendus est, venerandi sunt. Sed tantum cultu duliæ, ut per Azor. *par. prim. lib. nono cap. sexto quæst. quinto* & Vasquez *lib. secundo de adorat. disp. octav. cap. tertio.* Quare vana Calvini calumnia, dicentis *lib. primo instit. cap. decimoquarto numero decimo* ea, quæ solius Dei, & Christi sunt, ad Angelos transferri, superioribusque seculis Christi gloria immodicis Angelorum elogiis obscuratam fuisse.

Veniamus ad Animam humanam. Duplex enim est creatura spiritualis, utraque immortalis, sed una secundum se totam, ut Angelus; altera secundum partem sui nobiliorem, ut homo. Verissimaque hæc de animarum immortalitate sententia pro fundamento erat erronei cultus, qui iis à gentibus præstitus fuit. Nec enim persuaderi ille cuiquam potuisset, nisi qui putaret, animas à morte superesse. Mirum verò cœcas nationes plus hac parte vidisse Saducæis, qui Mosen haberent. Eò videndum, quæ potissimum in hanc opinionem Gentiles impulerint. In iis Familiam ducit traditio, quæ à Noacho & ejus liberis, ac nepotibus, quasi per manus, ad posteros devenit. Unde L. Seneca epist. 117. *Cùm de animarum immortalitate loquimur, non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium inferos, aut colentium.* Utor hac persuasione. Nec Senecæ solùm ætate sic erat, hodieque ea traditio est apud remotissimas Gentes, ut de Guineensibus varii tradidere, item de Sinensibus, in his Hugo Linschotanus de Peruanis, & Mexicanis Josephus Acosta de Virgineæ incolis Thomas Avioth Anglus.

Imo non animas modò superesse post mortem consensus Gentium fuit, sed apud multas etiam reliquiæ fuere de nova cum corporibus conjunctione quam metempsychosin, quasi dicas transanimationem, item metempsomatosin, hoc est migrationem de corpore in corpus, etiam regenerationem. Quæ non Pythagoreorum duntaxat, sed multarum etiam gentium opinio fuit, & admodum dissitarum. De Ægyptiis testis Herodotus, à quibus etiam id hausisse Pythagoram, idem tradit Zamolxis quoque juxta Julianum in Cæsaribus, idem docuit Getas, à quibus post mortem divino honore cultus fuit. In Galliis similiter Druidas sensisse refert Cæsar in *sexto.* Deque Germanis idem prodit Appianus *in Celticis.* Sed magis mirandum, quod Pharisæis quoque hoc placuit, ut peritus ejus sectæ tradit Josephus *lib. decimo octavo antiq. cap. secundo & de bello Judaico lib. secundo cap. octavo.* Imo ex multorum opinione inde est, quod Herodes

rodes, Galilææ Tetrarcha, putarit animam Joannis Baptistæ, à se decollati, insinuasse se in corpus Jesu-Christi, ut colligitur ex Matth. *decimo quarto vers. secundo.* Sed non potuit hoc Herodes putare de eo, quem non infantem, sed jam maturæ ætatis virum sciret. Ut Herodis potius opinio fuerit, sanctissimum virum, quem paulò ante ipse occiderat, divinitus, esse resuscitatum à mortuis, quique antea non fecisset miracula, nunc pro præmio hoc accepisse, quod ea instructus esset potestate.

Verùm ut fœdus ille Pharisæorum erat error in populo Dei, ita longe fœdior, quod Saducæi immortalitatem animarum tollerent, qui tamen libros reciperent Mosaïcos, in quorum initio legitur Genes. primo, v. decimosexto, *Formavit igitur Dominus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* Ubi non vita intelligi mortalis debet, qualis mutorum est animantium, sed ejusmodi, qua secernantur ab iis, ac proinde, quæ Dei instar, finem ignoret. Quippe aperte satis indicat Moses, animam hominis, non uti fit in rationis expertibus, eductam esse è potentia materiæ, sed extrinsecus advenisse, eamque immaterialem esse, ac per se subsistere idoneam, à Deo autem unitam esse, ac colligatam rei materiali, & corporeæ, atque ita formam ejus factam esse, non quatenus corpus foret, cùm nihil separabile possit esse forma corporis, quatenus est corpus, sed quatenus vitales edit actiones. Unde & Aristoteles in definitione animæ non simpliciter dicit, esse actum corporis, sed potentiâ vitam habentis. Eam autem vitam, ratione animæ, finem nescire, arguit etiam quod Genesis loco citato dicitur, Deum condidisse hominem ad imaginem suam. Quippe imago illa immortalis Dei potissimum in eo consistit, quod anima sit immortalis, ac sempiterna. Et sane nonne Enoch, & Elias translati in alteram vitam? Nec mortui dicerentur dormire, nisi aliquando essent resuscitandi. At Jacobi est Genes. 47. 30. *Dormiam cum patribus meis.* Nec (quo argumento pugnat Christus) Matth. vigesimosecundo v. trigesimosecundo Marc. duodecimo v. decimo sexto, Luc. vigesimo trigesimoseptimo, nisi animæ superessent, Deus, qui viventium, non mortuorum est Deus, se Abrahæ, Isaaci, Jacobi Deum diceret Exod. tertio v. sexto. Est & Bileami Num. vigesimotertio v. decimo *Moriatur anima mea morte piorum.* Ubi non tam tranquillam piorum mortem respexit, quàm felicitatem alterius vitæ. Nam pii sæpe misere pereunt, uti Abel ipse, qualem mortem non optasset Bileam. Mitto cæteros Scripturæ locos, præsertim novi Testamenti, quos *tom. octavo* deduxi, quando Saducæi Mosaïcos solum libros haberent pro Canonicis, & divinitus inspiratos, alios autem, etsi non rejecerint, autoritatis tamen longe inferioris putarint.

Opinio hæc Saducæorum demum cœpit post tempora Alexandri Magni, idque occasione ea, quod Antigonus Sochæus, Simeonis Justi discipulus, dixisset, non esse serviendum Deo spe præmii, aut mercedis. Hinc enim discipuli ejus Sadok, & Baithos occasionem cepere docendi, non esse post hanc vitam præmium, aut pœnam, quasi aliud voluisset Antigonus, quàm tantum in nobis esse debere divinæ majestatis, ac ipsius honesti amorem, ut nullo etiam præmii, vel mercedis intuitu, Deo bona serviremus fide, ac nihil non essemus paratissimi sustinere.

Ex Philosophis Gentium hanc Saducæorum opinionem amplexi sunt Epicurei, imò longe deteriorem. Nam Saducæi agnoscebant Deum curare res humanas, quippe eum bonis benefacere in hac vita. Epicuræi autem in totum tollebant providentiam divinam. Interea in eo illis convenit, quod putarint, animam cum corpore extingui. Eademque in sententia fuit Dicearchus Messenius, Aristotelis auditor egregius, sed qui summam fœdarit eruditionem opinione ea, quod putarit, animam vel temperamentum esse elementorum, vel nihil nisi nomen inane. Qua de re Cicero *lib. primo Tuscul. quæst.* Plutarchus *de placit philos.* Atticus Platonicus apud Eusebium *lib. decimo quinto præpar. Evang. cap.* 19. & è nostris Tertullianus *de anima cap. decimoquinto*, ubi ex medicis idem ait sensisse Andream, & Asclepiadem. Galenus quoque id similiter opinatus; eumque propterea Isidorus Pelusiota reprehendit, ac refellit *lib. quarto epist.* 125. At melius illi, qui primæ Philosophiæ semina in Græcis sparserunt. Tales, & Pherecides, qui eadem ætate, Laërtius *in Pherecide*, quinquaginta amplius Olympiadibus ante Epicurum claruere. Quorum Thalerem quidem primum fuisse, qui animas doceret immortales, inter alios prodidit Chærilus poëta apud Laërt. *in Thalete.* At Cicero *in* 1. *Tuscul. quæst.* ait, Pherecidem primùm hoc docuisse, posteaque hanc opinionem maxime confirmatam à Pythagora, ejus discipulo. Plutarchus quoque *in* 1. *de plac. Philosoph.* docet, heroes Thaleti & Pythagoræ esse *animas à corporibus separatas, bonorum quidem bonas, at malorum malas.*

Subjungit deinde Plutarchus, idem de heroïbus Platonem sensisse, & Stoïcos. Quorum Plato aperte immortalitatem animæ docet in Phædone, Phædro, Philebo, Timæo, Menone, libris de Republica, item ad Siracusanos, & alios epistolis. Puta quia sit spiritualis, & ut Plato loquitur, *se se movens.* Qua voce quid voluerit, optime exponit Alcinoüs de doctrina Platonis cap. 25. *per se mobilem ait animam, quoniam innatam habet vitam, sua vi operantem.*

In Platonis etiam sententiam proclivior est Aristoteles. Utcunque enim in primo de anima reprehendat illud *per se mobile*, tamen non aliud ipse docet, moreque suo in magistro magis impugnat, quod dixit, quàm quod sensit. Atque hoc jam olim vidit Albertus Magnus *lib. de orig. animæ*, liquidius vero demonstratum iis, qui in Platone & Aristotele conciliando operam posuerunt. Ac vel sola id evincit Alcinoi interpretatio, quam proxime adduximus. Esse autem animam spiritualem & separabilem à corpore, non uno loco traditur ab Aristotele, uti *tertio de anim.* ubi eam ait textu quarto, *passionis esse, ac mixturæ expertem.* Pulcherrime etiam ibidem ait textu septimo *sentiendi actus non est citra corpus, sed mens ab eo est separabilis.* Item textu 19. & 20. *Animus solus est separatus, quicquid est: & hoc solum est immortale, & sempiternum.* Quibus similia habet eodem libro textu sexto v. decimo quinto 18. 51. item in primo textu 65. & 66. item 82. & 92. & secundo textu undecimo & vigesimo primo ejus operis. Præterea his consentaneum est illud lib. secundi de animalium generat. cap. tertio *Solam mentem extrinsecus advenire, divinam esse solam, neque cum ejus actione, actionem corporis ullam habere communem.* Etiam in duodecimo. metaph. textu 17. & 51. leguntur, quæ idem confirment. Ut mirum sit, Alexandrum Aphrodiseum contrariam opinionem magistro tribuisse, uti & ab Ænea Gazæo *in Theophrasto* factum. E junioribus autem à Petro Pomponatio *lib. de immortal. animæ* & Simone Portio *lib. de mente humana.* Sed istis à multis est occursum. Pomponatio quidem à Contareno lib. de animæ immortalitate, sic tamen, ut nomini Pomponatii parcat, Portio autem à Marco Antonio Natta libro ejusdem argumenti, & Jacobo Antonio

tonio Marta apologia contra Portium, utrique verò, sed prius Portio, postea præceptori suo Pomponatio, ab Antonio Mirandulano *lib. 25. singularis certaminis, & quinque sequentibus.* Post quos alii etiam argumentum hoc tractarunt, in his Jacobus Naclantus, & Julius Castellanus, ut prætereeam eos, qui in Aristotelis libros de anima scripsere.

Complurium tamen opinione non multo melior Aristotelis opinio fuit. Utcumque enim illam censeat esse formam substantialem, nec suam debere originem elementis, putant tamen eam statuere interitui obnoxiam, atque hoc inter cœtera eo colligunt, quia ex opinione ejus mundus sit æternus, & nihil sit actu infinitum. At si animæ sint immortales, eædem sint infinitæ, & quia aliæ addunτur quotidie, majus aliquid, imò infinitis partibus futurum sit majus ipso infinito. Quæ plane sunt inconsistibilia. Neque aliter huic argumento occurrere potuit Durandus *in secunda sent. dist. decim. octav. quæst. tertia numero nono* quàm dicendo, Aristotelem, dum non satis circumspectè quædam tradit, nec attendit, quid ex quoque consequatur, pugnantia docuisse. Ac' placuit idem responsum Gregorio de Valentia *disp. sexta gener. de hom. quæst. prima de essentia anima pun. tertio numer. secundo.*

Etiam secundum Aristotelem, ex nihilo nihil fit; eoque & anima generatur. At quicquid generatur, hoc ex ejusdem sententia *libro primo de Cœlo textu* 102. corrumpitur, atque, ut principium, ita finem habet. Cui itidem difficile occurritur, nisi vel fateamur, animas putasse mortales, vel secum pugnare. Præterea Justinus martyr cohortatione ad Græcos, ait animam ab Aristotele vocari Entelechiam, atque inde colligit, esse mortalem. De quo nihil statuere possumus, nisi quid entelechia sit, sciatur.

Si Ciceronem *lib. primo Tuscul quæst.* audimus Entelechia fuerit continuata quædam motio, & perennis. Sed Joannes Argyropytus vehementer increpare solet Ciceronem, quod non distinxerit inter endelechiam, & entelechiam, licet diversissima, cum endelechis sit assiduus, continuus, entelechis perfectus. Sic autem vocatur non energia, sive actus, vel actio, quomodo interpretatur quoque Theodoretus *lib. quinto græcan. affect.* Sed forma essentialis, nempe quia hæc ea est, quæ adferat rei perfectionem, sive finem ultimum. Idem autem sunt finis ultimus, & forma. Sed finis dicitur priusquam obtinetur, forma, ubi jam introducta. Mirum à Politiano *lib. primo miscel. cap. primo* tam studiose defendi manifestum Tullii errorem, longeque rectius de isto Budæus *lib. 1. de asse.*

Sententia igitur hæc Justini Martyris fuit: si nihil aliud est anima, quàm forma corporis viventis organici, cùm corpus pereat, etiam animam interire. Nam forma, nonnisi ratione separatur à materia, ut Aristoteles ipse ait *lib. quarto physic. textu duodecimo & lib. quarto textu decimo septimo.* Multoque hoc magis consequitur, si per entelechiam intelligamus actum, sive operationem. Et sane etiam Gregorius Nazianzenus *orat. prima de Theologia, sive orat. 33.* damnat in Aristotele hæc duo, *providentiam exiguis limitibus circumscriptam, & mortales de anima sermones.* Ubi per priorem errorem intellige, quod, ut pluribus hoc explicat Theodoretus in quint. græcan. affection. *terrarum orbem divina providentia exortem facit. Ait enim ad Lunam usque divinam ordinationem proferri, cœtera verò fato esse subjecta.* Loquitur autem de fato naturali, sive naturæ necessitate, quo de Aristotelis errore alibi dictum. Jam quod ad alterum attinet errorem, ibidem Theodoretus de illo quoque consentit Nazianzeno, nempe quod seaserit Aristoteles, *animam esse mortalem.* Similiterque de Philosopho hoc judicat Caietanus *lib. tertio de anima cap. 2.* ut prætereeam Plutarchum *lib. quinto de placit. philosoph. cap. primo* atque alios superius adductos.

Non pauca tamen in Aristotele leguntur, ut vidimus, quæ contrarium docere videantur. Sed exigui ea momenti erunt, si Philosophum fluctuasse in isto dogmate, nec satis secum semper consentire, dicamus, ut Scotus *in quarto sent. dist. 43. numer. secundo*, Hervæus *quodlib. primo, quæst. undecima* aliique voluere. Ac sunt, qui mediam insistentes viam, putarint dubiam fuisse Aristotelis sententiam, ut idem Scotus, Hervæus. Niphus. Propterea tamen, quæ ante adduxi in meliorem censeo sententiam magis inclinasse.

Magis consentanea illi tradiderunt, qui cùm animas putarent æternas, easdem credidere cœlitus in corpora descendere. Sic à Diis in mundum dimitti, tradidit Taurus, deperdito in Timæum Platonis commentario. Etiam Plotinus, Porphyrius, Amelius animam Cœlo derivarunt, Heraclides Ponticus è Galaxia, nonnulli ex sphæris omnibus, alii è locis circa Lunam, vel sub Luna, ut de singulis istorum in Eclogis Stobæi physicis legere est. Qui omnes, etsi valde errarunt, tamen ideo sunt laudandi, quod licet Gentiles, animas tamen crediderint esse immortales.

Homini Christiano id etiam pro fidei est fundamento. Nec enim pro Christianis sunt habendi Thnetopsychitæ, quos molli nimis nomine inter hæreticos refert Damascenus *lib. de hæresib.* Hi circa annum 530. eodem teste, *hominum animos pecudum animis similes inducunt, atque eos unà cum corporibus dicunt interire.*

Multis partibus levius peccarunt, qui circa annum Christi 249. animas non minus, quàm corpora, perire putarunt; attamen extremo resuscitari judicio. Hi *Arabici* vocabantur, cumque ingens eorum causa convenisset Concilium in eo omnes ad fidem rectam ab Origene sunt conversi. Vide de illis Eusebium *lib. 6. hist. Eccles. cap. 37. latine cap. 30.* Augustinum *hæres. 83.* Rufinum *cap. 27.* Nicephorum *lib. quinto cap. vigesimotertio.*

Fuerunt etiam, qui agnoscerent, animas à morte semper superesse, sed certissimam veritatem mirifice incrustarent, qualis ex Christianis Philosophis Joannes Philoponus fuit. Secundum eum tres homini animæ sunt, ac primo quidem ex crassiori genitura enascitur anima vegetativa, per quam homo vivit vitam plantæ. Deinde elaborato jam corpore ex sanguinis portione subtilissima enascitur spiritus, qui sit sedes, & vehiculum sensus. Postremo Deus creat animam rationalem, quæ foris adveniens, cum vegetativa, & sensitiva sociatur. Sed homine moriente pereunt duæ priores, rationalis autem perennat, dispari tamen conditione. Nam animæ impiorum pœnis destinantur. Incorporeum quidem non patitur à corporeo, sed subtili hæ vestiuntur spiritu in quo pro affectuum ratione, quibus peccarunt, pœnas sufferunt. Durant hæ, donec corpus sit consumptum. Interea errant circa sepulchra', & variis se ostendunt figuris, spiritusque nutritur vaporibus, quos is spongiæ instar attrahit. Corpore autem consumpto, anima censetur expiata, eoque subvolat in Cœlum, sive in stellam suam, ut in ea piarum instar animarum vivat.

Quæ omnia sunt à mente Aristotelis aliena, pleraque etiam falsa. Nam quale illud, quod spiritum ait esse subjectum sensus? Qui potius instrumentum est animæ sensitivæ. Aliter si esset animatus foret, atque ita anima fuerit forma

corporis

corporis similaris, non organici. Illa quoque de tali purgatione animæ nec ratione naturæ sunt subnixa, nec Scripturis, nec traditione Ecclesiastica. Quod creari, ait animas, fatemur, non tamen id Gentiles videre, quibus ex nihilo nihil. Æternitatem etiam recte statuit, sed an Peripateticum hoc sit, jure ambigitur, uti jam dictum. Illud quoque expendi meretur, quod ait, tres inesse homini animas, ubi explicari oportuit, quod & male Platoni neglectum, Aristoteles ait *lib.* 1. *de anima*, quomodo uniantur. Etsi animarum una ante aliam pereat, exempli gratia, vegetativa ante sensitivam, nonne futurum, ut homo sentiat, nec nutriatur? Propter quæ Aristoteles censuit, unam homini esse animam, sed ejus tres esse partes, sive facultates, à parte autem principe denominari rationalem, quæ sensitivam, & vegetativam comprehendit, uti circulus quadratum, & triangulum.

Fuere tamen ex Theologis Christianis, qui hominem dividerent in substantias tres; Corpus, Animam, & Spiritum, ac secundum hos anima est rationis expers, Spiritus est mens, quam dicimus animam rationalem. Atque hi afferunt pro se illud Pauli 1. ad Thessal. cap. 5. *Ut integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela, in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur.* Ubi Didymus quoque *lib.* 3. *de Spiritu Sancto*, per Spiritum intelligit animam rationalem, per animam autem, solam sensitivam. Ac meminit ejus interpretationis quoque Hieronymus *Epist. ad Edibiam.* Etiam eo se tuentur, quod pugnent inter se potentia sensitivæ animæ, quæ *Carnis* nomine vocatur, quia carni grata appetit, & potentia intellectualis, quæ *Spiritus* dicitur.

Atque eò referunt hoc Pauli ad Galat. 5. 17. *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem.* Varia etiam ex Sanctis Patribus pro hac opinione afferuntur à viris eruditis, sed quædam infirmiora. Adducit Robertus Parkerus lib. 2. de descensu Christi ad inferos sect. 47. Tertulliani illud lib. de carne Christi cap. 42. *Secunda anima in morte plaga partem illam, quæ est nobis cum brutis communis, illi eripit.* Ubi per *partem* intelligere facultatem licet. Sic enim Aristoteles loqui solet. De sola etiam facultate, non anima distincta, capere possumus, cùm Gregorius Nyssenus lib. de anima, ac resurrectione, interire ait *irascibile*, & *concupiscibile*. Sed solidiora videntur, quæ adducuntur ex Justino Martyre *dialogo cum Triphone pag.* 173. *edit. Commel.* ubi abeunte spiritu, superesse animam negat. Sed ex iis, quæ antea dixerat, de sola impiorum anima loqui constat. Item ex Irenæo *lib.* 5. *cap.* 6. quo loco animam & corpus, ait esse adiaphora; at Spiritum semper esse bonum. Ac propterea etiam Hieronymus in 5. ad Ephes. in illud vers. 14. *Surge qui dormis*, dicere non veretur, se Spiritus mortem nequaquam legere, animæ non semel. Parkeri loco memorato, & aliorum quorundam opinio est, non aliunde facilius exsolvi, quæ de mortalitate animæ objectantur è Scripturis Ecclesiast. *cap.* 3. *vers.* 19. & 21. quæ ex persona impiorum dici mavult D. Thomas 1. *p. quæst.* 75. *art.* 6. *ad* 1.

Putant etiam, Pythagoræorum metempsychosin non multum continere absurdi, si non aliud per eam intelligatur, quàm sicut corpora ex elementis composita in sua abeunt principia, ita & animam illam, communem nobis cum mutis animantibus, in suam abire materiem. Nec leve interim huic sententiæ præjudicium affert, quod veterum alii hanc damnarint sententiam in Jacobo Syro, eo, à quo Jacobitæ sunt denominati, ut ait Damascenus de hæresibus. Eumque Monophysitam, sive Eutychianum fuisse, ait Nicephorus Callistus *lib.* 18. *hist. Eccles. cap.* 3. Dogma autem antea memoratum in eo damnat Gennadius Massiliensis *lib. de Ecclesiast. dogmat. cap.* 15. his verbis: *Neque duas animas esse dicimus in uno homine, sicut Jacobus, & alii Syrorum disputatores, scribunt, unam animalem, qua animetur corpus, & quæ immixta sit sanguini, & alteram spiritualem, quæ rationem ministret; sed dicimus unam esse, eandemque animam in homine, quæ & corpus sua societate vivificet, & semetipsam sua ratione disponat, habens in se libertatem arbitrii, ut in sua substantia eligat cogitatione, quod vult.*

Miretur aliquis, eam in Jacobo Syro damnatam fuisse opinionem, quæ non paucorum, nec incelebrium fuerit ex antiquis. Sed sic fere fit, ut sententiæ vel veræ, vel tolerabiles subinde damnentur, ubi illis homines uti cœperint ad gravem firmandum errorem. At Jacobus ille, ut dixi, Eutychianus fuit; unde conjectura, sic eum argumentari solere: Quemadmodum in homine duæ sunt animæ, una rationalis, irrationalis altera, eæque in unam coalescunt naturam, sic in Verbo, in unam misceri naturam, divinam & humanam. Et suspicio est Gregorii de Valentia *tom.* 1. *disp.* 6. *qu.* 2. *pun.* 3. quando Concilio Constantinopolitano 4. quod habetur œcumenicum 8. pro Ignatio id, cultuque imaginum contra Photium anno 869. celebratum fuit, itidem hæc de duabus animabus opinio damnata est; non tam id factum esse odio hujus sententiæ, quàm quia abuterentur ea Manichæi ad hæresim suam fulciendam, quæ istiusmodi erat: Duo esse principia, unum boni, Deum bonum, mali alterum, diabolum; ac à bono quidem Deo esse animam rationalem, à diabolo autem corpus cum anima sensitiva. Verba Concilii sunt ista Act. 10. can. 10. *Cùm vetus, novaque lex testamenti doceat unicam homini, ratione, intelligentiaque pollenti, esse animam, eandemque sententiam Patrum omnium, & Doctorum sanctorum Ecclesiæ doctrina firmet. Sunt tamen, qui dicant, duas homini esse animas, & quibusdam vitiosis ratiocinatiunculis sectam stabiliant, sancta hæc, & œcumenica Synodus hujus impietatis conditores cum tota secta sua anathemate damnat, exertaque voce dicit: quicumque posthac contraria senserit, anathema esto.* Sive autem huc respexerit Concilium, sive secus, saltem eo attendit Augustinus, quando in Manichæis hanc de duabus animabus opinionem tantopere rejicit, quod videre est *libro de duab. animab. contra Manich. cap.* 14. & *lib.* 6 *contra Faustum cap.* 8. & *lib.* 10. *in Genesin ad litt. cap.* 13. Et nihilominus, licet Synodus illa contra Græcos celebrata, pro universali Romana censeatur Ecclesia idem Valentia opinionem contrariam non habet pro manifesta hæresi, sed cautius istum in modum scribit loco citato. *Itaque unicam esse tantum in homine animam, vel est dogma fidei, vel fidei proximum, ut sine maxima temeritate nequeat contrarium asseri.*

Tutius interea videtur, unam statuere animam rationalem, quæ sensitiva quoque, & vegetativa virtute prædita sit. Quippe Scriptura sic loqui amat, ut in illo Matth. 4. 28. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Ubi videtur solum corpus statui corruptibile; animaque omnis humana, sensitiva quoque, & vegetativa, incorruptibilis dici. Etiam Genes. 2. 7. legimus: *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* Hebraicè est, *nismath chaiim*, quod est *spiraculum vitarum.* Unde Caietanus argute colligebat, unam esse animam triplici vivendi gradu præditam. Nam una, inquit, anima, quia *spiraculum* non *spiritus* dicitur. Id vero spiraculum non solum vitam continet rationalem, sed etiam duos inferiores vivendi gradus, quia non vitæ, sed vitarum est in Hebræo.

Anima igitur hominis una est, eaque immortalis. Quod cum Scripturis testatissimum sit, mirum sane, à nonnullis reponi in dogmatis, quæ nesciremus, nisi sic Ecclesiæ definiisset autoritas. Hoc solum enim Scripturis cognosci putant, animas post mortem superesse, ut ex eo, quod Christus latroni ait Luc. 23. 43. *Hodie mecum eris in Paradiso.* Item quod *Matth.* 10. dicitur, homines non posse animam occidere, quasi in solum corpus vim habeant. Ad hæc cùm *Luc.* 10. refertur

animam Lazari fuisse in sinu Abrahæ, divitis Epulonis apud inferos. Tam præcipue, quod Apostolus 1. *Thess.* 5. 23. ut perfecta sit immortalitas, fore spondeat, ut toti, anima pariter ac corpore, cœlesti beatitudine perfruantur. Hisce, inquiunt, ac similibus aliquot locis significatur, animam à morte superesse; sed semper superfore, id non aliunde scimus, quàm authoritate Ecclesiæ, in qua *ubique, semper, & ab omnibus* sic creditum fuit. Quia id, in quo omnes consentiunt, à natura est. Quod autem à natura est, à Deo quoque ejus autore est, qui nec decipit, nec decipitur. Sane sacrosancta mihi eorum authoritas, ubi tria hæc concurrunt. Nihilque apertius, quàm id definitum esse Concilio generali 6. *act.* 11. ubi approbatur Epistola Sophronii, Patriarchæ Constantinopolitani, recitata *in act.* 11. Quomodo etiam immortales sint, additur. Verba sunt tom. 3. Concil. pag. 55. & 56. edit. Colon. 1606. *Sic hominum animæ permanent inconcussæ, sic Angeli immortales perseverant, non naturam revera incorruptam, proprieve immortalem habentes essentiam, sed gratiam à Deo sortiti sunt, quæ immortalitatem largitur, & incorruptionem eis providet.* Quæ & mens Irenæi *lib.* 2. *cap.* 64. Sed enim hoc dogma è Scripturis etiam cognoscitur. Nam Lucæ *cap.* 20. *n.* 36. legitur, eos, qui ad vitam resurgent, mori amplius non posse, quia sunt futuri *Angelis æquales.* Atque idem tot in locis docemur, quibus æterna post hanc vita promittitur piis, ut Joan. 10. 18. *Ego vitam æternam do eis.* & 17. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Similiter ad Rom. 6. 23. *Donum Dei est vita æterna in Christo Jesu Domino nostro.*

Diximus hactenus de traditione primæva, & sententiis veterum Philosophorum, pauca subjungam de rationibus, quibus Naturæ etiam luce Gentiles cognovere, animas corporibus superesse, atque adeo esse immortales. At quia multa sic certò, & evidenter nota publico naturæ testimonio, non semper sunt demonstrabilia ab intrinseco, defectu medii, quia illo carent, vel licet habeant, illud tamen nos latet, hinc est difficultas, an hæc de immortalitate animæ veritas possit insuper naturali ratione demonstrari. Aliqui enim, etiam Doctores Catholici, ut Scotus *in* 4. *sent. dist.* 43. *qu.* 2. & Caietanus *in exposit. super cap.* 3. *Ecclesiastici* id negant. Alii verò affirmant, imò præfatos autores, eorumque sequaces tanquam parum in hoc prudentes, ac de Christiana Religione, totaque Theologia haud bene meritos reprehendunt, quod dum animæ humanæ immortalitatem nulla ratione certa probari, sed sola fide Divina credi posse contendunt, non animadvertunt, seipsam Christianorum de tali veritate fidem labefactare, cùm ista Fides vix ulla esse possit, aut certe hominibus persuaderi, nisi illa eadem animæ immortalitas, tanquam certa per modum præambuli supponatur, sicut nec possumus divinæ authoritati credere, fidemq; adhibere, quin prius jam certi simus, Deum esse, qui nec falli queat, nec fallere, quique rem illam, cujus fidem sua autoritate à me exigit, revelaverit, credendamque proposuerit. Ac quæ Platonem quidem impulerint, docet Marsilius Ficinus *in Theologia Platonica de immortalitate animæ, quam libris duodeviginti ad Laurentium Medicem perscripsit.* Præcipua tamen ante complexus fuit Alcinous *de doctrina Platonica cap.* 25. Sunt alia aliis magis verisimilia. Invictum illud immortalitatis argumentum, quod anima sit per se mobilis. Putidum autem, falsumque, quod scire nostrum nihil aliud sit quàm reminisci, eoque necesse sit, fuisse animas, priusquam in corpore immittantur.

Primum autem Providentiæ dabo Divinæ, cui repugnat, ut in hac vita bonis male, malis bene sit, nec post hanc vitam vita sit altera, ubi proborum animæ consequantur mercedem, improborum illæ justas luant pœnas. Robur hujus argumenti attendit Dionysius Halicarnassensis *Antiquit. Roman. lib.* 8.

Alterum argumentum est, quod anima naturæ sit spiritualis, in qua nulla est pugna primarum qualitatum, cujusmodi pugna corruptionis est causa. Nec obstat, quod Stoici per Spiritum intellexere corpus igneæ naturæ. Nam iis Deus quoque est corpus spirituale, ac igneum, idque proprie, non per translationem, quomodo Prudentius Cathemer. 10. ait. *Deus ignee fons animarum,* quod proprie aliquis è porticu acciperet. Nec magis movet, quod multi, etiam è veteribus Theologis nostris disertim animas dicunt corporeas, ut Faustus *de creat. lib.* 2. Paschasius Diaconus *lib.* 2. *de Spiritu Sancto.* Imo omnes illi, qui Angelos corporeos statuerunt. Quippe hi, ut vidimus, solum corporeas credunt, comparatione Dei, ut & Sixto Senensi monitum *lib.* 6. *annot.* 36.

Et sane non esse animas ex elementis, quod Alexander Aphrodiseus existimabat, ex mirandis ejus effectis relucet. Longe enim illa excedunt omnem elementorum vim, ut quòd ea intelligit præsentia, præscit futura, liberè eligit, aut respuit, ingenito appetitu semper scire desiderat, scientiaque illa perfici se sentit, se se etiam momento omnia circumfert, imo nullo terrarum spatio, nec cœlis ipsis circumscribitur, ea ipsa excedens ad universi, suique auctorem ascendit.

Sed imprimis magnum habet pondus ratio, quam è Platone, & Aristotele antea attigimus. Tanti verò est, ut nunc aliquantum ei, ut recepimus, immoremur. Si anima ejusmodi est corporis humani forma, ut per se, sine corpore, possit operari, habebit in se se principium agendi. At omnis agendi vis fluit ex vi, qua res est. Habebit igitur & in se principium, quo sit, ac proinde principium illud habebit, licet à corpore separetur. Unde consequitur duplicis animam esse naturæ, ut actus est corporis, & ut substantia est separabilis. Priori modo considerata exercet actus corporales per corpus. Posteriori modo circa corporis organum munia obit spiritualia, estque separabilis, ac sempiterna. Quod autem separata non operetur actus corporales, defectu non animæ fit, sed organi, ut similis sit fabro, qui caret malleo. Interim eos exserit actus, ad quos non opus est corporis instrumento.

Vim argumenti hujus etiam vident, qui animam negant superesse corporibus; sed non hoc admittunt nobiscum, animam ejus esse naturæ, ut agere possit sine corpore. Volunt enim, nihil esse in intellectu, quod non prius fuerit in sensu, inque formandis conceptibus opus esse phantasmatis, tum in speciebus recipiendis, tum in harum usu. Sed neque nos negamus, animam sensibilia omnia materialiter, ac cum phantasmate apprehendere; sed contendimus, dijudicare ea immaterialiter. Quippe quæ sæpe statuat contra judicium ejus, quod sensui apparet. Ut cum ratio, sive intellectus decernit, stellam esse multis partibus majorem Orbe terrarum. Item cùm discernit immaterialia à materialibus, inque iis ipsis, quæ materiem habent secernit colorem, figuram, ac similes rei corporalis ac sensibilis affectiones. Nec in solo hæc intellectu apparet, sed etiam in voluntate, ut cùm ea voluptates ac sensibus grata repudiat, contraque eligit iis ingrata, adversaque, quale est cùm exquisitissimis deliciis cilicium præfert, ac jejunium.

Idem aliter quoque evincitur. Nam si intellectus solum considerat sensibilia, & caduca, unde in nobis cogitatio de divinis, ac Spiritualibus? Unde eorum amor, ac desiderium? Si enim omnes nati essent cœci, vel surdi, quis cogitaret de coloribus, aut sonis? Nunc nulla re magis oblectatur animus humanus, quàm speculando Deum, tanquam rem optimam, & pulcherrimam, item Intelligentias, sive Angelos. De immortalitate etiam sui disquirit, hanc sperat, optatque, imo in optimis, ac sapientissimis quibusque pro indubia habet. Quid igitur apertius, quam esse in nobis principium spirituale

spirituale, ac sempiternum, unde actus isti promanent?

Atque hæc etiam assequuti sunt Gentiles, longe verò ea certius prospiciunt, qui Deum colunt Israelitis, Christoque nomen dederunt. Nobis quoque in hac etiam vita esse actus intellectus, qui à sensibus non dependeant, liquet ex revelationibus illis, quæ intellectuales dicuntur. Explicant hanc rem Tostatus cùm alibi, tum *lib.* 1. *sive* 3. *Reg. cap.* 9. *q.* 2. ubi quadruplicem Dei apparitionem declarat. Primus est, cum Deus, sive Angelus ejus videtur in figura adsumpta, quomodo apparuit Gedeoni *Iud.* 6. Item Manue, & uxori ejus, *Iud.* 13. Alter est, cùm non videtur, sed solum auditur, quo pacto Deus solum auditus Israelitis, cum legem daret, ut est *Exod.* 20. *Deuter.* 5. Item cum Mosi loqueretur de Propitiatorio, ut est *Num.* 7. cùmque ter vocaret Samuelem, is vero ab Heli se vocari arbitraretur, de quo 1. *sive* 3. *Reg. cap.* 3. Tertius modus est, quando visus quidem & auditus excluduntur, at non interior imaginationis sensus, velut cùm vigilantium phantasiæ se insinuat per simulachra, vel etiam idem facit somno oppressis; unde num. 12. 6. *Si quis est Propheta Domini inter vos, aut visione apparebo ei, aut per somnium loquar ad eum.* Atque huc referuntur apparitiones, quæ noctu factæ dicuntur, ut Abimalecho Regi Gerar, *Genes.* 20. Jacob in Ægyptum eunti, *Genes.* 46. Danieli, *Dan.* 7. Quartus verò solus est hujus loci, cùm non exterior modò, sed interior etiam sensus excluditur, Deo elevante intellectum ad ea cognoscenda, quæ aliter nequeat intelligere. Quod cùm fit, partim species, quas Deus invenit in intellectu, nova luce afficit, inque sublimiorem statum effert, partim, quas non invenit, creat, & infundit.

Atque is quartus modus Tostato est duplex. Unus citra extasim, sive raptum, alter cum extasi. In priori homines vivere apertum est, imo & exterius videre, & audire; interim ad ea, quæ interius revelantur à Deo, non indigent corporis subsidio, quia Deus solum occupet intellectum. Contra quàm fit in communi ratione intelligendi, ubi primum res incurrit in sensus, hinc species transmittitur ad phantasiam, tum dirigitur ad intellectum agentem, qui abstrahit à conditionibus materiæ, atque intelligibiles efformat species, quas ubi sic præparavit, intellectui possibili offert, ut qui intellectus erat potentia, fiat intellectus actu. At in revelatione Dei intellectuali non sunt hi gradus, sed Deus primò se insinuat in intellectum, qui citra sensuum auxilium loquentem audit, sive intelligit Deum.

Talis est revelatio intellectualis citra extasim. In ea verò quæ est cum extasi, minus etiam sensuum ullum est ministerium. Siquidem intellectus sibi relinquitur, nec sensibus vel externis, vel internis magis juvatur, quàm si extra corpus foret. Solus animus hoc præstat, ut tum vitam conservet, tum divina revelatione se occupet, à cœteris verò occupationibus vacet. Unde est, quod Apostolus 2. *Corinth. cap.* 12. *v.* 2. 3. 4. ad tertium raptus cœlum, nescierit, utrum in corpore, an extra corpus, raptus foret in paradisum. Interea, ne miracula frustra multiplicentur, aliquanto, ut arbitror, verisimilius est, animam non excessisse è corpore, sed solum virtute divina ad contemplanda cœlestia fuisse elevatam. Sed, ut ea in corpore remanserit, non tamen per sensus corporeos, & phantasmata vidit, quæ divinitus offerebantur; alioqui, se esse in corpore, Apostolus scivisset. Atque sufficiant ad probandum, posse animam sine corporis instrumento intelligere ac velle. Aliquando ulterius provectus sum ad extasin Sanctorum, sed ut eam nescierint Gentiles, scivere actus alios antea memoratos, qui cum corpore non communicent. Atque id præter consensum Gentium, abunde erat, ut viderent, verissimam esse traditionem de animæ immortalitate.

Quare, ut lumine naturali eo usque non pertingeremus, constaret tamen hoc traditione, quam in Gentibus, etiam Barbaris, Divina providentia conservavit. Jam quanti illud, quod natura animæ sit hujusmodi, ut à nulla re creata dependeat, sed à solo Conditore, quem extinguere eam velle, credibile non est, præsertim cùm magis ejus bonitati conveniens sit, ut hanc velit similem sibi reddere quatenus naturæ illius conditio id ferat. Et sane in animæ similitudine cum Deo, ad quam immortalitas etiam pertinet, jam olim felicitatem hominis posuere Plato, & Pythagorici.

Nihil verò attinet alia etiam repetere, quæ de immortalitate animæ, An sit de fide, ac de pœnis in eam negantes diximus *tom.* 8. Dignitas hujus argumenti, & dogmatis necessitas, præsertim impiis hisce temporibus, fecit, ut & ista adderemus. Etenim absque immortalitatis animę persuasione censuerunt non solum sancti Patres, sed etiam qui apud Gentiles habiti sunt Sapientes, Poetæ, ac Philosophi omnem Religionis cogitationem, curamque inanem esse. Pro omnibus sufficiat Augustinus lib. de util. cred. cap. 7. *Nemo*, inquit, *dubitat eum, qui veram Religionem requirit, aut jam credere immortalem esse animam, cui prosit illa Religio, aut etiam idipsum in eadem Religione velit invenire. Anima igitur causa omnis Religio; nam corporis natura quoquomodo se habeat, nullam curam, ac sollicitudinem incutit ei, præsertim post mortem, cujus anima tenuerit, quo beata sit. Animæ igitur causa vel solius, vel maxime vera, siqua est Religio constituta est.* Et cap. 13. non minus hanc de immortalitate animæ, quàm de existentia Dei suppositionem ad veram Religionem quærendam, & amplectendam docet. Quid enim homini cum vera Religione, si mortalem habeat animam, indeque sit incapax aut bonorum, quæ illius cultoribus, aut malorum, quæ illius contemptoribus post hanc vitam in æternum obvenire possent?

Quæ utrobique diximus multum & lucis, ac roboris capient, si adeadur è Gentium scriptoribus Marcus Tullius *extremo Catone suo, sive de Senectute*, item Proclus *in Alcibiadem*. Ex Christianis autem consulatur Gregorius Nyssenus *de anima & resurrectione*, Augustinus *libro, quem de immortalitate animæ inscripsit*, & Æneas Gazæus *in Theophrasto libro ejusdem argumenti*. Habes & eodem pertinentia apud antiquiorem eo Claudianum Mamertum Viennensem *libris tribus quos de statu animæ adversus æqualis sui Fausti, ejus, qui Massiliensibus seu Semipelagianis favit, de creaturis libellum ad Sollium Apollinarem reliquit*. E junioribus seorsum hoc argumentum tractarunt Nicolaus Leonicus Thomæus, Ludovicus Vives, *carmine* item Aonius Palearius, Benedictus Pererius *lib.* 6. *de rer. natur. princip. cap.* 18. ut de Gregorio Valentia *cit. tom.* 1. *disp.* 6. *quæst.* 2. *pun.* 2. taceam, & tot aliis, qui superiori vel seculo hoc scripsere in partem primam D. Thomæ.

Ab immortalitate animæ venio ad ejus Cultum, qui septimum obtinet locum in decem Idololatrici honoris generibus, ab Isaaco Abravanel recensitis. Triplex verò de hoc cultu opinio est. Nam, si exceperis, qui solum Israelis Deum colerent, cœteri vel adorabant naturales Deos, non animales; vel animales, non naturales; vel in unum conflabant cultum utrumque. Naturales autem appello, quando vel tota rerum natura, vel ejus pars, aut affectio invocatur; cujusmodi Dii sunt, Mundus, Æther, Sol, Aër, Aqua, Tellus, Amor, & similes. Animales nuncupo animas à corpore solutas, uti illas Herculis Thebani, Castoris, Romuli, Julii Cæsaris, atque alias.

Primi generis cultus erat Persis, saltem antiquissimis, quos Naturam quidem, ejusque partes, non tamen defunctos, adorasse, cognoscimus ex illis Herodoti verbis in primo, *non uti Græci, Deos censent ex homini-*

hominibus esse ortos. De Afris idem in 4. *Sacrificant solis Soli & Lunæ.*

E contra solas defunctorum animas Augilæ agnoscebant, gens Africæ inter Garamantas, & Troglodytas, de qua sic Pomponius Mela lib. 1. cap. 8. *Augilæ Manes tantum Deos putant, per eos dejerant, eos ut oracula, consulunt, precatique, quæ volunt, ubi tumulis incubuere, pro responsis ferunt somnia.* Eumque sequutus Plinius lib. 5. hist. natur. cap. 8. *Augilæ inferos tantum colunt.* Ubi per *inferos* intellige, quos *Manes* dixerat Mela, eum enim expressit. *Inferi* autem dicti, ut Græcis, *Dii infernales*. Itaque Superis opposuit Maro in 12.

Vos ô mihi Manes
Este boni, quoniam Superis aversa voluntas.

Atque uti Plinius Melam, ita is sequutus Herodotum, sed non sine errore. Nam quod Mela de Augilis, id Herodotus dixerat, de Nasamonibus, Africæ item populo, qui tamen distinxerat inter eos, qui virtutis exemplum, & illos, qui generis origo forent. Quippe per eos ait, jurare solitos, qui fortitudine, ac justitia excelluissent, atque id tumulos eorum contingendo; at majorum eos sepulchris incubuisse, somnia habentes pro Numinis responso. Audiamus & in hoc Tertullianum de anima cap. 57. *Nam & Nasamonas propria oracula apud parentum sepulchra mansitando captare, ut Heraclides scribit, vel Nimphorus, vel Herodotus.* Hæc de iis, qui solos colerent Manes.

Sed, si paucas exceperis gentes, quæcumque animas colerent, hæ fere & naturæ cultum conjunxere. Unde eorum Theologia erat bipartita; quippe omnia eorum sacra partim Naturæ mysteriis, partim historiæ veteri innitebantur. *Neque enim credendum est*, ut recte Arnobius ait in 5. *sine suis originibus hæc esse frustra, atque omnia fieri, nec habere conjunctas primis institutionibus causas.* Eas causas exponit Origenes lib. 8. contra Celsum, inquiens: *Festa deprehenduntur esse figmenta ad humanæ historiæ memoriam ab Legislatoribus inducta, vel ut naturam aquæ, terræ, vel ejus fructuum, tegmento quodam involutam continerent.*

Hic autem Cultus animarum unde originem traxerit, ostendit liber Sapientiæ, Salomoni à multis, etiam veterum, attributus, ab aliis alteri, & ut credibile, Philoni, non illi, qui Claudii vixit ætate, & Moses Atticizans dictus fuit, sed longe vetustiori, qui sub Onia Sacerdote, annis ante Christum 160. tot pulchras sententias vel scripserit, vel congesserit. Locus est *cap.* 16. ubi clare videas, initia ab iis arcessi, qui cultum hunc induxerint solatii, & memoriæ causa. Eamque originem adfert quoque Minutius Felix in Octavio: *Dum Reges suos colunt religiosè, dum defunctos eos desiderant in imaginibus videre, dum gestiunt eorum memorias in statuis detinere, sacra facta sunt, quæ fuerant assumpta solatia.* Etiam judicatum, facere hoc ad virtutem in viventibus magis excitandam. Quam rationem adfert Tullius *libro tertio de natur. Deor.* Ex solatiis vero ac memoriis tum facta sunt sacra, quando additus est dies festus, populoque persuasum, animam defuncti sacris interesse, Sed hoc arcanum erat Sacerdotum, & Sapientum, quod detegere vulgo nefarium fuisset. Unde Cyprianus tractatu, *Quod Idola non sunt: Hoc ita esse Alexander Magnus insigni volumine ad matrem suam scribit, metu suæ potestatis, proditum sibi de diis hominibus à Sacerdote secretum, quod Majorum, & Regum memoria servata sit, inde colendi, & sacrificandi ritus inoleverit.* Nempe hujusmodi Sacrorum originem callide dissimulabant Sacerdotes apud vulgus. Unde Varro in rerum Romanarum libris, ut testis nobis B. Augustinus *de civit. lib.* 18. *cap.* 5. Quoniam verò in omnibus templis, ubi colebatur Isis, & Serapis, erat etiam simulachrum, quod digito labiis impresso admonere videbatur, ut silentia fierent; hoc significant; ut homines eos fuisse, taceretur. Est vero is cultus duûm generum; quia animarum aliæ privata colebantur authoritate, aliæ publica, ut quæ regia, vel optimatium, aut populi authoritate in Deos relatæ forent. Priori modo venerabantur Lares, de quibus nos alibi, & Apuleius *lib. de Deo Socratis*, ubi quadruplicem leges appellationem, Lemurum, Larium, Larvarum, & Manium. *Lemures* sine dubio vox Thusca, non à Remo, quod Ovidius putabat. *Fast.* 5. Item *Laris* vox à Thuscis, quibus sic dicitur præses, unde iisdem *Lars*, populi Princeps, apud Livium, & Ausorium, ut dicti sint Lares, quia domus, sive familiæ sint præsides. Mater eorum Lara, vel etiam Larunda, ut testis Lactantius *lib.* 1. *cap.* 20. Glossa Philox. *Larunda, Larva* ejusdem originis. Ac licet Lemurem laxius patere dicat Apulejus, tamen magis placet sententia eorum, quos sequutus Augustinus lib. 9. de civit. cap. 11. ubi *Larvas, & Lemures* eosdem dicit. *Manes*, boni ominis causa juxta linguam veterem, vocati quasi boni. Nam Manis, & Manus, idem ac bonus, teste Servio in 3. Ænead. *Mania* similiter Manium mater, aviave, ut discere est ex Festo, & Macrobio *lib.* 1. *Saturn. cap.* 7. nempe à Manibus Mania dicebatur, ut à Laribus Lara, & Larunda.

Sacris quibusdam opus fuisse, ut animæ fierent Dii, indicant Servii ista ad 3. *Ænead. Labeo in libris, qui appellantur de Diis quibus origo animalis est, ait, esse quædam sacra, quibus animæ humanæ vertantur in Deos, qui appellantur animales, quod de animis fiant. Hi autem sunt Dii Penates, & viales.* Ubi Dii Penates, & viales non alii, quàm Lares. Itaque in Philoxeni quidem glossis utrumque legas, Lares familiares, ac postea Penates Dii, familiares. Colebantur Lares feriis Denicalibus, quæ privatæ erant, ut recte docet Festus. *Privatæ*, inquit, *feriæ vocantur sacrorum propriorum, velut dies natales, operationis, denicales.* Meminit & earum Columella *lib.* 2. *cap.* 22. Plane autem confundi solent, præeunte etiam Festo cum novendiali Sacrificio, & exverris, quorum illud sic dicebatur, quia fieret nono die à morte, quo parentatio, sive funerationis solemnia concludebantur. His vero nomen inde, quod certo scoparum genere, domus, unde mortuus erat elatus, ab everriatore purgaretur. Hæc nonnisi semel fiebant, quia semel duntaxat homo mortem obiret. At denicales fiebant quotannis, unde & *feriæ* dictæ, de quibus Cicero *in* 2. *de legibus.*

Nec Denicalibus solum, sed quotidie suus Laribus honos præstabatur domi. Quod quomodo fecerint, quis melius dixerit, quàm Lar ipse familiaris apud Plautum Aulularia? Ubi de corona Laribus dicata, uti quoque ex Catone de re rustica *cap.* 143. Plinio *lib.* 21. *cap.* 3. & Festo *in Donaticæ*. Talis erat cultus, qui Laribus privatim quotidie fiebat. Sed quia in salute familiarium salus consistit publica, eo & quotannis 4. Non. Febr. in compitis, unde Compitalibus nomen, Laribus publicum fiebat sacrum porcâ, velut hostiâ lustrali. Utrumque Larium cultum, & illum domesticum in foco & hunc Compitalitium junxit M. Cato de re rust. cap. 5. quod est de villici officio: *Rem divinam, nisi compitalibus in compito, aut in foco, ne faciat.* Ab hoc cultu haberi cœperunt compitorum, & viarum Dii, quod & Arnobius docet lib. 3. Indeque *Viales* vocari, ut ex Plauto, & Servio antea diximus. Denique latius etiam extensa eorum potestas. Nam in singulis sui familiis custodes, jure existimatum, junctim Urbi præsidere. Quod clare tribuit Ovid. 5. *fast.* Hinc Propertius *quoque lib.* 3. *eleg.* 2. ait eos Annibalem fugasse ab Urbe. Imo Festus scribit: *Hostiliis Laribus immolatum quod ab his hostes arceri putarent.*

Ab animabus, quas publica non consecravit autoritas ad eas venio, quas princeps potestas cœlo locavit, sive

sive quia nobili reperto profuissent generi humano, sive quoniam gentis, vel urbis forent conditores, sive quia bello rem præclare gessissent, ut ex Tullio, *lib. 1. de nat. Deor.* Hi Latinis dicebantur *Dii Indigetes*, ab honore eo, quod publice invocarentur, unde & Festus, *indigitanto* exponit *imprecanto.* Fortasse autem iidem sunt, quos *genitales* vocat Ennius *lib. 1. vel 2. annal.*

Primus, quem Indigetis nomen sortitum inveniamus, est Æneas, cui sacellum exstructum cum ejusmodi inscriptione: *Patri Deo Indigiti, qui Numici amnis undas temperat.* Autor Dionysius *in primo*, & Livius *lib. 1.* & meminere Ovidius 14. *Metaph.* & Tibullus *lib. 2. eleg. 6.* Fuere tamen Latinis & alii Indigetes, iique Ænea antiquiores, quales, si unum exceperis Quirinum, omnes illi à Tullio memorati *in 2. de Legib.* his verbis: *Colunto & illos, quos in cœlum merita vocarint, Herculem, Liberum, Æsculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum.* Ex sex istis antiquissimus est Liber, cujus sacrum Liberalia 16. Kal. Aprilis, dies primâ sui parte nefastus, ut constat ex Kalendario Romano. Quo die per totum oppidum sedebant, hoc est feriabantur Liberi Sacerdotes, ut ait Varro *in 5. de legib.* Eoque die & pueritiam egressi virilem togam induebant cujus causam exponit Ovidius *in Fastis.*

Herculi varia Romæ templa. Duo Herculis Victoris, unum in foro boario, alterum ad portam Trigeminam. Erat & Herculis Cubantis, & aliud Defensoris, utrumq; in regione decimaquarta. Alibi item Magni, & Musagetæ, & Triumphalis. Primus Evander aram maximam Herculi statuit prope forum boarium, teste Dionysio *lib. 1. antiquit.* Eò, ut sanctius haberetur jusjurandum, conferre se soliti. Decimas quandoque etiam hîc Herculi vovebant, de quibus Diodorus Siculus.

Tertio loco à Tullio refertur Æsculapius Messenius, Epidauri incola, qui à Chirone Centauro medicinam, & venandi artem didicit, ut ex Tarquitii viris illustribus retulit Lactantius *lib. 1. cap. 10.* Hic Epidauro ad pestem sedandam translatus, extra urbem in insula Tiberina fanum accepit.

Sequuntur inde Castor, & Pollux, sive Dioscori, Herculis æquales, quibus A. Postumius Dictator bello Latino anno Urbis 257. ædem vovit, & extruxit, quam postea restituit L. Metellus. Creditur, hos fuisse illos juvenes duos, quos Dionysius Halicarnacensis se Romæ ait, in templo humili, & obscuro vidisse hastatos, habitu sedentium, operis admodum antiqui cum hac inscriptione, *Denates.* Ita enim legit Dionysius. Hos enim coluere Romani, & potuere eos credere Urbis custodes propter operam nobilem, quam bello navasse Latino dicebantur.

Postremum Quirino locum dedit Tullius, temporis in eo rationem sequutus. Tatius Rex Sabinus, si victoria de Romanis potiretur, votum suis voverat Diis, in quibus & Quirinus, sic dictus à Curibus, Sabino Oppido, unde Cives ejus oppidi Curites, sive Quirites. Victa Urbe, vel saltem peius constituta, quàm quod dicitur inter sacrum & saxum, sic interventu raptarum est transactum, ut ex Sabinis, & Romanis unus fieret populus, ac proinde paribus auspiciis Romulus, & Tatius imperarent. Permistis ita Romanis, & Sabinis, Romani etiam Quirites dici cœpere. Mortuo Romulo, inque Deos relato prævalentibus Sabinis, id nomen ei datum, quod Curibus habuerat Deus tutelaris, indeque & ipse *Curinus* vocatus.

Fuere & Romanis Deæ indigites, quales Carmenta, & Acca Larentia, sed illa à majoribus accepta, hæc Diis majorum superaddita. Prior cognomento à carmine, quo futura populo præcineret, ut est apud Ovidium *in Fastis.* Autor est Dionysius, aram ei dicatam apud portam Carmentalem subCapitolio. Templum etiam habuit in octava regione. Quod qua occasione positum sit à mulieribus Romanis optime Plutarchus dicit in quæstionibus Romanis. De Acca Larentia vide Tullium ad Brutum *Epist. 15.* qui locus lucem capit ex A. Gellii verbis *lib. 6. cap. 7.* Plinii *lib. 18. cap. 2.* Macrobii *sat. lib. 1. c. 10.* & Lactantii *lib. 1. cap. 20.* Anna Perenna, inter Deas indigites quoque locum habuit, & Bona etiam Dea culta à Romanis Kalendis Maii, aliæque.

Sub Regibus verò hominem neminem cœlesti donatum honore, præter unum Imperii conditorem Romulum, atque longe tamen inferiori gradu nutricem ejus Accam Larentiam. Interea agnoscimus, heroes suos magnis dignatos honoribus, at non divinis. Quæ distinxere etiam Græci. Sed apud hos ferè usu veniebat, ut qui prius heroicis essent honoribus affecti iisdem postea præstarentur divini. Quod & Lampsacæ contigit ex Plutarcho in præclaris mulierum factis his verbis: *Cum Lampsacæ prius heroicos tribuissent honores, postea, ut ei, velut numini, sacrificaretur, decretum.* Ex quib. habemus, sacrificium non fuisse in honoribus heroicis, sed divinis. In heroicis autem Græcis, Romanisque erat, si statuis donarentur, particulatim autem apud Romanos, si effigies ferretur in pompa Circensi; item nomen referretur in hymnos saliares, qui honos etiam contigit Mamurio Veturio, & Luciæ Volumniæ, teste Varrone, de illo *in 5.* de hac *in 8. Lingua Latinæ.* Similiter erant apud Athenienses nomina si Minervæ intexerentur peplo; unde viros præstantes dixere *peplo dignos*, ut videre est ex Aristophanii Equitibus.

Atque hæc de temporibus iis, quæ fuere stante Republica. Primus Cæsarum consecratus Julius, idque ab Augusto, de quo Suetonius *in Julio c. 88.* Hinc in Juliani Cæsaribus Augustum Silenus vocat, *puparum effectorem*, rationemque eo hujus ridiculi nominis poscente, respondet, uti homulli illi faciunt pupas, sic ipsum fecisse Deos, quorum unus, primusque esset Julius Cæsar. De ipso Augusto sic Tacitus annal. 1. *Sepultura more perfecta, templum & cœlestes honores decernuntur.* Quemadmodum vero de Romulo Julius Proculus testatus fuit, ita de Augusto Numerius Atticus, se vidisse in Cœlum euntem, eoque nomine à Livia decies sestertium accepit, ut est apud Dionem *lib. 56.* Post eum & consecrati alii. De iis & pariter Augusto sic Plinius in panegyrico: *Dicavit Cœlo Tiberius Augustum, sed ut majestatis numen induceret. Claudium Nero, sed ut irrideret. Vespasianum Titus, Titum Domitianus, sed ille, ut Dei filius, hic frater, ut videretur. Tu sideribus patrem,* Nervam, *intulisti.* Similiter de Antonino Pio Julius Capitolinus: *Cum jucunditate à Senatu, Divus appellatus est, cunctis certatim admittentibus.* Item de M. Antonino Philosopho, ac de Ælio Helvio Pertinace.

Quibus verò ritibus Deorum ordinibus inserere Cæsares soleant ex parte dicet Dio in consecratione Augusti *lib. 56.* Sed accurate imprimis, atque eleganter rem omnem describit Herodianus *lib. 4.* Verba ejus exscripsere tam multi, ut nihil attineat hoc loco reponere. Quod verò miremur in numismate veteri habemus & consecrationem Constantini Magni, licet Christiani. In eo anima ejus linteo velata, cœtero nuda, in cœlum vehitur quadrigis, brachioque exerto excipitur à brachio altero cœlitus porrecto. Subscriptum verò, Cons. hoc est, Consecratio. Sed hanc Christiano sensu accipere malo, non de immortalitate in terris à mortalibus collata, sed de cœlorum gloria donata divinitus.

Nec solum Cæsares divinos obtinuere honores, sed etiam Augustæ. Ita Livia, conjux Augusti Cæsaris, cui filius Tiberius non decreverat religionem cœlestem, eam à Claudio est consequuta; in cujus vita sic Tranquillus cap. 11. *Aviæ Liviæ divinos honores, & Circensi pompa currum elephantorum Augustino similem decernendum curavit*, pleniusque de eo Dio *lib. 60.* Consecrata autem habitu Junonis, ut in ea Juno coleretur. De Faustina, Antonini Philosophi uxore sic Capitulinus: *Divam etiam Faustinam à Senatu appellatam, gratulatus est.* Caius Caligula sororem suam Drusillam è domo Augusta, Urbes per omnes divinis coli honoribus jussit, de quo Dio in 59. Etiam mares, qui non Augusti, ex Augusta tamen domo forent, relari in Divos. Notum de Geta, Severi Cæsaris filio, illud fratris Bassiani Carallæ: *Sit Divus, dummodo*

modo non sit vivus. Imo Hadrianus Imperator sordidis, & insipidis deliciis suis Antinoo Bithyno, submerso in Nilo, non dubitavit, velut certissimo Numini, cœlestes tribuere honores, oraculo etiam constituto. Qua de re Dion, & Spartianus, ex nostris etiam Tertullianus *in 1. adversus Marcionem*, Origenes, Eusebius, Athanasius, & tot alii.

Atque hæc etiam lucem afferent cultui defunctorum apud Græcos, de quo tam multa adversus Gentiles disserunt nostri, quibus clare ostendunt, ut Romana, sic Græca numina homines fuisse in cœlum ob merita relatos. Ita Tertullianus *adversus Gent. cap. 9. & 11.* Minucius *in Octavio*, Lactantius *lib. 1. cap. 8.* Athanasius *adversus Gent.* Theodoretus *ser. 6.* Cyprianus, Arnobius, Prudentius, Augustinus, aliique multi. Lege sis Maximum Tyrium *dissert. 38.* Tullium *lib. 1. de nat. Deor. & speciatim lib. 3.* Mitto Laconum heroas, Deos Arcadum, Eliensium Argivorum, Acarnaniorum. Mitto etiam Deos ac Deas Consentes, ac Selectos, Genios, animales Deos Phœnicum, Syrorum, Arabum, Ægyptiorum, Catabathmorum, Æthyopum, Maurorum, Celtarum, Scytharum, atque Indorum, Gallorum, de quorum Diis non est, quod magnopere laboremus, si nulla iis religio erat, ut sensisse videtur Tullius *in reliquiis orationis pro M. Fonteio*, ubi *Gallos*, ait, *ab religione remotos.* Ac postea his eos exagitat verbis: *An verò istas nationes religione jurisjurandi, ac metu Deorum immortalium in testimoniis dicendis commoveri arbitramini? Quæ tantum à cæterarum gentium more ac natura dissentiunt, quod cætera pro religionibus suis bella suscipiunt, istæ contra omnium religiones. Illæ in bellis gerendis à Diis immortalibus pacem, ac veniam petunt; istæ cum ipsis Diis immortalibus bella gesserunt.* Objicit deinde, quod templum Apollinis Delphici spoliarint, & Jovem Capitolinum obsederint, quod etiam homines sacrificent vivos. Sed sic cum scribit Tullius, causæ suæ inservit, ad elevandam Gallorum fidem, qui contra M. Fonteium testimonium dicebant. Tullio igitur Tullium opponimus, qui *in lib. 1. de divinat.* scribit de Deiotaro, Gallorum in Asia Rege, *nihil unquam, nisi auspicato egisse.* Ac ne à Græcis illud hausisse existimes, Justinus ex Trogo ait lib. 24. *Augurandi studio Galli præter cœteros callent*, sive clarent. Nempe non ista, quæ Tullius adducit, ostendunt, nullum Gallis fuisse Deorum metum, sed potius magnum, quippe qui ad pacem Deorum impetrandam nec sanguini parcerent humano. Sic cultum illum impium interpretatus est Julius Cæsar, cui omnium optime perspecti erant mores Gallorum. Verba ejus leguntur *lib. 6. de bello Gallico*, suntq; ista: *Natio est Gallorum omnium admodum dedita religionibus, atque ob eam causam, qui sunt affecti gravioribus morbis, quiq; in præliis, periculisque versantur, aut pro victimis, homines immolant, aut se immolaturos vovent, administrisq; ad ea sacrificia Druidibus utuntur, quod pro vita hominis, nisi vita hominis reddatur, non posse Deorum immortalium numen placari, arbitrantur.*

Mirum verò sic in Gallis exagitati hominum immolationem à Tullio, quæ à Cananæis, & Phœnicibus cœpta, Græciam, Africam, ac totum pene terrarum Orbem fuerit pervagata. Quam rem fuse tractat Porphyrius *in 2. de abstin. ab animal.* è nostris item Clemens Alexandrinus *adhort. ad Gent.* & ex his, atque aliis Eusebius *lib. 4. præpar. Evangel. c. 16.* Unde Plinius lib. 30. cap. 1. *Ista toto mundo consensere, quanquam discordi, & sibi ignoto.* Mitto etiam Deos Britannos, Germanos, Sarmatas, Dacos, Getas, Thraces, Italos, præsertim Latinos. Mitto causas, quæ moverint Gentiles, ut Solem pro Deo colerent, quam vetustus Solis sit cultus, etiam apud Judæos, Phœnices, Syros, Assyrios, & Babylonios. Mitto alia ejus generis, quæ adscribere piget, quæque apud alios leguntur. De cultu autem, ac veneratione animarum, sive Sanctorum apud Christianos alibi fusè diximus.

Et sanè ita succrevit hæc Deorum seges, tam libenter homines retro seculorum Deos audiverunt, ut eos pro acceptis beneficiis numerarent, ad speciem grati, certò autem injurii, & sacrilegio religiosi. Nempe tam pugnat rationi multus numero Deus, quàm nullus. Ille aut unus est, aut deest, & ut sit, est solus. Illa numerum facere, possunt, quorum singula Naturam non exhauriunt, cùm quidquam totam ipsam æquavit, frustra aliquid expectes, nisi idem repetatur. Et obsecro, quam ineptum est aliquid cum Deo dividere, & si quidpiam, an non maxime Deitatem? Quod quidem ratione omnes didicimus; sed nescio, quomodo magis experientia eorum docemur, qui aut conferre partiariam Deitatem voluerunt, aut admittere. Nam quid lubentius rideas, quàm illos quadrantes, & trientes Deorum, quorum unus aquis, alter auræ sic imperent, ne quis quid alterius tangeret, nisi mulcta feriendus? Quàm insignia illa Insignia Deorum Vulcani malleus, Neptuni tridens, Minervæ colus, falx Saturni, ubi videas ex hac licentia augendæ Deitatis, rupto semel aggere, eo increvisse numerum, decrevisse æstimationem Deorum, ut jam tandem Diis fabris, & sutoribus uteremur. Et hoc, quamquam maximum, sed vix aliquorum est in iis momentis, quæ stateram hanc coërcendæ Deitatis gravant. Qui mechanicum Deum nollet, vellet forte mœchum. Videret impotentem animi, laxum, seditiosum, nec exemplum tantum, sed fomitem sceleribus præbere: Illud prostibulum Veneris, illam insaniam Martis, Mercuriique fraudes, & alia sexcenta colluviem nebulonum, quorum apotheosi factum est, ut homines jam denique vitia ipsa adorent. Et quæ obsecro amentia generis tunc non humani, cultores horum religiosi, imitatores sacrilegi erant, quod in divis hostia colerent, ipsi mulcta & morte persolvebant.

Atque utinam hæc fabulæ essent, & in Helicone solo streperent ludibria poëtarum, ac non magis historiam in se certam, illis invisam, nobis sacrosanctam implerent. Non audimus, non legimus Dagon Samuelis, Belum Danielis, Adonidem Hieremiæ, Belfegor in Numeris, Naneam in Machabæis, Mercurium in Salomone? Non Sephæ pavonem coluerunt, Hemathæi hircum, Sidonii ovem, Accaronitæ muscas, Palestini piscem, Cithæi gallinam, Ægyptii juvencam, Judæi vitulum, Chaldæi ignem? Eat ergo quò meritum vocat vulgus Deorum, colluvies, fex, & verè turba, inventa à poëtis, intrusa à tyrannis hallucinanti seculo, refragranti cœlo, monstra ab inferis ructata, ambitione puerpera, stultitia obstetrice. Meum fuit imposturis fidem, larvam personis detrahere, ne posthac quispiam aut opprimeretur numero, aut alliceretur nomine, & currum triumphalem divinæ æternitatis, velut carpentum gloriæ unius Dei per cadavera perduellium Deorum agitare, ut eò magis credatur ille immobilis vitæ, quò videtur tot stragibus Idolorum superesse.

Consultatio XXXIV.

De Gravitate peccati Idololatriæ. An habeat semper annexum peccatum hæresis? De colente creaturam, ut Deum, credens illam non esse Deum; vel exterius eam, ut Deum colit, interius credit talem cultum ei non deberi. De causis excusantibus ab hoc peccato. De exhibente dæmoni obsequium profanum. De Sacerdote offerente particulam non consecratam. De adorante dæmonem, putans esse Christum. Qua pœna Idololatra, & à quo Iudice puniendus?

GRavitas peccati bifariam potest attendi. Ex parte peccati, & ex parte peccantis, ut per D. Thomam 2. 2. *qu. 94. ar. 3.* Ex parte peccati, Idololatria est omnium peccato-

peccatorum gravissimum. Quia sicut in humana Republica gravissimum delictum existimatur, quod aliquis honorem regium potius alteri exhibeat, quàm vero Regi; nam quantum in se est, negat ipsi Regi singulari ejus Dominium, excellentiam, dignitatem, honorem, ac totum perturbat ordinem; ita inter maxima peccata, quæ contra Deum committuntur, omnium gravissimum est Idololatria. Quoniam dum quis honorem divinum creaturæ impendit, quantum est ex se, negat singulare principatum Deo vero, & facit alium Deum in mundo, nempe Idolum. Ideo est crimen læsæ Majestatis divinæ gravissimum, sicut illud est gravissimum delictum læsæ Majestatis humanæ.

Insuper, ut ait Caietanus *ad cit. ar.* 3. includens majus est, quam inclusum; Peccatum autem Idololatriæ includit infidelitatem, dum negat singularem Dei excellentiam, quæ solus est Deus, & veram fidem opere impugnat. Includit odium Dei, quia non tribueretur honor divinus creaturæ, nisi quodammodo odio haberetur Deus. Includit perniciosissimum, & maximum mendacium, dum insinuat, non esse Deum, qui Deus est, & esse Deum, qui Deus non est, sed creatura, & Idolum. Includit hæreticam blasphemiam, dum Deo subtrahit Dominii ac Divinitatis singularitatem. Et includit peccatum contra naturam. Quia non agnoscit suum Creatorem, nec in eo ponit spem suam, sed, ut ait Apostolus *ad Rom.* 1. Mutat gloriam incorruptilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis creaturæ.

Si verò attendatur gravitas peccati ex parte peccantis, nihil prohibet, quin aliquis peccator gravius peccet, quàm Idololatra. Quia, ut docet idem D. Thomas, gravius est peccatum illius, qui scienter, quàm qui ignoranter. Et ideo gravius peccant hæretici, qui scienter corrumpunt fidem, quàm Idololatræ, qui peccant ignoranter. Similiter alia peccata possunt esse graviora propter contemptum peccantis. Sicque non solum apostasia à fide, sed desperatio, & odium Dei, quæ sunt peccata contra virtutes Theologicas Fidem, Spem, & Charitatem, graviora esse possunt, quàm Idololatria, ut probant Suarez *tom.*1. *de relig. lib.*2. *de superst. cap.*6. *nu.*2. Sanchez *lib.*2.*in decal. cap.*37. *nu.*21. Castropal. *p.*3. *disp.*1. *pun.*2. *n.*2. & Fagundez item in *decal. lib.*1. *cap.* 33. *num.* 4.

Porrò sicut *Latria* est duplex, interna, & externa, & interna consistit in confessione mentali, qua creatura rationalis se offert Deo ex affectu submissionis, ac reverentiæ, ac externa consistit in exhibitione signi externi, quo quis internam existimationem de Dei excellentia, & submissionis affectum Deo offert, atque ostendit, ex quo sequitur, quod Dei adoratio, & omnis actus latriæ principaliter consistat in mente, secundario in actione externa, ut tradit D.Thomas 2. 2. *q.*84. *ar.*1. *ad d.* & *ar.*2. & 5. *in corp.* ac Suarez *tom.*1.*p.*3. *disp.* 51. *sect.* 2. Bellarm. *lib.*2. *de cultu Sanct. cap.* 12.

Ita similiter *Idololatria* duplex est, interna una, externa altera. Interna quando quis interius credit, creaturam esse Deum, & ut Deum colit. Et hæc, quia est cum mentis errore, semper etiam est cum hæresi. Quia dum Idololatra adorat, & credit, creaturam esse Deum, est manifeste Idololatra, & hæreticus. Idololatria autem externa potest contingere absque mentis errore, ut quando quis creaturam, ut Deum colit, sed scit, & credit, illam non esse Deum. Et hæc idololatria est absque hæresi. Ac ita D. Thomas *cit. q.* 94. *ar.* 3. *ad* 5. Valentia 2. 2. *disp.*6. *q.*11. *pun.*2. & 3. Suarez *d.lib.*2. *cap.*4. *n.*13. & 14. ac Delbene *de offic. S. Inquis. p.*2. *dub.* 220. *sect.* 2. *num.*3.

Quare proprie duplici modo hic cultus creaturæ tribui potest. Primo, quando ex infidelitate mentis procedit. Et est error circa Deorum multitudinem credendo in creatura divinitatem residere, ob quam divino honore digna sit. Hæc Idololatria est hæreticalis, sive mixta hæresi, vel cum hæresi. Secundo modo Idololatria potest esse sine propria mentis infidelitate, cum affectu tamen, & voluntate tribuendi creaturæ honorem Deo debitum. Ut si quis credens dæmonem non esse Deum, velit illi exhibere sacrificium, aut ejusmodi aliud animo ipsum honorandi, ut eum sibi propitium habeat. Hic cultus reddit operantem vehementer de hæresi suspectum. Ita ex Suarez *loc. cit. cap.* 6.

Qui autem creaturam, ut Deum colit, sed credit illam non esse Deum, peccat tam graviter, quàm qui colit, & credit creaturam esse Deum. Quia licet hæc Idololatria non habeat annexam hæresim, habet tamen annexam culpam falsitatis, quæ æquivalet infidelitati, ut per D. Thomam *ibid. ar.* 2. *in corp. cum Augustino*, ubi ait, siquis persecutionis tempore deprehensus, exterius Idola colat, & tamen fidem in mente servat, hoc apparet manifeste falsum. Nam cum exterior cultus sit signum cultus interioris, sicut est perniciosum mendacium, siquis verbis asserat contrarium ejus, quod per veram fidem tenet in corde, ita est perniciosa falsitas, siquis exteriorem cultum exhibeat alicui contra id, quod sentit in mente. Unde Augustinus *lib. de civit. cap.*10. *contra Senecam* ait, quod eo damnabilius colebat Idola, quo illa, quæ mendaciter agebat, sic ageret, ut eum populus veraciter agere existimaret. Aitque ibidem Caietanus, si exterior tantum sit Idololatria absque interiori infidelitate, additur culpæ falsitas, quasi culpa falsitatis æquetur infidelitati interiori.

Qui verò creaturam, ut Deum colit opere externo, sed interius credit ei talem cultum non deberi, in foro exteriori habetur, ut excommunicatus. Quia ejus actio præsumitur cum errore intellectus, & Ecclesia parit actus externos, non internos, de quibus constare non potest. In foro verò interiori non esse excommunicatum, docent *Angel. v. apostata qu.*1. Tabiena *v.apostasia qu.*3. Rosella *eod. v. n.*1. Armilla *v. hæresis n.* 4. Simanch. *de cath. instit. tit.*17. *n.*35. Suarez *de relig. cit. lib.*2. *cap.* 6. *nu.*21. & 22. Sanchez *lib.*2. *in decal. cap.*37. *n.*21. aliique communiter. Nam pœna excommunicationis fertur contra hæreticos, & apostatas formales à fide, qualis non est, qui animo non consentit Idololatriæ, quamvis opere externo illam simulet. Unde ab hac Idololatria potest absolvere quilibet confessarius, nisi sit in aliqua diæcesi casus reservatus, ut notant Fagundez *lib.* 1. *in decal. cap.*33. *n.* 4. *in fine*; & Quartus *de casib. reser. cas.* 2. *diff.* 2.

Is etiam, qui non exhiberet dæmoni cultum soli Deo, ac ejus sanctis debitum, sed obsequium profanum, sive civilem solitum exhiberi hominibus in dignitate constitutis, peccaret mortaliter, quia dæmones sunt Dei rebelles, ac inimici, nostrique hostes, indigni quovis honore, estque nobis prohibita quælibet cum illis societas. Inquit enim Augustinus *lib.*2.*de doctr.Christi cap.*20. relatus à D.Thoma 2.2. *qu.* 95. *ar.* 2. quicquid procedit ex societate dæmonis, & hominum superstitiosum est. Non tamen incurrit excommunicationem, ut notat idem Quartus *loc.cit.* Quia excommunicatio fertur contra promittentes, vel exhibentes Dæmoni obsequium sacrum, sive religiosum, nempe sacrificia, thura, orationes, similia.

Sacerdos verò offerens alicui particulam non consecratam, ut consecratam, vel hostiam non consecratam adorandam exponens committeret mortale peccatum Idololatriæ. Nam ex D.Thoma 3. *p. q.* 80. *ar.* 6. *ad* 2. Sacerdos hoc faciens, quantum in se est, facit idololatrare illos, qui credunt esse hostiam consecratam sive præsentes, sive ipsam sumentes. Ut enim ait Augustinus in *Psalm.* 98. *Nemo carnem Christi manducat, nisi prius adoret*, & omnis adoratio creaturæ, per quam ut Deus colitur, Idololatria est. Quare hostia non consecrata nullo modo dari debet pro consecrata. De quo alibi fusius.

Idemque dicendum est de Sacerdote, qui Missam celebrando hostiam non consecrat, illamque non consecratam sumit, ut est casus *in cap. de homine de celebr.*

 missar.

missar. Unde est de hæresi suspectus, poteftque ab inquisitoribus interrogari, quid sentiat de Sacramento altaris, ac etiam puniri, ut tradit Lucerna Inquis. *v. Sacerdos celebrans*, ubi Pegna *in annot.* Decian. *in tract. crim. lib. 5. cap. 16. num. 43.* Locat. *in Judic. eod. vers. Sacerdos*, Graff. *p. 2. decis. lib. 3. cap. 18. num. 6. ac seq.* & Carena *tit. 17. §. 4. nu. 17.*

Si autem dæmon per imaginem Christi aliquem alloqueretur, & ille putans esse Christum, eum adoraret, talis cultus non esset Idololatria. Quia cultus ille non tenderet in dæmonem ibi latentem, ac loquentem, sed in Christum, verum Deum; nec intenderet, se subjicere dæmoni, putans illi inesse divinitatem, sed Christo. Posset tamen grave peccatum committere. Quia, si facile posset advertere, vel meritò dubitare, non esse Christum, & non adhibita rationabili inquisitione, illum adoraret, tanquam Christum, committeret Idololatriam, saltem interpretative, & morali existimatione, ac proinde peccaret mortaliter. Quod etiam tradit Lessius *lib. 2. c. 43. de superst. dub. 4. num. 21.* Fagundez *in decal. lib. 1. cap. 33. n. 3.* & nos alibi.

Quod verò ad pœnam. Peccatum Idololatriæ vel committitur ab infidelibus non baptizatis & ab Ecclesiastico Judice nulla pœna punitur. Quia, ut ait Apostolus 1. *Corinth.* 5. loquens de iis, qui Idolis serviunt: *Quid mihi de iis, qui foris sunt judicare?* Vel committitur ab hominibus baptizatis, & Ecclesia illos punit omnibus censuris, ac pœnis latis contra apostatas à fide, & hæreticos. Quia hoc peccatum, ut notat Caietanus 2. 2. *quæst.* 12. habet veram malitiam infidelitatis, & apostasiæ à fide. Qui vero metu Paganorum exterius tantum absque interiori infidelitate, hoc peccatum committit, sed corde non discedit à fide, non punitur pœnis hæreticorum sed aliis. Quia non est vere apostata à fide, peccat tamen mortaliter, ut per Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. cap. 6. num. 21.* Simanch. *d. tit. 17. n. 35.* & alios.

Sunt tamen nonnulli casus, in quibus inquisitores S. Officii procedere possint contra Judæos, & alios infideles Idololatras non baptizatos, de quibus alibi.

De obligatione denunciandi Idololatras hæreticos, vel de hæresi suspectos, dictum est abunde suo in loco, ubi de hæreticis denunciandis.

Consultatio XXXV.

An unquam licita sit Idololatria, falsorumque Deorum cultus?

Affirmarunt multi antiqui tum Philosophi, tum Hæretici, quorum hodie non pauci sequaces esse possent. At nos hunc errorem ita refellimus. Tres generaliter dantur modi, quibus committi potest Idololatria. Primus quando ex infidelitate mentis procedit, ex falsa nimirum persuasione circa pluralitatem Deorum. Secundus sine propria quidem mentis infidelitate, sed cum affectu tamen tribuendi divinum honorem alteri, quàm verò Deo. Tertius, quando sine errore intellectus, ac sine affectu colendi creaturam, ut Deum, tantum exhibetur signum externum adorationis Soli Deo debitæ cum exteriori significatione adorandi creaturam sine intentione cultus.

Circa primum, videntur credidisse eum esse licitum, illi potissimum Philosophi, qui etiam agnoscentes unum duntaxat esse verum Deum, aliis tamen ab ipso, nempe creaturis quibusdam excellentibus honores divinos esse deferendos censuerunt. Inter hos primus se offert Varro, qui ut effugeret apertas rationes contra multiplicium Deorum cultum & cui addictus erat populus Romanus, eumque excusaret, recurrit ad ponendum unum Deum, qui esset anima mundi, ex cujus participatione Physicas mundi partes Deos esse dixit, nominaque falsorum Deorum ad illos transtulit, vocans Æthera Jovem, Aërem Junonem, eisque cultum, ac honores divinos asseruit esse deferendos. Plato etiam, ac multi ejus discipuli, etsi bene senserint de Deo, ac ejus unitate, ipsum primum verum principium agnoscentes, summumque rectorem, ac moderatorem, post illum tamen censuerunt divinum cultum esse exhibendum quibusdam substantiis spiritualibus à Deo productis; deinde animalibus cœlestium corporum, quæ animata esse putabant; tum dæmonibus, quos unitos esse corporibus aëreis credebant, ac denique animabus hominum, quas per virtutis meritum ad Deorum vel dæmonum societatum assumi putabant.

Verum quicquid sit de hujusmodi opinionibus, quæ plures habent errores admixtos, quos egregie confutat D. Thomas 1. *p. q. 3. ar. 8. ac 2. 2. q. 94. ar. 1. & lib. 3. contra Gentes cap.* 120. constanter asserendum est, hunc primum Idololatriæ modum nunquam esse licitum, sed gravissimum esse peccatum ex se. Quod non solum de fide certum est, sed etiam lumine naturali evidens, ut omnes Theologi sentiunt cum eodem D. Thoma *loco citato* 2. 2. Ratio autem, ad quam cæteræ reducuntur, est, quia talis Idololatriæ modus est directe ac formaliter contra honorem Deo debitum, sive per illum aufertur cultus Deo debitus, & ad creaturam transfertur. Sicut enim divina excellentia singularis est, ita etiam postulat singularem cultum, ac honorem, contraque illum directe fit, quoties incommunicabile nomen Dei, & consequenter incommunicabilis honor alteri quam vero Deo, confertur.

Id autem fieri per Idololatriam, præsertim verò per istum primum ejus modum, quo creditur, aut existimatur creaturam esse Deum, aut aliquid divinitatis habere, quod ad infidelitatem pertinet, patet ex ipsa definitione Idololatriæ, quod sit vitium superstitionis, quo creaturæ exhibetur cultus sive divinus honor. Etsi enim nostri temporis sectarii, ut laudabilem sanctorum, imaginumque illorum cultum liberius condemnent, præfatam definitionem non approbent, nihilominus illa est ad mentem omnium veterum Patrum, Tertulliani *lib. de Idololatria sub initio*, Gregorii Nazianzeni *orat. in Christi nativ. post med.* Ambrosii *in cap. 5. ad Ephes.* Augustini *lib. 1. de Trinit.* & aliorum.

Quare, licet loquendo de tertio modo Idololatriæ, sive de Idololatria externa, possit esse difficultas, de qua nunc non agimus, quomodo nimirum discriminentur honores, ac divini cultus ab his, qui non sunt divini, ac Deo debiti, ut per eorum exhibitionem quis illam dicatur, vel non dicatur committere, sed ab ea excusari, id tamen locum non habet in hoc primo modo, quo non potest, non semper committi Idololatria, cùm necessariò procedat, ut supponimus ex opinione divinitatis, sive alicujus divinæ excellentiæ in creatura, vel Idolo, quod adoratur,

Inquiret fortasse aliquis, an saltem in hujusmodi errore possit invincibilis ignorantia intervenire, quæ errantem excuset? Primo respondetur, hoc quæsitum non habere locum in hac controversia, quæ procedit de habente cognitionem unius Dei, & errante, putando esse alios Deos, quibus divinus cultus tribuendus sit. In illo enim nullo modo dari potest ignorantia invincibilis, nec consequenter per illam excusari. Ista enim ait Apostolus *ad Rom.* 1. fuisse inexcusabiles Philosophos, *qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Quia ipsamet existimatio unius veri Dei erat sufficiens ad illam ignorantiam, ac deceptionem expellendam, si voluissent, ut debebant advertere. Nam qui, ut jam diximus, credit, ac recognoscit esse in Republica unum supremum Regem, quo pacto ignorare potest peculiarem honorem illi debitum, præsertim nomen Regis, non esse alteri tribuendum?

Secundo respondetur, quod siquis omnino ignoret verum Deum, & unitatem ejus, excellentiamque supremi Numinis, pro ratione talis ignorantiæ eum excusari posse vel

vel à culpa, vel à tanta culpa colendi plures Deos. Si enim illa ignorantia culpabilis est, quamvis absolute non excuset culpam, quatenus tamen ignorantia est, aliquo modo minuit illam; si verò contingat, illam esse invincibilem, excusabit omnino culpam, non quidem materialiter, sed formaliter, cùm nihil sit formaliter peccatum, nisi sit voluntarium, quod ignorantia invincibilis omnino tollit. An verò talis ignorantia in hoc casu dari possit, jam explicuimus supra, & iterum breviter hîc asserimus, illam esse impossibilem.

Etsi enim juxta doctrinam nostri Magistri 2. 2. *q.* 10. possint aliqui per ignorantiam invincibilem excusari ab infidelitate, quæ est privatio fidei supernaturalis erga Deum, authorem gratiæ, unde denominantur infideles negativi, ab illa tamen infidelitate, vel errore, qui est privatio cognitionis Dei, ut author est naturæ, nullus quantumvis rudis, dummodo sit præditus usu rationis, excusari potest, cùm ad illius ignorantiam vincendam, sive ad cognitionem unius veri Dei sufficientem, ad inducendam mortalibus obligationē colendi eum, & cavendi à peccato Idololatriæ, exhibendo alicui creaturæ honorem soli Deo debitum, non requiratur, quod sit demonstrativa, & undequaque perfecta, sine alio errore admixto, sed satis est, quod generalis quædam sit cognitio de Deo, quod sit principium rerum omnium, excedens illas, à quo dependent, & gubernantur quam unusquisque per rationem saltem probabilem, à creaturis desumptam, imò certam moraliter, cùm nulla alia probabilis in oppositum sit, quæ illud probabile reddere possit, hoc est plures esse Deos, aut licere cultum uni vero Deo appropriatum alicui creaturę adaptare sine crimine impietatis.

Unde non solum, qui noverunt Deum esse unum duntaxat nequeunt excusari ab Idololatria, sed nec etiam illi, qui ejus notitiam non habuerunt. Eo enim ipso, quod ex cognitione unius veri Dei statim promanat dictamen rationis naturalis, eum scilicet esse colendum, nullique alteri honorem illi debitum esse exhibendum, ut Idololatræ non excusantur per ignorantiam à cognitione unius veri Dei, omnibus pervia, ita neq; à crimine Idololatriæ erga creaturas quascunque; sed præsertim ab illa, qua cœca Gentilitas vel Deos coluit homines imbecilles, obscænos, & flagitiosos, dictante potius lumine naturæ, tales nequaquam esse posse Deos, neque ut Deos honorari debere, imo dignos esse irrisione, ac vituperio. Quia valde alienum est à natura divina sceleribus vacare, aut spurcitiis commaculari, cùm ea ipsa puniat Deus, imo & quivis Magistratus Reipublicæ vel mediocriter bene institutæ. A magnitudine enim speciei, & creaturæ poterat Creator horum cognoscibiliter videri, ait Sapientia 13.

Circa secundum Idololatriæ modum, hoc est cum affectu tribuendi divinum honorem alteri, quàm Deo vero sine propria mentis infidelitate, an sit licitus? D. Thomas *cit. q.* 94. *ar.* 2. refert quosdam veteres, qui partem affirmativam tenuisse videntur, quatenus putarunt, quod offerre sacrificium aliaque ad latriam pertinentia, non solum summo Deo, sed etiam aliquibus creaturis propter aliquam insignem excellentiam earum esset debitum, ac per se bonum. Verùm id non est tantum hæreticum, sed etiam contra rationem naturalem. Quia cùm adoratio debeatur ratione excellentiæ, ubi est propria, & incommunicabilis ratio excellentiæ, etiam debet esse incommunicabilis adoratio. Dei autem excellentia, & ratio eum adorandi unica est, cuicumq; puræ creaturæ incommunicabilis, atque adeo & adoratio, quam latriam vocamus. Ideoque sacrificium creaturæ offerre tam intrinsece malum esse, atque verbis confiteri illam esse verum Deum, docet Augustinus *lib.* 10. *de civit. c.* 19. ubi referens tacito nomine authorum quorundam sententiam, qui asserebant, sacrificium invisibile puræ mentis Deo quidem summo, tanquam meliori esse offerendum, at sacrificia visibilia aliis Diis inferioribus, hæc habet in contrarium. Exteriora sacrificia ita sunt signa interiorum, sicut verba sonantia sunt signa rerum. Quocirca sicut orantes atque laudantes ad Deum dirigimus significantes voces cui tamen res ipsas in corde, quas significamus, offerimus; ita sacrificantes non alteri visibile sacrificium offerendum esse noverimus, quam ei, cujus in cordibus nostris invisibile sacrificium nos ipsi esse debemus.

Hujus rationis robur non consistit in hoc, quod adoratio externa, vel sacrificium non possit esse sine interno, aut semper sit illius argumentum, sicut nec voces, aut verba sonantia non sunt semper signa interni conceptus, ut patet in mentientibus, vel fingentibus; sed in hoc, quod sicut verba sonantia, supposita semel impositione, non possunt non esse, ubi pronunciantur, significativa rerum ad quas significandas imposita sunt, ita sacrificium, etiam visibile, tam ex natura rei ad Deum determinatum, ut singularem ipsius excellentiam, ac dominium significet, ut nulli creaturæ, possit offerri, quin simul significetur, illam esse Deum.

Quod verò ad tertium Idololatriæ modum, quo exhibetur externum duntaxat signum sine errore intellectus, ac sine affectu colendi creaturam, varia fuere placita. Primum nonnullorum Philosophorum qui censuerunt latriæ cultum exteriorem non esse quidem Idolis tribuendum, tanquam per se bonum, aut opportunum; sed tanquam vulgari consuetudini consonum, vel quando fit, necessitate urgente ad vitandum gravissimum malum mortis, aut aliud æquivalens. Hi fuere Plato, & Marcus Varro, referente Augustino per *multa capita, & libros de Civit. præcipue lib.* 4. 6. 7. & 10. Tullius ex Lactantio *lib.* 2. *de orig. error. cap.* 3. ubi eum ita reprehendit: *Video te terrena & manifesta venerari, vana esse intelligis, & tamen eadem facis, quæ faciunt ipsi, quos tu stultissimos confiteris.* Senecam quoque unum solum verum eum agnoscentem ita Augustinus inducit loquentem lib. 6. de Civit. c. 10. *Sic adorabimus, ut & meminerimus hujusmodi cultum magis ad mortem, quam ad rem pertinere*, Et iterum: *Quæ omnia Sapiens servabit tanquam legibus jussa, non tanquam Diis grata.* Unde etiam idem Augustinus de omnibus, aut pluribus Philosophis agens *lib. de vera, & falsa relig. cap.* 5. ait, non esse religionem à Philosophis quærendam, qui eadem sacra recipiebant cum populis, & de Deorum suorum natura, ac summo bono diversas, contrariasque sententias in scholis personabant.

Eundem amplexi sunt errorem quidam hæretici, affirmantes licitum esse persecutionis tempore Idola exterius colere, aut in tormentis Christum negare, dummodo fides in corde retineatur. Inter hos recensentur Elesaitæ, teste Eusebio *lib.* 6. *c.* 28. *alias* 31. Priscillianistæ, quatenus ex Augustino *lib. de hæres. in* 70. dixerunt, posse aliquem occultare suum errorem, etiam pejerando. Inde etiam consequi videtur, idem fuisse dicturos de vera fide. Bogoniles, ut refert Zonaras in vita Alexii Imperatoris, item nostro tempore Anabaptistæ apud Stophilum *in Epit. Theologiæ Lutheri*, aliique plures Libertini dicti, vel potius Atheistæ vocandi.

At fides Catholica, omnesque de illa recte sentientes docent Idololatriam exteriorem nunquam excusari posse à crimine propter metum mortis, aut propter alia mala vitanda, aut aliqua bona comparanda, quantumvis vera intus fides servetur, colensque nullo pacto intendat creaturam adorare. Quoniam autem signa sensibilia ad cultum exteriorem pertinentia sunt in duplici differentia, quædam nimirum ex natura rei, sive primo, ac per se destinata cultui divino, quorum proinde usus adaptari non potest, nisi pro illo tantum, qualia sunt in vocibus orationes! illæ: Fac mecum Deus misericordiam. Da mihi tuam gratiam, æternamque beatitudinem; & in rebus sacrificium, asserente Augustino lib. 10. de civit. c. 10. *Sacrificium, nullius est hominum, qui audeat dicere debere, nisi Domino soli.*

Quædam verò signa talia solum ex adjuncto, quia videlicet indifferentia sunt ad cultum Dei, & cultum hominum, vel ad aliquid aliud, ut genuflexiones, prostra-

strationes, ac similia, quibus quandoque Deum honoramus, & quandoque creaturas dignitate præcellentes. Unde ab his non promanat honos, vel cultus divinus ex natura rei soli Deo debitus, sed tantum per aliud, id est ex adjunctis; nimirum quando is, qui talibus utitur signis erga creaturam, id facit, vel quia credit, aut existimat, illam esse Deum, aliquidve divinitatis habere, quod ad infidelitatem pertinet; vel, licet hoc non credat, motus tamen passione aliqua amoris, aut odii, vult creaturam quam scit esse creaturam, colere ac si esset Deus. Vel tandem si utatur eo signo indifferenti ad cultum Dei, & cultum creaturæ eo tempore, ac his circumstantiis; ut censeatur cultus divinus exhibitus creaturæ, ut si qui à tyranno invitatus, ut coram Idolo genu flecteret, ei morem gereret, is profectò Idololatra esset, quamvis non crederet, esse Deum, aut aliquid divinitatis habere, neque haberet animum illud honorandi, ut Deum. Quia talibus attentis circumstantiis hîc & nunc colit Idolum, sicut Deum verum.

Primò igitur asserimus, nunquam licere absque Idololatriæ reatu venerari externè creaturam aliqua sensibili signo per se ad cultum veri Dei ordinato, nisi fieret joco. Nam, si repræsentationis tantum gratiâ id accideret, ut in comœdiis, extra controversiam positum est, id licere, quia talis usus hujusmodi signorum non significat histriones eum cultum Idolis exhibere, sed tantum repræsentare cultum ab Idololatris exhiberi solitum. Ex quo nequaquam oritur subtractio honoris divini, aut scandalum adstantium, sed pòtius contemptus, ac irrisio falsorum Deorum. Hæc autem assertio, ita explicata, est de fide.

Probatur primùm adversus hæreticos omnibus iis Sacræ Scripturæ locis, quibus habetur, & significatur; non solùm fidem esse de necessitate salutis, verum etiam fidei veritatumque ejus confessionem, Matth. 10. *qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Lucæ 9. *Nam qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet.* 2. ad Timoth. cap. 2. *Si negaverimus eum, & ipse negabit nos*, & ad Roman. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, ubi nomine oris omne signum externum intelligendum est, ut communiter explicant Doctores.

Cùm igitur Idololatria externa, licet ficta, sit contra fidei confessionem; nam est confessio alterius Dei, & consequenter continet negationem veri Dei, quia duo simul esse non possunt, sine ulla dubitatione gravissimum est peccatum divino honori, ac religioni valde contrarium, quia continet perniciosum mendacium contra Dei honorem, scilicet quod sit alter Deus. Ac insuper, qui sic colit falsos Deos, cùm decipiat alios perniciosè, quia veraciter eum agere existimant, gravissimum in eis generat scandalum. Et ideo 2. Machab. cap. 6. respondet Eleazarus præmitti se potius velle in sepulchrum, quàm tale peccatum committere. *Non enim*, inquit, *ætati nostræ dignum est fingere, ut multi adolescentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, & per hoc maculam, atque execrationem meæ senectuti conquiram.*

Deinde hæc veritas aperte confirmatur unanimi consensu, & antiqua Ecclesiæ traditione, quæ hoc delictum negandi fidei veritatem, quantumvis in actu solum externo, semper reputavit magnum, & ita illud reprehendit, nec non in suis subditis punivit. Id constat ex can. 61. Apostolorum, qui specialiter loquitur de Clericis fidem negantibus. De omnibus verò fidelibus loquitur Concilium Nicænum *can.* 12. & 15. Anciranum ferè totum, & Elibertinum *can.* 1. & 2. Cujus etiam rei manifestum habemus exemplum in Marcellino summo Pontifice, qui cùm humana fragilitate in immani illa Diocletiani Imperatoris persecutione perterritus, Deorum simulachris thus adhibuisset, facti pœnitens in Concilio Sinuessano scelus suum palam confessus est. Et certe si per talem cultus simulationem Idololatriæ macula non contraheretur, maxime persecutionis tempore, Christiani à tyrannis infidelibus fatigati sæpe imprudenter, maléque egissent, non utendo tali simulatione; quia sæpe magni interesat pro fidelibus defendendis, ac docendis, ut ille, qui cogebatur idololatrare, superstes per aliquot annos esset. Cùm igitur nullus unquam propter tormenta, vel quæcunque nocumenta ausus sit, talem simulare cultum, sed omnes viri fortes potiùs occubuerint, & ad id se obligatos esse firmiter crediderint, manifestum est argumentum, illum prorsus esse illicitum.

Ad hæc accedit veterum Patrum autoritas, qui hanc veritatem passim docent, Cyprianus *Epist.* 10. 11. & 12. *nec non* 72. Nazianzenus *orat.* 43. *in nonam Dominic.* Augustinus *lib. contra mendac. cap.* 6. *tract.* 66. & 113. *in Joannem ac lib. de fide, & Symbolo cap.* 2. *Fides*, inquit, *officium à nobis exigit & cordis, & linguæ.*

Postremo probatur rationibus adversus Philosophos. Nam hujusmodi actus externæ Idololatriæ est intrinsece malus, quia est mendacium perniciosum, Deo injurium, & hominibus improbitatis exemplum pessimum præbet. Ergo semper est malus, atque adeo quacumque ex causa semper, & pro semper illicitus. Malitia enim mendacii ita est ab eo inseparabilis, ut propter nullam causam mentiri liceat, ut late ostendit Augustinus *lib. contra mendac. capit. vigesimo primo.* Supposito igitur, quod præfatus actus sit mendacium, de intrinseca illius malitia dubitari non potest, atque adeo quin semper sit malus, & illicitus. Idque imprimis, si propria fiat sponte, sive cum interrogatione, sive absque illa, quo casu nullam habet vel apparentem excusationem, patetque à fortiori, quia non habet locum ubi fit per externam coactionem. Quia talis coactio, quantumvis acerba ex parte subjecti, sive operantis non aufert libertatem sufficientem ad peccandum vel servandum præceptum, ut docent omnes Theologi. Ex hac igitur parte non excusat. Deinde ab objecto non tollit deformitatem, cùm ex dictis ita sit illi intrinsece annexa, ut sit ab illo inseparabilis. Semper ergo talis actus malus est, ac prohibitus, etiamsi propter vitanda quæcumque macula pœnæ committatur.

Si quis autem objiciat, hujusmodi actionem exterioris adorationis non sufficere ad peccatum, quia gravissima, præsertim urgente necessitate, voluntas illi deesse videtur. Unde vera non est Idololatria, sed ficta solum, & apparens, sicut non est Idololatra Tragœdus, qui in theatro exterius exhibet divinum honorem alteri repræsentanti personam Jovis, aut alterius falsi Dei.

Huic respondetur, illam quidem actionem exteriorem fieri sine intentione, aut voluntate honorandi falsum Deum, ut supponitur, non autem absolute sine voluntate. Unde verum est peccatum externæ Idololatriæ, licet desit interior, respectu cujus propterea illa exterior actio dicitur ficta, & apparens Idololatria. Quia nimirum falsam habeat significationem ex parte adorantis, non autem quia veram, & absolute voluntariam malitiam non habeat. Ex quo patet ad exemplum Tragœdi, qui, ut jam notavimus, non exhibet seriò illum honorem externum, sed joco solum repræsentat, qualiter exhiberi solet. De ratione autem hujus fictæ Idololatriæ est, ut exterius seriò exhibeatur, profitendo videlicet exterius verè, atque ex animo exhiberi, etiam si falso, & cum mendacio id fiat.

Et

Et quia mendacium, quod in actu hujusmodi externæ Idololatriæ reperitur Deo injuriam, & hominibus offensionem affert, nedum mendacii malitiam annexam habet, sed insuper videtur esse contra religionem, quatenus est contra honorem Dei, nec non contra charitatem ratione scandali respectu aliorum. Non enim repugnat, quod idem actus habeat plures malitias juxta diversas circumstantias, quarum tamen una solet esse primaria, quæ nimirum magis proprie opponitur objecto virtutis. Et talis est in præsenti actu malitia religioni contraria, qui idcirco vocatur etiam Idololatria, quamvis ex se non ita gravis, ac alii duo modi superius allati.

Secundo asserimus. Qui fingit se Idolum, aut creaturam aliquam venerari signo aliquo sensibili indifferenti ad Dei cultum, & ad alios fines, sed tamen determinato ex circumstantiis ad falsi Dei cultum, Idololatriam committit, etiamsi fiat ad vitandum gravissimum malum mortis, vel aliud æquivalens. Hæc assertio non minus certa est, quàm præcedens, & eisdem rationibus probatur, quibus & illa. Etsi enim aliqualis sit controversia inter Doctores, quales sint in particulari hujusmodi circumstantia, vel adjuncta, quæ cultum aliàs indifferentem, & consequenter licitum, reddant Idololatricum, ac inde illicitum; omnes tamen conveniunt, quòd ubi signum aliquod sensibile, indifferens ex se ad Dei cultum, & alios fines, determinatur ex circumstantiis, quæcumque sint illæ, ad falsi Dei cultum, Idololatra sit ille, qui tali utitur signo.

Cùm autem præfata determinatio possit fieri ex more, aut consuetudine, nec non ex lege, ad id tamen dignoscendum, tanquam regulam magis indubitatam, ponunt omnes Orthodoxi, quod ubi Tyrannus exigit, ac urget, ut fidelis utatur signo aliquo sensibili ad Idoli, vel alicujus creaturæ cultum, quamvis illud signum, exempli gratia, genuflexio, sit de se indifferens, & amphibologicum ad cultum divinum, vel ad aliud, tunc tamen censendum sit determinari, & coarctari ad cultum idololatricum, & consequenter illo utentem esse verè Idololatram, ac si uteretur sacrificiis erga Idola colenda.

Hæc regula desumitur ex supracitatis Scripturæ locis *Matth.* 10. *Luc.* 9. prout interpretantur veteres Patres, Tertullianus *lib. de Idololat. cap.* 13. Cyrillus *Joan.* 10. & alii. Nam omnes tam fideles, quàm infideles existimant, attentis præfatis circumstantiis, quod usus illius signi ad veram Idololatriam spectet, illoque utentem reputant Idololatram. Ex his igitur circumstantiis determinatum est illud signum ad idololatriam cultum, & in sua amplius non manet indifferentia,

Quod probatur primo de Infidelibus. Quia per usum hujusmodi signi nihil aliud intendunt, quàm extorquere à fidelibus professionem sectæ alienæ, & negationem propriæ. Fideles quoque credidisse hujusmodi signi usum, exigente, & urgente tyranno, pertinere ad cultum idololatricum, demonstratur ex hoc, quod repudiato talis signi usu, tot inclyti Martyres mortem fortiter passi sunt, eam multi non passuri, cùm ita majus Ecclesiæ bonum, fideliumque utilitas plerumque peteret, nisi putavissent illud signum cultus, hîc, & nunc ad obsequium, & honores divinos Idolo exhibendos, esse deputatum.

Si quis autem iterum inquirat, cur judice injuste, vel non juridice interrogante quempiam, liceat interrogato verbis uti amphibologicis, & sic deludere judicem, fidelibus verò non liceat cum Tyranno uti signis etiam amphibologicis? Quemadmodum enim verba amphibologica in sua permanent amphibologia, judice interrogante injuste, neque ex ea injustitia limitantur, aut coarctantur ad sensum, quo Judex iniquus interrogat, ita nec signa sensibilia, de se indifferentia ad cultum exhibendum Deo, aut ad alios fines, etiam si urgeat, vel instet Tyrannus, sunt coarctanda ad cultum idololatricum, juxta quam significationem tyrannice hîc & nunc exigit cultum; sed illis uti poterunt fideles in alia significatione.

Respondetur, hoc discrimen provenire ex eo, quòd in judicio obligatio manifestandi veritatem respicit jus ipsius superioris vel judicis interrogantis. Et ideo si ille potestatem non habet interrogandi, nec reus habet obligationem respondendi, sed sine mendacio per amphibologiam negare potest, se commisisse aliquod delictum, subintelligendo ita, ut tibi dicere, vel manifestare tenear. At verò in nostro casu præfata manifestandi veritatem obligatio non fundatur in potestate, vel authoritate Tyranni interrogantis, sed in jure ipsius Dei, de cujus fide, ac veritate interrogatur fidelis. Ideoque licet non juridice, sed tyrannice interrogetur, sive à proprio Rege, ac superiore, sive à quocunque alio, tenetur sincere ac propriè veritatem fateri, & quando signum, aliàs indifferens, semel ex circumstantiis determinatur ad idoli cultum, etiamsi talis determinatio ortum habeat à tyrannide, Fidelis illo uti amphibologicè amplius non potest, sique simulans dicat, se nolle colere Idolum, sed mortem effugere, decipitur, sicut qui vellet se liberare à morte per juramentum falsum, non intendens adducere Deum in testem, ipse quoque se deciperet, putans se non facere, quod revera facit.

Quamvis autem præter tres modos superius adductos, alii non dentur in committendo formaliter Idololatriæ peccatum. Ut enim Idololatra proprie vocatur, qui alteri, quàm vero Deo, divinum honorem exhibet, ita quoque formalis, & propria Idololatria posita est in exhibitione talis honoris, quæ cum esse non possit, nisi vel merè externa, vel etiam interna, & hæc vel concurrente simul intellectu & voluntate, vel solâ voluntate sine errore intellectus, manifestè sequitur, omnem propriam & formalem Idololatriam in dictis tribus modis adæquate contineri.

Quia tamen causaliter, sive cooperando aliqualiter ad Idololatriam variis etiam modis potest illa participari, ut cùm dæmon sibi affectat, & procurat divinum honorem, aut Tyrannus seipsum, ut Deum adorare facit, hos quoque modos, ac similes omnino illicitos esse, affirmamus. Quia licet alium falsum Deum ipsi non adorent, neque etiam seipsos, attamen dum alios ad Idololatriam inducunt, & quia ipsi affectant divinos honores, idololatriæ maculam incurrunt, crimenque læsæ Majestatis Divinæ committunt; imo gravius in eo genere delinquere videntur, quàm illi, qui eos adorant. Tum quia majori contra Deum superbia extolluntur. Tum etiam quia in virtute ac radice continet universa aliorum peccata.

Idem quoque judicium, proportione servata, ferendum est de illo, qui alteri consulit Idololatriam, licet ipse Idolum non colat, neque ex cruore consulat, sed ex odio, vel deceptione. Nam præter alia vitia, quæ in illo intervenire possunt, continetur etiam pravitas, & malitia Idololatriæ. Idemque est de quocunque cooperante ac moralem occasionem præbente alteri, ut Idolum colat. Atque de hoc genere peccati loquitur D. Thomas 2. 2. *qu.*169. *art.*2. *ad* 4. ubi docet, peccare artificem fabricantem Idola, vel aliqua ad cultum Idololatriæ pertinentia.

Utrum autem, & quomodo Idololatræ cogi possint ad unius veri Dei cultum profitendum. Cùm enim adversus infideles dupliciter procedi possit, vel via disputationis, ut convincantur, illisque persuadeantur tam supernaturales Fidei nostræ veritates, quàm naturales, hoc est, quæ naturali etiam lumine cognosci possunt, ut existentia, & unitas alicujus supremi Numinis, vel via jurisdictionis qua per pœnam, & coactionem ad id compelluntur, de utraque dictum est suis in locis. Unde tantum sit de Idololatria, & Polytheismo.

Consultatio XXXVI.

Quid, & quisnam propriè sit Hæreticus? Ejus vera definitio, ac definitionis explicatio. Ex quibus constituatur hæreticus, & quotuplex sit, ac hujusmodi alia, ubi effata de Hæreticis breviter ac dilucidè.

HÆreticus hoc pacto describi videtur. *Qui post susceptum baptisma, & sufficientem rerum Fidei cognitionem cum pertinacia interne contra Fidem errans, externe prodit errorem.*

Singula expendamus. *Post susceptum baptisma.* Siquidem infidelis non solum non potest excommunicari, cùm Ecclesiæ non sit subditus *cap. gaudemus de divert.* ubi dicitur, *infideles constitutionibus Canonicis non arctantur. Quid enim secundum Apostolum de his, quæ foris sunt judicare?* Sed nec revera hæreticus dici potest, ut est commune placitum Burii, ac Doctorum *in cap. firmissime de hæret.* Graf. *lib. 2. dec. cap.* 8. *num.* 1. Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 16. *cap.* 2. Duard. *Com. in Bul. Cœn. lib.* 2. *can.* 1. *qu.* 21. *num.* 31. Reginal. *in prax. for. potuit. tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 14. *num.* 235. Ricciul. *de jur. person. lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 16.

Quare nec Catechumenus hac censura innodari potest, quòd licet credulitatem receperit, non tamen Fidem in Ecclesiæ manibus, quod fit per baptisma, professus sit, Ugolin. *de censur. Pontif. reser. p.* 2. *cap.* 1. §. 1. *num.* 2. & 3. Sayr. *de censur. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 11. Simanch. *de Cath. instit. tit.* 31. *num.* 6. Azor. *instit. moral. tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 9. *quæst.* 3. Suarez *de censur. disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 4. Alter. *eod. tit. lib.* 5. *disp.* 2. *cap.* 2. *col.* 8. Sousa *in relect. ad Bul. Cœn. cap.* 2. *annot. circa textum num.* 8. Sanch. *in decal. lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 34. Filiuc. *loc. cit.* Ricciul. *ibid. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 26. & Nald. *in sum. v. Bulla Cœna num.* 5.

Quicquid sit, an hic aliàs sit dicendus aliquo modo hæreticus, si à Fide recedat. Quod affirmant Alterius *supra col.* 10. Sousa & Suarez *loc. cit.* Bannes 2. 2. *qu.* 11. *art.* 2. Becanus *de fid. cap.* 14. *qu.* 2. *num.* 4. & Alph. à Castro *lib.* 1. *de just. hæret. pun. cap.* 8. qui & singulariter addit, etiam pœnis hæreticorum hunc obnoxium fieri. Negant verò Caiet. 2. 2. *qu.* 10. *art.* 5. Ugolinus & Sanchez *ibid.* Ricciul. *num.* 28. *ac seq.* Toletus *lib.* 4 *instruct. cap.* 3. *num.* 3. & Aragon. 2. 2. *qu.* 11. *art.* 2. *dub.* 3. de qua re nos alibi diximus. Ut autem aliquis ab Ecclesia puniatur, tanquam hæreticus, necessarium est, ut professus fuerit Fidem Christi in baptismo. Est communis sententia contra Castrium. Quia Ecclesia non potest aliquem punire, nisi qui ipsius jurisdictioni ac potestati subjectus sit. At sine baptismo nemo subjectus est jurisdictioni Ecclesiasticæ.

Ut autem aliquis revera sit hæreticus satis est, si aliquando professus fuerit Fidem Christi, licet non sit baptizatus, sed tantum catechumenus. Probatur primo ex Concilio Niceno *can.* 19. ubi statutum est, debere eos baptizari, qui ex hæresi Pauli Samosateni redirent ad Ecclesiam Catholicam. Cujus Canonis meminit August. *hæres.* 44. his verbis: *Isti sane Paulianos baptizandos esse in Ecclesia Catholica, Niceno Concilio constitutum est.* Simile decretum est in sexta Synodo generali *can.* 95. ubi definitur, quinam hæretici baptizari debeant, quando fiunt Catholici, & qui non debeant. In utroque decreto supponitur, aliquos esse hæreticos antequam baptizentur. Secundo probatur ex Augustino *de un. baptism. contra Petilian. cap.* 3. & *in præfat. ad lib. de hæres.* ubi supponit aliquos esse hæreticos, qui quando redeunt ad Ecclesiam, baptizari debeant eo, quod apud ipsos non fuerit validus baptismus propter aliquem defectum.

Neque D. Thomas contrarium docet. Nam cùm asserit, illum hæreticum esse, qui recedit à Fide suscepta in veritate, non intelligit fidem susceptam in veritate idest in baptismo, sed in veritate, id est non in umbra & figura. Assignat enim discrimen inter Judæum & hæreticum, quod ille recedat à fide suscepta in umbra & figura, hæreticus autem à fide suscepta in manifestatione & exhibitione veritatis.

Atque hinc habemus, valide hæreticos excommunicari. Nam licet non sint sub Ecclesia, ut membra corporis, quod late contra Castrium prosequitur Bellarminus *lib.* 3. *de Eccles. milit. cap.* 4. non sunt tamen extra eam tanquam non subditi, quia tales fiunt per indelebilem baptismatis characterem, *cap. minores de bapt.* ibi: *Saltem ratione Sacramenti ad jurisdictionem Ecclesiasticam pertinerent.* Traduntque fuse Theologi cum D. Thoma *p.* 3. *qu.* 69. & Ricciul. *lib.* 5. *cap.* 12. *à num.* 3.

Idque fatendum est, non solum quoties non est susceptum baptisma, sed etiam si invalide susceptum sit quacunque ex causa invaliditas ortum duxerit, sive quia suscipiens fictè se gesserit, sive quia defectus ex parte materiæ, formę, aut ministri contigerit. Nam, cum baptisma, non sit baptisma, irritum non reddit suscipientem Ecclesiæ subditũ, ut per Ugolinum & Sayrum *loc. alleg.* Sanch. *supra nu.* 35. & *seq.* ac Reginald. *n.* 235. Et licet aliquando Ecclesia, quæ secundum exteriora tantum judicat, eos possit pro excommunicatis habere, tales quippe eos debet præsumere, donec constet de nullitate baptismi, ut optime Sayrus *cit. cap.* 4. *num.* 11. revera tamen tales non sunt. Nec ullus excusatur, eo quod ignorantia infantiæ susceperit baptisma, quod perveniens ad usum rationis susceptum noluisset, aut qui aliquo modo fuerit coactus fuerit. Nam quando coactio non est absoluta, qualem supponimus in proposito, & in infantem cadere non potest, non excusat, ut declarat Farinac. *de hæres. qu.* 38. *num.* 140. & sequitur Duard. *d. qu.* 21. *num.* 6. ac definitum est, *in cap. contra Christianos de hæret. in* 6. his verbis: *Contra Christianos, qui ad ritum redierunt Judæorum, tanquam contra hæreticos procedendum, etiamsi dum erant infantes, aut mortis metu, non tamen absolutè, aut præcisè coacti, baptizati fuerint.*

Sufficiens rerum fidei cognitio. Hæc enim ad hæreticum constituendum requiritur. Nam ea carentes non censentur voluntarie, & ex electione errori contra fidem adhærere, cùm tamen hæresis dicit proprie sententiæ electionem *can. hæresis* 24. *qu.* 3. *in* hæc verba: *Hæresis Græce ab electione dicitur, quod scilicet eam sibi unusquisque eligat disciplinam, quam putat esse meliorem,* Graf. *eo cap.* 8. *nu.* 3. Castrius *cap. item* 8. Filiuc. *ibid. n.* 22. ac Ricciul *lib.* 5. *cap.* 7. *nu.* 6.

Excusantur igitur, qui ab infantia inter hæreticos baptizati, & inter eos assidue enutriti, ac edocti differentiam inter catholica & hæretica dogmata non agnoscunt. Quandoquidem cum hi inculpabiliter ignorent, non habent in errore contra Fidem sufficientem malitiam, & ita locis allegatis Castrius *dub.* 2. Simanch. *num.* 7. Aragon. *dub. ult.* Ricciullus Filiucius, & Graffius, qui postremus idem fert judicium de iis, qui in adulta ætate baptizantur, nondum in fide sufficienter instructio: Impedit enim invincibilis hæc ignorantia, licet revera erroribus contra fidem præstetur assensus, ne habitus fidei, in baptismo infusus, amittatur, ac quis inde hæreticus fiat, ut per Sanchez *d. lib.* 2. *cap.* 8. & Reginald. *d. nu.* 235.

Sufficienter verò edoctus statim fit hæreticus, non acquiescens cognitæ veritati, Sanchez, & Alterius *cit. disp.* 2. *cap.* 2. ac Duard. *ea qu.* 21. *num.* 7. qui duo, licet limitent, si probabiliter sciat se esse baptizatum, arbitror tamen idem esse, si nesciat. Quia fides sufficienter cognita, ac proposita, si non recipiatur, inducit infidelitatem, quæ in baptizato dicitur hæresis, tollitque

tollitque habitum fidei infusum. Nec enim aliunde immunis est ab excommunicatione infidelis, dum fidem sufficienter propositam non amplectitur, quàm quia defectu baptismatis non est capax vinculi Ecclesiasticæ censuræ. Quænam autem ignorantia excuset ab hæresi, ac ejus pœnis dictum est suo loco.

Qua in re opportune hìc advertimus, teneri indifferenter fideles singulos sub lethali scire, ac explicite credere. Primò, Deum esse, autoremque esse donorum supernaturalium ac remuneratorem, juxta illud Pauli *ad Hebr.* 11. Secundo, mysteria Incarnationis, mortis, ac resurrectionis Christi, redemptionisque humani generis per ipsum, & Christum vere esse filium Dei. Tertio, Mysterium Trinitatis, saltem quod unus sit Deus, tres autem divinæ Personæ, ac generaliter quæ summatim comprehenduntur in Symbolo Apostolorum, vel ut aliis placet, in Catechismo, qui fit ante infantium baptisma, de qua re fuse Sanchez *cit. lib. 2. cap. 2. & 3.* Nec tamen in his errans instructionis defectu est hæreticus, ut dicebamus, siquis exempli gratia ex simplicitate quadam, vel ratione naturali ductus, opinaretur ex tribus divinis Personis constitui tres Deos. Verùm neque talis est præsumendus, ut abunde Canonistæ *in cap. 1. de sum. Trin.* quos refert, ac sequitur Ricciul. *cit. lib. 5. cap. 4. num. 2.* Quia licet teneantur cuncti explicite credere, non tamen difficultates solvere, ac mysteriorum naturam ad intimum penetrare.

Addidimus in definitione *pertinaciam*, quia sine ea non completur hæresis, *cap. ad abolendam de hæret. cap. 2. de sum. Trinit. cap. un eod. tit. in 6. & Clem. un. de hæret.* in quibus ac similibus juribus habentur, hæc verba *pertinaciter non metuunt*, aut *pertinaciter præsumunt*, aliaque hujusmodi, denotantia in assensu hæretico deliberatam malitiam. Quod etiam docent D. Augustinus *epist.* 162. cujus verba referuntur *in can. dixit Apostolus* 24. *q.* 3. & *lib.* 18. *de civit. Dei cap.* 51. *Qui*, inquit, *in Ecclesia Christi morbidum aliquid, pravumque sapiunt, si correcti, ut sanum, rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici fiunt, & foras exeuntes habentur in exercentibus inimicis.* D. Thom. 2. 2. *q.* 5. *ar.* 3. & *q.* 11. *ar.* 2. *ad* 3. ubi Cajetanus, aliique, Canus *de loc. theol. lib.* 12. *cap.* 8. *ad* 5. *arg.* Sayr. *de censur. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 18. ubi diserte id explicat, Eymeric. & ad eum Pegna *in directi. p.* 2. *p.* 32. Alter. *cit. cap.* 2. *col.* 4. & alii apud Ricciul. *lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 15. Nam sicuti fides ad captivandum intellectum, pium requirit affectum voluntatis, ita ad hæresim solus error intellectus, non sufficit, nisi accedat prava voluntatis dispositio, quæ pertinaciam constituit.

Pertinacia autem non est, ut sonare videtur, obstinata, longa, constans, & pervicax in errore commoratio, ut unice videtur sensisse Grassius *d. cap.* 8. *nu.* 7. inquiens, necessarium esse, quod taliter velit quis persistere in errore, ut nullo modo velit ab eo desistere, ac Sylvester, dicens, necessariam esse temporis diuturnitatem, ac perseverantiam, sed deliberatus, atque ex electione elicitus à prudente, ac sciente contra fidem assensus ad hæresim sufficit, quamvis non eliciatur tale *propositum* nunquam desistendi, in eoque consistit, ut quis sciens, ac prudens teneat aliquid contra Ecclesiam Catholicam. Vel ut quis cognoscat, & animadvertat suam opinionem contrariam esse sensui Ecclesiæ Catholicæ, & tamen neglecta autoritate Ecclesiæ persistat in sua opinione. Colligitur id *ex cap. ad abolendam*, & aliis juribus modò relatis, & docet Augustinus *lib.* 4. *contra Donatistas cap.* 6. ubi sic habet: *Constituamus aliquem sentire id de Christo, quod Photinus opinatus est, existimantem ipsam esse Catholicam fidem, nondum illum hæreticum dico, nisi manifestata sibi doctrina catholicæ fidei resistere maluerit. & illud quod tenebat, elegerit.* Idem habet ex *epist.* 164. ac docet D. Thomas *p.* 1. *q.* 32 *ar.* 2. *in fin.* Cajet. 2. 2. *q.* 11. *ar.* 1. Castrius *cit. cap.* 9. Canus *ubi supra*, Simanchas *tit.* 48. *num.* 7. & *seq.* Azor. *d. cap.* 9. *q.* 3. Duard. *q.* 24. *num.* 2. Sanchez *d. lib.* 2. *c.* 7. *num.* 2. Ricciul. *cap.* 2. *à n.* 7. Sayr. *num.* 16. Alter. *ibid.* ac Becanus de *fid. cap.* 14. *q.* 2. *num.* 12. Valentia *d. q.* 11. *pun.* 1. *dub.* 4. Nam sicut is censetur Catholicus, qui sentit vera esse quæcunque ab Ecclesia proponuntur, tanquam revelata à Deo, ita è contra, is censeri debet hæreticus, qui sentit aliquid non esse verum, quod ab Ecclesia proponitur, tanquam revelatum à Deo. Satisque est ad hæresim, ac pertinaciam, si sciens, ac volens sentiat contra Ecclesiam, sive id faciat ex directo affectu contradicendi Ecclesiæ, sive ex cupiditate inanis gloriæ, sive vi argumentorum convictus, sive alia de causa, ut notat Vasquez *in* 1. 2. *disp.* 126. *cap.* 2. *d. cap.* 7. *numer.* 4. Nam quocunque modo contradicat Ecclesiæ semper præfert privatum suum judicium judicio Ecclesiæ; ac proinde putat judicium Ecclesiæ non esse sufficiens fundamentum ad credendum. In quo consistit ipsius pertinacia.

Hinc habetur, solummodo primos motus, quique non advertuntur, vel ex vehementi animi passione procedunt, etiam aliquo actu exteriori manifestatos, ut subitam in imagines sacras expuitionem, Sacramenti contemptum, ac similes, non constituere hæreticum, ex dictis juribus, quæ requirunt deliberatum assensum, docent Doctores relati, quibus adde D. Antoninum *p.* 2. *sum. tit.* 12. *cap.* 5. Grassium *lib.* 4. *dec. cap.* 18. *num.* 11. & Filiuccium *d. cap.* 2. *num.* 24.

At quia *in cap. qui in Ecclesia*, & *in can. dixit. Apostolus* 24. *q.* 3. & *in cap.* 2. §. *in nullis de sum. Trinit.* asseritur, non esse hæreticum, qui paratus est ab Ecclesia corrigi, est observandum, debere id intelligi nonnisi de eo, qui non arbitretur se errare. Nam qui novit, se opinari contra Ecclesiam, licet asserat tunc verbis, se paratum corrigi ab illa, revera non est paratus. Siquidem ex eo, quod scit, Ecclesiam contrarium tenere, habet sufficiens fundamentum emendationis & acquiescendi. Quod posuit pro regula Castrius *d. cap.* 9. & cum eo Ugolinus §. 1. 9. Duard. *cit. q.* 25. *n.* 3. & communiter Doctores *in d. cap.* 2. *de sum. Trin.* Id quidem asseverare proderit in foro exteriori, ut hæreticorum pœnas, ita asserens, eludat, at excommunicationem non evadet in foro exteriori.

Neque excusatur, qui paratus est corrigi, modò convincatur argumentis, & non aliter. Nam sola Ecclesiæ propositio est sufficiens, & satis probabile habendæ fidei fundamentum, quique ejus testimonium respuit, vel ex eo solum est hæreticus. Et ita ex Vasquez, Valentia, & aliis asserunt Sanchez *supra n.* 3. 6. & 28. Quapropter istud asserere, se esse paratum corrigi, non sibi locum vendicat, nisi in ignorante. At is, qui ait, se paratum corrigi, si credat, quempiam nomine Ecclesiæ corrigentem, puta Episcopum, Inquisitorem, vel Parochum esse talem, cui fides sit adhibenda, & nec fallere, neque falli, sed juxta sensum Ecclesiæ corrigere, si non se emendet, errоremque deserat, fit pertinax, etiamsi adhuc dicat, se paratum esse ab Ecclesia corrigi. Habet enim tunc corrigentem juxta Ecclesiæ normam, quæ diverso modo non instruit, ac ille Episcopus, Inquisitor, vel Parochus.

Quod si correctus à prædictis non retractet errorem eo, quod cum non sint catholicarum veritatum regulæ, sed fallere possunt, ac falli, non censeat debere se eorum judicio submittere, non evadet pertinax, aut hæreticus, quia adhuc paratus est corrigi ab Ecclesia, vel à summo Pontifice, qui solus est certa fidei regula, Torres de *Trin. q.* 33. *ar.* 4. *in* 4. *p. com.*

p. comm. Canus, Valentia, Vasquez *loc. cit.* Sayr. *num.* 17. Sanch. *num.* 26. quicquid in contrarium Ugolin. §. 2. *numer.* 10. Rebuf. *in prax. benef. in expos. Bul. Cœn. ar.* 1. *ver hæreticos*, Duard. *q.* 35. *numer.* 4. citans Ananiam, & Felinum, favetque Panormitanus illa sua evitanda sententia, ut ait Cajetanus 2. 2. *q.* 1. *ar.* 2. quam tradit *in cap. significasti de elect.* magis scilicet sententiæ Doctoris, quàm Papæ in his, quæ sunt fidei, standum esse. Immo qui nesciret, Summum Pontificem esse certam fidei regulam, non fieret pertinax ex illius admonitione non se corrigens, dummodo paratus sit ab Ecclesia, vel ab eo, quem ipse putat, certam habere fidei normam, correctionem sumere, ut per Sanchez *num.* 26.

Vix autem in hominem doctum incidere posse videtur ignorantia hujusmodi. Quia cùm eum non lateat, quæ sit summi Pontificis autoritas, noveritque, hunc esse Ecclesiæ caput, supposito, quod aliquis in Ecclesia esse debeat fidei Judex, & regula, suspicari non potest, ipsum, cœterosque juxta mentem ipsius corrigentes decipere, aut decipi. Quare taliter opinans, præsumetur errare circa articulum de autoritate Pontificis, & consequenter esse hac ex parte hæreticum. Contra, rusticus, qui non tenetur explicite scire, Pontificem esse certam regulam fidei, non fit pertinax, etiamsi ab eo monitus, errorem non deserat, dummodo paratus sit credere quicquid credit Ecclesia, ut ex Toleto *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 3. annotavit Sanchez loco citato

Neque satis est in viro non rudi præsertim, ad pertinaciæ notam effugiendam, asseverare, se paratum esse credere, quod vult Deus credendum, & à Deo ipso corrigi. Quia, ut pariter dicebamus, hæresis est, non recognoscere Ecclesiam visibilem. Quod siquis dicat, non esse Romanam, eosque, qui ad mentem ipsius docent, non habere rectam fidei normam, non solum est hæreticus, sed hæresi superaddit schisma, ut affatim Theologi contra recentiores hæreticos, præcipue Bellarminus, Suarez & Becanus *in opusc. controv. fid. lib.* 1. *cap.* 3. *& alibi.* Dixi *in viro non rudi.* Quia licet quisque explicite credere teneatur in articulum *Sanctam Ecclesiam catholicam*, non tamen tenetur ita scire, eam esse fidei regulam, vel hanc Ecclesiam esse Romanam.

Particula illa *Interne* denotat, hæreticum non esse qui externe hæresim ostentans, adhuc in intellectu non assentitur errori. Nam cum fides, ut dictum est, consistat primario in intellectus assensu, ab ejusdem intellectus errore hæresis sumere debet originem. Est communis sententia Theologorum, Soti *in* 4. *d.* 22. *q.* 2. Bannes 2. 2. *q.* 11. Valentiæ *ibid. q.* 13. *disp.* 1. *pun.* 1. Suarez *tom.* 5. *disp.* 21. *sect.* 2. *numer.* 3. *Toleti d. lib.* 4. *cap.* 4. Lessii *de just. lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 2. *numer.* 11. Azorii *cit. cap.* 9. *q.* 9. & rursus *cap.* 21. *q.* 5. *& 6.* Becani *de fid. cap.* 4. *q.* 2. *numer.* 6. Sayri *in clavi reg. lib.* 4. *numer.* 11. *& de censur. lib.* 3. *cap.* 4. *numer.* 13. *&* 35. Avil. *eod. argum. p.* 1. *dub* 11. Simanch. *cit. tit.* 31. *numer.* 3. Sanchez *supra num.* 8. Alterii *cap.* 2. *col.* 6. Sousæ *cap.* 2. *in annot. circa textum numer.* 7. *& disp.* 5. *numer.* 2. Duardi *q.* 22. *in princ.* Reginaldi *d. numer.* 135. Ricciulli *cap.* 3. Scortiæ *in Bul. select. theor.* 410. & Canonistarum, Calderini *cons.* 4. *de hæret.* Cravetæ *cons.* 202. *post num.* 7. Navarri *cap.* 11. *numer.* 27. *& cap.* 17. *numer.* 76. ac Summistarum *in v. hæresis*

Contrarium opinatus est ex iis, quos viderim, solus Cajetanus 2. 2. *q.* 94. *ar.* 1. licet ei aliqui viri docti subscribere dicantur à Bannes *loc. cit.* videlicet, quem fieri hæreticum, & excommunicatum per hoc solum, quod in signum externum hæreseos consentiat, etiamsi vi vel metu. Ducitur ex eo, quod actus ille non est pure exterior, sed conjungitur ei actui interiori, quo voluntariè exhibitioni ejus signi præstatur consensus. Porrò cum actus interior, quo quis in actum pravum exteriorem consentit, ad eandem malitiæ speciem, in qua actus exterior collocatur, reducendus est, & actus exterior sit infidelitatis, sequitur, hunc non externè solum, sed etiam internè esse infidelem, ac proindè hæreticum, & huic vinculo obnoxium. Illustratque ex eo, quod sicuti est verus fur ac homicida, qui compulsus furatur, aut occidit, quantumvis his criminibus animum habeat aversum, ita & vere hereticus, qui in exteriorem actum hæresis consentit.

Diruitur tamen hoc fundamentum ex eo, quod non est propriè delictum hæresis, dum error non sit in intellectu. Quod enim ad eam voluntatem, qua assensus præstatur in exteriorem actum, non est sufficiens ad errorem in fide constituendum. Quia pius credulitatis affectus, quo vult intellectum captivari, ac cedere, in quo consistit fides ex parte voluntatis, non amittitur. Quare committitur quidem lethale crimen, cum teneatur quilibet, sub præcepto, palam testimonium fidei dare, quod crimen reductive ad hæresim pertinet, ut Cajetano placet. At deest ad veram hæresim intrinseca animi propensio, quæ in foro conscientiæ attenditur, *arg. Clem. cupientes* §. *qui verò de pœn. & Clem.* 1. *de stat. Monach.* Homicidium autem, ac furtum, etiam à compulso vi aut metu perpetratum, est verum homicidium & furtum, quia in sui substantia non dependet ab aliquo interiori, ut dependet hæresis.

Quapropter non modò, qui vi, aut metu impellente, exterius fidem negant, non sunt hæretici, & canone primo Bullæ Cœnæ mulctati, sed neque illi, qui sponte alia quavis de causa, aut dæmoni cultum præbent, aut fidei abrenunciant, dummodo interius non assentiantur, ut per Tabien. *v. apostasia numer.* 6. D. Anton. 2. *p. sum. tit.* 12. *cap.* 5. §. 1. Reginald *numer.* 236. & Sanchez *nu.* 10. Immò cum sponte adorans dæmones, & Idola, dupliciter se animo habere possit, primo modo, ut adoret ex affectu, reverentiam scilicet cordis cum exteriori veneratione conjungens; secundo, ut animo positive reluctetur, detesteturque Idolum, asserimus, nec primo adorantem, hæreticum fieri defectu erroris in intellectu; Alterius *eo cap.* 2. *col.* 6. Quamvis tales ex affectu adorantes veri sint Idololatræ, & secundum aliquos incurrant excommunicationem, ac pœnas Extravagantis cujusdam Joannis XXII. quam refert Directorium Inquis. *p.* 2. *q.* 45. *numer.* 9. quamque alii quidam teste Aragon. 2. 2. *q.* 2. *ar.* 1. volunt non esse usu receptam.

Addo tamen hic cum Doctoribus, quod cum Ecclesia occulta non judicet, potest præsumere, tales externe fidem dictis factisve abnegantes esse hæreticos, ac in omnibus hæreticorum pœnis subjicere. Quod distinguendum puto inter eos, qui vi, metusve causa, & eos, qui sponte abnegant. Quoties enim satis probabiliter constet de vi facta, aut valido incusso metu, pœnis hæresis subjiciendi non sunt, *arg. tit. de his quæ vi, metus caus.* & expressius *ex can. potest de pœnit. d.* 1. ubi ex D. Ambrosio dicitur: Potest fieri, ut aliquis victus suppliciis, sermone neget Deum, nunquid eadem est causa ejus, qui sponte negat, & ejus, quem tormenta inclinaverunt ad sacrilegium? Non. Quoniam indignum est, &c. Adstipulatur Glossa *in can. non solum* 11. *q.* 3. Turrecr. *in d. can. potest, & in can. nunc autem* 21. *d.* Royas *de hæret. p.* 1. *numer.* 108. *& p.* 2. *numer.* 279. Farinac. *de hæres. q.* 183. §. 3. *num.* 28. Qua de re alibi.

Addiderim ego hac eadem ratione, licet internos actus metus non necessitet, eximi posse à censura dicti Can. in Bulla Cœnæ eum, qui vi, aut metu

incur-

incusso expertus de abnegatione fidei, ex simplicitate quadam non advertens, se posse interius non assentiri, abnegaret simul interius, & exterius. Remanet siquidem hic habitualiter in fide, & aliàs vis ac metus, qui internæ etiam abnegationis est causa, potis est à censura reddere immunem, ut alibi forsan dicemus. In eo casu duntaxat, quo quis externe hæreticam actionem exhiberet, ut aliis faveret hæreticis, innodaretur censura, non quidem ut hæreticus, sed ut fautor, Navar. *in man. cap.* 11. *numer.* 27. Ricciul. *cap.* 3. *in fine*, Sanchez *numer.* 9. *&* Alter. *d. col.* 6.

Jam liquet ex dictis, quæ sit de superstitiosis ferenda sententia, qui scilicet offerunt Deo cultum modo indebito, ut siquis Christianus Cæremonias Mosaicas Legis adhuc in divino cultu assumeret, scilicet nisi forte opinaretur expresse, eas finem non habuisse, neque ab Ecclesia potuisse abrogari, non esse hæreticum, ut per Ugolin. *d.* §. 2. Quod procedit de quibuscunque superstitionibus, à quocunque adinventis, quibus licet quis utens, arbitretur ritè eo modo se Deo obsequium præstare, non excommunicatur, nisi positive sentiat, eas ab Ecclesia prohiberi non posse, sive quod erret Ecclesia, eas non amplectendo.

Eademque est ratio de sortilegis, & divinantibus, præsertim per dæmones. Etenim si certò credant, dæmones scire futura contingentia circa voluntatem hominis, sunt hæretici. Est enim id contra fidem, quæ in sacra Scriptura passim hanc scientiam soli Deo tribuit. Secus est de eo, qui putaret, posse aliquo modo conjicere, Ugol. *loc. cit.* Qui idem dicit de auguribus, aliisque variis observationibus, de quibus nos in Consultatione de divinationibus. Quod & universaliter statuendum est de omnibus externe hæreticis, ut sunt Magi, Lamiæ, aliique paciscentes cum dæmone, de quibus fuse Duard. *q.* 22. *à num.* 32. Magi tamen in Bulla Cœnæ B. Pii V. erant expressi, ut per Navar. *num.* 55.

Similiter blasphemi hæreticales, licet advertenter, & ex animo blaphemias proferant, si tamen intellectu non adhæreant, credendo, rem ita se habere, ut dicunt, non sunt hæretici, ut ex dictis patet, ac sentiunt Duard. *q.* 22. *num.* 9. & Ugolin. §. 3. *num.* 2. sequutus Toletum *d. lib.* 4. *cap.* 13. & Antoniuc. *in Catech. Neap. lib.* 2. *cap.* 16. *&* 22. Quæ vera sunt in foro interiori.

Nam *in cap accusatus* §. *hanc*, juncta Glossa *de hæret. in* 6. aliqui sortilegi, & divinatores dicuntur hæretici ibi. *nisi hæresim saperent*, sicut etiam blasphemi hæreticales, & aliis plures à Glossa *in cap. firmissime eod. tit. in antiq.* Quod est intelligendum, ut respectu fori exterioris possint præsumi hæretici, & ut tales inquiri. Quod universaliter est advertendum. Nam sæpe sacri Canones ac Pontificum Constitutiones vocant aliquos hæreticos, aut declarant pro talibus esse habendos, omnibusque hæreticorum pœnis subiiciunt, vel contra eos, tanquam contra hæreticos, procedi statuunt, qui tamen non sunt verè hæretici, nec dicto Canoni Bullæ Cœnæ obnoxii in interiori foro. Quod pariter observandum est in D. Thoma aliisque Theologis, agentibus de fide, ubi multi sæpius appellantur hæretici, vel infideles, qui revera non sunt. Cum enim sermonem habeant de iis, qui actus aliquos infidelitatis, & hæresis efficiunt, denominant hos tales ex illius actibus. Quandoquidem omnis actus infidelitatis, ac hæresis reducitur ad speciem veræ infidelitatis, & hæresis, ut etiam dicebat Caietanus *cit. q.* 94. *ar.* 1. *in fine.*

De his igitur hæreticis exterioribus tantummodo, concludendum est cum Toleto *cit. cap.* 4. *num.* 6. Suarez *loc. cit.* Ricciul. *cap.* 3. *num.* 7. *&* Sanchez. *num.* 8. quibus subscribere tenentur, qui arbitrantur ex hujusmodi actu exteriori non contrahi excommunicationem, quoad forum conscientiæ, tute à quolibet confessario posse absolvi, quod verò ad forum exteriorem ab iis, qui ad id sunt deputati.

Est autem hæresis *contra fidem*, ut præmisimus, id est contra articulos fidei, ac veritates, quæ de fide tenentur. Unde in alio errantes, ut Symoniaci, qui juribus primæ causæ, & quæst. & à Glossa *in d. cap. firmissime de hæret.* appellantur hæretici sub censura dicti Canonis Bullæ Cœnæ non sunt inclusi. Essent porro, si crederent donum Dei, quod vendunt, emuntve, esse pecunia acquisibile juxta illud Act. *cap.* 8.

Nititur autem fides testimonio Ecclesiæ revelantis accepta à Deo. Unde primum quid est in fide, ut credens innitatur huic testimonio, nec ab eo in re aliqua velit discedere, pro firmo habens, ipsam nec decipere posse, nec decipi, *can. à recta*, *can. memor. can. quoties cum pluribus seqq.* 24. *q.* 1. ac Theologi cum D. Thoma 2. 2. *q.* 1. *ar.* 10.

Nec tamen necessaria est ad constituendam hæresim directa & formalis oppositio Ecclesiæ, qua Ecclesia est, sed sufficit, ut quis scienter opponatur, quacunque deinde intentione id faciat, aut lucri, aut honoris, Vasquez *loc. cit.* Becan. *de fide cap.* 14. *q.* 2. *n.* 19. Sanchez *supra num.* 2. ac diserte Augustinus relatus *in can. hæreticus* 24. *q.* 3. *Hæreticus est*, inquit, *qui alicujus temporalis commodi, & maxime vanæ gloriæ principatusque sui gratia, falsas, aut novas opiniones vel gignit, vel sequitur*, & nos supra.

Quare fides sub hoc testimonio comprehendit non solum veritates definitas, sed etiam definibiles, quatenus sub ejus definitionem venire possunt. Et sic erit hæreticus, qui alicui propositioni non definitæ ita aversatur, ut nolit assentiri, etiamsi ab Ecclesia definiri contingeret, Cajet. 2. 2. *q.* 11. *& in sum. v. hæresis*, Ugolin. §. 1. *num.* 9. Graf. *cit. cap.* 8. *num.* 37. Navar. *cap.* 9. *num.* 22. Sanch. *num.* 29. Vasquez *d. cap.* 3. *num.* 8. & Reginald. *num.* 238.

Idem est de eo, qui opinans, falsò tamen, aliquod dogma esse ab Ecclesia definitum, nihilominus contrarium tenet. Et tandem de eo, qui verum cum Ecclesia teneat, arbitretur tamen id esse contra illam, Henriq. *lib.* 3. *de excom. cap.* 17. *num.* 3. Bannes, & Aragonius supra citati, Ledesm. *tom.* 2. *tr.* 1. *cap.* 6. *post.* 3. *conclus.* Sayr. *de censur. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 24. Paramus *lib.* 3. *de orig. S. Inquis. q.* 3. *num.* 20. Duard. *q.* 25. *n.* 9. Farinac. *de hæres. q.* 179. *num.* 2. Alter. *d. cap.* 2. *col.* 5. Reginald. *num.* 237. Sanch. *numer.* 30. Ricciul. *d. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 3.

Oppositum de hoc ultimo statuit Simanch. *de cathol. instit. tit.* 31. *num.* 9. Tum quia hic nihil tenet contra Ecclesiam. Tum quia error hujus generis ab excommunicatione incurrendi in similibus liberat, sicuti putans, se percutere Clericum, si reperiatur inopinato laicus, non excommunicatur.

Quibus occurrimus ex jam dictis, istum adhærendo opinioni illi, tanquam suæ opinioni consequenter authoritati Ecclesiæ. Quod hæresim constituit. Nec par est exemplum adductum. Nam cum excommunicatio percussionis primariò contra actum ipsum, ut injuriosum Clerico, lata sit, eo casu non irrogatur revera Clerico injuria, ideoque censura declinatur. At in præsenti solus actus non habendi credulitatem testimonio Ecclesiæ est actus contra fidem, & hæreticus.

Unde est etiam hæreticus, qui alicui opinioni ita adhæret, vultque omnino fide tenendam esse, ut nec Ecclesiæ definienti, eam non esse fide tenendam, paratus sit acquiescere, Sanch. *nu.* 31. allegans Cast. *lib.* 1. *de just. hæret. punit. dub.* 4. & Cord. *lib.* 1. *q.* 17. §. 7. *dub.* 2.

In his autem, ac similibus casibus amplector dictum Vasquez *loc. cit.* hujusmodi nolle, aut velle acquiescere, quod opponitur autoritati Ecclesiæ, debere esse

esse expressum, sive actuale, nec sufficere habitualem dispositionem, qua quis præsumitur ita dispositus, ut si interrogetur, an id, quod sentit, ita firmiter retineat, ut nec Ecclesiæ contrarium disponenti, paratus sit acquiescere, responsurus esset affirmative. Nam regulariter ob solam habitualem dispositionem ad peccandum, nemo adhuc peccasse dicitur.

Non est autem hæreticus negans propositionem, definitam à solo Episcopo, vel à sola Synodo, etiam provinciali, nisi hanc Romanus Pontifex confirmaverit, suaque autoritate universæ Ecclesiæ proposuerit credendam. Ipse est enim certa fidei regula, ut præter jura superius adducta, docet Glossa communiter recepta *in cap. quod translationem v. reservata de offic. Leg. Innoc. & Abb.* quos allegat & sequitur Ugolin. §. 4. D. Antonin. *p.* 3. *tit.* 24. *cap.* 4. Sylvest. *in sum. v. excommunicatio* 7. §. 5. Alter. *loc. cit.* Addo eadem ratione non fieri hæreticum negantem dogma definitum à Concilio generali, si legitime congregatum non sit, aut ad eorum, quæ definit, validitatem, confirmationem Summi Pontificis expectare debet, secus si ab eodem habuit instructionem, nulla enim alia expectanda est confirmatio, de quo alibi.

Neque ei, quod de Episcopo diximus adversatur *cap. ad abolendam de hæret.* ubi dicitur, *quoscunque Romana Ecclesia, vel singuli Episcopi per diæceses suas hæreticos judicaverint.* Nam respondet Innocentius, & satis ex contextu patet, non dici ibi hæreticum, qui definitioni Episcopi in rebus fidei adversatur, sed qui convictus, & judicatus est talis ab Episcopo. Si enim Episcopus declaraverit aliquem hæreticum, ille pro tali est habendus.

Controvertitur autem, sitne hæreticus, qui privatæ revelationi sibi à Deo factæ abnueret assentiri, & an censuræ *d. canonis primi Bullæ Cœnæ*, aliisque hæreticorum pœnis fiat obnoxius. Corduba citatus §. 1. *dub.* 2. Azor. *d. lib.* 8. *cap.* 6. *q.* 4. ajunt, hunc evadere pœnas, licet ille nolit, velit hic, eum esse hæreticum coram Deo. Et in foro tantum interiori esse illum hæreticum volunt Suarez de *fid. disp.* 19. *sect.* 5. *numer.* 10. Sanctarell. *de hæres. cap.* 1. *dub.* 2. *numer.* 9. *& seqq.* Laym. *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 13. *numer.* 6. Castropal. *tom.* 1. *tr.* 4. *disp.* 3. *pun.* 2. *numer.* 14. Esse verò hæreticum etiam coram Ecclesia, tenet Vega *lib.* 9. *de justific. cap.* 3. Catharin. *apolog. de certitud. grat. cap. ult.* Sanchez *num.* 32. qui addit excommunicationi, aliisque pœnis subjacere.

Hac in re certum est in primis, quod si aliqua ex causa, [vel hæc sit cautela, quæ in hujusmodi negotio, videatur viro prudenti, cui facta est revelatio, procedendum, vel sit quædam naturalis durities, & incredulitas, non tamen affectata, & dolosa] dubitari possit, an revelatio revera sit facta, vel an sit facta à Deo, nomineve ipsius, non erit hæreticus, ex hac dubitatione non adhærens firmiter veritati revelatæ. Nam ille, qui ex cautela dubitat, non peccat. Alter verò, quicquid sit, an peccet, moraliter tamen non contigerit ei dubitare, si revelatio fuisset adeo evidenter à Deo, ut nulla tergiversatione negari posset. Unde ex ea dubitatione non habet animum formaliter divino testimonio obluctantem; quod sufficit.

Deinde mihi videtur probabilius dicta excommunicatione Bullæ Cœnæ, aliisque pœnis, in hæreticos latis, hunc ab Ecclesia non puniri. Quia respectu ipsius Ecclesiæ non est censendus hæreticus. Probaturque ex eo, quod fides, quam habet, & proponit sequendam Ecclesia est catholica, & universalis, quæque nititur revelationi communi, factæ Prophetis, & Apostolis, ac successoribus pro tota universitate juxta illud ad Ephes. *superædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum.* Unde specialis revelatio non potest dici de fide Ecclesiæ, & catholica. Et hoc fere modo loquuntur Theologi, pertractantes de fide, ubi de hac quæstione plurima attingunt, & in specie Becanus *de fide cap.* 1. *q.* 4. *numer.* 7. Igitur cùm nullum sit fundamentum affirmandi Ecclesiam dicto Canone primo Bullæ Cœnæ punire alios hæreticos, quam eos, qui sunt hæretici in fide ipsius, non assentiens privatæ revelationi eo anathemate non feritur. Et ita, præter Cordubam, & Azorium, tenent Vivaldus *in candelabr. p.* 2. *in explicat. Bul. Cœn. in edit. anni* 1602. *numer.* 30. Rodriq. *ad Bul. Cruc.* §. 9. *num.* 74. *&* Duard. *q.* 22. *num.* 7.

Neque obstat argumentum Sanchez, quod quæ proponit Ecclesia nitantur fundamento summæ veritatis, nempe Dei revelantis, cui hic opponitur. Aut quod sicuti negans id, quod falso putat, esse ab Ecclesia definitum, licet illud revera definitum non sit, est hæreticus, nihil tamen contra fidem catholicam opinetur, ita idem videatur de hoc esse sentiendum.

Non obstat, inquam, tum quia testimonium Dei se habet tanquam quid remotum ad constituendam in Ecclesia hæresim. Unusquisque enim in Ecclesia satis censendus est tutus, si affirmet, se credere quod credit, ac proponit Ecclesia & nihil extra illud. Tunc quia ille, de quo affertur exemplum, recusat expresse assentiri testimonio Ecclesiæ, quod tenemur ex fide recipere, hic autem non negat expresse, Deum esse veracem. Si enim id absolute negaret, non est dubium, quin esset hæreticus; sed tantum renuit privatæ revelationi ob rei obscuritatem, vel aliam ob causam assentiri, in quo præcise nihil contra Ecclesiam reperitur.

Hinc licet dubitetur, an privatè revelata possint proponi ab Ecclesia, ut pertinentia ad fidem catholicam, & ratio dubitandi est primo, quia adhuc ista innituntur testimonio divino. Secundo, quia esset hæreticus, si quis non crederet iis, quæ sibi privatè revelantur. Tertio, quia Ecclesia proponit revelationes privatarum personarum, ut B. Birgittæ. Et quarto quia D. Augustinus *lib.* 2. *contra Donatistas cap.* 53. inquirens, an baptismus per jocum collatus, esset validus, inquit, quod si daretur talis baptismus, esse implorandum divinum judicium per alicujus revelationis oraculum.

Omne tamen dubium diluitur, quod non possint proponi, quia objectum fidei ab Ecclesia propositum debet esse omnibus commune juxta illud ad Ephes. 4. *Una fides, unus Dominus.* Atque adeo debet esse publice revelatum, & propositum per ministros publicos fidei juxta illud ad Ephes. 2. superius relatum. Et quia privatæ personæ aliquando tanguntur Spiritu sancto, aliquando verò loquuntur spiritu proprio, inculpabiliter tamen, ut notat D. Thomas *quodlib.* 12. *ar.* 6. Hinc habentur privatæ revelationes contradictoriæ, ut quod B. Virgo fuerit immunis ab originali peccato, ut in revelationibus B. Birgittæ *lib.* 1. *cap.* 19. & oppositum fuit revelatum S. Catharinæ Senensi, ut tradit D. Antoninus 1. *p. tit.* 7. *cap.* 2. Hoc autem est signum, quod si una revelatio est à Deo, non sit altera ab ipso. Ac proinde privata revelatio non est sufficiens, ut proponatur ab Ecclesia.

Ad primam rationem dubitandi, respondetur, inniti testimonio divino, sed non ut publice docenti, & ideo non sufficiunt ad publicam fidem. Ad secundam, non futurum hæreticum, sed infidelem, ut mox dicemus. Ad tertiam, Ecclesiam non proponere tales revelationes, ut

fide

fide catholica tenendas, sed ut conducentes ad pietatem, & alios affectus excitandos. Ad quartam, D. Augustinum tantum velle, ut in rebus dubiis recurratur ad divinum auxilium, ut aliquo speciali regimine dirigat publicos ministros fidei. Unde ait, esse implorandam aliquam revelationem, quæ inserviat per modum regiminis ad declarandam veritatem, non autem cui præcise sit fides infallibilis adhibenda.

An autem quoad Deum dicendus sit hæreticus, vel potius infidelis, parum confert rei nostræ. Cæterum non videtur hic dicendus hæreticus, sed infidelis, ut loquitur Sotus *lib.* 3. *de nat. & grat.* licet ei rationi nitatur, quod patet, privatæ revelationi non præstari assensum per communem habitum fidei, omnibus infusum, sed per aliam fidem particularem, non minus tamen certam. Vel temerarius, ut ait Lorca, quem citat Sanctarellus *d. n.* 9., quandoquidem requirit & recte, ad hoc, ut aliquis dicatur hæreticus, quod erret contra articulum fidei, quem Ecclesia docet, sive credit. Ego autem censeo, nomen saltem infidelis effugere non posse, quia quantum ad naturam, & essentiam fidei, secundum se spectatæ, potest etiam niti privatæ revelationi, ut constat ex fide Abrahami, qua speciali revelationi de Filio sibi nascituro credidit. Ejusdem enim fuit conditionis cum nostra, cum ex ea justificatus fuerit ex Paulo *ad Rom.* 4.

Sequitur in allata definitione particula *errans* circa quam duo occurrunt consideranda. Alterum est, errorem non esse tantum in firma adhæsione opposita fidei, sed etiam in sola dubitatione voluntaria, seu in sola cohibitione assensus firmi, quem præstare debemus veritati fidei, *cap.* 1. *de haret.* ibi *dubius in fide, infidelis est*, & *cap. firmiter de sum. Trinit.* ubi appellatur hæreticus dubitans, animam rationalem esse corporis formam. Errat siquidem qui rem certam accipit in dubiam, ut loquitur D. Augustinus *in Enchir. cap.* 17. *&* 19. de quo & nos alibi.

Dixi in sola dubietate voluntaria. Nam quadrupliciter contingit dubitare, seclusa ea dubitatione, quæ ex ignorantia, & simplicitate provenit. Primo ex subreptitia tentatione, sive involuntaria quadam cogitatione, aut illusione, qua quis inconsiderate incipit titubare in aliqua fidei veritate. Secundo cùm quis voluntariè secum ipse examinat, ac discutit veritates fidei, ex utraque parte rationes dubitandi movens absque eo, quod aliquid reflectat, aut concludat. Tertio si reflectens, & putans utramque partem esse probabilem, pendulus neutri firmiter adhæreat, eligatque, nullum firmum assensum, aut dissensum habere. Quarto si super hæc judicet positive, rem esse dubiam, ac proinde veritatem fidei non habere tantam certitudinem, ut tutum sit, ei sine hæsitatione assentiri.

Ex priori dubietate, quia est involuntaria, & extra potestatem nostram, evidens est, non incurri hæresim. Immo potest sustineri cum merito, si sedulo abigatur, & actus fidei eliciatur, ut ex D. Bonaventura docet Sanchez *d. cap.* 7. *n.* 13. Duard. *q.* 23. *num.* 5. *&* Ricciul. *d. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 1. ubi plures citat.

Altera, licet voluntaria, & peccaminosa, præsertim in viro non docto, non inducit hæresim. Quia ex ea non dicitur actus aliquis assentiendi, vel dissentiendi contrarius fidei, Duard. *num.* 6. & Farinac. *de hæres. q.* 178. *num.* 69.

De postrema non potest esse apud Doctores controversia. Nam taliter dubius, non est formaliter dubius duntaxat, sed etiam positive aversus fidei, quia positive assentitur, ea, quæ proponit Ecclesia, non esse certa, ac proinde, fidem esse opinionem, ac per consequens Ecclesiam decipi posse. Quæ omnia sunt hæretica. Et hoc expresse intelligunt Canus *de loc. Theolog. lib.* 12. *cap.* 9. Bannes 2. 2. *q.* 11. *art.* 2. Sa *v. hæresis, num.* 1. Vasquez 1. 2. *disp.* 65. *cap.* 1. *num.* 4. Sanchez *supra num.* 12. & Filiuc. *num.* 28.

De tertia dubitatione difficultas est gravis, in qua tamen affirmativam partem, scilicet ex ea induci hæresim, & excommunicationem, quia est communior, & rationi magis consona, statuimus. Ita Io. Andr. Abb. & fere communiter Canonistæ *in d. cap.* 1. *de heret.* Angel. & Sylvest. *in sum. v. hæresis.* 1. Cajet. *v. interrogatio in* 1. *præcept. &* 2. 2. *q.* 11. *ar.* 2. ibique Aragon. Valentia *disp.* 1. *pun.* 1. Carer. *de hæret. num.* 8. *in princ.* Royas *sing.* 57. *num.* 4. Pegna *in direct. com.* 1. *de hæret.* Castrius *lib.* 1. *adversus hæreses cap.* 10. *sub initio* Tolet. *lib.* 4. *cap.* 4. *in fine* Azor *d. cap.* 9. *q.* 5. Graf. *lib.* 2. *dec. cap.* 8. *num.* 11. Reginald. *num.* 237. Sousa *disp.* 7. *concl.* 3. Duard. *q.* 23. Scortia *d. theorem.* 410. Alter. *d. cap.* 2. *col.* 3. qui addit, nec excusari posse, quamvis dicat, se paratum esse mori potius, quam errori contra Catholicam fidem assentiri, Ricciul. *d. cap.* 4. *num.* 6. qui cum Sanchez *num.* 11. alios plures allegat. Idemque videtur sentire Gambarupta *cit. cap.* 1. *num.* 18. Tum quia tenemur habere fidem Ecclesiæ, quam non habentes, per Ecclesiam puniuntur. Hæc autem est certa, firma, & non nutans. Tum quia substantia fidei consistit in assensu certo, quo hic dubius cùm careat, cohibens se, ne illum eliciat, necessarium est etiam, quod fide careat. Tum quia, cùm jura supra relata loquantur de dubio, non possunt intelligi, nisi in hoc sensu, cum dubius ex quarto capite non sit verè in fide dubius, sed formaliter errans.

Negativæ parti adhæret Simanchas *de Cath. instit. tit.* 31. *num.* 69. Sanchez. *loc. cit. num.* 12. Becan. *de fide cap.* 14. *q.* 2. *num.* 9. eo, quia non sunt hæretici, qui non sibi eligunt opinionem aversam veritati, quæ est de fide, in quo consistit hæresis, ut colligitur *ex can. hæresis, & can. hæreticus* 24. *q.* 3. Porrò dubitans nullum habet assensum fidei contrarium. Sicut enim fides est assensus, ita contrarium illius debet esse positive dissensus. Ambigens autem, cùm sit medius inter utrumque, non potest dici verus hæreticus.

Quibus occurritur primo, ita ambigentem habere actum, fidei contrarium privative. Siquidem in fide tenemur habere actum credulitatis positivum. Deperditur autem fides non minus per actum, qui privat, quàm per actum positive contrarium, quique ea pugnat. Deinde ac quidem rectius, electionem, quam quis voluntariè eligit manere dubius, esse actum positivum contrarium fidei, dicit actum assentiendi firmiter propositionibus, habitis pro certis juxta illud Symboli Athanasii: *Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.* Nec multum refert, quod ille absolute non judicet res esse dubias. Nam satis est, quod finit apud se haberi pro dubiis, sicuti quis est hæreticus ex eo solum, quod non credat, esse tres personas divinas, licet non judicet Ecclesiam, quæ contrarium tenet, opinari falsum.

Alterum, quod proposuimus annotandum, est, errantem circa plures articulos, in plures excommunicationes incidere. Nec enim est dicendum æquali pœna unicum puniri delictum, ac plura, & primo crimine peracto, impune exinde delinqui, *l. nunquam plura ff. de priv. delict.* Ugolin. *d. cap.* 1. §. 4. Farinac. *q.* 101. §. 1. *num.* 9. Ricciul. *d. lib.* 5. *cap.* 13. *num.* 3. & Nald. *in sum.* 11. *Bulla Cœnæ num.* 3. Quapropter monet Valentia 2. 2. *disp.* 1. *q.* 10. *pun.* 3. in confessione explicandum esse numerum articulorum, quos quis negavit.

Et quia, ut mox dicemus, hæc excommunicatio non contrahitur, nisi hæresis manifestatione, dicendum videtur, non esse necessaria tot signa manifestativa distincta, quot sunt hæreses manifestatæ, & per consequens tot excommunicationibus quem innodari, quot hæreses ostendit, signum licet sit unicum. Sicut eadem percussione plures percutiens Clericos, pluribus ana-

anathematibus afficitur, ut ait idem Ugolinus *loc. cit.* Quoad illas verò, quæ latentes remanent, nulla attenditur excommunicatio.

An autem pluribus manifestans eandem hæresim pluries incidat, non dessentiunt Doctores. Facilis tamen videtur responsio, quod cùm in idem crimen non feratur denuo censura, nisi addita nova contumacia, ut est receptum, & alibi diximus, nec videatur multiplex manifestatio, multiplex contumacia, nisi post correctionem adhibitam, sequitur excommunicationem, semel contractam, sufficere. Potest quidem esse nova manifestatio cum crimine, eoque lethali, sed non tali, quod hac pœna plectendum sit. Siquidem cùm excommunicatio feratur in odium hæresis, ut manifestabilis, quando jam supponitur evulgata, non habet amplius eandem enormitatem. Quare nec videntur obstare dicta de iteratione censuræ, quæ fit per novum actum inhibitum solo numero diversum, exempli gratia pluribus vicibus eundem percutiens, pluribus irretitur. Est enim in eo discrimen, quod percussio novam propriam habet integram malitiam. Nova autem manifestatio non item. Quia malitia ex interno errore principaliter desumitur. Nec tamen oppositum credimus improbabile.

Diximus tandem, *externum prodit errorem.* Quia licet hæreticus internus sit verus & proprius hæreticus, ut per D. Thom. 1. 2. *q.* 91. *ar.* 4. Cajet. 2. 2. *d. q.* 11. *& in sum.* 11. *hæresis*, Turrecrem. *in d. can. dixit Apostolus* 24. *q.* 3. Graff. *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 3. Ricciul. *cit. lib.* 5. *cap.* 9. aliique per ipsum relati, tamen eo, quod Ecclesia regulariter non judicat de occultis *can. consuluisti* 2. *q.* 1. *can siquando* 15. *q.* 6. *can. erubescant*, ubi Glossa *d.* 31. *cap. tua nos de Simon. cap. tua de sponsal. cap.* 1. *de clandest. despons. cap. un. ut Eccles. benef. sine dimin. confer.* ibi: *Et si locum Dei teneamus in terris, non tamen de occultis potuimus divinare*, vinculo excommunicationis dicti canonis Cœnæ Domini obstringitur hæreticus, nisi externus, Antonin. 3. *p. tit.* 35. *cap.* 4. Cajet. *cit. loc. sum.* Palud. *in* 4. *d.* 13. *q.* 3. Becan. *de fid. cap.* 15. *q.* 1. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 4. Sayr. *cit. cap.* 4. *num.* 21. Graf. *loc. cit. cap.* 1. *num.* 4. Scortia *in Bul. select. theor.* 410. Suarez *de censur. disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 2. Alter. *col.* 5. Filiuc. *num.* 27. Ricciul. *cap.* 10. *num.* 10. Sanchez *in d. lib.* 2. *decal. cap.* 9. Gambarup. *num.* 11. & Sousa *disp.* 4. *num.* 2. qui posteriores plurimos alios congerunt, ut sit fore communiter receptissimum.

Glossa tamen *in clem. multorum* §. *quia nimis v. eo ipso de hæret.* & *in can. cogitationis v. patitur de pœnit. d.* 1. quam aliqui ex antiquioribus canonistis amplectuntur, infra citandi, contrarium tuetur. Nititur autem prior Glossa in eo, quod *in citata clem. multorum* excommunicantur, qui ex affectu gratiæ, amoris, odii, aut similis, omiserint procedere in diffamatum de hæresi. Id autem est punire solum actum interiorem. Simul autem tam Glossa, quàm ejus sectatores moventur ex eo, quod plures excommunicationes in jure, attenta proprietate verborum, feruntur tantummodo in actus internos, ut sunt eæ, quæ feruntur simpliciter contra hæreticos. Interni autem sunt veri hæretici, ut dictum est, & ea, quæ fertur *in cap. excommunicamus* 1. *de hæret.* adversus credentes hæreticorum. Si igitur Pontifex, vult, ut supponit etiam actus internos censuris impetere, nec se explicat, quod externos tantum hæreticos velit complecti, non est à nobis divinanda hæc distinctio, *arg. l. Papinianus ff. de minoribus.*

Hæc tamen facile solvuntur. Nam *in allata Clem.* non punitur nudus affectus internus, sed ut per omissionem proditur, ac fit manifestus; nec enim sola commissione, verùm & omissione quis animum ostendit, quod optime expendit Cajet. 2. 2. *q.* 11. *ar.* 3. & Navar. *in d. can. cogitationis num.* 8. Cœterum cùm Ecclesia sæpius testata fuerit; se de occultis non judicare, & congruentissima praxis ita receperit omnes excommunicationes, ut non nisi criminosos exteriores coërceant, nil refert, quod solos exteriores comprehendi, non fit expressum, cùm id eo ipso debeat subaudiri.

Dixi *regulariter*, Ecclesiam non procedere adversus occulta; nam aliàs discutitur, an possit ex plenitudine potestatis punire Pontifex censuris actus mere interiores. Ex utraque parte æquale fere Doctorum agmen adducit Ricciul. *cap.* 9. ubi hanc quæstionem exagitat. Apud omnes tamen convenit, id non esse congruum, ac de facto non fieri, ut eximie docuit D. Thomas 2. 2. *q.* 11. *ar.* 3. & *in p.* 2. *q.* 91. *ar.* 4. ubi ait, quod cùm homo non possit de actibus interioribus judicare, utique nec pœnam inferre. Etenim de his potest legem facere, de quibus potest judicare. Judicium autem hominis non potest esse de interioribus motibus, qui latent, sed solum de exterioribus, qui apparent. Ex quibus concluditur, humano generi necessariam fuisse legem divinam qua pravæ cogitationes internæ comprimerentur, quæ humana non poterant. Quare licet peccati hæreseos interni potuerit sibi Pontifex reservare absolutionem, tamen id nunquam consuevit, cùm omnes reservationes de hæresi, hactenus à Pontifice editæ sint cum annexa excommunicatione, quæ non fertur, nisi in exteriorem. Nec reservatione hæresis, ac universaliter aliorum criminum, unquam veniunt peccata interna tantum, nisi id expressis ac indubitatis verbis declaretur à Prælato reservante. Tum quia alienum est à prudenti, ac suavi Ecclesiæ gubernatione, occultissima, quæ non agnoscit, reservare crimina. Tum quia hæc frequentissima & facillima commissu, non est congruum subdi difficultatibus, quas secum fert reservatio.

Quanquam respectu hæresis in inferioribus Prælatis id non videatur facile admittendum. Quia cùm satis constet, hæresim exteriorem esse summo Pontifici reservatam, ac proinde minores Prælati regulariter non soleant reservare, si reservent, nullo alio addito, ut reservatio locum habeat, non aliam complectitur, quam internam. Ab hac opinione non videtur abesse Cajet. 2. 2. *q.* 11. *cit. art.* 3. Quod si reservent, addita excommunicatione, quæ supra exteriorem tantum cadere potest, videndum, an voluerint excommunicatione distincta à censura Bullæ innodare. Tunc siquidem altera expetenda erit absolutio.

Atque ex his concluditur communiter, talem hæreticum internum posse à simplici Confessario absolvi, additque Sanchez *loc. cit.* idem esse etiam de simul exteriori, qui ratione ignorantiæ inculpabilis de excommunicatione, in hæreticos lata, eam non contraxisset. Licet enim peccatum hæresis non sit reservatum per accidens, scilicet quatenus est reservata excommunicatio, sed per seipsum, ut est commune placitum cum Suarez *to.* 4. *in* 3. *p. disp.* 29. *sect.* 2. *num.* 8. & *seqq.* tamen & ipsum non est reservatum separatim à censura, ut ibidem explicat Suarez.

Actus autem exterior, cùm fieri debeat, non casu, & absque determinatione, sed advertenter, & ex animo, coniungendus est cum errore interiori, ut tunc, quando exhibetur, sit error in intellectu actualiter, vel saltem virtualiter, ut ex interiori errrore procedat exterior hic actus, significativus ejusdem; secus enim non proditur hæresis, quæ viget latens in mente. Error igitur, qui antea fuerit, non sufficit, immo nec si permaneat habitualiter, id est non retractatus. Siquidem si non advertatur adesse in mente, non influit in actum externum, sed respectu illius ita se habet, ac si non adesset. Si autem advertitur, fit eo ipso actualis, dum non retractatur. Unde qui casu exhibet actum, de se aptum manifestare hæresim, quam aliquando habuit, vel habet habitualiter tantum

rium, non fit exterior, ut siquis ex accidenti non detegeret caput Eucharistiæ, cujus fidem alias non habuit, vel si diceret, se olim in hæresim consensisse, etiamsi ex inadvertentia non retractaverit hæresim, ex quo permanere habitualiter dicitur. Idemque est de hæretico, exhibente signum alterius hæresis, quam non habet. Siquidem omnes tales actus non promulgant hæresim, tum existentem, vel à qua procedant, ut per Vasquez *p.* 2. *disp.* 160. *cap.* 5. *num.* 22. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *p. disp.* 4. *sect.* 2. *num.* 14. Simanch. *de cath. instit. tit.* 42. *numer.* 10. Azeved. *recopil. lib.* 8. *tit.* 3. *numer.* 157. Azor. *cap.* 10. *q.* 6. Sous. *disp.* 6. *numer.* 6. Sayr. *lib.* 3. *de cens. cap.* 4. *numer.* 31. Cordub. *lib.* 4. *q.* 13. Alter. *col.* 8. & Sanchez *cap.* 8. *numer* 20. & 25. ubi optime reiicit quandam limitationem Suarez circa hæresim præteritam, nimirum tunc saltem quem fieri exteriorem, & excommunicatum, quando exprimeret animo complacente in eo delicto. Satis quippe est, eum non proferre hæresim præsentem, & ex manifestatione non posse deduci probabiliter, eum tum esse in hæresi.

Objici solet contra prædictam doctrinam, videri innodandum Apostatam, asserentem se ad paganismum esse conversum, cum ad Judaïsmum accesserit. Nam apostasiam prodit. Ergo & eum, qui unam hæresim prodit, cùm aliam habeat. Sousa *loc. cit. numer.* 8. negat antecedens. Quia mendacium illud nil veri erroris indigitat. At cum formale Apostasiæ sit à tota fide desciscere, connotatum verò conversionem ad sectam, quia hic retrocessionem satis indicat, non est à censura eximendus. Unde negandum consequens, quia in manifestatione unius hæresis non includitur manifestatio alterius, sicut in manifestatione arrepti paganismi includitur apostasiæ revelatio.

Significans autem se determinatum esse incidere in hæresim, quamvis tunc particularem & determinatum errorem non habeat, fit exterior, & excommunicationi subjectus, quicquid in contrarium dicat Sanchez *numer.* 22. significat enim, se omnino defecisse à fide, solumque ab alio hæretico videtur differre, quod in sigulari nil credit actu contra fidem, cùm tamen vagè, & in confuso aliquid credat, immo hoc in singulari, quod fides in universum non sit amplectenda. Simile est de credentibus hæreticorum, qui ex eo solum innodantur, quod credant in confuso hæreticorum doctrinas esse veras. Unde etiam satis proditur, qui se hæreticum absolute ostentat, licet particularem, quam habet, hæresim non exponat, ut etiam Sousa *num.* 9.

Tripliciter porro exhiberi potest hæreseos exterius signum. *Verbo*, ut disertis verbis affirmando, se esse hæreticum, vel celebrando, ac defendendo falsa hæreticorum dogmata, & similibus, quibus annectere possumus etiam scriptum. *Opere*, ut conculcando Sacramentum, contemnendo, ac dilacerando sacras Imagines, comedendo vetitis diebus carnes, conveniendo cum hæreticis ad sacra & conciones &c. *Omissione*, ut non audiendo festis diebus sacrum, non exhibendo Eucharistiæ, aut Iconibus cultum, aliisque hujusmodi.

Differunt tamen in virtute significandi inter se hæc signa. Quod plane animadvertendum est. Verba siquidem, & scripta clare de se hæresim ostendunt. Operum quædam magis expresse, ut conculcatio Eucharistiæ, quædam minus, ut esus carnium diebus vetitis, qui & vitio gulæ, & infirmitati valetudinis adscribi potest. Minus his omnibus omissiones, quæ non nisi ex circumstantiis personæ, loci, ac temporis habent hæresim prodere. Nec enim ex semel non exhibita sacris Imaginibus veneratione, percipiet aliquis, non exhibentem esse hæreticum, nisi vel sciat personam esse in novitatem doctrinæ proclivem, aut fiat in loco, ubi quilibet catholicus in odium, & distinctionem hæreticorum studeat, se pium in sedula Imaginum veneratione exhibere, aut si tempore, quo sine incommodo, aut labore venerari poterat, omittat.

Excipitur autem à *verbo* Confessio Sacramentalis, in qua hæresis falsa non constituit hæreticum exteriorem, ut per Simanch. *eod. tit.* 42. *n.* 9. Cordub. *lib.* 4. *q.* 13. Gutier. *quæst. can lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 9. Sayr. *cit. n.* 28. Covar. *in reg. peccatum p.* 2. *n.* 7. Reginald. *supra n.* 245. Sous. *disp.* 7. *sub. initio*, Filiuc. *n.* 29. Azor. *d. lib.* 8. *cap.* 10. *q.* 5. Becan. *de fid. cap.* 15. *q.* 1. *num.* 8. Duard. *q.* 24. Sanch. *n.* 19. Alter. *col.* 7. *ac* Ricciul. *cap.* 9. *num.* 12. Tum quia hic actus est extra judicium humanum. Fit enim confessio Deo, non homini, *cap. si Sacerdos de offic. Ord. cap. omnis de pœnit. & remis.* Tum quia actus est optimus, & nullam à malitia interni erroris deformitatem accipiens, quin potius est in odium illius. Tum quia alioquin satius esset non confiteri, quandoquidem non confitens abiret à censura immunis, quam confitens contraheret. Tum tandem quia nunquam à simplici confessario interna hæresis posset absolvi, fit enim ipsa confessione exteriori. Quæ sunt absurda.

Quod si in actu confessionis hæreticus Confessario detegat, sed sine aliquo recto fine, eo, quod nec resipiscendi animo aut dispositione aliqua, nec quo consilium petat, non potest excusari. Quia tunc est confessionis simulatio, neque actus est per se rectus, Covarruvias, Corduba, Azorius, & Sanchez locis allegatis contra Sayrum, qui id nimis extendit, scilicet etiamsi nec hæresim deserat, neque corrigi paratus sit. Debet enim dispositive saltem habere animum abjiciendi hæresim, vel accipiendi consilium; aliter enim quorsum manifestat in bonum.

Idem est de eo, qui se proderet viro docto, aut probo amico ex intentione audiendi consilium, etiamsi non sit expresse ac positive determinatus acquiescere, nec inceperit actualiter detestari errorem, quam conditionem aliqui apud Sanchez *numer.* 20. volunt esse necessariam, sed tantum cum intentione audiendi ac secum deinde examinandi. Ita autores citati & præter eos Azeved *supra numer.* 156. Sa. 11. *excommunicatio in Bul. Cœn. numer.* 3. Aragon. 2. 2. *q.* 11. *ar.* 3. *col.* 7. & Alter. *col. etiam* 7. Probaturque ex eo, quia talis actus de se nullam habet malitiæ rationem, & ex animo contra hæresim habitualiter saltem disposito, nulloque modo exhibitus in intentione hæresis manifestandæ. Alioquin autem hæreticus mentalis terrore tanti vinculi, privaretur remedio petendi consilium, quod nihil est in hoc negotio salubrius, & ad odium erroris concipiendum accommodatius. Ex quibus addiderim similiter excusandum eum, qui ab alio interrogatur, viro præsertim autoritatis, animo correctionis, si opus fuerit, adhibendæ, an hæresim aliquam interne credat, eam fateretur. Et universaliter statui potest, licitam esse manifestationem, quoties fit, aut in erroris detestationem, aut ex alia proba causa. Sufficit enim ad excommunicationem declinandam, quod hujusmodi actus fine tendat ad bonum.

Superest explicare, quodnam intelligatur esse signum manifestativum, sive quorsum signum manifestare debeat, ut excommunicationem inducat. Non dissentior à communi regula, quæ est, fieri tunc hæreticum ex signo, quando ex eo moraliter prudens quisque conjicere potest, illud exhibentem esse interne hæreticum, Bannes 2. 2. *q.* 11. *ar.* 4. *dub.* 2. *arg.* 3. *contra* 3. *concl.* Vasquez *p.* 2. *disp.* 160. *cap.* 5. *numer.* 20. *ac.* 21. Navar. *in d. can. cogitationis numer.* 10. Henriq. *lib* 6. *de pœnit.* Corduba, & Sa. *loc. cit.* Petr. de Ledesm. *tom.* 2. *sum. tr.* 1. *cap.* 6. *concl.* 19. *diff.* 2. Azor. *d. cap.* 10. *q. ult.* Sayr. *numer.* 26.

Vivald. *in Bul. cœn. numer.* 2. Sanch. *cap.* 8. *numer.* 7. Filiuc. *nume.* 29. Sous. *disp.* 4. & Ricciul. *cap.* 9. *num.* 13. Quod etiam alii complures, licet expresse non asserant, tenentur amplecti ita, ut hæc sit receptissima sententia. Nisi enim signum sit talis conditionis, non potest dici hæresis insinuata Ecclesiæ; nec enim est externum in Ecclesia, quod ipsa cognoscere ex signis non valet.

Hanc opinionem amplector. Tum ne à communi sensu discedam. Tum ut conscientiis indulgeam in re tam periculosa, quanquam perpensis utrinque rationibus, probabilius videatur aliter sentire, nimirum quoties omissione, verbo, aut opere, quomodolibet exteriori hæresis exit è statu puræ interioritatis, quamvis de se signum non sit alteri manifestativum, sufficienter hæresim fieri exteriorem, quo excommunicationem inducat. Ut siquis assentiens intra se, Deum non esse trinum, dicat ore, *non est*, vel annuat capite, dum hæresis ab alio prædicatur, vel Sacramento non credens, omittat venerari, etiamsi ex circumstantiis non sit ob hæc à circumspicientibus reputandus hæreticus. De quibus ac similibus non concedunt Doctores sententiæ excommunicationem induci.

Ducor autem ex eo, quod verum quidem est, Ecclesiam non punire actus mere internos, at si semel prodeant quocunque modo prodeant, assumitur sine fundamento non punire eos omnes per ea, quæ Cajet. *in sum. v. excommunicatio cap.* 3. *& v. horarum canonicarum omissio* §. 3. Sot. *lib.* 10. *de just. & jur. q.* 5. *ar.* 5. Lorca 1. 2. *to.* 2. *tr. de legib. disp.* 16. *memb.* 2. Siquidem non requiri, ut ex signo insinuetur actu aliis cognitio hæretici, non concedunt communiter omnes prædicti, aliique infra citandi. Quod verò nec absolute requiratur, signa excommunicationem inducentia, de se saltem potentia esse ad cognitionem ingerendam, licet per accidens, puta quia fiant in occulto, non ingerant actu, quod dicunt Autores prædictæ sententiæ requiri, ad hoc, ut cognitio Ecclesiæ punientis super ipsa signa cadere possit. Quod hoc, inquam, non requiratur, patet exemplo *cit. Clem. Multorum* §. *verum de hæret.* ubi eo ipso subduntur excommunicationi Inquisitores, quo ex interno amoris affectu amoris, odii, vel lucri deliberant, non procedere contra aliquem hæreticum; cum tamen in exteriori Ecclesiæ judicio nihil appareat, aut apparere possit signi tunc, quando excommunicationi fiunt obnoxii.

Rursus quia hæreticus per eos actus exteriores manifestatur sibi, ut sibi jam non sit mere internus, uti erat antea. Non est igitur absolute amplius internus. Per accidens siquidem est, quod non manifestetur aliis. Nam, sicuti quod ex circumstantiis ab uno cognitis, & non ab alio, quis per esum carnium, verbi gratia, uni fiat hæreticus manifestus, non autem aliis, est per accidens ad rationem signi. Ita etiam per accidens est, quod eodem signo sibi manifestante, quia sibi notæ circumstantiæ sunt, non manifestetur aliis, qui circumstantias non norunt

Quapropter videtur non posse in ea opinione assignari, quando ex se signum habeat vim manifestandi aliis. Quod ostenditur in signo omissionis. Ejus enim vis manifestandi dependebit ab eo, an videntes sint instructi de circumstantiis, nec ne. Unde plura incongrua sequuntur, ut quod incidentia excommunicationis dependeat à scientia eorum, qui vident, audiuntve signum, non autem à malitia ejus, qui signum in manifestationem hæresis facit. Etenim contrahetur si illi ex circumstantiis jam notis possunt conjicere hæresim; non contrahetur, si non possunt. Similiter quod callidus, & vafer, qui à nemine permiserit mores suos, animumque cognosci, possit tute, ac impunè manifestare omittendo ea, ex quorum omissione in aliis argui possit hæresis. Immo quod expresse dicens, se esse hæreticum, si ex nota aliàs probitate, ei fides non præstetur, sed existimetur ex joco, vel aliqua alia occulta intentione id dictum, non possit fieri exterior, etiam si velit, vel certe quoad tempus non innodabitur, nisi quando, perpensis circumstantiis, incipient audientes suspicari, ipsum revera esse talem. Quæ omnia, qua ratione admitti queant, non percipio.

Quod si occurratur, tales incurrere, quia quantum est ex parte ipsorum manifestant. Subiiciam ego ex ignorantia circumstantiarum, qua laborant cœteri, manifestationem illam non esse sufficientem, ut insinuetur Ecclesiæ cognitio hæresis. Est enim impossibile, quod Ecclesia judicet hæreticum, dum latent circumstantiæ, ex quibus id esset coniiciendum. Et sane, si ut quis dicatur exterior, sufficit, quod ipse, quantum de se est, prodat semetipsum, sequitur non esse attendendas circumstantias, sed errorem internum ejus, qui proditur, ac proinde quomodolibet se manifestantem fieri sufficienter exteriorem.

Nam licet remaneat id aliorum judicio occultum ac incertum, punit tamen hunc lex, quæ est certa, & semper obligat in conscientia, *arg.* §. *conditionis, instit. de verb. oblig.*

Et hanc sententiam tenentur amplecti in primis à fortiori ii, qui supra asserebant, contrahi excommunicationem, etiam per solum actum internum, nimirum Glossa *in d. Clem.* 1. *de hæret. & in d. can. cogitationis de pœnit. d.* 1. Cardin. val. *in ead Clem. num.* 8. *q.* 7. ibique Imol. *num.* 18. *alios* referens, Goffred. *in sum. tit. de hæret. num.* 2. Abb. *in proœm. decret. v. Rex pacificus num.* 6. *& in cap. extirpandæ* §. *qui verò n.* 21. *de præb. & cap. fin. num.* 1. *de hæret. & cap.* 2. *num.* 13. *de offic.* Ord. Felin. *in cap. fin. & in cap. porro de sent. excom. utrobique sub initio, Repertor. Inquis. v. Pœna*, Bald. *in l. siquis num.* 7. *C. de Episc. & Cler.* Anan. *in cap siquis num.* 7. *de hæret.* Marsil *in l. qui falsum num.* 13. *ff. de fals.* Rosel. *v. absolutio* 1. *num.* 29. *& v. excommunicatio* 1. *cas. num.* 1. *& v. hæreticus num.* 14. Adrian. *in* 4. *q.* 2. *de confessione, & quodlib.* 8. *q.* 1. aliique plures, quos citant Sanchez *d. cap.* 8. *num.* 1. ac Ricciul. *cap.* 10. *num.* 8.

Deinde adstipulari videntur ii, qui absolute dicunt, sufficere hæreticum esse exteriorem, non explicantes exterioritatem, eo modo, quo prior opinio, ut in specie Graffius, ac Toletus *loc. cit.* Favetque Navar. *in man. cap.* 11. *num.* 22. ubi ait, *esse excommunicatum hæreticum, etiamsi sibi soli sit exterior*, & adhuc expressius Cajet. 2. 2. *q.* 11. *art.* 3. ubi hæretici occulti per accidens, de quo statuerat, non effugere censuram exemplum exhibet ex Clementina citata, ejus, qui ex odio, amore, aut passione aliqua omittit procedere contrà hæreticos. Iste autem sibi, ut plurimum, soli est cognitus, subditque, distinguendum esse inter cor solum, & cor, ut habet rationem extrinseci, cum etiam dixisset antea: *propterea oportet Confessores inquirere, cùm pœnitentes tepidi in fide, qui victi tentationibus consentiunt contrà fidem occurrunt, an etiam secum solus protulerit infidelitatem suam.* Quæ omnia insinuant, sufficere quamlibet exterioritatem. In eandem sententiam expresse inclinat Alter. *cap.* 2. *col.* 8. & absolute amplectitur Garz. *de benef. p.* 11. *num.* 105. ac Reginald. *d. cap.* 14. *sect.* 2. *num.* 239. qui fusè explicat, licet paucis probet, ac ità tandem consulti responderunt prima vice Doctores Salmaticenses, inter quos Pegna, teste Vivaldo *in edit.* 1598. *cit. num.* 12.

Addit autem ibi Reginaldus, eum, qui hæresim, quam in mente habet per jocum exprimit, ut si quis credens, Christum non esse sub speciebus panis, dicat, se nolle adorare Deum, qui comedi

di potest à muribus, anathema incurrere. Quia revera hìc hæresim, quam habet, promit, & per jocum sæpius veritas promulgatur. Quod quidem in hac secunda sententia admitti potest, ac præsertim, quod quanquam dicens ex joco, non faciat fidem, ex quo posset excusari, tamen non est simpliciter necesse, ut hæresis fiat externa quoad judicium aliorum. Insuper autem talis modus loquendi, licet sit ex joco, addit rationem contemptus, quod potius crimen aggravat. In altera verò opinione, licet id admittat Sayr. *cit. cap.* 4. *n.* 31. Alter. *loc. cit.* & Sousa *disp.* 7. *conc.* 2. tamen id perpendendum erit ex circumstantiis, ut Simanch. *cit. tit.* 24. aliique.

In eadem autem prima opinione, quam in praxi duximus amplectendam, nullus fere casus dubitationi occurrit, qui ea regula considerata, possit ne, scilicet, quis ex eo signo arbitrari, illud exhibentem esse hæreticum, non definiatur. Apparet enim ex ea, signa communia, sive indifferentia, quæ alium æque ac hæreseos assensum videntibus, vel audientibus indigitare possunt, ac etiam incompleta, quæ, scilicet, incompletè tantum hæresim significant, non perfectè, ut est inclinatio capitis, & quædam verborum imperfecta prolatio, puta, *ita est*, dum internè errori præstatur assensus, non inducere censuram. In omissionibus autem egregie idem Ricciullus *num.* 9. opiniones extremas concilians, ait, esse attendendas circumstantias. Nam non revereri Imaginem respectu alicujus tribui potest inadvertentiæ, respectu verò alterius ratione loci, ac temporis accipietur tanquam indicium hæreseos. Quia qualitas actus, juncta eo tunc personæ suspectæ, habet significare errorem.

Libet tamen ad uberiorem doctrinam aliquos casus in particulari recensere. Primus est; Non est æstimandus hæreticus exterior, qui internè errans, ut aliquem possit in hæresim inducere, ejus aucupetur amicitiam litteris, aut muneribus. Donec enim expressè intentum finem non prodat, significans, se velle in eandem secum sententiam inducere, officiosa ea signa de se sunt indifferentia, nec statim hæresim produnt, Sanchez. *cit. cap.* 8. *n.* 9. & Cordub. *in quæst. lib.* 4. *q.* 13. *opin.* 3.

Secundus, neque est talis, qui materialiter in fide non errans, sed formaliter tantùm juxtà superius dicta §. *Quare fides sub hoc testimonio*, ut quia credat aliquid cum Ecclesia, quod tamen falsò putet ab Ecclesia de fide esse rectum, promeret opinionem suam. Si enim simul non manifestet, se ità sentire, quantumlibet Ecclesia sentiat oppositum, non profert hæresim, sed veram doctrinam, Sanch. *num.* 11. Id ipsum insinuat Sousa *disp.* 11. *in fine*, dum ait, explicantem suam sententiam in iis, quæ adhuc sub opinione sunt, nec definita, quamvis internè animum hæreticalem habeat, non excommunicari.

Tertius. Negans de subjecto aliquo principium, fit hæreticus exterior, si proferat propositionem, quæ neget proprietatem essentialem à principio illo profluentem, ut qui non credens, Christum naturæ esse humanæ, & rationalis, externè asserat, non esse risibilem. Nam & asserens ex errore interno ita pronunciat, ut supponimus, & audientes sufficiens hæreseos indicium sumunt, cùm nullus præsumatur errare in principio naturali. Sanch. *num.* 12.

Quartus. Esset hæreticus exterior, qui res fidei credens dubias, asserat, se de illis dubitare, licet non expresse dicat, res esse dubias. Siquidem satis indicat, se arbitrari, res fidei esse dubias, qui dubius est circa illas, Sanch. *num.* 13. Nos verò id libentius recipimus, qui contra eundem Sanchez non solum opinati sumus, quem esse hæreticum ex eo, quod res fidei credat dubias, sed ex eo tantum, quod pendulus maneat, sive dubius sine positivo judicio dubietatis rerum.

Quintus. Non fit hæreticus exterior circa materiam sui erroris proferens blasphemias, non hæreticales, ut qui non credens Deum esse omnipotentem, prorumpat in imprecationem. *Non sit in Deo potestas.* Quia verba hæc non sunt indicativi modi; ut indigitent hæresim in proferente, sed tantùm imprecatio quædam. Secus est, si blasphemia esset hæreticalis, ut, *Deus non est omnipotens.*

Sextus. Licet eo facto, quod regulariter præsumi solet committi ex errore in fide, puta rebaptizatione, ab eo, qui non confitetur unum baptisma, aut esu carnium ab eo, qui non credit, ab Ecclesia posse prohiberi, quis fiat sufficienter hæreticus exterior, non tamen fit ex eo facto, quod probabilem suspicionem hæresis de se non inducit, ut si quis credens, fornicationem non debuisse ab Ecclesia damnari, fornicetur, Sanchez *numer.* 15. Hic enim licet sit hæreticum dicere, fornicationem non esse peccatum, *ex Clem. ad nostrum, de hæret.* fornicando ex hâc opinione, non præsumitur hæreticus. Quia fornicatio passim fit etiam à non hæreticis. Crediderim tamen ex circumstantiis, hos actus posse ita juvari, ut fiant signa sufficienter exprimentia, verbi gratia, si quis in cœteris servandis præceptis accuratus, à fornicatione tamen nullo modo vellet abstinere.

Septimus. Non est quispiam exterior hæreticus, si legendo alienos Libros, vel transcribendo, aut narrando aliquid, vel disputando ex sententia aliorum, pronunciet voce, aut scripto hæresim, quam mente retinet. Quia non exprimit hæresim, ut propriam, sed ut alienam, Sanch. *num.* 23. referens ad id Cordubam *cit. q.* 23. *opin.* 3. Azor. *cap.* 10. *q.* 7. *fa. v. excommunicatio in Bulla Cœnæ num.* 3. Nec tamen recipimus limitationem, quam habet Sanchez, scilicet, id procedere, dummodo non proferat voluntate eam confirmandi, aut exprimendi. Nam ille actus proferendi alienam hæresim, de se nunquam est potis aliis insinuare propriam, quia semper hæresis accipitur expressa, ut aliena. Quare, ut sufficienter quis eo modo se prodat, aliud judicium exhibere debet.

Octavus. Non fit hæreticus exterior, pronuncians hæresim tempore somni, aut ebrietatis, Sanch. *num.* 24. Petr. de Ledesm. *tom.* 2. *sum. tr.* 1. *cap.* 6. *post* 10. *concl. diff.* 5. Duard. *q.* 24. *num.* 19. Quia non emanat exterior illa Locutio ab actu internæ hæresis. Unde nihil refert, hæreticum internum fuisse expertum, se prodere solere, nec præcavisse. Quo modo manifestatio dicitur voluntaria interpretativè, & in aliis criminibus similis voluntas non excusat, de quo casu ait Ledesma, se olim oppositum judicasse, & tenet esse probabile Bonacina *in Bull. Cœn. punc.* 2. *num.* 7. Nihil, inquam, refert. Tùm ex allata ratione, quia internus error proximè tunc non influit. Tùm quia eodem modo indicat hæresim pronuncians ea vice, quam non adverterat, ac recitata altera post advertentiam, non adhibita præcautione. Igitur, aut primâ etiam vice fieri debet exterior, quod non admittitur, aut nec secunda deindè vice fieri potest. Neque par est exemplum de aliis criminibus, quia ea quomodocunque voluntaria etiam deliberatione remota, non carent malitia. Ac manifestatio hæresis debet proximè deliberatè fieri. Probabile autem est, quod si in fraudem quis se inebriet, ut hæresim detegat, quam timet sanâ mente detegere, fiat hæreticus exterior, & excommunicationi obnoxius. Quia & detectio est satis voluntaria, & nemini secus patrocinari debet dolus.

Ultimus. Fit hæreticus exterior, dolosè verba, quibus exprimit hæresim, ità componens, ut ex amphibologia, quam recipiunt, possit subterfugere, in alium sensum ea extorquendo, Sanch. *numer.* 26. Quia & malitiosa hæc fictio non minuit culpam, sed auget,

&

& verba, non obstante amphibologia, habent significare hæresim, & ad hoc sunt prolata. Per accidens autem est, si ab aliquibus non percipiantur, quatenus nimirum conjunctio alterius significationis, vel sensus, impedire potest claram hæresis notitiam ex eis comparari.

In hoc enim omnes conveniunt, quod licet per accidens actus ad notitiam aliorum non perveniat, quando tamen de se est aptus pervenire, sufficiens sit ad pœnam hanc inducendam. Sic scribens secum ipse clausus, vel etiam pronuncians expresse, & complete, se aliquid fidei non credere, aut se esse hæreticum, innodatur, etiamsi nullus audiat, videat, aut statim chartam concremet, vel dilaceret, ut Cajet. 2. 2. *cit. q.* 11. *ar.* 3. Ugolin. *d.* §. 4. Graff. *lib.* 4. *dec. cap.* 18. *numer.* 14. Tolet. *d. cap.* 20. *numer.* 5. *lib.* 1. Vivald. *d. numer.* 8. Sayr. *eo lib.* 3. *cap.* 4. *numer.* 26. Navar. *in man. cap.* 11. 22. *& cap.* 27. *numer.* 56. Filiuc. *supra numer.* 27. Duard. *q.* 24. *concl.* 3. Alter. *col.* 5. Sousa *disp.* 7. *sub initio* Ricciul. *cap.* 9. *numer.* 4. Azor, Sanchez, Reginaldus *loc. alleg.*, ac cœteri communiter.

Inferunt hinc Sanchez *numer.* 10. ac Ricinellus *num.* 7. non esse hæreticum, qui ignotis Characteribus, vel notis occultis, vulgò Cifris, hæreticam suam sententiam conscriberet, quia talia signa percipi non possunt, eique solum significant, qui adinvenit. Quod non probo omninò. Quia literæ quantumvis novæ, & adinventæ ad solum placitum illius, qui effinxit, significantes; si tamen eis scribatur juxta normam, ac collocationem, qua ordinariis characteribus scribi solet; immò dummodò non omninò sine regula disponantur, ac ordinentur characteres, facile à perito hujus artis explicari possunt, scripturæque detegi sensus. Si tamen nullo penitus servato ordine sit impossibile detegi, tunc militat horum Authorum placitum, ac ratio.

Nullo autem modo arbitror amplectendam ejusdem Sanchez sententiam, quam tradit *numer.* 7. & cui subscribunt Duard. *d. q.* 24. Henriquez, Sa, Filiuccius *loc. cit.*, & videtur etiam Ricciullus *cit. cap.* 9. *numer.* 6. videlicet, actum hunc exteriorem debere esse de se malum, ac mortalem, non per solam relationem ad actum internum, sed etiam secundum seipsum. Quia excommunicatio, aliæque pœnæ gravissimæ hæreticorum non imponuntur, nisi ob peccatum mortale externum; nam internum Ecclesia non punit. Indè deducunt, hæreticum comedentem carnes, eo quod putet, Ecclesiam non habere authoritatem prohibendi, non irretiri, si in parva quantitate comedat. Similiter nec operantem bona, aut sedulo omittentem mala, de quibus specialiter secta illa, quam sequitur, præcavet.

Non id, inquam, arbitror sustinendum. Nam si per eos actus, juncta circumstantiarum notitia, dignoscitur quis esse hæreticus, qua ratione excommunicatio declinari poterit?

Et quidem non punit Ecclesia actum exteriorem, sed hæresim, quia, ut latet, non est punibilis, eo ipso, quod manifestatur, cadit sub judicium, & pœnam ipsius. Qua in re quilibet actus exterior manifestativus omnem suam deformitatem accipit ab errore interno, ex quo procedit, ut per respectum ad illum malitiæ mensura desumenda sit, non autem ex natura ipsius actus. Explicans se enim verbis esse hæreticum, fit excommunicatus, & tamen ex eâ pronunciatione præcise non peccat mortaliter. Non enim ex natura ipsius locutionis, ut per se patet, neque ratione scandali. Quia id pronuncians inter ipsos hæreticos, inter quos ratio scandali cessat, adhuc incidit. Neque ratione præcepti de fide palam confitenda. Nam etiamsi solus id dicat, non excusatur. Igitur ex eo solùm, quod hæresim manifestat. Quare si ex circumstantiis comedens sine causa frustulum carnis, aut frequentans ea jejunia, vel sedulò omittens mala ea, de quibus specialiter imperat Secta, quam sequitur, quæque priùs non eadem sedulitate satagebat declinare, ut cognitis, inquam, circumstantiis, agnoscitur palam pro hæretico, cùm priùs lateret, non effugiet excommunicationem, ut etiam ipse Sanchez *num.* 18. asseverat. Quia hæc de se non mala ex pravâ intentione operantis accipiunt deformitatem.

Ex quibus satisfit argumento Sanchez, eò quod Ecclesia non punit actum exteriorem, ut sic, sed ut hæresim, prius non punibilem, subiicit pœnæ, seu ponit in statu punibilitatis. Quare parum refert, si ille sit levis. Atque ità juxtà receptiorem opinionem Tabienæ, Sylvestri, Turrecrematæ, & Grassii *lib.* 2. *dec. cap.* 149. *numer.* 12. offendit ad Canonem *Si quis suadente*, percutiens Clericum, etiam leviter, ratione nimirum animi, qui percussionem, de se levem, constituit injuriosam.

Hoc autem hâc in re notandum est, quod cùm Theologi communiter doceant, hæreticos penitus occultos, nec excommunicationem incurrere, neque exterioribus pœnis affici, id intelligatur de hæreticis omninò per se occultis, ita ut ipsorum hæresis nullo pacto prodierit in actum aliquem exteriorem, & sic nullo pacto possit naturaliter sciri, neque probari, nisi per confessionem propriam, & spontaneam. Contrà verò cùm Canonistæ, ac Juristæ communiter ajunt, hæreticos omninò occultos esse excommunicatos in Bullâ Cœnæ, ac exterioribus pœnis esse obnoxios, id intelligatur de hæreticis, quandò non primò, ac per se, sed per accidens sunt occulti, ut quis hæresim suam mente conceptam ore, vel scripto sufficienter expresserit, quam tamen nemo audivit, vel scivit, propter quod in judicio probari non potest. Quia in tali casu delictum per accidens est occultum, cùm primò, ac per se ex naturâ sua probari possit.

Communiter igitur hæreticus alius est interior ac mentalis, alius exterior, ut dictum est. Alius occultus, ac secretus per accidens, alius manifestus. Manifestus dicitur, qui publicè contrà fidem Catholicam prædicat, aut profitetur, aut qui coram Prælatis suis convictus, vel confessus, vel ab eis judicialiter condemnatus super hæreticâ pravitate, ut respondet Innocentius Tertius *in cap. Ecclesiæ Tholosanæ*, & *in cap. super quibusdam. de verb. signif.* Hæreticus occultus, ac secretus per accidens is dicitur, qui hæresim ita occultè commisit, ut nullus hominum ejus testis esse potuerit.

Insuper hæreticus alius est affirmativus, alius negativus. Affirmativus ille est, qui errorem, quem habet in intellectu, verbo, aut opere ostendit, ac fatetur. Negativus verò, qui legitimis testibus convictus de hæresi, constanter in negativâ persistit, verboque fidem catholicam profitetur, protestans, se credere quod tenet, ac credit Sancta Romana Ecclesia. Hic hæreticus negativus, tanquam impœnitens, & verus hæreticus pertinax, Curiæ sæculari tradendus est, cùm ad misericordiam non admittatur, qui in sua negativâ persistit, ea Rotæ *decis.* 875. quam refert Simanch. *de cath. instit. tit.* 48. *nu.* 25. ac Pegn. *com.* 48. *in* 3. *p. direct. nu.* 207. ubi testatur, hanc esse veram, & communem Doctorum sententiam, definitam etiam in Concilio Bitterensi *c.* 7. *&* 9. & in Concilio Narbonensi *cap.* 26. quam sequitur Instructio Hispalensis edita anno 1484 *can.* 14. quidquid contra sentiat Clar. *in pr. cr.* §. *Hæresis nu.* 9. ubi ait, hanc opinionem semper sibi visam fuisse rigorosam, & antè eum Boer. *dec.* 341. *num.* 4. *in fine.*

Ut autem aliquis dicatur verè hæreticus negativus, & ut tanquam hæreticus condemnari possit, requiritur

quiritur primò, quod quis sit accusatus, & convictus de vera, & formali hæresi, non autem de assertione scandalosa, temeraria, aut blasphema. Secundò quod verba, vel facta hæreticalia sint clara, & certa, non dubia, vel ambigua, aut æquivoca, quæ possint in duplicem sensum accipi. Tunc enim non sufficerent; quia non inducerent veram probationem delicti, *L. neque natales. C. de prob. cap. in præsentia eod. tit.* Et quia verba, quæ possunt importare duplicem sensum, debent semper accipi in eam partem, per quam delictum excluditur, Bald. *cons.* 98. *col.* 2. *ad fin. lib.* 2. Alex. *cons.* 188. *lib.* 7. Aym. *cons.* 9. *num.* 20. Albert. *de cognosc. asser. q.* 7. ac D. Thomas 2. 2. *q.* 60. *art.* 4. Tertiò quod crimen hæresis per testes contestes, ac omni exceptione majores, & non singulares convincatur. Quarto, quod accusatus neget illud factum, vel verba hæreticalia egisse, aut dixisse cum protestatione generali superiùs allata. Quintò quod factum, vel dictum hæreticale, de quo convincitur, sit recens. Nam si esset antiquum, præsumeretur calumniosè objectum, vel illius reus sit verisimiliter oblitus. Quanto verò tempore præsumatur oblivio, vide apud Pegnam ad Eymer. *p.* 2. *q.* 34. *com.*59. Sextum, quod testes deponentes concludant, reum asseruisse, illa se credere, & ab aliis esse credenda. Nam aliter licet testis deponat de verbis inferentibus hæresim, posset esse, quod essent dicta per jocum, vel referendo aliorum opiniones, vel disputando.

Perpensis itaque his qualitatibus in hâc re periculi plena procedi poterit ad condemnationem hujusmodi hæretici negativi, ut etiam animadvertunt Albert *loc. cit. q.* 8. *numer.* 8. *& q.* 34. *numer.* 51. Pegn. *p.* 3. *com.* 48. *sub lit. B.* Solet etiam perpendi qualitas personæ, ejusque conversatio diligenter indagari; quibus omnibus consideratis, si conspirent contra reum, conqueri non potest, quod contra ipsum procedatur, quia Ecclesia fundat suam intentionem in legitimis probationibus.

Et hæc opinio sicuti est communiter à Doctoribus, & in praxi recepta, ita est verior ex rationibus allatis à Rota *in decis.* 1. *de hæret. in antiq.* ubi tandem fuit decisum post maturam discussionem, hujusmodi reum censeri verum hæreticum, & uti talem esse plectendum. Quod deindè cœteri sunt sequuti, præcipuè Calder *de hæret. rub. de hæret. impun. numer.* 1. *& in rubr. de mater. process. inquis. numer.* 3. Anan. *in cap. excommunicamus.* §. *Adjicimus. de hæret.* Albert. *ibid* ac Rebuff. *in pr. tit. de mod. amitt. benef. numer.* 31. ubi ait, se vidisse secundum dictæ Rotæ decisionem observari. Quibus accedunt Simanch. *de Cath. instit. tit.* 48. *numer.* 25. Bursat. *cons.* 7. *numer.* 2. 3. *&* 7. *lib.* 1. Royas *de hæret. p.* 1. *numer.* 69. *& seqq.* Decian. *in tract. crim. lib.* 5. *cap.* 17. *numer.* 138. *& cap.* 37. *numer.* 16. *& cap.* 38. *numer.* 3. Cantera *in quæst. Crim. rubr. de hæres. cap.* 1. *numer.* 57. *&* 60. Param. *de orig. S. Inquis. lib.* 3. *q.* 4. *rub. de exped. proces. in caus. numer.* 41. Afflict. *in constit. Regn. rubr. de hæret. numer.* 35 Et quidem sicut legitimè convictus in reliquis criminibus est vere reus, potestque condemnari, etiamsi non confiteatur, *cap. super quibus. de verb. signif. can. nos in quenquam* 11. *q.* 1. *& can.* 1. *&* 2. 11. *q.* 4. Ità quandò legitimè convincitur de hæresi, est condemnandus tanquam hæreticus, licet ipse fateatur contrarium; Nam ejus confessio non tollit legitimas probationes, quæ urgent adversus eum, *can. serpens.* §. *sed. neque Cain de posuit.*

Alia divisio hæresis est in formalem, & materialem, hoc est, eorum, qui antè definitam ab Ecclesia veritatem aliquam contigit, eos contraria veritati catholicæ affirmare. Sic S. Irenæi millenarii assertio, S. Cypriani Anabaptismus, & aliorum alia.

Idque etiam locum habet non solum in negativo, qui negat omnes errores, quos commisit, sed etiam in illo, qui diminutus est, quosdam confitendo, quosdam tacendo, dummodo de illis convictus sit. Immò etiam in eo locum habet, qui licet omnes, ac singulos suos errores confiteatur, negat tamen, sivè non vult suos complices detegere, ut per Suarez *de fid. disp.* 23. *sect.* 5. *numer.* 6. & Fagundez *in* 1. *præ. decal. lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 6.

Illud etiam hic animadvertendum est, quod in decretis fidei, quæ eduntur à Conciliis generalibus, quando apponuntur hæc verba: *Anathema sit*, important, hæreticum esse, contrà illud decretum sentire. Quod etiam asserit Sanchez. *d. lib.* 2. *in decal. cap.* 38. *num.* 91.

Proferamus effata de Hæreticis.

Hæreticos manifestos Presbyteri Societatis Jesu, prætextu cujusvis privilegii non possunt absolvere in confessionibus & in foro conscientiæ, sed illos ad S. Officium mittere debent. Quia Sixtus Quintus, quatenus tale privilegium haberent, illud revocavit, & abstulit.

Militantes pro hæreticis contra Catholicos absolvuntur à censuris, ac pœnis incursis, & juxtà facti qualitatem abjurant, receptâ obligatione de amplius non militando pro hæreticis.

Hæreticorum conversatio poterit catholicis permitti in casu necessitatis, & ad effectum illos instruendi; ac citrà scandalum. Præsertim anno Jubilæi cum hæreticis venientibus ad Urbem, ità tamen, ut quos ad Catholicam Religionem disposuerint, curent comparere in S. Officio, ut Ecclesiæ reconcilientur; renuentes verò amplecti fidem catholicam denuncient S. Officio, ut observari possint, nè scandalum præbeant, & statui quid circa illos agendum sit.

Hæretico, cujus bona sunt confiscata, volenti ad fidem catholicam cum filiis converti, poterit à Summo Pontifice remitti pars illa, quæ pertinet ad S. Officium.

Hæretici nati, & à parentibus educati, majores quatuordecim annis, accedentes ad fidem catholicam, abjurant de formali cum clausula, citrà pœnam relapsus. Minores autem quatuordecim expediuntur cum fidei professione.

Hæretici non possunt esse patrini in baptismis filiorum Catholicorum. Et Summus Pontifex, ac Sedes Apostolica nunquam voluit hoc concedere, immò jussit, tolli hujusmodi abusum. Undè monendi sunt Parochi, nè hoc permittant. Sicuti nec matrimonia cum catholicis, ac sepulturam ipsorum hæreticorum in loco sacro, ubi occasione mercaturæ tolerantur. Et Inquisitores contra hæc facientes possunt procedere

Litteræ non sunt hæreticis scribendæ. Petentibus tamen hujusmodi licentiam non potest expresse concedi, sed per conniventiam permitti, concurrente gravi causâ.

Hæreticorum ossa exhumantur ex Ecclesiis catholicorum in quibus est celebrandum, si sine scandalo fieri potest, sin minus adhibenda est conniventia, ut possint Missæ celebrari; sed nihil in scriptis est concedendum.

Hæreticis non possunt catholici donare, vel vendere bona, & petentibus hanc licentiam non est concedenda, nè quidem in investituram. Non enim vult S. Sedes alienationes bonorum ipsis hæreticis factas confirmare, nisi concurrente urgentissimâ causâ.

Hæreticorum sepultura, etiam in cœmeteriis Ecclesiarum catholicorum omninò denegatur, si resisti possit, sin minùs connivendum.

In hæreticis spontè comparentibus, non S. Offi-

Officium, sed Ordinarius supplet defectus baptismi.

Hæretici ingredientes Religionem, per absolutionem obtentam ab hæresi, non censentur habilitati ad munera, & gradus Religionis.

Non licet adire hæreticorum conciones, & Ecclesias, minusque eorum matrimoniis, ac baptismis interesse. Neque Officiali petenti conceditur facultas, ut à suo Confessario absolvi possit, quatenus ratione officii sibi id facere contigerit.

Non conceditur hæreticis sepultura Ecclesiastica, quæ etiam denegatur, etiamsi velint hâc de causâ Capellam construere, ac dotare. Per conniventiam tamen conceditur, quando sine scandalo, ac periculo eis resisti non poterit.

Hæreticis non est concedenda licentia morandi in locis Catholicorum, sed tantum subsistente necessitate oretenùs concedenda.

Hæretici sponte comparentes aliquandò recipiuntur extrà S. Officium coram aliquo Cardinali ejus Congregationis, & secretò expediuntur secundum qualitatem personarum. Interdum coram aliquo Consultore S. Officii.

Non denunciantes hæreticos, maleficos, sortilegos &c. S. Officio possunt semel absolvi à peccatis, dummodò denunciare promittant, & in civitate non sint publicata edicta S. Officii, in quibus sit apposita excommunicatio ipso facto incurrenda. Quia tunc nec ab excommunicatione, nec à peccatis absolvi possunt, nisi priùs hæreticos denuncient.

Non possunt parochi Catholici associare ad sepulturam, nec divina officia ei celebrare.

Hæreticis conversis ad fidem catholicam, ac petentibus sibi condonari fructus Ecclesiasticorum bonorum hactenus percepti, poterit annui, non ità facile annuendum iis est, ut dicta bona retineant.

Hæretici pro habilitatione, ac dispensatione recurrunt ad Datariam &, postea expediuntur in S. Officio. Per quamcunque verò gratiam eis factam, & faciendam non censentur restitui ad audiendas confessiones. Undè Summus Pontifex mandat, ut in eorum expeditionibus, quandò non habilitantur ad parochiales obtinendum, apponatur clausula, quod orator remaneat suspensus ab audiendis confessionibus, arbitrio Ordinarii.

Synodus Provincialis Mediolanensis observanda ab Ordinariis, & Inquisitoribus circa hæreticos morantes occasione belli in Italiæ Civitatibus, à quibus hic & nunc expelli non possunt.

Hæretici conversi ad fidem catholicam in Germania debent abjurare, nec eis sufficit fidei professio.

Scientes, ac recusantes denunciare hæreticos, vel suspectos de hæresi, licet monitos, non possunt absolvi à Confessariis, quamvis dicant, illos correxisse, vel esse dubios, an ità sit.

Hæreticorum filii possunt, invitis parentibus, baptizari; sed difficultas versatur circa praxim.

Hæreticorum literis non est respondendum. Nonnunquam tamen conceditur licentia scribendi hæretico, ac responsum accipiendi.

Hæreticorum more vivere, sed simulatè inter hæreticos ipsos non conceditur Catholicis.

Quoad hæreticos accedentes ad civitates catholicas, & extrinsece catholicè viventes, Inquisitor per se ipsum, vel per parochos curet scire, an sint hæretici, aut Catholicæ Ecclesiæ reconciliati. Et quatenus repererit, eos non esse catholicos, ac non habuerit indicia sufficientia ad capturam, eis præcipiat, ut inde statim discedant, alioquin contrà eos procedetur, prout facere poterit, quando indiciis fuerint præventi.

Hæretici si miserint filios suos ad gymnasia Catholicorum, ut catholice instruantur, poterunt indistinctè admitti. Si verò eos miserint, sola studii causâ, tunc si illi annum duodecimum compleverint, non sunt admittendi Minores verò duodecim annis admittantur, dummodò pedagogos, ac servos hæreticos secum non habeant.

Filii hæreticorum viventium in hæresi, vel in eadem mortuorum, vel condemnatorum ex praxi S. Officii non sunt privandi, neque privati beneficiis obtentis antè hæresim paternam, sed solum redduntur inhabiles ad illa in posterum obtinenda.

Hæretici, qui volunt recipi ad gremium S. Matris Ecclesiæ, ac petunt, posse, se non ostendere tales; immò posse accedere ad conciones hæreticorum, vel aliud simile, non recipiuntur, quia hujusmodi simulationes Ecclesia prohibet.

Contra illos, qui pœnitentiatos in S. Officio vocant hæreticos, procedit Inquisitor, sed ad querelam partis, cum prudentia, & dexteritate, illisque imponenda aliqua pœna extrà ordinem

Hæreticus annorum vigintiduo præventus indiciis expeditur, uti sponte comparens.

Conceditur aliquando licentia Catholico accedendi ad hæreticos, ac redeundi ad Catholicos. Interdum degendi in partibus hæreticorum. Nonnunquam præstandi fidejussionem de redeundo intrà certum tempus ei præfigendum.

Contra hæreticos, qui abjurarunt in foro conscientiæ, Inquisitores, & Ordinarii possunt procedere, si denunciantur.

Hæreticus, qui abjuravit de formali, est incapax exercendi quæcunque officia sæcularia.

Habens commercium cum hæreticis mercatoribus, abjurat de levi, & mulctatur pœnâ pecuniaria arbitrio Inquisitoris. Alia alibi passim.

De pœnis autem hæreticorum postea.

Consultatio XXXVII.

Gradus, judicium, sivè censura de singulis propositionibus, quæ aliquo modo fidei catholicæ sunt contrariæ, sivè minimè consentaneæ, sed alienæ, absonæ, absurdæ.

Non est facilis negocii dignoscere, quænam sit hæretica propositio, & qualis illa, licet ab hæresi non longè distet, non sit tamen sufficiens ad subjiciendum excommunicationi & pœnis hæreticorum assertorem. Quandoquidem nec eæ, quæ sine ulla controversia sunt contrà fidem à Doctoribus pari sensu in eodem genere distribuuntur. Quoniam autem varii sunt gradus Catholicarum propositionum, quos late prosequitur Canus *de loc. Theolog. lib.* 12. *cap.* 7. atque adeo multiplices species propositionum, quæ illis opponuntur, ideo non abs re esse duximus locos prius Theologicos proferre, qui sunt tanquam uberrimi fontes, ex quibus propositiones, & argumenta ad omnes usus Theologicos derivantur.

Ex locis autem Theologicis alii sunt *intrinseci*, alii *extrinseci*, ut docet Augustinus *lib.* 2. *de ordin. cap.* 1. Intrinseci sunt illi, qui ex intrinseco rerum sumuntur, ac fundantur in ratione. Extrinseci, qui extrinsecus assumuntur, & consistunt in autoritate. Ad quatuor revocantur cum D. Thoma *p.* 1. *q.* 1. *ar.* 8. *ad* 3. Suntque Autoritas divina, Autoritas Doctorum Ecclesiæ, Autoritas Philosophorum, Ratio naturalis. Autoritas dividitur in divinam & creatam. Creata in Angelicam & humanam. Humana subdividitur in autoritatem Doctorum Ecclesiæ, & in autoritatem Philosophorum.

Cùm autem autoritas divina consistat in revelatione, duplici modo haberi potest. Vel per verbum scriptum, quod constitit in libris Canonicis Sacræ Scripturæ, vel per verbum traditum, quod consistit in traditionibus Apostolicis. Decreta verò Conciliorum, Sum-

morum Pontificum, & communem sensum Ecclesiæ reducuntur ad authoritatem divinam, quia fundantur in revelatione, quatenus nos certos facit de revelatis.

Dogma autem fidei non potest confirmari, nisi ex certo, ac infallibili sensu Sacræ Scripturæ, sive traditionis, Conciliorum, aut summorum Pontificum, aut ex communi sensu Ecclesiæ. Nam debet esse certum & infallibile. Non potest autem esse tale, nisi habeatur ex infallibili testimonio. Tuncque sensus est certus, & infallibilis, quando est ita apertus ac perspicuus, ut non possit rationabiliter aliam explicationem admittere. Nam Sacra Scriptura est scripta, assistente Spiritu Sancto, qui non potest intendere sensum irrationabilem. Tuncque etiam est certus ac infallibilis, quando ita congruit cum aliis locis Sacræ Scripturæ, ut si aliter accipiatur, sequantur repugnantia cum aliis locis. Non enim potest Spiritus Sanctus sibi esse contrarius, ac proinde non potest in uno loco intendere contrarium illius, quod intendit in alio. Alioquin non intenderet veritatem. Quia una veritas non est alteri contraria.

Ille etiam est sensus certus, ac infallibilis, quo Apostoli usi sunt in explicandis Sacris Scripturis, & quilibet ex ipsorum traditione. Ita D. Augustinus *lib.* 23. *contra Faustum cap. ult.* & communiter Patres. Nam Apostoli fuerunt edocti à Christo circa intelligentiam Scripturarum. *Aperuit enim illis sensum, ut intelligerent Scripturas* Luc. 24. & fuerunt speciali modo illuminati à Spiritu Sancto Joan. 24. *Ille vos docebit omnia.*

Sensus quoque approbatus ab Ecclesia est certus, ac infallibilis. Nomine autem Ecclesiæ intelligitur, vel Concilium generale legitime congregatum, & approbatum, aut Summus Pontifex, ut caput Ecclesiæ visibilis, aut communio fidelium per totum Orbem diffusa. Nam Spiritus Sanctus assistit Ecclesiæ, ut non sinat eam errare circa res fidei, ac bonos mores. Intelligentia autem Scripturarum secundum verum sensum pertinet ad fidem, ac mores instruendos.

Sensus etiam receptus communi consensu Patrum est certus ac infallibilis. Nam Deus contulit Patribus speciale auxilium ad declarandas Scripturas. Quia eos constituit Doctores fidelium, Esset autem contra divinam providentiam, si permisisset, quod omnes communiter errarent in exponendis Scripturis circa res fidei.

Quando autem nullo modo ex prædictis potest erui verus sensus Scripturæ, verba ipsius in proprio sensu sunt accipienda, si nullum sequatur inconveniens. In hoc tamen casu sensus Scripturæ non erit factus certus. Nam communis sensus loquendi usurpat verba in propria significatione, atque adeo etiam Scriptura.

Porro idem locus Sacræ Scripturæ potest habere diversos sensus, ut communiter docent Patres & Scholastici. Unde alius est litteralis, alius spiritualis. Litteralis est ille, quem Deus immediatè per verba significat, ut tradit D. Thomas *d. p.* 1. *q.* 1. *ar.* 2. Spiritualis, quem important voces, mediantibus rebus, quas significat in litterali. Quia prima significatio est vocum, secunda verò est rerum.

Sensus autem litteralis non semper habet locum, sed solum, quando non sequitur aliquod inconveniens. Ita docet Augustinus *lib.* 3. *de doctr. Christ. cap.* 10. & 11. ac communiter Patres. Et alius est proprius, alius metaphoricus. Proprius est, quando voces significant secundum propriam significationem. Metaphoricus, quando voces habent significationem translatam, ut illud Apocal. 5. *Vicit Leo de Tribu Juda.* Hic autem sensus metaphoricus est litteralis, ut docet D. Thomas *loc. cit. ar.* 3. *ad* 10. Potest tamen dici aliquo modo spiritualis, quatenus quod significatur, tribuitur secundum aliquam proportionem rei significatæ, ut habet D. Augustinus & *lib.* 3. *de doctr. Chr. cap.* 5. Differt autem sensus litteralis metaphoricus à similitudinario, quod similitudinarius explicatur semper per particulam comparativam. Unde verba etiam proprie significant.

Sensus verò parabolicus est ille, in quo aliquid explicatur per modum historiæ, quæ non est vera sed sumitur, ut facti, ut est illa Luc. 15. de filio prodigo. Reducitur autem ad metaphoricum, quia continet metaphoram continuatam, ut tradit Abulensis *qu.* 28. *in cap.* 13. *Matth.*

Dividitur sensus spiritualis, seu mysticus in eum, qui respicit operationem nostram, & in eum, qui respicit fidem. Finis enim Scripturæ est nostra instructio in ordine ad finem supernaturalem per potentias rationales, nempe intellectum, & voluntatem. Unde quæ mystico modo significantur, pertinent ad has potentias. Si ergo pertinent ad voluntatem, respiciunt operationem, & consurgit sensus moralis. Si verò pertinent ad intellectum, & respiciunt actum credendi, tunc, vel significant ea, quæ pertinent ad præsentem Ecclesiam, ut sunt, quæ habentur in veteri Testamento, & consurgit sensus allegoricus. Vel significant, quæ sunt Ecclesiæ triumphantis, & consurgit sensus anagogicus. Unde quatuor sunt sensus Scripturæ. Litteralis, moralis, allegoricus, anagogicus.

Omnes autem hi sensus possunt reperiri in eodem loco Scripturæ, licet non reperiantur necessario, ut docet D. Thomas *quodlib.* 6. *qu.* 6. *art.* 13. Non est tamen necesse, ut omnia, quæ habentur ex veteri Testamento, ita sint allegorica, ut significent aliquid prius gestum. Hoc enim non potest convenire iis, quæ Prophetice scripta sunt, ut ait Tertullianus *cap.* 16. *de resurrect.* Potest item allegoria reperiri in Novo Testamento. Unde D. Augustinus *tract.* 132. *in Joan.* explicat allegorice quosdam locos Novi Testamenti. Sensus itidem spiritualis, seu mysticus fuit intentus à Spiritu Sancto, ut docet etiam D. Thomas *d. p.* 1. *qu.* 1. *art.* 10. cum D. Augustino *lib.* 31. *de doctr. Christ. cap.* 25. Talis enim sensus est verus sensus Sacræ Scripturæ. Non esset autem, si non esset intentus à Spiritu Sancto.

Denique idem locus Sacræ Scripturæ potest habere plures sensus litterales. Est sententia communis cum D. Thoma *d. q.* 4. *ar.* 10. D. Augustini 11. *confess.* & aliorum Patrum contra Alensem *p.* 1. *q.* 1. *membr.* 4. *ar.* 7. Albertum *p.* 1. *sum. fr.* 1. *qu.* 5. *membr.* 2. Henricum *in sum. ar.* 16. *q.* 2. & 3. Medinam *lib.* 3. *de rect. fid. in Deum cap.* 25. Sunt enim possibiles plures sensus litterales. Quia idem locus potest conformari cum pluribus rebus, atque adeo fuerunt intenti à Spiritu Sancto. Quia Spiritus Sanctus usus est verbis Scripturæ perfectissimo modo, atque adeo secundum omnem significationem. Sic illud Isaiæ 53. *Generationem ejus quis enarrabit?* intelligitur litteraliter de generatione æterna Verbi, de temporali generatione Christi, ac etiam de spirituali, qua generat filios adoptivos.

Ad confirmandum autem dogmata, & fundandum principia Theologica sensus mysticus ex natura sua est sufficiens. Nam est intentus à Spiritu Sancto. Unde loci aliqui Veteris Testamenti in novo accipiuntur in sensu mystico, ac proinde est infallibilis. Non est tamen sufficiens respectu nostri, ut docet Augustinus *Epist.* 48. Quia non est certus respectu nostri. Sensus verò mysticus certus respectu nostri est sufficiens. Fit autem certus, vel quia est declaratus à Spiritu Sancto, vel quia colligitur ex aliis locis litteralibus, vel quia recipitur communiter à Patribus. Nam in tali casu potest ratione testimonii divini movere intellectum. Tam verò sensus litteralis, quàm metaphoricus est sufficiens. Quia talis sensus est locutio Spiritus Sancti.

Quod verò ad Traditiones, est de fide, dari in Ecclesia divinas traditiones tum ad fidem, tum ad mores pertinentes. Ita definivit S. Concilium Tridentinum *sess.* 4. *in decr. de script. Canon.* & constat ex Ep. ad Thessal. cap. 2. *Itaque fratres, state & tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Non enim omnia, quæ Apostoli acceperunt à Christo

pro institutione Ecclesiæ fuerunt scripta. Hæ autem traditiones sunt necessariæ ad fidem conservandam. Nam in Scripturis habentur aliqua, quæ possent retorqueri ad pravum sensum, nisi traditio nos certos faceret de vero sensu. Hinc plura dogmata ex traditione confirmantur, ut Sacramentum extremæ Unctionis, quemadmodum docet Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 1. Habentque certam, ac infallibilem authoritatem. Ita etiam Tridentinum *dicta sess.* 4. & communiter Patres. Quia continent, quæ sunt revelata à Deo. Cognoscuntur autem veræ ex triplici capite. Si sint receptæ à Conciliis generalibus, ut quod Sacramenta sunt instituta à Christo, præcipitur in Trid. *sess.* 7. *can.* 1. Si sint approbatæ per universalem, ac immemorabilem usum Ecclesiæ, ut adoratio Eucharistiæ. Si confirmentur communi testimonio sanctorum Patrum, ut remissio peccati originalis in infantibus per baptismum.

De authoritate autem Ecclesiæ certum est de fide, Ecclesiam habere authoritatem infallibilem, Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Et 1. Corinth. 3. Ecclesia dicitur *columna, & firmamentum.* Consideratur autem Ecclesia tripliciter. Vel in capite, & dicit Vicarium Christi, ad quem spectat regimen ipsius Ecclesiæ. Vel in sua universitate, & dicit universalem Congregationem fidelium sub uno capite. Vel in aliqua Congregatione repræsentante totam universalitatem, ut est Concilium generale, legitime congregatum.

Ex Ecclesiæ itaque authoritate, quatenus importat caput sumitur infallibilis veritas. Quoniam ad caput spectat regere Ecclesiam. Cum igitur Ecclesia non possit errare, neque regimen ipsius potest esse fallibile. Atque adeo caput non potest errare. Ex authoritate etiam Ecclesiæ, quatenus importat universalem Congregationem sumitur infallibile testimonium. Siquidem ad providentiam Dei pertinet, ne tota collectio fidelium erret in fide. Hinc Matth. ult. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consumationem seculi.* Ex authoritate item Ecclesiæ, ut importat Concilia approbata à summis Pontificibus desumitur veritas infallibilis. Quia Concilia repræsentant universalem Ecclesiam, & habent assistentiam Spiritus Sancti.

Authoritas verò Sanctorum Patrum est humana, & fallibilis, ut docet D. Hieronymus Epist. contra error. Joannis Hierosolymitani. Unde etiam D. Augustinus *lib.* 2. *de ordin. cap.* 10. non vult sibi credi, nisi rationem redderet. At doctrina Sanctorum Patrum approbata ab Ecclesia est infallibilis, si approbetur, ut vera de fide. Si verò eligatur solum ut melior, non est infallibilis, sed tantum probabilior. Quia tunc Ecclesia procedit humano modo. Sicut etiam quando laudat doctrinam alicujus Patris, quia tali pacto nihil de fide definit. Et hoc est, quod habetur *in can. sancta Romana d.* 15. Unde quando Concilium Lateranense præcipit, ut Orthodoxam doctrinam plurium Patrum, illam amplectitur, quatenus pertinet ad fidem, & tanquam desumptam ex revelatis.

Communis verò consensus Sanctorum Patrum, asserentium aliquid pertinere ad fidem, non tamen definientium, esse de fide, non facit infallibile testimonium, etiamsi inter ipsos nulla sit dissensio. Ita Bannes 1. *p. qu.* 1. *art.* 4. *dub.* 59 *& alii.* Nam in tali casu non docent, ut Doctores fidei, nec habent assistentiam Spiritus Sancti, sed humano modo procedit.

Patrum autem communis consensus decernentium aliquid esse de fide, si fundentur in Scriptura, continet infallibilem authoritatem Ita Canus *lib.* 7. *de loc. cap.* 3. aliique. Si namque Patres in tali casu errarent, tota Ecclesia erraret, quia definit quod communis eorum interpretatio Sacræ Scripturæ sit amplectenda, ut in Tridentino *dicta sess.* 4.

Communis autem consensus Sanctorum Patrum non fundatus in Scriptura non habet authoritatem infallibilem. Ita Augustinus *Epist.* 19. *ad Hieronymum*, ubi habet, ita se legere omnes libros, præter sacros, ut non putet vera, quæ in ipsis habentur, nisi confirmentur per authoritatem Scripturæ, vel per rationem. Quia sola authoritas divina est omnino infallibilis.

Quod autem ad communem consensum Scholasticorum circa res fidei, ac morum non facit certitudinem infallibilem. Nam vel talis consensus est deductus ex revelatis evidenti consequentia, & tunc non habet vim ex authoritate, sed ex suis principiis. Vel nititur solum probabili ratione, & tunc non habet, nisi illam certitudinem, quam habent scholastici ex motivo, quo moventur. Atque adeo non potest habere authoritatem infallibilem. Quia illa sumitur ex motivo probabili.

Quare consensus Scholasticorum non habet majorem certitudinem, quam possit causare motivum, quo moventur, & ideo est intra ordinem humanum, & potest ab ipso recedi ex alio motivo majori, aut æquali. Nam tanta est certitudo authoritatis, quanta potest causari ex motivo, à quo desumitur. Ergo si motivum in oppositum sit efficacius, aut æquivalens, potest recedi à communi authoritate.

De historia verò, alia est Canonica, quæ continetur in sacris libris, & est infallibilis. Alia Ecclesiastica, quæ tradit res Ecclesiæ. Alia profana, quæ versatur circa res profanas. Historia sive profana, sive Ecclesiastica non habet authoritatem infallibilem. Ita communiter cum D. Augustino *lib.* 18. *de Civit. cap.* 38. Nam innititur testimonio historici, quod est humanum, & fallibile. Ac etiamsi omnes historici consentiant, non habetur infallibile testimonium. Ita Gillius *lib.* 1. *tract.* 7. *cap.* 15. *contra Canum in eisdem locis cap.* 8. Quia non repugnat, omnes simul historicos falli. Hinc Augustinus *loc. cit. cap.* 40. docet, nunquam esse standum historiæ, quando repugnat Sacræ Scripturæ.

Quod tandem ad rationem naturalem ratio naturalis inservit Theologiæ, non prævalendo, sed ministrando. Ita Augustinus *Epist. ad Coscent.* & D. Thomas *dicta* 1. *p. qu.* 1. *art.* 8. *ad* 2. Nam debet inservire juxta suam qualitatem. Ergo ministrando, cum habeat certitudinem inferioris ordinis, quam sit certitudo principiorum Theologiæ. Inservit etiam declarando mysteria fidei, seu principia theologica. Nam plura sunt, quæ dependent præsertim secundum terminos à ratione naturali. Sic plures sensus litterales Sacræ Scripturæ non possunt explicari, nisi auxilio rationis naturalis. Unde ratio naturalis ostendit, non posse intelligi illud Joannis 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis* &c. de manducatione materiali, ac proinde debere intelligi de Sacramentali. Ministrat etiam Theologiæ principia, ex quibus deducat conclusiones. Nam Theologia non potest multoties ex revelatis deducere conclusiones nisi utatur etiam aliquo principio naturali ex eo quod medius terminus habet connexionem evidentem cum alio extremo.

Atque ex his constituimus in primo gradu eas propositiones hæreticas, quæ sunt directè contra fidei articulos, ut Deum non esse unum in essentia, aut in personis non esse trinum.

In secundo gradu ponimus propositiones hæreticas, quæ sunt contra Sacram Scripturam principaliter ac diserte enarrantem, ut quod Christus mortuos non resuscitaverit. Quod Eva non fuerit de Adæ dormientis costa efformata.

Dixi *principaliter.* Quia multa sunt in Sacris litteris obiter, & ex accidenti prolata ad solum historiæ filum pertexendum, ut quod Samuel Elcanæ filius fuerit, de quibus aliqua controversia, mox aperienda, an hæresim in negante constituant.

Dixi etiam *propriè.* Quia quæ sub propria verborum forma prolata recipit Ecclesia in proprio, ac obvio

sensu,

sensu, est hæreticum ea credere, allegoricè tantum accipiendo. Ob id enim Origeniani damnati sunt in sexta Synodo *act.* 11.

Dixi tandem *diserte*. Quia dum sensus est obscurus, non est hæretica opinio, nisi quæ post definitionem, aut interpretationem Ecclesiæ eidem adversatur, Eymeric. *p.*2. *direct. q.*3. ibique Pegna *com.* 40.

Novum facit ab his distinctum genus Turrecrem. *lib.*4. *de Eccles. cap.* 9. eorum, quæ adversantur contentis in Sacta Scriptura, non adæquate ac simul, sed consequentia necessaria, & formali deducendis, ut quod Christus sit verus Deus, & verus homo. Hæc enim propositio in terminis tota simul in Scriptura non reperitur. Rejicitur tamen communiter. Tum quia sistendo in exemplo allato, oppositum ejus propositionis est de primo genere, eorum scilicet, quæ articulis fidei repugnant. Quod enim Christus sit simul Deus, & homo, est præcipuus articulus fidei. Tunc quia vel per consequentiam intelligit syllogisticam illationem, & huic non præstatur assensus per fidem, sed per habitum Theologicum, distinctum, ut apud Theologos est notum. Vel intelligit propositionem non esse explicatam in Scriptura, sed ex ea deducendam esse, & verum asserit, quatenus ea propositio non reperiatur tota simul explicita. Adest tamen in Scriptura non virtualiter, tanquam conclusio in suis principiis, sed formaliter, licet confusè, & non conjuncta. Ex quo non decidit ab hoc secundo gradu.

In tertio gradu collocamus quæ sunt contra verbo tenus tradita à Christo, Apostolis, & ab his Ecclesiæ, quæ vulgari nomine Traditiones vocamus, ut quod infantes non sint baptizandi, quod usus signandi Cruce fideles non sit legitimus in Ecclesia.

In quarto gradu adaptamus, quæ sunt contra Ecclesiæ determinationes, definitionesque, sive sit universalis Ecclesia in Concilio congregata, sive solus Pontifex, *can. in Canonicis, can. sic omnes d.* 19. *can. hæc est fides* 24. *q.* 1. *cap. majores de baptism.* Ut quod Spiritus Sanctus procedat à Patre & Filio, tanquam à duobus principiis contra Concilium Florentinum sub Eugenio IV. Quod baptizati ab hæreticis sint rebaptizandi contra Concilium Carthaginense primum, Arelatense primum, & secundum, ac Tridentinum *sess.* 7. *de baptism. can.* 4. Quòd animæ in gratia decedentium simulac è corporibus emigrant, divinam essentiam clare non videant, si nihil habeant purgatoriis ignibus expiabile contra Benedictum XII. *in extravag. Benedictus Deus.*

Et ad rem præsentem idem Turrecremata aliud genus Catholicarum propositionum adstruit, earum scilicet, quæ ex Conciliorum, & Pontificum definitionibus, vel ex traditionibus consequentia necessaria, & formali inferri possunt. Sed, ut modò dicebamus, aut consequentia hæret discursui Syllogistico, & non potest ad fidem immediate pertinere, nisi accedat peculiaris Ecclesiæ definitio. Aut non est ex prædictis definitionibus, & traditionibus deducta, sed declarata tantum, sive explicata, & tunc in iis continebatur formaliter, licet confusè, ideoq; est de fide, sicuti & ipsæ definitiones expressè.

In quinto tandem gradu sufficimus propositiones adversantes iis, quæ circa fidem unanimi consensu Doctores, & Patres ab Ecclesia recepti docuere. Qui sint hi Patres & Doctores approbati, habemus ex sexta Synodo generali *ex can. Sancta Romana d.*15. *& cap. gloriosus de reliqu. & vener. Sanct. in* 6. *& dixi tom.*1. Notatque Turrecrem. ex ipsius Synodi verbis, ibi: *omnia suscipimus, quæ de recta fide, & condemnatione hæreticorum exposuerunt*, non cuncta Patrum dicta fuisse approbata, ut fide tenenda, sed tantum pertinentia ad fidem, ac errorum condemnationem, in quæ unanimi consensu omnes devenere. Cætera autem, quæ probabiliter, ac proprio ingenio scripsere, non ad tantam devehuntur authoritatem.

Et de his nullum est dubium, quin contrahatur hæresis, & excommunicatio. Unde *propositio hæretica* est illa, quæ habet omnimodam contrarietatem cum objecto fidei. Illa autem dici debet habere omnimodam contrarietatem, quæ negat, quod in se, ac expresse est à Deo revelatum. Vel *propositio hæretica* dicitur, quæ aperte alicui Catholicæ veritati, de fide definitæ, contraria est.

Et licet nonnulli putent, non sufficere hanc directam contrarietatem fidei, aut Catholicæ veritati, ut propositio dicatur hæretica, nisi accedat pertinacia in proferente, sive nisi ab hæretico sit prolata. Quod si ab alio dicta fuerit, dicetur propositio contraria fidei, sed hæretica proprie non erit. Quia contradicere quis potest objecto fidei ignoranter. Ita Caietan 2.2. *q.*11. *ar.*1. ibique Bannes *art.* 2. Sanior tamen, & communior Sententia est, quod omnis propositio contraria fidei, hæretica proprie sit. Non enim pendet à proferente, an hæretica dici debeat, nec ne. Quare distinguendum potius est, quod aliud est loqui de propositione hæretica formali, aliud de objectiva, & materiali. Concedimus enim ad propositionem hæreticam formalem, quæ idem est ac hæresis, requiri pertinaciam. Sed ad propositionem hæreticam objectivam, sive ad objectum hæresis pertinacia non requiritur. Quia hoc objectum in sola contradictione cum objecto fidei consistit.

Id igitur procedit, sive propositio proferatur ab hæretico, sive à nó heretico, cùm possit esse propositio hæretica, & author Catholicus. Quod contingit, quando in assertione non adest pertinacia, *can. dixit Apostolus, & can. qui in Ecclesia* 24. *q.* 3. *cap.*2. §. *in nullo de sum. Trinit.*

Dubitandum tamen primò occurrit, an contrahat hæresim negans aliquid in Scriptura Sacra contentum ex iis, quæ nec per se pertinent ad articulos fidei, nec principaliter in Scriptura Sacra referuntur, sed ex accidenti ad historiam prosequendam, exornandamque intermiscentur, nec alicujus videntur momenti, ut Tobiam habuisse canem, Aaron barbam.

Royas *de hæret. p.*1. *num.* 474. *& seq.* ac Gerson. *alphab.* 14. *p.* 1. hunc ab hæresi, ac subinde à pœnis eximunt, utpote qui nihil directe contra fidem sentiat, favetque D. Thomas *p.* 1. *qu.* 32. *art.* 4. his verbis: *Ad fidem pertinet aliquid dupliciter. Uno modo directe, sicuti ea, quæ sunt nobis principaliter tradita, ut Deum esse trinum, & unum; filium Dei esse incarnatum, & hujusmodi. Et circa hæc opinari falsum, hoc ipso inducit hæresim, maxime si pertinacia adjungatur. Indirecte verò ad fidem pertinent ea, ex quibus consequitur aliquid contrarium fidei, sicuti qui diceret, Samuelem non esse filium Elcanæ. Ex hoc enim sequitur; Scripturam divinam esse falsam. Circa hujusmodi ergo, absque periculo hæresis, aliquis falsum poterit opinari, antequam consideretur, vel determinatum sit, quod ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei. Sed postquam manifestum est, at præcipuè, si sit per Ecclesiam determinatum, quòd ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei, in hoc errore non esset absque hæresi, & propter hoc multa reputantur hæretica, quæ prius non reputabantur, propter hoc quod nunc est magis manifestum, quid ex eis sequatur.* Ex quibus videtur concludere, pravas opiniones nunquam inducere hæresim, nisi eis quis intendat substinere aliquid, immediate fidei contrarium.

Adhæreo tamen opposito, quod expressius indicat idem D. Thomas 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 5. *& quæst.* 11. *art.* 2. ac tenet Turrecremata cit. *lib.* 4. *de Eccles. cap.* 9. Suarez *de fid. disput.* 19. *sect.* 2. *quæst.* Ricciul. *de jur. person. lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 4. Pegna *part.* 2. *in direct. quæst.* 3. *com.* 10. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 1. *qu.* 12. & videntur supponere communiter Theologi, dum sine aliqua distinctione universam Scripturam fide recipiendam statuunt ex definitione Ecclesiæ, quæ libros Canonicos in totum sine aliqua exceptione probavit. Si enim Scriptura creditur ob authoritatem Dei revelantis, ac dictantis, ergo habitu fidei, ut error circa eam sit hæresis.

Siquidem vel opinamur, non solum sensum, sed etiam Scripturarum verba Deum habere authorem, ac dictantem, ut certum esse, ait Suarez *loc. cit. disp.* 5. *sect.* 3. *nu.* 4. & oppositum tute defendi non posse, ex authoritate Gregorii, & Ambrosii probat Azor *ibid. qu.* 11. Id enim satis est ex Scripturis evidens, ut ex illo Psal. 44. *lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.* Quod de Scriptore Canonico interpretantur Basilius, Gregorius, Theodoretus, Bellarminus, Lorinus ac alii, & significatur, Prophetam nudum esse scriptorem verborum à Spiritu Sancto dictatorum juxta illud 2. Reg. cap. 13. *Spiritus Sanctus loquutus est super me, & sermo ejus per linguam meam.* Nec enim dicitur Epistola dicta à Principe, cujus ipse sensum protulerit, non verba. Neque majoris essent Sacræ litteræ dignitatis, quàm Conciliorum, ac Pontificum decreta, quorum, licet non verba, sensus tamen in assistentiam Spiritus Sancti refunditur. Quapropter usitata est inscriptio Prophetarum: *Verbum Domini, quod loquutus est Dominus per Prophetam suum,* tantaque est Scripturæ dignitas, ut dicatur jota unum, aut unum apicem non prætereundum.

Vel arbitramur, solum sensum inspiratum fuisse, sive revelando, quæ erant scriptori penitus ignota, seu si erant obvia, custodiendo singulari assistentia, ne in sensu aliquid falsum, in verbis indecorum aliquid subsiliret. Et utrovis modo, cùm Scriptura in Deum authorem refundatur ob authoritatem Dei, nobis objicitur credenda. Quod si aliquid, tanquam falsum, aut dubium renuimus accipere, quale quale sit illud, aut Deum mendacii arguimus, aut authorem esse Scripturæ inficiamur. Utrumque autem est hæreticum.

Unde non obest res parvi esse momenti, parumque de se referre, si negentur, aut admittantur. Si enim in aliquibus arguitur Scriptura falsitatis, aut dubii, jam tota ejus firmitas ruit, arg. legis *in fine ff. de fid. instrum.* ubi instrumentum in una re, etiam levi, falsum, statuitur ex toto rejiciendum, aut certe laboriosum erit, inter vera & falsa distinguere, nec ulla stabilis regula assignari poterit. Ex una enim parte, quæ levia sint, difficile est dignoscere. Ex alia verò dicere, ea solum firmiter recipienda, quæ ad articulos fidei spectant, superfluam constituit cunctam fere Scripturam, quæ leges, miracula, historias, & vaticinia innumera, ad fidem articulorum non multum spectantia, complectitur. Nec proponitur credenda Scriptura, quia mysteria continet fidei, sed quia Deum habet authorem. Hæc est immediata, & adæquata ratio, illa verò nonnisi remota, & inadæquata. Unde si admitteretur, in Scriptura posse dari mendacium, quamvis jocosum, tota redderetur suspecta, D. Augustin. *Epist.* 9. *ad Hieronymum*, relatus *in can. si ad Scripturas d.* 9.

Quamobrem D. Thomas *cit. q.* 11. *ar.* 2. postquam dixisset ea, quæ pertinent ad fidem dupliciter se habere, directe ac principaliter, sicuti articuli fidei, & indirecte ac secundariò, sicuti ea, ex quibus sequitur corruptio alicujus articuli, circa utraque, inquit, posse esse hæresim, sicuti & fidem. Et *q.* 2. *ar.* 5. *in corp.* se explicans ait: *Per accidens autem, aut secundariò se habent ad objectum fidei ea omnia, quæ in Sacra Scriptura divinitus tradita continentur, sicut quod Abraham habuit duos filios. Quod David fuit filius Isai.* Et in fine concludit, hæc etiam pertinere ad objectum fidei.

Quid igitur de eo, quod retulimus *ex cit.* 1. *p. q.* 32. *ar.* 4.? Forte D. Thomas ibi considerabat tantùm materiam principalem, propriam, & per se fidei, quomodo complectitur solos articulos, qui simpliciter materia fidei consueverunt appellari, & quomodo sumpta fides dicitur spectare ad vitam æternam, eaque esse, cujus clara visione perfruamur in patria juxta illud Joan. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum,* & illud Pauli ad Hebr. 11. *accedentem ad Deum oportet credere quia est quod inquirentibus se remunerator est.* Igitur, dum. D. Thomas inquit: *sine hæresi posse in his aliquem opinari falsum,* intelligit sine hæresi, propriæ materiæ fidei opposita, non tamen negat hæresim circa materiam fidei per accidens, quomodo complectitur fides cœtera alia credibilia, quamvis ad articulos per se, ac directe non conferant.

At concedamus potius ex eo loco deduci, quod & authores, pro opposita sententia relati intendunt, non esse scilicet judicandum hæreticum hæc negantem, si negando ignoret, aut non advertat, ea contineri in Scriptura. Siquidem non cadunt sub objecto fidei, nisi quatenus continentur in Scriptura, & cùm non teneatur quisque explicitè scire, ac credere omnia, quæ in Scriptura continentur, non statim quis, si aliquid neget, est pro hæretico detestandus, sed inspiciendum, an noverit, id esse in Scripturam relatum. Si enim novit, non poterit excusari, quantumvis dicat, se non arbitrari, ea esse in Scriptura posita, tanquam credenda de fide, sed tanquam verisimilia historiæ accidentia, quibus credulitatem præstare sit ad Legentis libitum. Cognito namque, quod ab Ecclesia sine aliquo discrimine Scriptura ex integro recipitur, aliisque proponitur, hæretica est talis existimatio ex supra dictis.

Id insinuat S. Doctor iis verbis: *postquam manifestum est, quod ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei, in hoc errare non esset absque hæresi.* Siquidem cognito, ea, quæ negantur, esse in Scriptura statim sequitur, quod Scripturæ subsit falsum, ac subinde, quod Deus, ejus author, mendax esse possit. Quod diserte explicat *cit. art.* 5. in hunc modum: *Quorsum ergo ad prima credibilia, quæ sunt articuli fidei, tenetur homo explicite credere, sicut & tenetur habere fidem* [supple explicitam] *quantum autem ad alia credibilia, ut quod Abraham habuit duos filios non tenetur homo explicite credere, nisi quando hoc ei constiterit, in doctrina fidei* (quæ in Scriptura est) *contineri.* Hæc ille, ex quibus habemus, credibilia primi generis esse credenda, etiam eorum seclusa in Scripturis continentia, non verò secundi, sed credibilitatem ex Scriptura mutuare.

Quapropter licet ad fidem parum referat, Tobiam habuisse C.nem, Aaronem barbam, negari tamen non potest, quin is, qui scit, hoc esse uti certum in Scriptura narratum, eo ipso, quod negat, est error in fide, ut docet D. Augustinus *lib. de morib. Eccles.* Etenim cum unus, idemque Deus sit utriusque Testamenti author, *can. Episcopus* §. *quærendum d.* 23. Concil. Trid. *sess.* 4. idem est dicere, in Sacra Scriptura posse contineri mendacium, ac asserere Deum posse esse mendacem. Quod esse errorem contra utriusque legis authoritatem, probatur ex Psal. 144. *Fidelis Deus in omnibus verbis suis*, & Deuter. *Deus fortis & fidelis*, & Luc. c. 16. *facilius est cœlum & terram præterire, quàm de lege unum apicem cadere.*

Quare si quis talia asseruerit, est examinandus, ac de veritate instruendus, & si post instructionem, adhuc in sua opinione persisteret, est contra eum, uti contra hæreticum procedendum, ut in his terminis sentire videtur Albertin. *de hæret. qu.* 30. *sub nu.* 13.

Cœterum *absolute* negans conclusiones Theologicas, in vi discursus fundatas, nisi accesserit definitio Ecclesiæ, non est hæreticus. Quia distincto habitu à fide iis præstatur assensus, ut dicebamus adversus Turrecrematam, & est communis Theologorum doctrina. Quod speciatim de iis, quæ ex una præmissa, naturæ lumine nota, & altera de fide, eruuntur, ut conclusio hæc *Christus est risibilis*, ex præmissis, *Omnis homo est risibilis. Christus est homo*, tenent Aragon. 1. 2. *qu.* 11. *ar.* 2. *col.* 3. & Sanchez *d. lib.* 2. *in decal. c.* 7. *n.* 33.

Dixi *absolute*. Quia secundum se præcipua negatio ejus propositionis non adversatur fidei. At si consideratur, ut deducta per discursum, aliquando potest esse hæretica, si nimirum procedat negatio ex non præstito firmiter assensu minori propositioni, *Christus est homo.* Et in hoc sensu puto asseverasse Valentiam 2. 2. *disp.* 1. *q.* 11. *pun.* 1. *diffic.* 3. Canum *de loc. Theolog. lib.* 11. *cap.* 9. & Alterium *tom.* 1. *de cens. lib.* 5. *disp.* 2. *cap.* 2. dicendum hæreti-

cum

cum mediate, ac reductive, licet non immediatè ac directe. Si verò negetur, aut quia non innotescat evidentia illius principii, *Omnis homo est risibilis*, si tamen quempiam latere potest; aut quia negans non experiatur vim necessariæ illationis; aut quia autumet miraculose impeditam esse rationalem naturam Christi, ne exeat in suas proprietates, non sequitur hæresis.

Concedendum tamen cum Corduba *loc. cit.* §. 3. *dub.* 7. quod quia nullus præsumitur errare in principiis & consequentiis naturaliter notis, posset is in foro externo præsumi hæreticus. Sicuti & omnes errantes per damnabiles propositiones talem præsumptionem fundant, licet in foro interno, non nisi ex assensu præstito propositionibus verè hæreticis inducatur hæresis, & excommunicatio.

Sunt autem propositiones ejusmodi erroneæ, hæresim sapientes, male sonantes, temerariæ, piarum aurium offensivæ, scandalosæ, schismaticæ, seditiosæ, injuriosæ, impiæ, blasphemæ, de quibus Eymeric. & Pegna *p.* 2. *direct. q.* 3. D. Antonin. 2. *p. tit.* 12. *cap.* 5. Corduba *lib.* 5. *q.* 17. Ricciul. *d. lib.* 5. *cap.* 9. Turrecrem. *ubi supra*, Canus, Suarez, passimque alii, inter quarum aliquas multi non distinguunt, sed verò nec eodem modo à singulis explicantur singulæ.

Nos autem propositionem negantem, Christum esse visibilem, dicimus, *erroneam* esse appellandam cum Suarez *cit. disp.* 19. *sect.* 2. Sicuti & alias adversantes cœteris conclusionibus Theologicis. Illud enim dicitur error in aliqua scientia, quod communiter receptis principiis, & axiomatibus illius scientiæ apponitur. Qua ratione etiam dici potest *erronea*, quæ adversatur sententiæ, communi omnium Scholasticorum sensu traditæ, ac receptæ ab Ecclesia, licet non revelatæ, aut definitæ, ut quod anima Christi ab instanti incarnationis Deum non viderit. Quod B. Virgo non resurrexerit, aut quod peccaverit aliquando venialiter ante Concilium Tridentinum, quod deinde sententiam hanc damnavit. Ab hoc tamen Scholasticorum consensu constitui veritatem Catholicam ita, ut se opponens sit hæreticus, statuerunt Canus *lib.* 12. *de loc. cap.* 7. ac Pegna *loc. cit. reg.* 8. Sed nostro forte judicio non rectè. Non enim habemus, unde tantum authoritatis Theologis Scholasticis sit collatum, ut eorum dicta sint fide recipienda. Seu mavis propositionem adversantem, conclusioni Theologicæ dicendam erroneam, quia est vero errori, hæresi scilicet valde proxima, cùm summam habeat cum fidei veritate repugnantiam, mediatam licet.

Magis autem communiter propositio erronea dicenda est illa, quæ contradicit objecto fidei non immediate sed mediatè. Quia non negat objectum quod est in se revelatum, negat tamen objectum, quod est revelatum in sua causa, ut in exemplo allato, si quis negaret, Christum esse visibilem. Vel ut alii dicunt, erronea propositio dicitur, quæ directe contradicit non ipsi fidei, sed conclusioni evidenter ex principiis fidei deductæ, ut per Malder. 2. 2. *q.* 11. *ar.* 2. *membr.* 5. *ad* 3. & Turrian. *de fid. disp.* 55. *dub.* 3.

Perperam etiam *Royas p.* 1. *n.* 76. ac Eymericus *loc. cit.* putarunt, propositionem erroneam non differre ab hæretica, quia hæreseos, & erroris nomen æquivalent *ex cap. excommunicamus* 2. §. *fin. cap. ad abolendam* §. *præsenti de hæret. cap. accusatus* §. 2. *eod. tit. in* 6. Nam generale nomen erroris, quod unà cum aliis propositionibus damnabilibus hæreticæ etiam convenit, usurpatione Doctorum potuit accommodari, ut pressius sumptum propositionem hæresi proximam significaret.

Rejicitur similiter D. Antonini placitum *loc. cit.* qui putat, in eo erroneam propositionem ab hæretica distingui, quod hæresim quidem enunciet, sed instructionem, ac pertinaciam in dicente excludat juxta illud Augustini: *Errare potero, hæreticus non ero*, ac proinde evadere hæreticam, recedente ignorantia, & accedente contumacia. Verùm hîc quærimus naturam propositionum secundum se, ac respectu rei enunciatæ, quo modo non pendet à dicente. Quare propositio hæretica semper est hæretica, licet aliunde defectu scientiæ aut pertinaciæ pronunciantem non faciat hæreticum. Erronea autem, quæ in gradu est inferior hæretica, non potest ad hæresim pertingere.

Tandem Canus ibidem supponens, ad hæreticam propositionē duo requiri, quod scilicet oppositum sit certissimè ac sine ulla dubitatione de fide, & quod propositio sit ei evidenter adversans, defectu utrotumque, aut alterius ait, propositionem dici erroneam, ut qui negaret dari habitus operativos infusos. Quia licet dari communiter teneatur, esse de fide, non est tamen adeo certum esse definitum, ut contrarium sit absque dubio hæresis. Sicuti etiam de negante, Christum, præter gratiam unionis hypostaticæ habuisse gratiam habitualem accidentalem.

Verùm talis propositio cum cœteris hujusmodi probabilius videtur dicenda *Hæresim sapiens*. Quia, ut oppositum ejus fidem sapit inquantum censetur quasi certò esse de fide, sic ipsa apte dicitur sapere hæresim, ideo non esse claram, ac certā hæresim, sed ipsam proxime redolere.

Turrecremata propositionem, *hæresim sapientem*, eam describit esse, quæ asserit persuasum dogma, cui si jungatur propositio, quæ rationabiliter negari nequit, sequitur hæresis, Exemplum affert de negante Thomam de Sarzana, tunc temporis in Pontificatu sedentem, appellatum Nicolaum quintum, esse verum Pontificem, Petri successorem. Hæc enim propositio, quamvis per se sumpta, non sit hæretica, coassumto tamen principio, moraliter certo, quod legitime fuerit electus, fit talis. Quia de fide credendum est, omnem legitime electum esse verum Pontificem, & Petri successorem. Aliud affert exemplum de eo, qui diceret, omnem nunc Romæ degentem esse in peccato. Coassumpta enim probabili veritate, quod infans aliquis, nunc rite baptizatus fuerit, est hæreticum dicere, omnes esse in peccato ratione istius baptismate perfusi, quasi baptisma non abluat à peccatis.

Sed de priori exemplo nos in Consultatione de schismaticis agemus, fortassis tamen non est improbabilis in prædicto exemplo sententia Turrecrematæ. Quia non est omnino certum, Pontificem in singulari signatum proponi credendum de fide, cùm aliqui sint Doctores non ignobiles, qui hoc inficiantur. Diximus autem, eam propositionem *sapere hæresim*, cujus oppositum censetur de fide, sed non evidenter, & apud omnes. Propositio verò alterius exempli, aut est manifeste hæretica, si referatur in effectum baptismatis, aut certe temeraria. Quia sine fundamento asseritur, nullum esse Romæ baptizatum infantem.

Huic affinis est opinio Suarez *loc. cit.* sequuti Gersonem, & alios, distinguentis propositionem, *sapientem hæresim* ab *erronea*, quod hæc sit prava in summo, & dicatur hæresi proxima, illa verò sit in remisso. Unde *erronea* est, quæ ex coassumptis principiis certis, evidenter infertur. *Hæresim* vero *sapiens*, quæ infertur non ita evidenter, quia coassumpta principia non sunt in omni gradu certa, sed in Ecclesia valde recepta, ac ab omnibus communi sensu probata, sicut & recepta ipsa illatio, Exemplum est ejus, qui assereret, sub Hostia aliqua particulari, post consecrationem, non adesse corpus Christi. Quia principium coassumptum, quod sit valide consecrata, non est certum. Verum, ut diximus, si non nutet fides Eucharistiæ in proferente, non aliam notam acquirit, quam temeritatis.

Aliter sentit Simanchas, citatus à Ricciullo *d. cap.* 8. & Alphonsus à Castro, adductus à Suarez *n.* 17. nimirum illam esse propositionem *sapientem hæresim*, quæ hominem reddit suspectum, quod sit hæreticus, vel illam, quæ prima consideratione habet sensum hæreticum. Sed reddere hominem de hæresi suspectum commune est cunctis fere propositionibus damnabilibus, nec magis sapienti hæresim, quam aliis tribuitur.

Illam verò, quæ prima consideratione habet sensum hæreticum, in aliqua tamen acceptione potest ad rectum sensum reduci, dicimus vocandam *male sonantem*, quasi sono prolationis hæretice audiat. Admittit autem in dissonantia magis ac minus. Aliquando enim, in quovis proprio sensu proferatur, est hæretica, potestque tantùm secundum metaphoricum salvari, ut siquis diceret, *Christus assidue peccat*. Quod nullatenus salvari potest, nisi intelligatur, quod in suis membris, fidelibus scilicet. Nonnunquam secundum obvium sensum est hæretica, sed in alio, licet vero, inusitato tamen, non est talis; ut siquis diceret: *Verbum assumpsisse carnem nostram peccantem*. Verbum enim incarnatum fuit impeccabile. Sensus tamen esse potest, *assumpsit carnem ejusdem naturæ cum nostra, quæ peccat*. Interdum absolute prolata male audit, quæ ex circumstantiis verum potest enunciare; ut siquis de sacris Bibliis diceret, *hic liber falsa continet*. De Bibliis enim in se est falsa. De tali tamen particulari versione, ac impressione potest esse vera, licet hanc assertionem ad hæresim sapientem reducat Ricciul. *d. cap.* 8. *nu.* 9. Contra quandoque absolute prolata bene audit, quæ additis loci personæ, ac temporis circumstantiis, non recipitur; ut siquis dicat: *Fides est, quæ justificat impium*, cùm testimonium sit Scripturæ, olim non male sonabat; nunc subortis hæresibus dissonat, & ex loco, ac persona suspecta priorem sonum acquiret. Aliàs in utroque sensu æqualiter usurpatur, ut tam possit esse vera, quàm falsa, & dicitur simpliciter æquivoca, Ut tamen mali sonitus suspicionem effugeret, cum distinctione, æquivocationem tollente, esset pronuncianda, ut hæc, *Pater est major Filio*. Secundum humanitatem enim vera est, quæ de divinitate esset hæretica.

Arbitrati sunt aliqui, non esse diversam propositionem *male sonantem à sapiente hæresim*, sed duo esse nomina ejusdem damnabilis propositionis, nomenque *sapientis hæresim* esse metaphoricum. Siquidem propositio saporem non habet, quæ propriè dicitur *male sonare*. Cœteri tamen communiter diversitatem assignant, & videtur colligi ex actis Concilii Constantiensis adversus errores Bohemorum, & ex Bulla B. Pii V. adversus Michaelem Baium, ubi, inter eorum asserta, aliqua dicuntur *hæresim sapere*, aliqua verò *male sonare*. Eaque dicitur *male sonans*, quæ duplicem sensum proprium habet. Alium Catholicum, alium hæreticum, sed quia frequentius secundum sensum hæreticum accipitur, absolute prolata, male sonat.

Ita Lorca 2. 2. *disp.* 40. *nu.* 10. Covinch. *de fid. disp.* 18. *nu.* 133. ac Suar. etiam *de fid. disp.* 19. *sect.* 12. *num.* 18. qui advertit, aliquando propositionem esse male sonantem, non ex se, sed ex conditione personæ proferentis, quia proferens suspectus sit, ut in propositione modo relata, *fides justificat*. Hanc, attentis hæresibus recentioribus dicitur male sonare.

In *temerariæ* propositionis natura assignanda magis consentiunt Authores. Divus Antoninus, Turrecremata, Canus, Ricciulus, Pegna, Suarez, aliique statuunt, eam esse, quæ asserit aliquid, tanquam certum, quod non potest ratione, nec authoritate probari, estque satis temerarium, rem valde dubiam, & incertam sua velle determinatione definire, *arg. l.* 3. *C. de sum. Trin. & fid. cath.* Et potest esse dupliciter talis, negative scilicet, quia de opposito nullus fecerit mentionem, neque ulli adversetur, ut qui certò affirmaret, mundum brevi terminandum. Nullus enim oppositum docuit, licet temere dicatur. Positive verò, si oppositum sit apud alios receptum, ut qui assereret aliquem Sanctum, præter B. Virginem, conceptum fuisse sine peccato originali. Hoc enim privilegium apud Catholicos Soli Deiparæ tribuitur. Ad hanc temeritatem reducimus dicentem, omnem hominem, Romæ degentem, esse in peccato. Tales Hostias in particulari non esse consecratas. Quia temere assumitur, Sacramenta non esse valide confecta, aut collata, ut etiam ex adultis nullum in gratia commorari, excusaretur tamen in similibus propositionibus, quando quis, tanquam de re dubia suam diceret sententiam, ac rationem, & argumenta modeste afferret, ut advertit etiam Simanch. *de Cath. instit. tit.* 54. *num.* 12. Illa est igitur propositio temeraria, quæ in rebus ad fidem, vel ad bonos mores pertinentibus sine ratione procedit, & omni prorsus caret authoritate. Ac illa quæ nulla sufficienti ratione, vel authoritate fulta, communi Doctorum sensui, vel approbatæ historiæ adversatur. Ac quæ temere contra modestiam Ecclesiasticam aliquid asseritur. Vel quæ pugnat cum aliquo decreto celebris Universitatis. Unde & propositio impudens, insolensque dici solet.

Piarum aurium offensiva est, quæ circa materiam pietatis, ac Religionis offendit, indecens, vel indignum aliquid de ea proferens, ut qui Christianum institutum vilium esse, ac impudentium hominum affirmaret.

Scandalosa, quæ nuncupari etiam solet *male sonans*, *& piarum aurium offensiva*, & est quæ legentibus, vel audientibus ruinæ, ac erroris occasionem præbet, etiamsi errorem in fide non contineat, ut si quis jejunium, vel castitatem parvi penderet, aut venerem utilem, jejunium incommodum diceret, hæreticos esse tolerandos, majoris meriti esse eleemosynam pauperi erogare, quàm pro Missæ sacrificio offerre, ineptum esse pro oratione offerre salutationem B. Virginis, ac universim omnis propositio quæ à moralibus virtutibus avocat, sive vera sit, sive falsa, ex qua homines alliciuntur, ac redduntur promptiores ad peccandum, merito dicitur scandalosa. Habentque allatæ propositiones nescio quid male sonantis. Nam absolutè prolatæ malum sensum habent, quæ tamen in ordine ad corpus veritatem præseferre possunt.

Schismatica est quæ divisionem inducit circa unitatem capitis Ecclesiæ, aut aliorum Prælatorum; ut qui assereret, eodem tempore dari duos Pontifices legitime electos, motus simili electionis modo, quo uterque videtur æqualiter assumptus. Aliunde enim propositio hæc est hæretica. Quia Petri successorem, nonnisi unicum esse, fide tenendum est. Unde adversatur articulo unam sanctam, extravag. unam sanctam de major. & obed. Vel siquis diceret; Episcopus non est simplici Sacerdote superior. Pontifex non est superior cœteris Episcopis. Malo Prælato non est parendum.

Seditiosa est, quæ ab obedientia Superiorum, Principum, ac Prælatorum abducit.

Injuriosa est quæ alicui fidelium statui detrahit, puta Clericatui, aut Ordinibus religiosis. Cujus modi sunt illæ Wiclefi, & Joannis Hussii, damnatæ in Concilio Constantiensi *sess.* 8. *&* 15. nimirum, qui Religionem ingreditur, ineptior redditur ad observantiam mandatorum Dei. Religiosi viventes in Religionibus privatis, non sunt de Religione Christiana. Ecclesia Romana est Sathanæ Synagoga. Vide Alph. à Castro *lib.* 1. *de just. hæret. punit. cap.* 3.

Impia est quæ pietati, aut misericordiæ Christianæ sese opponit, ut quæ dissuaderet eleemosynam, mortuorum tumulationem, ac similia, ut si quis negaret esse orandum pro animabus existentibus in purgatorio, vel indulgentiam summi Pontificis pro illis concessam non prodesse. Idem est dicendum si assertio esset contra præcepta Dei, Albert. *de agnosc. assert. Cathol. qu.* 6. *num.* 12. Quod enim tendit contra pietatem, non potest, nisi impium judicari. Quamvis hæ propositiones censuram erroris etiam mereantur.

Blasphema est, per quam Deo, & sanctis contumelia irrogatur, vel tribuendo, quod non convenit, aut amovendo, quod convenit, aut cum tribuitur creaturæ, quod proprium est Dei. Primo enim casu offenditur Dei misericordia. Secundo Dei justitia. Tertio Dei majestas.

Propositio *blasphema hæreticalis* est, quæ pugnat cum articulis fidei, vel negat Christum dictis, aut factis,

can. æstimat, & *can. non solum* 11. *qu.* 1. Vide *Farinac. de hæres. qu.* 20. *nu.* 29.

Propositio *favens hæreticis* est, quæ quoquomodo favet personis, aut erroribus hæreticorum, ut si dicatur, hæreticos non esse puniendos. Quæ propositio dici potest, etiam hæretica. Quia hæreticos esse puniendos decreverunt multa Concilia, & Summi Pontifices, de quibus suo loco.

Propositio *arrogans*, & *insolens* est, quæ plus affirmat, quam possit ratione, vel authoritate probari, quæ etiam temeraria dicenda est.

Propositio *improbabilis* est, quæ nullo innititur probabili fundamento rationis, vel autoritatis extrinsecæ.

Propositio *impertinens* est, quæ nec directe, neque in consequentia evidenti probabili, vel certa infert aliquid, quod repugnet veritatibus catholicis; ut si dicatur, quod Joseph sponsus B. Virginis fuerit, vel non fuerit mortuus tempore passionis Christi. Nam sive superstes, sive tunc mortuus fuerit, nihil ad fidem pertinet, præsertim cùm inter Catholicos vigeat hac de re controversia.

Atque ex his judicium ferri potest de aliis propositionibus dubiis, rigidis, scrupulosis, & superstitiosis.

Si quis verò ita inordinate loquatur, ut ipsius inordinatio sit contra usitatum modum loquendi Ecclesię, quæ cum limitatione in rebus fidei statuit esse loquendum iste innuere videtur, Ecclesiam non esse regulam certam, ac infallibilem in definiendo modos loquendi circa res fidei. Quod est hæreticum.

Animadvertendum autem est, quod hujusmodi propositionum gradus non sunt ita distincti, ut uni ac eidem assertioni convenire non possint; immo sæpe advenire solet, ut uni propositioni plures censuræ ex supradictis conveniant, exempli gratia, illa propositio Wiclefi: *Religiosi viventes in Religionibus privatis, non sunt de Religione Christiana*, est simul hæretica, scandalosa, temeraria, schismatica, & injuriosa. Hæretica, quia est contra universalis Ecclesiæ definitionem. Scandalosa, quia homines ab ingressu Religionis avertit, & professis, ut vota, quæ Domino voverunt, ne reddant, suadet. Temeraria, quia nulla prorsus ratione, aut authoritate fulcitur, sed omnium Sanctorum sententiæ contradicit. Schismatica, quia Ecclesiæ unitatem dividit, cum Religiosos ab illa separat. Injuriosa, quia omnibus Religionibus injuriam & contumeliam irrogat.

Item animadvertendum est, quod non solum quis potest errare circa propositionem, sed etiam circa illius censuram. Quare si propositionem de fide, vel Theologicam, vel à Doctoribus, sanctisque Patribus communiter receptam, dicat esse erroneam, vel falsam, vel scandalosam, vel temerariam, errorem committit, vel hæresim sapit, vel temerarius existit non aliter ac si de facto propositionem negaret, quia virtualiter illam negat, ac insuper contra rationem nota infami illam inurit.

Consultatio XXXVIII.

Apud quem sit jus ferendi censuram de propositionibus, tum privatum, mereque doctrinale, tum publicum & autoritativum.

Cuivis viro docto, etiamsi privato, circa doctrinam, atque adeo etiam circa assertiones conceditur, ut scilicet, servatis prudentiæ regulis de alienis propositionibus pronunciare possit, & eas, quæ malæ, vel noxiæ sunt, possit damnare ad aliorum instructionem, nec inducantur in errorem.

Hac ratione Julianus Imperator *Epist.* 16. Maximum Ephesium librorum suorum censorem habuit: Plinius junior *lib.* 2. *Ep.* 8. censores suarum scriptionum quàm accuratos exposcit. Sanctus Eulogius suos libros subjecit Alvari censuræ, Boëtius Symmachum socerum suum arbitrum suorum scriptorum dixit transmittens ad eum è carcere librum *de Trinitate*. Petrus Damiani *lib.* 4. *Epist.* 11. Theodosium Senogalliensem, & Rodulphum Eugubinum Episcopum operum suorum censores efflagitat, Eusebius Cæsariensis libros tres posteriores contra Marcellum Ancyranum Flacillo Episcopo recognoscendos transmittit. Sanctus Basilius *Epist.* 167. rogatus à Theodoro Tharsensi, de ejus scriptis pronunciavit. Ac præter cæteros S. Ambrosius Sabino Laudensi Præsuli labores suos recognoscendos mittit, ut apud eum legere est *Epist.* 40.

Non tamen cujusque eruditioni tantum tribuitur, ut quod Gerso *tract. de examinat. doctrin. considerat.* 5. affirmat, possit contingere eventus, in quo plus sit credendum assertioni viri docti, quàm declarationi summi Pontificis. Eum eventum assignat Gerso, si contingeret, Papam ultrò errare quoad veritatem aliquam, quam vir ille eruditus doceret, contineri in Evangelio. Idem asserit eventurum, si Papa ignoraret eam veritatem contineri in Evangelio, cui, ut Gerso constare ait, plusquam Papæ credendum est.

Hæ autem Gersonis suppositiones, quoad Papæ voluntarium errorem circa veritatem Catholicam, vel ejus ignorantiam, admitti nullo modo possunt. Impossibile quippe est, Pontificem, qui Pontificatu non excidat, ultro errare circa veritatem aliquam in Evangelio contentam, aut ejus veritatis contrarium per ignorantiam docere. Sic enim portæ inferi, hoc est, errores, ut S. Hieronymus interpretatur, prævalerent adversus Ecclesiam, quæ Capiti suo adhærere tenetur. Unde declaratio Evangelii, quæ à Pontifice ex Cathedra peragitur, censenda est germana. Quod ita firmum habuit Augustinus, ut negaverit *se Evangelio assensurum, nisi Catholicæ Ecclesiæ*, cujus caput est summus Pontifex, *authoritas accederet*. Est enim divinæ erga Ecclesiam suam providentiæ, non sinere, ut Pontifex, nemine ante promulgationem obsistente, ac errorem dedocente, aliquid per ignorantiam, vel oblivionem traderet, quod esset contra Evangelium, aut contra anteriorem aliquam fidei definitionem, alioqui non esset sufficienter provisum Ecclesiæ. Possemus enim semper subdubitare, an quod à Pontifice credendum proponitur, falsum esset, & an contrarium sit, de fide, tametsi Pontifex id proponat per ignorantiam, vel oblivionem.

Dixi cuique viro docto id concessum. Nam indoctum hominem de assertionibus alienis velle censuram ferre, indignissimum est. Lege S. Basilium *Epist.* 75. ubi præ cœteris hæc scribit. *Ego verò novi, quod quæ in Oraculis Spiritus dicuntur, haud cuivis liceat proprio subjicere examini, sed ei, qui Spiritum habet discretionis, quemadmodum nos Apostolus in divisionibus charismatum docuit, dicens: Huic namque per Spiritum datur sermo sapientiæ; alii sermo scientiæ secundum eundem Spiritum; alii fides in eodem Spiritu; alii operationes virtutum; alii prophetia; alii discretiones Spirituum. Itaque si nostra spiritalia sunt, ostendat se donum habere discernendorum spiritalium, qui nostra judicare præsumit. Si vero quemadmodum ipse conviciatur, ex sapientia sunt mundi hujus, declaret se mundanæ sapientiæ experientiam habere, & tum demum ipsi judicandi calculos permittemus.*

Inter autem indoctos Gerso *loc. cit. consid.* 1. meritò numerat eos, qui in uno quidem genere periti sunt, non item in alio, de quo tamen interdum audent judicare. Sic Galenum à Rabbi Mose medico derisum refert, quod ultra crepidam sutor porrexisset manum. Sic passim plerosque, dum se vident prærogativa alicujus disciplinæ inter suos fulgere, exerrare, dilatato ad alia judicio, advertit.

Cujus autem sit censura juridica, & authoritativa, Gerso *ibid. consid.* 1. 2. & 3. agens de examinatione, cui

adjungatur determinatio, vel declaratio, aut interpretatio cum appositione pœnarum in rebelles, atque adeo, quæ damnationem habeat adjunctam, appellat examinationem illam quandoque authenticam, quandoque juridicam, quandoque authoritativam, ejusque potestatem, si doctrina examinanda spectet ad fidem, collocat finaliter in sua viva regula fidei, hoc est in Concilio Oecumenico. In Pontifice verò eam potestatem juridicam examinandi res fidei, & damnandi opposita, statuit sub Concilio, vel cum ipso.

Cuilibet etiam Episcopo, intra fines suæ diœcesis id concedit, præsupposita discussione matura, & dummodo non damnet, nisi puncta palam & omnium judicio hæreticalia, vel puncta simpliciter quidem dubia, sed peritis & sapientibus manifesta, negatque verum esse, quod dixisse alios refert, nullum, præter Papam, condere posse articulum. Ea verò puncta, quæ non sunt aperta, saltem apud Sapientes, hæreticalia, sed, ut ait, sunt veluti neutra, habentque pro se Doctores cum rationibus ad utramque partem probabilibus, nec in una tantum diœcesi, vel paucis, sed apud omnes Christianos, aut longe plurimos, locum habent, negat Gerso, posse ab Episcopis decidi, vel si eis non sapiant, posse ab eis damnari. Has enim putat esse majores causas, quas Capitis Ecclesiæ examini, ac si res ferat, damnationi jura reservant. Et hujus distinctionis ignorantia, aut dissimulatione non paucos ea tempestate in judicia scandalosa, erroresque prorupisse, expostulat.

Additque ibidem *consid.* 4. ejusdem examinationis censorem partim authenticum, partim doctrinalem esse quemvis in Theologia facultate Licentiatum, aut Doctorem. Quod probat ex forma verborum qua à Cancellario conceditur licentia magistralis, quæ sic habet: *Ego Apostolica authoritate do tibi licentiam legendi, regendi, disputandi, docendi in Sacra Theologia facultate hic, & ubique terrarum. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.*

In his Gersonis dictis omittenda sunt hoc loco, quæ habet de finali, & irretractabili solius Concilii generalis, non item Summi Pontificis definitione; de his enim alibi aliqua diximus, cùm ratio supremi Capitis Ecclesiæ, & potestas infallibiliter ac irretractabiliter statuendi de rebus fidei soli Pontifici asseritur à D. Thoma 2. 2. *qu.* 10. Unde dignitas Capitis Ecclesiæ tributa divinitus Romano Pontifici, porrigitur etiam ad quosvis Præsules, sive sigillatim sumptos, sive congregatos in Concilium quantumcumque plenarium, cujus judicia, ut sint plane certa, Pontificis est firmare, ac sua authoritate communire. Ægydius enim Abbas *Epist. ad Symmachum Papam* agnoscit authoritatem Apostolicæ Sedis esse firmiorem decretis Synodalibus. Quod habet quoque Avitus Viennensis *Epist. ad Faustum. & Symmachum.* Subscribunt Turrecremata in responso ad Oratores Basilienses, Caietanus *tom.* 1. *opusc. tr.* 1. *&* 2. Bellarmin. *lib.* 2. *de Concil. à cap.* 15. Azor *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 13. *qu.* 1. Bursatus latè *conf.* 109. & latius Turrianus *libris tribus de authoritate Pontificis supra Concilia*, Malderus *disp. de Pontific. dub.* 3. qui alios adducunt. Subscribit Corasius *in paraphrasi Sacerdotiorum p.* 2. *cap.* 2. *num.* 2. iis tantum exceptis, quæ fidem, aut schisma, vel universalem Ecclesiæ reformationem concernunt. Quæ limitatio, si agatur de Pontifice certo, supervacanea est, ac explodenda, universaliter statuendum, Papam esse supra quamcumque Episcoporum collectionem. Nam quæcumque Episcoporum collectio intra Christi ovile clauditur, cum sit Christiana. Debet ergo Pontificem totius ovilis unum Pastorem generalem agnoscere pro capite, atque adeo illi subjici. Nec contrarium quorundam placitum posse excusari à temeritate inobedientiæ, ac ex eo dissidia, ut plurimum, magnosque semper tumultus efferbuisse in Ecclesia, affirmat Duvallius *tr. de Pontif. p.* 4. *qu.* 7. *in fine*, addens *q.* 8. falsum esse, quod vulgo jactatur, Doctores Parisienses juramento confirmare, se contrarium illud placitum, quo Concilium supra Papam statuitur, propugnaturum. Quod ipse inter Doctores illos tamdiu, tantaque cum laude claruerit, extra dubium est, cum protulisse comperta.

Atque ex dictis habetur, Romani Pontificis esse, aliorum Antistitum, etiam in Conciliis adunatorum judicia, alioqui non rarò vacillatura firmare, exequendo illud Christi jussum ad Petrum: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Quod ad ejus Successores extendunt varii Patres apud Bellarminum *lib.* 4. *de Pontif. cap.* 3. Non est dubium quin Christus sic orans pro indefectibilitate fidei S. Petri, ac successorum ejus, exauditus sit pro sua reverentia. Ex quo patet fidem eorum esse indefectibilem.

Cùm ergo Christus pro solo S. Petro, quatenus Pontifice, atque adeo etiam pro ejus successoribus ad eum modum oraverit, ac ne pro Concilio quidem quantumvis plenario ac universali tales preces fuderit, plane necessarium est, ut certi simus fidem Conciliorum non nutare, confirmationem Pontificiam illis accedere, quantumvis legitimè sint congregata, & adsint Legati ipsius Pontificis. Nam his quoque astantibus, Concilium ex se spectatum, errare poterit, nisi procedat ex institutione à Pontifice antecedenter data Legatis, eamque ad amussim sequantur, quæ esset anticipata confirmatio, cujusmodi instructiones accuratè, ac minutatim signantes, omnia dedit aliquando Gelasius primus Fausto Magistro, Legato Constantinopolim, *est ejus Epist.* 4. Item Hormisdas indiculum Legatis suis tradidit valde accuratum, qui legitur post Epistolam ejus 10. Similia Commonitoria sæpe occurrunt in vitis Pontificum, & in historia Conciliorum, ac Ecclesiasticis Annalibus. Nisi ergo Legati talem aliquam instructionem habeant, & exquisite servent, errare poterunt etiam ipsi, & cum ipsis Concilium. Quia Pontifex non potest Legatis committere privilegium personale suæ in fide indefectibilitatis, ut recte notavit Castrius *lib.* 1. *de just. hæret. punit. cap.* 6. Itaque desideratur, ut finito Concilio, accedat ejus de fide decretis calculus ipsiusmet Pontificis, alioqui non erunt plane firma. Idque de fide esse, censet Nauclantus *opusc. de necessit. confirmat. Concilior.* & videtur annuere Duvallius *cit. p.* 4. *qu.* 5.

Et quidem ipsa Concilia, etiam generalia, hanc suam ex seipsis defectibilitatem, & confirmationis Pontificiæ necessitatem, aperte professa videntur, cùm petierunt sua decreta firmari à Pontificibus. In quam rem exemplum primæ Synodi Apostolicæ urget Turrianus *lib.* 2. *contra Magdeburgenses cap.* 5. Primæ item Nicenæ Synodo accessisse confirmationem à S. Sylvestro, liquet ex Felice Tertio *Epist.* 4. & ex decreto ipsius Sylvestri, Concilio Romano suffragante, quod legitur *tom.* 1. *Conciliorum.* Sanctus Leo petitam à Concilio Chalcedonensi *act.* 3. in relatione Synodica confirmationem concessit, scribens ad Martinianum. Benedictus Tertius idem fecit circa Rhemense Concilium. Sophronii Hierosolymitani Synodicam Epistolam ad Honorium, qua idem ab hoc Pontifice explicatissime poscebatur, adducit Turrianus *lib.* 1. contra Sadeelem *cap.* 10. *in fine*, apud quem etiam *lib.* 3. *de dogmat. Charact.* Photius Constantinopolitanus necdum depositus, idem agnoscit, scribens ad Nicolaum primum, cui fatetur, convenire, *tribuere authoritatem Synodicæ sententiæ.* Synodum Tridentinam œcumenicam, hanc confirmationem expetiisse legimus, nec ante eam obtentam valuisse. Denique Gelasius primus Epist. ad Episcopos Dardaniæ quotquot Concilia hoc munimine caruerunt, fuisse vacua authoritatis, apertissime contestatus est. Nec minus perspicuè Pelagius Secundus Epist. ad Synodum Constantinopolitanam: *Nulla*, inquit, *unquam*

Synodus

Synodus rata legitur, quæ Apostolica authoritate non fuerit fulta.

Quod verò attinet ad illam potestatem, quam Gerso agnoscit in Episcopis respectu suæ diæcesis, ut possint de rebus saltem inter doctos apertis, ac perspicuis condere articulos fidei, potest circa eam esse lis de nomine. Nam si sensus sit, Episcopum posse condere infallibilem fidei definitionem in prædictis materiis, atque adeo si sensus sit, Episcopo damnante assertionem ratione hæreseos, damnationem illam esse ex fide certam, rejiciendum est, quod Gerso dicit. Tum quia causa fidei & hæreseos, cùm sit toti Ecclesiæ communis, eo quod una in quacumque Ecclesia debeat esse fides, non potest per unius particularis Ecclesiæ caput decidi, ut recte argumentatur Castro *lib.3. contra hæres. cap.* 8. Tum quia nulli Episcopo infra Romanum Pontificem, competit potestas judicandi infallibiliter de fide, aut damnandi quæ sunt falsa, & fidei adversantia. Quia de nullo alio singulari Episcopo valet, quod de Romano in petri persona dictum est *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* Et, *pasce oves meas.* Quod pabulum maxime præbetur per propositionem doctrinæ sanæ, & rejectionem corruptæ.

Valebit autem, quod à Gersone de inferioribus Episcopis dicitur, si sensus sit, eos habere potestatem proponendi suis subditis, quæ ab Ecclesiæ Capite fuerint definita, tanquam de fide, eosque in conscientia obligandi, ut eis credant, tanquam definitis per Ecclesiæ Caput, cujus est eas definitiones condere. Et quippe potestas in munere pastorum includitur, idque aperte tradit D. Bernardus *Epist. 39. sub medium.* Et quamvis Parochis quoque proportionalis gradui suo ad id potestas competat, multo tamen magis in Episcopo eminet, cujus in pascenda plebe potestas major est. Quod multo magis dicendum est de quocumque Evangelii præcone, definitionem fidei recte factam denunciante absque ulla ad id potestate ex solo zelo divini honoris ac fidei propagandæ. Hic enim & subtus Episcopum, & subtus Parochum, qui Pastores sunt constitui debet quoad rem hanc.

Præter propositam facultatem, agnoscenda quoque est in Episcopis inferioribus facultas obligandi suos, nè assensum præbeant doctrinæ periculosæ, eo quod, tametsi nedum damnata sit Ecclesia, tamen Episcopo videatur, eam doctrinam non cohærere cum definitionibus jam editis, aut accedere ad errores damnatos. Hoc plane videtur necessarium Episcopo, ut munus pascendarum Christi ovium rite exequatur, & quamvis Episcopus in hujusmodi propositione possit falli, quippe qui privilegio infallibilitatis non gaudeat; tamen prudenter plebs constituti sibi ab Ecclesia immediati Pastoris vocem audiet, nec peccabit ductum ejus sequendo. Tandemque divina providentia per mediatos, & præsertim per supremum Pastorem, aut quibus lubebit viis, dedocebit errorem, & bonam plebis mentem ejusque obedientiam erroris depulsione compensabit, facietque, ne fraudis sit materialis aberratio, ex spiritu humilitatis, & voluntate constitutos sibi duces sequendi, profecta.

Id verò quod ad Licentiatos, vel Doctores Theologos attinet, perperam Gerso, nescio, quam in eis ex parte authoritativam, vel authenticam noxias assertiones improbandi potestatem agnoscit. Hoc enim est muneris Pastorum. Doctores autem & Licentiati præcisè quà tales, non sunt Pastores. Habent sanè Licentiati, atque Doctores, si sint, quod dicuntur, nec ementitos titulos præferant, de quibus Petrarcha *lib. 1. de remed. cap.12. & 46.* idoneitatem, ut à Pastoribus assumantur ad discussionem punctorum ambiguorum, sintque Præsulum quasi consulti; quod ad summum fert formula creandi Doctorem antè prolata, continens idoneitatis testimonium authenticum, ab iis latum, quos ad ferendum præfecerunt ii, quibus in Republica potestas competit. Et ita habet ipse Gerson *lib. 3. de Consolat. Theolog. pros. 3.* & benè Caietan. *in sum. v. Doctor.* Juridica tamen & facta cum potestate propositio Dogmatum sanorum, vel damnatio reproborum nullâ ex parte est Doctorum, vel Licentiatorum. Non igitur hoc possunt Doctores, vel Licentiati, sed eâ tantùm facultate discutiendi,& damnandi potiuntur,quam Gerso vocat per modum doctrinæ.

Quod si Doctori cuivis singulari aliud non competit vi Doctoratus, quàm quod diximus; debet quoque liquere,non plus etiam toti Doctorum Collegio,etiamsi numerosissimo, posse tribui. Quod rectè statuit Castrius *lib.1. contra hæres. cap.* 8. Numerus enim auctior similium personarum nihil plus intensive confert,quàm si unica esset persona. Unde Caietanus *opusc. de Concept. B. Virginis*, Academiarum decisiones, ac determinationes nihili facit, & quamvis per modum declarationum admitti utcunque possint, quod unum evincit Catharin. *lib.2. pro Concept. §. primo quod sic. pag.* 49. non tamen ut determinationes, non plus, quàm si unicus esset Doctor. Quamvis enim multitudo ex una parte conferre possit ad facilius, & certius attingendam veritatem, eo quod plura ingenia exculta concurrant, non tamen semper verum est, multitudinem eorum, qui Doctores dicuntur, esse multitudinem eruditorum.

Immò multitudo numerosior, eò facilior est, ut in factiones scindatur, & ut de Dogmatibus, aut libris, in quibus traduntur, non ex judicio, sed ex affectu, aut ad gratiam per venalia capita pronuncietur. Quod quàm sit frequens in hujusmodi cœtibus, nihil attinet demonstrare copiosè. Inde certè non rarò contigit, ut sententiæ Doctorum Catholicorum judicio publico alicujus Academiæ damnarentur. Nemo ignorat,quàm in pretio sit doctrina Divi Thomæ. Commendarunt illam nonnulli Summi Pontifices, ut Joannes XXII. Clemens VI. Urbanus V. Pius V. Sixtus V. Clemens VIII. Paulus V. Alexander VII. Quorum rescripta collegit Seraphinus Pivinardus *de approbat. Doctrin.* Div. Thom. *tom. 2. sub initio*, non potuit tamen vir sanctissimus, & Doctorum Angelus, invidorum morsus, aut rabiem effugere, editis adversus ejus scripta, atque doctrinam, tanquam erroneam, non sine adjunctâ excommunicatione per Parisiensem Episcopum ab Academia in fraudem actum, variis articulis, quos Ægidius Romanus, qui aderat,referente Capreolo *in 2. qu.1. ad 1. Gregorii*, damnatos refert factiosè, *non convocatis omnibus Doctoribus ad requestam quorundam Capitosorum.* Impossibile enim est, cùm homines sint, qui in Ecclesia docent, ut calumniantium vituperationes effugiant.

Quinetiam, nè omnibus quidem universi Orbis Doctoribus, si consentirent, ac in unam sententiam conspirarent, potestas suppetat aliquid de fide statuendi, aut tanquam fidei contrarium damnandi pro potestate, & secluso regulæ fidei præjudicio. Immò neque præbendi argumentum sufficiens, ac certum, quod propositio ab eis damnata, tanquam hæretica, sistendo in eorum damnatione, nec attendendo præjudicium Ecclesiæ, quo ea damnatio nitatur, sit revera hæretica. Et quamvis Canus *lib. 8. de loc. cap.4. conclus. 3. & lib. 12. cap. 7. propos.* 8. & Bannes 1. *part. quæst. 1. art. 8. dub. ult. conclus.* 3. censeant,communem Doctorum Scholasticorum sententiam continere irrefragabile argumentum, adeò ut oppositum tam communi sensu firmatæ sententiæ adversetur fidei; meritò tamen id repellunt alii, & benè Gillius *lib.1. tract.7. cap. 13. nu.6.* ac nos suprà. Quia certitudo infallibilis, qualis ad statuendum pro potestate de re fidei exigitur, niti debet promissione aliquâ divinâ præstandæ assistentiæ, errorem prohibentis, quam pro Doctoribus universis nusquam reperimus, esto doctrina omnibus planè Doctoribus repugnans, temeritatis jure insimuletur.

Firmum igitur maneat, quoties propositio, de quâ damnan-

damnandâ agitur, res fidei tradit, eoque nomine configenda est, quod fidei adversetur, nullius esse irretractabilem damnationem facere, præterquam totius Ecclesiæ capitis, cujus principaliter est, Christi oves pascere idoneo, & non virulento pabulo doctrinæ; ut proindè non ab re olim qui Libros conscriptos vulgaturi erant, quod Baronius multis exemplis illustrat anno 496. omni studio anniterentur, ut recognoscerentur, ac probarentur à Romano Pontifice. Quas autem assertiones, vel quos libros ille damnasset, haberent pro noxiis, & omnino improbandis. Ita facit D. Augustinus *in exordio Libri* 1. *contra duas Epistolas Pelagianorum.* Nam Bonifacio Papæ, tanquam *praeminenti fastigio specula Pastoralis*, examinandum, & emendandum dirigit opus illud. Constat, idem fecisse S. Eulogium Patriarcham Alexandrinum, ut legitur apud D. Gregorium *lib.* 8. *registr. Epist.* 42. Exemplo suo, & ratione optima, ita esse faciendum authoribus confirmat S. Anselmus *lib. de Incarnat. verb. cap.* 1. verbis illis ad Urbanum Secundum: *Quoniam divina providentia vestram elegit sanctitatem, cui & vitam, & fidem Christianam, & Ecclesiam suam regendam committeret, ad nullum alium rectius refertur, si quid contra Catholicam fidem oritur in Ecclesia, ut ejus authoritate corrigatur, nec ulli alii tutius, si quid contra errorem respondetur, ostenditur, ut ejus prudentia examinetur. Quapropter sicut nulli dignius possum, ita nulli libentius præsentem Epistolam, quam vestra destino sapientiæ, quatenus si quid in eâ corrigendum est vestrâ censurâ castigetur, & quod regulam veritatis tenet, vestrâ authoritate roboretur.*

Extant Possessoris, Episcopi Africani, literæ ad Hormisdam Papam, quibus testatur, se ad eum transmisisse recognoscendum Codicem suarum explanationum in B. Pauli Epistolas. Joannes Diaconus *in prolog.* ad opus de Vit. S. Gregorii Magni, idem de suo opere facit, dirigens, illud ad Joannem Papam, tanquàm ad eum (sic enim profitetur) cujus sit scripta quæcunq; probare, aut explodere. Anastasius item Bibliothecarius præfat. ad Vit. S. Joan. Eleemosynarii sic affatur Nicolaum Papam: *Sed licet membranas inciderim, schedulas præparaverim, non tamen hunc Codicem conficere ausus sum, antequam à Dominatione vestrâ, ô millies Beate, licentiam adipisci promerui. Neque enim fas est, absque Vicario Dei, absque Clavigero Coeli, absque curru, & auriga Spiritualis Israelis, absque universitatis Pontifice, absque unico Papa, absque singulari Pastore, absque speciali Patre, absque te, omnium arbitro, aliquid consumetur, aut divulgetur. Tu enim tenes Claves David, Tu accepisti Claves scientiæ. In arca quippe pectoris tui tabulæ Testamenti, & munita cœlestis saporis requiescunt. Tu enim quod ligas nemo solvit. Quod solvis, nemo ligat. Qui aperis, & nemo claudit, claudis, & nemo aperit; vicem namque in terris possides Dei.*

Pulchrè denique idem præstat Godefridus Viterbiensis *Præfat. in conscriptam à se histor. ad Urbanum Tertium.* Verba ejus sunt: *Dum Sacrosancta Matris nostra Romana Ecclesia Culmen inspicio, & ejus eminentiæ considero Majestatem, illud antè omnia necessarium esse intueor, ut sicut ipsa omnibus noscitur praesse Principibus, ita omnes Reges ac Principes, & universa Orbis Ecclesiæ doctrina ejus, & regimine adornentur, & ab eâ, tanquam à fonte justitiæ, totius Sapientiæ regulis instruantur. Quia nullum scripturarum elogium noscitur esse authenticum, nisi ab ejus sapientia fluminibus sitientibus propinetur. Quare, si quod historiarum opus, novâ per aliquem institutione conficitur, ratio suggerit, ut antequam in publicum deveniat, Apostolico examini præsentetur: quatenus si acceptione dignum esse perpenditur, ejus mandato, & judicio approbetur, & ab eo vires, authoritatemque recipiat, cui terrena, & cœlestia divinitus sunt commissa.*

Jure igitur Marinus Papa scribens ad Carolum Calvum, profitetur, Romani Pontificis esse, approbare, atque adeò etiam reprobare quoscunq; libros, idque ad clavem sapientiæ, ei concreditam, spectare. Et notanda sunt verba illius Epistolæ à Westmonasteriensi exhibitæ anno 883. *Relatum est Apostolatui nostro, quod opus Dionysii Areopagitæ, quod de divinis nominibus, & de cœlestibus ordinibus Græco scripsit eloquio, quidam vir Joannes, natione Scotus, nuper transtulit in Latinum, quod juxta morem Ecclesiæ, nobis mitti, & nostro judicio debuit approbari, præsertim cùm idem Joannes, licet multæ scientiæ esse prædicetur, olim non sanè sapere in quibusdam frequenti rumore dicatur.*

Unde non rectè ait Bannes 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 2. *in fine*, esse errorem, vel errori proximum asserere, Ecclesiam posse errare in hujusmodi censuris assignandis, nec audiendus est Turrianus *de fide disp.* 55. *dub.* 3. inquiens esse valdè certum, eam non posse in hisce definitionibus errare; sed statuendum est cum Maldero *cit. qu.* 11. *art.* 2. *membr.* 5. & Conink *disp.* 18. *dub.* 8. *n.* 134. esse de fide, eam non posse errare. Nam Ecclesia 1. *ad Timoth.* 3. dicitur *columna, & firmamentum veritatis*, & *Joan.* 14. & 16. promittitur ei Spiritus veritatis, sive perpetua assistentia Spiritus Sancti, *qui doceat eam omnem veritatem.* Quod videtur intelligendum non solùm in definiendis fidei veritatibus, sed etiam de iis, quæ aliquo modo ad fidem pertinent, quales sunt aliarum propositionum censuræ. Quia cùm Ecclesia declarat, aliquam propositionem esse erroneam, planè definitio pertinet proximè ad fidei veritates. Nam propositio erronea est contraria conclusioni deductæ ex principiis fidei. Atque adeò non potest Ecclesia in hâc censurâ errare, nisi errans aliquo modo circa fidei veritates.

Nec potest Pontifex errare, cùm judicat, aliquam propositionem esse probabilem, ut olim definivit Clemens Quintus *in Clem. un. de sum. Trinit.* in quâ approbat, ut probabiliorem opinionem asserentium, in baptismo infundi parvulis habitus virtutum Theologicarum. Si enim in hoc Pontifex errare posset, nimis grave præjudicium irrogaretur fidei, quia opinionem, quam Pontifex approbat, ut probabilem, vel probabiliorem, tota Ecclesia debet, ut talem, amplecti, & ex illa variè quisque ratiocinaretur; unde posset contingere circa res fidei gravis error.

Porrò Laicis quibuscunque nihil in hujusmodi propositionibus, neque Libris res fidei tradentibus competit, nisi arrogare sibi quam nullo jure habent potestatem, velint, certum omninò est. Idque vidisse Ethnicos, apud quos nefas erat Libros de Religione ab aliis recognosci, quàm à Sacerdotibus, tradit Ægidius Mag. *l. decretor. tit.* 2. *num.* 10. & sequitur ex iis, quæ tradit Castrius *lib. de just. hæret. punit. cap.* 5. & 23. *fundam.* 1. Ut proinde meritò Cardinalis Baronius anno Christi 1186. de temeraria, & petulanti quorundam hujus ævi Christianorum Magistratuum arrogantiâ hâc in parte expostularit. Libros tamen, quibus traduntur propositiones, ac hæreses ab Ecclesia jam damnatæ, meritò per Laicos aboleri jam statuimus suo loco. Non tamen id possunt antè damnationem doctrinæ, factam ab Ecclesia.

Consultatio XXXIX.

Ad quos pertineat ferre judicium, ac censuram propositionum hæreticalium, ac de fide suspectarum? & quales ii esse debeant?

Et an Inquisitores possint procedere contra proferentes propositiones scandalosas, temerarias, & alias ejusmodi Catholicæ fidei minimè consentaneas?

Quod ad primum, Ad ferendum rectè judicium de Censura propositionum, necessaria planè est maxima

ma notitia, nedum propositionis, de quâ agitur, sed etiam authorum, qui de eâ vel cursim, vel ex instituto disputationem susceperunt. Ideoque ad Theologorum, sive, ut aiunt, ad qualificatorum munus pertinet suo jure in sacro fidei Tribunali de qualitate propositionum, quæ ab hæreticis, vel de hæresi suspectis prolatæ sunt, cognoscere, ac judicare. Hinc est, quod qualificatorum nomine vocantur Theologi in sanctæ Inquisitionis officio à qualitate propositionum, de quibus judicare debent.

Qualificatorum responsa, quibus propositionum censuræ continentur, ab eis subscripta inserenda sunt actis judiciariis processus perindè ac dicta, & testimonia rerum aliarum peritorum, ut per Simanch. *de cath. instit. tit.* 54. *num.* 2. & Royas *de hæret. p.* 1. *num.* 402. qui affert instructionem Madrisianam, inquiens: *cujusvis propositionis declaratio ad Theologos spectat, & ab eorum assertionibus in causis fidei judicandis minimè est recedendum, ut in instructione de Madrid anno* 1561. *cap.* 1. *Quod etiam per prudentissimos Consiliarios supremi Consilii generalis Inquisitionis plenius decretum est.* Idem refert Diana *p.* 4. *tract.* 8. *resol.* 84. ac Delrius *lib.* 5. *Magic. sect.* 15. *in fine primi axiomatis*, ubi ostendit, quod quando dubium est, an sint sortilegia hæresim sapientia, an nè, hoc cognoscere, non ad Inquisitores pertinere, sed ad Theologos qualificatores.

Hinc est, quod Albertinus *de agnosc. cath. assert. qu.* 10. *nu.* 8. *ac seq.* asserit, quod in qualificandis propositionibus, & factis hæreticalibus Theologi sunt consulendi. Quia cuilibet perito in arte suâ credendum est, *Bart. in proœm. ff.* §. 1. *num.* 8. cum vulgò aliis. Confirmat id Albertinus *loc. cit. num.* 14. ex eo, quod voluit Ostin. *in cap.* 1. *de consangu. & affin.* quem sequitur Abbas, quod si eligendus sit Episcopus in loco, ubi plures sunt hæretici, debet præferri Theologus, si verò causarum discussio ibi frequens sit, Canonista præferendus erit, & in electione Pontificis præferendus est Theologus Juristæ.

Ex his colligitur suffragium Qualificatorum in S. Tribunali esse decisivum, non autem consultivum. Ita expressè Royas *loc. cit. num.* 384. ubi sic ait: *In exponendis verò verbis dubiis, agnoscendisque factis, vel Catholicis dictis, aut suspectis, vel hæreticis, periti S. Theologiæ Professores sunt vocandi, qui vulgò Qualificatores nuncupantur, quorum assertionibus omnimodam adhibeant fidem, L. Septimo mense.* ubi Bald. *ff. de stat. hom. l.* 1. *in princip. ff. de ventr. inspic. L. Semel. C. de re milit. cap. causam. cap. proposuistis, de prob. cap. fraternitatis. cap. fin. de frig. & malef. cap. significastis.* 2. *de homic.*

Secus verò est de suffragio Consultorum, quo tantùm est consultivum, ac proindè hujusmodi suffragium Inquisitores sequi non tenentur, Royas *loc. cit. num.* 409. & 423. Diana *p.* 4. *tract.* 7. *resol.* 38. qui ad hoc affert citatam instructionem Madrilianam, & nos alibi,

Porrò alienarum propositionum censores præcipuè liberi turbidis motibus sint, nullis aversis affectibus, odii præsertim, ac superbiæ subjaceant. Etenim antè omnia curandum est, ut animi judicium citrà damnum affectus proferatur. Id exposcit Nazianzenus *Orat.* 14. *num.* 8. Chrysostomus *hom.* 14. *in ad Ephes.* Isidorus Pelus. *lib.* 1. *Epist.* 310. *quæ est ad S. Grillum Alexandrinum*, ac Joannes Sarisberiensis *lib.* 5. *Polycr. cap.* 12. Unde omnes plane contentiones, ac turbas, atque adeò omnes hæreses, ac fidei schismata ex unô hoc fonte profluere, tradit S. Hilarius *initio lib.* 10. *de Trinit.*

Quia verò authore Aristotele, invidiâ, est odii particula, necessarium maximè est, eam abesse ab eo, qui alterius censor sit futurus, quantumvis nihil sit frequentius, ut hoc ex capite scriptores vexationem sustineant. Est enim id Scriptorum maximè proprium, ut notavit Thomas Waldensis *tom.* 1. *in prælud. post doctr.* 10. dixitque Nazianzenus *Orat.* 20. *num.* 29. Hanc autem vitare non potest, nisi qui omninò nihil scribit, ut queritur S. Hieronymus *sub fin. Epist. ad Ctesiphontem.* & *in præfat. ad Chron. Eusebii.* Hunc invidiæ stimulum, & aculeos sensit D. Hieronymus *præfat. in Esdram ad Domnionem.* D. Thomas ex iis, quæ supra diximus. Idque ob excellentiam lente festinent, præcipitationem aversentur: Quod si alibi observandum, hîc maxime necessarium est hoc monitum ob grave discrimen suam conscientiam, & alienam famam præpropera censura feriendi. Valetque ubique illud Zozimi *Epist.* 3. quâ excutit causam Cœlestii in Africa damnati: *Magnum pondus examinis, magna desiderant, ut non sit rebus ipsis, quæ geruntur, inferior libra judicii*, & optime rursus *Epist.* 4. verbis illis: *Doceat nos terrena moderatio, quæ secularibus arbitriis, & causis primùm de ipsis Judicibus eligendis, repudiandisque fit.* Et quanta cunctatio, quot interpositæ dilationes? quoties adhibita comperendinatio, etiam sub fine ipso certaminis ampliare judicia cum innocenti reo? Confugitur ad mare, & extra maxima documenta, ut fides, quæ in præsenti plerumque arctioribus strangulatur angustiis, saltem eminus veniat. Hæc omnia mentior, nisi in patrocinium tuendæ innocentiæ reperta sint. *Tolerabilius est enim innocentem quemlibet tardius inveniri, quàm citò pro nocente damnari.* Similia profert S. Gregorius 19. *Moral. cap.* 23. & Sarisberiensis *loc. cit. cap.* 12. Jureque id in hac materia specialiter esse Lutetiæ cautum, suo tempore scribit Gerso *part.* 4. *in protest. pro exclus. schismat.* Testatur enim quandoque in unius dicti Theologici discussione priusquam ad censuram veniretur, impensum tempus solidi anni, quandoque biennii, aliquando vero post longam consultationem, & comperendinationem, nihil fuisse conclusum. Similiter Joannes Major, quanta maturitate post Gersonem procederent Censores, testatum dedit *in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 8. Scribens, discussionem fieri solitam. *Communius per viginti, vel viginti quatuor deputatos, viros exercitatos, & promptos ita, quod quilibet seriatim motiva sua hinc inde, & quid sentiendum sit, demum apponit, & secundus rationes primi, & tertius rationes duorum primorum, & sic ad novissimum usque inclusive examinat, & ab his conclusum, rursus in tota facultate versatur, & discutitur, antequam aliquid concludatur.*

Inauditum, si fieri potest, neminem damnent, damnationis causam nè celent, & purgationis tempus, ac facultatem concedant, nisi errores, citra omnium ambiguitatem jam damnatos, assertiones contineant, nec sit dubia, sed explorata mens authoris.

Hinc meritò Gerso *tom.* 1. *tract. de exam. doctr. p.* 2. *consid.* 5. poscebat, ut Curia Summi Pontificis haberet Doctores Theologos, ac Censores, *non partiales, non seductores, non fastuosos, non quæstuosos, aut invidos, non potestati sæculari, non spirituali plus quam veritati facientes; alioquin tolerabilius esset, nullos habere, quàm tales pati.* Addere æque poterat, quos ex Apostolica, & præcelsa veritatis specula deligi ad censendum de aliis contigerit, non præcipites, non proclives ad condemnandum. Qua in parte habent Romani Censores, quam imitentur Apostolicam Sedem. Eam enim in notandis, & hæreseos, erroris ve insimulandis quibusvis, maturitate, ac tarditate summa semper processisse, demonstrat Hesselius *lib. de perpetua Cathedra Petri firmitate cap.* 8. *verbo. Sint boni, & docti.*

Ad secundum. Ex consuetudine Pauli Tertii, quæ incipit, in Apostolici culminis specula post Director. Concionatores, & quicumque exempti asserentes propositiones suspectas, scandalosas, periculosas, errores continentes, & alias Catholicæ fidei dissentaneas, Christianæque pietati, ac bonis moribus minimè congruentes, ac Inquisitionibus puniuntur, ac etiam ab Episcopis, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis vigore Concilii Tridentini *sess.* 5. *cap.* 2. Unde Episcopus, & Inquisitor cùm contra Concionatores ejusmodi propositiones

tiones in publicis Concionibus asserentes procedunt, sunt æqualis authoritatis, cùm uterque ut Sedis Apostolicæ delegatus procedit. Secùs verò cùm contra Laicos, easdem propositiones privatim asserentes procedunt. Tunc enim Inquisitor procedit, uti Sedis Apostolicæ delegatus, Episcopus verò, ut Ordinarius ordinaria facultate sibi de jure communi competente. Vide Carenam *de mod. proced. in Caus. S. Offic. tit.* 16. §. 4. *nu.* 15. *cum binis seq.* & nos alibi.

Consultatio XL.

De Hæresiarchis, & Dogmatistis.

Quisnam dicatur Hæresiarcha, & in quo differat ab hæretico, tradit Repertorium Inquisit. *verb. Hæresiarcha.* Ille autem dicitur Hæresiarcha, qui gignit errorem, quive docet errorem, quem ipse gignit, ac qui publicè errorem defendit, ut per Farinac. *de hæres. quæst.* 178. §. 1. *num.* 15. alios referens. Eymer. *in directl. Inquis. part.* 2. *quæst.* 39. ibique Pegna *com.* 64. qui docet, quod Hæresiarcha dicitur non solùm qui errores commentatus est, & confinxit, sed etiam qui ab aliis jam inventos, & confictos alios docet. Quod sequitur Paramus *de origin. S. Inquis. lib.* 3. *qu.* 9. *n.* 134. Carena *de mod. proced. in caus. S. Offic. tit.* 1. §. 25. *n.* 128. Aliique apud ipsum.

At verò inter Hæresiarcham, & Dogmatistam est aliqua differentia. Hæresiarcha enim ille propriè dicitur, qui errores invenit, & alios docet. Dogmatista verò, sive Dogmatizans ille est, qui hæreses, ac errores ab aliis inventos prædicat, ac docet; & quanquam Dogmatista dicatur etiam hæresiarcha, & eodem fere modo cum utroque procedendum est, hæresiarcha tamen est in primo gradu hæreticorum, dogmatista in secundo, ut per Sousam *lib.* 1. *Aphor. cap.* 9. *num.* 1. *& seq. ex can. qui aliorum.* 24. *quæst.* 3. Requiritur verò, ut quasi ex officio, & consuetudine publicè, vel occultè proprios, vel alienos errores doceant plures, sive simul, separatim, ut per Suarez *de fid. disp.* 23. *sect.* 2. *n.* 11. apud Sousam *loc. cit. n.* 4.

Hinc est, quod Hæresiarcha, vel Dogmatista censendus est, qui quasi ex officio, vel consuetudine hæreticos in suis erroribus confirmat, quamquam non doceat eos, quod antea ignorabant, sive verbis id faciat, sive scriptis, aut libris traditis, in quibus errores defenduntur, ac item qui hæreticorum doctrinam defendit, *ex d. can. qui aliorum* 24. *n.* 3.

Illeque etiam censendus est hæresiarcha, & dogmatista, qui similiter quasi ex officio, & consuetudine, errores, sive à se confictos, sive ab aliis inventos per alios prædicat, & disseminat verbis, vel scriptis, ac etiam qui libros hæreticos componit, & divulgat. Quia hæc ad Magistrum spectare videntur, *cit. can. qui aliorum.* Souza *loc. allegat.*

Hos autem, etiam pro prima vice, tradendos esse Curiæ sæculari, probat Simanchas *de Cath. instit.* 47. *à num.* 50. & *in Enchir. tit.* 59. *à num.* 1. Royas *de hæret. p.* 2. *num.* 339. *& seq. assert.* 43. At non esse Curiæ sæculari tradendos, tuetur Pegna *in p.* 2. *direct. qu.* 39. *com.* 64. ubi nonnullorum Conciliorum Veterum locos ad rem hanc adducit. Sed pro utraque sententia concilianda plures distinctiones adhibet Farinac. *loc. cit. q.* 193. §. 1. 1. *à nu.* 7. & sequitur Carena *tit.* 1. *de hæres.* §. 25. *nu.* 129.

Et primum si Dogmatista, vel Hæresiarcha ab Inquisitoribus deprehensus, statim pœnitens resipiscere, & abjurare consentiat, utique recipiendus est ad misericordiam. Si verò pertinaciter & obsistens ab errore noluerit resilire, vel metu mortis potius, quàm amore veritatis convertatur, haud facile est recipiendus, ut per Eymer. *p.* 3. *rubr. de* 8. *mod. term. proc. n.* 9. Farinac. *d. n.* 8. Sousam *loc. cit. num.* 14. & Dianam *p.* 4. *tract.* 7. *resol.* 23.

Deinde illi Hæresiarchæ, ac Dogmatistæ, qui Regibus, Principibus, Reginis, aut eorum filiis hæreses persuaserint, aut persuadere conati sunt, nullo pacto ad misericordiam sunt admittendi, ut per Pegn. *d. comm.* 64. Farinac. *ibid. n.* 9. Sous. *supra nu.* 15. Dian. & Caren. superius adductos.

Postremo si Hæresiarchæ, ac Dogmatistæ suis dogmatibus nemini nocuerint, ac veræ pœnitentiæ signa ediderint, reconciliari possunt; secus verò si alios seduxerint, Simanch. *loco adducto num.* 71. Pegna *ibid.* Farinac. *numero decimo*, Sousa *numer.* 16. & Carena *d. num.* 129.

Cæterum semper observatum est, hæresiarchas aut fuisse Magos, aut hæresibus magicas artes successisse. Talem enim Simonem Magum fuisse sine dubio est. Menandrum quoque habuisse dæmonem familiarem Eusebius affirmat *lib.* 3. *hist. cap.* 26. Idemque de Marco Valeriano Priscillianista, & Carpocrate, Irenæus *lib.* 4. *contra hæreses.* De Hermogene Hieronymus *Epist. contra Pelag. ad Thesiphontem*, & Sulpitius Severus *lib.* 2. *hist.* Succedunt, detectis imposturis hæresum, illisque senescentibus, statim magicæ artes. Non enim facile dæmones, cùm occuparunt arcem hominum, decedunt loco, sed quamdiu supersunt, nituntur suis artibus illas defendere, & detecta hæresi, in mente, quam obsident, alios se fingunt, ne exire cogantur. Utuntur enim dæmones hæreticis, ut meretricibus pulchris, ad impellendos specie sanctitatis ad sua retia homines. Deflorente autem ætate illius fucatæ pulchritudinis, utuntur illis, ut lenis, & lenonibus, faciuntque magos, & sagas, & ita de ore falsi Prophetæ Spiritus nequam egressi jussu Dei, ut in Apocal. *cap.* 16.

Sic post Hussitarum, & Bohemicam in Germania hæresim, tanta dæmonum irruptio, & colluvies secuta est, ut plus negotii maleficæ Germanicæ facerent, quàm hæretici, Spengerus, qui eo tempore librum integrum ea de re composuit. Non recenseo montium Arverniorum veneficas, & sortilegos, ex quo Waldenses, Torelupini, seu pauperes de Lugduno hæretici inibi latuerunt, & in proximos pagos, & postea in Germaniam, & Gallias virus propagarunt. Duo enim contraria, & adversaria sunt, lex Dei, & dæmonis, & nemo potest duobus dominis servire. Et ita consequens est, homines, qui Dei gratiam, & legem, ejusque pietatem rejiciunt, à dæmonibus occupari, & cum illis in peius semper prolabi, & ab hæresi ad infidelitatem, ab ea in idololatriam, & ex hac, cum in profundum peccatorum venerint, ad omnia immania sacrilegia, abominanda, crudelissima facta descendere. Ita post Agarenorum, seu Saracenorum impietatem in Hispania, omnes ferè bonæ artes interiunt, præter Magiam, quæ publice docebatur in scholis Salamantiæ, donec Carolus V. invictissimus Catholicæ fidei Propugnator, ejus gymnasii fores primus occlusit. Carpocratistæ, & Gnostici Magiæ scholas introduxerunt, ubi horribilium, & perniciosorum conatus operum, assessores habentes dæmones, ut per multas præstigias in magna potestate omnibus dominentur, quibus vellent, incantationes ab iis inventæ ad amorem, & ad illectamenta, ut author verissimus Epiphanius scribit *tom.* 2. *lib.* 1. *contra hæres. hær.* 29. Marcus etiam, Valentiniani erroris sectator, Magus fuit, imposturæ peritissimus, qui decipiebat homines errore, & miscens Anaxilai ludicra, mulieres prophetari docebat, delibabatque cum illis junctus stupro, Irenæus *lib.* 4. *contra hæres. cap.* 8. *&* 9.

Consultatio XLI.

De Apostatis à Christiana Fide, ubi de iis effata insigniora, & in praxi magis frequentia.

Apostasia idem est, quod defectio, & Apostata idem, quod desertor, & transfuga, ut monuit Gottfrid. *in sum. num.* 1. *ex l. desertorem ff. de re milit.* Prævaricatorem latinè dici, qui Græcè Apostata appellatur, notavit S. Ambrosius *ser.* 15. *in psal.* 118. *vers.* 7. volens à discedendo dictum à Græcis Apostatam, qui recedit ab institutis, quæ inverat. Itaque vox Apostatæ plane Græca est, idem sonans, quam desertorem. S. Augustinus refugam nominat *lib.* 20. *civit. cap.* 19. quam vocem pro desertore usurpant quoque Hieronymus *q.* 2. *ad Algasiam*, & Chrysologus *serm.* 52. Quem autem Græci in prædicto sensu Apostatam vocant, Hebræi appellant *Belial*, ut ex D. Hieronymo *in cap.* 1. *Nahum*, & ex S. Chrysostomo *hom.* 13. *in.* 2. *Corinth.* ac perinde est quod eam vocem hebræam sonare volunt jugi excussionem. Nam qui refugit, recedit.

Apostatæ antonomasticè sunt ii, qui prorsus à Fide Christiana quam semel per baptismum acceperant, defecerunt, & lapsi sunt ad Judaïsmum, vel Paganismum, vel Mahumeti impietatem, *lib.* 4. *C. de apostat.* & in decretal *eod. tit.* Hi autem verè inter hæreticos connumerantur, ut per Canonistas *in cap.* 1. *de apostat.* D. Thom. 2. 2. *q.* 12. *ar.* 1. ibique Cajet. *q.* 10. *ar.* 5. Ocham. 1. *p. dialog. lib.* 4. *cap.* 12. Castr. *lib.* 1. *advers. hæres. cap.* 9. *& lib.* 1. *de just. hæret. punit.* Graf. *lib.* 2. *dec. cap.* 8. *num.* 23. Duard. *lib.* 2. *com. ad Bul. Cœn. can.* 1. *q.* 10. *sub initio*, Azor. *to.* 1. *lib.* 8. *cap.* 21. *q.* 3. Sanch. *lib.* 2. *in decal. cap.* 7. *num.* 16. Ricciul. *de jur. person. lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 2. Valent. 2. 2. *q.* 11. *disp.* 1. *pun.* 1. *not.* 1. Bann. *ibid. q.* 2. *num.* 9. *dub.* 1. Suarez *to.* 5. *in* 3. *p. disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 3. Bonac. *to.* 3. *dis.* 1. *q.* 2. *pun.* 1. *num.* 8. Pegna *in direct. Inquis. p.* 2. *com.* 24. *§. qui verò*, & Farinac. *de hæres. q.* 183. *§.* 2. Adversantur enim fidei, quam fuerant antea professi. Quod idem faciunt hæretici. Etenim tres sunt species infidelitatis. Paganismus, Judaïsmus, Hæresis. Aut igitur quis sub nomine christiano contradicit fidei quam antea est professus, & est hæreticus. Aut obsistit fidei, quam tenet in figuris, & umbris, & est Judæus. Aut resistit fidei, quam nunquàm suscepit, & est paganus. Non datur ergo alia species infidelitatis, in qua apostatæ possint reponi.

Et licet in eo differant Apostata, & Hæreticus, quod hoc nomine is qui ex parte, ille, qui ex toto, christianam fidem deserit, appellatur, *l.* 1. *& l. eum, qui C. de apost.* Unde moti, Apostatam non esse verè hæreticum, sentiere Sylvest. *in sum. v. hæresis* 1. *q.* 11. Canus *lib.* 12. *de loc. theol. cap.* 9. *col.* 3. Turrecr. *in sum. lib.* 4. *p.* 2. *cap.* 13. Simanch. *de cath. instit. tit.* 7. *n.* 15. Ugolin. *de censur. Pontifex reser. p.* 2. *cap.* 1. *§.* 1. Id tamen tantum arguit accidentale discrimen secundum magis, & minus, quod speciem non mutat, *arg. l. ult. ff. de fund. instr. l. humilem C. de incest. nupt.* Alter. *to.* 1. *de censur. lib.* 5. *disp.* 2. *cap.* 2. *col.* 10. Farinac. & Ricciul. *loc. cit.* optime inferentes, dispositionem pœnalem juris de hæreticis, competere etiam Apostatis, nisi aliud in eo expresse statuatur *arg. l. ult. C. de apostat.* Neque obstat primò quod hæretico, ad fidem redeunti, parcitur, apostatæ vero crimen nulla pœnitentia obliteratur *l.* 3. *C. de apostat. l. Manicheos C. de hæret.* utrobique Doctores, Afflict. *in constit. Reg. tit. de apostat. Arelaten. not.* 44.

Et secundo, quod adversus defunctos hæreticos etiam usque ad trigesimum annum agi potest, ut eorum memoria damnetur, fiatque bonorum proscriptio, *d. l. Manicheos, C. de hæret. l. quisquis C. ad leg. Jul. Majest.* Alberic. *in l.* 1. *l.* 2 *C. eod.* Bald. *de præscript. p.* 5. *princ. n.* 4. & Grammat. *dec.* 105. *n.* 22. At verò contra apostatum, licet jus accusandi tandiù duret, quandiu vivit, post mortem tamen quinquennii dissimulatione aboletur *d. l.* 2. *& l. apostatarum C. de apost.* Anan. *in cap.* 1. *n.* 2. *eod* Afflict. *loc. cit.* ac fusè Royas *de hæret. p.* 1. *num.* 495. Farinac. *quæst crim. to.* 1. *q.* 10. *n.* 29.

Nam ad primum respondetur, non rectè argui ex hac differentia. Nam in jure non est insolens, ut terminus aliquis duo complectatur, quorum alter altero plus contineat, diversumque nomen habeat. Sic nomen adoptionis dividitur in arrogationem, & adoptionem specificam *l.* 3. *ff. de adop. §. adoptio Instit. eod.* Et licet arrogatio habeat plus aliquid, quàm adoptio, *l. cum. in adoptivis C. de. adopt. §. sed hodie, Instit. eod.* nihilominus tam arrogatio, quam adoptio specifica continetur in lato adoptionis vocabulo *d. §. adoptio Inst. de adopt.* Sic quoque cognationis verbo continetur cognatio specifica, & agnatio *l. sunt autem ff. de legit. agnat. tutel. §. sunt autem*, ubi Glossa id expresse tradit *v. cognati Instit. eod.* & *in §. sunt autem Instit. de legit. agnat. succes.* Quamvis autem plus operetur agnatio, quam cognatio, ut *in princ. tit. Instit. de legit. agnat. succes.* attamen tam agnatio, quam cognatio specifica continetur sub largo vocabulo cognationis *d. §. sunt autem.* Unde ad rem.

Est quidem plus sceleris in apostasia, quàm in hæresi, & idcirco, aliquæ inter eas sunt differentiæ, at non ideo apostasia constituit speciem ab hæresi diversam ex dictis. Quod autem longius duret facultas inquirendi adversus hæreticum defunctum, quam adversus apostatam, valde juri, ac rationi congruit. Cum enim hæreticus non in omnibus, sed in uno, vel pluribus articulis erret, impietatem suam facilius tegit sub nomine christiano, & iccirco ad eam detegendam longiori spatio opus erat. Occulta enim non ita facile sciri possunt *l.* 1. *§. ovitorum*, ubi Bart. *ff. ad Sillan. glos. in l. si ideo, de his, qui ut indign. Alex. cons.* 24. *nu.* 9. *lib.* 2. At cum apostata prorsus fidem deserat, si talis quispiam sit, quinquennio facile potest cognosci, cùm hoc tempus in aliis criminibus vindicandis sit præscriptum, *§. fin. instit. de injur.*

Ad secundum. Accursius Afflict. & Arelat. *loc. cit.* asserunt, dispositionem *d. l.* 3. *C. de apost.* vendicare sibi locum duntaxat, quoad pœnam corporis afflictivam, non autem in foro conscientiæ, & quoad Deum, apud quem nunquam sera pœnitentia reputatur adeo, ut hæretico redeunti indulgeatur in utroque foro, apostatæ verò tantum in foro conscientiæ. At verò Castrius *de just. hæret. pun. lib.* 2. *cap.* 23. & post ipsum Villadieg. *de hæret. q.* 5. Simanch. *de Cath. instit. tit.* 7. *num.* 4. Locat. *in repert. Inquis. v. Apostata*, Menoch. *de arb. cas.* 546. *num.* 18. *& seq.* ubi alios refert, pluribus laborant, ut demonstrent, esse derogatum dispositioni dictæ *l.* 3. tum ex autoritate juris Pontificii, tum ex usu forensi, atque ex sententia communi ita, quod illa posset ac deberet ex corpore juris aboleri, ac inter iniquas constitutiones rejici. Quibus accedit Royas *de hæret. d. p.* 1. *nu.* 496. *& seq.* Ducuntur hac ratione, quia de jure Canonico apostatis redeuntibus, non solum indulgetur, sed etiam ii ad redeundum compelluntur, *cap. quidam de apost. cap. contra christianos de hæret. in* 6. & cum versemur in crimine Ecclesiastico, dispositio juris Pontificii debet attendi, non autem juris civilis, *cap. ut Inquisitionis §. prohibemus de hæret. in* 6. *Glos. in cap. possessor de reg. jur. & in §. hactenus justit. de grad. affin.* Bart. *in l. privilegia. C. de sacros. Eccles.* Bald. *ibid. num.* 3. Abb. *in cap. fin. de secund. nupt. & in cap. fin. de præscript.* Felin. *in cap.* 2. *num.* 3. *de test. & in cap. Ecclesia S. Mariæ num.* 42. *de constit.* Verum quod *in d. l.* 3. *C. de apost.* nihil contineatur, quod Sacris Canonibus adversetur placet asserere. Non enim ille textus excludit pœnitentiam ita, ut apostatæ redeuntes sint omnino vita mulctandi, sed tantum excludit pœnitentiam quoad alias pœnas, de quibus ibi, nempe quod ab hominum consortio sint segregati, à testimoniis ferendis alieni, testamenti non habeant factionem, nulli in

in hæreditate ſuccedant, à nemine ſcribantur hæredes. In iſtis quidem pœnis pœnitentiam prorſus excludit, non autem in pœna mortis, de qua nihil omnino agit. Hinc apoſtatæ ad fidem redeunti, non ſolum ex jure Canonico, ſed etiam ex jure Civili, pœnam mortis remitti. Reliquis vero pœnis jus civile id addit, nimirum aufert teſtamenti factionem, & jus ferendi teſtimonium, in quibus remiſſionem non indulget; Atque ita *d. l.* 3. interpretatur Riminal. jun. *lib.* 2. *conſ. crim. conſ.* 83. *num.* 20.

Hinc hujus apoſtaſiæ germana eſt hæreſis, quamvis hæretici pro more falſarum Religionum, de quo S. Chryſoſtomus *orat. de Petro & Elia*, ante occupent probrum & revenientes ad fidem Catholicam vocent Apoſtatas; quod Balduinus in 2. *contra Calvinum reſpons. à pag.* 74. fuſe repellit. S. Anacletus Papa *ep.* 1. allegans Canonem Apoſtolicum 74. quo hæretici adverſus Epiſcopum accuſatio reiicitur, vocat Apoſtatam, quem Canon vocarat hæreticum, ut notavit Turrianus *lib.* 1. *contra Magdeburg. cap.* 22. Et ſane cùm hæreſis ne micam quidem fidei ſupernaturalis retineat, merito germana infidelitatis plenariæ appellatur, quamvis quia nomine tenus aliquid Chriſtiani retinet, ſoleat ſejungi.

Quamobrem formalis ratio apoſtaſiæ, ut in ſe conſtituitur, eſt totalis à fide Chriſtiana receſſus ita, ut ſit in rigore apoſtata, qui fide, & ritu Chriſtiano in totum relictis, nullam adhuc ſectam amplexatus ſit. Annexum autem, ſeu velimus dicere, materiale, eſt acceſſio ad illam ſectam, quæ Chriſtiano nomine non gaudet, ut Paganiſmus, Judaïſmus, Turciſmus, Valentia, Bannes, & Sanchez *loc. alleg.*

Ex quibus liquet, hæreticum ſimul Apoſtatam ex Bulla Cœnæ non affici cenſuris duabus; una tanquam hæreticum, altera tanquam apoſtatam, ut per Ugolin. *cit.* §. 1. Duard. *q.* 10. *numer.* 1. Farinac. §. 4. *in fine.* Circumſtantia tamen apoſtaſiæ, & ipſa converſio ad particularem ſectam, in confeſſione detegenda eſt, ut pote quæ crimen ſimplicis hæreſis notabiliter aggravat, & deformat, D. Thom. 2. 2. *q.* 12. *ar.* 1. *ad* 3. Alter. *cit. col.* 10. & cum pluribus à ſe citatis Sanchez *numer.* 17. Unde diſpoſitio juris, augens pœnas apoſtaſiæ ſupra pœnas ſimplicis hæreſis non eſt intelligenda de ſimplicibus hæreticis, qualis eſt in ſpecie *d. lex* 3. *C. de apoſtat.* Et tamen, hoc minime obſtante, crediderim conceſſam facultatem abſolvendi ab hæreſi, etiam ad apoſtaſiam. Nam apoſtaſiæ eſſentialior deformitas conſiſtit in hæreſi, neque apoſtatæ, tanquam diverſi, excommunicantur.

Non ſunt autem ex apoſtatis, in d. Bulla Cœnæ excommunicatis, niſi qui ſimul per interiorem errorem, & exteriorem infidelitatis actum retrocedunt à fide, ut de hæreticis explicavimus.

Quare idolis ſacrificantes, aut juxta Mahumeticam impietatem, falſi prophetæ, venerantes ſepulchrum, cultumve exhibentes dæmoni, aut cum eo abjuratione fidei paciſcentes, vel detentione ejuſdem in phiala, aut alio ſimili dæmonum famulatu utentes, quorum aliqui à D. Thoma *d. q.* 12. *ar.* 1. cœteri paſſim ab aliis appellantur Apoſtatæ, non ſunt ex ſolis hiſce actibus revera tales, ſed qui in foro exteriori tales ab Eccleſia præſumuntur; In ſpecie detinentes in phiala ſpiritus in antiquis Cœnæ Bullis exprimebantur, teſte Graffio *eodem lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 12. nunc verò inde ſublati ſunt.

Ad hoc igitur, ut quis vere ſit apoſtata à chriſtiana fide, duo copulative requiruntur. Quod receſſerit à fide Chriſti, & quod receſſus ſit omnimodus, prout etiam probat textus *in can. Julianus* 11. *q.* 3. & Alberic. *in l. ſiquis de facto numer.* 2. *C. de apoſtat.* Unde licet Chriſtianus recedat à pluribus articulis fidei, ſi tamen in reliquis adhuc retineat fidem & nomen chriſtianum, non erit cenſendus apoſtata, ſed hæreticus, D. Auguſtin. *de civit. lib.* 18. *cap.* 51. *& lib.* 16. *cap.* 2. & Canus *de loc Theol. d. lib.* 12. *cap.* 9. Quod etiam probat textus *in can. non poteſt* 2. *q.* 7. & *in can. Beatus* 7. *q.* 4. *can. non obſervetis* 16. *q. ult. d. cap. contra Chriſtianos de hæret. in* 6. *& in d. l.* 1. *C. de apoſtat.* Caret. *de hæret.* §. *circa ſecundum numer.* 73. Simanch. *de cath. inſt. cap.* 7. cum aliis, quos refert ac ſequitur Royas *de hæret. d. p.* 1. *num.* 486.

An verò qui ab improba ſecta ad aliam improbam ſe transtulerit, ut è Judaïſmo ad Paganiſmum, apoſtata dici poſſit, negat Oldrad. *conſ.* 51. & Alciat. *conſ.* 478. quibus aſſentitur *Clar. in pr. tr.* §. *fin. q.* 7. *numer.* 4. Alberic. *in rub. C. de judic. numer.* 3. & Campeg. *de dote q.* 77. Cum enim Chriſtianæ militiæ nunquam nomen dederit, nulla ratio eſt, ob quam poſſit ejus deſertor reputari, *arg. l.* 4. §. *idemque*, *ff. de re milit. & l. Deum ff. de verb. oblig. l. manumiſſiones*, *ff. de juſt. & jur.* Jo. Andreas, Ananias, & Romanus apud Carenam *p.* 2. *tit.* 14. *numer.* 16. Hac in re ita tenendum eſt. Si Judæus transeat ad aliam ſectam infidelium, ut ad Saracenos, qui quidem multa non credunt ex illis, quæ Judæi nobiſcum communiter credunt, licet non ſit verè apoſtata, puniri tamen poteſt per Inquiſitores. Quia in his, quæ nobiſcum ſunt communia, deficiunt à fide. Ita Eym. *p.* 2. Campeg. *ad Zanchin. cap.* 36. Decian. *lib.* 5. *cap.* 12. *numer.* 34. Caren. *ibid.* Delben. *dub.* 207. *p.* 4. Farinac. *de hæreſ. q.* 178. ſecus autem dicendum eſt, ſi Judæus tranſiret ad ſectam, quæ circa præfata nobiſcum communia non erraret. De quo etiam alibi.

De baptizato autem invalide, ſi ad veterem ſectam redierit, an ſit verus Apoſtata dicendus, alibi à nobis eſt diſceptatum contra Ricciullum *d. lib.* 6. *de jur. perſon. cap.* 3.

At quid de coacte, vel per vim ac metum abnegante fidem catholicam, vel Idolis ſacrificante, ſi corde tamen fidelis ſit, an poſſit reputari Apoſtata? Certum eſt, non ſufficere chriſtiano catholico ſinceram fidei credulitatem, ſed etiam requiri ejuſdem fidei confeſſionem explicitam, ut per D. Thom. 2. 2. *q.* 3. *ar.* 2. Iſid *de ſum. bono lib.* 2. *cap.* 2. Eymer. *in direct. p.* 1. *q.* 9. *numer.* 3. ibique Pegna *com.* 24. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 17. late Sanchez *in decal. lib.* 2. *cap.* 4. & nos alibi fuſius. Hoc poſito, ita diſtinguendum eſt.

Si coactio eſt præciſa, ſive abſoluta, nempe quia renitens, & ligatus circumciditur, vel ejus genua flectuntur ab alio ante Idola, vel ejus manus fuerunt comprehenſæ, ut thus Idolo adhibeat, in hoc caſu neque apoſtata poteſt reputari, neque peccat, *cap. majores* §. *ille verò de baptiſm. can. præterea d.* 50. *can. conſtat* 1. *q.* 1. Gloſ. *in cap. de judic. v. coacti d.* 45. Albertin. *de hæret. q.* 30. *numer.* 7. Simanch. *de cath. inſtit tit.* 17. *numer.* 29. Pegna *in direct. p.* 1. *com.* 2. Nam in tali caſu coactus dicitur magis pati, quàm agere, ut inquit textus *in cap. ſacris, de his, quæ vi, metuſve cauſ. fiunt*, & propterea pœnam pati non debet, *l. fœdiſſimam*, ubi Bald. & Salic. *C. ad. leg. Jul. de adult.* Gloſ. *in can. ita ne* 32. *q.* 5. *ex* D. Auguſtino.

Si verò coactio non eſt præciſa, ſed conditionalis, nempe quia datur electio moriendi, ſeu patiendi tormenta, vel fidem abnegandi aut Idolis ſacrificandi, quantum ad eſſentiam neque apoſtata, neque hæreticus poteſt reputari. Quia, cum corde credat, non adeſt error pertinax qui ipſum ſeparare poſſit à communione fidelium, *can. primum* 22. *q.* 2. Gloſ. *in can. non ſolum* 85. *v. negare* 11. *q.* 3. *in d. can. ita ne, v. putaverit*, & tradunt Calder. *cons.* 4. *de hæret.* Afflict. *in conſtit. Reg. de hæret cap.* 1. *numer.* 9. Albertin. *de hæret. q.* 30. *numer.* 6. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 17. *numer.* 29. *&* 35. *ac ſeq.* D. Antonin. *in ſum. p.* 2. *tit.* 12. *cap.* 6. Royas *de hæret.*

ret. p. 1. num. 48. Clar. in §. hæresis num. 3. Decian. d. lib. 5. ca. 18. numer. 13. & 28. Pegna ad Eymer. p. 1. com. 24. Menoch. de. arb. cent. 6. cas. 546. numer. 22. Graff. d. lib. 2. dec. cap. 8. rubr. de hæret. numer. 30. & de communi testatur Bannes 2. 2. q. 11. ar. 4. Valentia ibid. q. 12. ar. 1. Azor. p. 1. lib. 8. cap. 9. q. 9. & 10. Sanchez d. lib. 2. in decal. cap. 7. numer. 8. subdens ab hoc peccato posse absolvere quemlibet confessarium.

Fatentur tamen omnes, quod hic peccat mortaliter. Tum quia vitam magis profundere, quam ad hoc adduci debuit d. cap. sacris de his, quæ vi, metusve caus. Tum etiam quia, licet coacte neget, negare tamen dicitur. Nam voluntas coacta, voluntas est, d. cap. majores §. fin. de bapt. de cap. sacris, l. si mulier §. qui metu ff. quod met. caus. l. si patre cogente ff. de rit. nupt. Et quamvis nolit negare Christum, vult tamen magis illud, per quod negat, quam illud, quod negat, can. merito 15. q. 1. Glos. in cit. can. non solum v. negare 11. q. 1.

Quoniam verò animus latet, & Ecclesia non judicat de occultis cap. 1. de claud. despons. merito in foro exteriori asserens se Christum negasse per vim, sive metum, redditur suspectus de vehementi, vel de levi, perpensis conjecturis personarum, de quibus alibi, ut post alios recte concludunt Gerson. in tr. de protestat. consid. 29. Pegna d. com. 24. Azor. d. lib. 8. cap. 9. q. 9. in fine. Eritque de vehementi suspectus, si vi, vel metu cessante, nihilominus in negatione fidei, sive Idolorum adoratione perseveravit. Quia diuturna continuatio demonstrat actum ex corde processisse, cap. fin. de frig. & malef. l. 2. C. de his, quæ vi, metus caus. Item si persona sit gravis, ut si Prælatus, Parochus, Theologus, Monachus ac hujusmodi alii, & vis, vel metus non fuerit mortis, vel tormentorum, sed famæ, vel exilii, verberationis, carceris, famis, vel alterius generis non cadentis in constantem virum, suspicio est ita vehemens, ut merito indici eis possit abjuratio, ut per Pegnam d. com. 24. & similiter si metus fuerit reverentialis, Repert. Inquis. v. filii num. 2. quod approbat Farinac. de hæres. q. 183. num. 27.

De levi autem erit suspectus, si negatio fuerit facta à personis non bene fidei causam callentibus, & quæ verisimiliter scire non poterant, quam grave delictum sit negare fidem, cujusmodi sunt pueri, mulieres, rustici, aliique, quos minor metus avertit, Pegna, Simanchas, & cæteri loc. cit. Diluetque omnem suspicionem hæresis, vel apostasiæ, si statim, vi, vel metu cessante, doluerit, ac pœnitentiam egerit, Simanch. loc. alleg. nu. 37. Pegna. d. com. 14. Azor de cap. 9. q. ult. De pœnis Apostatarum actum est suo loco.

Effata de Apostatis à fide christiana hæc habeo. Apostata ad sectam Mahumetanam, sponte comparens, expeditur cum pœnitentiis salutaribus, & si eit Regularis, inhabilitatur ad dignitates suæ Religionis.

Apostatæ formales non sunt ii, qui capti à Turcis in infantia, nullam potuerint habere instructionem rerum fidei necessariarum, licet fateantur credidisse sectam Mahumetanam esse bonam, & secundum eam viventes salvari. Ideoque non abiurant, sed expediuntur cum professione fidei, absolutione à censuris ad cautelam, & cum instructione.

Apostatis à fide, volentibus ad fidem catholicam redire, nihil pollicetur, sed tantum suadentur ad comparendum, quia tractabuntur, uti sponte comparentes, & cum benignitate.

Apostata à fide christiana captus à triremibus christianis, non conceditur Turcis, volentibus illum redimere.

Apostatæ à fide, capti à triremibus christianis, & reconciliati, remanent post reconciliationem liberi, si capti fuerint in puerili ætate. Secus verò si defecerint à fide in majori ætate. Hoc enim casu si compareant sponte, reconciliantur, sed non acquirunt libertatem.

Apostatarum filii sunt baptizandi etiam invitis parentibus, sive nati sint ante apostasiam, sive post illam, & inviti, etiam ad fidem sunt trahendi, can. plerique, & can. si baptizata de consecr. d. 4. & can. Judæorum 28. q. 1.

Apostatæ à fide, capti in bello, etiam contra Christianos, non sunt permittendi, ut possint redimi à Turcis ita, ut libere sectam Mahumetanam profiteantur, nec simpliciter sunt tenendi captivi, sed contra illos proceditur, & si velint, reconciliantur, ac restituuntur suis dominis. Si verò nolint, tractantur ut hæretici impœnitentes, & pertinaces.

Apostatæ à fide, qui in minori ætate apostatarunt à fide, & piraticam coacti contra Christianos exercuerunt, post abjurationem, prout de jure, libertati donantur.

Apostatæ à fide existentes in triremibus Turcarum, piraticam exercentes, capti à triremibus Christianorum cum aliis Turcis, non comprehenduntur in redemptione captivorum, quam interdum concedunt Turcis, Domini triremium, sed debent abjurare apostasiam, & remanere in captivitate, nisi quando fuerunt capti à Turcis, & abnegarunt, fuerint infantes, & minores.

Apostatæ formales à Christiana fide, capti damnantur à S. Officio ad carceres perpetuos, & ob penuriam carcerum commutatur pœna in triremes perpetuò, non ad tempus, licet post aliquod tempus, si instructi exhibeant signa pœnitentiæ, poterit eis cum participatione S. Congregationis fieri aliqua gratia. Illi vero, qui non sunt apostatæ formales, sed vixerunt more Turcarum, quatenus non fuerint capti in minori ætate ac minis, & tormentis hoc fecerint, si majores facti capiantur, dum piraticam contra Christianos exercent, remanent in captivitate, & condemnantur ad triremes ad tempus, & si pœna commutetur in carcerem, semper commutatur ad minus tempus.

Apostatæ à fide, redeuntes non tenentur abjurare publice coram infidelibus, sed sufficit, ut abjurent in balneo coram fidelibus, abstinendo ab actibus infidelium, ac deponendo habitum infidelium, quatenus sit protestativus falsæ religionis. Si verò sit æquivocus, possunt illum deferre, Quod si ex illa delatione ratione personæ aliqua oriretur suspicio, tenentur aufugere, cum primum poterint.

Apostata censetur iterans baptismum. Nam, ut inquit Abbas in rubr. de apost. videtur à priore baptismate recedere, Canonistæ in rubr. de apostat. & iter. baptism. & Juristæ in l. 1. eod. tit. ne sanct. baptis. iter. Pegn. in 1. p. direct. com. 13. & Farinac. d. q. 183. num. 18. ubi alii.

Apostata item dicitur quoad Ecclesiam, & in foro exteriori etiam quod in animo retineret fidem catholicam, atque adeo non esset verè hæreticus, qui proficiscitur ad Saracenos, sive Turcas ex desperatione, vel ex libidine, ibique servat ritus Saracenorum Sylvest. v. Apostata numer. 4. & Farinac. loc. cit. num. 22.

Apostata existimatur, ac ut apostata puniendus, qui persuadet alicui defectionem à fide, l. Eum, qui C. de apost. Idemque dicendum est de eo, qui impedit, ne Judæus volens baptizetur, Farinac. ibid. numer. 21.

Consultatio XLII.

De Schismaticis, ubi refellitur obiter fabella Joannæ Papissæ. Perpenditur gravitas & virulentia hujus criminis, recensentur schismata omnia ad hoc usque ævum, cum paræneſi ad obedientiam erga summum Pontificem Romanum.

Schismatici hæreticis affines, & iis aliquando deteriores, ultimo loco in *Bull. cœn. can.* 1. *hæresis* excommunicationem claudunt. Quod enim Ecclesiam, vestem Christi inconsutilem scindere, ac dividere attentent, jure ab Ecclesiæ communione, à qua factis se separant, per sententiam erant proscindendi, licet in dicta Bulla Cœnæ ante B. Pium V. per aliquod temporis non exprimerentur, teste Alterio *to.* 1. *de cens. lib.* 5. *disp.* 2. *cap.* 4. *col* 2. Apte autem eo loco fit, quia omnis schismaticus est suspectus de hæresi. schisma enim via est ad hæresim, sicuti amissio charitatis ad amissionem fidei, ut per D. Thomam 2.2. *q.* 39. *ar.* 1. *ad.* 3. Quamobrem abjurans schisma tenetur etiam suspicionem hæresis abjurare, Pegna *in direct. Inquis. p.* 2. *q.* 48. *com.* 73. Farinac. *de hæres. q.* 184. Duard. *com. in Bul. cœn. lib.* 2. *can.* 1. *q.* 56. *numer.* 12. Immo ex constitutione Pauli IV. *Cum ex apostolatus*, edita anno 1558. tam schismatici, quam schisma excitantes, habentur pro relapsis, perinde ac si prius hæresim in judicio publicè abjurasent, tanquam hæretici omnibus beneficiis, ac officiis & honoribus privantur, & ad ea redduntur inhabiles, aliisque afficiuntur pœnis ex juribus, de quibus Sylvester 11. *schismaticus* §. 4. & 5. Turrecrem. *in sum. lib.* 4. *cap.* 14. & 15. Azor *instit. moral. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 20. Sanchez *in decal. lib.* 2. *cap.* 36. *an.* 20. Duard. *loc. cit. an.* 13. & Farinac. *ibidem.*

Schisma nos partimur in improprium, proprium, & antonomasticum. Impropriè schismatici denominantur plures. Primùm hæretici omnes *can. inter hæresim* 24. *q.* 3 Hi siquidem ab unitate fidei, & Ecclesiæ se subtrahunt. Et in hoc sensu communiter dictum illud assumitur, omnes hæreticos esse etiam schismaticos, quamvis non sint de iis, qui errent in articulo *Unam sanctam Ecclesiam*, aut *in Primatu Pontificis*. Deinde etiam excommunicati, quatenus à Sacramentorum perceptione, vel hominum communione sunt sejuncti. Ita *in can. Sacerdotes* 1. *q.* 1. *can. cum excommunicatio* 11. *q.* 3. & *can. Apostolicæ* 24. *q.* 4. Quinetiam homines mortalis criminis rei, quia à charitate dividuntur, schismatici nuncupantur, ut colligitur ex *can. audi* 11. *q.* 3. Rursus ii, qui ab obedientia proprii Episcopi se subtrahunt, aliosque subvertunt aut Episcopi autoritatem usurpant *ex can. scire debes*, & *can. Novatianus* 7. *q.* 2. Doctores *ad cap.* 1. *de schism.* ac Brunus *de haret. cap.* 16. *prope finem*, Ii tandem, qui sine pertinacia Pontificem non verum sequuntur, ac ii, qui se pro Pontificibus habent, cùm non sint, Glossa & Doctores *in Clem.* 1. *de jurejur.* Brun. ibid ac Ricciul. *de jur. personar. lib.* 9. *cap. in fine*, Proprium schisma ex receptissima D. Thomæ *loc. cit.* definitione est, Disjunctio, per quam quis se ab unitate Ecclesiæ separat, in quantum est *quoddam corpus mysticum ex universis fidelibus, & Romano Pontifice, tanquam capite constans.* Schisma denique per antonomasiam dicitur, cùm, vero Pontifice relicto, alter cum pertinacia superinducitur, de quo infra.

At si in schismate, quod proprium appellavimus, adsit error in intellectu, aut quod non detur visibile Ecclesiæ caput, aut quod hoc non sit Romanus Pontifex, & ille, qui legitime creditur Pontificatus successor, aut quod ei obediendum non sit, aut tandem quod non detur una Ecclesiæ collectio, additur schismati hæresis, & probabile est, ex hoc duplicem excommunicationem contrahi, alteram ex hæresi intellectus, alteram ex rebellione voluntatis, renuentis obedire, quod tunc fiet, quando quis primò simpliciter inobediens, errori deinde eligit assentiri; secus enim si rebellio ab Ecclesia, vel à Capite, ex errore ortum ducat, unica contrahetur censura; nimirum ex hæresi, cui malitia inobedientiæ adscribitur, nec habetur tanquam distincta.

Quapropter purum, ac nudum schisma tunc erit, quando quis non recedendo ab unitate fidei, subtrahit se tamen, ut nolit esse membrum Ecclesiæ, vel renuat legitimo Pontifici, tanquam Capiti subesse ex rebellione voluntatis, dum tamen creditur, ac tenetur in verum Pontificem, D. Thomas *loc. alleg.* August. Triumph. *de potest. Eccles. q.* 25. *ar.* 1. Turrecrem. *lib.* 4. *cap.* 1. Eymeric. *in direct. p.* 2. *q.* 48. Graff. *lib.* 4. *dec. in explic. Bull. Cœn. nu.* 53. Simanch. *de Cath. instit. tit.* 49. *num.* 1. Gambarupt. *de casib. reser. ad cap.* 1. *Bull. Cœn. nu.* 39. Duard. *ibid. n.* 4. Ricciul. & Sanchez *locis allegatis.*

Unde liquet, quod licet omnis hæreticus dicatur schismaticus, non tamen è contra, omnis schismaticus dicendus sit hæreticus. Quia ad hæresim constituendam non sufficit facto detrectare Pontificis imperium, nisi simul intellectu negetur. Et ita asserit Glossa *in d. can. inter hæresim* 24. *q.* 3. Cajetan. *in sum. v. schisma*, aliique passim.

Schisma verò antonomasticum tunc erit præcise schisma sine admixtione hæresis, quando alter, tanquam Pontifex superinducitur absque errore, quod credatur, Ecclesiæ Caput posse esse multiplex, aut quod recusetur mente recipi in Pontificem ille, qui est legtime renuntiatus, & pro tali communiter receptus, de quo infra.

Nec existimet, aliquis quod quia simplices schismatici non habent internum aliquem intellectus errorem, ideo non sint excõmunicati, sicuti hujus defectu non excommunicantur hæretici. Nam hæresis ex sui natura in intellectu consistit, schisma in sola voluntate ex D. Thoma superius citato. Separatio autem à capite ex voluntate inobediendi sufficienter externo actu completur, ac proditur. Unde nil aliud requiritur, ut per Suarez *de censur. disp.* 21. *q.* 2. *nu.* 13. Sous. *in relect. ad Bul. Cœn. disp.* 18. *nu.* 5. Sanch. *d. cap.* 36. *num.* 14. & Duard. *num.* 13. Quare concedendum est tantum, solam voluntatis rebellionem non inducere excommunicationem, nisi aliquo externo signo manifestatam, prout de hæresi diximus.

Cùm autem ex D. Thoma Ecclesiæ unitas in duobus consistat, in unione scilicet membrorum inter se, & in conjunctione ad idem caput, fit inde, ut duplici modo accidat schisma. Uno, quo quis adhærendo Pontifici, nolit tamen inter alios fideles connumerari, sed à semetipso sperare, credere, orare, &c. cum cœteris non communicando in bonis actionibus. Altero, quo quis communitatem Ecclesiæ non deserens, renuat esse sub Capite, quod est summus Pontifex. Ita explicant *Cajetan. d. v. schisma*, Petrus de Ledesma *to.* 2. *sum. tr.* 3. *cap.* 12. *concl.* 3. Valentia 2. 2. *disp.* 3. *q.* 15. *pun.* 1. *post* 3. *propos.* Sanch. *ibid. num.* 5. & Ricciul. *d. cap.* 1. *v.* 10. Quibus & tertium adde, quo quis à membris simul, & à Capite se subtrahit, licet alterum sine altero vix esse possit. Quia sperans se ab aliis membris, separat consequenter à corpore. Caput autem non est, nisi corporis, ac membrorum unitorum, non vero partis abscissæ. Recedens verò à Capite, subtrahitur etiam à corpore. Quia si in eo esset, necessariò sub Capite esset. Quocunque autem ex his modo schisma fiat, excommunicatio inducitur. Quia semper est proprie schisma.

Schismatici etiam dicuntur, & excommunicantur, qui à generali Concilio Pontificis autoritate congregato, recedunt. Id siquidem est, ab ipso Pontifice recedere; non verò qui à Concilio Provinciali, aut Nationali; nam à capite non desciscunt.

Qua ratione removentem se ab obedientia unius Epis-

Episcopi. aut Ecclesiæ particularis, aliosque subvertentem a subjectione, legitimo Pastori debita, dissensionesque excitantem, ac veri Pastoris sedem, jurisdictionemque sibi præripientem, non esse schismaticum juxta dicta, neque innodari Censura Bullæ cœnæ, ut etiam tradunt Ugolin. *in d. can. Bullæ nu.* 3. Azor. *cit. cap.* 20. *q.* 4. Sanch. *nu.* 6. & 13. Duard. *nu.* 5. quibus favent Ostiensis, Abbas, Ananias, & Soccinus *in rubr. de schismat.* Quamvis, quia unitatem Ecclesiæ aliquo modo perturbat, & concordiam scindit, dicatur, aliquo modo schismaticus *ex d. can. Novatianus, can. sive debes* 7. *q.* 2. & tradunt Butrius, ac Doctores *in cap.* 1. *de schismat.*

Unde non erat, cur Valentia *loc. cit.* & Lorca 2. 2. *q.* 39. *ar.* 4. *disp.* 48. *num.* 11. eum inter veros schismaticos reponerent, ea ratione ducti quod hic tacite, ac virtute à Summo etiam Pontifici reliquisque Ecclesiæ membris se separet, quatenus quilibet Episcopus, ejusque subditi habent subordinationem, & connexionem cum Pontifice & aliis Ecclesiæ partibus, tanquam cum Capite, & reliquis cum ejusdem corporis membris.

Nam iis respondetur, quod, accedente eo animo actuali, non enim in his sufficiunt habituales dispositiones, fatendum est, induci verum schisma per hoc solum, quod quis particulari Episcopo fiat rebellis; non intelligitur adhuc, se à corpore vel capite totius Ecclesiæ subtrahere, quod tamen ad verum schisma est necessarium ex D. Thoma, & aliis communiter. Porrò si iste rebellet, quia credat, plures esse posse Ecclesias, & capita sine subordinatione ad Romanum Pontificem, qui reliquos Episcopos constituit, est schismaticus simul & hæreticus. Quia negat unitatem Ecclesiæ, & Primatum Romanæ contra extravagantem Unam Sanctam, *de major. & obed.* & docent Turrecr. *loc. cit. cap.* 16. Conrad. Brun. *lib.* 1. *de hæret. cap.* 16. Ugolin. *ubi supra*, & Graffius *num.* 51. & 52.

Hinc patet, cur excommunicati, licet dicantur ab Ecclesia separati, nec communi membrorum vita gaudere, non sint tamen schismatici. Quia nimirum non penitus è corpore Ecclesiæ sunt abscissi per voluntariam separationem, sed per pœnam injunctam vigore excommunicationis, & fructibus communium bonorum non sublevantur. Illi vero, qui specialiter à Pontifice excommunicantur, licet inobedientes sint, & contumaces, non tamen habent rebellionem schismatis. Quia inobedientia hæc est communis omni transgressioni præceptorum, nec est per se intenta à peccante, sed indirecte consequitur, ut egregie Sousa *loc. cit. num.* 7.

Constat etiam, rebellantem Pontifici, renuentemque obedire ei, ut dominus est temporalis suæ ditionis, sententiamque in temporalibus profert, non esse schismaticum, nec dicto Canone Bullæ Cœnæ alligatum. Quia non est rebellis à capite Ecclesiæ ut tali. Siquidem Pontifex, ut temporalis dominus instar aliorum Principum est habendus per Navar. *de datis pro justit. vel grat. notab.* 17. *n.* 29. facitque *cap. per venerabilem* §. *rationibus, qui fil. sint legitim.* & ita sentiunt Ugolin. *loc. cit.* §. 1. *nu.* 4. Ricciul. *ibid. n.* 12. & Sanch. *n.* 4. Quæ tamen Pontifex in temporalibus, quatenus Pontifex est, statuit ad publicum, & spirituale Ecclesiæ bonum ea ordinans, servanda sunt, & ex hujusmodi inobedientia induci potest schisma. Quemadmodum etiam induci potest, si rebellio ab eo, tanquam domino temporali sit eo, quod renuatur, eum pro Petri legitimo successore haberi, & per consequens pro temporalis Ecclesiæ dominii justo possessore.

Similiter est à censura immunis, qui ab aliorum consortio, ut homines sunt, & civilem quandam societatem constituunt, semet segregat, non quatenus Papæ subjecti sunt, & quatenus Ecclesiæ pars spiritualem Rempublicam instituunt, Sylvest. *d. v. schisma*, Valentia *ci. pun.* 1. Azor, & Sanchez *locis relatis.*

Gravis controversia est, an ex dicto canone Bullæ Cœnæ excommunicentur etiam pertinaciter inobedientes Summo Pontifici in aliquibus tantum, licet alioquin eum cognoscant, tanquam Superiorem, & Caput, in his verò, etsi qua Pontifex est, præcipiat, obtẽperare nolint?

Siquidem Sanchez *d. lib.* 2. *in decal. cap.* 36. *nu.* 3. & 13. Ugolin. *d.* §. 1. *n.* 4. Duard. *sub n.* 16. Graff. *nu.* 53. Alter. *col. ult.* Suar. *nu.* 13. Filiuc. *to.* 1. *tr.* 16. *cap.* 2. *nu.* 48. videntur asserere, inobedientiam in una, aut altera re, non esse sufficientem ad præsentem censuram contrahendam, sed requiri, ut universaliter renuatur Pontifex in Superiorem, & Caput agnosci, in hoc enim, inquiunt, verum schisma consistit. Ideo in Bulla B. Pii V. anni 1568. non exprimebantur distincte schismatici, sed describebantur illis verbis, *Qui se à Romani Pontificis obedientia subtrahunt.* Unde Ugolinus, Sanchez, & Duardus ajunt, inobedientem Pontifici ex motivo privatæ inimicitiæ, aut quia personam Romani Pontificis sibi infestam putet, non alligari hoc vinculo. Quod extendit Duardus, etiamsi per contemptum Pontificis imperium detrectet, ac subterfugiat. Quapropter nullum inobedientem, qui simul etiam non sit proprie schismaticus censuræ huic subiiciunt.

Hac in re in primis necessariò fatendum videtur, si nomine schismaticorum comprehenduntur ii tantum qui in nullo Pontificem, tanquam Ecclesiæ caput volunt recognoscere, alios inobedientes, præter schismaticos, in dicto canone excommunicari. Colligitur ex tenore Bullæ: *Nec non schismaticos, & eos, qui ab obedientia.* Particula enim & regulariter non est antecedentium explicativa, ut particulæ *seu, vel, aut*, sed novam dispositionem importat, Glossa communiter recepta *in rubr. de jur. & fact. ignor. & in cap. querelam de sirnon.* Cujus est signum quod in aliquibus B. Pii V. Bullis, tanquam diversi distincte excommunicabantur, *schismatici* in primo Canone, *inobedientes* in nono.

Quare sentiendum arbitror, non esse attendendum, an in una vel altera re tantum, aut in omnibus universaliter Pontifici subtrahatur obedientia; sed potius, qua ratione subtrahatur, ac proinde innodari eum, qui in aliis Pontificem in caput Ecclesiæ agnoscens, in una tamen, vel altera recusat agnoscere in Superiorem, & obtemperare. Quod in praxi accidere potest frequenter. Cum enim hæc rebellio consistat in voluntate, nec ullum dicat in intellectu errorem credens quis, etiam in illa re Pontificem posse præcipere, ac ei esse obtemperandum [alias enim esset hæreticus, quia fide tenemur credere, non magis in una re, quàm in alia, Pontificem esse Superiorem] potest tamen ex rebellione nolle ei in ea re tanquam superiori, morem gerere. Quo casu non potest hic excommunicationem declinare. Huic enim convenit, quod sit *pertinaciter se subtrahens ab obedientia Romani Pontificis*, ut inquit Canon, & quod deneget obedientiam ratione officii ipsius Pontificis, quatenus ejus, quam habet in ea, sicut & in aliis superioritas recusatur agnosci. Neque hoc videtur inficiari Sanchez, & id ipsum intendunt Cajetanus, Bannes 2. 2. *q.* 39. *ar.* 1. Valentia *loc. cit.* Azor & Ledesma *ubi supra*, quos pro se citat idem Sanchez. Concedimus tamen, excommunicationem non induci, si excutiatur imperium ex parte rei imperatæ, quatenus scilicet gravis, & incommoda est. Quia tunc inobedientia est indirecte tantum voluntaria.

Si verò impulsus inobedientiæ sit, quia persona ipsa, quæ Romanum Pontificem agit, infensa sit, & particularem gerat cum subdito inimicitiam, non est ob id inobediens quis excusandus, quoties particularis inimicitia in causa est, cur in ea re Pontificem, ut Ecclesiæ caput, non recognoscat. Nam si, seclusa inimicitia, quilibet formalis inobediens innodatur, multò magis accedente motivo hostilitatis, quod potius crimen aggravat, quàm imminuat, contrahetur censura. Sufficit siquidem nolle in aliquo Pontifici, qua Pontifex est, & quatenus Pontifex imperat, obtemperare, nec est necessaria reduplicativa, quia Pontifex. Vix enim hic inobedientiæ modus in aliis, quam in iis Primatum, & autoritatem Pontificis non credunt, reperiri potest. Inimicitia autem & odium personæ excusare potest in rebus,

bus, quæ sunt incommodi, aut detrimenti, quæque ex odio præsumuntur injunctæ, aut in iis, de quibus Pontifex, non tamen ut Caput Ecclesiæ, præcipit. At si præcipit universaliter, tanquam commune Ecclesiæ caput, non debet facto ipso in re præcepta non recognosci, ut Caput, ex privato odio. Quare ad dictam censuram incurrendam, puto sufficere voluntatem, aut factum, quibus quis intendit in re aliqua Pontificem, ut superiorem communem, non recognoscere, & hunc per clausulam dicti Canonis: *& eos, qui se à nostra & Romani Pontificis obedientia* &c. significari. Eos verò, qui ex toto à Pontifice, Ecclesiæ capite, se subducunt per verbum schismaticos exprimi, ut sentiunt Toletus *d. cap.* 20. *n.* 22. *& lib.* 4. *cap.* 11. *n.* 2. & Sous. *disp.* 18. *à n.* 5.

Schisma autem, & inobedientia non semper ex expressa voluntate non recognoscendi Pontificem, sed etiam ex implicita & virtuali, quæ factis manifestatur, ut cùm quis ita se gerit, ac si non esset Pontifex, etiamsi non præcesserit positivus voluntatis actus, quo statuerit, Pontifici non subesse. Exemplum est de eo, qui generale Concilium cogeret, aut alia hujusmodi jurisdictionis, vel autoritatis munera exerceret, nullo habito Pontificis respectu. Ut enim in hanc rem ait Cajetanus *in sum. d. v. schisma*, non est solus homicida, qui directe homicidium attentat; sed etiam, qui intendit opus, ex quo necessario homicidium sequitur. Sic est schismaticus, qui summo submissionem Pontifici denegat. Et ita etiam Bannes, Valentia, & Ledesma *loc. cit.* Filiuc. *n.* 48. Sanchez *n.* 5. Sousa *n.* 4. Ugolinus *cit.* §. 1. Duard. *n.* 7. Suarez *n.* 13. Alterius *col.* 13. & Scortia *theor.* 410. *col.* 15.

Quamobrem ii, qui facto ipso alium à Romano Pontifice in spiritualibus superiorem adeunt, ut sunt hodie hæretici, cœterique in Anglia, qui in spiritualibus Regem recognoscunt, sunt facto ipso schismatici, etiamsi aliàs Pontificem superiorem credant, Suarez, *loc. cit.* Sayr. *cap.* 5. *in fin.* & Sousa *d. disp.* 18. *n.* 48. Qui tamen ficte accedentes, alioquin Pontificem agnituri, id agunt, excusandi sunt, si necessitate compellantur adire, cùm non permittatur ad Pontificem recursus, aut vi, vel metu cogatur.

In antonomastico autem schismate, quo scilicet novus Pontifex vero, ac legitimo scienter, ac malitiose superinducitur, potest dupliciter intervenire hæresis. Si nimirum credatur multiplex esse posse Ecclesiæ caput, Suarez *n.* 12. Vel si legitimè electus, & ab Ecclesia pacifice receptus renuatur pro Pontifice haberi. Est siquidem Romanus Pontifex, pro tempore existens, fide tenendus in verum ac legitimum Petri successorem, quoties de legitima ejus electione non est probabiliter ambigere, ut per Suarez *de fide disp.* 10. *sect.* 5. Azor. *tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 5. *q.* 4. *contra Cajetanum* 2. 2. *q.* 1. *ar.* 3. *ad* 4. Bannes *ibid. ar.* 10. *dub.* 2. *ad* 2. & alios, Quod his præcipuis rationibus nunc illustratur.

Nam in generali illa propositione, quæ est de fide: *Omnis canonice electus est legitimus Pontifex, ac Petri successor*, revelantur omnes in singulari Pontifices, rite electi, fide recipiendi. Quia unaquæque individua sunt de essentia totius collectivi. Hinc quia fide teneo, omnes homines resurrecturos, fide etiam credo, me, atque alios in singulari signatos, surrecturos. Tunc autem, sicut naturali lumine me hominem agnosco absque divina revelatione, ita ex pacifica Pontificatus inauguratione, possessione, & acceptatione à cœtu fidelium morali evidentia, ac certitudine innotescit, hunc esse legitime electum. Quæ certitudo augetur ex assistentia Spiritus sancti, quæ universalem Ecclesiam reddit infallibilem, quo non possit doceri falsum, sumpta etiam sine capite; cum enim nec doceri, nec docere falsum potest.

Quapropter universalis consensus recipientium S. D. N. **** in verum Pontificem, aut fide dicitur humana, aut divina. Non primum. Tum quia fidei humanæ falsum subesse potest. Falli autem universalem Ecclesiam, est inconveniens ob assistentiam Dei peculiarem, & ob absurda, mox afferenda. Tum quia experimur, applicari fidem divinam singulis Pontificibus. Creditur enim is Pontifex, quia creditur, verum Petri successorem dari, nec posse longo tempore deficere visibile Ecclesiæ caput. Hoc autem alium esse non posse, nisi qui pacifice ea dignitate fruitur, & universali consensu in talem recipitur. Superest igitur, ut hic universalis consensus fide ducatur divina.

Præterea fidem debemus divinam iis, quæ ab unoquoque Pontifice statuta fuerint, fide credenda. Sed hoc stare nequit, nisi æquali, ac non minori fide credamus definientem talia, eum esse qui definire queat & obligare. Quod solius veri Pontificis est; alioquin divina fides nutanti inniteretur fundamento.

Inde aliud argumentum eruitur, quod cum recipiamus fide ea, quæ singuli Pontifices, pro tempore existentes, definiere, fatemur etiam iis adfuisse Spiritum sanctum. At qui talem habet assistentiam, non nisi verus Pontifex esse potest, cui promissam esse credimus de fide. Hinc igitur Pontificem fide recipimus.

Rursus quia Conciliis œcumenicis debemus fidem, sicut Evangelio *arg. can. sicut sancti d.* 15. Sed nullum Concilium sortitur autoritatem, nisi ratihabitum à vero Pontifice, existente Concilii tempore per jura d. 17. Saltem ergo de illis Pontificibus, qui præfuerunt Conciliis, credere debemus, fuisse hujusmodi. Eadem autem est ratio de omnibus, ac de singulis. Immo si singulos credamus humana fide cum formidine possibilis falsitatis, omnes revocamus in dubium, an unquam fuerint in Ecclesia veri Petri successores, atque adeo veri Episcopi, Cardinales, ac cœteri ordinibus & gradibus insigniti, sicque universa Ecclesiastica Hierarchia prorsus cõfunditur.

Adversus hanc sententiam afferuntur multa, sed quæ partim sunt falsa, partim nullo negotio diluuntur. Falsum est, quod Ecclesia receperit aliquando fœminam in Pontificem, & decepta fuerit, ut ostendunt Scriptores catholici saniores. Hanc fabulam fusius refellerem, nisi me actum agere, & operam ludere arbitrarer. Satis fuerit indicasse, Marianum Scotum, post annos ducentos & triginta, Papissæ Joannæ opprobrium, quasi ea successisset Leoni I V. sedi Romanæ affinxisse, cùm ante ipsum integris duobus seculis Scriptores nulli, aut Religionis catholicæ amici, detestando facinus, aut inimici illud exprobrando, de illa meminerint. Immo cùm Leo I X. Græcis, hostibus Ecclesiæ Romanæ exprobraverit, Patriarchas aliquoties Eunuchos, & unam demum fœminam in sede Constantinopolitana sedisse, nec unquam sane id commemorasset, si majori infamia Romana sedes habuisset Papissam Joannam.

Commenti etiam hujus alii duo scriptores nominantur Sigibertus, & Martinus Polonus. Sed tam horum, quam Mariani Scoti manuscripti antiqui codices carent omnino ejusmodi figmento. Extat etiam nunc in monasterio Gemblacensi autographum Sigiberti, nec hujus fabulæ in eo ullum vestigium reperitur. Vidit hoc, & testatur Joannes Molanus, & testantur hoc idem Myræus, Alanus Copus, Suffridus Petrus, aliique. Eam perinde non reperiri in priscis Codicibus Mariani Scoti, affirmãt Myræus, Serarius, Floremundus, & notator in Metropolim Krantzii. Nec reperiri etiam in Martini Poloni antiquis exemplaribus constat pariter, quia in bibliotheca Vaticana extat ejus antiquus codex cum exacta historia ad dexteram quidem Pontificum, & ad lævam Imperatorum, nihilque in eo de hac fabula legitur, ut sit res comperta ex odio, atque invidia in Romanam Ecclesiam, ejusque supremos Antistites, id fuisse insertum Codicibus Sigiberti, Mariani, ac ipsiusmet Martini Poloni.

Confirmatur id autoritate quorundam aliorum scriptorum, quibus utique fides habenda est, vel ideo, quia vixerunt, scripseruntque ea ipsa ætate, in qua Pontificatum obtinuisse fabulosa ea fœmina perhibetur, nempe Anastasii Bibliothecarii, qui Leoni I V. ait successisse Benedictum III. Nicolai I. qui successit Benedicto III. Hi ostendunt neminem alium intercessisse inter Leo-

Leonem IV. ac Benedictum III. neque rem actam ſcribunt ante quatuor ſecula, ſicuti accidiſſet Martino Polono, cum vixerit anno MCCL. hoc eſt evolutis annis 400. à Pontificatu Leonis IV. Haud aliter ordinant, referuntque ſucceſſionem Romanorum Pontificum Rhegino, Lambertus, Hermannus Contractus, Abbas Urſpergenſis, Otho Friſigenſis, aliique Latini ſcriptores. Cum iiſque miro conſenſu Græci ſcriptores etiam, uti Zonaras, Cedrenus, Joannes Curopalates, qui cum Eccleſiæ Romanæ haud ſane faveant, id minime tacuiſſent, quod cedere poſſe in illius gravem ignominiam, exiſtimare potuiſſent.

Sed libet peculiariter ad tres ex Græcia hujus veritatis aſſertores provocare, qui æquales fuerunt Anaſtaſio Bibliothecario, Adoni Viennenſi, & Nicolao I. hoc eſt ſuperſtites erant interea temporis, cum fœmina inquinaſſe fingitur Cathedræ Romanæ gloriam, & dignitatem. Horum verò in ſententiam ire oporteat, quia cùm hoſtes infenſiſſimi fuerint Sanctæ Romanæ Sedis, nunquam diſſimulare voluiſſent, aut ſilere hoc ejus probrum, ac dedecus, nempe Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus *lib. de Spiritus ſancti proceſſ. adverſ. Latinos* ſcribit ſucceſſiſſe Leoni IV. Benedictum III. & tametſi in convitia maxima laxare ſoleat calamum ſuum maledicentiſſimum, meminit de ipſis nihilominus cum inſigni commendatione. Ad hæc Metrophanes Smyrnæus *lib. de Spirit. ſanct. divin. & ejus & ſolo Patre proces.* hac enumerat ſerie ſui ævi Pontifices Romanos Leonem, Benedictum, Nicolaum, Adrianum, Joannem. Atque adeo Stylianus, Neocæſareæ, Euphrateſinæ Provinciæ Epiſcopus *in epiſt. ad Stephanum Papam*, agens de fraudibus quorundam Epiſcoporum factionis Photianæ Leoni Benedictum ſucceſſiſſe teſtatur. Etſi autem Stylianus hæc ſcripſerit priuſquam ſeductus ab aliis, partes Photii amplecteretur, mox adverſarium agens Eccleſiæ Latinæ, Pontifici Stephano nihil exprobrat, præter inconſtantiam doctrinæ, profectò exprobraturus unius fœminæ dedecus in Petri cathedra, ſi hæc infamia, ſua præſertim ætate, illi obveniſſet. Atque idem judicium eſto de Methrophane Smyrnæo, ac de Photio Patriarcha, cujus utriuſque antiqui codices ſunt Romæ in Bibliotheca Vaticana.

Prolixius confutare fabulam hanc, ut dixi, eſſet actum agere, cùm Onuphrius Panuinus, Genebrardus, Baronius, Bellarminus, Serarius, Alanus Copus, Sanderus, Myræus, Gretſerus, Floremundus Remundus, Leo Allatius, Victorellus, & Scriptores alii complures eruditis ſuis commentariis detexerint ejus impoſturam, & vanitatem. Repugnat verò in primis Chronologia; quia biennium & menſes quinque fabuloſi Pontificatus ejus nuſquam locum invenient inter certa, & explorata omnium Romanorum Pontificum tempora. Repugnat conſuetudo Eccleſiæ Romanæ, quæ multis nimirum ſeculis, & primo ſaltem millenario haud aſſumpſit ad Pontificatum, niſi tantum eos, qui educati eſſent in Clero Romano, & per minorum Ordinum gradus fuiſſent Romæ promoti ad Diaconatum, ac Presbyteratum. Deinde multo magis repugnant ineptiæ illæ, fuiſſe fœminam Anglam, patria Moguntinam, quaſi Moguntia Rheno in Germania non alluatur, ſed ſit in Oceani ea inſula, & ab Orbe noſtro dividatur. Item Athenis eam ſtuduiſſe, quo tempore, uti oſtendit Cardinalis Bellarminus *de Rom. Pontif lib. 3. cap. 24.* Academiæ veſtigia erant Athenis nulla. Denique ipſam uterum geſtaſſe, ac peperiſſe, dum ex Vaticano adiret Baſilicam Lateranenſem. Quod figmentum ſatis manifeſte prodit Neotericorum inſcitiam, aut dolum. Quia Romani Pontifices uſque ad tempora Bonifacii IX. teſte Onuphrio Pauuino, habitarunt ſemper in Lateranenſi Palatio, non autem in Vaticano, unde ipſi fingunt, tanquam ex manſione ordinaria Pontificum, qualis jam eſt, ad Lateranum eam immigraſſe. Quid fiet cum iſtis ſycophantis, quibus mentiri, & quidlibet confingere, ludus eſt?

Apage has nugas. Quod ſi in Pontificatu Romano fœmina nunquam ſedit, nec fuit neceſſitas, cauſa declinandi ſimile probrum in annos conſequentes, ſede perforata uti ad explorandum ſexum eorum, qui eligebantur. De qua ſede, appellata Stercoraria, forſitan alibi.

Falſum igitur eſt, ut diximus, quod Eccleſia receperit aliquando fœminam in Pontificem, & decepta fuerit. Item quod aliquando receperit in Pontificem qui ſchiſmaticus poſtea repertus fuerit. Nam tempore ſchiſmatis latuit quidem Eccleſiæ verus Pontifex, ſed univerſaliter non legitur, aliquem illegitimum recepiſſe. Nos autem loquimur extra ſchiſmatis tempora, quando quis pacifice poſſidet Primatum. Similiter, quod Deus non revelaverit in ſingulari, hunc eſſe verum Pontificem. Siquidem revelavit Eccleſiæ, dum revelavit, omnem canonice electum eſſe legitimum Petri ſucceſſorem, & nòn defuturum in Eccleſia longo tempore, caput viſibile, Petro ſuccedens. Quod non fuiſſet, ſi ſinguli ſuccedentes Pontifices non fuiſſent recepti in tales. Eccleſia proponit autem ſufficienter in ſingulari, dum ſingulos recipit pacifice ſedentes, eorumque dogmatibus præſtat fidem.

Tandem eſt falſum, quod Pontifex, proponens credenda ſe habeat, ut Concionator, infidelibus fidem annuncians, qui & poteſt falli, & fallere, & cui prius ex humanis conjecturis fides aliqua humana præſtatur. Nam Pontifex ratione muneris Capitis habet Spiritus ſancti aſſiſtentiam, ut nec dicipi, nec decipere poſſit. Quod verò æquiparentur articuli credendi ſub Hoſtia conſecrata eſſe verum Chriſti corpus, & legitime electos eſſe Petri in Pontificatu ſucceſſores, ut ſicut tamen non fide creditur, ſub hac Hoſtia ſignata adeſſe Chriſtum, quia ignoratur poteſtas, & intentio conſecrantis, ita nec ſignatus Pontifex fide ſit tenendus, cùm ignoretur legitima electio & electibilitas aſſumpti, an ſit baptizatus & initiatus ordinibus, quæ requiſita ſola humana conjectura tenemus. Hæc, inquam, paritas neganda eſt, quia ignorato, an ſpecies ſignatæ ſint conſecratæ, nullum ſequitur in univerſali Eccleſia inconveniens, bene ſi ignoretur verus Pontifex, ſeu ſi recipiatur, ut verus, qui non eſt. Illud igitur Deus aliquando ſinere poteſt, hoc autem non ſinet, ob promiſſam Eccleſiæ aſſiſtentiam, & continuationem veri Capitis.

Præterea, ſicut conſtito evidenter de poteſtate ac intentione conſecrantis, ſignatæ ſpecies fide creduntur, continere Chriſti corpus, ita, conſtito, Pontificem ſingularem eſſe legitime electum, jam non humana tenetur, ſed divina fide. Illud autem evidenter habetur certum ex quo eligentes, & univerſalis Sapientum, Eccleſiæque conſenſus in talem recipiunt, ut fuſe proſequuntur alii. Rurſus, quod & eligibilis fuerit, & canonice electus, tenemus ea fide, qua credimus, Deum non defuturum ſuæ Eccleſiæ, nec permiſſurum, ut decipiatur. Statim enim ſequitur, quod non relinquat Eccleſiam falſo Capiti ſubeſſe.

In tali ergo ſchiſmate, quo Pſeudo-Pontifex legitimo recepto, & pacifice poſſidenti ſuperinducitur, innodantur primum ii, qui illud excitant, & novum Pontificem aſſumunt, qui, ſi ex iis ſint, ad quos non ſpectat electio, non videatur poſſe ex ignorantia, vel dubietate excuſari. Tum quia ad eos non ſpectat cognoſcere de forma electionis, ac per conſequens de validitate dubitare. Tum quia agnoſcendo Pontificem, ab ipſis ſuperinductum, ſubiicitur Capiti non legitimo, cùm apud ipſos autoritas eligendi non ſit.

Deinde ipſi etiam plures Pontifices electi de Pontificatu rixantes, dum ſciant, aut probabiliter ambigant, ſe legitime non eſſe renunciatos, *Clem.* 1. *in princ.* ibi Gloſ. & Doctores *de jurejur.* Brunus. *de hæret. cap.* 16. *in fine*, ac Ricciul. *de lib.* 9. *cap.* 1. *n.* 29. Sous. *in d. can.* 1. *Bul. Cœn*, *n.* 4. Aliàs enim arbitrantes, ſe legitime electos, non innodantur. Quod tamen caſu tenetur ſubiici generali Concilio, de electione ſententiam prolaturo, aut ei præſtare fidem, qui invaliditatem electionis poteſt demonſtrare. Non ob id tamen crediderim, arbitrantem, ſe probabiliter electum legitimè, ſi renuat Concilio ſubiici, ſicut nec ejus ſectatores, id morali cer-

titudine callentes, innodari antedicta censura, aut alia, contra Alterium *ubi supra col.* 4. asserentem, esse probabile hac excommunicatione irretiri, evidens verò obstringi ea, quæ est *in cap licet de elect. cap.* 1. *de schismat. & in can. nulli fas d.* 19. Nam quoad censuram Bullæ Cœnæ constat, ex sola ea renuentia istum non constitui schismaticum. Quoad jus vero *in cap. licet*, ille solum excommunicatur, qui novit, se non esse à duabus partibus Cardinalium postulatum. Nos autem loquimur de eo, qui suam electionem non perspicit invalidam. *In cap.* 1. *de schismat. & in can. nulli fas*, nulla est talis excommunicatio. Concedimus tamen, post sententiam Concilii, si modò casus sit possibilis, censura Bullæ Cœnæ innodandum, etiamsi legitime fuisset inauguratus, non tamen constaret. Quia de novò electus fieret verus Pontifex, omni alio abrogato, ut contigit, quamvis in diversis terminis in Concilio Constantiensi anno 1417. Res enim hæc dubia coram Ecclesia, non potest alio modo prudentiori corrigi.

Demum ii quoque innodatur, qui scienter, vero Pontifice posthabito, schismatico obediunt, ut ex supradictis constat.

In dubio autem, quo ignoretur, quis ex pluribus sit legitimè electus, adhærendo nemini, non labimur in schisma, Butrius, & Doctores *in cap. quia diligentia de elect. Cardinal cos.* 150. *n.* 14. Cajetan. *in sum. d. v. schisma*, Alph. à Castro *lib.* 1. *de just. hæret. pun. cap.* 9. Ugolin. *cit. v. nec non n.* 2. Azor. *q.* 4. Ricciul. *d. cap.* 1. *n.* 15. Siquidem hoc pēdet ex dubietate facti quæ ad fidem non pertinet, & temerarium esset, Pontifici dubio adhærere, tanquam certo, *arg. can. nullus*, & *can. nemo* 11. *q* 3. Dummodo id non sit cum pervicacitate, ac obstinatione, qua nullum velit in Ecclesia Caput agnoscere, sed cum dispositione parendi ei, qui legitimus fuerit judicatus. Immo consulo cum Cajetano *loco cit.* tutum esse, ita se gerere in schismate, ut neuter agnoscatur, quilibet verò se reputet, & habeat, tanquam unius Ecclesiæ Catholicæ membrum sub uno ipsius Capite Christo, & ejus Vicario, qui in conspectu ipsi legitime est electus, quisquis ille sit, dubios verò habeat, tanquam dubios. In quo non videtur convenire Bonacina *to.* 3. *disp.* 1. *q.* 2 *pun.* 5. *num.* 3. *vers. Secus dicendum*, ubi ait fieri schismaticum recedentem ab utroque dubio, cum utrunque tenere debeat, licet tanquam dubium.

Adhærens tamen alteri eorum, quem probabiliter putat esse legitimum, aut de quo non est vehementer de illegitimitate ambigere, non fit schismaticus, etiamsi, re discussa, reperiatur, adhæsisse illi, qui invalide electus fuerat, Glos. *in can.* 1. 24. *q.* 1. & Canonistæ *in d. cap. quia diligentia de elect.* Cajet. *ubi supra*, Antonin. *p.* 2. *tit.* 11. Turrecrem. *cit lib.* 4. Graff. *nu.* 54. Alph. à Castr. *cap.* 14. *d cap.* 9. Simanch. *de cath. instit. tit.* 58. *n.* 9. Royas *de hæret. p* 1. *n.* 507. Ugolin. §. 1. *n.* 3. Pegna *com* 37. Gambar. *n.* 59. Alter. *d. col.* 4 Duard. . 10 & Ricciul. *d. lib.* 9. *cap* 2. *n.* 32. Nam eo casu inscienter tantum schisma contrahitur, & justo errore ductus culpa caret, si tamen non intercedat protervitas, ut supra diximus.

Dixerat tamen Ricciullus *d. cap.* 2. *n.* 28. esse schismaticum eum, qui ignorantia supina, qua neglexit solerter de summo Pontifice vero indagare, laborat, & ex ea non adhæret legitimo, quoties facile constare potest de legitima unius electione, & illegitima alterius, & probat ex *can. quoties* 1. *q.* 7. & can. *schisma* 24. *q.* 1. ubi Pelagius Papa sic ait: *sed nec illud eis prodest, quod eos in eisdem litteris vel ignorantia rationis, vel simplicitate intellectus sui à nostra se communione suspendisse perhibetis. Id ipsum enim magis est propter quod schismatici sunt, quod non eos diversa sentiendi judicium, sed quædam apud se delata, sibi tamen incognita metuentes, & contra Apostolicam sedem temere credentes, pessima divisit opinio.* Idemque tenet Glossa *in v. magis*, Turrecr. *loc. cit. prop.* 2. Socin. *in cap. fraternitatis de schism.* ac Felin. *in cap.* 1 *de hæret. q.* 13. *num.* 24. *& seq.*

Hæc opinio recipienda videtur, si de ignorantia affectata sit sermo, de qua loquitur textus allatus, ut constat ex illis, verbis *quædam apud se delata sibi tamen incognita metuentes.* Hæc enim excusare non potest, quæ potius crimen aggravat, quam licet alibi dixerimus ab excommunicatione hæresis excusare, id tamen ex eo procedit, quod ad constituendum errorem in intellectu, oportet, ut sit ab omni ignorantia liber. At cùm schisma consistat, in sola voluntate, voluntaria satis ignorantia cujusmodi est affectata, non facit schisma involuntarium, ac proinde non malitiosum.

Ignorantia autem alterius generis, etiamsi crassa, & culpabilis, licet crimen inducat, relinquit tamen voluntatem in eo statu, ut denegatio obedientiæ non fiat ei, qui creditur Pontifex, in quo schisma *in dicto can.* 1. Bullæ Cœnæ punitum consistit, sed ei, qui pro tali non existimatur. Et id insinuatur per particulam *pertinaciter* in eo canone appositam. Quare opinio Ricciulli vera erit quantum ad præsumptionem fori externi, in quo hæc ignorantia non excusabit. Idemque est judicium de sententia Farinacii *q.* 179. *de hæres. num.* 17. *& q.* 184. *num.* 20. ac Duardi *cit. num* 10. nullum videlicet simplicitatis, & ignorantiæ caput in quovis schismate excusare. Quia quilibet tenetur scire, quod divisio ab Ecclesia Romana, & à Romano Pontifice, tanquam Dei Vicario, magnum est crimen. Id siquidem verum est, quantum ad crimen, & fori præsumptionem. Quia cùm quilibet fidelis teneatur expresse credere articulum, *Unam Sanctam Ecclesiam Catholicam*, ab ea, & ab ejus capite decissio non potest ignorantiæ adscribi. Sed ut vere excōmunicatio incurratur, requiritur malitia, & scientia, aliàs schismaticus non se subtrahit ab obedientia Pontificis *pertinaciter.*

Duo disquirenda supersunt. Alterum est, an fautores, receptatores, ac defensores schismaticorum excommunicentur, sicuti & in superioribus fautores hæreticorum. Et quidem quantum ad Bullam Cœnæ, negative respondeo. Quandoquidem pœnæ non sunt ampliandæ, & ex tenore illius canonis non convincitur oppositum. Quia *fautores, & receptatores* ad hæreticos, & apostatas duntaxat referendi sunt. Eos porrò innodabant Cajetanus, & antiquiores Summistæ, quia particula *schismaticos* tunc immediate cum verbo *hæreticos* conjungebatur; *hæreticos, schismaticos, eorumque credentes, receptatores, &c.* Ibique etiam plures modi, quibus aliquis se ab obedientia Romani Pontificis poterat subtrahere *per se, vel per alium, directe, vel indirecte &c.* exprimebantur. Atque ita sentiunt Sousa *disp.* 19. *n.* 6. *in d. Bul.* Duard. *n.* 18. Sanchez *num.* 16. Suarez *num.* 14. Alter. *cap. fin. in fin.* Scortia *in Bul. select. theor.* 410. *in fin.* aliique communiter.

In constitutione tamen citata Pauli IV. Cùm ex Apostolatu plura statuuntur contra hæreticos, vel schismaticos, confirmatisque omnibus censuris ac pœnis per sacros Canones, Pontificis prædecessores, & Concilia latis contra hæreticos, & schismaticos, decernitur, quod omnes cujuscunque conditionis etiam Cardinales &c. etiam Imperatores, Reges &c. ut eas pœnas incurrant, si deprehensi, vel confessi, vel convicti fuerint se fuisse hæreticos, vel schismaticos. Quamvis verò decretum restringendum videatur ad sententias datas contra hæreticos, vel schismaticos in communi, non vero ad sententias latas contra hæreticos, vel schismaticos particulares, & in casibus particularibus, quia in sententiis datis in casibus particularibus consideratæ fuerunt circunstantiæ particulares minuentes, vel augentes culpam, & pœnam. Nihilominus à Judicibus fidei servari poterit regula tradita à Bonifacio VIII. *in cap. ad succidendos de schism. in 6.* ut in casibus similibus, & attentis similibus circumstantiis novi hæretici, vel schismatici eisdem pœnis puniantur, quibus per Pontifices, & sacros Canones puniti fuerunt antiqui hæretici, vel schismatici. Immo advertendum quod Paulus IV. elevat etiam sanctorum Patrum placita, ut vim legis habeant, & juxta illa puniri possint hæretici, vel schismatici, & ita Sanctorum Patrum placita contenta in decreto Gratiani in hoc habenda sunt pro legibus, ut juxta illa puniuntur hæretici, vel schismatici, ut patet ex illis verbis, *vel Sanctorum decretis, aut statutis*, sub quibus etiam Conciliorum provincialium statuta comprehenduntur. In eadem quoque Pauli IV. Constitutione excommunicationem non reservatam concurrunt, qui schismaticos deprehensos, confessos, ac convictos scienter quomodolibet receptaverint, aut defenderint, vel eis crediderint, parique pœna cum schismaticis ipsis dicuntur plectendi, innovanturque vetera jura can. *in nomine d.* 23 can. *didicimus* 24. *q.* 1. & alia, quibus schismatici, ac iis patrocinantes variis pœnis fiunt obnoxii, amissioni scilicet jurisdictionis, beneficiorum, & ad ea inhabilitationi, ac tandem irregularitati, de quibus, præter eos, quos sub initio citavimus, videndus etiam Scortia *epist.* 71. Farinac. *de hæres. d. q.* 184. *num.* 17 *cum binis seqq.* ac nos suo loco, dum de pœnis hæreticorum, Apostatarum, schismaticorum, aliorumque agimus.

Alterum est, an schismatici, qui hæresim non habent adiunctam, specialissimam habeant hæresis reservationem eo, quod in eodem canone cum hæreticis excommunicantur, & pares in pœnis regulariter fiunt. Cui ex Sanchez *n.* 17. negative respondeo, tametsi alii plures oppositum velint. Quia licet in excommunicatione, in qua hæretici pronunciantur innodati, schismatici etiam appositi sint, non tamen dicuntur excommunicatione hæresis alligati, si præcise schisma tantum incurrerint. Unde virtute Bullæ Cruciatæ concedentis absolutionem à censuris Bullæ Cœnæ semel in vita, & semel in mortis articulo, possunt absolvi, ac similiter virtute Jubilæi eandem à casibus Bullæ absolutionem concedentis, quam concessionem ob specialem hæresis enormitatem ad eam non extendi fert communis sententia, ut alibi probavimus. Idemque est affirmandum de receptatoribus, fautoribus, legentibus libros schismaticorum, &c.

Monstrandum autem nunc est, quàm grave, quamque aver-

aversandum sit peccatum schismatis, etiam prius quam per illud fides exscindatur. Est enim schisma peccatum, non contra fidem, atque adeo ab hæresi diversum, ut ait Cresconius, approbante Augustino *lib. 2. contra eum cap. 3.* Est itaque contra obedientiam. Divus quidem Thomas *2.2. q. 39. ar. 1.* docet esse contra charitatem, quia charitas est unire, & conciliare ad invicem caput & membra ipsaque membra inter se. Quatenus ergo schisma impetit, ac lædit eam unionem, infertque disjunctionem ab Ecclesiæ capite, aut membris, eatenus violat specialiter charitatem, ad quam pertinet volitio nexus, & conjunctionis cum capite ac membris Ecclesiæ. Sicut tamen schisma violabit fidem, si spectetur, prout est nolitio dissjungendi se ab unitate fidei cum capite, ac membris Ecclesiæ, ita violabit obedientiam, si spectetur, prout detrectatio subjectionis ad caput Ecclesiæ. Qua ratione, ut habetur ex multis, quæ adducit Michael Anjuyon *in tr. de unit. ovilis, & Pastoris cap. 8. 9. & 10.* schisma est gravissimum crimen, taleque ac tantum, ut neget Valentia *2. 2. d. 3. q. 15. p. 2.* dari parvitatem materiæ, qua eximatur à gravi, & mortali peccato, cùm separatio ab Ecclesiæ unitate, & capite, prout tali, sit res gravis, in quacunque tandem materia contingat, & proinde sola indeliberatione, aut imperfectione actus potest ita diminui, ut ad mortalem culpam non accedat, sicut de blasphemia, & perjurio dicitur.

Damna maxima huic adjuncta prosequitur Conradus Brunus *lib. 1. de hæret. cap. 16.* & quanta sint patere satis potest ex vastitate illata Ecclesiæ, per ea viginti novem schismata, quibus Ecclesiam esse infestatam, notavit idem Brunus *lib. 1. de seditiosis cap. 3.* Merito igitur & æternum exitium manet schismaticos, & plerunque etiam temporale, quo æternæ ipsorum calamitati, & immedicabili contritioni proluditur. Exitium æternum schismaticos manere, Beda *ser. de D. Petro & Paulo sub finem* optima ratione confirmat. Egregiè quoque pensata schismatis malignitate id tradit S. Irenæus *lib. 4. cap. 26.* verbis illis: *Judicabit autem Deus & eos, qui schismata operantur, qui sunt immanes, non habentes Dei dilectionem, suamque utilitatem potius considerantes, quàm unitatem Ecclesiæ. Et propter modicas & quaslibet causas, magnum & gloriosum corpus Christi conscindunt, & dividunt, & quantum in ipsis est interficiunt, pacem loquentes, & bellum quærentes, vere liquantes culicem, & camelum transglutientes. Nulla enim ab eis tanta potest fieri correptio quanta est schismatis pernicies.* Hoc dicit, quia schismatici obtendunt schismati, ac discessioni suæ ab Ecclesia aliquid correctione, ac emendatione dignum. At nullius abusionis inemendatio tanti est, ut cum schismatis virulentia componi merito possit. Unde omnia potius incommoda subeunda esse, quam scindendam schismate Ecclesiam, gravissime admonet Dionysius Alexandrinus apud Eusebium *lib. 6. hist.*

Nonnulli verò Patres, temporariam etiam ultionem jam ex hac vita schismaticis à Deo rependi solitam, urgent, ut schismatis venenum manifestent. Præstitit hoc fuse S. Cyprianus *lib. de unit. Eccles. præsertim n. 59.* S. Augustinus *lib. 2. de baptismo cap. 6.* ac sæpe alibi, agens contra Donatistas, & in eandem sententiam disputat Clemens Romanus *lib. 6. constit.* qui est de schismatibus, præcipue *cap. 1. & 2.* ibique ait, cavendos principes impiarum hæresum, quod spectat ad schismaticos, ut patet ex capitis titulo apud Turrianum, & Bovium, attento usu testatissimo, ut schisma degeneret denique in hæresim, de quo late Suarez *lib. 1. defens. fidei cap. 22.* Immo D. Bernardus *ser. in Concilio generali* significat, schisma esse hæresim, & favet S. Augustinus *lib. 2. contra Crescontum cap. 1.* non secernens schisma ab hæresi, nisi penes antiquitatem. Favet etiam S. Ambrosius in Satyri fratris monodia, cum de eo à Luciferianis abhorrente, ait: *Non putavit, fidem esse in schismate. Nam etsi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Ecclesiam non teneb.nt, cujus patiebantur velut quosdam artus dividi, & membra lacerari.* Estque juxta illud Petri Damiani opusc. 5. initio: *Vitium in hæresim vertitur, cùm perversi dogmatis assertione firmatur.* Nimirum viva fidei Regula est solus Pontifex, ac proinde qui ab eo se abjungit, destitutus Regulâ, facile deflectet.

Degenerat igitur schisma in hæresim, si inveterascat. Et hoc attendens S. Clemens, potuit inter hæresum sectatores numerare schismaticos, quamvis schisma, ut sic possit esse, salva & intacta fide, tametsi fide periclitante in schismate, ut dixit Ferrandus in *S. Innocentiæ regulæ in fine.* De ejus malignitate videndi insuper Optatus *lib. 7. contra Parmen. sub med.* S. Bernardus *ep. 219. initio*, Joannes Sarisber. *ep. 178.* ac Petrus Collensis *ep. 26.*

Placet recensere schismata, quæ non tantum in Ecclesia Dei tempore summorum Pontificum, sed etiam antea in Religione plura fuere, quæ tamen evanuerunt, Dei auxilio.

Primum fuit creatis Angelis in cœlo, dum Lucifer cum sua factione se separavit à principatu Dei, & voluit adorari, ut Deus, ideo detrusus ad inferos Isai. *cap. 14.*

Secundum fuit in Paradiso, quando persuasione dæmonis, existimavit Eva, non obediendum Dei præcepto, arbitrata verum, quod impostor dixerat: *eritis sicut Dii*, Genes. 3.

Tertium schisma pro Prælatura, quod Aaron, & Maria soror Moysis moverunt contra Moysem, ex quo puniti, *Num. 12.*

Quartum aliud periculosum, motum per Datan, Chorem, & Abiran, quos Deus terra absorberi cùm sectatoribus jussit, *Num 16. Eccles 4. Deuter. 11. Psal. 10.*

Quintum inter Judæos Hierosolymis ortum, grave de Pontificatu anno Domini 54. inter Pontifices, & populum, electo in Pontificem Summum legis Cumano, ut concursu facto populi ad portas triginta millia Judæorum perierint, & cum illis Jonathas Pontifex, teste Josepho *lib. 20. antiquit. cap. 4.* & *lib. 2. de bel Judaic. cap. 11.*

Sextum tempore Apostolorum schisma inter Christianos Corinthi ortum, aliis dicentibus: *Ego quidem sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, ego Christi:* contra quod scribit D. Paulus ad Corinth. 1. & 3.

Septimum fuit ante Capharnatarum: qui cùm non possent intelligere mysteria Sacrosancti domini Corporis, recesserunt ab unitate Christi, *can. prima quidem hæresis 44. de consecr. d. 42.*

Octavum, & primum electis Summis Pontificibus in Ecclesia Romana fuit tempore Cornelii Summi Pontificis, electi anno Domini 152. post Fabianum. Novatianus enim presbyter urbis Romæ ob cupiditatem Episcopatus, ambitionis spiritu inflatus, omnia divina, humanaque miscuit, ne in manus Cornelii Pontificatus perveniret, ut scribit Platina in Fabiano, & Cornelio, opeque Novati, alterius Episcopi Carthaginensis creatus fuit in Antipapam, ut ait Cyprianus, qui eo tempore vixit, epistola ad Jubainum, & ad Pomponium, D. Hieronymus *in cathalog. illust. vir.* Vide de causa Eusebium *lib. 6. hist. cap. 43. & lib. 8.* Damascenum *in vitis Fabiani, & Cornelii Summorum Pontificum.* In sede Antipapæ Novatiani remanserunt. In sede Romæ successores usque ad Cælestini Papæ Pontificatum, à quo deinceps Novatiani habere publice Episcopum prohibiti fuerint, ut autor est Socrates *lib. 7. cap. 11.* Ita ab Ecclesia se separavit Novatianus, & se suosque puros, mundosque nominavit, negans pœnitentiam lapsis revertentibus, aliasque constituens hæreses, de quibus agit idem *lib. 6. cap. 43. & seq.* Cyprianus *lib. 2. epist. ep. 10. & lib. 3. ep. 2. & 3. & lib. 4. ep. 2.* Contra hunc duo Concilia habita. Unum Romæ 60. Episcoporum, & totidem Presbyterorum, ac plurium Diaconorum. Carthaginense aliud, Platina *in Fabiano*, Euseb. *lib. 6. tit. 43.*

Nonum, & secundum Pontificale schisma fuit anno Domini 369. tempore Damasi primi Pontificis, qui Urcisinum Diaconum cōpetitorem habuit in Basilica, quæ Sicini appellatur, ubi multi ex diversis partibus ceciderunt in ipso templo, cum res non suffragiis tantum, sed vi & armis tractaretur, Platina *in Damaso*, Rufinus *lib.*

lib. 2. *cap.* 10. Amianus Marcellinus *lib.* 27.

Decimum ac tertium ortum est anno Domini 423. quando Bonifacius ejus nominis primus, in Basilica Julii Urbis Romæ Episcopus creatus, & Julianus in Constantiana electus, huic statim oppositus fuit, mortuo Zosimo primo præcedente pastore. Quod cum Honorius Imperator, qui tum Mediolani erat, intellexisset, instante Placidia cum filio Valentiniano, jussit ambos Urbe expelli. Revocatus tamen postea septimo mense Bonifacius, qui fuit solus Urbis Præsul constitutus, Platina *in Bonifacio primo.*

Undecimum, & quartum, mortuo Anastasio secundo, in cujus locum Symmachus primus electus anno Domini 800. ab alia autem parte Cleri Laurentius, unde ingens seditio in Senatu, & populo orta, pluresque cædes commissæ, ut refert Platina in Symmacho, Gregorius *in dialog. lib.* 4. *cap.* 40. Diaconus *in Anastasio li.* 16.

Duodecimum & quintum schisma fuit post mortem Felicis quarti Summi Pontificis anno Domini 931. Bonifacius secundus fuit electus, & alia electio ei apposita Dioscori, in qua seditione agitatus fuit populus, & Clerus per dies octo, & viginti, donec Dioscorus mortuus fuit, teste Platina

Decimumtertium, & sextum fuit paulò antè præteritum, tempore, quo Pelagius secundus Summus Pontifex mortuus est anno 508. quo tempore Joannes quartus Constantinopolitanus Patriarcha, dictus Jejunator, & cui successit Cyriacus adversus sedem Apostolicam insurrexerunt, & primum in Ecclesia sibi locum, & universalis Pastoris in Ecclesia nomen assumere conati sunt. Quibus Pelagius restitit, & deinde S. Gregorius Magnus, ejus successor in sede, eaque de controversia extant epistolæ Joannis *in tom.* 1. *Conciliorum*, & *in Registro Gregorii lib.* 4. *epist.* 67. 75. & 80. & *lib.* 6. *ep.* 168. 169. & 170. Fuitque hæc controversia composita sub Bonifacio tertio, ut secundum locum Constantinopolitana teneret, teste Beda *de ratio. temp.* Joannem defendebat Mauricius Imperator, vide Sigibertum, & Bonifacium Simonetam *in epistolis.*

Decimumquartum, & septimum schisma fuit post mortem Joannis quinti mortui anno Domini 685. quo Petrus Archiepiscopus, à Romanis electus, Theodorus verò presbyter ab exercitu. Sed, utroque exacto, creatus tandem Cono primus, Platina.

Decimum quintum, & in Ecclesia Catholica octavum, fuit paulò post tempore Sergii primi, qui successit Cononi anno Domini 689. sublatis duobus ambitiosis, Paschali quodam custode thesauri Cononis, qui Exarchum Italiæ pro sua factione muneribus allexerat, & Theodoro, qui jam partem interiorem Laterani cum sua factione occupaverat, Platina.

Decimum sextum, quod erat Ecclesiæ nonum, fuit, mortuo Stephano secundo, quo tempore electus Paulus primus anno 756. qui sedit annos decem, mensem unum. Nam tunc, ut scribit Genebrardus *lib.* 3. *chronogr.* Theophilactus quidam sedit contra Paulum in schismate per aliquot menses anno Domini 757. & Constantinus quoque secundus ex laico contra Canones electus, sedit annum unum, dies 24. quem quidam inter Pontifices numerarunt; Platina tamen non meminit.

Decimum septimum, & Ecclesiæ decimum narrat schisma idem Genebrardus, sedente eodem Paulo, quo anno 767. Philippum, seu Philippicum contra Constantinum à laicis, & Clericis electum fuisse, notat, & sedisse annum unum, dies viginti quatuor.

Decimum octavum, & Ecclesiæ undecimum post mortem Paschalis primi, succedente, & electo Eugenio secundo ãno Domini 824. contra quem in schismate electus Zosimus quidam, qui sedit aliquot dies, donec coactus fuerit Pontificatu se abdicare, Onuphrius *in fastis.*

Decimum nonum, Ecclesiæ duodecimum, mortuo Leone quarto, quo tempore electus est Benedictus tertius anno Domini 855. & contra eum in schismate Anastasius, qui sedit aliquot dies, & coactus se abdicavit, Platina, & Onuphrio testibus.

Vigesimum, Ecclesiæ decimum tertium post mortem Stephani sexti, Formoso Pontifice creato anno Domini 892. contra quem in schismate electus Sergius tertius, Benedicti filius Cardinalis, qui aliquot dies in schismate sedit, coactus tamen se abdicavit, in exilium missus, Onuphrius *in Pontificibus.*

Vigesimum primum, & Ecclesiæ decimumquartum post mortem Agapeti secundi, quando creatus fuit Joannes duodecimus anno Domini 955. & contra eum electus Leo octavus, qui sedit menses quatuor, donec eo pulso, institutus Joannes decimus secundus sedit, & in eodem schismate Benedictus quintus Romanus per mensem, ac unum diem, ut legitur in continuatione Rheginonis, & apud Luithprandum *lib.* 6. *cap.* 6. *ac seq.* Platinam, & Onuphrium, & alios.

Vigesimum secundum, & Ecclesiæ decimumquintum post mortem Sergii quarti tempore Benedicti septimi, aliis octavi, qui adeptus est sedem anno Domini 1009. & contra quem, in seditione alius in locum ejus electus fuit, ipso pulso, tandem tamen restitutus, Platina.

Vigesimum tertium, quod erat Ecclesiæ decimum sextum schisma post mortem Joannis vigesimi primi apud Platinam tempore Benedicti noni anno Domini 1046. quem Romani in schismate sede, ut ignavum pepulerunt, & suffecerunt in ejus locum Joannem Sabinum, quem dixerunt Sylvestrum tertium, largitione creatum, quo tamen postea post quadraginta novem dies pulso, restitutus est Benedictus, Platina. Fuit tamen & magnum tum schisma, cùm Benedictus renunciasset Episcopatum Gregorio sexto, habitumque Concilium contra Benedictum nonum, & alios Pseudo-Pontifices, quibus dejectis, creatus, curante Henrico tertio Imperatore, Syndegerus Bambergensis Episcopus, dictus Clemens secundus, teste Platina. Meminit & de his iterum Platina in Gregorio sexto. Describit & hoc schisma accurate Hermanus Contractus *in chron.* Leo Ostiensis *lib.* 2. *hist. Casinen. cap.* 80. & 82. Blondus *lib.* 2. *decad.* 2. Otho Phrysingensis *lib.* 6. *hist. cap.* 32. & 33.

Vigesimumquartum, & in Ecclesia decimum septimum fuit post obitum Stephani noni, aliàs decimi Lotharingi anno Domini 1058. tempore Benedicti decimi, qui ab Hildebrando subdiacono cum factione Clericorum Pontificatu pulsus fuit, quod per vim & largitionem ad Pontificatum venisset, ut ait Platina in eo, & subrogatus in factione Gerardus quidam, in exilium misso Benedicto, fuitque Gerardus dictus Nicolaus secundus, Platina *in Nicolao secundo*, Hermanus Contractus, Onuphrius, & alii. Eo tempore factus Canon in nomine Domini d. 23. de elect. Sum. Pontif.

Vigesimumquintum, & in Ecclesia decimum octavum, gravissimum fuit schisma post mortem Nicolai secundi anno Domini 1062 quando Alexander secundus creatus fuit summus Pontifex à Transalpinis, contra quem Cisalpini Episcopi arbitrati ob dignitatem provinciæ suæ par esse, ut è suo numero aliquis eligeretur, elegerunt alium Pontificem Cadolum, dictum Honorium secundum, ejusque rei gratia prælium commissum est. Cessit postea tamen Cadolus, cui & abrogatus Pontificatus in Concilio Mantuano 6. Kalend. Novembris anno 1064.

Vigesimum sextum, & in Ecclesia decimum nonum videtur aliud quasi continuatio superioris. Siquidem, mortuo Alexandro secundo & suffecto in ejus locum Gregorio septimo, qui antea dicebatur Hildebrandus anno Domini 1073. in eum Henricus quartus exarsit ira, quod diceret à se ordinari debere Romanos Pontifices, cumque vellet permittere presbyteris uxores, illo se illi opponente. Quare & contra Gregorium septimum Henricus indixit Concilium contra Wormatiæ Episcoporum 72. qui exautorarunt Pontificatu Gregorium, ut ait Abbas Urspergensis *in chron.* creatusque

rusque in eo schismate contra Gregorium Gilbertus de Corrigia, dictus Clemens tertius, cujus etiam Clementis mortui in schismate fuerunt successores Victor, Urbanus, & Paschalis secundus. Crevit dehinc illud schisma, & congregato Concilio tertio Romæ per Gregorium septimum, fuit excommunicatus Archiepiscopus Maguntinus cum Episcopis, qui ejus consilio interfuerant, anathemate renovato in Henricum quartum, quem & imperio privavit, duravitque hoc schisma cum multis utrinque intervenientibus cladibus per viginti-novem annos, de quibus Platina, & Onuphrius *in Gregorio septimo*, Gregorius Schafnaburgensis, Leo Episcopus Ostiensis *lib. 3. hist. Casin.* qui eo tempore vixerunt, Otho Frysigensis *lib. 6. & 7. hist.* Imposuit finem huic schismati periculosissimo Calixtus secundus anno Domini 1120. qui cùm esset Gulielmi Comitis Burgundiæ filius, ac proinde Henrici Imperatoris consanguineus, ut quidam volunt, ex genere Francorum Regum, fretus ipsius favore captum Gregorium octavum Pseudo-Pontificem contra Galasium secundum creatum, cui ipse successerat, pelle induit ursina, & camelo impositum ad Canense cœnobium relegavit, & ita schismati finem imposuit, ut scribit Gulielmus Tyrius *lib. 2. cap. 8.* & Platina *in Calixto secundo.* Ad tempus illius schismatis magni referri potest & pars illius, quod fuit post mortem Urbani secundi anno Domini 1100.

Vigesimum septimum, quod erat vigesimum in catholica Ecclesia schisma natum vix pacato illo præcedente, post mortem Calixti secundi, in cujus locum delectus Honorius secundus anno Domini 1125. & electus contra illum à quibusdam Cardinalibus Cœlestinus, qui tamen postea cessit Honorio, ut *in eodem Honorio* scribit Platina.

Vigesimum octavum, quod & in Catholica Ecclesia erat vigesimum primum procedere videtur etiam ex prædicto decimonono, quod ortum post mortem Honorii secundi, in cujus locum electus est anno Domini 1130. Innocētius secundus, contra quem à quibusdam Cardinalibus quidam alius dictus Anacletus secundus electus fuit, & sedit in schismate per annos septem contra Innocētium, ut scribit Blondus *lib. 5.* & Paulus Æmilius *lib. 5.* sub hoc schismate fuit Concilium Herbipolense sub præsentia Lotharii Imperatoris, in quo confirmata electio Innocentii, damnato Anacleto. Idipsum factum in Concilio Clarmontensi secundum Polydor. *lib. 5. hist. Angl.* Rhemense secundum Naugiacum, Stampense, cui adfuit & D. Bernardus in generali, collectis mille Patribus in Laterano, teste Platina. Fuerunt tamen illa tēpora plena cædibus ob diversas factiones, diversas electiones defēdentium. Videndus Otho Frysigensis *lib. 2. hist. cap. 27. 31. 34.* ex libro de gestis Friderici Imperatoris *cap. 27. & 29.*

Vigesimum nonum, quod erat in Ecclesia vigesimum secundum schisma post mortem Hadriani quarti, etiam sævissimum, quod per viginti fere annos vexavit Ecclesiam, ab eo tempore, quo Alexander tertius electus à viginti duobus Cardinalibus anno 1156. electus est contra eum in schismate à tribus tantum Cardinalibus Octavianus Romanus, Victor quartus appellatus, & mortuo Victore in schismate rursus subrogatus in ejus locum anno 1164. Paschalis tertius Cremensis, antea dictus Guido, & cùm item mortuus fuisset Romæ anno 1169. alius subrogatus Calixtus Hungarus contra eundem Alexandrum tertium, & hoc se abdicante, alius item subrogatus Laudo nomine, dictus Innocentius tertius, aliique postea divisa, & fere cladibus vastata Italia ob duas sectas; unam Guelphorum, qui partes Alexandri tertii defendebant, alteram Gibellinorum, qui partes Pontificum Cæsarianorum protegebant, ex quibus Principes ferè omnes orbis dissidiis implacabilibus agitabantur, ut scribunt Onuphrius, & Platina, Æmilius *lib. 5.* & *in continuatione Sigeberti.*

Trigesimum, quod erat in Ecclesia vigesimum tertium aliud schisma, mortuo Clemente quinto summo Pontifice, electo in Pontificem, Joanne vigesimo secundo, Cadurcensi Gallo anno 1316. qui sedit Avenione, contra quem factus Antipapa per Imperatorem Ludovicum quartum Bavarum anno 1328. Petrus Corbariensis, Ordinis Minorum, dictus Nicolaus quintus, quem postea Bonifacius Pisacius Comes cœpit, & Avenionem ad summum Pontificem duxit, ubi & in Carcerem conjectus, obiit, Platina *in Joanne vigesimo tertio.*

Trigesimum primum, quod erat inter Catholicos vigesimum quartum schisma creditur omnium gravissimum, & longius post mortem Gregorii undecimi electo in ejus locum Urbano sexto Neapolitano anno Domini 1378. quo tempore Clemens septimus Arelatensis Antipapa fuit à Cardinalibus Gallis ordinatus, contra Urbanum, & ejus successorem Bonifacium nonum, seditque Avenione, annos quindecim, menses undecim, dies viginti tres, Clementique adhæsit Francia & Hispania, duoque Concilia pro ea habita Lutetiæ, seditque post Clementem septimum electus à Cardinalibus Petrus Luna, dictus Benedictus decimus tertius, anno Domini 1394. & sedit Pontifex Avenione annis plus minus triginta. Fuit eo tempore initum Concilium Gallicanum omnium Prælatorum jussu Caroli sexti Lutetiæ, in quo Benedictus Antipapa depositus, qui nihilominus noluit cedere, ut habetur *in Chron. Franc.* & apud Gaguinum *lib. 6.* Auxit schisma electio Gregorii duodecimi, qui & depositus est, ut Benedictus decimus tertius Pisis in Concilio, electo Alexandro quinto Cretensi anno Domini 1409. Verùm neuter voluit obtemperare Concilio & additus alius electus Joannes Neapolitanus, aliquibus dictus Vigesimus tertius, aliis vigesimus quartus. Quamobrem congregatum fuit Concilium universale Constantiense in Germania Patriarcharum quatuor, Cardinalium viginti novem, Archiepiscoporum quadraginta septem, Episcoporum 270. & aliorum Prælatorum ac Doctorum 560. præsidente initio Joanne Papa contra schisma trium Pontificum, nempe contra Benedictum 13. qui sedebat in Hispania, Joannem 23. qui sedebat Bononiæ, Gregorium 12. qui sedebat Avenione. Quare illi tres in Concilio dignitate privati, ac depositi fuerunt, & electus Martinus quintus anno Domini 1417. At, non obstante Concilii decreto, mortuo Benedicto 13. factione Alphonsi Regis Aragonum, alius Clemens, octavus dictus, in locum ejus creatus à quibusdam anticardinalibus & sedit annos quinque, antequam se abdicaret potestate. Verùm tandem id facere coactus, remansit Martinus quintus solus, & schisma cessavit, sicque testantur Platina, & Onuphrius in vitis prædictorum Pontificum.

Ex constitutis circa schisma stabilienda est obedientia sūmo Pontifici, tanquam Christi Vicario præstanda, & quidem ex necessitate, ut ex multis juribus late confirmat Radulphus Tungrensis *lib. de Canonum observant. propos. 3. & 22.* fuseque contra Vuiclefi hac in parte furorem Valdensis *lib. 2. doctrin. cap. 44. & seq.* Et esse debere hanc obedientiam non disceptatricem, sed cœcam autor Micrologi *cap. 25.* his verbis docet: *Sedi Apostolicæ omnes per omnia absque omni hæsitatione debemus obedire, cui nunquam debitam exhibemus obedientiam, si ejus statuta potius judicare, quam implere curamus. Hoc est enim privilegium obedientiæ, de sententia sui præceptoris non judicare, in iis duntaxat rebus, quas Canonicis Scripturis contraire, non videmus, immo statim exequi quod jubetur. Nam quicunque facere noluerit, nisi quod prius sua ratione probaverit esse faciendum, non tam præceptori suo, quam propriæ voluntatis arbitrio satisfecisse judicabitur. Hanc ergo puram obedientiam cum omnibus spiritualibus nostris præceptoribus certissime debeamus, maxime tamen Apostolicæ Sedi ex intimo corde debemus, quæ totius christianæ religionis caput est, & origo*

Haud aliter Hugo Etherianus *lib. 3. contra Græcos cap. 17.* cujus testimonium est eo acceptius, quod & Græcus fuit, & Sanctissimi Martyris Stephani Junioris, qui sub Constantino Copronymo claruit, suffragatione com-

communit sensum suum. Recitat deinde visionem Lintei S. Petro objectam in signum demandatæ illi à Deo operæ ad gentium conversionem, & paulò post ita concludit: *Quicunque ergo naviculam Petri spernit, incautè navigat, & nisi plumbeas moles pervicacitatis reiiciat, influent maria. Indecens quippe ac inconsentaneum est legem matris dissolvere. Audi, inquit Salomon fili sermones patris tui, & ne abiicias legem matris tuæ. Hæc est illa pia & sancta mater, quæ non quomodolibet, sed Christo providente, instruente Paracleto, atque dictante Petro, Spiritum ex Filio procedere asseverat.*

Concinit Cyrillius Alexandrinus *in thesauro*, cujus verba latine jam versa producunt Hieronymus Donatus *in Apologet. de Romanæ sedis principatu*, & Turrianus *lib. 2. de Pontificis autoritate supra Concilia*, & ex eo Lindanus *lib. 4. panopl. cap.* 87. quæ sunt hujusmodi. *Debemus nos, ut qui membra sumus, capiti nostro Pontifici Romano, & Apostolicæ sedi adhærere. Ad nos pertinet, ab eo quid credendum, quid opinandum, quid tenendum sit, quærere. Quoniam solum Pontificis sit, arguere, corrigere, increpare, ratum facere, disponere, solvere, & ligare.* Paulò plenius hunc ipsum Cyrilli locum refert D. Thomas *opusc.* 1. *cap.* 68. & *opusc.* 19. *cap.* 3.

In Capitulari Gregorii secundi ad Marinianum, ac Georgium, suos in Baioriam legatos *cap.* 5. præscribitur, ut moneant eos, quibus baptismus collatus fuerit, deinceps necessarium illis fore, obedire corde promptissimo Præsuli Sedis Apostolicæ, cui cuncta subiacet religio, & universa generalitas populorum, Christiani nominis renata signaculo, ut irreprehésibile, placitumque fiat corpus Ecclesiæ per Christum Dominum nostrum. Eaque obedientia neglecta, nec fidem, nec quancumque pietatem, aut bona opera prodesse ad salutem posse, graviter contestati sunt Patres Concilii Turonensis adversus Nomenojum Britonum Ducem congregati, ut videre est apud Lupum Ferrar. *epist.* 84.

Hujusmodi obedientiam erga Romanæ Ecclesiæ Pontificem non ab infima duntaxat plebe, sed ab omnibus fidelibus, etiam Imperatoribus, pendi debere, gravissime contestatur S. Gelasius primus *ep.* 8. Nec tantum neminem esse ab hac obedientia exemptum, sed ne eximi quidem posse, affirmat Panormit. *ad cap. cum instantia de censib. de censib.* & Conrad. Brunus *lib.* 1. *de seditios. cap.* 5. *nu.* 2. Additque Gelasius, posse aliquos adversus stimulum recalcitrare, ac debitam Christi Vicario obedientiam excutere per contumaciam, sed divinam constitutionem, firmam nihilominus perstituram, & inconvulsam, exitium verò post cassos renisus iis certum esse, qui justa, & à Deo imposita Imperia detrectaverint. Idipsum Gregorius secundus *ep.* 2. *ad Leonem Isaurum*, & S. Gregorius septimus *lib.* 7. *regist. ep.* 24. contestantur. Sanctusque Cyprianus in hac denunciatione detrectantibus parere Capiti Ecclesiæ, Christo Domini, frequens est, sed luculenter *ep.* 55. *nu.* 22.

Et sapientissime id docuit verbis & factis Osvvinus in Anglia Rex. Nam, mota lite, an usus Romanæ Ecclesiæ circa diei Paschatis celebrationem, tenendus esset, an retinendus usus Judaïcus celebrandi Pascha decimaquarta luna, cùm Vuilfridus Catholicus Colmanum ea in parte schismaticum, urgeret exemplo S. Petri, & Successorum ejus, quibus in Petro Christus dedit claves Regni cœlorum; ait Rex; Verene Colmane, hæc B. Petro dicta sunt à Domino? Qui ait: Vere Rex. Rursumque sciscitatus, an caput adversæ factionis tale aliquid à Christo audivisset, utrisque negantibus audivisse, sed consentientibus unanimiter, id soli S. Petro dictum esse, subintulit Rex: Et ego vobis dico, quia hic est hostiarius ille, cui ego contradicere nolo, sed in quantum novi, vel valeo, hujus cupio in omnibus obedire statutis, ne forte me adveniente ad fores Regni Cœlorum, non sit, qui reseret, averso illo, qui claves tenere probatur. Hæc sunt verba Bedæ *lib.* 3. *hist. Ecclesi. Anglor. cap.* 26.

Multa in hanc sententiam legere licet apud Agobardum initio operis de comparatione utriusque Imperii ad Ludovicum Imperatorem, ubi admonet eum quanta reverentia agendum sit cum Romano Pontifice, quanta eidem humilitate obediendum. Ex usu antiquo Latinos Principes non ausos connubia cum Græcis inire, nisi de assensu Romani Pontificis, prodit Nic. Gregor. *lib* 6. *hist. nu.* 4. Quod monstrat quanto studio ei obedirent in necessariis, qui tantum ei deferebant in rebus alioqui liberis.

CONSULTATIO XLIII.

An, & quibus remediis ac mediis Schismatici salvari possint, cùm ea, quæ ad fidem pertinent, omnia ferè credant?

CUm qui in uno peccat, ut habet Evangelium, factus sit omnium reus, proculdubio, siquis quæ docet Ecclesia, dicat se credere, non autem illi obediat, vel non obediendum esse illi doceat, reiicitur in æternum à Deo, cui obedientia plus placet, quam victima. Itaque rectissime ait Augustinus, neque schismatici aliquid sibi ex ista mercede promittant, quia similiter ubi charitas non est, non potest esse justitia. Dilectio enim proximi malum non operatur, quam si haberent, non dilaniarent corpus Christi, quod est Ecclesia *tom.* 3. *lib. de serm. Dom. in mon. cap.* 9. & *tom.* 4. *quæst. ex Matth.* 9. 11. Avelle, inquit sanctus Cyprianus *de simplic. Præl. sive de unit. Eccles.* radicem Solis à corpore, divisionem lucis, unitas non capit, frange ramum ab arbore, fructus germinare non potest, à fonte præcide rivum, præcisus arescit.

Salutem autem, inquit B. Augustinus *tom.* 7. *ser. super gest. cum Emerito, ultra medium*, non potest habere, nisi in Ecclesia Catholica, extra Ecclesiam totum potest, præter salutem. Potest habere honorem, potest habere sacramentum, potest cantare Halleluya, potest respondere, Amen, potest Evangelium tenere, potest in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti fidem & habere, & prædicare, sed nusquam, nisi in Ecclesia catholica salutem poterit invenire.

CONSULTATIO XLIV.

An, quatenus, & in quibus liceat Catholicis cum hæreticis communicare?

IN Bulla, quæ in cœna Domini quotannis publicatur sub verbis illis generalibus, in can. 1. appositis: *omnes quoscunque*, aut similibus, quibus utitur in singulis fere Canonibus, sine ulla controversia comprehenduntur omnes Christiani, secluso nomine, *arg. l. Julianus ff. de leg.* 3. & *can. si Romanorum* §. *dicendo d.* 19. tam mares, quàm fœminæ, tam laici, quam clerici, tam privatæ personæ, quàm in dignitate quavis seculari, vel Ecclesiastica constitutæ, ex quibus eæ etiam, quæ privilegio gaudent, excommunicari possint. Habetur siquidem in eis litteris, *non obstantibus*, tale privilegium non prodesse, ibi: *etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint.*

Et quamvis hæc verba ad solos, qui nunc sunt, sectarios, videantur referenda, non est tamen excusandus, qui hæresim novam, etiam sine novæ sectæ institutione, inveheret. Si enim talem sub verbis illis *cujuscunque secte* non velis comprehensum, certe erit sub illis. *Omnes & singulos hæreticos, quocunque nomine censeantur.*

Summus Pontifex unice excipiendus est, ut pote quod excommunicatio omnis, ut alibi diximus, sit de jure pon-

Pontificio, sub quo ipse non est, sed supra Nec ei se intendit obstringere, arg. cap. proposuit de concess. præb. & cap. innotuit de elect. & expresse habetur in can. ideo permittentes §. his ita 25. q. 1. his verbis: *Summæ Sedis Pontifices aliter nonnunquam agendo se decretorum dominos, ac conditores esse ostendunt.* Facitque *l. Princeps ff. de legib. l. omnium l. de testam.* & tradunt Glos. *in can. si inimicus v. expectare d. 93. fo. Andr. in cap. nulli nu. 2. de sent. ex rem.* ibique Anchar. *num. 3.* & Felin. *num. 5.* Lignan. *in Clem. si Summus de sent. excom.* Gemin. *in cap. statuimus num. 11. eod. tit.* ubi etiam Franch. *num. 5.* ac Ricciul. *lib. 4. de jur. person. cap. 42. num. 14.* Ex quibus id colligitur à simili, & in terminis Ugolin. *de censur. Pontif. reser. p. 3. v. non obstantibus*, & alii.

Et quanquam contrarium suaderi videatur ex eo, quod Principes ex ratione quadam naturali, ac directiva suis debeat teneri legibus, *cap. cum omnes de constit.* ibi: *Quod quisque juris in alterum statuit, ipse debet uti eo, can. justum d. g. can. nos si 2. qu. 7. l. 1. ff. quod quisque curis.* Id tamen non convincit, quod de facto legibus se Princeps submittat præsertim pœnalibus, & quoad vim coactivam, nullo autem modo Pontifex, quem Ecclesiæ caput esse ob censuram extra corpus indecorum esset, & monstruosum. *Decet igitur primam Sedem observare ea, quæ decernendo mandavit, non necessitate obsequendi, sed authoritate impertiendi. Licet itaque sibi contra generalia decreta specialia privilegia indulgere, & speciali beneficio concedere, quod generali prohibetur decreto*, ut in *eodem can. Ideo, d. §.* His ita decernit Leo quartus apud Gratianum.

Exprimuntur autem *in d. can. 1.* sectariorum nomina, de quorum significatione, ac origine consulendus, si libet, Ugolinus *loc. cit. p. 2. cap. 1. initio*, & Sousa *relect. ad Bull. Cœnæ cap. 2. in annot. ad textum n. 10.* Immo & aliquo modo hæretici in particulari per ea verba, *omnes ac singulos*. Tamen indulto Concilii Constantiensis constitutione, ad evitanda, quæ antiquo juri, quo omnes excommunicatos vitare prohibeamur, derogavit, vitandi non sunt, donec nominatim denunciati publicè, & in singulari non fuerint, ut sæpe diximus. Hæc enim Bullæ Cœnæ sententia non est per verba individua, & singularia, siquidem nominatim denuntiare est expresso nomine proprio, vel aliis indubitatis signis, ac circumstantiis appositis, quæ certo, & absque alio dubio personam demonstrent, manifestare; ut ait Glossa *in cap. Et plantare §. excommunicatos v. nominatim de privil. & in cap. constitutionem de sent. excom. in 6. & it Clem. 1. de vit. & honest. Cler.* ubi Panorm. *in cap. in Lateranensi nu. 7. de præb.* & alii, quos sequitur Sayr. *de cens. lib. 2. cap. 12. num. 17.* contra Bernardum *in cap. à nobis de sent. excom.* asserentem eum excommunicatum nominatim, qui offendit ad Canonem sic sententiam ferentem: *Quisquis hoc fecerit, excommunicatus sit.*

Quod etiam dicimus contra Sotum *in 4. d. 2. q. 1. ar. 1. concl. 3.* arbitrantem, hoc esse speciale in hæreticis propter enormitatem criminis, & infectionis periculum, ut quocumque modo detecti, evitandi sint ad mentem Pauli, & Joannis Apostolorum. Et quidem antiquo jure specialiter id erat cautum *can. siquem forte 24. qu. 1. cap. 1. de hæret.* At indultum præfati Concilii generale est, ut non sit dicendum, præteriisse hæreticos, ut per Suarez *tom. 3. in 3. p. 18. sect. 1. vers. tertio observandum*, his præsertim temporibus, quibus hæretici in aliquibus Provinciis sunt innumeri, ut impossibile fere sit cum ipsis non congredi. Quamobrem cum de his vigeat maxime Constitutionis ratio, quæ est *ad evitandum scandalum, & alia pericula, quæ conscientiis timoratis contingere possunt*, utique & dispositio vigere debet *arg. l. illud, ff. ad leg. Aquil.* Et ita ratione hæresis, aut promulgationis Bullæ Cœnæ, hæreticos non adhuc esse vitandos, præter Suarez, asserunt Ugolin. *ibid.* Sayr. *loc. cit. lib. 3. cap. 4. nu. 32.* Tolet. *lib. 1. cap. 10.* Sanch. *in decal. lib. 2 cap. 9. num. 3.* Filiuc. *tract. 16. cap. 2. nu. 30.* & Duard. *lib. 2. in d. But. cœn. can. 1. qu 7.* cujus rei optimum est indicium, Pontificem adhuc nominatim denunciasse eos, quos vitandos voluere, ut B. Pius V. anno 1569. Elisabetham Angliæ Reginam.

Idemque dicimus contra Ugolinum *loc. cit. qu. 15.* asserentem, non modò singulariter denunciatos, sed etiam ita notorie hæreticos, ut hanc excommunicationem se contraxisse, nulla tergiversatione, inficiari possint, esse vitandos. Nititur in extravagante, ad evitanda, lata in Concilio Basiliensi *sess. 20. aut 21. secundum alios*, in qua non solum denuntiatos, sed etiam notorios evitare præcipimur.

Et quidem grave est dubium, cui standum sit Concilio, Constantiensi-ne, quod de solum denuntiatis, ac de notoriis Clericorum percussoribus, an Basiliensi, quod generaliter de omnibus notoriis ita, ut excommunicationem incurrisse nulla via possint inficiari præcavet.

Pro Basiliensi pugnant Panorm. *in Clem. 2. de sent. excom.* Covar. *in cap. alma mater eod. tit. in 6.* Felin. *in cap. Rodulphus nu. 73. de rescript.* licet aliqualiter hæsitet, Ugolin. *de censur. in gener. tab. 1. cap. 13. §. 7.* Navar. *in can. 1. n. 10. §. Labores. de pœn. d. 1. & in man. cap. 27. nu. 35. in antiq.* Sylvest. *in sum. v. excommunicatio 5. q. 7.* Ea ratione, quia fuit posterius Constantiensi. Ultima autem lex est attendenda. Et quamvis non fuerit ex integro legitimum, prædicta tamen sessio dicitur approbata ab Eugenio IV. qui aliqua dicti Concilii decreta confirmavit, teste Vivaldo. Et hujus est manifestum signum, quod idem Pontifex post præfatum Concilium privilegia Monachis S. Benedicti elargiens, concessit, posse cum excommunicatis participare, dummodo non essent specialiter denuntiati. Quod si id per Constitutionem Constantiensem licuisset, privilegio quid opus?

Ex Ugolino habemus Constitutionem Basileensem confirmatam à Nicolao V. ex Covarruvia à Martino V. & à Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess. 2.* & ex Vivaldo *p. 2. candelabr. tit. de sent. excom. num. 73.* & ex Gambarupt. *de casib. reser. ad can. 1. Bul. Cœn. sub n. 24.* Quam etiam confirmaverat idem Leo in Concordatis inter ipsum, & Franciscum primum Galliarum Regem *tit. de excommunicatis non vitandis*, ut refert Alterius *tom. 1. de censur. lib. 1. disp. 6. c. 1. col. 2.* Constitutio verò Constantiensis non reperitur, sed solius D. Antonini authoritate de ea constat, pluresque eam admittentes inquiunt, non fuisse perpetuam, sed ad quinquennium duntaxat editam. Immò etiam aliqui arbitrantur, non fuisse universaliter approbatam, præsertim ab Italis ex D. Antonino 3. *p. tit. 25. cap. 3.*

Pro Constantiensi tamen militant D. Antoninus *loc. cit.* Caietanus *in sum. v. excommunicatio minor ad fin*, Sotus *in 4. d. 22. q. 1. ar. 4.* ubi ait, sine metu huic adhærendum, Victoria *de excom. n. 10.* Major *in 4. d. 18. qu. 3.* Adrian. *in 4. tit. de confes. dub. 9. & de clavib. qu. 3. & de Euch. qu. penul.* Turrecrem. *in sum. de Eccles. lib. 2. cap. 100.* Dried. *de libert. Christ. pag. 88.* Sylvester se retractans *in fine Conflatorii*, Ledesma *p. 2. q. 25. art. 1.* Navarrus, mutata sententia, *in man. recent. d. cap. 27. n. 36. in fine* Vivald. *loc. cit. n. 74.* Suarez *ubi supra, & de censur. disp. 11. q. 5.* Avila *eod. tit. p. 2. cap. 6. disp. 2. dub. 1.* Alter. *ibid.* Azor. *instit. mor. to. 1. lib. 8. cap. 13. qu. 7.* Conink *de censur. disp. 14. dub. 2. nu. 9.* Sayr. *tom. 1. thesaur. lib. 2. cap. 1. nu. 8.* Sanchez *d. cap. 9. num. 5.* Duard. *qu. 8. num. 2.* & Gambarupta *loco superius allegato.* Horum commune fundamentum est, quod hæc constitutio usu nunquam improbato jam sit recepta. Id, quod locum habet, sive extravagans Basileensis confirmata fuerit, nec ne: Consuetudine enim, quæ est optima legum interpres, *cap. cum delectus de consuet. ac l. minime ff. de legib.* Basileensis verò nonnisi cum limitatione Constantiensis recepta est.

Attamen sessionem Concilii Basileensis, in qua extravagans edita est, fuisse illegitimam postquam ni-

mirum à Pontifice Concilium desciverat, testatur Turrecrem. *loc. cit.* qui eidem Concilio interfuit. Subditque, quod etiamsi ante schisma fuisset edita, non fuerit per Pontificem confirmata, ut etiam ostendit Alterius *ibidem*. Unde in Concilio Lateranensi *sess.* 2. Basileense appellatur Conciliabolum. Et quanquam ibi ea constitutio habeatur rata, liquet inde tamen, pro sola Gallia haberi conformiter ad concordata. Neque talis confirmatio recepta est, sicuti nec multa alia hujus Concilii decreta, teste Soto *d. ar.* 4. Navarro *de orat. ac hor. can. cap.* 22. *n.* 5. & Vivaldo, citante ad id Caietanum, & Mirandam, Archiepiscopum Toletanum.

De confirmatione autem prædicti Concilii Basileensis per Eugenium, aliosque Pontifices constat quidem, sed in aliquibus duntaxat, inter quæ prædicta Constitutio non reperitur, ut per Sayrum, & Suarez locis allegatis. Privilegium verò erogavit Eugenius vel ad instantiam illud efflagitantium, vel ad scrupulos eliminandum, cùm neutra Constitutio præ temporis brevitate potuerit longo usu confirmari. Unde & dubium ingruebat, utri esset standum. Constantiensem denique, tum ad perpetua tempora, tum ad communem omnium favorem, editam fuisse, ac receptam, asserit D. Antoninus, referens, id audivisse à Legato Concilii, & ab Episcopo Busoniensi, qui de duratione ambigens, Pontificem consulerat.

Sectando igitur posteriorem sententiam, quam alibi etiam sequuti sumus, firmum, ratumque erit, Catholicos hodie in Anglia, Germania, Belgio, cœterisque regionibus cum hæreticis participantes, non solum minorem excommunicationem effugere, sed ne quidem peccare, quia simul præceptum vitandi ablatum est, Navar. *de hæret. conf.* 15. Azor. *ibid. cap.* 11. & Sanchez *cap.* 9. *n.* 5.

Quapropter & subditi, qui Principi excommunicato ex antiquo jure *can. nos Sanctorum* 5. *qu.* 6. absolvebantur à debito fidelitatis, & obedientiæ præstandæ, quam pœnam ait D. Thomas 2. 2. *quæst.* 12. *ar.* 2. specialius mereri hæresim, quia hæreticum esse Principem in magnam vergere potest fidei corruptionem, non sunt hodie à juramento soluti, donec eorum Principes tolerantur *arg. can. Julianus* 11. *qu.* 4. ubi Glossa, & donec non sint nominatim denuntiati, ut loquitur idem D. Thomas, qui subdit, præter promulgationem excommunicationis, non esse necessariam alteram denuntiationem, qua subditorum dominio Princeps hæreticus pronuntietur exutus. Ipso enim facto sequitur ad excommunicationem. Quod habetur expressum *in cap. fin. de hæret.* Confirmatque Caietanus *eo loco*. Quia in suo principali intelligitur declaratum accessorium, cujusmodi arbitratur esse excommunicationi alius hæreticorum pœnas.

At quicquid sit de hac sententia, in praxi consuevere Pontifices specialem de hac absolutione mentionem facere. Sic B. Pius V. in sententia contra Elisabetham, Angliæ Reginam. Sic Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi Fridericum Secundum ab Imperio Romano dejecit per hanc subditorum absolutionem, inhibitionemque, ne quisquam de cœtero ei tanquam Imperatori pareret. Hic tamen distinctè à Gregorio nono excommunicatus fuerat. Sic Clemens quartus Ludovicum Bavarum, jam antea à prædecessoribus suis excommunicatum Imperii privatione mulctavit, de quibus Suarez *contra Reg. Angl. lib.* 3. *cap.* 23. *num.* 14. Ususque iste probatur in simili à Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio *cap.* 3. *relato in cap. excommunicamus* 1. *de hæret.* §. *moneantur*, his verbis: *Si Dominus temporalis monitus ab Ecclesia terram suam purgare neglexerit ab hæreticorum fœditate, per Metropolitanum excommunicetur, & si satisfacere neglexerit intra annum, significetur hoc summo Pontifici, ut ex tunc ipse vasallos ab ejus fidelitate denuntiet absolutos*, faverque D. Thomas *lib.* 3. *de regim. Princip. cap.* 10. qua de re nos alibi fuse.

Dicitur autem in citata Constitutione Constantiensi *per hoc tamen hujusmodi excommunicatos non intendimus in aliquo relevare, nec quomodolibet suffragari*, ut sit perspicuum, non fuisse Concilii mentem, indultum in excommunicatorum cedere commodum. Qua ex clausula D. Antoninus, & Caietanus, stante præcepto, quo etiam ipsi excommunicati tenentur aliis non communicare *ex cap. fin. de exces. Prælat.* & *cap. illud de Cler. excom. ministr.* opinantur, eos adhuc peccare, ut antea, si participationi se immisceant.

Aptius tamen distinguunt Sotus, Ledesma, Vivaldus locis supra citatis, & Coninck *dub.* 3. quod si fidelis est prior excommunicatione, hæreticus sine culpa potest respondere. Nam alioquin favor Catholicorum nullus esset, & Catholicus se ingerens, ut hæreticus, mutuo sibi communicet, cooperaretur peccato, quod esset augere scrupulos potius, quàm auferre. Communicatio siquidem de sua natura est reciproca. Si verò hæreticus est prior, culpæ, pœnæque fit obnoxius.

Huic distinctioni ego modum insuper adhibeo, scilicet, si hæreticus, qui est prior, communicat ad sui utile & commodum. Huic enim adversatur indultum. Secus si in favorem fidelis alloqui, & communicare incipiat. Quia tunc indultum ipsi non suffragatur, sed ei, cum quo congreditur, & aliàs, ut dicebamus, participatio debet esse mutua, ut ea concessa ex parte unius participantis, natura sua in eadem causa sit concessa ex parte alterius. Siquidem, erogato privilegio, censentur ea omnia permissa, sine quibus privilegium integrum non habet effectum, *arg. cap. quia diversitatem de concess. præb.* & *cap. statutum* §. *in præferendo de rescript. in* 6. Necessarium autem est in utilitatem Catholici, quod ex humana societate desumitur, hæreticum etiam posse, priorem se se ingerere.

Superest igitur hæretico inhibita participatio, ut olim, sed cum Catholicis in emolumentum sui, cum aliis verò hæreticis omni modo, cùm etiam inter se præcipiantur non communicare, ut tenet cum communi Ostiensis, Joannes Andreas, Butrius & Abbas *in cap. illud de Cler. excom. ministr.* & *in cap. nulli de sent. excom.* traditque Ricciul. *lib.* 4. *cap.* 43. *nu.* 14.

Non est autem nominatim excommunicatus denuntiatus, nec subinde vitandus, qui per solam sententiam declaratus est hæreticus, sic decernente Concilio Constantiensi, quod, utpote gratiosum è rigore favorabili verborum, non est extrahendum: *nisi censura fuerit illata contra personam certam à Judice publicata vel denunciata specialiter, & expresse*, Covar. *in d. cap. alma mater*, Vivald. *n.* 75. Navar. *in can. quando de consecr. d.* 1. Graff. *lib.* 4. *decis. cap.* 18. *n.* 5. *in fine*, & Sanchez *cit. cap.* 9. *n.* 4.

Quod tamen negant Sotus *lib.* 9. *de just. & jur. q.* 1. *ar.* 8. *lib.* 1. & *in* 4. *d.* 1. *q.* 5. *ar.* 6. *concl.* 8. Petr. Sot. *de excom. lect.* 4. §. *jam verò*, Medin. *Cod. de confes. q. de confessione scienter facta excommunicato*, §. *per hæc patet*, Gutier. *quæst. Canon. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 42. Henriq. *lib.* 13. *de excom. cap.* 5. *n.* 4. Rodriq. *to.* 1. *cap.* 82. *n.* 6. *in sum.* & *ad Bul. Cruciat.* §. 6. *n.* 38. Quia declarato aliquo nominatim hæretico, eo ipso declaratur excommunicatus. Nam hæresim excommunicatio ipso facto comitatur.

Nobis autem sat erit, revera nondum esse excommunicationem denunciatam *specialiter, & expresse*, ut præscribit Constitutio Constantiensis, sed tantum virtualiter, & per quandam consequentiam. Qua in re fieri potest, ut hæreticus denuntiatus de hæresi, ignorans inculpabiliter censuram, eam non contraxerit, sicut etiam quod plures lateat, consequi ad hæresim excommunicationem, atque adeo illum evitandum nondum cognoscant.

Ampliat Sanchez priorem opinionem, etiamsi declaratoriæ hæresis apponatur, *incurrisse omnes hæresis pœnas*. Immo etsi dicatur: *incurrisse omnes censuras*. Nam adhuc, inquit, multos excommunicationem in eis comprehendi, latere potest. Cui non adstipulor saltem quoad hoc posterius de censuris. Quia excommunicatio princi-

principalior cùm sit in ratione censuræ nomine etiam censuræ primariò venit, ut ideo ex eo nomine audito, fere nullus possit citra culpam ignorare, quin declaratus censuratus, sit excommunicatus vitandus. Præterquam quod aliquorum ignorantia ad id sufficiens est, ex quo ea etiam attenta, contingit ignorari aliquando, nominatim denuntiatum excommunicatum fore vitandum cum tamen præceptum de vitando vim habeat. Porrò nomen *censuræ* est specificum, quod satis est ad mentem Concilii, ut propterea non sit opus vocabulo *excommunicationis*, quod est individuum. Rectè quoad nomen pœnarum quod est genericum, procedet sententia Sanchez.

Neque tamen vitandus est hæreticus, nominatim declaratus excommunicatus, nisi insuper sequuta publicatione, seu denuntiatione, cùm dicatur: *nisi à Judice publicata, vel denunciata*, Covar. & Vivald. *loc. alleg.* Conink. *eo dub.* 2. *n.*10. Suarez *disp.*9. *sect.*2. *n.*7. *de cens.* Navar. *in man. d. cap.*27. *n.*35. Duard. *qu.*8. *num.* 17. cum multis aliis, *Avila de censur. p.* 2. *cap.* 6. *dub.* 3. favetque Glossa *in clem.* 1. *v. publice de sepultur.*

Unde inferunt aliqui, ipsum Judicem, audientesque sententiam, non ad effectum publicationis adhuc prolatam, & eum, qui defert publicationis cedulam, non teneri vitare, donec publicatio reipsa sequuta fuerit. Quod quidem non rejicio, licet admoneo, non censeri sententiam, tunc demum esse publicam, quando ad multorum cognitionem devenit, ut jam sit notoria, sed per solam publicationem, aut promulgationem, affixionemve, authoritative factas, fieri talem, ut exinde, licet unicus sit, qui audierit, teneatur ille idem vitare, quamvis non alii, qui nondum norunt, sed successive juxta notitiam publicationis diffusam.

Nec tandem ex eodem indulto vitandi essent ipsi hæresiarchæ, vel publica Ecclesiæ fama notissimi infestatione hæretici, ut Beza, Erasmus, Vorstius, aliive juxta Sanchez *num.* 6. & Duardum *num.* 18. Siquidem non sunt specialiter denuntiati. Secus arbitratus est Henricus *lib.* 9. *de missa cap.* 15. *num.* 4. Quia diffamatio hæc æquivalet denunciationi, & quia adest ratio gravissimi scandali.

At primum constituit notorium tantum, quod ad mentem indulti non sufficit. Secundum verò aliunde peccatum duntaxat infert, nimirum ex scandalo. Sed hoc non reperitur in solo hæresiarcha, aut hæretico celebri, verum & in omni alio, licet forte minus. Quare communicatio tunc est vitanda ob peccatum scandali, non quia excommunicatio contrahatur.

Eadem est ratio de participantibus in rebus sacris, ut scilicet sine periculo excommunicationis possimus orare cum illis, audire Sacrum, & concionem, quinimmo ab eis Sacramenta petere, ac recipere. Nam favor dicti Concilii est generalis, ut communiter firmant Doctores relati.

Quamobrem nec profanatur Ecclesia, in qua hæreticus nondum denuntiatus, tumulatus sit. Quia textus *in can. Ecclesiam* 1. *&* 2. *de consecr. d.* 1. *cap. sacris de sepult. cap. consuluisti de consecrat. Eccles. cap. ad hæc de privil. Clem.* 1. *de sepult.* intelligendi sunt de excommunicatis vitandis, ut scilicet nec in morte communicemus iis, quibus dum vixerant, communicare nequivimus, ut dicitur *in d. cap. sacris*, & tradit Navar. *cons.*15. *de hæret. n.*4. Azor. *lib.*8. *cap.* 11. *q.* 3.

In quibus autem, & quando licitum sit communicare ita, ut nec peccatum aliquod committatur, petendum est ex doctrina de excommunicatis in genere, speciatim autem circa hæreticos hæc concurrere debent.

Primùm, ut non communicetur iis gratia favendi ipsis in hæresi modis infra explicandis, dum de receptatoribus, & fautoribus agemus. Tunc namque ultra crimen, contrahitur major excommunicatio *Can.* 1. *Bulla Cœnæ*, §. *Ac eis credentes &c.*

Deinde, ut participatio fiat in re licita. Hinc inferunt Sanchez *loc. cit. n.* 7. Navar. *cons.*16. *nu.*8. *de hæret. nu.*8. Azor *ibid. q.*4. *&* Ricciul. *de jur. person. lib.*1. *cap.*9. non licere comitari funus hæretici, si in locum sacrum sepeliendus feratur, quod tamen liceat, si in profanum. Illa etenim sepultura inhibita est *cap.* 1. *de hæret. in* 6. Similiter licere de fonte baptismatis hæreticum suscipere, si tamen ritu Catholico baptizaretur, secus si hæretico, non tamen è contra licere Catholico hæreticum filio suo adhibere patrinum, cùm hujus sit munus in fide instruere quem sustulit è lavacro.

Ad hæc, ut sit sine Catholicorum scandalo, & sine suspicione hæresis, Becanus *in compend. controvers. fidei. lib.* 5. *cap.* 6. inferens, seclusa hac aliorum offensione, suspicioneque licere cum hæreticis publice orare.

Denique, ut sit sine periculo subversionis, Azor ubi supra. Unde, quamvis sit licitum præceptori Catholico suscipere filios hæreticorum litteris erudiendos, quod intelligendum puto nisi aut ex nimia malitia, aut ex multitudine timeri possit condiscipulorum infectio, non tamen è contra licet Catholicorum filiis hæretici præceptoris adire gymnasia, Navar. *lib.*1. *constit. tit. de constit. cons.* 1. Ledesma *to.*2. *sum. tr.*3. *c.*12. *diff.*3. *post* 11. *conclus.* Sanch. *loco sæpius adducto n.*11. Ricciul. *d. lib.*1. *c.*8. *n.* 2. Becian. *ibid. cap.* 7. inferens ulterius, licere sine hoc periculo hæreticorum conciones audire. Qua tamen in re simplicem curiositatem crediderim, non excusare in viro præsertim non docto, aut non optime in fide confirmato. Quia periculum in disputatione, ac concione est prævalidum. Secus est, si ex aliquo probo fine audiantur, puta ad refellendum eorum errores, vel ad sumendam in fide roborationem, cognitis eorum nutantibus fundamentis.

Specialiter tamen sunt his de rebus Pauli V. ad Catholicos Angliæ litteræ datæ Kal. Octobris 1606. quarum initium, *Magno animi mœrore.* Eas referunt Suarez contra Regem Angliæ *lib.*6. *in proœmio*, & Ricciullus *loc. cit. n.*3. ut præcipientibus, etiam sub mortis metu Principibus *hæreticorum adire templa, eorumque cœtus frequentare, ac conciones audire*, obtemperare penitus sit illicitum. Hæc quidem tantùm ob subversionis periculum, sed eo etiam cessante, particularibus ex causis, quatenus scilicet imminente præcepto hæretici Principis, ij, qui frequentant, videntur hæresi, ac impiæ consuetudini assentiri. Ex quo sequitur in externam fidei professionem, ad quam tunc tenemur, graviter delinqui. Hæc igitur in litteris habentur: *Credimus proculdubio eos, qui tanta constantia &c. nunquam commissuros esse, ut coinquinentur communione desertorum divinæ legis; nihilominus zelo pastoralis officii nostri impulsi cogimur monere vos, atque obtestari, ut nullo pacto ad hæreticorum templa accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cum ipsis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurratis. Non enim licet vobis hæc facere sine detrimento divini cultus, ac vestræ salutis.*

Cumque sub die 9. Julii, 1620. quæreretur, an carceratis propter inobservantiam Legis Regiæ de accedendo ad templa hæreticorum diebus festis, ubi administrantur Sacramenta juxta commissionem Regis, liceat confiteri, se agnoscere, offendisse in legem regiam?

Et an liceat pro liberatione à carceribus exhibere libellum supplicem, & in eo instare pro submissione, quam facientes debent postea quandam professionem facere, in qua hæreses continentur.

Ad utrumque fuit responsum negativè.

An autem sit licitum cum hæreticis matrimonium contrahere? Et quidem expresse id in jure inhibetur *can. cave, & can. non oportet* 18. *qu.*1. ex Ambrosio his verbis *Cave, christiane, omnem hæreticam, & alienam à fide tua accipere tibi uxorem.* Et, *non oportet cum hominibus hæreticis miscere connubia.* Verùm hodie necessitate efflagitante, iis in locis, quibus ob multitudinem ac potentiam hæretici tolerantur, mixtique cum Catholicis vivant,

vunt contraria consuetudo, juris derogans, recepta est, ac per summos Pontifices permissa, ut tuta jam contrahantur conscientia, Navar. *d.consl.* 1. *n.*59. *&* 60. Becan. *loc. cit. n.* 2. Azor *c.*11. *q.*5. Sanchez *d. cap.*9. *n.*9. Quare juris dispositio vigere debet, ubi hæretici non tolerantur, nec usu est mos iste receptus. Tum ex odio hæreticæ pravitatis. Tum quia id de se prorsus est scandalosum. Tum quia periculosum, quod alter ex conjugibus se, liberosq; suscipiendos subversioni exponat. Tum tandem quia profanatur sacramentum, ac sacrilegium paratur, ut late Serarius *in opusc. de Catholicorum cum hæreticis matrimonio* & nos alibi. Sic Canon 10. Synodi Laodicenæ decernit, non debere Catholicos suis permittere liberis connubia indiscriminatim cum hæreticis. Huic similem sanxit Canonem 14. Synodus Chalcedonensis. Vox tamen *indiscriminatim* adiaphora, quam habet Canon Laodicenus innuere videtur, posse aliquando nuptias permitti cum hæreticis ubi gravis subest, atque rationabilis causa: eodem pariter collimant, & eandem sanctionem, iterant Canon Laodicenus 31. & Agathensis 67. à Gratiano in decreto insertus *eadem caus.* 28. *q.*1.

Tolerato tamen matrimonio, non censentur tolerata pacta, ut ex susceptis liberis aliqui, vel omnes juxta hæreticam impietatem instituantur. Quod verum arbitror, nisi forte hæc conventio in favorem Catholicæ Religionis redundet. Siquidem evenire potest, ut vir eminens, aliàs ex animo veræ fidei valde averso, velit omnes liberos juxta suam sectam institui, quo tamen permittente intuitu conjugii, aliquem ex liberis perpetuò, vel ad tempus sub Catholicorum disciplina educari, magnum Christianæ Reipublicæ emolumentum exoriatur. Hoc igitur rejiciendum non est, ut inter magnos Principes de facto sæpiu permissum alibi tradidi.

Nobis tamen Italis, ut residuam tut ıretur fidem, speciatim interdixit Clemens VIII. Constitutione, cùm sicut anno 1596. hæc matrimonia cum hæreticis mulieribus, sicut & præcepit abstinere ab hæreticorum funeribus, nec permittere liberos nostros à sacro fonte ab hæreticis levari, aut vicissim hæreticorum filios sustollere, nisi per Catholicum ministrum ritu catholico baptizentur, sed nec uti opera medici hæretici, præterquam in necessitate, ut dum copia idonei Catholici non suppetat, & tandem non degere ubi non sit templum aliquod, in quo sine periculo palam & publice sacrificium, sacramenta, concio, & alia divina, & sacra juxta Romanæ Ecclesię ritum, permittuntur, alioquin in transgressores, tanquam de hæresi suspectos procedi possit. De qua Constitutione Scotia *in Bullas selectas thor.* 402.

At quid de Sacramentis expetendis, suscipiendisque à ministro hæretico? Absolute dicendum est, non licere Catholicis à suis parochis, vel Episcopis hæreticis absq; necessitate expetere. Rationem desumo, non quidem ex parte hæresis, quia scilicet hæretici jurisdictione careant, ac proinde valide conferre non possint, ut arbitratur D. Thomas 2. 2. *q.*39. *ar.*3. *&* *p.*3. *q.*82. *ar.*9. habeturque *in can. Arrianos* 1. *q.*1. ubi tantummodo eorum baptisma ratum esse habendum, statuitur. Nam post Constitutionem Constantiensem locum id non habet, quod bene antea viguit. Quia cùm tunc hæretici ob solam excommunicationem vitandi essent, ob evitibilitatem hanc amittebant jurisdictionem, siquidem non erant ab Ecclesia tolerati. At nunc nonnisi per denuntiationem amittunt. Eousque enim Ecclesia tolerandi non præsumitur auferre jurisdictionem, Becanus *de fide cap.*15. *q.*13. Quare non desumitur ratio ex parte excommunicationis, ut videtur opinari Azor *cap.*13. *q.*7. sed ex eo (præter communem rationem, quæ militat de omni ministro obnoxio letali crimini, qui induci non debet ad ministrandum in eo statu,) quod urget peculiare periculum, ne debitus ritus servetur, & sic ritui, ac cæremoniæ pravitatis hæreticæ communicetur, nec abest periculum infectionis aut concipiendæ certæ cujusdam animi proclivitatis erga ritum talem, Becan. *d.lib.*5. *cap.*8. Qua de re nos alibi late.

In necessitate autem, qua non possint Sacramenta à Catholico commode recipi, & parochi ac Episcopi aliàs teneantur ex officio administrare, cùm non inducantur hi ad ministrandum necessario in eo perverso statu, quia conteri possunt, sequitur licitum esse ab iis expetere, Glossa *in cap. non est vobis v. baptismum de sponsal.* Palud. *in* 4. *d.*25. *q.*1. *ar.*3. *ad* 3. D. Antonin. *p.*3. *tit.* 14. *cap.* 19. Major *in* 4. *d.*19. *q.*1. Angel. *v. Confessio* 3. *nu.* 2. Rosella *eod. v. n.*35. Tabiena *v. absolutio* 1. *n.*32. Armil. *d.v. absolutio n.*12. Canus *de pœnit. p.*5. *fol.*83. Suarez *de censur. disp.* 9. *sect.*4. *n.*15. Avil. *p.*2. *disp.*8. *dub.*2. *ad* 2. Becan. *loc. cit.* & Azor *c.* 11. *q.*12. ubi adversam sententiam refellit.

Quando verò parochi ipsi, ac Episcopi sponte se offerunt, licite suscipiuntur, cessantibus tamen cæteris, nimirum periculum offensionis Catholicorum, scandali, erroris, ac indebiti ritus, Navar. *lib.*5. *consil.* 15. *de hæret. n.*2. Sanchez *n.*10. Vivald. *n.*79. Suarez *tom.*3. *in* 3. *p. disp.* 18. *sect.*1. *notab.* 3. Nam participatio cum iis non est interdicta, nec in divinis, ut diximus, neque tales à recipiente inducuntur ad peccandum, cùm se se sponte ingesserint. Insuper autē cùm sint tolerati, iis irrogaretur injuria, si Sacramenta ab ipsis respuerentur. Hinc secluso scandalo ac periculo, non solùm licitè sacro proprii pastorii intersumus, sed etiam ab eo Eucharistiam sumimus, si ipse se offerat publice. Nec enim arridet placitum Coninski *disp.* 14. *dub.*3. quod se se objiciens ad susceptionem, ei etiam, qui publice ministrat virtualiter petat, ac proinde peccet, quia inducit. Siquidem ille aliàs paratus est ministrare ita, ut non dicatur induci à suscipiente, quod sufficit.

Quod si hæretici ipsi à Catholico Sacramento petant, eodem procedendum est modo ac cum notis peccatoribus, aliisque excommunicatis, etiamsi specialiter essent circa fidem eorum Sacramentorum, ut scilicet, si petant publice, & in errore sint occulti, licitum sit ad obviandū scandalo, ac diffamationi eisdem ministrare exemplo Christi, qui facinoroso Judæ Sacramentum sui corporis non negavit. Si verò sint publici, ac noti, cùm cesset hoc casu diffamationis ratio, viget jus naturale ac divinum, quo sancta dare canibus prohibemur, D. Thom. *p.* 3. *q.*30. *ar.*6. qui idem fert judicium de criminosis, ac de publice graviter in crimine suspectis. Quod si petant Sacramenta occulte, noti tamen sint, deneganda sunt, Vivald. *n.*80. & alii communiter. Si denique sint soli ministro, noti, distinguendum cum communiori, ac veriori sententia, vel sunt noti ex Sacramentali tantum confessione, & ei Sacramenta denegari non possunt. Quia id esset aperte eis hæresim, confessione detectam, exprobare. Quod omnino est illicitum. Vel aliunde minister novit. Et tunc cùm non habeant jus petendi, cessentque diffamationis incommoda, aperte iis deneganda sunt.

CONSULTATIO XLV.

An oporteat, sive liceat cum Infidelibus, ac hæreticis collationibus, ac disputationibus publicis de rebus fidei agere, ut eorum confutentur errores, fideique veritas ostendatur? Quibus id liceat. Quæ in hoc regulæ observandæ sint? Et in quo casu Inquisitores cedere possint contra disputantes de fide, & quinam libri, & quomodo legendi?

RES hæc est maxime anceps, & quæ pro utraque parte non contemnendis nititur fundamentis.

In primis rem hanc potius privatis colloquiis, placida institutione, ac præcipue oratione ad Deum cum morum puritate, ac vitæ exemplo conjuncta perficiendam, res ipsæ in Ecclesia gestæ testantur, quibus compertum est, eos, qui ab hæresi ad Catholicam fidem ac religionem aliquando convertuntur, potius ex Spiritus Sancti tacito instinctu, & mansueta Catholicorum institutione, quàm argutiis disputationibus, excitari, ac permoveri.

moveri.

moveri. Ejus rei manifestum exemplum ostendit Deus in magno Ecclesiæ Doctore Augustino, qui de sua ex hæresi Manichæorum ad fidem conversione, inter alia scripsit matrem suam Monicham nihil non consilii, auxiliique à Deo, & hominibus passim, & assidue multisque cum lacrymis flagitasse, ut ipse filius ejus Manichæorum hæresi adhærens ad Ecclesiæ Catholicæ fidem, religionemque converteretur. Tandem quoque solicitè vehementerq; rogasse Episcopum, ut cum ipso filio suo dignaretur colloqui, ejusque errores refellere, ac docere eum meliora. *Noluit autem Episcopus*, verba sunt Augustini, *prudenter sane, quantum sensi postea. Respondit enim, nec adhuc esse indocilem eo, quod inflatus essem novitate hæresis illius, & nonnullis quæstiunculis jam multos peritos agitassem, sicut illa* (mater) *indicaverat illi. Sed sine illum ibi, addebat Episcopus, & tantum roga pro eo Dominum. Ipse legendo reperiet, quis ille sit error, & quanta impietas. Simul etiam narravit, se quoque parvulum à matre sua seducta datum fuisse Manichæis, & omnes pene non legisse tantum, verum etiam scriptitasse libros eorum, sibiq; apparuisse, nullo contra disputante, & convincente, quam esset illa secta fugienda, itaque fugisse. Quod cum ille dixisset, atque illa* (mater) *nollet acquiescere, sed instaret magis deprecando, & ubertim flendo, ut me videret, & mecũ dissereret, ille jam stomachans tædio: Vade, inquit, à me. Ita vivas. Fieri enim non potest, ut filius istarum lacrymarum pereat.* Hæc ille.

Nec minus in hanc rem facit conversio cujusdam gentilis Philosophi, qui unà cum aliis ad Nicenum Concilium accesserat, ut Christianorum religioni illuderet. Nam cùm is dicendi arrogantia, se inaniter jactitaret, & Sacerdotes petulanter irrideret, senex quidam simplex, Spiridion nuncupatus ex illustrium Confessorum numero, superbiam ejus non tulit. Qui, tametsi ineptæ subtilitatis, ac præstigiarum penitus expers erat, cum eo tamen disputare cœpit. At cum hæc res petulantibus, qui confessorem hominem simplicem esse cognoscebant, risum moveret quidem, & modestis injiceret timorem, qui verebantur, ne cum viro dicendi perito congressus haberetur pro ludibrio, cum tamen facultas, cui cùm talis, & tam provectæ ætatis esset, pudor erat resistere, data esset libere quæ vellet, loquendi: In nomine Jesu Christi, inquit, Philosophe, audito: Unus est Deus cœli ac terræ, rerumque omnium, tam oculis subjectarum, quàm eorum aciem fugientium opifex, qui hæc omnia & virtute verbi fabricatus est, & sacrato Spiritus Sancti afflatu stabilivit. Quare hoc Verbum, quod nos Filium Dei nuncupamus, misertum humani erroris, ac belluinæ vivendi rationis, ex Virgine nasci, cum hominibus una versari, proque iisdem mortem oppetere voluit, estque iterum venturus de eis rebus, quas quisque gesserit in vita, dicturus sententiam. Ista ita se habere sine ulla alia curiosa indagatione pro certo credimus. Noli ergo in his quæ fide duntaxat rectè intelliguntur, curiose refutandis, laborem frustra consumere quærereque quì ista fieri, vel non fieri possint. Quod si credis, mihi quidem sciscitanti responde.

Quibus obstupefactus Philosophus: Credo, inquit; & gratiis illi actis, quod ipsum devicisset, non solum eadem cum sene ipso sentire, verum etiam consilium dare cœpit illis, qui perinde erga fidem Christianam atque ipse antea, affecti erant, ut jam doctrinæ Christianæ assentiretur, atque jusjurandum adjecit, se non modo non sine numine divino mutatum esse, sed etiam vi, ac virtute quadam inexplicabili ad Christianam religionem conversum, moxque sermones convertens ad discipulos suos, vel ad eos, qui audiendi gratia advenerant: Audite, inquit, ô eruditi viri, donec verbis mecum gesta res est, verba verbis opposui, & quæ dicebantur, dicendi arte subverti. Ubi verò pro verbis virtus processit ex ore dicentis, non potuerunt resistere verba virtuti, nec homo adversari potuit Deo. Et ideo siquis vestrum potuit in his, quæ dicta sunt, sentire, quæ sensi, credat Christo, & sequatur hunc senem, in quo loquutus est Deus.

Huic simile est, quod Alexander Episcopus Constantinopolitanus, vir spectatæ virtutis ac dignitatis, à Philosophis provocatus, uni eorum, cum quo se disputaturum acceperat, dixit: In nomine Jesu Christi præcipio ne loquaris. Quod, ut primum dixerat, homo è vestigio tibi, obstructo ore conticuit. Plura alia leguntur exempla apud Athanasium, & Hieronymum *in vita Antonii*, apud Ruffinum *lib. 1. cap. 3.* Socratem *lib. 1. cap. 5.* Sozomenum *lib. 1. cap. 17.* & Nicephorum *lib. 8. cap. 15.*

Hæc & alia olim sic gesta sunt. Nec mirum. Nam cùm fides in Deum & Christum Dominum nostrum sit domum Dei, oportet primum Deum in homine infideli, aut hæretico operari displicentiam erroris, & desiderium cognoscendæ veritatis priusquam humana industria erudiendo, suadendoque aliquid efficiat. Unde Apostolus Paulus Titum suum de hæreticorum conversione docens, non meminit contentiosarum disputationum, sed ait, *hæreticum hominem post unam & secundam correctionem devita, sciens, quia subversus est qui ejusmodi est, cum sit proprio judicio condemnatus.*

Præterea non opus est ad horum confirmationem, ut exempla plura longe petantur, cùm fere omnia colloquia, & disputationes publicæ, quæ superiori ac nostra ætate habitæ sunt, absque ulla fere eorum emendatione & conversione, quin potius cum inflato ipsi sint corde, victoriam jactitarunt. Id enim hæreticorum superbiam duntaxat cum insigni arrogantia conjunctam redarguit, qua licet maxime victi, non solum victoriam victoribus non tribuunt, sed eam quoq; sibi arrogare non vereantur. Et quis audivit unquam in ulla disputatione, aut colloquio hæreticos, quamdiu quidem tales esse non desierunt, ingenue professos fuisse, ab Orthodoxis se esse convictos?

Disputavit cum Pharisæis, & Sadducæis Christus, sed ab adversariis pro victoriæ laude calumnias, & blasphemias reportavit, *Joan.* 8. passimque alibi. Certavit cum Simone Mago Petrus, eumque non solum non validissime convicit, sed etiam contrivit, at victi tamen vocem victus Simon edidisse nullam legitur. Disseruit de fidei mysteriis in Areopago Paulus *Act.* 17. Sed quis victoriam ei cessit, nisi qui in ejus etiam sententiam, deposita infidelitate, concessit Dionysius Areopagita cum paucis? *Alii verò cùm audissent resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam vero dicebant, audiemus te de hoc iterum.* Disceptavit quoq; cum Pharisæis cœcus ille, jam non cœcus, sed corpore simul, & animo à Christo illustratus, & sane convicit. Sed quam ab hostibus palmam reportavit? *Tu in peccatis*, inquiunt, *natus es totus, & tu doces nos?* Joan. 9.

Convicti sunt utique in quatuor illis universalibus, ac celeberrimis Conciliis hæretici. In Niceno Arrius. In Constantinopolitano Macedonius. In Ephesino Nestorius. In Chalcedonensi Eutyches cum suis quoq; asseclis, sed victos se usque adeo confessi non sunt, ut contra victores etiam insolentius insurgerent. Decertavit cum Donatistis Augustinus, aliis Catholicis Episcopis associatus, eosque ita convicit, ut etiam cognitor sive arbiter ab Imperatore designatus, aperte contra Donatistas sententiam protulerit, ut videre est in Breviculo Collationum cum Donatistis, quem de hoc ipso Colloquio conscripsit Augustinus. Sed tantum aberat, ut Donatistæ se convictos faterentur, ut ipsum quoq; cognitorem, aperta calumnia, impetere non sint veriti, quasi verò à Catholicorum parte corruptus, injuste contra se pro Catholicis sententiam tulerit, ut legitur apud Augustinum *ibidem* & *Epist.* 152. Disputationem quoque suscepit Augustinus cum Felice Manichæo, sed nec iste Augustinus prius palmam concessit, quàm à suo errore decessit, ut habetur ex Actis ab ipso Augustino editis.

Magna quoque contentione dimicavit cum hæresiarcha Chonarum Theodorus Studita, vir sanctissimus pariter ac doctissimus. Sed finita disputatione, quid de illo adversarius? Ita putabam, inquit, hunc penitus nil scire, sed & elinguem eum reddidi, ut legere est ex Epistola quam ipse Theodorus scripsit ad Naucratium, relata à

Baronio *tomo nono Annalium Ecclesiasticorum.*

Colloquium inierunt anno 1465. Doctores Catholici, in primis Decanus Capituli Pragensis, de controversia illa unius speciei cum Rochizanno, & aliis Wicleffistis hæreticis, quos etiã de errore egregie convicerunt. Sed quid in fine colloquii Rochizannus? Tunc Rochizannus loquutus est sermonem longissimum, omnia priora replicans, gloriando se victorem esse jam altera vice contra Ragusium & jam contra Doctores &c. ut constat ex actis ejus Colloquii.

At quid antiquiora memoramus, cùm ejus rei luculentissima præteritum seculum præbeat documenta? Anno 1519. Lipsiæ tanta contentione depugnavit, quanta nunquam antea, vir præclara eruditione, atq; doctrina Eckius cum Luthero, & Carolstadio, & anno 1526. acerrime ac felicissime Badæ apud Helvetios cum Oecolampadio, disputarunt anno 1546. Ratisbonæ nobile par Malvenda, & Billikius, Theologi Cæsarei, viri doctissimi cum Bucero, & Brentio, ibidemq; anno 1601. Jacobus Gretserus, & Adamus Tannerus, Societatis Jesu Theologi celeberrimi, aliisq; cum Ægydio Hunnio, Jacobo Hailbronnero, cœterisq; Augustanæ confessionis Pseudo-Theologis sunt congressi. Concertationem acerrimam instituit ann. 1589. cum Jac. Andrea & Jac. Heerbrando Joan. Pistorius vir apprime doctus, ac disertus. Deniq; Cardinalis Perronius coram Henrico IV. Galliarum Rege colloquium habuit cum Plessio Mornæo Calviniano. Hi omnes cum adversariis & hæreticis, nec nisi convictis, aut egregiè confusis disputarunt. Sed quando tamen adversarii unquam, se convictos esse confessi sunt? Quando victoriam impudenter sibi arrogare non sunt ausi? Cujus forte causam eam possumus designare, quam Ambrosius *lib.5. in Luc.* significavit, inquiens: *Adverte cœleste Consilium. Non sapientes aliquot, non divites, non nobiles, sed piscatores & publicanos, quos dirigeret, elegit, ne traduxisse potentia, ne redemisse divitiis, ne potentiæ, nobilitatisq; authoritate traxisse aliquos ad suam gratiam videretur, ut veritatis ratio non disputationis gratia prævaleret.*

Verùm si oculos convertamus ad initia, progressusque Ecclesiæ nascentis, pro contraria sententia non deerunt gravissima testimonia. Nam inprimis D. Paulus disputavit in Synagoga publicè cum Judæis, & in foro per omnes dies ad eos, qui aderant *Act.17. & 18. & 20.* Idem quoq; de B. Stephano & Apolline ex eisdem Apostolorũ Actibus accepimus. Publicas etiam disputationes cum hæreticis, vel gentilibus plurimos ex antiquis Patribus iniisse, passim eorum gesta, & historiæ tradunt.

Deinde D. Augustinus, ut Possidonius refert cum quodam etiam Felice, de numero eorum, quos Electos dicunt iidem Manichæi, quique Hipponem venerat, eundem seminaturus errorem, publice in Hipponensi Ecclesia, Notariis excipientibus, & populo adstante, disputavit, & post secundam, vel tertiam collationem ille Manichæus, frustrata vanitate, & errore illius sectæ, ad nostram conversus est fidem, atque Ecclesiam, sicut eadem relecta docere poterit Scriptura. Immo ipse Augustinus sic ait contra Pelagium *lib.3. c.1. Donatistas ad collationem nobiscum venire per Imperialia jussa compulimus, in qua collatione victi sunt Donatistæ.* D. Cyrillus Alexandrinus contra Nestorium publice in Concilio Ephesino disseruit, illumq; superavit. Gregorius Magnus cum Eutyche Constantinopolis congressus est, eumque ab errore revocavit.

Divus quoque Bernardus publico congressu coram Concilio Remensi disseruit cum Gilberto Porretano, qui de hæresi convictus, Ecclesiæ decretis adhæsit. Idem Bernardus provocavit Petrum Abaylardum ad publicam disputationem, eumq; ad maximas angustias redegit. Ac deniq; anno salutis humanæ 645. habita est celeberrima illa coram Episcopis Africanis inter Pyrrhum Patriarcham Constantinopolitanum hæreticum, & Maximum Abbatem, eundemque Martyrem orthodoxum, ex qua idem Pyrrhus, Princeps Monothelitarum hæreticorum convictus, erroris diu defensi pœnitens, recantans palinodiam, oblato q; fidei Catholicæ libello Theodoro Romano Pontifici, receptus est unà cum titulo Patriarchatus in Ecclesiam Catholicam. In hac igitur disputatione post multiplices Pyrrhi, ut eleganter Baronius ad annum Domini 645. describit, objectiones ingestas, & à Maximo quàm disertissime confutatas, post nexus solutos, & defensiones, ac responsiones singulas quoq; convictas, post denique inanes tergiversationes elusas, acuminatasq; cavillationes retusas, cùm deficerent verba, dare manus omni penitus destitutus defensione Pyrrhus compellitur, & credere cogitur veritati. Magnum sane tunc, ut idem refert Baronius, vidit primum Africa, deinde Roma spectaculum. Africa quidem, dum quem paulo ante aspexerat magnis animis Patriarchali obstinatione insultantem Catholicæ fidei, ac veritati pro hæresi ore rotundo, in defensores fidei Catholicæ declamantem, in se ora omnium convertentem, jamque post se tertiam Orbis partem ducere captivam tentantem, eundem vi[d]erit ab extorre Monacho appetitum ut novum Goliath à puero Davide, non in hasta, vel ense, sed in nomine Domini pugnaturo conventum tanta corona Patrum, & Magistratuum & Africani populi circumdatum post acerrimam conversationem fateri se superatum abjicere clypeum, dare manus, & pedes conjicere sponte in compedes illos optabiles sapientiæ, ejusque vinculis alligari, de quibus Ecclesiasticus *cap.6.* Ita plane, cùm & victo Pyrrho, omnes, ut vincenti fuerint adgratulati, eundemque laudibus, ac benedictionibus prosecuti, quod revera cedens veritati perfidium superasset, impietatem subegisset, contrivissetque Satanam pedibus suis, qui solus lugeat se esse victum, hæresi debellata, & ejus defensore in offensorem mutato.

His ita constitutis, hoc certum est, quod disputans, dubius de articulo fidei, sibi sufficienter proposito, est hereticus, & sic disputando mortaliter peccat, quia est intrinsecè malum. Qui enim sic disputat, aut hæresim supponit, & tum certum est, quod peccet, aut de fide dubitat & veritatem fidei pro certo non supponit, sed argumentis experiri intendit, & tunc etiam graviter delinquit. Cum enim dubius in fide sit hæreticus, non potest non esse peccatum disputatio procedens ex tali dubio, confessioni fidei contrarium. Propterea talis disputatio, per quam res certæ, jam ab Ecclesia definitæ, in controversiam iterum vocantur, omnino est per sacros Canones vetita, ut desumitur ex Concilio Chalcedonensi *act. 5. in 2. definit. fidei*, & clarius ex S. Leone Papa *Ep.48. alias 50. ad Martianum Augustum*, ubi hæc habentur: *In eam fidem, quam Evangelicis & Apostolicis prædicationibus declaratam per antiquos Patres nostros accepimus, nulla penitus disputatione cujusquam retractationis admissa, omnium corda concurrant, ne per vanam fallacemq; versutiam, aut infirma videantur, aut dubia, quæ in Christo firmata sunt, & sine fine mansura.* Multa docet similia *Epist.73. 75. & 78. ad Leonem Augustum & 76. ad Anastasium*, necnon Gelasius *Ep.2. ad Episcop. Dardaniæ.* Hæc tamen nonnulli, ut Bannes, & Valentia 2. 2. *q.*10. intelligenda putare de eo, ut fides Catholica sufficienter proposita est ita, ut teneatur credere. Nam si esset aliquis, cui fides nondum sufficienter esset proposita, & solum eo fine disputaret, ut posset invenire veritatem, non peccaret disputando.

Et multo magis disputatio est illicita, si ad evertendam veritatem, & seminandum errores assumatur. Nam hujusmodi disputatio & lege divina, & naturali, ac lege etiam humana est prohibita, præcipue à d. Concilio Chalcedonensi, & à S. Leone Papa locis allegatis, & à jure civili *in l. nemo de sum. Trinit. & fide Cath.* Legem enim hanc loqui de disputatione, quæ fit cum dubitatione, & causa seminandi errorem, docent D. Thomas 2. 2. *q.*10. *ar.*7. *ad* 2. Pegna *in direct. p.*1. *cas.*25. Delben. *de offic. Inquis. p.*1. *q.*154. *pet.*4. *n.*6. Et licet aliqui suspicentur legem illam, etiam Clericos ligare, quia lata fuit à Marciano Imperatore, ad quem S. Leo de hac re scripserat *Ep.* 48. & ideo fuit edita authoritate Pontificis, attamen legum vis, & obligatio non debet fundari in suspicionibus. [illegible] debet

viæ,

quæ Clericos non obligat, Azor, *to.1.li.8.c.22.q.2.* Sanchez *lib.2. in decal.c.6.n.*8. Suar. *de fid. disp.20 sect.1. nu.7.* ac Delbene *loc.cit.* Quæ quidem responsio, licet generaliter loquendo, sit vera, nihilominus aliqui existimant, non rectè applicari ad citatam legem, quæ solum prohibet disputationes per se illicitas, quibus, ut diximus, res certæ, & ab Ecclesia definitæ, in dubium revocantur cum perturbatione fidelium. Unde, potius credendum est, legem illam fuisse legitimè latam à Martiano Imperatore Catholico ex consensu Leonis Papæ, qui de illa re ad ipsum scripserat. Lege autem divina prohibitum est revocare in dubium fidei articulos, qui sunt ab Ecclesia definiti, & ex hoc dubio disputare. Quod ulterius non deservit, nisi ad perturbandum animos audientium, & peius, si disputatio fiat ad oppugnandam fidem.

Ubi autem aliqua veritas non est ab Ecclesia definita, vel non est alicui sufficienter proposita, si ille ex desiderio addiscendi, & inveniendi veritatem disputet, licitè id facit, credendo interius quicquid credit S. Mater Ecclesia. Tunc enim illa disputatio non assumitur, nisi ut medium ad acquirendam fidem. Bannes 2.2.*q.10 ar.3.* Valentia 2.2. *disp.1.q* 10. *par.4.concl.1.* Sanchez *cit.cap.6. n.1.* Coninck. *disp.8.dub.9.n.142.* quos sequitur Delbene *ibid.* & Castropal *to.1.tr.4. disp.2. pun.4. nu.2.*

Immo hæreticus, si cupiens ad fidem redire, quia eum detinent contorta, & aculeata quædam sophismata, si illa proponat viro docto, ut ab eo solvantur, & impedimentum, quo detinetur, ne credat, propellat, recte facit, & in fidei favorem assumit medium, quo dubitationem contra illam evertat.

Disputatio autem materialis, quæ inter fideles fit exercitii causa de rebus fidei, per se ex objecto non est illicita, ne inter laicos quidem. Per disputationes enim acuuntur juvenum ingenia, & in litterario bello exercentur, ut postea, tanquam experti milites contra Ecclesiæ adversarios pugnare possint, Caiet. *d.* 2.2.*q.10. n.7.dub.1.* ibiq; Bannes, & Aragonius, Navar. *in man.c.11.n.27.* Castr. *lib.1.c.19.* Petr. de Ledesm. *to.2.tr.1.c.5. concl.13.* Valentia *loc. cit.concl.2.* Suarez *d. sect.1.in in princ.* Sanchez *eo c.6. n.9.* Conink *d.dub.9.* ac Delbene *cit. disp.154. part.6.n.16.*

Ex pluribus tamen causis hæc disputatio materialis potest esse mala. Primo ex parte quidem disputantis, si dubitet de fidei veritate, vel tendat ad veritatem evertendam. Secundò ex parte rei, de qua disputatur, ut si quis exercitii gratia defendat aliquam hæresim, ut si cum Averroe defendat unitatem intellectus in omnibus hominibus, Sylvest. *v. disputare*, loquens de sustinentibus hunc Averrois errorem, ait, eos peccare mortaliter, &, si sint laici, eos esse excommunicatos *ex cap.quicunque de hæret. in 6.* Tum quia generat scandalum, cùm esse non possit, quin ex adstantibus aliquis credat verum esse, quod defenditur. Tum quia imbecillitas defensoris, ac vis argumentorum redundat necessariò in damnum fidei, ac veritatis. Quod ad omnem falsitatem extendit Suarez *d.disp.20. sect. 1.* Tunc quia necesse est, multa falsa asserere pro veris, quorum plura vel asserentur, vel videbuntur asseri seriò, tanquam vera, non autem disputationis gratia. Et tum quia ex his disputationibus oritur ac firmatur affectus ad talia falsa, tanquam vera.

Id autem quod dixit Sylvester, nempe, si *laicus est*, qui disputationis gratia sustinet Averrois errorem, sit ex *d. cap.* quicumque excommunicatus, intelligitur de disputatione formali, quæ proprie est disputatio, ut exponit Caietanus *loc.cit.* non verò de disputatione materiali, quæ fit disputationis gratia. Sicque experimento comprobatur, quod in Universitatibus seculares de rebus fidei disputant.

Neque censeo, quod materialis disputationis gratia defendere aliquam falsitatem, etiam in materia fidei, per se ex objecto, sit illicitum, quamvis possit esse tale ex mala circumstantia. Nam in hoc casu per se ex objecto, non committitur mendacium, cùm constet, quod disputatio assumitur disputationis gratia. Quia tunc verba non significant sic esse in veritate, sicut significant, sed quod assertiones, & propositiones assumuntur, non quia sustineatur sic esse, sicut asseritur, sed quia disputationis gratia proferuntur, ac si verum significarent. Et quia hujusmodi disputationes per se non sunt perniciosæ vel scandalosæ, sed erunt forsitan tales per accidens ex conditione audientium. Nam aliàs si audientes sint viri in fide fundati, ac docti, nullum est periculum, vel adhæsionis ad falsum dogma, vel existimationis, quod falsa à defendente proferantur ut vera, vel pravæ affectionis ad falsitatem, immo ex infirmitate responsionum, & defensionis falsitatis, quæ nonnisi falsis inhæret, magis in eis firmabitur veritatis amor.

Et sane per se loquendo non est, cur dicatur, illicitum esse defendere falsitatem disputationis gratia, cùm certum sit, disputationis gratia impugnare veritatem. Quia nec impugnatur veritas, nisi ex falsis assumptis, & potest esse, quod impugnans iis sophismatibus, eaq; efficacia impugnet veritatem, ut persuadeat multis, maxime si defensor imbecillis sit. Verum ista contingunt per accidens, ex circumstantia scilicet, & qualitate particulari audientiū.

Per se igitur loquendo hæc disputatio non est illicita, sed utilis, & quodammodo necessaria, sicut utilis & necessaria est exercitatio disciplinæ militaris. Ecclesia enim literatis militibus indiget, non solum ad tuendam veritatem, sed etiam ad impugnandum errores, ac illos evertendum.

Tertio autem hæc disputatio materialis potest esse illicita ex audientium circumstantia. Si enim isti sint rudes, ac indocti, periculū est, ne in errorem labantur, præsertim si disputatio fiat vernaculâ linguâ. Nam ejusmodi personæ facilius percipiunt difficultates, quàm solutiones. Propterea Caietanus monet, non esse publice de his rebus disputandum, maxime de animæ immortalitate.

Quartò fit illicita, vel ex parte finis, si fiat ad ostentationem, aut ex alio fine non honesto, vel ex circumstantia disputantis, si sit rixosus, contentiosus, inurbanus. Nam, ut docet D. Thomas *d. ar. 7.* non verbis, sed sententiis est agendum in disputationibus.

Disputatio verò formalis de fide, etiam cum hæreticis per se est licita, & laudabilis, quando fit ad tuendam fidem, vel ad evertendum errores, ut cum D. Thoma *d. ar. 7.* docent Caietanus, Bannes, Serra, Valentia, Aragonius, Suarez *d.disp.10.sect.1.* Conick *d. dub.9.* Sanchez *eodem cap 6.* ac Delbene *ubi supra* cœteriq; communiter. Nam laudabile nimis est, tueri fidem, ac errores contrarios impugnare, ubiq; & quando opus est. Idq; comprobatur ex D. Petri authoritate *in Ep.1. Canon. c.3.* & D. Pauli *ad Timoth. 1.* quos refert D. Thomas *ibid.* Idque comprobat exemplum Christi, disputantis de sua divinitate ex *Psal.* 109. cum Judæis *Matt.22.* & afferentis plurimas rationes contra illos *Joan.8.* Sic quoq; Stephanus *Act.6.* & Paulus *Act.9.* disputasse de fide leguntur, & adversarios confudisse. Hoc idem Sancti Patres nedum verbo docuerunt, sed etiam exemplo, vim plures ex illis sæpe cum hereticis acriter disputarunt pro fide tuenda, & eorum erroribus impugnandis, ut passim Ecclesiasticæ testantur historiæ.

Quoniam disputatio cum hæreticis pro defensione fidei, nec de se est mala, nec jure aliquo vetita. Quia in illa actione non solum nulla est malitia, ob quam dici possit illicita sed potius cum sit quædam confessio fidei ex parte disputantis, ac de se ad optimos ordinetur fines, honesta censenda est, atque laudabilis. Ad dictam *l. C. te sum. Trin.* jam responsum est. Et quamvis Farinacius *de hæres. q.178 n.108.* absolute negativam tradat regulam inquiens, quod non liceat disputare de fide uterque quam plures Doctores, ille tamen consideravit id, quod est per accidens ex circumstantiis, omisso eo, quod est per se, & lex, quam adducit, non est universalis, Doctoresque, quos refert, loquuntur in terminis particularib. Cœterum disputare de fide absolute est res indifferens, etsi fiat ad tuendam fidem, ex objecto est honesta, ex circumstantiis tamen fieri potest mala.

Plures verò circumstantiæ sunt, ex quibus hæc disputatio

tatio formalis cum hæreticis, ac infidelibus potest fieri illicita, & mala. Prima est circumstantia disputantis. Multa enim ex parte illius sunt necessaria. Primùm enim requiritur firmitas in fide, ne forsan se,& audientes exponat periculo amittendi fidem. In hoc enim casu esset peccatum grave cum infideli disputare.

Deinde requiritur doctrina sufficiens ad defendendam fidem,& impugnandum errores. Nemo enim inexpertus,ac insufficiens,potest rectè assumere ministerium, ad quod est inexpertus. Alioquin exponeret periculo fidem,& deficiente illo in disputatione confirmarentur hæretici in errore, & fideles vel informarentur in fide, vel eam amitterent,habetq;in hoc locum illud Apostoli *ad Titum* 1. ut nimirum talis sit,qui in doctrina sana exhortari possit, & eos,qui contradicunt arguere, Azor *p.* 1.*lib.*8. *c.* 26. *q.*1. Becanus *de fide cap.*15. *disp.* 7. *n.*7. Sanchez *in decal.lib.*2.*cap.*6. *n.*8. Delbene *d.q.*154. *pet.*6. *n.*21. Suarez *loc.cit.* Castropal. *to.*4.*disp.*2. *pun.*4. *n.*3. Coninck *ead. disp.*8. *dub.*9. *n.* 140. & 141.

Quæ autem sufficiens doctrina requiratur,ex circumstantiis colligi debet, præsertim animadvertendum, an subjectum disputationis sit difficile, an obscurum. An disputatio sit publica, an coram doctis, anve coram rudibus,an sit per modum concionis, an scripto, an concertatione? Sicq; juxta conditionem periculi,quod ex disputatione imminere potest,judicanda erit gravitas peccati,quod incurrit indoctus, qui velit disputare de fide. Nam si non sit periculum,nisi confusionis ipsius disputantis,non erit hoc grave damnum, nec mortale peccatum cum tali periculo disputare, D. Bernardus *serm.* 64. *in Cantic.ex Origene homil.*10. *in exam.* in eo, qui disputat cum hæreticis requirit eloquentiam, linguarum peritiam,antiquitatis cognitionem, eruditionem Patrum, in artibus exercitium, ingenii celeritatem.

Postremò requiritur,quod non sit laicus. Nam *in Cit. cap.quicumq;*laicis prohibitum est disputare de fide.Quod antea in sexta Synodo generali *c.* 64. *Trullano,* sub pœna excommunicationis quadraginta dierum prohibitū fuerat laicis publicè disputare.Ut enim advertunt Caietanus *d.art.*7.& Suarez.*d.disp.*20.*sect.*1. Plerumq;laici non sunt ita instructi in difficultatib. fidei,sicut esse solent Clerici.

Ratio autem hujus prohibitionis tam privatæ, quam publicæ significatur *in Can. duo sunt* 12. *qu.* 1. his verbis *sed oportet ordini à Domino dato cedere,juxta illud Pauli ad Ephes.*4.*quosdam dedit Pastores,& Doctores.* Juxta quæ cum munus disputandi, ac docendi ex officio pertineat ad statum Clericalem, merito illi reservatur.

Nomine autem laicorum non comprehenduntur Clerici,etiam sola tonsura insigniti,neq;regulares,etiam non Clerici,qui vulgò regulares laici vocantur. Nam ij Clericorum privilegiis fruuntur, clarumque est quod *in Can. duo sunt.* 12. *q.* 1. nomine Clerici comprehenditur totum Ecclesiasticorū genus.Gem.*in d.cap.quicumq;n.*2. Franch. *n.*1.& Barbat.*n.*15.traduntque Suarez. *loc.citat. n.*10. Sanchez.*d.lib.*2. *c.* 7. *n.* 6. Coninck. *eo dub.*9. *n.*145. Delbene *cit. q.*154. *petit.*6. *n.*6. Sabell.*de Offic. Inquis.lib.*1. *cap.* 10. *regul.*86. *n.* 84. & Castropal. *ibidem.*

Verùm hîc distinctione utendum puto,ut sub nomine Clericorum comprehendi illos dumtaxat religiosos, qui litteris vacant,sacrosq; ordines participant. Sub laicis verò,qui in suis Ordinibus laici sunt;in illis enim ratio legis ordinariè locum habet;quia non sunt docti,nec sufficientes ad disputandum. Ideoque Leo Papa *Epist. superius citata*,inquit, *Prœter eos qui sunt Domini Sacerdotes,nullum sibi jus docendi, & prædicandi audeat vendicare* ; *sive sit Monachus, sive laicus,qui alicujus scientiæ nomine glorietur.* Ibi enim summus Pontifex nomine Monachi,eos potissimùm significare voluit,qui juxta morem sui temporis, licet religiosi essent,regulariter tamen non ordinabantur, nec litteris operam dabant. Si aliquis tamen reperiretur inter illos cum sufficienti doctrina,Suarez ibidem asserit quod sine peccato cum hæreticis disputare posset,præsertim à suo Prælato jussus.Tùm propter opinionem probabilem docentem sub nomine Clerici intelligi debere quoscumque religiosos, etiam nullum ordinē habentes. Tùm quia, si sub laicis comprehendantur, idem de his religiosis ferendum est judicium ac de ipsis laicis.

Quid igitur si Laicus esset vir doctus,& clarus? Respondeo,per se loquendo non posse,sed prohibitione *d. cap. quicumque de hæret.in* 6.esse comprehensum. Nam Alexander IV. absolutè prohibet laicis disputare de fide, Gloss.ibi *V. Laicus*,Gemin. & Franch. *n.*1. Barbat. *nu.*17. Caietan.*d.art.*7. Sylvester. *V.disp.*Valentia 2.2.*disp.*1.*q.*10. *pun.*4. Suarez. *cit. disp.*20. *sect.*1. Navar. *cons.* 17. *de hæret.* Sanchez. *eo c.*6. *n.*5. Azor. *d.lib.*8. *c.*26. *q.*1. Albertin. *de agnosc.propos.q.*13.*n.*12. Pegna *in direct.p.*1.*schol.*23. Aragon. 2.2.*q.*10.*n.*7. *not.*1. Becanus *de fide.c.*15.*q.*7.*n.*4. Coninsk.*d. n.*145. Castropal.*d.to.*4.*disp.*3.*pun.*4.*n.*4. Delben.*loc.cit.petit.*6. *n.*7. Si enim solùm laico indocto prohibitum esset disputare de fide, nihil speciale esset illi interdictum. Nam nè Clerico quidem indocto licet de fide disputare.

Nec refert quod aliquando nonnulli sunt laici doctissimi. Leges enim attendunt,ac respiciunt ad id,quod frequentius,& ut plurimum accidit. Quia igitur Clerici ut plurimū solent esse magis instructi, ac periti in doctrina sacra,laici vero contra,regulariter nō sunt docti,ideo omnibus laicis in communi meritò prohibita est disputatio formalis de fide. Nec in *præfato cap. Quicumque* per laicos intelligi possunt indocti tantùm, sive sint laici, sive sint Clerici,aut per Clericos,docti,sive sint pariter laici, vel Clerici. Et certè cum eadem ratio,immo major sit in hac disputatione,quam in simplici prædicatione,si sacri Canones istam prohibent omnibus laicis, ut habetur *cap. cum ex injuncto,cap.sicut in uno de hæret.in* 6. in Concilio Carthaginensi 4.*c.*98. & in *Ep.* 62. *Leonis Papæ cap. ult.* primam quoque illis prohibuisse, fatendum est, utrisque ipse comprobat.

Id tamen liceret laico in casu necessitatis,aut magnæ utilitatis,si enim esset infidelis,aut hæreticus qui fideles perverteret,nec adesset Clericus doctus qui ei posset resistere,tunc Laicus Doctus nedū posset,sed teneretur disputare,tum ex obligatione charitatis,tum ratione fidei,ac religionis despectæ,quā teneretur ab injuria defendere. Caietan. Bannes.& Aragonius *d.ar.*7. Suar.*d.disp.*20. *n.*12. Valentia *ibid.post.*2. *concl.* Turrian.*de fide q.*10.*n.*7.*disp.*10. Becan.*supra n.*6. Coninck. *d.n.*145. Delben. *cit. petit.*6. *n.* 21. & Castropal. *loc. cit. n.* 6.

Item liceret,si id nō faceret propria autoritate,sed missus à Clerico authoritatem habente. Tunc enim nomine Clerici disputaret,& sibi non arrogaret munus docendi, quod maximè prohibetur laicis ut ex S.Leonis *Epist. q.*2. *cap.ult.ac d.can.*64. *sextæ Synodi* & in *d. c. Quicumq;*non prohibetur laicus disputare,si jussus fuerit ab Ecclesia,sed solùm si id faceret ex propria autoritate, ut per Suarez *d. sect.*1.*n.*11. Delben.*ubi supra n.*13.& Castropal. *ibid. n.*7.

Liceret etiam ubi contraria consuetudo legē hanc abrogavit,sicut in locis,ubi permixtim Cathol.cum hæreticis vivunt,cum passim se offerat occasio disputandi exemplo Alberti Pyghii Comitis,& Henr.VIII. Reg.Angliæ qui fuerunt laici,& tamen cum Luther. disputarunt de fide.

Porro cum Alexander Pontifex *in d.cap.Quicumque* loquatur de disputatione formali,quæ inter fideles non habet locum,quia fit ad suadendam fidem,vel ad eam tuendam contra infideles:ideo laicis dumtaxat prohibitum est,cum infidelibus,& hæreticis disputare de fide.

Peccare autem laicum mortaliter,si contra hanc prohibitionem disputet de fide,certum est. Quia materia est gravis,& habet annexam excommunicationem, idque etiamsi esset doctus,ut per Caiet.*in summ. V. disputare in fin.* Armilla *eod.V.n.*1. Navar. *cons.* 24. *de hæret.* & *in sum. cap.*11.*n.*27. Suar.*ea sect.*1.*n.*12. Sanchez *d.cap.*6.*n.*3.*V.fides, n.*3. Albertin. *de agnosc. assert. q.* 13. *n.*12. ac Delben.*cit. sect.* 6. *n.* 24. Hæc autem excommunicatio non est latæ sententiæ, sed ferendæ. Nam *in d. cap. Quicumque* imponitur per verbum imperativum *innodetur* ut ibi tradunt Glossa, Archidiaconus,& Geminianus *n.*2. Franch. *n.*1. Caiet. *d.art.*7. Navar.*cons.*17.*de hæret.* Suarez *d.sect.*1.

Difficultas tamen est,an hoc in casu,antequam quis excommu-

communicetur, debeat præcedere admonitio? Eam non requiri vult Panormitanus *in cap.cum sit Romana,n.18.de appel.* quem refert Delbene *loc.cit.n.24.* Quia cũ lex prohibet aliquid sub pœna excommunicationis, sufficienter admonet; Et ideo plures, quos ibi adducit Delbene, autumant quod Clericus nũtriens comam, peccet mortaliter. Quia hoc illi prohibitum est sub pœna excommunicationis. At esse necessariam citationem, monitionem, & sententiam docent *in cit.cap.Quicumque* Glossa *d.V.innodetur* Jo.Andr.*propè finem* Gemin.*n.2.*Franch. *n.1.*Barbat. *n.18.*Loc.cit.*in judicial. Inquisit.v.disputare n.1.* Navar.*cons.25.n.1.de hæret.*Azor.*d.lib.8. c.26.q.1.* Sanchez *d. c.6. n.3.* Perez.*lib.3.tit.4.lib.8.*Becan.*d.q.7.n.7.* Sanctarel. *de hæres. c.8.n.9.*Farinac.*eod.tit.q.178. n.120.* & vult.Caiet. *v.Clericorum peccata*, nec displicet Delbene *d petit.6.n.28.* Quia, ut dixi, hæc excommunicatio non est latæ sententiæ, sed ferendæ, vel, quod idem est, non incurritur ipso facto, sed est commonitoria; quod rectè colligitur ex ipso loquendi modo, quo Pontifex usus est. Non enim dixit *excommunicationis laqueo innodatur*, sed *innodetur*. Et in hac sententia non erit peccatum mortale, si laicus, aliàs doctus, vel aliunde non imperitus, ante monitionem disputet de fide. Nam excommunicatio ista non incurritur, nisi per eum, qui monitus contumax perseverat in legis transgressione.

Vult autem Farinacius *loc.cit.n.113.* quod disputare de fide sit prohibitum, etiam Clericis *ex l.nemo C.de summ. Trinit.& fid.Cath.* Citatque ad id Sylvestrum *v.disputare*, Armillam, & Angelicam *eod.n.ac* Conradum Brunum *de hæret.lib.6.c.8.n.1.* Ergo & illi peccant, non tantùm contra legem naturalem, quia exponunt se periculo erroris, sed etiam contra civilem. At præter superius dicta, respondeo, quod lex civilis, quæ disponit de rebus spiritualibus, non obligat Clericos, nisi jure Canonico confirmetur, ut alibi etiam diximus.

Tùm demum requiritur ex parte disputantis, quod ille in materia fidei non sit superior, & judex. Non enim illi convenit disputare cum hæretico, vel infideli. Allegat ad id Farinac.*loc.cit.can.cum quibus,§.canonum 2.q.3.* ubi dicitur Canonum magistris, atq; custodibus nobis nullum fas est inire certamen cum hominib. communionis alienæ. Citat etiam Turrecrematam in eumdem Canon.*sum. & n.1.*ac D.Antonin. *p.2. tit.12.c.2.§.2.* At vero in verbis illis non interdicitur absolute disputatio cum hæreticis, sed solum Magistris Canonum, atq; Canonum custodib. Hi vero sunt summus Pontifex, & Episcopi in legitimo Concilio congregati, qui sunt sanctionum magistri, & conditores; Episcopi etiam quorum est, sacros Canones custodire, ac etiam Inquisitores, qui ad fidei custodiam, & tutelam deputantur. Quod igitur ibi prohibet Gelasius Papa, est quod ij, qui sunt alterius communionis, non admittantur in Conciliis, tanquam Patres, & Canonum Magistri. Et quod summus Pontifex, & Concilia legitime congregata, & Episcopi, ac Judices fidei, cum hujusmodi hominibus, non ineant doctrinalem disputationem, quia supponentes fidem, tamquam certam, & non disputabilem, Christianos, à fide alienos, jurisdictione ac pœnis coercere debent, nec eorum dignitatem decet, veluti ex pari contendere cum subditis suis, & cum illis disputare. Quò spectant verba illa Apostoli 2.ad Timoth.2.*Noli verbis contendere; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.* Et Ep.1.ad Corint.c.11.*Si quis videtur esse contentiosus, nec talem consuetudinem habemus, sed nec Ecclesia Dei.*

Et quamquam ubi adesset occasio reducendi illos ad fidem, possint hujusmodi Judices, non quidem disputando, & contendendo, sed rationibus, ac persuasionibus cum illis privatim agere, ut errorem agnoscant, id tamen decentius fit per alios viros doctos, & ubi id fieri opus sit, fieri debet, non sane concertatione, sed monitione. In casu tamen necessitatis possunt Superiores de fide cum infidelibus disputare.

Secunda circũstantia, ex qua disputatio potest fieri mala, accipi potest ex parte ejus, cũ quo disputatur, idq; duplici ex capite. Vel quia timetur ex disputatione majus malũ. Vel quia saltem nulla utilitas expectari potest. In utroq; peccat mortaliter disputans, & disputatio tanquam vana, & inutilis est illicita. Contentio enim tamdiu sapiens est, quamdiu proficit, aut si non proficit, non obest. Eoque etiam spectat quod ait Apostolus ad Titum 3. *hæreticum hominem post unam, & secundam correctionem devita.* Non autem ait post unam, & secundam disputationem. Quia Episcoporum non est disputare cum hæreticis, sed illos corrigere. Si vero est pertinax, non est amplius corrigendus, quia correctio ista est inutilis, ideoq; non est cum illo inutiliter disputandum. Et in hoc sensu plures loquuntur Patres, quando prohibent disputationes cum hæreticis. *Non disputationem*, inquit Augustinus *lib.10.* contra Faustum *c.12. amant hæretici, sed quoquomodo superare impudentissima pertinacia, ut congregent, quæ non pepererunt.* Chrysostomus sive Autor operis imperfecti super Matt. *hom.12.* ubi argumento sumpto ex pertinacia Phariseorũ ait; *Audi homo fidelis qui contra hæreticum libenter contendis, si Pharisæi victi non sunt, tu certando contra hæreticum poteris eum placare cum viceris?*

Consultò autem diximus, si nullus fructus speretur, nam in hoc attendi debent verba illa D.Bernardi *serm.64.* in Cantic. *Et si hæreticus non surgat ex fœce, Ecclesia tamen confirmatur in fide.* Et illa Augustini Ep.48. *cum hæreticis verbis est agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum.* Et quamvis non speretur, quod hæreticus, cum quo disputatur, convertatur, non idcirco à disputatione est abstinendum, quia sperari potest quod fiant minùs audaces, vel magis timidi, vel quod alii hæretici resipiscãt, vel quod Catholici magis confirmentur. Unde plures aliæ utilitates sperari possunt, præter hæretici conversionem, si disputatio fiat à Catholico viro docto, & pio. Ad hoc autem ut disputatio censeri debeat utilis, non sufficit, si non sit certa spes utilitatis, sed requiritur esse certum, quod nullius æstimabilis utilitatis datur spes probabilis, ut ex Chrysostomo *hom.6. super Epist.ad Titum*, advertit Delbene *d. dubit. 154. petit. 5. nu. 9.* & Castropal. *d. tr. 4. disput.2. punc. 4. n.1.*

An autem hæc inutilis disputatio sit peccatum mortale, an veniale? Suarez.*d.disp.20.sect.1.n.13.* Valentia *cit.disp. 4.conclus.1.circa fin.* Sanchez *d.lib.2.in decal.c.6.n.2.* alios referens, inquiunt, esse veniale. Quod verum est, si sola disputatio per se pensitetur. At si nec speratur conversio hæretici, neq; alia æstimanda utilitas expectatur, jam subest circumstantia scandali. Quia hæc disputatio præbet hæretico occasionem committendi plurima peccata, quæ tenemur ex charitate vitare. Atq; ideo, quod hæc disputatio regulariter sit peccatum mortale, ait Delbene *d.petit. 5.n.12.* Castropal.*d. pun.4.n.2.* nisi causa gravi excusetur.

Tertia circumstantia considerari debet ex conditione audientium. Quia non potest legitime disputari publice de fide si timeatur damnum audientium præcipue in materia fidei, si nimirum probabiliter timeri possit, nè aliquis eorum amittat fidem, vel in eis constantia fidei nutet. Hæc aliaque mala timeri possunt ubi audientes sunt simplices, ac indocti, talesque censeri debent, qui non sunt capaces percipiendæ doctrinæ de qua disputatur. Ubi ergo hujusmodi damni periculum imminet, illicita est disputatio de fide, ut D.Thom.*cit.q.10.ar.7.* ibiq; Caietanus, Bannes, Serra, & Aragonius, & tradunt Suarez *d.sect.1.n.14.* Turrecrem.*in can.cum quib. 24.q.3.* Sylvester, & Armilla *v.disputatio*, Repertor. Inquis. *v. disputare.* D. Antonin.*in sum.p.2.tit.12.cap.2.§.2.* director. Inquisit. *p. 1. q.10.* ibique Pegna *p.2. schol.23.* Azor. *d. p.1.lib.8. cap.26. q.2.* Farinac. *q.178. n.126.* Sanchez *d.cap.6.n.10.* Valentia 2.2. *disput.1. q.10. pun. 4. post prim.conclus.* Coninsk.*disp. 18. dub.9. n. 139.* Turrian. *q.10. de fide n. 2.* Delben. *ibid. petit. 7. n.1.* & Castropal. *d. pun. 4. n. 9.*

Quale autem sit hoc peccatum? Sanchez ex Caietano ait, esse peccatum imprudentiæ, & ex Valentia, quod regulariter sit veniale. At Delbene ait, esse regulariter mortale:

tale:

tale,quia rarò abest periculum perversionis. Quod vero ad speciem peccati,omne peccatum est in genere imprudentiæ,sed tamē est in illa specie peccati,quæ opponitur virtuti, ex cujus præcepto peccatum est vitandum. Ideo ubi adest periculum perversionis, vel damni ipsius fidei, ex vi præcepti illius vitandum est hoc damnum. Quod si non vitetur,peccatur contra fidem.Sicque hoc peccatum, ad infidelitatem reducitur.An autem regulariter sit mortale,an veniale,pendet ex facto, eritque mortale,si damnum quod timeri potest sit grave. Cessabit vero hoc periculum,si disputans sit vir doctus,& in disputando, ac solvendo argumenta perspicuus, si audientes sint tales, qui rationes pro utraque parte percipere possint.

Quod si timeri possit aliquod malum ex disputatione considerandum est, an timeri possit majus malum si non disputetur.Nam si esset hæreticus contentiosus,qui sollicitaret Catholicos,sicq; ij in fide nutare inciperent,tunc vir doctus potest,imo teneturdisputare,ut audientes confirmet in fide; aliàs silentium suspectum esset, multumque obesset dubitantibus.

Ultima circumstantia sumitur ex parte modi disputandi,ut si non servetur mediocritas, & modestia. Si disputans non tàm ratione quam verbis contendat; si potius disputans velit adversarium vincere,quam errorem,contra illud Hieronymi *lib.1.adversus Pelagium*, non de adversario victoriam,sed contra mendacium quæramus veritatem.Et *contra Arcad.lib.*1. in disputationibus non est quærenda victoria, sed bonum, & rectum *& lib.1. super Genes.*non disputatio veritate,sed veritas disputatione requiratur.Si nimia tarditate,vel nimio fervore disputationem assumat.Quod reprehendit Nazianzenus *orat.26.de moderat. in disputat.* ex utroq; enim extremo sumendum est quod utile est,ex priori mansuetudinem, ex secundo zelum, debet igitur disputatio esse modesta, & temperata,& sine scripturarum authoritate,nihil temere asserendum.Vide Origenem *hom.12.in Exod.*Gregorium *p.2.Pastor.* Turrecrem.*in d.can cum quibus.*Repert.*d.v.disputare*, Simanch.*de Cathol.instit.tit.*20.Albertin.*de agnosc. assert. q.*13. *n.*8. Farin.*de hæres. q.*178. *n.*117. Castropal. *d. pun.* 4. *n.*10. Cumque non ex eodem modo omnes hæretici affecti,ac dispositi sint,sed aliqui in suo errore sunt pertinaces, alii zelosi, alii frigidi,alii dubii,ac fluctuantes, non eodem quoq; modo cum illis omnibus agendū esse rectè admonet Becanus,præludio primo manualis controversiarum. Pertinaces coercendi sunt intra limites certæ materiæ,ni ex una in aliam dilabantur.Sunt item restringendi ad formam syllogisticam, ut vis argumenti patet, & palam confundendi, & increpandi, sicut Sadducæi, Scribæ,& Pharisæi leguntur fuisse à Christo confusi, & increpati Matth.22.& 23.debet tamen esse confusio rationabilis,quæ non fiat per convicia, & maledicta, sed per justam reprehensionem,aut apertam victoriam.Cum zelosis,qui non ex superbia,& obstinatione, sed ex quadam ignorantia falso persuasi sunt contrario modo, id est,modeste,ac benevole agendum est.Cum frigidis, qui neque ex superbia,neque ex ignorantia manent in suo errore,sed propter suas prætensiones politicas, à quibus ægrè abstrahuntur,seriò ac severè agendum est , tùm ostendendo prætensiones,& excusationes ipsorum esse frigidas,tùm inculcando,ut saluti suæ consulant, nec propter humanos respectus,favores,& sæcularia negotia, patiantur se ab æterna,& cœlesti gloria excludi. Cum dubiis denique,qui simplici,ac recto corde quærunt veritatem, & quia per se sive suopte ingenio,ac industria non possunt eam invenire,petunt ab aliis se doctioribus juvari,ac instrui,fraternè,& ad cujusque captum tractandum est, & aliter docti,& ingeniosi,aliter rudes,ac idiotæ instruendi sunt.

Atque ex his scitè quæritur, an re vera disputatio de fide cum hæreticis regulariter dicenda sit potius utilis, & honesta,quam inutilis,& illicita? Censeo has disputationes regulariter inutiles esse,ac illicitas. *Nam hæretici*, ait Bernardus serm.66. in Cantic. *nec rationibus convincuntur,quia non intelligunt; nec authoritate corriguntur, quia non resipiscunt,nec flectuntur suasionibus,quia subversi sunt.* Idem asserunt Tertullianus *de præscript. c.*16.Autor. oper.imperf.in Matth. *hom.*24.ac Lirinensis.*de propr.hæretic.* Novitque Constantinus Imperator. *Epist. ad Arrium apud Socratem lib.1.c.6.*Euseb.*lib.2.de vita Constantini*, & Nicephorum. *lib.* 8. *c.* 13. ac testatur Concilium Toletanum 4.*can.*10. Non enim quærunt veritatem, sed ut ab audientibus habeantur ut victores,quemadmodum ait Gregor.*lib.2.moral. c.*2. Hinc est,quod etiamsi rationum pondere convincantur,nedum ex hoc non convertuntur,sed magis pertinaces,magisque contentiosi evadunt,nè se victos fuisse fateantur. Necesse est enim contentiosè loquantur,quod probare non possunt. Ideoque à S.Officio Inquisitionis disputationes publicæ inter hæreticos & Catholicos denegantur,quia ex illis nulla percipitur utilitas.Unde sub die 13. Augusti 1609. scriptum Nuncio apud Belgas,ut admoneat superiores Religiosorum,nè conferentias publicas inter hæreticos,& Catholicos permittant,nisi personis valdè doctis.Et sub die 22. Octobris ejusdem anni dictum conferentias privatas non prohiberi. Scriptum etiam Cardinali Borromæo 21. Septemb. 1596. Inquisitori Comensi, Mediolanensi , ac Nuncio Sabaudiensi,quod disputationes publicæ , inter hæreticos,& Catholicos vitentur, si fieri potest absque scandalo.Quia ex eis nulla subest utilitas. Quandoq; tamen fuerunt permissæ,& concessa facultas disputandi,ut cuidam Doctori Westphaliensi 29.Julii 1599. & 7. Decembris 1606. Scribere vero contra hæreticos permittitur.Nam laudabile id esse docet Farinac. ubi *supra n.*121. *ex Simanch.de Cathol.instit.tit.*20. Potest tamen esse malum si indoctus scribat,& contrarias argumentationes hæreticorum non infirmet, ac diluat.

Porrò, etsi disputans de fide etiam in casu prohibito, si tamen non sit in fide dubius sed id faciat ad suadendam fidei veritatem,non sit hæreticus,ut per Albertin.*in rubr.de hæret.q.*13.Farinac. *d.q.*178.*n.*118. Attamen Inquisitores procedere possunt contra disputantes de fide in casu expresse in lege prohibito, ut si laicus de fide publicè disputaret.Ita direct. Inquis.*p.* 4. *q.* 38. Pegna *p.* 1. *schol.*23. Locat.*verb. disputare.* Armilla *v. disputatio nu.* 1. Sylvester *eod. v .nu.*2 .Farinac. *d. q.*178.*n.*117. ac Delben. *d. q.* 154. *petit.* 6. *n.* 11.

Præter autem excommunicationem plures alias pœnas contra disputantes de fide refert Farinac.*loc.cit.n.*16.quas, ex Pegna, inquit non esse in usu. Et quidem si disputans dubitet de fide, ipse est hæreticus. & ut talis punitur.Si vero disputet ad malum finem,scilic. ad persuadendum errorem contra fidem, talem reputari hæresiarcham, & tradendum Brachio sæculari ait *ibidem* Farinacius, Sed an hæresiarcha pœnitens sit tradendus Curiæ sæculari alibi diximus.

Ex hactenus dictis colligitur,quando licitum & honestum sit disputare cum hæreticis,nempe quando viri docti,quibus id concessum est,disputant contra hæreticos,ad confutandum eorum errores, idque coram prudentibus auditoribus, qui vim argumentorum , ac responsionum utriusque partis rectè percipiunt, & de tota re æstimare possunt. Aut certè quando disputant coram simplicioribus, qui ab hæreticis sollicitantur ad defensionem,ut huic periculo occurratur.Magna quidem hac in re opus est consideratione,ac ut veriùs dicam,opus est divinæ prudentiæ, discernere quando cum infidelibus, & hæreticis publicis colloquiis , & collationibus congrediendum sit,quando verò abstinendum,inspiciendaque sunt personarum merita,studia, sapientia ac præcipuè morum integritas, ac vitæ sanctitas quibus Viri sapientes divina ope innixi promerentur ex inimicis palmam accipere.

Cœterum libri legendi ab eo,qui veritatem veræ religionis assequi cupit,sunt Biblia,idest Vetus,& Novum Testamentum.In hac vero divina Scriptura legenda sequens ratio adhibendaest.

Primò, ut eam ab hæreticis depravatam nunquam legamus, neque enim tunc verbum Dei, sed errores hæreticorum legerentur. Nam & Satanas verbo Dei usus est, ut Christum Dominum tentaret, verbum Dei ad suas fraudes detorquens, & ex gemmis pulcherrimæ statuæ imaginem serpentis effingens.

Secundò Biblia à Luthero versa, plena est depravationum, quemadmodum adnotavit Empserus, & reliqui alii permulti. Idem dico de Bibliis Calvinianis, Zvinglianis, & aliarum sectarum. Itaque ea legenda non sunt, alioquin qui amat periculum cadit in illud.

Tertiò antiqua vulgata editio Bibliarum, quæ per multa sæcula ab Ecclesia Catholica usitata est, legatur.

Quartò si qua Germanica versio legenda sit, legantur Biblia à Dietembergio traducta, & Evangelium à Hieronymo Empsero in Germanicam linguam conversum.

Quintò Scripturæ Sanctæ non secundum proprium sensum, sed secundùm antiquæ & Catholicæ Ecclesiæ consensum, & generalium Conciliorum interpretationem intelligenda sunt; alioquin evenit quod inquit Beatus Augustinus *tom. 9. in Evang. Joan. tr.* 18. Neque enim, ait, natæ sunt hæreses, ut quædam dogmata perversitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi dum scripturæ bonæ intelliguntur non bene, & quod in eis non bene intelligitur etiam temerè, & audacter asseritur, *& alibi tom. 3. de Genes. ad Litt. lib. 7. cap. 9.* Nec ob aliud, inquit, sunt hæretici, nisi quod Scripturas Catholicas non rectè intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem pervicaciter asserunt Dum enim significat idem sanctus Pater, *alibi tom. 8. Psal.* 10. Christus apud hæreticos quæritur, amittitur.

Sextò in legendis Scripturis Sanctis, & præcipue Novo Testamento, ea sunt in primis observanda, quæ ad remedia, & præcepta pertinent, quibus nostra vitia extirpentur. Deinde perpendendus est Ecclesiæ ordo, & firmitas ex promissis, merito, & instituto Christi Domini nostri.

Præterea quid ad introducendam fidem, ac verum Evangelium cœperunt prædicare S. Joannes Baptista, Christus Dominus, Apostoli, idest pœnitentiam in remissionem peccatorum, fidem & observationem mandatorum Dei, obedientiam erga Ecclesiam, opera pietatis, orationis frequentiam, Sacramentorum usum. Ad hæc authoritatem à Christo Petro collatam; denique vitam ipsorum Apostolorum, ac discipulorum Christi, nempe, num post eis commissum munus concionandi Evangelium, & administrationis Sacramentorum Apostoli, & discipuli Christi, & Apostolum dederant operam generandis carnalibus Filiis, aut iis rebus faciendis, quæ Lutherani, Calviniani, aliique hæretici faciunt.

Post hæc omnia considerentur septem Sacramenta quæ illi tanquam vasa gratiæ pro diverso statu Ecclesiæ administrabant. Signa item, ac miracula, quæ consequebantur, ut etiam quemadmodum scriptum est in actis Apostolorum umbra Petri & semicinctia Pauli, Deo cooperante, redderent ægrotis sanitatem.

Septimo cum unusquisque in diversos sensus possit distrahere verbum Dei, expediret, ut antea legeretur ex antiquis Patribus Vincentius Lirinensis in suo Commonitorio. Ex recentioribus autem Cardinalis Hosius Varmiensis in libello de verbo Dei, quod extat inter ejus opera, & Petrus Canisius apud præfationem vitæ, & actorum S. Joannis Baptistæ adversus Magdeburgenses. Quod siquis esset doctior, prælegere item posset libros de doctrina Christiana scriptos à S. Augustino.

Illud verò imprimis ad Dei verbum, & voluntatem intelligendam pernecessarium est, ut prius credamus, quàm curiose scrutemur res Dei Nisi enim credideritis, inquit Isaias, non intelligetis, & scrutator Majestatis opprimetur à gloria, inquit Salomon. Itaque captivemus intellectum in obsequium fidei, ut ait Apostolus, ac bene vivamus, & siquid aliis debemus honorem, bona, vel alia, ea reddamus. Scriptum est enim à Davide, à mandatis tuis intellexi, & à Sapiente, in malevolam animam non intrabit sapientia. Denique illud semper nobis infixum sit cordi, quod per Prophetam Deus loquutus est: super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & trementem verba mea? Rursus per Apostolum: Noli altum sapere, sed time; si enim naturalibus ramis non pepercit, vide, nec & tibi parcat. Et iterum per æternam sapientiam Filii sui: Pauperes evangelizantur. Quippe humilitas credendi tutissimos nos facit, & hæc illa virtus est, quam esse primam, secundam, tertiam, quartam ob sui necessitatem, atque præstantiam scripsit ad Dioscorum Augustinus.

Post Scripturam legenda sunt Concilia generalia. Quoniam Conciliorum, ut inquit Augustinus, saluberrima est authoritas, propterea illis, tanquam fidissimis Spiritus Sancti interpretibus, quæ quidem legitime habita fuere, fides inconcussa adhibenda est.

Ea porrò Concilia, quæ generalia, & legitime habita fuerunt hactenus duodeviginti numerantur, quorum aliqua, licet ob varias Ecclesiæ perturbationes non extent, multi tamen, aut eorum bona pars in decretalibus, & Canonibus habentur; cætera provincialia Concilia, quæ plura fuerunt, si ab Ecclesia sunt approbata, jam suam authoritatem retinent.

Generalia Concilia legitima sunt ista: Nicenum primum tempore Sylvestri Pontificis, & Constantini Magni adversus Ariùm anno 324. Constantinopolitanum contra Macedonium anno 383. Ephesinum contra Nestorium anno 434. Chalcedonense contra Eutychianum anno 454. Constantinopolitanum contra Petrum, Severum, Anthemium, & Theodorum ac Origianistas anno 552. Constantinopolitanum tertium contra Sergium, Pyrrhum, & Paulum Monothelit. anno 678. Nicenum secundum contra Iconomachos, id est, imaginum impugnatores anno 790. Constantinopolitanum quartum, quæ octava Synodus dicitur, contra Photium anno 870. Lateranense primum contra Saracenos pro recuperanda Terra sancta anno 1123. Lateranense secundum contra Antipapas anno 1139. Lateranense tertium contra Valdenses anno 1180. Lateranense quartum contra varias hæreses, & pro Terra sancta anno 1215. Lugdunense primum pro Terra sancta, & contra Imperatorem Fridericum anno 1245. Lugdunense secundum contra errorem Græcorum anno 1273. Viennense contra varias hæreses anno 1311. Florentinum, in quo facta est unio Græcorum cum Ecclesia Catholica anno 1439. Lateranense quintum contra schismata anno 1517. Tridentinum adversus hujus seculi hæreses anno 1545. absolutum 1563.

Observanda autem sunt sequentia, si quid contra Concilia affertur, aut ex falsis, vel non approbatis Conciliis citatur contra Ecclesiæ Catholicæ firmitatem. Primum qui dubitant sextam & septimam Synodum generales fuisse vitiatas, id est Constantinopolitanum tertium, & Nicenum secundum, legat Francisci Turriani Apologiam pro iisdem.

Secundo, qui confundi possent in octava Synodo legenda quæ fuit Constantinopolitana quarta, sciant tres fuisse Synodos, quæ octavæ dictæ sunt. Unam tempore Michaëlis Imperatoris, & Nicolai primi, in qua deposito Ignatio ordinatus est Photius Constantinopolitanus. Alterum tempore Basilii Imperatoris, & Adriani secundi Papæ, in qua deposito Photio restitutus est Ignatius. Tertiam tempore ejusdem Basilii, & Joannis octavi, in qua mortuo Ignatio revocatus est Photius. Ex his sola secunda vera est.

Tertiò Antiochenum Sirmiente, Mediolanense, Ariminense, cujus pars fuit quædam Seleuciense in Oriente, Ephesinū secundum, Constantinopolitanū sub Coprony-

mo,

mo, Constantinopolitanum sub Michaele Imperatore, Pisanum, Wittenbergense Concilia, quæ ab Arianis, & aliis, vel fraude, vel vi ab Imperatoribus Arianis, & hæreticis, ut sine Ecclesiæ authoritate, & sine ulla approbatione coacta fuerint adversus legitima Concilia, nullius authoritatis unquam habita fuere.

Quarto, aliqua Concilia generalia partim confirmata, partim reprobata sunt, quoniam quædam eorum recte conclusa, quæ & legitima, authoritate convocata, quædam in progressu eorum non legitime, nec rite tractata fuerunt. Hæc nominantur Sardinense, Quintisextum, in quo Canonici Trullani continentur, Concilium Constantiense, & Basileense. In Basileensi enim Concilio aliquando recedentibus Episcopis, qui legitime vocati fuerunt, & ad legitimum Concilium euntibus Ferrariam, vel Florentiam. Simplicium verò ex schismate Sacerdotum, quod nunquam antea factum est, quodam numero convocato aliqua tractata sunt, quæ post in eodem Concilio iterum rite coacto fuerunt abrogata.

Et hæc quidem satis fuerint ad arcendas adversariorum insidias, si quando alterum illegitimum pro legitimo Concilium afferrent, vel in rebus fidei jam declaratis posteriores, prioribus Synodis adversatas fuisse, maliciosa calliditate vellent persuadere.

Præterea legendi sunt Patres antiqui. Primo sancti Patres lectitandi sunt. Quoniam, ut refert Apostolus, Christus Dominus Apostolos, Prophetas, Pastores, & Doctores in Ecclesia dedit ad consumationem Sanctorum, ne simus sicut parvuli fluctuantes, ac ne omni vento doctrinæ circumferamur. Quod si dubitandum non est, quin antiqua in Ecclesia veritas fuerit, certe hæc ab iis testibus petenda est, qui cùm eandem sanctitate vitæ, scriptis, sanguine, miraculis illustrarunt, in corrupti sunt testes, quando eos præsentis seculi affectus movere non potest, ut plus uni, quam alteri parti faveant.

Secundo, quod, sicut S. Petrus scriptum reliquit, in Scripturis sunt quædam difficilia, & obscura intellectu, quæ homines instabiles depravant in suam ipsorum perditionem, & volentes esse sapientes, ut B. Paulus inquit, stulti facti sunt, nescientes quæ loquuntur, aut de quibus affirmant. Itaque si unaquæque disciplina, ait Augustinus *ad Honoratum cap. 7. de utilit. credendi*, quanquam vilis, & facilis, ut percipi possit, Doctorem, aut Magistrum requirit, quid temerariæ superbiæ plenius, quam divinorum Sacramentorum libros ab interpretibus suis nolle cognoscere?

Cùm autem post divinas Scripturas aliqui interpretes legendi sunt, hi præcipue sunt versandi, quibus, ut Augustinus dicit *tom. 7. contra Julianum, Pelagianum lib. 2. ad finem*, post Apostolos Sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, Pastoribus, nutritoribus crevit. Itaque adversus Julianum, Pelagianum idem Augustinus subdit: His elogiis, & tanta authoritate Sanctorum profecto aut sanaberis Dei misericordia donante, quod quantum tibi optem, videt, qui faciat; aut, si, quod abominor, in eadem, quæ tibi videtur, sapientia, & est magna stultitia, perduraveris, non tu judices quæsiturus es, ubi causam tuam purges, sed ubi tot sanctos Doctores egregios, atque memorabiles Catholicæ veritatis accuses, Irenæum, Cyprianum, Reticium, Olympium, Hilarium, Gregorium, Ambrosium, Basilium, Joannem, Innocentium, Hieronymum, cœterosque socios, ac participes eorum, insuper & universam Christi Ecclesiam, cui divinæ familiæ Dominica cibaria fideliter ministrantes, ingenti in Domino gloria claruerunt. Adversus hanc autem miserabilem, quam Deus avertat insaniam, sic respondendum video libris tuis, ut fides quoque adversus te defendatur istorum, sicut contra impios Christi professos inimicos etiam ipsum defenditur Evangelium.

Quarto, quoniam Patres, quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt. Quod didicerunt, docuerunt. Quod à patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt, ut idem Augustinus testatur.

Quinto, quod ita persæpe Ecclesia errores hæreticorum revicit, atque damnavit. In Ephesino Concilio Nestorium, Hieronymus Elvidium, Basilius ad Amphilochium, Spiritus Sancti divinitatem negantes, Augustinus Donatistas, & Pelagianos, Leo Papa Eutychetem, & hujus sectatores. Sic item Agatho Pontifex maximus comprobavit dogma de duplici Christi voluntate, & operatione, Theodoritus actiones Concilii Alexandrini. Sic alii plerique omnes alia orthodoxa dogmata confirmarunt.

Etsi verò hæretici aliquando Patres laudant, ut hac fraude populis persuadeant, seipsos cum antiqua Ecclesia sentire, tamen non sine causa eosdem Patres nunquam ex professo docuerunt in scholis, nec libenter, aut incorruptè unquam eos ediderunt in lucem, neque unquam in linguas populis cognitas converterunt. Intelligebant enim hæreses, & errores suos ita detectum iri, ac ipsos populos facile cognituros laudes, quibus Lutherus, atque alii Apostatæ extolluntur à suis, esse tanquam coronas ebriosorum, sicut de sui temporis hæreticis rectissime contra Julianum, Pelagianum dixit Augustinus ibidem.

Ex Patribus autem legendi sunt quicumque à tempore Apostolorum per consequentia secula in Catholica, idest, in universali Ecclesia floruerunt. Horum autem B. Hieronymus in libro de viris illustribus, etsi non omnium, usque ad sua tempora catalogum scripsit, quamvis etiam in eodem catalogo complurium hæreticorum authorum mentionem fecerit. Reliquorum autem, sicut & eorum Catholicorum scriptorum, quorum Sanctus Hieronymus mentionem facit, nomina Xystus Senensis in sacra Bibliotheca sua, diligenter collegit. Porro quinam illustriores Doctores unoquoque seculo fuerunt, id tum ex chronologia jam pridem Ingolstadii edita, tum foliis prioribus operi magno Catechismo Petri Canisii adjunctis, ac tum item ex Thesauro Catholico Coccii, perspici potest.

Quamvis autem certus ordo præscribi nequeat in Patribus legendis, quoniam & illi varia scripsere, & qui ad eos accedunt, non omnes idipsum cupiunt legere, is tamen ordo, & ratio adhiberi poterit, ut primum eorundem Patrum, quos velimus evolvere, legamus vitam attente. Hinc enim Ecclesiæ ejus seculi status agnoscetur, Sanctitas Scripturis legentem ad pietatem excitabit, ac quænam hæreses extitere, cognoscetur. Ex quibus omnibus causarum, & aliarum circumstantiarum non exigua lux orietur.

Præterea quæ illi spectantia ad mores Christianos componendos scripserunt, magni momenti erunt, si perlegantur. Ex eorum enim lectione quantam eorum scripta pietatem spirent, & quam facile hæreticorum rapsodiæ, atque blasphemiæ, sordescere incipient, experiri unusquisque poterit.

Quod si investigare placeat, nunc cum Ecclesia Catholica, vel cum Lutheranis, aut alis ejusmodi hominibus Patres consenserint. Primum legi poterunt ea scripta, quæ de hæresibus sui temporis generatim, ac brevius ediderunt, ut Tertullianus de præscriptione adversus hæreticos, S. Augustinus ad Quodvultdeum de hæresibus, Epiphanius de octoginta hæresibus, Theodoritus, Cyri Episcopus de fabulosarum hæresum narratione, atque ita alii. In iis enim libris apertissime cernitur, easdem prorsus hæreses à Lutheranis, Calvinianis, & aliis sectariis fuisse ab inferis præterito seculo excita-

excitatos, propter quas antiqui hæretici ab Ecclesia universa ex verbo Dei, unanimique Patrum consensu fuere damnati.

Si quis verò nosse cupiverit, quibus rationibus ipsa hæreticorum dogmata fusius ab iisdem Patribus confutata sunt, petat à perito aliquo Catholico, vel ex authorum ipsis indicibus, quosnam de quaq; re libros ediderunt. Exempli gratia. S.Hieronymus contra Vigilantium, negante Sanctorum intercessionem, & contra Iovinianum,negantem cœlibatus, & jejunorum meritum; adversus item alias hæreses proprios tractatus scripsit. Hos igitur libros legere poterit.

At B. Augustinus, vim adversus plures Africæ hæreses, quæ suo tempore ebullierunt, multa opera ediderit, quæ quidem non ita facile quivis potest propter scriptoris ingenium eminens, varias que ac perdifficiles tractationes intelligere, magnum auxilium sentiet, ex ejus Patris materiis pene omnibus per loca propria fidelissime à Hieronymo Torres dispositis *in libro, qui confessio Augustiniana dicitur.*

In omnibus autem Patribus legendis hoc statuere primum oportet, eos maxime consensisse in iis, quæ ab Ecclesia Catholica in generalibus Conciliis decreta sunt. Quod si quis aliqua in re aliquando vel erraverit, vel dubitaverit, id sanè ante Ecclesiæ determinationem contigit, quemadmodum accidit S. Cypriano de rebaptizandis hæreticis. Si quis verò unus, vel alter Patrum nutaverit, eum item ab Ecclesia fuisse notatum.

Ad hæc, ut inquit Vincentius Lirinensis, antiqua sanctorum Patrum consensio, non in omnibus divinæ legis quæstiunculis, sed solum in fidei regula nobis certò est sequenda, atque in iis præcipue quæstionibus, quibus Catholici dogmatis fundamenta nituntur.

Itaque si quis aliquid objiciat, quo authoritas Patrum, vel ipsis Patribus testantibus, elevetur, id ejusmodi esse intelligendum est,quod vel non ad fidem pertinebat, vel ad ea,quæ jam ab Ecclesia non determinata erant; sed privato cujusque judicio libera linquebantur. Alia enim sunt, ait Augustinus *lib. adversus Julianum* 1. c. 2. in quibus inter se aliquando etiam doctissimi, atque optimi regulæ Catholicæ defensores salva fidei compage non consonant; alia verò, quæ ad ipsa fidei fundamenta pertinent,

Postremo si quis hæreticus ipsos Patres adversus Ecclesiæ Catholicæ dogmata citaverit, ea citatio sic omnino suscepta esse debet, nulla ut ratione credatur. Quamobrem urgendus est hæreticus, ut ipsum authorem in fonte ostendat, quem forte nunquam legit, sed ex Philippi Melanchtonis, vel alicujus ejusmodi fallacissimis communibus locis mutuavit: Præterea iterum urgendus est, num putet eundem authorem pro Catholicis alibi facere. Quod si affirmet, cur quæ aperte alibi dicit, ea candide ab hæretico non afferantur? Sed de tota hac Patrum authoritate,ac de modo eos legendi, ii, qui erunt doctiores, petere multa poterunt ex septimo libro locorum communium Melchioris Cani, qui Calvinum, reliquosque fidei, & Patrum adversarios solidis rationibus, eorum fraudibus detectis, evincit.

Aliquorum autem nomina, qui adversus hæreticos scripserunt, quique eorum mendacia egregie detexerunt, hæc sunt. Valdensis contra Hussitas. Historia Surii adversus mendacia Sleidani, cujus Sleidani scripta cum audiret sibi legi Carolus quintus Imperator, solebat dicere: Mentitur nebulo, mentitur nebulo. Hujus ergo, ut dixi mendacia detegit Surius magno Ecclesiæ bono, & liber extat Latinè, ac Germanice.

Adversus verò Charionis, & aliorum hæreticorum chronica legantur quæ præter antiquos Honuphrius Panvinius, & alii tum antiquitus, tum nostro tempore Catholici scripserunt, ac præsertim Franciscus Turrianus adversus Magdeburgenses.

Joannes Eckius utilissime, ac brevissime scripsit Enchiridion,& alia opuscula, Coclæus item alia Joannes Roffensis, qui pro Christi fide passus est in Anglia. Albertus Pighius, Federicus Staphylus, qui Lutheranorum contradictiones, & imposturas mirificè detexit, quippe qui ex iis cùm fuisset aliquando, & Melanchtonis individuus Comes, deinde conversus est ad fidem Catholicam, Alphonsus à Castro, Ruardus Tappetus, Dominicus à Soto *in quartum sententiarum*, Petrus à Soto, Cardinalis Hosius. Hic enim præter confessionem suam, quæ altam pietatem sapit, scripsit perdocte adversus Brentium, ac libellum de verbo Dei, atque alterum de utraque specie, Sonnius,Driedo, Jodocus Tiletanus qui pro defensione Concilii Tridentini scripsit.

Jodoci item Coccii thesaurus Catholicus, Franciscus Turrianus,qui plures libros, plenos eruditione conscripsit, mendaciaque Centuriatorum Magdeburgensium apertissime manifestavit.Scripsit autem adversus Lutheranos, & Calvinianos, præter opera Clementis Romani, & Constitutiones Apostolicas, aliaque multa, Petrus Canisius, Alani Cepi dialogi, Fabricius Leodius, cujus extat Harmonia Confessionis Augustanæ, cujus errores, & damnatas hæreses refellit. Melchior Canus, qui eruditum librum conscripsit, qui vocatur *Loci Communes Theologici* Sanderus Anglus, Demochares *de sacrificio Missæ*, Claudius Sanctes Episcopus Ebriocensis de atheismis Calvini, ac Theodori Bezæ librum utilissimum scripsit. Amplum item opus de Eucharistia, cujus titulus est, *Repetitiones*, plures item alios libros edidit Gallicè, & Latinè scriptos adversus Calvinianos. Edmundus Augerius, qui Gallice adversus eosdem Calvinianos scripsit libros de Sacramentis.

Scripsere item alii plurimi eruditè ac doctè. Sed quando hi plus quam satis esse possunt, omnibus hæreticorum fraudibus detegendis, propterea reliqui non adjiciuntur. Qui verò videre velit, quam solidam de Christo Domino doctrinam Ecclesia fidelibus ostendat, quamque falsæ calumniæ sint, quas hæretici Catholicis affingunt, perlegat Concilium Tridentinum, & Catechismum Romanum, libros certissime à Spiritu Sancto profectos, ac libros item Controversiarum Cardinalis Roberti Bellarmini, qui robur affert fidei Catholicæ, Bellum & arma, hæreticis ejus hostibus.

CONSULTATIO XLVI.

1. *An inter Lutheranos & Calvinianos aliqua ex parte Sacerdotes, & Episcopi dicendi sint, qui res spirituales, & sacras administrant?*
2. *An Ecclesia ibi esse dici possit, ubi Sacerdotes, & Episcopi veri, ac legitimè consecrati non sunt?*

AD primum. Nec nomen, neque rerum spiritualium tractatio, sed rite suscepta consecratio Sacerdotium, aut Episcopatum efficit. Si enim quæratur, à quonam isti consecrati sint? respondebitur, ab Episcopo: Si vero rursum urgeatur ecquis Episcopum illum creavit, ad id venietur, ut à seculari Magistratu eum fuisse creatum intelligamus. Itaque prudenter ac vere quidam Rex dixit, hosce, qui prodierunt ex laica potestate, nec aliud, quam ex Cancellaria seculari literas habuere, non esse aut Sacerdotes, aut Episcopos veros. Cùm enim consecratio

opus supernaturale,& charisma istud divinum,atq; character, quem veri Sacerdotes accipiunt, nunquam Magistratui à Deo concessum fuerit, ut ab eo conferretur, ac ne tributus quidem sit unquam, neque enim minor potestas in majorem agere potest, cumque Lutherus, à quo ista falsorum Episcoporum, & Pastorum turba prodiit, nunquam Episcopus fuerit,cumque nullus eorum impositionem manuum ab iis habuerit,qui legitima ab Apostolis successione descenderunt, nonne ex eorum numero sunt, quos in Asinio non veros Senatores Cicero, atque in Novatiano Pseudo Episcopos, & Pseudoparochos S. Cyprianus designarunt. Nam Asinius,inquit Cicero,*in* 14.*Antoniana* 1.quidam Senator voluntarius, lectus ipse à se, apertam curiam vidit post Cæsaris mortem, mutavit calceos, Pater conscriptus repente factus est. Sic isti cum expulsis, aut trucidatis ab Apostata Luthero veris Episcopis, & Sacerdotibus, apertam curiam vidissent, illico, sicut momẽto pene temporis ex putredine fungus enascitur, superintendentes, ministri, cæteraque fæx eruperunt.

Novatianus verò, ait S. Cyprianus *lib.* 1. *Epist. 6. ad Magnum*, in Ecclesia non est, neque Episcopus computari potest, qui Apostolica traditione contempta, nemini succedens, à seipso ordinatus est. Ac infra: Aut pastor haberi quomodo potest, qui manente vero Pastore, & in Ecclesia Dei ordinatione succedanea præsidente, nemini succedens, & à seipso incipiens, alienus fit, & profanus? Quæ quidem causæ sunt, cur Laici,non solum Sacerdotum officium impiè assumunt, verùm etiam Reges se tandem volunt constituere, quemadmodum & in civitate Monasteriensi non ante multos annos tentavit quidam Anabaptistarum Dux, & alius in Belgio. Quos enim conscientiæ stimulus in rebus sacris usurpandis, ac retinendis non mordet, multo minus mordebit ad civitates, regnaque convellenda, & ad Reges ejiciendos. Quamobrem ubi hæresis altas egit radices, semper eam denique aut Ethnicismus, aut barbara aliqua secta, ut in Africa, & Asia cernimus, aut cum rerum divinarum oblivione pestilens tandem anarchia, vel Regnorum mutatio est consecuta.

Ad secundum respondet S. Cyprianus martyr. Loquitur, inquit, illic Petrus, super quem ædificata fuerat Ecclesia, Ecclesiæ nomine docens, & ostendens, quia etsi contumax, ac superba obodire nolentium multitudo discedat, Ecclesia tamen à Christo non recedit, & illi sunt Ecclesia, plebs Sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens. Unde scire debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesia in Episcopo. Et si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse, & frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum Sacerdotibus Dei non habentes, abrepunt, & latenter apud quosdam communicare se credunt, quando Ecclesia Catholica una est, scissa non sit, neque divisa, sed sit utique connexa, & cohærentium sibi invicem Sacerdotum glutino copulata. Hæc Cyprianus *Epist. 69. ad Pub.*

Sanctus autem Hieronymus *in dialogo contra Luciferianos*: Cùm, inquit, homo mortuus sit, cum homine pariter interiit & secta. Quia post se nullum clericum Diaconus potuit ordinare, Ecclesia autem non est, quæ non habet Sacerdotes.

Ex his habes, ubi desint Sacerdotes, quorum glutine copulatur Ecclesia, & ubi pastori legitimo populus non adhæret, ibi homines frustra sibi blandiri de Ecclesia, quam nullam, & proinde nec ullam salutem habent.

Porrò, ut regnum non est,cui Rex, Consiliarii,Legiferi,Præfecti legitime delecti,leges item ipsæ desunt;ita neque Ecclesia,quæ cum Regno in Scriptura sæpe comparatur,dicenda est, in qua antiquæ Ecclesiasticæ leges silent,Archiepiscopi, Episcopi, Sacerdotes, ministeria, spiritualisque omnis potestas, & decor adempti sunt. His enim Ecclesiæ facies,& ordinis hierarchici forma, & dignitas stabat,& cernebatur.Cum verò ab aratro ad altare traductis bubulis reliqua omnia, quæ Dei erant, conversa sint in rapinam,& sacrilegium,atque hæc non solum tolerentur adhuc,verum etiam ipse verus omnis Ecclesiæ status explodatur, quis ibi Ecclesiam esse dixerit, qui tenebras item lucem, lucem tenebras non dicat?

Huc quoque pertinet aliorum Ecclesiæ nominum consideratio, quibus eam Spiritus Sanctus expressit. Turris, de qua mille clypei pendent. Vineæ, quam cœlestis plantavit agricola. Castrorum aciei ordinatæ, contra quam inferi portæ nunquam essent prævalituræ. Corporis, quod unum sit, & unum Spiritum habeat. At hîc nullam turrim, nisi Babelis, nullum speculatorem, nisi falsos superintendentes subintroductos, nullos clypeos cernis, sed montes Gelboe, ubi neque ros, neque pluvia unquam decidit, ubi sterilis fides est. Ubi abjecti sunt clypei fortium, ubi populus miserè periit, aut turpiter in manus Philistinorum, idest Apostatarum devenit.

Ita quoque nec ullam vineæ faciem vides, cum Apostolicis constitutionibus, & antiquissimis ritibus antiquatis, sepes, qua vinea sepiebatur, prostrata sit, cumque nullus palmes cum vite, nulli digni pœnitentiæ fructus, nullum torcular, canalia verò perrupta, & sacramenta maxima ex parte sublata, nullus Pater familias, & cœlestis agricola, nullum opus bonum fructuosum, unde mercedem denarii, qui laborarunt, accipiant, apparent. Ferus enim aper ex sylva, id est multiplicium errorum tenebris in vineam irrupit, hancque omnibus direptis atque fœdatis, exterminavit, & sicut cucumerarium dereliquit.

Præterea nec ullam castrorum aciem ordinatam isthic intueri potes. Quis enim aciem vocet, ubi nullus Imperator legitimus, nulla certa vexilla & signa, nullæ excubiæ, & vigiliæ nocturnis precibus, nullus sufficiens commeatus, nullæ tubæ, quæ certum dent signum, sed confusus variarum hæresium strepitus conspiciuntur, aut exaudiuntur? Cùm autem turbatis ordinibus talis jam Sacerdos sit, qualis est populus divinisque humana sint permixta, anne abominationem istam desolationis sentis, quam S. Athanasius esse dicebat, cùm laici creare Episcopos, & Sacerdotes, res spirituales administrare, divinique mysterii, ac verbi tractationem sibi usurpare, intolerabili temeritate sunt ausi.

Jam verò nec denique unum corpus isthic cernimus, quod unum spiritum habeat. Tum quoniam monstrum esset corpus, quod duæ animæ regerent, unius verò formæ, atque animæ, una primaria operatio est, nec discors, & secum pugnans; qua quidem discordia cùm hæresis agatur,non unum, sed varios ea spiritus habeat, necesse est. Tum etiam, quod cui propria vita deest, ac spiritus. Cùm verò isti quandam solum fidem informem, ac mortuam agnoscant, ecquam Ecclesiam, aut corpus vivum agnoveris?

Insuper si everso fundamento omnia ruunt, fide autem, ac religione & reliquis plerisque articulis fidei deficientibus, in horum locum errores iidem successere, quo evidentissimum est antiquitas ab Ecclesia fuisse damnatos, nullum hîc tu jam corpus, aut Ecclesiam mihi ostendere poteris. Si quis autem præcisis in animante nervis fibris, venis, primariis item membris, corde, hepate, cerebro amotis, corpus tamen vivere dixerit, utique cadaver potius istud fuerit, ad quod corvi, id est Apostatæ confluxerunt, quàm corpus illud, ad quod, testante Christo, aquilæ, hoc est sapientissimi

&

& perspicaces Patres à terrena vita procul evolantes, unanimi consensu convenerunt.

Sed audiamus B. Augustinum *tom.* 10. *serm. de temp.* 186. Videtis quid faciat anima in corpore; omnia membra vegetat, per oculos videt, per aures audit, per nares olfacit, per linguam loquitur, per manus operatur, per pedes ambulat, omnibus simul adest membris ut vivant, vitam dat omnibus, officia singulis. Non audit oculus, non videt auris, non audit lingua, nec loquitur auris & oculus; sed tamen vivit, vivit auris, vivit lingua. Officia diversa sunt, vita communis. Sic est Ecclesia Dei. In aliis Sanctis facit miracula, in aliis Sanctis loquitur veritatem, in aliis Sanctis custodit virginitatem, in aliis Sanctis custodit pudicitiam virginalem, in aliis hoc, in aliis illud, singuli propria operantur, sed pariter vivunt. Quod autem est anima corporis hominis, hoc est Spiritus Sancti corporis Christi, quod est Ecclesia. Hoc agit Spiritus sanctus in tota Ecclesia, quod agit Ecclesia in omnibus membris unius corporis. Sed videte quid caveatis, videte quid observetis, videte quid timeatis. Contingit, ut in corpore humano, imo de corpore aliquod præcidatur membrum, manus, digitus, pes; nunquid præcisum sequitur anima? Cum in corpore esset, vivebat, præcisum amittit vitam. Sic & homo Christianus, Catholicus est, dum in corpore vivit, præcisus, hæreticus factus est, membrum amputatum non sequitur Spiritus. Si ergo vultis vivere de Spiritu sancto, tenete charitatem, amate veritatem, desiderate unitatem, ut perveniatis ad æternitatem. Hæc ille.

Cùm verò ex ipsis Evangeliis, Actis Apostolorum, Canonibus Apostolicis, & antiquissimis Synodis constet, nullam unquam habitam fuisse Ecclesiam, quam quæ iisdem ritibus, & ordine constituta est, quibus Catholica consistit, sane nemo cordatus sibi imponi patietur, si quem dicentem audieris, Ecclesiam ibi esse, in qua antiquissimæ totius Ecclesiæ, ne ullum quidem vestigium constat.

Consultatio XLVII.

1 *An qui baptismo in Septentrione initiantur, ad Ecclesiam Catholicam pertineant, licet Sacerdotes veros non habeant?* &

2 *An ab Orientis Ecclesiis, qualis est Alexandrina, & similes, regula credendi, & Sacerdotum consecrandorum facultas juste peti possit?*

Quod attinet ad primum, nihil sane prohibet. In fide enim Ecclesiæ baptizantur quotquot ritè baptizantur, ac nisi extra Ecclesiam per hæresim, aut perfidiam exeant, sunt è nostris Catholicique sunt, æternam verò salutem consequi possunt, si fidei fundamento superædificent aurum, argentum, gemmas, sicut Apostolus scripsit; aut si in peccata prolapsi, denique vere resipiscant.

Verum quotusquisque est, qui cum adoleverit, haud istis falsis Sacerdotibus adhæreat, eorum erroribus non imbuatur, falsa pro veris Sacramenta non sumat, atque etiam ubi una cum iis Ecclesiam Catholicam quæ est corpus Christi, blasphemare didicerit, tum moriens pestilenti pane, non autem vero Sacramento, & corpore Christi Domini accepto, miserrime non pereat? Unus, inquit Augustinus, est Deus, una fides, unum baptisma, una incorrupta Catholica Ecclesia, non in qua sola unus Deus colitur, nec in qua fides retinetur, sed in qua sola una fides cum charitate retinetur; nec in qua sola unus baptismus habetur, sed in qua sola unus baptismus salubriter habetur.

Quod vero ad secundum. Pelagiani antiqui hæretici cùm fide & autoritate Occidentalis Ecclesiæ à B. Augustino sic premerentur, ut non possent evadere, ad Orientis Episcopos se provocare fingebant, quibus ille ita respondet *tom.* 7. *contra Julian. Pelag. lib.* 1. *cap.* 2. Iterum, inquit, te admoneo, iterum rogo, aspice tot, ac tales Ecclesiæ Catholicæ defensores, atque rectores. Vide quibus tam gravem, tamque nefariam irrogaris injuriam. An ideo contemnendos putas, quia Occidentalis Ecclesiæ sunt omnes, nec ullus in eis est commemoratus à nobis Orientis Episcopus? Quid ergo faciemus? Cum illi Græci sint, nos Latini? Puto tibi eam partem Orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Deus gloriosissimo martyrio coronare, cui Ecclesiæ Præsidentem B. Innocentium, si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille Sanctus Africanis respondere Conciliis, nisi quod antiquitus Apostolica Sedes, & Romana, cum cæteris tenet Ecclesia? Et paulò post: Non est ergo, quod provoces ad Orientis Antistites, quia & ipsi utique Christiani sunt & utriusque partis terrarum fides ista una est, quia & fides ipsa Christiana est, & te certe Occidentalis terra generavit, Occidentalis regeneravit Ecclesia. Et post citatum Gregorii Nazianzeni testimonium: Audii omnes uno corde uno ore una fide id ipsum dicere, & hanc esse Catholicam fidem, non dissonante contestatione firmatam. An tibi parva in uno Gregorio Episcoporum Orientalium videtur autoritas? Est quidem tanta persona, ut neque ille hoc nisi ex fide Christiana omnibus notissima diceret, nec illi cum tam clarum haberent, atque venerandum, nisi hæc ab illo dicta, ex regula notissimæ veritatis, agnoscerent. Sed si vis, addimus & huic S. Basilium, imo velis, nolis, addendus est.

Et paulò post: Vide jam, utrum sufficiant tibi ex Orientis Patribus duo isti tam insignes viri, & tam clara præditi sanctitate, & sicut fertur, etiam carne germani? Sed dic, non sufficere. Habemus Orientales Episcopos quatuordecim, Eulogium, Joannem, Ammonianum, Porphyrium, Eutonium, Porphyrium, Fidum, Zozimum, Zoboënum, Nymphidium, Chromatium, Joninum, Eleutherium, Clematium, quos uno loco simul inventos, in istum consessum introducere valeamus. Et hæc quidem Augustinus.

Ex quibus facile colligi potest, sufficere nobis debere Occidentalem Ecclesiam, in qua tot martyres, tot, ac tales Ecclesiæ defensores; ipsa à Christo instituta veritatis cathedra sunt, à qua ista quoque Regna Catholicam fidem acceperunt, ac proinde non sine crimine schismatis ab ejusdem ordine, ritibus ac legibus, nemini esse recedendum. Quod si tamen ad Orientis Ecclesias, & Episcopos etiamnum provocetur, cur non provocatur ad antiqua Orientis lumina, quorum cum Romana Ecclesia una fides, eademque Ecclesia fuit? Neque enim aut legem cœlibatus inter Sacerdotes violatam, aut hierarchicum Ecclesiæ ordinem turpiter à laicis corruptum ex antiquis Orientis Patribus poterunt afferre, qui Apostolicam normam secuti, nunquam suo tempore id permisere, quales fuere Sancti Alexander, Athanasius, Cyrillus Alexandriæ, Sanctus Chrysostomus Bizantii, divus Basilius Cæsareæ, B. Gregorius Nazianzi, Sanctus alter Cyrillus Hierosolymæ, B. Epiphanius Cypri, B. Theodoretus Cyrenis, & plerique omnes alii Episcopi

Nonigenti verò propemodum anni sunt, quibus Græci, & Orientales permulti non solum in ritibus,

verum etiam in præcipuis fidei articulis, atque adeo in Spiritus Sancti processione à Patre & Filio, aberrantes, antiquos quoque Canones, laxata disciplina respuere cœperunt, quos quidem Canones in ipsis Orientis Conciliis ipsi Patres universa cum Ecclesia unanimi consensu olim ediderant. Quamobrem justo Dei judicio factum est, ut qui dum Ecclesiæ Catholicæ adhæserunt, per nongentos ferme superiores annos, octo generalia Concilia, plurimosque Sanctissimos, doctissimos Patres habuerunt, sequentibus octo jam sæculis nullam amplius Synodum, nullos habuerint sanctos, aut integros in orthodoxa fide Theologos, præter eos, qui ab Ecclesia Catholica sejungi noluerunt. Corpora item & scripta Patrum antiquorum amiserunt, quæ ad Catholicos omnia, tanquam justa ad veros hæredes possessio, recusantibus ipsis eorum Patribus cum degeneribus filiis remanere, translata sunt. Græci verò libertatem denique corporum perdiderunt, ac qui Pontifici Maximo, & Apostolicæ Sedi primariæ à Christo institutæ adversari præsumpserunt, etiam barbarorum turpissima mancipia facti sint.

Itaque ab istis Ecclesiæ formam, fideique regulam petere, quod aliud est, quam ex ruderibus & ruinis potius, quàm ex integro, solido, pulcherrimoque palatio formam ædificandi, aut ex abscisso, ac demortuo membro potius, quàm ex vivo capite vivendi spiritum petere?

Consultatio XLVIII.

An, & quatenus fideles teneantur fidem Christianam exteriùs, etiam Martyrio profiteri? Vbi de fuga persecutionis tempore, & signis, ex quibus fidem negari colligitur. Quando fidelis religione obligetur subeundi Martyrium; & an Martyrium aliquando cadat sub Consilio.

VOx *Credo* duplicem actum fidei complectitur, interiorem qui est intimus animi consensus, & exteriorem, qui in externa fidei professione consistit. Undè qui dicit *Credo* non solum internum suæ mentis assensum declarare admonetur, sed etiam id, quod animo inclusum tenet, aperta professione fateri debere, *qua corde creditur ad justitiam ore autem confessio fit ad salutem* Rom. 10.

Est autem fidei confessio suo tempore, ac loco necessaria, tunc scilicet quando ex illius omissione honor Dei, vel salus proximi detrimentum pateretur. Ut si quis de fide interrogatus sileat, suoque silentio fidem abnegare putetur, aut saltem reputare tam vilem, ut pro ea Christianus mori non debeat, neque audeat, aut denique, si ex taciturnitate infirmi à fide abducantur, vel grave scandalum patiantur; hujusmodi enim occurrente casu, qui de fide interrogatus tacet, etiam proposito mortis periculo, Christum erubescere censetur, quem proindè etiam Christus non agnoscat, juxta illud Lucæ 11. *Qui me erubuerit, & sermones meos, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua.* Non enim sufficit non negare, sed insuper Christum, ejusque doctrinam confiteri oportet, exemplo Apostolorum, qui Judæorum Principibus respondebunt, *non possumus, quæ vidimus, & audivimus non loqui*, Act. 4. & Pauli dicentis Rom. 1. *Non enim erubesco Evangelium.*

Quod autem etiam proposito vitæ periculo necessarium sit, confiteri Christum, ac sermones ejus, ex Mattheo, 10. Marco 8. & Luca 9. & 12. constat, ubi Christus jubet respondere Regibus ac Principibus, addens: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus. Qui me confessus fuerit. Qui me erubuerit. &c.*

Unde patet impiam, Evangelioque contrariam esse illorum doctrinam, qui tradunt, nullum esse crimen, siquis fidem corde retentam, ore abneget. Quod olim Priscillianistę docuerunt, quorum dictum protritum erat

Jura, perjura secretum prodere noli,

Teste augustino, *lib. de hæres. cap.* 70. & Leone *ep.* 93. quibus consensere Basilides cum suis apud Euseb. *lib.* 4. *hist. cap.* 8. & Helchesaitæ, de quibus idem Euseb. *lib.* 6. *hist. cap.* 28. Epiphanius *hæres.* 19. Idipsum placuit Mahumeto in suo Alcorano *cap.* 26. ac hæreticis, quos confutat D. Bernardus *serm.* 65. *&* 66. *in Cantic.* quorum placita receperunt clancularii Anabaptistæ, nec non & Calvinistæ de quibus Hieronymus Bolsecus *in vita Calvini cap.* 20. refert, hoc in Genevensi Ecclesia constitutum esse dogma, ut quando de Dei gloria promovenda occasio incidit, non solum liceat mendacium veritatis specie fucare, sed etiam contra mentem loqui expediat, immò necessarium quandoque sit.

Sentiunt itaque hi cum priscis hæreticis, fidei, ac religionis dissimulationem licitam esse, potiusque mentiendum esse, quàm moriendum, in eo similes Judæis quos Joan. *cap.* 12. notat, *quod Jesum non sint confessi, eo quod magis gloriam hominum diligerent, quam Dei.* Qualis etiam Herodes fuit, qui in Judæa verum Deum, extra verò Judæam Deos falsos colebat, Josepho *teste lib.* 15. *antiq. cap.* 14. *& lib.* 16. *cap.* 6. Cui non dissimilis Æthiobolus Sophista Constantinopolitanus moribus Imperatorum se se accommodans, sub Constantio se Christianum, sub apostata Juliano paganum, eoque sublato sub aliis Imperatoribus iterum se Christianum exhibuit, ut describitur *lib.* 6. *Tripart. hist. c.* 38.

Hinc quando fidei confessio exigitur, nefas est, dubia, vel involuta responsione veritatem obtegere, sed aperta fidei professione Deo gloria danda est. Qui enim videri vult negasse, aut fallaces in excusatione præstigias quærit, negavit; & qui vult videri paruisse impio edicto, jam reus est. Quare Cyprianus *lib.* 2. *epist.* 7. *& lib. de exhort. ad martyr.* Libellaticos acriter increpat, & peccasse convincit ex eo, quod feralibus edictis paruisse videri vellent, producens Eleazeri exemplum, qui mori potius elegit, quàm simulare carnes suillas edisse 2. *Mach. cap.* 6. Et Ambrosius *lib. de Jacob, & vita beata* ex professo involutam & obscuram responsionem insufficientiæ coarguit. Et *in Lucam lib.* 10. expositionem verborum negationis Petri rejicit: *nescio quid dicis*, id est, sacrilegia vestra nescio, non approbo, Chrysostomus *hom.* 55. *in Matth.* clara & magna voce profitendam esse veritatem, docet. Cujus rei præclarum Augustinus *lib.* 8. *confes. cap.* 1. commemorat exemplum de Victorino Rhetore Romano, cui dum offerretur, ut clanculum baptizaretur, palam Christi fidem profiteri maluit, ne ipsum Dominus erubesceret in Cœlis, si coram hominibus ipsius doctrinam profiteri erubuisset in terris. Eusebius *lib.* 8. *hist cap.* 3. 7. *&* 9. jure culpari silentium ostendit, ac *lib.* 4. *cap.* 17. quendam à Judice insidiante rogatum, an Christianus esset? Libere professum esse, scribit.

De Fuga verò persecutionis tempore, an sit licita, Tertullianus *in lib. de fuga*, nullo casu fideli permissam esse fugam, docuit. Sed Ecclesiæ Catholicæ doctrina semper contrarium tenuit, sanctique tam in veteri, quam in novo Testamento, cùm verbis, tùm exemplis nonnunquam cedendum furori persequentium comprobarunt. Nam de Ur Chaldæorum propter religionis causam, Thare pater Abrahæ profugit. Jacob iræ fratris Esavi voluntario se exilio subduxit, nec non Moyses à facie Pharaonis, Gedeon à facie Madian, David Regis Saulis persecutioni fugiendo se subtraxit, Helias furori Iesabelis cessit, Abdias Propheta occultavit, Mathatias cum plerisque Mosaicæ legis amatoribus in desertum se contulit, ut Antiochi sævitiam declinaret, *Judic.* 6. 1. *Reg.* 21. 3. *Reg.* 17. 18. *&* 19.

Christus autem verbo & exẽplo fugam esse licitam declaravit. Fugit primũ in Ægyptũ, sæpiùs secessit in desertum

tum, nonnunquam se occultavit, ac luculentis verbis dixit Apostolis Matth. 10. *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Cujus doctrinæ memor Apostolus Paulus, per sportam dimissus fugit, suumque factum probando commemorat 2. *Cor.* 11.

Ex quibus fugam suam licitam fuisse probat Athanasius in Apologia pro sua fuga. Quia nemo se in periculum abnegandæ fidei conjicere debet, nec Deum tentare licet. Quod fit quando spretis ordinariis à Deo institutis mediis, præsidia miraculorum extra communem Naturæ legem expectantur. Id quod præsumptionis vitio non caret. Hinc lapsum refert Eusebius *lib.*4. *hist. cap.* 15. eum, qui se periculo temere objecerat, quia suæ fragilitatis oblitus, quod se velle sentiebat, perficere quoque posse opinabatur, sicuti Petrus de suis viribus præsumens, Christum abnegasse legitur, qui postea quantumvis constans fugere non erubuit, donec ei Christus horam adesse mortis significaret. Cyrill. *lib.* 9. *in Joan. cap.* 26.

Nazianzenus *orat.* 1. *in Julianum* aliam fugæ causam affert, dicendo, cedendum esse furori persequentium ne occasionem mali præbere videatur, obiiciens se nocere paratis. Hinc pastoribus licitam tunc esse fugam docet Augustinus *epist.* 180. quando eorum quisquam specialiter à persecutoribus quæritur, ut ab aliis, qui non ita requiruntur, non deseratur Ecclesia, nec debitum, ac pietati necessarium ministerium desit. Eos verò, qui sic fugiunt, ut gregi Christi ea, quibus spiritualiter vivit, alimenta subtrahantur, *mercenarios* esse dicit, *qui videntes lupum venientem, fugiunt, quia non est eis cura de Ovibus.* Unde Ambrosius Justinæ Augustæ, ut fugeret, imperanti, respondit ep. 32. *Ego hoc sponte non faciam, ne lupis ovium septa tradere videar. Non multum enim interest, utrum volens relinquas, an tradas altare Christi.* Nec dissimili constantia Basilius Imperatori Valenti exilium ejus decernenti, respondit: *omnes mortis species potius esse tolerandas, quàm patiendum sit, unam de divinis dogmatibus syllabam corrumpi*, hist. tripart. lib. septimo cap. 36.

Quanquam verò propriam subinde fidem occultare liceat, nunquam tamen signo infidelitatis, aut reprobæ sectæ, uti fas est. Immo ne quidem Eleazarus specimen perfidiæ, aut simulationis, mortis vitandæ causa exhibendum putavit, ideoque mori satius quam simulare duxit 2. *Machab.* 6.

Et hæc ex Patribus. Qui plura, immo qui omnia de his rebus scire velit, adeat Leandrum de sanctissimo Sacramento, qui *p.* 1. *disp.* 3. ita minutis interrogatiunculis, quasi punctis ea collegit, ut omnem superet diligentiam.

Signa porrò, ex quibus veteres fidem negari colligebant, varia fuere.

Primi generis erant, Idola colere, aut thura adolere, teste Cypriano *lib. quarto epist. secunda*, quibus hodie assimilantur, qui hæreses amplectuntur, aut laudant.

Secundi erant, nomen libello dare; unde tales *Libellatici* nuncupantur, quorum crimen in eo consistebat, quod Judici, vel Scribæ pecuniam conferrent, ut eorum, qui jussis impiis paruerant, numero ascriberentur, ne ulterius ad immolandum Idolis urgerentur, persecutionisque furorem evaderent, cùm legi paruisse viderentur, de quibus loquitur Cyprianus *lib.* 1. *epist.* 3. *lib.* 2. *epist.* 7. *lib.* 3. *epist.* 5. & *lib.* 4. *epist.* 2. Sic nunc peccant, qui metu damni, aut spe temporalis commodi, se hæreticis ac infidelibus accommodant, fœderaque cum eis ineunt, de quibus alibi prolixe.

Tertii erant, comedere Idolotyta, id est Idolis oblata 1. *Corinth.* 8. & 10. Cyprian. *Serm. de laps.* & *de exhort. martyr. cap.* 11. Concil. Nicen. *can.* 11. Augustinus *epist.* 164. Lactant. *lib.* 4. *capit. ult.* His similes videntur, qui hæreticorum sacrilegas cœnas, aut conciones adeunt, vel quoquo modo eorum concioni sociantur. Item qui diebus jejuniorum carnibus vetitis ex inobedientia vescuntur.

Quarti erant, coronam in natalitiis Principum gestare, aut more Sacrificantium hedera caput cingere, Tertullianus *lib. de coron. milit.* & Cyprianus *Serm. de lapsis.* Hoc modo peccant, qui factionum hæreticarum tesseris utuntur, puta scutellulis, aut floribus certi coloris, vel reflexione galeri certo modo facta, uti per Geusios factum visum est, vel pileo vittato Turcico.

Quinti erant, jurare per fortunam Cæsaris, Eusebius *lib.* 4. *hist. capit.* 15. Sic hodie peccant, qui symbolo factionis hæreticæ ad se internoscendum utuntur, nominando se Calvinistas, Lutheranos, Mennonistas, Servetianos, Aërianos, aliisque hujusmodi nomenclaturis, quibus tanquam charactere dignoscantur.

Sexti erant, ab Imperatore Ethnico militiæ cingulum, aut chlamydem accipere, Concilium Nicen. *Can.* 11. Hanc Iovinianus recusavit à Juliano, *hist. tripart. lib.* 8. *cap.* 13.

Postremum signum erat, non Christianorum, sed Ethnicorum more vivere, quales Paulus ait, *fidem negare factis* ad Titum 1.

Quod verò ad obligationem subeundi martyrium, obligantur primum ad illud omnes Christiani ex præcepto divino, saltem in præparatione animi. Nam omnes potius debent velle mortem sustinere, quàm negare, aut deserere fidem Catholicam, aut aliàs peccare mortaliter. Deinde obligantur sub præcepto omnes Christiani ad perferendum martyrium actu, quando currit præceptum tuendæ, aut confitendæ fidei, ut patet ex illo ad Rom. 10. & tradit D. Thomas 2. *quæst.* 124. *ar.* 3. *ad* 1.

Martyrium autem aliquando esse opus consilii; si fiat cum debitis circumstantiis, docet D. Thomas *loc. cit. ar.* 4. Non tamen caret difficultate circumstantias explanare, nempe quando martyrium, non urgente præcepto aliquo, laudabiliter suscipiatur, quando verò temere. D. Thomas, ubi supra, expressè docet, martyrium esse consilii Evangelici, cum ex zelo fidei, & charitate fraterna sponte quis se offert martyrio, ut multi Sancti fecerunt, non tamen explicat circumstantias, quando martyrium propter gloriam Dei libere, nemine impellente susceptum, sit laudabile.

Divus Isidorus *lib.* 1. *sent. capit.* 23. præ aliis planissime explicat, quando martyrium prudenter sit declinandum, quando verò amplectendum his verbis: *Vir Sanctus ultrò se pro agone certaminis debet offerre justitiæ, sed tamen agonis fructum videns uberrimum, non debet declinare laboris periculum. Quod si major est labor, quàm animarum lucrum, declinandus est labor, quem minimum comitatur augmentum. Utrunque enim fecit Apostolus, qui & periculis se ultrò dedit, ubi maximum animarum lucrum vidit, & sapienter se periculo abstulit, in quo potiorem laborem, quàm lucrum esse perspexit. Ultro se Paulus apud Ephesum periculis obtulit, quia potius periculo lucrum vidit. Damassi autem ideo periculo subtraxit seipsum, quia nullum periculi ipsius arbitratus est fructum. Disce quomodo ad Martyrium se offerat quisque ultro, vel quomodo juxta sententiam Dei cingatur ab altero, & quò non vult, ipse ducatur.*

Nos vero duo, ut verissima, constituimus. Primum est. Nulla ratione licet Martyrium *directè* procurare, aut quærere, id est, nullus sine alia causa, quàm sufferendi Martyrium, etiam propter Dei gloriam, debet se offerre persecutorum gladiis. Et hoc est, quod voluit D. Thomas *ibid. ar.* 2. cum ait, *Martyrium debet tolerari patienter, non tamen quæri.* Quia non

debet dari occasio agendi injuste. Quod etiam est ad mentem aliorum Patrum.

Quamvis autem nón liceat directè martyrium procurare, licitum tamen est desiderio martyrii flagrare, ut quamplurium Sanctorum monemur exemplis. Nam directè quærere, & procurare martyrium nequit fieri absque eo, quod aliis demus proximam occasionem injustæ occisionis; cùm verò desideramus, vel complacemus in spe vel desiderio martyrii, desiderium præcise fertur tantùm in opus bonum ac honestum, quale est mori pro Christi fide, & ita appetimus passionem ex parte nostra, non verò actionem ex parte tyrannorum. Hæc autem, etsi in re sint connexa, voluntate tamen & desiderio separari possunt, sicut etiam Dominus desiderio patiendi ante suam passionem ferebatur, ut ipse ajebat, baptismo habeo baptizari &c. non tamen desiderabat injustam Judæorum necem. Quia potest etiam quis desiderare injurias, & opprobria, ab hominibus illata, pro Christo pati absque eo, quod desiderio feratur, ut alii peccent inferendo ei injurias.

Secundum est. Licet *indirectè* ultrò se offerre martyrio, atque hac ratione martyrii palmam quærere. Subiicio exemplum. Aggreditur quis coram tyranno opus aliquod bonum, ad quod non tenetur sub præcepto, cùm sit tantum de consilio, ex quo opere præscit sibi à tyranno mortem inferendam, ut si ex prædicatione Evangelica inter infideles, casu, quo ipse non sit obstrictus ejusmodi prædicationi, vel ex auditione, aut celebratione Missæ in regionibus hæreticorum, præcognoscat sibi imminere capitis periculum, tunc non ambigitur, quin liceat opus illud bonum, quando ex illo oriatur aliqua utilitas proximorum, etiam cum periculo vitæ, perficere. Quia tunc iste non præbet occasionem proximam injustæ necis, sed potius hoc sequitur ex malitia infidelium, aut hæreticorum.

Diù tamen ac sollicite deliberandum est, utrum, & quando sit laudabile, indirecte, se offerre martyrio, quando Deo acceptius martyrii declinare occasiones. Hoc enim pendet à prudentia, & arbitrio boni viri, qui diligenter exquisitis, postquam Deum assiduè oraverit, omnibus circumstantiis, maximæ utilitatis, quæ effusione proprii sanguinis consequitur; an, inquam, major futura sit utilitas animarum, ut si probabiliter fructus aliquis, tam pro adducendis infidelibus ad Christianam Religionem, quàm confirmandis, & stabiliendis Catholicis in fidei confessione speretur. Idque voluit Isidorus *cit. cap.* 13. qui non dixit quando ultrò, se quis debeat offerre martyrio, sed labori, id est operi alicui bono, cum labore conjuncto, ad quod sequatur martyrium, & quando declinandus sit ille Labor, qui ansam præbet martyrio, quandove amplectendus, licet Scholiastes non fuerit assecutus mentem Isidori.

CONSULTATIO XLIX.

De Superstitione. Quid propriè illa sit? Quomodo differat ab Idololatria. In quo consistat malitia sortilegii? Quomodo dividatur? Quatenus invocatio dæmonis sit illicita? De pacto inter hominem & Dæmonem. Quid ad illud requiratur? In quo illius ratio consistat? Regulæ fundamentales ad cognoscendum, in quo consistat hoc pactum, & quando interveniat, ac etiam quomodo rerum vanarum usus sit sortilegium? Et an in sortilegio excuset ignorantia? Pœna in Idololatras, ac de potestate summi Pontificis aliorumque Principum Christianorum in Paganos ob solam Idololatriam. Quibus propositis quæstiunculæ fere omnes, quæ apud alios proponuntur, explicantur.

De hac materia copiose Theologi morales disserunt, nos vero salubriter, nec jejunè illam versabimus, quoad ea fusè omnia quæ duntaxat pertinent ad S. Officium. Superstitio est vitium oppositum virtuti Religionis per excessum secundum quandam proportionem, prout in cultu divino fit aliquid, quod fieri non debet. Dividitur ex parte objecti in duas species. Prima est quando cultus exhibetur vero Deo, modo indebito, ut si colatur cultu falso, aut superfluo. Secunda est, quando cultus exhibetur ei, cui non debet exhiberi, nimirum creaturæ. Atque hoc est aliud superstitionis genus, quod ex parte finis intrinseci, ad quem ordinatur distinguitur in tres species.

Cultus autem Dei consistit, non solum quòd Deo exhibetur honor, ejusque suprema excellentia oblationibus, & sacrificiis à nobis excolitur, sed etiam secundum quod ab eo, tanquam à primo fonte gratiarum, aliquid petimus. Creatura itaque colitur, vel quia illi indebita reverentia exhibetur, quod est prima species, quæ idololatria dicitur. Vel à creatura, veluti à Deo, indebitè postulatur instructio & cognitio rerum occultarum, & est secunda species, quæ vocatur divinatio. Vel divinus cultus, adhibitus creaturæ, ordinatur ad actuum humanorum directionem, & hoc est tertia species, quæ appellatur superstitio vanarum superstitionum. Consistit igitur essentia sortilegii, ut est genus ad divinationem, & magiam, sive ad vanas observationes, in eo, quod maximè proprium sapientiæ, ac omnipotentiæ divinæ tribuitur creaturæ.

Hujusmodi autem superstitiones distinguuntur in sapientes hæresim manifestè, & in non sapientes. Et licet *in cap. accusatus de hæret. in* 6. decretum sit, quod Inquisitores non inquirant, nisi de divinationibus, ac sortilegiis, quæ sapiunt hæresim manifeste, nunc tamen ex Constitutione 17. Sixti V. & ex Constitutione ... Urbani VIII. de omnibus sortilegiis cognoscunt. Qua de re alibi sæpius. Per id verò, quod superstitio importat divinum cultum, proprium Dei, & exhibitum creaturæ, dicitur sortilegium, de quo plura sunt expendenda, ut de eo habeatur deliberatio.

Et primò expendendum est id, per quod distinguatur ab idololatria. Conveniunt enim in genere superstitionis, eorumque essentia consistit in quodam recessu à Deo, & ab ejus suprema excellentia ex eo, quod divinus cultus creaturæ tribuitur.

Distinguntur tamen primò, quia idololatria respicit excellentiam divinitatis, sive essentiæ divinæ secundum se, & absolutè sumptam, tribuens divinitatem, ac ejus supremam excellentiam creaturæ. At sortilegium per se, ac directe respicit divinam omnipotentiam, & sapientiam supremam, tribuens creaturæ, posse cognoscere ac prævidere, & facere id, quod solius est divinæ sapientiæ ac potentiæ.

Ideo distinguntur secundo ex parte finis. Quia idololatriæ finis est, ut creatura habeatur, tanquam Deus absolute, utque talis adoretur. Sed sortilegii finis est, ut virtus Dei, nobis auxilium præbentis, exhibeatur creaturæ.

Tertiò distinguntur. Nam actus idololatriæ est adoratio, & consistit in cultu latriæ exhibito creaturæ per actus, qui directe ac per se fiunt in significationem ac testimonium divinæ excellentiæ, sicque tria importat. Ex parte intellectus existimationem, per quam judicat, divinam excellentiam competere creaturæ. Ex parte voluntatis affectionem, hono-

rem, ac reverentiam, per quam idololatra reveretur creaturam, ut Deum, ac illi se subjicit. Exterius per signa ex institutione, vel usu determinato significat interiorem illum cultum, reverentiam, & subjectionem, qua Idololatra ex corde reveretur & honorat creaturam, ut Deum, & se illi, ut Deo, ex corde subiicit. Sortilegium verò consistit in invocatione creaturæ in iis, quæ solus Deus potest scire, & facere, non secus ac si creatura verè jam esset Deus.

Quarto propterea distinguuntur, quòd Idololatria consistit præcipue in adoratione, tam interna, quàm externa, per quam creatura cultu latriæ adoratur, tanquam Deus, ideoque illi offert Sacrificia in testimonium ac significationem divinitatis, ut habetur ex D. Magistro *in summa* 2.2. *quæst.* 4. *ar.* 1. 2. *&* 3. Sed sortilegium essentialiter consistit in invocatione divini auxilii ad aliquem effectum obtinendum, quando scilicet invocatur creatura, ut præbeat auxilium illud, quod solus Deus præstare potest. Atque ita sortilegium tribuit creaturæ, quod divinum est, divinam scilicet sapientiam, & omnipotentiam, ejusque actus est invocare creaturam in illis, quæ solus Deus præstare ac facere potest.

Expendendum est secundo, an sortilegium, sicut Idololatria, dividatur in sortilegium verum, tam ex parte sortilegi, quàm ex parte creaturæ, quæ invocatur, & in sortilegium verum tantùm ex parte invocantis, & in falsum, seu fictum. Suarez enim *tom.* 1. *de relig. tr.* 2. *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 5. distinguit in idololatria tres istos modos. Et eodem modo sortilegium triplex esse potest. Verum ex utraque parte. Verum ex parte sortilegi, & Fictum. Primum non est sine infidelitate, sed illam supponit, atque ex illa est. Tale est sortilegium illius, qui verè ex corde invocat creaturam, tanquam Deum, ab illa petens, & expectans quæ sunt propria sapientiæ ac potentiæ divinæ. Et quanquam difficile valde sit, quod quis credens, quod creatura non possit aliquid facere, & nihilominus id ab ea petat ex corde, non est tamen hoc impossibile, esseque potest, quod aliquis in Dei contemptum velit invocare dæmonem ad id, quod solius Dei est, sicque hic ex animo dæmonem invocans, etiam si credat, illum non esse Deum, est verus sortilegus. Sed si solum extrinsecus, & non ex animo dæmonem invocet ob aliquam causam, tunc committit sortilegium fictum ac simulatum, quod etiam est valde grave, ac importat actum externum, Religioni contrarium, ac mendacium valde perniciosum.

Tertiò expendendum est, an sortilegium ex parte personæ, cujus auxilium postulatur, restrictum sit ad dæmones, sicque sortilegium sit invocatio dæmonis ad faciendum aliquid, quod solus Deus facere potest? Affirmo. Omnem enim divinationem provenire ex dæmone, ait D. Thomas *loc. cit. quæst.* 95. *ar.* 2. *corp. & ar.* 3. ac ita sentit Augustinus *lib. de doctr. Christ. cap.* 22. *ad fin. & cap.* 23. *sub initio.*

Neque refragari videtur, quod gentes adoraverint Solem, Stellas, Bruta, & hujusmodi Deos invocaverint in auxilium, præcipuè ad cognoscendum occulta, & futura. Atque adeò Idololatria & sortilegium non consistant solum in eo, quod dæmoni exhibeatur divinus cultus.

Respondeo, quod per se, ac formaliter loquendo Idololatria, & sortilegium consistunt in adoratione, & invocatione creaturæ ad ea, quæ naturæ vires excedunt; sed tamen verum simul est illud psalmi 95. *omnes Dii gentium dæmonia.* Gentes itaque ex falsa opinione, tanquam Deos adoraverunt, & invocarunt immediate, & explicite Sydera, bruta, sed reipsa id non fuit, nisi adorare dæmonem, ac illum implicite invocare, & ideo regulariter, ac ferè semper sortilegium fit per invocationem dæmonis explicitam, vel implicitam, ut per Cajet. 2. 2. *quæst.* 91. *ar.* 2. *&* 8. ibique Valentia *disp.* 6. *quæst.* 12. *punt.* 2. *&* 4. Navar *in sum. cap.* 11. *num.* 25. Delrium *lib.* 4. *magic. cap.* 2. *quæst.* 5. Suar. *d. tom.* 1. *de relig. tr.* 2. *lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 9. *& seq.* Sayr. *in clav. reg. lib.* 4. *cap.* 4. ac Delbene *de offic. Inquis. par.* 2. *dub.* 221. *sect. secunda numer. secundo & tertio.*

Nam ex opinione falsa invocans quamcumque aliam creaturam, ad ea, quæ supra vires naturæ sunt, revera, saltem virtualiter, ac implicitè invocat illum, qui solus his vanis invocationibus se immiscet, & effectum intentum causat, quando ille obtinetur. Immo qui idololatriam, & sortilegia invenit, homines docuit, ut separarent se à cultu veri Dei, & saltem implicite ipsum adorarent. Hic autem solus est Dæmon. Inanimata enim, vel irrationalia nostras preces non audiunt, neque percipiunt. Angeli, ac Beati has superstitiosas preces abominantur, nec patiuntur, ut sibi divinus cultus exhibeatur. Homines, adhuc viventes, non possunt opem ferre, quia per sortilegia non petuntur, nisi quæ humanis viribus, vel quoad substantiam, vel quoad modum, obtineri non possunt. Multò minus damnatorum animæ id facere possunt, quia nec nos audiunt, nec nostra cognoscunt, ut docet D. Thomas *p.* 1. *quæst.* 89. *ar.* 8. neque nobis opitulari possunt, cùm sine speciali Dei permissu ex inferis egredi nequeant. Solus ergo dæmon est, qui has vanas invocationes audit, & qui effectus intentos, aut verè aut falsò producit, ut decipiat. Quod si non exaudit, causam defectus cultus exhibiti ascribit, attribuitque.

Et nihilominus dicendum est, quod quando aliquis ex falsa opinione circa virtutem causæ naturalis utitur illa ad effectum, ad quem credit illam habere naturalem virtutem, quamvis & in hoc possit errare contra fidem, quodammodo materialiter dicatur inniti virtuti dæmonis, se in his immiscentis, propriè tamen ac formaliter non init pactum cum illo, & sic non incurrit suspicionem illam hæresis, quæ ex hoc pacto sequitur. Quia ipse utitur illis causis, ut naturalibus. Nec eas invocat, quia non utitur eis, ut causis rationalibus, quæ invocari possint, sed ut causis naturalibus, de quo infra. Quando autem invocatur creatura, tanquam rationalis, ad effectum sortilegum, in quem verè non potest, tunc implicitè invocatur dæmon; qui est ille, qui sortilegiis adest, ut effectum assequantur.

Expendendum est quartò, in quo consistat malitia sortilegii. Et quidem sortilegium, quatenus est invocatio creaturæ ad producendum aliquem effectum, qui est proprius Dei, regulariter supponit errorem, sive infidelitatem in intellectu, sed formaliter consistit in eo, quod creaturæ tribuitur, quod Dei est, & creatura invocatur, ut Deus. Nam, petens hujusmodi effectus à creatura, supponit in ea potentiam divinam ad illos producendum, & quod ad se attinet, hanc potentiam illi tribuit. Quod autem, ut dictum est supra, dari possit sortilegus, qui ad hujusmodi effectus invocet creaturam, sive dæmonem, sive præsupposito errore scienter, & ex malitia, casus est potius metaphysicus, quàm moralis, & nihilominus, ad hunc casum excipiendum, diximus, quod sortilegium regulariter est ex errore, & infidelitate, sed tamen essentia sortilegii consistit in invocatione creaturæ in illis, quæ solius Dei sunt, qua invocatione exhibetur creaturæ divinus cultus, quæ creatura semper est dæmon, saltem implicite invocatus.

Quintò expendendum est, an sit sortilegium ac superstitio petere à dæmone auxilium in illis quæ non sunt proprii effectus Dei, sed à Dæmonis virtute seu potentia produci possunt? Et sane, loquendo absolutè de creatura, censeo nec superstitionem, nec sortilegium esse, neque illicitum petere ab illa opem in iis

quæ subsunt ejus virtuti, nisi adsit aliqua mala circumstantia. Quia in hac invocatione nihil divinum assumitur, & non tribuitur, nisi excellentia competens creaturæ, ideoque licet invocatio sit quidam cultus, non est tamen divinus, quando invocatur creatura, ut agat, tanquam causa secunda, quod propria virtute potest.

At loquendo de invocatione dæmonis, quidam volunt, quod hæc invocatio sit quidem illicita; quia omnis societas cum dæmone noxia est, & contra rationem, non tamen sit superstitio, si invocatur ad præstandum illud auxilium, quod, ut causa secunda, potest natura sua præstare. Et sic ajunt, quod non est superstitio invocare dæmonem, ut revelet occulta, quæ ipse scire potest. Quia in tali invocatione nihil divinum assumitur, & creaturæ exhibetur. Hujus sententiæ est Valentia 2. 2. *disp. sexta quæst. duodecima pun. tertio*.

Verumtamen, quod invocare dæmonem in auxilium, non modo sit illicitum, sed etiam superstitio, ac sortilegium, docent D. Thomas 2. 2. *quæst.* 95. *ar.* 2. ac ibi Cajetanus, Suarez *tom.* 1. *de relig. tr.* 2. *lib.* 2. *cap.* 9. *num* r. 16. Sanch. *in sum. lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 2. & 9. Sousa *lib.* 4. *aphor. cap.* 38. *num.* 15. Navar. *in cap. novit. num.* 2. *de judic.* Delbene *dub.* 221. *sect.* 1. *nu.* 1. & Bordon. *in Tribunali cap.* 17. *num.* 16. Nam omnis amicitia & familiaritas cum dæmone est illicita, quia est contra charitatem, ratione periculi, ut tradit D. Thomas *ea quæst.* 95. *ar.* 4. Dæmon enim capitalis inimicus Dei, ac hominis, non quærit, nisi, ut hominem decipiat, illique noceat. Quod ei facillimum est, vera respondendo, & consulendo, quæ verè sunt bona, ut sibi credatur, atque postea illos improvidè in præceps dedat. Eoque præsertim, quod in illo nullum opus, nullus sermo, nulla cogitatio est, quæ in Dei contemptum, ac in hominum damnum non tendat. Unde amicitia cum dæmone semper est in iis, quæ ad inimicitiam pertinent, quia omnia opera dæmonis sunt hostilia.

Quare dicendum est, quod amicitia, & familiaritas, sive sociale pactum cum dæmone initum opponitur directe, ac per se virtuti Religionis, ideoque continet malitiam pravæ ac perversæ superstitionis. Nam fœdus, sive pactum sociale cum inimico Principis, & contra ejus Rempublicam opponitur directe illi virtuti, ex qua quis tenetur Principem revereri, illique subditum esse, ac in suis actionibus servitutem illi profiteri, illumque colere, ac Principatum ejus & gubernium honorare. Atqui respectu Dei, ac ejus Principatus & administrationis, hæc omnia debentur virtute Religionis. Ut enim ex Augustino lib. de ver. relig. docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 81. *ar. primo* religio est, quæ nos relegat uni omnipotenti Deo, tanquam in deficienti principio, & summo Pontifici, ad quem omnis nostra electio dirigi debet, tanquam ad finem. Igitur contra hujusmodi religionem agit per se, qui cum dæmone, hoste Dei capitali fœdus init, ut cum Cajet 2. 2. *d. quæst.* 95. *ar.* 4. docent alii, tanquam apostata à Deo proditor, ac læsæ Majestatis reus dæmoni adhæret.

Quod eo manifestius apparet, quia dæmon, qui primò in superbiam elatus peccavit, dum voluit esse tanquam Deus, obstinatus in peccato appetit esse similem Deo in dominatione, ac homines à Dei servitute ad sui obsequium seducere. Quæ omnia per se directè pugnant cum summo Principatu, ac excellentia dominationis Dei, & adversantur obligationi serviendi Deo, ut summo Principi, ejusque excellentiæ. Quod ex virtute Religionis habemus. Ac insuper quia petitio, supplicatio, invocatio per se cultum præferunt. Nam, ut docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 83. *ar. tertio* per orationem exhibetur cultus ac reverentia illi, cui fit oratio; quia orans se illi subjicit, & orando profitetur, se illo indigere, sicut autore sui boni. Per invocationem igitur dæmonis ei cultus exhibetur. Licet autem, quando à dæmone petitur id, quod est in sua potestate concedere, hic cultus secundum se non sit divinus, attamen, supposita in illo affectatione divinæ excellentiæ cum Dei odio & contemptu, hic cultus est ex affectatione divinus & contrarius virtuti Religionis, atque adeo est cultus superstitionis, ut asserunt Cajet. *d quæst.* 95. *ar.* 2. & 4. ac Suarez *d. lib.* 2. *de relig. cap.* 8. *n.* 16. Absolute igitur invocare dæmonem est superstitio.

Id autem, quod ait Carena *p.* 2. *tit.* 12. *numer.* 63 nempe, quod potest invocari dæmon absque omni cultu, ac reverentia, immo cum ejus odio, verum quidem est, si intelligatur de invocatione ficta & per ludibrium, vel de aliquo cultu speciali distincto à supplicatione. At de cultu intrinseco invocationi, implicat in terminis. Qui enim serio, dæmonem invocat, ut ejus auxilium obtineat illi cultum exhibet, qui licet secundum substantiam non sit divinus, si invocatur ad ea, quæ potest agere propria virtute, ex qualitate tamen dæmonis est avidè divinus. Neque est inconveniens quod hic cultus partialis possit esse cum interno dæmonis odio. Nam & sæpe inimici ad aliquid invocantur.

Si verò daretur casus, in quo homo vivens appeteret divinitatem, ac vellet æstimari, ut Deus, utque Deum invocari, tunc illius invocatio ad ea, quæ sunt virtutis humanæ, esset superstitio. Quia in his invocaretur, vel ut putatus Deus, vel appetens etiam in his divinitatem. Atque hic esset casus, in quo non invocaretur dæmon, ne implicite quidem. Quia invocaretur homo ad id, quod est in sua potestate, & ad quod nullum dæmonis auxilium esset necessarium. At ubi invocatur aliquis ad ea, quæ humano modo obtineri non possunt, semper dæmon implicite invocatur. Non enim est eadem ratio de dæmone ac de homine, divinitatem sibi arrogante. Quia in dæmone, ut diximus, non potest distingui actus non pertinens ad inimicitiam Dei, cùm semper agat malum. Sed in homine, etiam improbo, non omnis actus est necessariò malus, & ejus actus auxilii in illo, quod agere potest virtute propria, potest non esse peccatum, nec procedens ex inimicitia contra Deum, ac proinde ab homine, etiam appetente divinitatem, si petatur id, quod ille potest virtute sua, non est per se superstitio, quæ tamen esset, si ille actus fieret in signum divinitatis ex lege, vel consuetudine, aut si non reciperetur ab illo nisi ut signum divinitatis.

Sexto expendendum est, an, ut amicitia cum dæmone, vel ejus invocatio sit illicita, & superstitiosa, requiratur aliquod pactum inter hominem ac dæmonem?

Respondeo cum Cajetano *d. quæst.* 95. *ar.* 4. non requiri pactum aliquod proprie dictum, sive conventionale, sed sufficere pactum sociale intrinsecum amicitiæ dæmonis, ejusque invocationi. Aliquod sane pactum intercedere, fatentur omnes, ac sæpe contingit, quod intercedat pactum conventionale, quo tam dæmon se obstringit ad respondendum, vel prædicendum futura, vel aliquam opem præstandum, & homo se obligat ad aliquod ei præbendum obsequium. Hæc autem specialia pacta, licet augeant malitiam hujus sortilegii, non sunt tamen de illius substantia, sed de illius substantia est invocatio ipsa, continens in se quoddam pactum sociale. Ita D. Thomas *d. quæst.* 95. *ar.* 4. ubi docet, divinationem esse illicitam ex parte principii, quod est pactum, expresse cum dæmone initum per ipsam dæmonis invocationem. Sic igitur per ipsam dæmonis invocationem initur pactio cum illo, & hæc est pactio, quæ est de substantia sortilegii. Idemque D. Thomas *d.* 2. 2. *quæst.* 96. *ar.* 1. *ad* 3. ait quod exquirere cognitionem futurorum à dæmone, non solum est peccatum ex eo, quod ipse futura non cognoscit,

cita, sed propter societatem, cum illo initam. Ex quo itaque initur societas cum dæmone, habetur superstitio, ac indebitus cultus, absque eo, quod intercedat pactum conventionale, ac speciale.

Nihilominus tamen adest aliqua ratio pacti conventionalis. Nam, qui init amicitiam cum dæmone, si non verbo, saltem facto paciscitur, & pro amore amorem postulat. Etenim, *si vis amari, ama*. Et qui invocat dæmonem, ex hoc se quodammodo obstringit ad obediendum dæmoni in iis quæ sunt necessaria, ad petitum effectum obtinendum. Immo universim in sortilegiis, quæ in usu sunt, sive sint necromantica, sive vanæ observationes, aliive actus magiæ, semper intercedit pactum conventionale cum dæmone. Quia res, quæ adhibentur pro effectu obtinendo, adhibentur ex dæmonis institutione & pacto, ut signa dæmoniaca, ceu docet D. Thomas *d. q. 96. ar.* 1. 2. & 3. Per se tamen non est necessarium pactum ex natura sua inductivum justitiæ commutativæ, sed sufficit pactum sociale inductivum mutuæ benevolentiæ, vel gratitudinis.

Septimò expendendum est, utrum ad essentiam hujus sortilegii, sive superstitionis, sit necesse, quod invocans dæmonem, id faciat ex formali intentione exhibendi illi cultum aliquem divinum? Potest enim esse, quod aliquis sortilegio uti velit; immo & dæmonem invocet absque intentione formali eum colendi. Cajetanus *cit. quæst.* 95. *ar.* 4. hujusmodi sortilegium, in quo sortilegus separat ab opere id, ad quod opus sortilegum ordinatur, quia scilicet non vult, neque intendit, se subjicere dæmoni, sed solum petit à dæmone, tanquam à sciente, aut potente in aliquo adjuvare, tanquam si peteret ab alio homine absque subjectione, ac reverentia, vocat superstitionem materialem. Quia hujusmodi opera sunt materia superstitionis; nec tamen propterea sortilegus evadit culpam mortalem. Quia eadem opera constituunt initam societatem formalem cum dæmone, atque adeo cum Dei hoste.

Verùm animadvertendum est primò, quod amicitia cum dæmone est superstitio formalis, ut probavimus. Præterea videtur, quod in hoc casu subjectio, ac reverentia superstitiosa non possit separari. Nam aliqua subjectio, ac reverentia est intrinseca & inseparabilis à petitione indigentis auxilio. Quia, ut habetur ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 83. *ar.* 3. indigens, qui petit adjuvari, ex hoc profitetur suam indigentiam. Et propterea ex quo petit, se subiicit illi, à quo petit, & sic petitio intrinsece, ac individuè quidam est cultus, exhibitus illi, à quo indigens petit. Id autem verum est, quod petitio, qua petitur à creatura id, quod est in sua potestate, non est cultus divinus, neque superstitio. Sed petere à dæmone ratione qualitatis illius, à quo petitur, ut Cajetanus *inibi* docet, est cultus divinus affectatus, ratione appetitæ excellentiæ, ac divinitatis, quam dæmon exquirit, quod petens non potest à dæmone separare, atque adeo nec potest facere, quod in hoc casu ex rei natura petitio, affectatione dæmonis attenta, non sit cultus divinus affectatus. Quod sufficit, ut petitio ista sit superstitiosa formaliter, & petens sit formaliter sortilegus.

Deinde advertendum est, quod ad falsum cultum ex parte rei, quæ colitur, non requiritur semper formalis intentio colendi, ut actus habeat malitiam talis actus, sed satis est, quod actus de se pertineat ad cultum ejus cui exhibetur; sicut ad homicidium sufficit, quod homicida occidat, etiamsi non habeat intentionem occidendi. Sic enim & actus, proveniens ex ignorantia non excusabili, quamvis præter intentionem formalem agentis fiat, est tamen ejusdem speciei cum actu proveniente à sciente, ac explicite formaliter intendente actum. Nec protestatio, seu intentio contraria potest malitiam excusare, vel separare, quia est protestatio de facto, à quo malitia non potest separari. Et ideo si factum, de se malum, est voluntarium, est peccatum. Datur enim in voluntate tanta & talis intentio ac electio, quanta sufficit ad peccatum, & malitiam, non obstante quacumque alia intentione, ac protestatione, quæ in simili casu voluntas non est absoluta, & efficax, sed est quædam velleitas, quæ non tollit efficacem voluntatem imperantem talem actum de se malum. Et ideo, quod in hoc casu adsit petitio superstitiosa, & verum sortilegium, non obstante quod petens à dæmone intendat & protestetur, se nolle dæmoni cultum aliquem exhibere, docuerunt Suarez *d. lib.* 2. *de relig. cap.* 8. *num.* 14. Simanch. *de cath. instit. tit.* 63. *num.* 13. Sanchez *d. cap.* 38. *n.* 4. ac Delben. *dub.* 121. *sect.* 2. *numer.* 6.

Octavò expendendum est, in quo consistat ratio pacti expliciti, vel impliciti cum dæmone in sortilegiis? Jam diximus supra in invocatione dæmonum iniri pactum cum dæmone. Dividitur autem hoc pactum in explicitum & implicitum. Carena *p.* 2. *tit.* 12. *num.* 12. ait ex Sanchez *d. cap.* 38. *num.* 3. pactum expressum esse, quod verbis expressis fit cum dæmone, aut cùm quis sciens dæmonem per aliquod signum occulta docere, illud usurpat. Subditque Carena, quod fallitur Sanchez, dum vult usurpantem signa, & characteres quibus dæmon aliquid agit, habere pactum expressum cum dæmone, cùm illud sit solum pactum implicitum At enimverò certum est, dari pactum expressum, nedum per verba, quando quis expresse verbis invocat dæmonem, sed etiam per facta; non quia, ut dixit Sanchez *ibidem*, sit pactum expressum siquis usurpet signum, per quod dæmon occulta manifestat; nam verè id non est expressa invocatio dæmonis, sed tacita. Sed quia cùm sortilegio non sit intrinsecum, nisi illud pactum, quod continetur in invocatione, aliaque pacta conventionalia, si interveniant, accidentalia sint, quia invocatio expressa dæmonis fieri potest, non solum verbo, sed etiam facto, si ex instituto, vel usu detur actio aliqua, ad invocandum dæmonem ordinata, iccirco in tali casu facto expresso, & ad invocandum instituto supplicans dæmonem, expresse illum supplicat, & cum illo paciscitur. Et quamvis pactum sit inter duos, & non perficiatur, nisi ex utriusque consensu, ad hanc tamen superstitionem per se sufficit invocatio ex parte hominis dæmonem invocantis, quicquid sit, an dæmon invocationi consentiat. Nam sufficit, quod homo, quod ad se dæmonis auxilium imploret, ac illi hunc cultum exhibeat.

Idem quoque Carena *inibi n.* 19. inquit, quod pactum implicitum est, cùm quis utitur signis, ad quorum usum dæmon vigore pacti expressi habiti cum primo instituente, aliquid facit, sed quod non sit necessarium, quòd aliquando fuerit cum dæmone initum aliquod pactum expressum, ut ille se immisceat his vanitatibus, ad hoc ut postea illis utens, dicatur pacisci implicitè cum dæmone. Quod etiam dixerunt Sanchez *in decal. lib.* 2. *d. cap.* 38. *nu.* 5. Sal. *lib.* 1. *cap.* 14. *nu.* 69. Delben. *p.* 2. *dub.* 221. *sect.* 2. *ar.* 7. ac Bordon. *in tribun. cap.* 17. *n.* 17. Quia usus ille serius vanitatum, & ex animo obtinendi effectum per se continet dæmonis invocationem. Nam per illorum usum non expectatur effectus ex causalitate naturali earum rerum, quarum est usus; quia effectus, qui expectatur, est dissimilis, ac dissentaneus virtuti naturali talium rerum, vel secundum substantiam, vel secundum modum, qui desideratur, sed expectatur à dæmone, qui est ille, qui in hisce vanitatibus se immiscet. Infallibilitas tamen illa obtinendi effectum, quæ tribuitur sortilegiis, non potest non inniti alicui pacto implicitè, vel mediatè inito cum dæmone ab institutore sortilegii. Atque ità verum quidem est, quod ut sortilegus sit superstitiosus, & dicatur habere pactum implicitum cum dæmone, sufficit usus sortilegii, quicquid sit, an sortilegium fuerit

fuerit institutum ex pacto expresso cum dæmone, annè, cùm tamen sortilegiorum institutio non fuerit facta, nisi ab aliquo habente pactum cum dæmone, qui efficacitatem suæ virtutis promisit sub conditione usus istius, vel illius, vel alterius rei, alioquin effectus sortilegiorum esset aut omnino, aut certè magna ex parte casualis, nisi in aliqua dæmonis promissione, & pacto inniteretur, sicque hoc etiam pactum, saltem implicitum in sortilegio invenitur.

Ut autem manifestum sit, in quo consistat hoc pactum, & quando illud intercedat, & sic quomodo, & quando usus vanarum rerum sit sortilegium, regulas aliquas subjiciemus satis planè utiles.

Sit itaque regula generalis, ac doctrina communis. Ubi ad obtinendum aliquem effectum usus earum rerum, quæ ad illum effectum causandum, vel quoad substantiam, vel quoad modum, aut circumstantias loci, temporis &c. non habent parem, ac propriam virtutem, sed effectus ad talium rerum usum provenit ex aliqua virtute occulta, quæ tali usui adjungitur: talis usus est implicita invocatio dæmonis, & sic continet pactum implicitum cum dæmone. Ita D. Thomas 2. 2. *quæst.* 96. *art.* 2. 3. *&* 4. ibique Cajetan. *quæst.* 96. *art.* 2. *&* 3. Delrius *lib.* 4. *magic. cap.* 2. *quæst.* 5. & Sanchez *d. lib.* 2. *cap.* 38. *numero tertio* Suarez *tom.* 1. *de relig. tract.* 2. *lib.* 2. *cap.* 9. *numer.* 9. Cùm vero hæc regula ex multiplici capite possit pati difficultatem, quia videtur, quod possit ab illo usu separari invocatio dæmonis ex eo, quod spes, ac intentio utentis innitatur virtuti Dei, & Sanctorum, vel alterius causæ creatæ habentis virtutem ad effectum producendum, ideò ad præfatæ regulæ generalis facilem explicationem, hæc, quæ sequuntur regulæ attendendæ sunt.

Regula secunda. Qui sine justa causa, & sine speciali Dei jussu, aut inspiratione, invocando Deum, utitur his rebus ad effectus producendum ineptis, potest esse superstitiosus, semperque gravissimè peccat, licèt propriè non sit sortilegus. Diximus, sine justa causa, & sine Dei jussu, aut inspiratione, quia, pone exemplum, projectio Virgæ in terram non est idonea causa faciendi, quod convertatur in colubrum, & tamen Moyses, ut habetur Exod. 4. & jussu Dei hoc fecit, & virga in colubrum versa fuit, fuitque factum illud justum, & religiosum. Itemque dicitur de aliis, quæ per virgam Moyses & Aaron Dei jussu operati sunt, ac de tot miraculis, quæ Deo, vel jubente, vel inspirante Sancti per usum rerum non habentium virtutem ad producendum effectus, patrarunt. Pensatis enim rerum circumstantiis habuerunt justum motivum ad Dei gloriam, fidei confirmationem, Reipublicæ Christianæ utilitatem, petendi, ac sperandi auxilium Divinum ad opera miraculosa implorandum.

Quæ causa cessat in vano usu rerum ad ejusmodi effectus à causis ineptis obtinendum. Hac vero causa cessante, prædictus usus potest esse superstitiosus in prima specie superstitionis, si Deo adhibeatur cultus falsus, aut superfluus, juxta doctrinam Div. Thomæ 2. 2. *quæst.* 93. *articul. primo & secundo.* Et hic usus semper est malus, quia est insignis audacia & impudentia sperare à Deo auxilium ad hujusmodi vanitates, insanias, atque ineptias. Audacia enim est, ac impudentia inniti potentiæ divinæ ad id, quod Deo non convenit. Div. Thomas 2. 2. *quæst. vigesima prima articul.* 1. *ad* 1. vel sperare à Deo id quod Deo tribuere non decet. Deus namque his vanis observationibus non se ingerit, nisi ut causa universalis, neque illi convenit absque justa causa patrare miracula, & hominum voluntatem, arbitrium, ac desiderium, ex curiositate, vel ob finem illicitum, vanum, & inutilem præbere speciale auxilium ad consequendum effectus contra, vel supra ordinem, ac vires causarum, quarum est usus; ideoque audax, & impudens est circa divinam sapientiam, & potentiam, qui Deum vane ac ineptè invocat ad obtinendum effectus supra virtutem rerum, quæ ad hujusmodi effectus obtinendum adhibentur. Quod maximè locum habet, quando in his petitur auxilium ad illicita. Immò hujusmodi petitio vix contingere potest sine infidelitate, aut hæresi, per quam invocans Deum credit, quod Deo convenit præbere speciale auxilium ad illicita, & vana, quæ mala sunt. Et tamen sic invocans Deum credit, quod Deo convenit præbere speciale auxilium ad illicita, & vana, quæ mala sunt, & tamen sic invocans Deum per se non est sortilegus. Quia non invocat dæmonem, nec cum illo paciscitur.

Quod verò ad forum exteriorem, non est, undè præsumatur, quod hujusmodi utentes his vanis ad effectus obtinendum, id faciant per Dei invocationem; sed dum constat, effectum excedere, virtutem naturalem causæ, præsumendum est, esse à dæmone, nisi operantis sanctitas, vel alia justa causa suadeat effectum esse à Deo, ut per D. Thomam 2. 2. *quæst.* 96. *art. secundo*, Simanch. *de Cathed. institut. tit.* 63. *num.* 33. Suarez *d. lib. secundo capi.* 55. *numer. duodecimo & seqq.* Sanchez *cit. lib. secundo cap.* 40. *numer.* 44. & Sousam *lib. primo aphor. cap.* 54. *numer. octavo.* Quia homines isti probè sciunt, ac tenent, inane, & inutile esse, in rebus hisce vanis ad Dei auxilium confugere, ac proindè non præsumitur, quod frustra in illis Dei, & sanctorum auxilium invocent. Verùm si hoc illi adducant, contendantque, ex eo forsan etiam vehementer de hæresi suspectos se reddunt, quod scilicet credant, Deum vel ad illicita auxilium adhibere, vel vanitatibus, opem ferendo, se immiscere. Eoque magis, quod hic vanorum usus, non modò si ad malum effectum ordinatur, est malus, sed etiam in se malus est. Quia sine aliqua necessitate ordinem causarum non servat, & non nisi vel ex libidine, aut avaritia, vel odio, aut inani gloria, seù scenodoxia, vel curiositate, aliavè simili causa, manat, & fluit. Ubi tamen res, quarum est usus, sunt orationes, & superstitio est solùm ex aliqua vana, & futili circumstantia numeri, vel temporis, potest esse, quod in imperitis minuatur, vel cesset hujus malæ credulitatis suspicio.

Tertia Regula est. Si sit dubium, an res, quarum est usus ad effectum obtinendum, habeant virtutem parem ad producendum eundem effectum, potest à talium rerum usu separari dæmonis invocatio, nec cum eo paciscі, & reipsa separatur, & non initur pactum, si eis utens non intendit animum, nisi ad effectum naturalem experiendo naturalem rerum virtutem, abjecto cujuscumque alterius rei concursu, Sanchez *d. cap.* 40. *num.* 25. Sousa *d. cap.* 54. *num.* 9. Non enim est illicitum vires naturales experiri in dubio; nàm & naturales scientiæ experimentis acquiruntur.

Neque obstat, quod dæmon ad decipiendum in his rebus se immisceat. Quia non se immiscet sic invocatus, sed si hoc facit, ex malitia hoc facit.

Minus obstat, quod forsan se ingerat ex pacto inito cum alio. Quia pactum inique ab alio initum, non afficit eum, qui in usu talium rerum non vult, nisi effectum, qui naturaliter ex talium rerum usu conse-

quitur, semperque si dæmon se ingerit, id facit non invocatus ab utente rebus illis ad solum effectum naturalem obtinendum. Neque ab illo pacto, ab alio inito continetur usus, & applicatio vera ad effectus naturales, sed solùm ad usum, & applicationem, quæ saltem virtualiter, aut simpliciter innitatur illi pacto. Non fit tamen hæc separatio invocationis, & pacti cum dæmone, si utens talibus non excludat concursum dæmonis, sed absolutè velit, ac intendat consequi effectum: ex tali usu, undecumque effectus *proveniat*. Quia ille non intendit effectum, ut naturalem talium rerum, sed undecumque proveniat; ideoque, etiamsi effectus, nonnisi ex adjuncto auxilio etiam dæmonis obtineri possit, in tali casu continetur etiam dæmonis invocatio implicita, & implicitum pactum. Adest etiam ulterius periculum, ut homo deceptus à dæmone se ingerente, etiam non vocato, primùm assuescat hujusmodi rebus, & deinde sortilegia intentet. Tutius igitur est, ut ab his experimentis abstineamus.

Et quod ad formam exteriorem, non potest in hoc casu ex præcisa vi usus talium rerum præsumi invocatio implicita dæmonis, aut pactio cum illo. Quia cùm actus fieri possit probè, ac improbè ex intentione operantis, non potest, nec debet præsumi improba intentio; siquidem nemo præsumitur malus, nisi aliundè adsint malæ intentionis indicia. At verò distinguendum hîc est. Aut verè dubium an effectus sine opere dæmonis possit ex talium rerum usu haberi, aut dubium est solum ex parte utentis. In primo casu non potest præsumi in utente, nec debet præsumi mala intentio, & pactum cum dæmone, nisi aliunde colligatur. In secundo autem casu, si utens est vir doctus, in quo præsumitur scientia hujus veritatis scilicet, quod sit certum res illas non habere parem virtutem ad effectum intentum obtinendum, præsumitur simul mala intentio, ac dæmonis invocatio, saltem implicita. Sed in homine rusticano, imperito, rudi, ignaro, saltem non orietur vehemens, & gravis præsumptio, nisi res sit adeò certa & manifesta, ut illius ignorantiæ prætextus admitti non debeat. Quod si de ignorantia satis liqueat, & ipse persistat, quod non est usus illis rebus, nisi ut causis naturalibus, & ad effectum naturalem, cessabit præsumptio malæ intentionis, & invocationis implicitæ dæmonis.

Quarta regula est. Ubi utens talibus rebus certus est, in illis non esse facultatem ad effectum intentum producendum, nec innititur virtuti divinæ, non potest separari invocatio implicita dæmonis, aut sociale pactum implicitum cum dæmone. Nam qui sic est certus, & absolutè intendit effectum, ac utitur talibus rebus, tanquam utilibus, cùm illæ solæ sine alio auxilio adjuncto non sint utiles, ac efficaces, procul dubio ex hoc, implicitè saltem, alterius implorat subsidium. Quod est auxilium dæmonis, ut supra probavimus.

Hoc idipsum ostenditur hac ratione. Ex quo enim utens hujusmodi rebus scit, ac judicat, illas non habere virtutem causæ sufficientem respectu effectus intenti, non utitur illis, ut causis, sed ut signis, non autem ut signis divinitus institutis, sicut sunt sacramentalia signa. Unde sequitur, quod sint supervacanea signa, inania, nullum usum habentia, supervacua, atque adeò pertinent ad pacta quædam significationum cum dæmone.

Postrema regula est. Ille, qui non considerat, neque attendit, num vanæ istæ observationes habeant, an nè efficacitatem ad effectum intentum, neque considerat, cujus virtute possit effectus obtineri, & nihilominus illis utitur tanquam sibi utilibus, ex hoc implicite dæmonem invocat. Quia in illius virtute confidit, qui solet se in illis immiscere, ut effectum obtineant. Hic autem est solus dæmon, sine cujus auxilio effectus intentus non produceretur, nisi concursu quodam fortuito alicujus causæ efficacis.

Expendendum denique, utrum in sortilegio excuset ignorantia. De hac re non est cur hîc multa dicamus, cum eam explanavimus alibi, disceptantes, quatenus ignorantia excuset ab hæresi, à culpa, & à pœnis legis, & quando ac in foro exteriori possit adduci. Solùm hîc advertendum est, quid illud sit, quod ignoratur. Nam si ignoratur, quod uti sortilegio sit peccatum, aut quod hoc sit sortilegium, habens pactum cum dæmone, hæc ignorantia non excusat, nisi sit probabilis, non verò si sit crassa. At si ignoratur virtus causæ naturalis, & quis utitur aliquo sortilegio ex eo, quod putat, res, quibus utitur, habere virtutem naturalem ad effectum intentum, atque ex hoc operatur, iste à sortilegii culpa excusatur. Ita docet Div. Thomas **2. 2.** *quæst. 96. articul.* **2.** *ad* **1.** his perspicuis verbis: *Si simpliciter adhibeantur res naturales ad effectus producendos, ad quos putantur naturalem habere virtutem, non est superstitiosum, vel illicitum.*

Id quod verum est, si talis laboret ignorantia crassa, & desit dolus. Hæc enim ignorantia crassa non excusat talem ignorantem à culpa temeritatis judicii, ac erroris commissi in judicanda virtute rerum naturali, quibus utitur. Quia hujusmodi error est voluntarius. Cessante tamen dolo, hæc ignorantia excusat à culpa sortilegii, ac superstitionis, seu pacti impliciti cum dæmone, totumque fundatur in eo, quod utens causis non sufficientibus, utitur illis, non ut causis, sed ut signis, ac sperat in dæmonis virtute. Quod deficit in eo, qui bona fide, sine dolo putat, res quibus utitur habere virtutem naturalem ad effectum intentum. Neque enim dici potest, quod hic etiam implicitè ineat pactum cum dæmone, cùm spes ejus tota innitatur virtuti naturali rerum, quibus utitur.

At nihilominus assero, quod ubi de bona fide certum est, res adhibitas non habere virtutem ad effectum, qui illas adhibet ex errore, ac hæresi, est ex se superstitiosum, & sortilegium. Sicut enim falsa opinio, ac error in materia fidei non excusat ab Idololatria, sic neque excusat à superstitione. Nam qui ex tali opinione falsa utitur creatura quacumque, sive illa sit dæmon, sive alia, certò assumit quod divinum est, illudque tribuit creaturæ, quod est, ei divinum cultum exhibere. Immò licèt iste, qui ex errore contra fidem adhibet creaturam ad effectum Deo proprium, in sua opinione non invocet explicitè formaliter dæmonem, illum tamen implicitè invocat. Quia ipse implicitè invocat illum, qui se ingerit his vanis, & falsis rebus, & ex eo istæ sortiuntur effectum, aut verè, aut fictè, & fallaciter, quando effectum sortiuntur.

Nec pactum implicitum excluditur, si quis volens uti, ac utens his vanis observationibus, protestetur, se nolle dæmonem invocare vel cum eo aliquod pactum inire. Quia, ut diximus, hæc protestatio, est contraria facto, & utens illis, tanquam utilibus, facto illum invocat. Dæmon enim exercentibus hæc vana, etiam ignorantibus, ac præter eorum intentionem se immiscet, ut fallat, & suadeat spem collocare in illis, ut tradunt Div. Augustinus *in Genes. Div. Thomas* 2. 2. *quæst.* 95. *articul.* *quinto*

quinto ad secund. ibique Caietan. *articul. secundo* & *in vere aurea summa v. incantatio,* Victoria *relect. de Magia quæst.* 6. Simanch. *de Cathol. institut. tit.* 63. *numer. decimotertio,* Suarez *dict. libro secundo de relig. capit. nono numer. decimo tertio, & decimoseptimo* Sanchez *dict. libro secundo in decal. capit.* 38. *numero quarto,* Salel. *lib.* 1. *cap.* 14. *numer.* 80. & Bordon. *de Trib. cap.* 57. *nu.* 20.

Idemque dicendum est de eo, qui velit uti his rebus, ut experiatur, an habeant effectum, ac sint verè utiles. Is enim interim & utitur vanis ad finem utilem, & invocat implicitè dæmonem, ejusque utitur subsidio. Ac idem dicitur de illo, qui sciens, hæc vana pluries habuisse effectum, & revera fuisse utilia, non tollit, quin fuerint utilia ope dæmonis. Adeoque utens illis invocat implicite dæmonem, ex cujus auxilio illa fuerunt utilia. Cumque possit esse, quod ab initio effectus proveniens fuerit fortuitus, dæmon, se illis immiscens, operatur, ut pluries effectum sortiantur, ut hac arte homines alliciat ad has vanas observationes sectandum sicuti ex Div. Augustino *lib.* 2. *de doctr. Christ. cap.* 20. tradunt Div. Thomas *dict. quæst.* 96. *articul. tertio ad secund.* Div. Antonin. *part.* 2. *tit.* 12. *cap.* 1. §. 17. Sylvester *V. superstitio* 10. & Suarez *dict. cap.* 9. *numer.* 17.

Sortilegium itaque est actus superstitiosus ex eo, quod creatura cultu quodam divino invocatur, ut præstet ea quæ propria Dei sunt, vel quia in injuriam divinæ excellentiæ dæmon invocatur. Unde patet, quod sortilegium non est malum, quia prohibitum, sed est prohibitum, quia malum. Nec solum est contra leges civiles *C. de malef.* contra leges Canonicas *tit. de sortileg.* sed etiam contra legem divinam Deuter. 18. Isaiæ 8. Eccles. 34. Et quia superstitio est contra virtutem religionis, ideò est contra legem naturalem, & divinam. Quare certum est, sortilegium ex suo genere esse peccatum mortale.

Est sanè peccatum, sed utplurimum ex circumstantiis aliam speciem, malitiam præ se fert. Sæpe enim adjungitur hæresis, ut si sortilegus credat, dæmonem posse certò prævidere futura contingentia, vel operari ea, quæ sunt Dei propria, vel illum esse Deum, vel Sanctum, atque adeò colendum, ac venerandum. Frequenter etiam adjungitur idololatria, si sortilegus dæmonem adoret, eique sacrificia offerat. Crebro pactum initum cum dæmone est contra justitiam, contra fidem, contra alias virtutes, ut si sortilegus promittat, funditus repudiare fidem, & obedientiam divinam, pueros interficere, aliaque hujusmodi, semper adest periculum deceptionis, & ideò sortilegium continet malitiam contra charitatem. In re namque pertinente ad mores, dæmon decipere facile potest: ideoque amicitia cum illo est temeraria, periculosa, præceps. Excusatur tamen à peccato mortali qui aliqua observatione vana utitur, non ex utilitate, sed ex joco, ut latè explicat Caietan. *ad d. quæst.* 95. *articul.* 2. §. *ad evidentiam.* Delrius *dict. libro quarto Magic. capit. secundo quæst. tertia* Scach. *d. cap.* 38. *numero decimo,* Valentia *d. pun.* 3. & Sousa *libro primo aphor. capit. trigesimo octavo numero decimo quarto.* Idololatra autem Christianus ponitur omnibus censuris, ac pœnis latis contra apostatas à fide & hæreticos. Quia hoc peccatum, ut notat Cajetanus 2. 2. *quæst.* 12. habet veram malitiam infidelitatis, & apostasiæ à fide. Qui verò metu Paganorum exterius tantum absque interiori infidelitate hoc peccatum committit, sed corde non discedit à fide, non punitur pœnis hæreticorum, sed aliis. Quia non est verè apostata à fide, peccat tamen mortaliter, ut per Suarez *tom.* 1. *de relig. libro secundo capit. sexto numero vigesimo secundo* Simanch, *de Cathol. instit. titul.* 17. *numer.* 35. ac alios.

Judæi verò idololatrantes, vel delinquentes in iis quæ sunt communia nostræ ac ipsorum fidei, puniuntur ab Inquisitoribus pœna abjurationis, ut per Eymer. *in direct. part.* 2. *quæst.* 46. *num.* 16. ibique Pegnam, Umbert. *in prax. inquis. V. abjurare* §. *ultimo*, ubi refert, ita in hac specie observatum fuisse Barcinonis anno 1371. ubi Episcopus, & Inquisitor publicè abjurare fecerunt quendam Judæum, & per sententiam ad perpetuum carcerem condemnarunt convictum, & confessum, quod dæmonem invocaverat, eique sacrificaverat. Publice autem abjurare fecerunt sub hac forma: *Ego N. Sacrosancta Dei lege posita coram me, & manibus meis tacta juro me credere corde, & profiteor ore, illam veritatem, ac fidem, quam lex Dei Sacrosancta docet. Ac in primis Deum esse invocandum, solumque adorandum, & per consequens detestor eum errorem, qui dicit, dæmonem esse invocandum, eique divinum honorem tribuendum.* Simili forma abjurare debet similis reus, juxta qualitatem errorum, quos contra fidem committit. Non enim similis reus jurat super Evangelia, quibus non credit, neque abjurat hæresim, quæ in ipso locum non habet, sed pœna hæreticorum, ut alibi diximus. Iudæi autem, Mauri, ac Infideles non baptizati hæc crimina perpetrantes puniri possunt ab Inquisitoribus privatione communicationis cum Christianis, ac etiam pœna pecuniaria, carcerationis, verberationis, exilii, triremium etiam in perpetuum, & traditionis quoque Curiæ sæculari pœna mortis puniendi: Ita Sousa in *Aphorism. lib.* 1. *cap.* 32. *numer.* 29. ex constitutione Gregorii XIII. de qua & nos alibi. Repertorium Inquis. *V. Judæus* §. *sed circa.* Farinac. *de hæres. quæst.* 168. *nu.* 146. aliique. Eisdemque pœnis puniuntur eorum fautores, defensores, ac receptatores ab eisdem Inquisitoribus, ex constitutione B. Pii V. quæ incipit: *Si de protegendis.*

Porrò summus Pontifex potest Christiano Principi potestatem concedere debellandi, & occupandi provincias Paganorum, ac infidelium, si non permittant liberam Evangelii prædicationem. Quia Summus Pontifex habet jus introducendi Christi fidem in universum mundum, & potest debellare eos, qui hanc introductionem ei impedirent, atq; adeò potest hanc potestatem alicui Christiano Principi concedere, qui hoc divinum præceptum exequatur, quodque Idololatris, & Infidelibus Evangelii prædicationem impedientibus bellum inferat, ac provinciis ac regnis privet, atque occupet. Principes enim Christiani sunt etiam protectores Ecclesiæ ac Legis divinæ custodes.

Non obstat, quod nemo potest directè infideles ad suscipiendam fidem cogere, adeò neque cogere potest ad amplectendum media, quæ ad fidei susceptionem ordinantur, qualis est Evangelii prædicatio.

Quia non est eadem ratio de fidei susceptione, ac de mediis ad illam ordinatis. Nam medium, sive prædicatio Evangelii, licet ordinetur ad fidei susceptionem, relinquit tamen audientem in sua libertate, ut supra dictũ est, sicq; susceptio fidei non est coacta, sed omninò libera. Nam prædicatio non est ita connexa cum fide Evangelica, ut vim inferat libertati. Atque ita colligitur ex Clem. un. *de Jud. & Sarac. & ex l. nemo C. de pagan.* ac docent D. August. & D. Ambrosius, ille *Ep.* 48. hic *ep.* 30. & Becan. *tom.* 2. *cap.* 13. *qu.* 4. *nu.* 11. Covar. *in regul. peccatum* §. 10. *num.* 3. Victor *de Indis in Relect.* Sot. *in* 4. *d.* 5. *quæst.* 1. *articul.* 10. Azorp. 1. *lib.* 8. *c.* 14. *q.* 10. & alii Unde Alexander VI. concessit Regibus Lusitaniæ, & Castellæ regna infidelium

delium Orientis, & Occidentis, cum eâ conditione, ut in illis fidem Catholicam suis sumptibus introducerent, ac mitterent idoneos prædicatores ad propagandum Evangelium, simulque eis titulum concessit debellandi illorum infidelium regna, si injuriosè fidei prædicatores exciperent, eorumque prædicationi impedimento essent.

An autem ob solam idololatriam possint Principes Christiani bellum inferre Infidelibus, illorumque regna occupare? affirmant Ostiens. *in cap. super his devot.* ibique Panorm. Alvar. Pelag. *de planct. Eccles. lib. 1. ar. 27.* Major. *in 2. sent. d. 44. q. 3.* Cui sententiæ adstipulantur, dummodo adsit facultas Papæ, vel Imperatoris, D. Antonin. *3. p. tit. 22. cap. 5.* §. 8. Sylvester V. Papa *q. 7.* Castrius *lib. 2. de just. hæret. pun. cap. 14.* Tùm ex Scriptura Sacra. Nam Ecclesiast. *cap. 10. v. 8.* dicitur, *Regnum de gente in gentem transfertur, propter injustitias, & contumelias, & diversos dolos.* Et Isai. *6. v. 12.* *Regnum, quod non servierit tibi, peribit.* Quibus verbis supponitur, Infideles amisisse suarum rerum dominium propter infidelitatem suam post adventum Christi, & translatum esse in Christianos. Tum ex D. Cypriano *in tr. de exhort. martyr. ad Fortunatum.* Nam postquàm recensuit Deum in veteri Testamento præcepisse, Idololatras interfici, subdit. *Si ante adventum Christi circa Deum colendum, & idola spernanda hæc præcepta sunt, quantò magis post adventum Christi sunt servanda? Et hac ratione motus Alexander VI. concessit Ferdinando Hispaniarum Regi, & Emanueli Regi Lusitaniæ, ut ille Indias Occidentales, iste Orientales sibi occuparent, ut modo diximus. Tum quia, Deo jubente, Israelitæ terras Gentilium propter illorum Idololatriam vi, & armis occuparunt, juxta illud* Deuter. *12. v. 2.* *subvertite omnia loca, in quibus coluerunt Gentiles Deos suos, dissipate arces eorum, & confringite statuas, & idola comminuite. Et tum quia licitum est vi, & armis bellum inferre Infidelibus ad ulciscendam injuriam, quæ Christianis infertur, & ad consulendum vitæ, & incolumitati proximi innocentis, juxta illud* Psal. 81. v. 4. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate. ergo multo magis ad ulciscendam injuriam, quæ ab eisdem Infidelibus Deo infertur per idololatriam & alia peccata contra legem naturalem.*

His tamen minimè obstantibus, verior, & communior sententia docet, non esse licitum ob solam idololatriam, & alia crimina contra legem naturæ Infideles vi, & armis invadere, illorumque provincias, & regna occupare; sed tunc solum, quando vel prædicationem Christi fidei impediunt, vel prædicatores Evangelii, ac fideles injuria afficiunt, vel eos, qui ad fidem converti volunt, persequuntur, & ad immolandum Idolis cogunt, vel carnes humanas vorant, & Idolis sacrificant: quia humano generi perniciosi sunt, vel occupare velint regiones, quæ justè ad Christianos spectant Principes. Ita colligitur *ex can. dispar.* 22. *qu.* 8. & *ex l. Christianis C. de pagan.* ac docent D. Thomas *2. 2. qu. 12. art. 2.* Victor. *loc. cit. p. 1. num. 15.* Covar. *ibid. p. 2.* § 10. Bannes. *2. 2. qu. 6. art. 10.* Becan. *d. cap. 13. num. 6.* Valentia *2. 2. disp. 1. qu. 10. pun. 7.* Fagund. *in decal. lib. 1. cap. 33. n. 29. & seq.* Suar. *de fid. disp. 18. sect. 1. num. 7.* Molin. *tom. 1. de just. disp. 105. & 106.* Coninsk. *disp. 31. de bello dub. 12. num. 54.* Castropal. *tom. 1. tract. 6. disp. 5. pun. 3. num. 6.* aliique bene multi.

Probatur ex ratione alibi adducta, quod nemo puniri potest, nisi subditus sit punienti. Punitio enim est actus jurisdictionis, ac justitiæ vindicativæ. Infideles autem non subduntur Principibus Christianis, nec ratione personæ, nec ratione delicti. Non ratione personæ, quia infideles per infidelitatem, & idololatriam non amittunt dominium suorum Regnorum. Infidelitas enim, ut probat D. Thomas *loc. cit.* non repugnat dominio: quia dominium inductum est de jure gentium, quod est jus humanum. Distinctio autem fidelium, & infidelium est secundum jus divinum, per quod non tollitur jus humanum.

Neque ratione delicti idololatriæ, aliorumque criminum contra legem naturæ. Quia non pertinet ad Ecclesiam punire delicta illorum, qui nunquam fidem susceperunt: quia sunt extra suam jurisdictionem, juxta illud Apostoli 1. *Cor. 5.* *Quid mihi de his, qui foris sunt judicare? Deus judicabit.*

Idque confirmatur ex multis Sacræ Scripturæ locis, in quibus Reges, ac Domini infideles veri Reges, ac Domini appellantur, ut Danielis *c. 2.* Matt. *22.* Lucæ item *22.* ad Roman. *13.* D. Petr. *Ep. 1. cap. 2.* & Alexander Secundus *in d. can. dispar.* his verbis: *Justè bellum geri contra Saracenos, ex eo quod Christianos persequuntur, non autem contra Judæos, cum sint servire parati.*

Ad contraria respondetur. Illud Ecclesiastici nil aliud probat, nisi quod sæpè propter injustitias, & peccata transferuntur regna de gente in gentem ex Dei vindicta. Quod utique verissimum est. Similiter verba illa Isaiæ solum significant, illos, qui extra Ecclesiam fuerint, non posse salvari. Quod verissimum etiam est. Ex hoc autem non sequitur, Infideles ob infidelitatem amisisse suarum rerum dominium.

Sanctus Cyprianus loquitur de Idololatris à fide apostatis, qui verè subjiciuntur jurisdictioni Ecclesiæ. Ideoque affert præceptum Dei ex veteri Testamento, quo jubentur interfici Israelitæ, qui à fide discesserant, & ad Idololatriam se converterunt. De facto Alexandri Sexti, & cur factum, jam diximus.

Ad tertium respondetur cum Augustino *ser. 6. de verb. Dom. cap. 11.* quod filii Israël non propria voluntate, nec ex potestate, sed ex præcepto Dei Chananeos debellarunt, & Deus ipse in Regiones illas eos introduxit, ut liquet *ex Deuter. 7.* Quo loco notat Augustinus: *Cùm acceperitis potestatem, hoc facite. Ubi nobis non est data potestas, non facimus. Ubi data est, non prætermittimus.* Et paulo infrà: *modò orandum est pro illis, non irascendum contra illos.* Ad quartum. Infideles ex eo præcisè, quod tales sunt nobis nullam offensionem faciunt. Nec nobis licet eorum peccata contra legem naturæ bellando punire, quia Deum offendunt. Alioquin quilibet Princeps adversus alium inferre posset bellum ob peccata, quæ Cives committunt. Quod est omninò absurdum. Nec quia Idololatria est gravissimum peccatum, est sufficiens ratio, ut bellum infidelibus non subditis inferatur. Nam odium Dei est omnium peccatorum maximum, & tamen à legitimo superiore puniri nequit.

CONSULTATIO L.

De indebito Cultu veri Dei. Quomodò exhibeatur? An semper sit peccatum mortale? Quid de cultu non falso, sed superfluo? De recitantibus Psalmum, Deus laudem meam nè tacueris; & ad quem pertineat agnitio superstitionis cultus Deo indebiti?

Cultus aut est perniciosus, & falsus. Aut est superfluus, & vanus. *Cultus perniciosus, & falsus* est, quando quis Deum colit aliquibus cæremoniis, quæ falsitatem significant; ut si quis uteretur cæremoniis Judaicis, vel Mahumetanis. Quia cæremoniæ istæ significant rem falsam. Nam si sunt Judaicæ, significant, Messiam non venisse, sed esse venturum. Quod est falsum.

sum. Si Mahumetanæ, significant Mahumetem fuisse verum Prophetam, cùm falsus fuerit.

Cultus verò *superfluus*, & *vanus* est quando aliquid fit, quod, quantum est de se, non pertinet ad Dei gloriam, aut est præter Dei, & Ecclesiæ institutionem, vel consuetudinem communem.

Cultus perniciosus, & falsus semper est peccatum mortale. Oportet enim adorare Deum in Spiritu, & veritate, *Joan*.4. & tradit D. Augustinus *lib. de mendac. capit. quarto* Sanchez *libro secundo in decal. cap*.37. *numero quinto*, ac Lessius *lib.* 2. *de just. cap.* 43. *dub.* 1. *num.* 2.

Unde qui falsas Reliquias pro veris donaret, aut venerandas proponeret, peccaret mortaliter. Quia cultus talium Reliquiarum est contra fidei veritatem, & falsus. Fagundez *in decal. libro primo capit. vigesimo quarto numero tertio*, & Suarez *tom*.2. *de relig. lib*.2. *cap*. 2. *m.* 17.

Qui fingeret miracula, illa prædicaret, vel scriptis mandaret, vel ad confingendum miraculum, tabellas, cereos, vel spolia in Altari alicujus Sancti suspenderet; peccaret mortaliter peccato cultus superstitiosi, etiamsi id faceret non ex contemptu, neque animo irreverenti in Deum, vel in Sanctos, sed solum ad devotionem excitandam, & ut alicujus Sancti imagini, & altari anathemata offerantur. Quia est cultus falsus, & perniciosus, vetam miraculorum fidem enervans, ideoque nulla pia intentione à mortali excusari potest, Caietan. 2.2. *quæst*. 93. *art*. 1. Sanchez, & Lessius *loco alleg*.

Hinc etiam cantus, vel sonus profanus, aut amatorius in Ecclesia inter divina Officia est cultus superstitiosus, & peccatum mortale. In quod incidunt non solùm pulsantes instrumenta musica, & canentes, sed etiam conducentes, & consentientes. Quia est cultus falsus. Adversatur enim divino cultui, qui est, ut mentes per sonum, & cantum non ad mundana, sed ad cœlestia excitentur: Cajetan. 2. 2. *quæst*. 91. *artic. primo*, Valentia 2. 2. *disput*. 6. *pun. un*. Potest quippe duobus modis esse indecens in Ecclesia. Vel ratione materiæ, quia est res profana, vel ratione soni, quia est lascivus, aut valdè secularis.

Superstitiosus verò cultus Dei non falsus, sed superfluus, si non adsit Ecclesiasticæ disciplinæ contemptus, nec alicujus præcepti transgressio, non est peccatum mortale, sed tantum veniale: quia est præter, non contra constitutionem Ecclesiæ, nec in eo videtur committi gravis irreverentia Dei, Cajetan. *d. quæst*. 93. *art*. 1. Sanch. *d. lib*. 2. *in decal. cap*.37. *nn*. 10. Lessius, & Fagundez *ubi supra*.

Quare est tantùm veniale peccatum, quod audiatur Missa Sacerdotis, qui tali nomine nuncupetur. Vel quod in peregrinatione sint tot homines, vel tali nomine, vel tali vestitu. Vel quod in recitandis horis Canonicis, aut in sacro faciendo, non relictis rubricis ordinariis, alias cœremonias pro sua devotione adhiberet: ut si bis dicat Alleluja, quando semel dicendum est, aut Gloria, & Credo, quando dicenda non sunt. Peccaret verò mortaliter, qui absque urgenti causa bis in eadem die Sacram Eucharistiam sumeret: quia est contra consuetudinem, ac præceptum Ecclesiæ, quæ ob reverentiam tanti Sacramenti prohibet, ne quis plusquam semel illam percipiat, nè ob nimiam frequentiam tanti Sacramenti vilescat, ut colligitur ex *cap. consuluisti. de celebr. miss.* & ex *can. sufficit d. consf. d.* 1. & docent Div. Thoma *part*. 3. *quæst*. 8. *articul*. 10. *ad* 4. ibique Suarez *disp*. 69. *sect*. 4. *num*. 3. aliique communiter.

Diximus, *sine urgenti causa*. Nàm si hæretici, aut infideles Templum Dei invaderent, ac divinissimum illud Sacramentum irreverenter contemnerent, projicerent, conculcarent, licitum est in eodem die communicare. Et qui manè sumpsit Eucharistiam, sive sanus, sive infirmus, devotionis causa tenetur iterum eodem die sumere, si incidat in tale periculum mortis, ut probabile sit, non posse sequenti die illam sumere. Quia præceptum sumendi Eucharistiam per modum viatici est affixum tempori mortis, quando nimirum quis est in tali statu, ut credatur brevi moriturus. Atque adeo non potest impleri per actum antecedentem tale tempus, ac proinde nec per matutinam communionem, si mane non aderat periculum mortis. Ergo remanet implendum, ideoque de novo sumenda est. Nam præceptum impleri debet per actum, quando jam urget obligatio, quia tunc solum exigit actum, & non antea. Unde per jejunium hodiernum non possum implere præceptum crastinum jejunandi, nec per auditionem missæ præceptum audiendi crastinum. Quod etiam tradunt Hurtad. *disput*. 10. *de Euchar. diffic*. 2. Ochagavia *de Sacrament. tract. secundo de Eucharist. quæst. decimaquarta numero septimo* Chellisson. *in d. part*. 3. *quæst*. 80. *artic*. 11. *not*. 2. Tanian. *part*. 2. *sum. cap*. 58. *dub*. 2. *numero secundo* alique.

Votum jejunandi omnibus diebus dominicis est superstitiosum continens cultum Dei indebitum, ac superfluum, & consequenter illicitum, & invalidum. Adversatur enim Ecclesiæ consuetudini, quæ vim legis habet, ut per D. Augustinum *Epist*. 86. *ad Casulanum*. Sed cessante contemptu moris Ecclesiæ, & scandalo, esset tantùm peccatum veniale ob quandam singularitatem, & cultum superfluum, ut per Fagundez *in decal. libro primo capit. trigesimo quarto in septimo* ac Suarez *tom*. 2. *de relig. libro tertio de voto, capit. sexto num*. 21.

Est quoque cultus superstitiosus, & mortale peccatum recitare Psalmum 108. *Deus laudem meam nè tacueris*, ad petendam à Deo ultionem alicujus inimici, vel persecutoris. Quia nunquam licet imprecari proximo malum aliquod ad finem vindictæ, nè sub titulo quidem divinæ justitiæ. Nam esset contra charitatem & præceptum divinum: *Diligite inimicos vestros*. Et autem recitatio superstitiosa mortaliter, quia in decantatione hujus Psalmi Deus non solum non honoratur, sed ei gravissima injuria infertur; nam ab eo petitur id, quod sine peccato fieri non potest. Quinimmò hæresim sapit. Nam petitur à Deo, ut ipse sit author peccati, quod gravissima Dei injuria est, ut docet Suarez *tom*. 2. *de relig. libro primo capit*. 23. *numero* 4.

Opponitur David. At ille in suis imprecationibus Prophetiam proferebat, quia agnoscebat, illam esse Dei voluntatem, ac definitivam sententiam, ut ait Augustinus ad d. Psalmum 108. *David prophetavit in illis imprecationibus sententiam Dei contra Christi proditorem, & Crucifixores.* Idem ait *libro primo de serm. Domini in monte cap*. 42. *& libro secundo quæst. Evang. cap*. 45. ac Div. Thomas 2. 2. *quæst*. 83. *articul*. 8. *ad* 1. *& ad* 2. ubi etiam *articul*. 1. *ad* 4. respondet ad factum Eliæ, qui fecit ignem descendere super illos, qui venerant ad illum capiendum. Quia injuria sibi ab illis illata redundabat in Deum, & ideò debebat talem injuriam ulcisci. Nam ut ait Chrysostomus hom. 5. in Matth. *in propriis injuriis esse patientem quempiam, est laudabile; injurias autem Dei dissimulare, nimis est impium.* Idemque dicendum, est de Eliseo, quando maledixit pueris eum irridentibus, 4. *Reg*. 2. Et de Sylvestro Papa, quando excommunicavit illos, qui eum in exilium miserunt, ut habetur *caus*. 23. *quæst*. 4. Ita

quarta. Ita etiam vindicta, quam petunt Martyres *Apocalyps.* 6. est, ut destruatur regnum peccati, vel postulant se vindicari non voce, sed ratione. *Hoc enim modo* ait Caietanus d. quæst. 83. artic. 8 *Sanguis Abel clamavit ratione. Effusus enim patenter fraternus sanguis, ratio erat ultionis.*

Porrò cognitio superstitionis cultus falsi, ac perniciosi pertinet ad Sanctum Officium, non autem cultus superflui. Quod ad primum patet. Quia colere Deum per sacrificia, & ritus veteris Legis, vel aliorum infidelium est actus superstitiosus hæreticalis *ex cap. quidam de apostat.* ubi qui ad fidem conversus, sequens ritus sectæ derelictæ, tanquàm hæreticus, & apostata punitur. Et *in capit. contra Christianos de hæretic.* statuitur, quod Inquisitores contra istos procedant, tanquam contra hæreticos. Nam utentes illorum sacrificiis, præsumuntur credere, Deum per illa coli, & adorari posse. Quod impium, & hæreticum est.

Quod verò ad secundum. Probatur. Quia regulariter hic cultus non importat actum hæreticalem, cùm fiat bono animo, & non mala intentione. Talisque cultus superfluus est tantùm veniale peccatum, atque adeò nullum continet actum hæreticalem, qui semper supponit peccatum mortale.

Si verò cultus superfluus esset peccatum mortale, ut si quis ultra diem Nativitatis Domini iterum, vel tertiò, aut pluries missam celebraret in eodem die, vel plusquam semel in die absque urgenti causa Sacram susciperem Eucharistiam; vel si in horis Canonicis, aut in Missa misceret profana, & turpia, tunc redderetur valdè suspectus de hæresi. Quia præsumitur, vel non credere, esse obediendum præceptis Ecclesiæ, vel illa contemnere, esseque licitum, Deum ita colere, ac delectari, ut Sacris profana, & turpia misceantur. Id, quod est de rebus fidei malè sentire, sicque facientes anathemate feriuntur à Sacro Concilio Tridentino *Sess. 7. can.* 13.

Cognitio quoque superstitionis, quæ hæresim manifestè non sapit, pertinet nunc ad Sanctum Officium per constitutionem Sixti Quinti contra Sortilegos. Unde possunt Inquisitores, ac tenentur inquirere in omnes superstitiones, quæ aliquo modo, licet non manifestè hæresim sapiant. Hæc enim sunt verba constitutionis: *etiamsi in plerisque his casibus procedere non valebant.* Ac ita etiam declaravit Sacra Congregatio *die vigesimo primo Decembris* 1602. & testantur Scortia *in Bul. Pontif. Epit.* 58. *theor.* 158. Josepho Sessa *tomo quarto decision.* 464. *numero octavo & decimo octavo, ac decision.* 446. *numero decimosexto & sequent.* Azor. *tom.* I. *libro nono capit. vigesimo sexto, quæst. quarta*, Sanchez *libro secundo in decal. cap.* 38. *numero* 92. Torreblanc. de Magia *libro tertio capite nono post numerum* 48. Raphael de la Torre *in* 2.2. *D. Thom. quæst.* 69. *articul. quarto* Molphes. *tom.* I. *sum. tractat. undecimo capit. septimo numer.* 145. Diana *part.* 4. *tract.* 7. *resolut.* 10. & *tractat.* 8. *resolut.* 107. Qua de re alibi fusius.

Consultatio LI.

De Cultu religioso, ac licito Sanctis, eorumque Imaginibus, Reliquiis, ac Beatis non Canonizatis debito, quòd ad ea, quæ spectant ad S. Officium; Ubi an Pontifex errare possit in Canonizatione Sanctorum, & quid in Beatificatione; Id affirmans à quo, & qua pœna puniendus? Quave certitudine credendum sit, aliquas Sanctas Canonizatas fuisse Virgines? Ossa vendens, asserens falsò, esse Reliquias Sanctorum, à quo puniendus? Ac de pœnis contra venerantes homines mortuos ante illorum Canonizationem, vel beatificationem?

NEgant Hæretici, Sanctos in cœlo cum Christo triumphantes venerandos esse. Eorum in hanc rem deliria, blasphemias, & inanes insanias colligit Jodochus Coccius *in thesauro Catholico*, *singulari industria exquisito, articulo duodecimo cum quatuor sequentibus lib.* 5. *tom.* I. Ethnici quoque corpora Martyrum projiciebant in mare, dicentes, nè forte efficiantur Dii Christianorum; & illi, qui Deos nostros adorare nolunt, servos nostros incipiant adorare, Euseb. *lib.* 4. *cap.* 15. & *lib.* 5. *cap.* 6.

Asserunt tamen Sacræ Literæ, Concilia, Patres Græci, & Latini apud eundem Coccium, & definivit etiam Sacrum Concilium Tridentinum *sess.* 25. his verbis: *Affirmantes, Sanctorum Reliquiis venerationem, atque honorem non deberi, vel eas, aliaque Sacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opus, impetrandi causa, Sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse, prout jam pridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Ecclesia.*

Certum autem est de fide, Christum in Divina, & humana natura subsistentem adorandum esse perfectissima adoratione latriæ. Quia in eo tota Trinitas, & singulæ Personæ venerantur. Christus enim de se loquens, dixit: *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*, Ioan. 5. *Mihi curvabitur omne genus* Isai. 15. Et in eodem sensu ait Paulus ad Philip. 2. *In nomine Jesu omne genu flectatur.*

Potest etiam ex Div. Thoma *particul.* 3. *quæst.* 25. *artic.* 2. alio modo intelligi adoratio Humanitatis Christi, quæ fit ratione ejus Humanitatis, perfectæ omni munere gratiarum, sed ab hypostasi divina sejunctæ. Et sic adoratio Humanitatis Christi non est adoratio Latriæ, sed duliæ, vel, ut alii dicunt, hyperduliæ ita, scilicet, quod una, eademque Christi Persona adoretur adoratione latriæ propter suam Divinitatem, & adoratione duliæ propter perfectionem humanitatis. Neque hoc est inconveniens: Nam ipsi Deo Patri debetur honor latriæ propter Deitatem, & honor duliæ propter Dominium, quo gubernat creaturas. Idemque confirmant Caietanus ibi, ac Suarez *tom.* I. *in* 3. *part. disput.* 53. *sect.* 2. & Azor. *part. prima libro nono cap. quinto dub.* 7. Annotat vero Caietanus, quod adorationem duliæ Christo debitam ratione naturæ, Ecclesia in mente retinet, non in usu, ad evitandum errores.

Hinc etiam annotandum est cum Suarez *loc. cit.* quod quando Concilia definiunt, Christum una tantum adoratione esse adorandum, solùm docent, in Christo non ita esse dividendas adorationes, ut una ad Christum, alia ad Verbum pertinere putetur. Hoc enim ad errorem Nestorii pertinet, & ideo rectè docent, una eademque adoratione adorari. Quia qua adoratione adoratur Verbum, adoratur Christus, & contra. Nam est unus ac idem, & omnis adoratio ad unum, ac eundem pertinet, atque adeò una est. Sicut enim quando adoratur Christus adoratione latriæ, adoratur humana natura propter divinam, ita si adoratur adoratione hyperduliæ, coadoratur divina natura propter humanam.

Imagines verò Christi, & Sanctorum simpliciter, & absolutè esse adorandas, & honorificè colendas, est etiam de fide, ut probat Suarez *citat. loc. disput.* 57. *sect.* 3. & definitur in Sacro Concilio Tridentino *sess.* 25. *in* 2. *decret. de invoc. & vener. relig. Sanct. & Sacr. Imagin.* Siquidem imaginis honor ad prototypum pertinet, ut ait Damascenus *lib.* 4. *cap.* 17. Unde sequitur, ut docent D. Thomas *d. q.* 25. *art.* 3. D. Bonaventura *in* 3. *d. q. art.* 1. *quæst.* 12. Richard. *ibidem art.* 2. *qu.* 2. D. Antoninus 3. *part. tit.* 12. *cap.* 9. §. 4. aliique communiter, quod eadem reverentia exhibetur Imagini Christi, ac ipsi Christo, atque adeo adoratio latriæ Imagines vero sanctorum adoratione duliæ, quia ipsi eadem adoratione coluntur. Quonam autem modo, & qua ratione Imagines Christi, Deiparæ, & Sanctorum colendæ, & adorandæ sint, decrevit Sacrum Concilium Tridentinum *d. sess.* 25. & antea definiverat Synodus Nicena *act.* 7. Quare de fide est, Imagines Christi, & Sanctorum esse debito cultu venerandas, & contrarium asserere, aut sentire, hæreticum est, ut probant Repertor. Inquisit. *v. hæreticus. v. an frangens Imagines.* Simanch. *de Cath. instit. titul.* 33. *numer.* 1. *& sequent.* Valentia 2. 2. *quæst.* 94. *pun.* 6. *disput.* 6. & Farinac. *de hæresi. quæst.* 178. *n.* 53.

Unde conspurcantes, percutientes, lacerantes ex contemptu Imagines Christi, vel Sanctorum, sunt de hæresi vehementer suspecti, si ex indignatione, & ira id faciant. Nec iracundia ab hac hæresis suspicione excusat. Nam si quis non ex motu iracundiæ, sed animo deliberato, & consulto tam nefas crimen patraret, esset manifeste hæreticus. Ideoque dicitur de hæresi tantùm suspectus, quia iratus illud committit. Atque ita firmant Castrius *de just. hæretic. punit. libro primo capit. duodecimo & decimoquinto* Symanch. *in enchirid. titul.* 101. Farinac. *quæst. vigesima numer.* 68. Raphael de la Torre *in* 2. 2. D. Thomas *quæst.* 96. *artic. quarto disput. secunda.* Sesse *tomo quarto decis.* 448. *numero decimonono.* Delrius *libro quinto Magic. sect.* 16. §. *Sacerdotes.* Carena *part. secunda titul. septimo* §. *septimo numer.* 38. & nos alibi, ubi etiam prolixè disceptavimus, an hoc etiam crimen quoad Judæos sit mixti fori, an vero pertineat ad Inquisitores S. Officii privative quod ad Judices laicos.

An autem sit de fide, Sanctos à Summo Pontifice Canonizatos esse colendos, ac venerandos, pendet ab illa quæstione, an sit de fide, Summum Pontificem errare non posse in Sanctorum Canonizatione. Fuit error Wiclefi, qui, ut refert Thomas Waldensis *tomo tertio, de Sacramental. capit.* 122. asseruit, Summum Pontificem non minus errare posse in canonizatione Sanctorum, quàm alium quempiam hominem; quod alio peiori errore crederet, non majorem Summo Pontifici tribuendam esse authoritatem, quàm cuilibet alteri homini. Wiclefum sequuti sunt Lutherani, & Calvinistæ, aliique hæretici.

Conveniunt autem Doctores Catholici, quod Summus Pontifex veram, quæ non est in aliis hominibus, canonizandi potestatem habeat. Aliqui tamen eorum existimant, absolute non repugnare, quod erret in usu talis potestatis, nec ad illum habere infallibilem Spiritus Sancti assistentiam. Rursus major, & sanior pars Doctorum affirmat, quod Judicium ab Ecclesia, & à Summo Pontifice prolatum in Canonizatione Sanctorum sit quidem indeficiens, sed controvertitur inter illos, quo gradu certitudinis id tenendum sit. Aliqui enim, ut Valentia 2. 2. *disput. prima quæst.* 1. *pun.* 7. §. 41. expressè docent, esse de fide, quod Torres ibidem probabile esse putat. Alii vero, ut Sylvester *V. Canonizatio.* S. Antoninus *tertia part. titul. undecimo capit. octavo* §. Turrecremat. *de Ecclesiast. quæst.* 51. Covarruv. *libro secundo var. cap. primo.* Melchior Canus *libro quinto, de Loc. Theologic. cap. quinto* Pegna *part. secunda direct. quæst. decimoseptimo* Bannes *ad* 2. 2. *d. quæst. prima dub.* 17. ibique Torres *cit. disput. decimasexta* & Joannes à Sancto Thoma *disput.* 9. *artic.* 2. asserunt esse quidem certum, Papam errare non posse in canonizatione Sanctorum, esseque gravissima dignum censura, qui oppositum diceret, non tamen esset hæreticus. Alii, esse ita certum, quod errare non possit, ut asserere, posse illum in hujusmodi actione errare, sit temerarium, scandalosum, ac de hæresi suspectum.

Tum quia Canonizatio fit ex testimoniis de sanctitate, ac miraculis. Testes autem sunt homines, qui falli, & fallere possunt. Tùm etiam quia non cogimur fide divina credere illam veritatem, quæ revelata non sit. Miracula autem, & Sanctitas Canonizati, ac eum esse Beatum in cœlo, nulli revelatum est.

Probabilior tantum sententia docet, non solùm esse temerarium, scandalosum, ac de hæresi suspectum asserentem, posse Summum Pontificem in Canonizatione Sanctorum errare, sed etiam esse absolute hæreticum. Adducitur pro hac Sententia Div. Thomas, *quod libet nono articul. decimo sexto*, qui tamen ab aliis refertur pro contraria, quatenus ait, Canonizationem Sanctorum esse quid medium inter judicium infallibile Papæ de rebus fidei, & judicium fallibile ejusdem de rebus civilibus. Eam verò tuentur Bellarminus *tom.* 2. *controv. quarto libro primo cap.* 9. Garcia *de Canonizat. Sanctor.* §. *decimotertio.* Azor. *part. secunda libro quinto cap. sexto quæst. quinto,* Valentia *in* 2. 2. *citat. disput.* 1. *quæst. prima pun. septimo* §. 40. Turrian. *in* 2. 2. *tom.* 1. *disput. decimaseptima, dub. sexto* Castropal. *p.* 1. *tract. quarto disput. primo pun. quinto,* §. *quarto,* Verricell. *in quæstion. moral. tractat. octavo quæst. vigesimooctavo numero secundo,* Arriaga *tom.* 5. *disput.* 9. *sect.* 5. *numero vigesimooctavo* Megel. *in Sum. V. Canonizatio. numero primo* Diana *part.* 11. *tractat. secundo resol.* 28. Bordon. *tom.* 1. *cap.* 5. *numer.* 282. ac Delbene *de Sanct. Offic. Inquisit. dub.* 253. *à numero primo*, aliique non pauci.

Nam de fide est, Pontificem errare non posse in pascendo grege fidelium doctrina fidei, nec posse in Ecclesia deficere Spiritum veritatis, neque errare in legibus spectantibus ad universalem Ecclesiam. Aliàs ipsa macularetur pernicioso errore, à quo Christus voluit ipsam liberare, dùm promiserit, ejus fidem non defuturam. *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua;* Luc. 22. & *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Ex quibus sequitur, quod Pontifex non potest aliquid statuere contrarium legi divinæ, ac naturali. Si autem posset errare in Canonizatione Sanctorum, statueret aliquid contrarium legi divinæ, ac naturali. Nam obligaret fideles assentiri falsitati, venerando indignum.

Præterea de fide est, esse venerandos Sanctos, eorumque reliquias, & Ecclesiam habere authoritatem declarandi, quibus hæc invocatio, ac veneratio adhibenda

benda sit, ut constat ex Clementina, & extravagante *de relig. & venerat. Sanctor.* & ex Sacro Concilio Tridentino *sess.* 25. in decreto de eadem re. Atque adeò est etiam de fide, summum Pontificem errare non posse in declaratione sanctitatis alicujus, ut coli possit, ut sanctus ab Ecclesia. Alioquin frustrà esset ejus authoritas. Essetque intolerabilis error, ut judicio Ecclesiæ aliquis non sanctus coleretur pro sancto, ac proponeretur imitandus qui esset damnatus.

Ad primam rationem respondetur, negando, Pontificem ex testimoniis humanis tantùm moveri ad sanctorum canonizationem; sed simul movetur ex speciali instinctu, & assistentia Spiritu Sancti, & ideò ejus declaratio est firma, & infallibilis.

Ad secundam respondetur, sanctitatem Canonizati, & illius assistentiam in æterna beatitudine non esse regulariter, & explicitè revelatam; sed virtualiter & implicitè. Nam revelatum est, in æterna beatitudine assistere, qui in Dei gratia ex hac vita decessit; ac etiam revelatum est, Pontificem, ob assistentiam Spiritus Sancti errare non posse in iis, quæ ad religionem, & cultum universalis Ecclesiæ pertinent. Atque ex his principiis deducitur, de fide esse etiam, hunc Canonizatum verè in cœlis esse, cùm hæc consequentia rectè sequatur ex una præmissa de fide, & altera evidenti.

Unde hæc propositio: Non est de fide, Sanctos à Papa Canonizatos esse in Paradiso, est hæretica, vel saltem hæresi proxima, juxta qualificationem *sub die* 10. *Maii* 1623. Et qui dixit, credere, bonum latronem non esse in Paradiso, expeditus cum monitione, ac pœnis salutaribus, instruitur circa errorem, quem tenuit. 10. *Septembris* 1625.

Quare licet aliqui velint, quod affirmans, Canonizatum à Pontifice non esse colendum, non sit puniendus, ut hæreticus, quia non affirmat aliquid quod sit contrarium his, quæ Ecclesia recipit tanquam de fide certa absque ulla Doctorum controversia; nihilominus puniendus est, non solùm tanquam temerarius, impius, & scandalosus, sed etiam vel tanquàm hæreticus, vel saltem tanquàm de hæresi suspectus. Quia hæresim sapit, negare Canonizationem Canonizatis. Nam videtur negare vel authoritatem Papæ circa Sanctos canonizandos, vel quod Sancti digni non sint tali honore, vel quod non fruantur æterna beatitudine.

Sed quid in Beatificatione? Cùm secundum nostram sententiam, quam alibi tradidi, Canonizatio, & beatificatio substantialiter non differant, sed in modo tantùm accidentali majoris vel minoris solemnitatis. Indè infertur, æque etiam substantialiter dignum esse præallatis censuris, qui assereret, Ecclesiam posse errare in beatificatione, aut quod anima Beatificati non esset in gloria, ac qui de Canonizato id affirmaret.

Cùm autem multæ in Ecclesia colantur tanquam virgines, etiam ex eis, quæ in adultiori ætate ad fidem conversæ sunt, martyriique palmam adeptæ sunt, inquiret aliquis, qua certitudine tenendum sit, eas esse virgines, cum virginitatis, quæ multis occultis modis amittitur, vix satis explorata indicia, vel argumenta haberi possint.

In hac re ita est distinguendum. Quædam enim ex eis canonizantur, aut pro sanctis habentur, non propriè ac formaliter sub titulo virginitatis, quamvis, cùm pro talibus reputentur, nulla re, quæ sciatur, in contrarium existente, officium virginum de eis recitari soleat, sed ratione, ac sub titulo Martyrii, aut vitæ alioquin sanctissime traductæ. De istis non puto, aut ab Ecclesia definiri, aut tanta certitudine credendum esse, eas virgines esse, quin speculative possit illi subesse falsum loquendo præsertim de virginitate strictè considerata quæve omnem voluntariam immunditiem excludit, cùm tamen certissimum sit, eas verè sanctas, ac beatas esse, ex eo scilicet titulo, ob quem propriè, ac directè canonizatæ fuerunt.

Quia licet omnia argumenta, vel testimonia, quibus propriè ad canonizationem probatur insignis personæ consecrandæ sanctitas, collective sumpta debeant esse vera, ut inde Pontifex ex speciali Spirit. Sancti assistentia illam declaret; non tamen inconvenit, ut contingit etiam in prævijs ad fidei definitiones diligentiis, quod aliquod particulare sit inde falsum, nec tamen, ut tale cognitum, aut probatum; sicut etiam potest esse quid in se verum, non tamen, quoad nos, sufficienti probatione certum.

Quoniam verò de quibusdam interdum speciatim, & expresse in ipsa canonizatione declaratur, non solùm esse sanctos, sed etiam insigni virginitatis flore dotatas, ut in canonizatione S. Catharinæ Senensis à Pio secundo accidit tunc utrùmque pro certo habendum est; præsertim cùm Ecclesia nunquam ad talem deveniat declarationem, quin etiam specialibus miraculis, ac testimoniis virginitas alicujus certo certius probetur: ut satis constat ex rigorosissima S. Congregationis Rituum praxi, qua Promotore fidei singulis, quæ sunt objicienda, opponente, omnia quàm diligentissime ad pondus Sanctuarii examinantur.

Qui verò negat Virginitatem Beatissimæ Mariæ Virginis in loco, ubi est publicata constitutio Pauli Quarti, abjurat publicè de formali, damnatur ad triremes ad septennium, & absolvitur à censuris 17. *Februarii* 1596.

Negans Sanctissimam Trinitatem, Virginitatem B. Virginis, ac Divinitatem Christi, traditur Curiæ sæculari, etiam in primo lapsu 2. *Maii* 1591.

Quò verò ad cultum Reliquiarum, est de fide, Sanctorum Reliquias esse ab omnibus fidelibus colendas, ut expressè definitur à S. Concil. Trid. *d. sess.* 25. *in decreto sub initium relato.* In sacra enim Scriptura indicatur, Sanctorum corpora esse veneranda. Unde in Genes. *cap.* 50. & Exod. *cap.* 13. legimus, ossa Jacob, & Joseph magno cum honore esse conservata, & sepulturæ tradita & in egressu de Ægypto *tulit quoque Moyses ossa Joseph secum ob reverentiam.* Ossa Elisei suscitaverunt mortuum. Sic enim dicitur 4. Reg. 13. *projecerunt cadaver in sepulchro Elisei, & cum tetigisset ossa Elisei, revixit homo.* Multaque alia de veneratione Reliquiarum sanctorum referuntur ab August. *lib.* 22. *de Civit. cap.* 8. *& Epist.* 137. & à Coccio *loc. cit.* Hæc sine ratione. Quia corpora Sanctorum fuerunt templa animarum Sanctarum, & futura sunt consortia æternæ beatitudinis, in qua erunt in perpetuo honore. *Nescitis*, inquit Apostolus 1. Cor. 6. *quia corpora vestra templa sunt Spiritus Sancti?* Fuerunt organa, & instrumenta, quibus miranda operatus est ipse idem Spiritus Sanctus.

Qui ossa vendit, sive distrahit, asserendo falsò, esse reliquias sanctorum, punitur in S. Officio: Et olim hujusmodi causa fuit delegata Nuncio Apostolico Neapolitano 7. *Januarii* 1627. quia est cultus falsus, & superstitiosus, ut suprà dictum est.

Porro quicumque Romano Pontifice inconsulto, publicè defunctos, nondum à Sede Apostolica canonizatos, vel beatificatos, venerari audent publicè eos invocando, campanas in die eorum obitus pulsando, Altaria erigendo, in Litaniis, aut in Martyrologio eorum nomina ponendo, Imagines eorum cum radiis, luminibus, aut laureolis proponendo, tabellas, aut luminaria ad eorum sepulchra apponendo, ab Ordinariis, vel ab Inquisitoribus puniendi sunt iisdem pœnis, quas Urbanus VIII. *Constitutione sua* 37. *lata in S. Officio universalis Romanæ Inquisitionis*, 1625. nimirum *Transgressores verò, si Regulares fuerint, privationis suorum Officiorum, ac vocis activæ, & passivæ, necnon & suspensionis à divinis; si verò Clerici sæculares, privationis pariter suorum officiorum, suspensionis à Divinis, & ab administratione Sacramentorum, executionisque suorum Ordinum respe-*

ctive, aliisque arbitrio prædictorum Ordinariorum, seu Inquisitorum pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo. Qui autem libros impresserit, aut imagines pinxerit, sculpserit, seu quoque modo affixerint, vel formaverint, cæterique artifices circa præmissa qualitercumque delinquentes, prædicta omnia amittant, & insuper pecuniariis, aliisque etiam corporalibus pœnis, juxta criminis gravitatem eorumdem Ordinariorum, seu Inquisitorum arbitrio afficiantur, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Nam ad Summum Pontificem pertinet proponere toti Ecclesiæ, quid in materia religionis sit agendum. Quandoquidem Alexander Tertius, & postea Innocentius Tertius, considerantes aliquos abusus, qui circa Sanctorum cultum oriri possent, decreverunt, ut nullus coleretur tanquam Sanctus absque Romani Pontificis approbatione: ut patet *ex cap.* 1. *&* 2. *de reliq. & venerat. Sanctor.* Etenim ita est proprium Pontificis, Sanctorum honorem cultumque decernere, ut sine illius facultate alicui non liceat: ut per Canonistas *in d. cap.*1. *de relig. & vener. Sanct.* ibique *Innoc. num.* 2. *Ost. num.*7. Joan. Andr. *num.* 5. *& in d. cap.* 2. *num.* 6. ibique Gloss. Gemin. *nu.*11. & tradunt Turrecr. *in can.* 1. *de consecr. d.* 3. Troil. *de Canoniz. sanct. dub.* 2. Jacob. Castel. *eod. tit.* 9. 3. docens ex communi consensu Doctorum, neque Episcopos, neque Legatos à Latere, neque Collegium Cardinalium, Sede Apostolica vacante, neque Concilium Provinciale, neque Universale posse id facere, auctoritate Summi Pontificis non accedente: ut constat ex *d. cap.* 1. *de relig. & venerat. sanct.* Ratio autem est, quia Petro suisque successoribus promissa est à Christo infallibilitas in Ecclesia, ut alibi tradidi.

Quæ autem de Canonizatione Sanctorum diximus, etiam de beatificatione sunt intelligenda. Nam beatificatio est species veræ canonizationis, quæ à solo summo Pontifice concedi potest. Hinc enim est, quod Beatificatio dicitur Canonizatio particularis quoad cultum juxta placitum Summi Pontificis, restringendo illam ad certum genus cultus, ut aliqua Ecclesia particularis, vel Monasterium, vel Ordo Religiosorum possint sacros honores illis deferre, nempe Officium Divinum recitare, Missam celebrare & hujusmodi alia.

Quinam autem cultus deferri liceat, vel non debeat non Canonizatis, vel beatificatis, alibi fusè diximus.

Contra igitur publicè venerantes homines mortuos antè eorum canonizationem, vel beatificationem, & contra quoscumque reos aliquid agentes contra dispositionem citatæ constitutionis Urbanæ procedere possunt Inquisitores fidei. Quod etiam antea docuerant. Zachin. *de hæret. cap.* 22. *nu.* 8. & Pegna *in suo scripto, quod alibi integrum adduxi*, ubi ait, quod hujusmodi transgressores interrogari possunt ab Inquisitoribus, quid sentiant de Romani Pontificis auctoritate.

Consultatio LII.

Speciatim de quibusdam Avicularum observationibus superstitiosis; Vt enim ait Cicero de divinat. lib. 2. *Omnis superstitio imbecilli animi, atque anilis est. Quid ea sint? Earum divisio? Vnde dignoscatur? Quando sit vana & superstitiosa aliqua observatio? Vbi tamen graviter ac seriò discutitur, an Gemmæ, & lapides habeant vires & facultates? & quinam effectus ab eis fieri possint, & qui non?*

Superstitio vanæ observationis est procuratio alicujus effectus per media vana, & inutilia, non quidem à Natura, neque à Deo ad illum effectum producendum instituta, sed ex hominum vanitate, cooperante dæmonum malitia. Differt à divinatione. Quia hæc ordinatur ad solam cognitionem rerum occultarum, indebito modo consequendam. Illa tendit ad opus, & ad effectum externum, nempe ad aliquod commodum consequendum, vel ad aliquod malum evitandum, vel ad aliquod damnum inferendum.

Ejus malitia consistit in pacto explicito, vel tacito cum dæmones, quia utitur mediis non à Deo institutis, sed quæ solum ope dæmonis efficaciam habere possunt; & illa media assumens tacite saltem opem dæmonis implorat, illique quodammodo divinum honorem tribuit.

Nugatoria, seu vana observatio, quæ Magiæ dæmoniacæ species est, ita definiri potest. Est magia superstitiosa, quia commodum aliquod speratur ex re, quæ nec supernaturaliter eò pertinet, neque naturaliter id præstare potest. Vocatur vana, quia ejus virtute, & efficacia vel nequimus consequi finem intentum, vel si consequamur, plus noxæ, quàm commodi adfert: quia homo illâ utens animæ detrimentum patitur, ut aliquam tantum utilitatem in rebus corporeis, vel temporalibus percipiat. Et hinc rectè dicitur, quod sit magia superstitiosa. Dæmon enim mediis inefficacibus se communiter ingerit, utendo eis, ut instrumentis ad effectus aliquos edendum, ac per consequens implicando his retinaculis hominum mentes.

Quod autem ad ejus divisionem, solet per ordinem ad causam finalem reduci ad quatuor potissimum quasi species. Prima est, quando expectatur commodum in rebus exterioribus, seu fortunæ: ut in animalibus, segetibus, vineis, bona aëris constitutione &c. Secunda, quando expectatur bonum aliquod corporis: ut sanitas, liberatio à carcere, hostibus, ferro, igne, & aqua, prosperitas in itinerando, vel alia hujusmodi. Tertia, quando expectatur bonum aliquod animæ naturale: ut ars, vel scientia aliqua. Quarta, quando expectantur bona supernaturalia: ut sunt remissio peccatorum per aliquas certas orationum formulas, nec à Deo, neque ab Ecclesia ad hoc institutas, vel ordinatas.

Quoniam verò tota ferme præsentis materiæ difficultas est, unde dignosci queat, quando sit vana, & superstitiosa aliqua observatio, huic etiam suæ non desunt regulæ. Primò si constet, quod effectus intentus superet naturæ vires. Tunc enim diligenter examinandum est, an per Sacram Scripturam, vel Ecclesiæ definitionem, aut approbatam ab ea traditionem talis effectus Deo tribuatur. Si enim nihil hujusmodi reperitur, effectus tribuendus est pacto cum dæmone inito, vel tacito, vel expresso, & proinde censenda magica superstitio, ut nimirum vanæ observationis. Secundò si constet, rem, cui tribuitur effectus, hanc vim à Deo, vel à Natura habere, non est vana observatio ex parte effectus, sed posset esse vana ratione alicujus vanæ circumstantiæ: ut quod fiat tali hora certa, tali loco, vel tempore, illa, vel illa manu &c. Ex his duabus regulis infertur, esse vanam observationem. Primò, si ad productionem effectus requiritur fides in ipsum hominem, qui sanaturus est. Secundò si effectus attribuitur magicis imaginibus, figuris sigillis, characteribus, verbis, annulis, quos vocant Salomonis, Machabæorum, Elisæi, Zachariæ, Constantini, & aliorum. Tertiò si quis utitur certis orationibus sacris, aut operibus piis, in rebus vanis, nec ad Dei cultum directè, vel oblique pertinentibus. Quartò per certa jejunia, & orationes sine humano labore, sed secundùm instituta cujusdam artis, quam alii notoriam, alii Salomonicam vocant, scientiam infusione acquirere velle, est vana observatio. Plura contra hanc artem, & aliam Paulinam dictam, nec non Angelicam, vel artem spirituum habet Baptista Segnius *cap.* 7. 8. *&* 9. *de vero studio Christiano.* Raphael de la Torre 2. 2. *qu.* 96. *art.* 16. & nos *suo loco*. Quintò quando gestantur reliquiæ, vel Evangelium S. Joannis, aut aliquis versus Psalmorum, non ex devotione tantum, sed adjunctis

vanis

vanis circumstantiis, ut vel sic, hoc, vel illo tempore, in hac, vel illa materia sint scripta. Sextò huc referenda vanissima omnium Klidonistiki animadversio, de qua Chrysostomus *homil.* 21. *ad populum Antioch.* & Augustinus *lib.* 2. *de doctr. Christ. cap.* 20. ut si membrum aliquod salierit, si junctim ambulantibus amicis lapis, aut canis, aut puer medius intervenerit, & sic de aliis, quæ ab aurium tinnitu, sternutatione, nomine, fortuitis aliorum verbis, ab iis, quæ domi fiunt, ab iis, quæ in via contingunt, desumi solent ad præcognoscendum aliqua fortunia, vel infortunia. Septimò potest nonnunquam vana observatio contingere in Strenis primo anni die dandis, ut si id faceret quis, ut omen, vel augurium certum prosperi eventus. Nam si animi recreandi, aut amicitiæ conservandæ causa pro consuetudine Christianorum illo die, nullum esset crimen. Immò si faceret in honorem Circumcisionis Dominicæ, quam tunc celebrat Ecclesia, opus religionis exerceret. Octavò, observatio dierum, mensium, & anni, de qua infrà. Nonò ac ultimo sunt observationes vanæ in malis depellendis, & morbis sanandis variæ, quibus etiam referendæ sunt innumeræ orationum formæ, quibus vulgò sanantur vulnera, vel morbi vitantur, vel infortunia arcentur, fures deteguntur, aliaque similia, quæ apud Delrium *lib.* 3. *magic. in fine* consuli possunt. Nos ex innumeris observationum speciebus aliquas subjicimus.

Superstitiosum itaque est Zona, sive cinto prægnantis pulsare campanam, ut sic prosperum obtineat partum. Quia hujusmodi sonus nullam vim naturalem habet ad hunc effectum producendum. Ergò vel est à Deo, vel à dæmone. Non est à Deo, quia non fit mediis ab ipso, vel ab ejus Ecclesia institutis. Igitur est à dæmone.

Superstitiosum item est, imaginem alicujus sancti in flumen projicere, aut in ripa fluviali ponere pro obtinenda pluvia. Ejusmodi enim in aqua imaginis immersio nec virtute naturali, neque institutione divina, vel humanâ Ecclesiasticâ talem effectum operari potest.

Superstitiosæ sunt orationes, quibus Sagæ benedicunt Rosaria pro parturientibus & pro angina, aliove morbo laborantibus, commixtis verbis, etiam à se non intellectis, additisque cæremoniis superstitiosis, halitus, suffitus, oscitationis aliisque similibus reprobatis. Quia nec virtute naturali, neque institutione divina, aut Ecclesiastica producunt talem effectum.

Superstitiosum est dicere aliquos versus alicujus Psalmi, quos inconsultò nonnulli Authores proferunt, ad compescendum canes latrantes, aut cohibendum sanguinem è naribus profluentem, vel quemcumque morbum sanandum. Quia talis recitatio, nec virtute naturali, neque institutione divina habet infallibilem effectum.

Distinguunt tamen alii, quod si quis, versus ex Psalmis desumptos ad suam sanitatem, vel ad aliquam aliam utilitatem sibi obtinendam proferat devote cum pietate, & fiducia, tunc licitè proferret. Si verò recitet cum credulitate infallibilis eventus, tunc erit superstitiosum: Sic Tamburin *in decal. lib.* 1. *cap.* 6. §. 1. *à nu.* 10. sive ut ait Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 40. *num.* 44. Si utatur illis verbis non sperando certam salutem, sed per modum impetrationis à Deo. Id tamen non est ita facile, præsertim in leviculis mulierculis.

Superstitiosum est, morbum caducum patienti hæc verba secretò ad aures dicere: *O creatura Dei, memento Creatoris tui.* Quia suspicio magna superstitionis est hæc verba ad infirmi aurem insusurrare, vel ob vanum finem, vel quod clam insusurrari debeant, ut allevamento ei sint. Si verò talia verba ad aurem insusurrentur, ut morbum patiens illa audire possit, Deoque se commendet, ablatâ certi eventus credulitate, non erit superstitiosum

Superstitiosum est in aurem equi, dolorem intestinorum patientis, verba aliqua loqui, ut sanitati reddatur. Quia hæc in aurem equi loquutio non potest accipere moderationem aliquam, sicuti accipere possunt verba illa, quæ insusurrantur creaturæ rationali, ut statim diximus.

Superstitiosum est dicere, quod qui die S. Stephani protomartyris pane & aqua jejunat, & ritè confessus communicat, non sit moriturus occisus, etiamsi multis ictibus impeteretur, & infallibilitatem eventus expectaret. Quia hoc jejunium neque ex ordinatione divina, aut Ecclesiastica, nec sua virtute naturali ad hunc effectum vim habet.

Superstitiosum est, credere firmiter quod recitantes certas orationes, vel illam secum deferentes, non sint mortem subitaneam, vel aliud periculum subituri, quin potius bene fortunati, ex eadem ratione qua de re Navarrus *in man. cap.* 11. *num.* 34. *& de orat. cap.* 19. *n.* 160. per hæc verba, *licet prædictæ duæ orationes Pater noster, & Ave Maria sint excellentes, non tamen credenda sunt omnia, quæ illis aliquot libelli, & tituli conscripti majore temeritate, ac dicam superstitione, quam Christiana discretione tribuant, nempe quòd qui toties recitavit illas, vel earum alteram, illo, aut illo die, vel loco, aut modo, erit bene fortunatus in contrahendo matrimonio, in gerendo negotia sua felicem habebit successum, non morietur subitò, non occidetur insidiosè, apparebit ei Virgo Maria, non peribit igne, vel aqua, & alia id genus, quæ nulla Scriptura authentica, nec ab ullo illustri Classicove Authore probantur.*

Non est superstitiosum Sacra Evangelia collo suspendere, dummodo tamen in illis suspendendis, & ligandis non misceantur aliquæ vanæ circumstantiæ quod sint scripta in charta virgine, aut quando legitur Evangelium, vel quod debeant tot sigillis ligari à puella virgine, aut quod à nemine videatur, & hujusmodi alia quæ neque ad laudem Dei, neque ad alium effectum naturalem, vel institutum deserviunt. Idemque dicendum de reliquiis Sanctorum, vel de Psalmorum versibus, non ex devotione tantum, sed ex adjunctis vanis circumstantiis, ut apud Delrium *lib.* 3. *magiæ p.* 4. *sect.* 8. *qu.* 4.

Superstitiosæ sunt orationes illæ, quæ à colligentibus herbas die S. Joannis Baptistæ ante solis ortum dicuntur, si qui illas dicunt, certò credant, nec suas orationes, nec herbas post solis ortum collectas ullam efficaciam habituras. Quia vanis circumstantiis vestiuntur. Non ideò tamen est illicitum colligere herbas ad curandum, dicendo aliquas orationes, nempe orationem Dominicam, aut Symbolum eo die, aut quovis alio, quinimmò salubre est, secundum decretum Martini Bracharensis relatum *in can. non liceat.* 28. *qu.* 7. & advertit Navar. *de orat. cap.* 6. *n.* 47.

Censet verò Turreblanc. *lib.* 9. *jur. spir. cap.* 8. *nu.* 32. & apud eum D. Augustinus, Cirvelo, Dinsfeldius, & Reginaldus, quod ij, qui colligunt herbas in festo S. Joannis Baptistæ, die Sabbathi Sancti &c. credentes, majoris esse efficaciæ ad sanitatem tribuendam sint superstitiosi. Quod sanè verum est, si id existiment, ex eo quod dies sit talis Sancti. Quia certè sanctitas illius diei nullam specialem efficaciam tribuit herbis ad effectum aliquem tribuendum. Secus verò, si id credant, quod tunc temporis majorem vim naturalem flores, aut herbæ habeant. Potentior enim est virtus herbæ collectæ in æquinoctio, quàm in solstitio, vere, quam hyeme, quando scilicet herba est in incremento, non verò in decremento virtutis. Unde superstitiosum non est, observare Lunam, aut tempora aptiora colligendis herbis, ut die S. Joannis Baptistæ, ex Tamburin. *lib.* 2. *in decal. cap.* 6. §. 1. *num.* 65. ex Busimb. *in medul. Theol. mor. lib.* 3. *tract.* 1. *d.* 1. *præc. cap.* 1. *dub.* 4. ex Trullench. *lib.* 1. *in decal. cap.* 10. *dub.* 10. *num.* 7. *&* 14. & ex Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 7. *n.* 17.

Ex eadem ratione non est superstitiosum credere, quod Ros collectus nocte S. Joannis Baptistæ potiorem habeat vim ad sanandam scabiem. Ros siquidem potius una nocte, quàm altera potest esse salubrior. Quod sanè contingere potest nocte S. Joannis Baptistæ, cum Sol est in sua statione, nempe in Zenith, ubi magis diametraliter, quàm usquam anno illo, nos, quatenus est ex parte ipsius præcisè, salubrius roret. Hinc est, quod quædam plantulæ ante solis ortum collectæ redduntur efficaciores, aliæ orto jam sole, pro herbarum, plantarumque qualitate diversa; quod potissimum die, qua Sol est in solstitio contingere potest: ut per Lup. *d. lib.* 15. *dist.* 3. *art.* 1. *differ.* 2.

Aliter autem dicendum est, nempe esse superstitiosum die S. Joannis Baptistæ arborem scindere, & per eam sic scissam, ter transire pueros læsos, ut eis valetudo à morbo confirmetur. Nam arbor sic scissa ex re nullam efficaciam habet ad sanandum læsos pueros, nec illi eam tribuit sanctitas diei. Quod si aliquoties id acciderit, potius ex invocatione tacita dæmonii quàm ex vi arboris scissæ acciderit: ut per Navar. *in man. cap.* 11. *nu.* 32. ubi tradit, illum peccare mortaliter, qui ob sanitatem alicui restituendam, aliquid applicat, quod nulla virtute pollebat ad sanandum: ut cingulo metiri, vimen findere, aperire arborem, urinam supra certam herbam emittere, lienis morbos secare, nisi propter ignorantiam excusetur.

Superstitiosum est recitare quasdam Orationes nocte S. Joannis, ut mulieri manifestetur, cui nuptura sit. Sicuti superstitiosum est, ob eundem finem applicare nocte illa auditum, credendo, nomen, quod mulieri primò audierit, fore sui viri nomen. Quia talis oratio, etiam nocte illa habita, nullo ex capite ad hunc effectum vim habere potest, & similiter recitare preces, illasque dirigere animæ desertæ, auroræ primo aspectu diei S. Joannis Baptistæ, ut virum, cui matrimonio jungenda est, revelet. Quia hæc vana sunt, neque ad id vim habent, Sanchez *lib.* 1. *in decal. cap.* 40. *n.* 19.

Esse superstitiosum observare dies, quasi quidam sint fausti, ut dies Jovis, quidam infausti, ut dies Martis, negat Campanella *tit. de diebus faust. & infausti* ubi ait, quosdam dies semper extitisse sibi infaustos, ac esse ex se tales: ut notat Carena *in tractat. de S. Offic. part.* 2. *de sortileg. titul.* 12. *num.* 120. Deinde addit, familiam Mendoziam in Hispania à S. Inquisitione obtinuisse, nè die Martis, qui apud ipsam habetur infaustus, teneatur aggredi opus aliquod: ut refert *Lup. in edict. S. Inquis. part.* 3. *lib.* 15. *dist.* 6. *art.* 1. *differ.* 4.

At nihilominus id esse superstitiosum, certum est. Primò quia certum est, nullum diem esse faustum, vel infaustum ex se, atque ex natura sua, sed omnino esse accidentale, quod aliquis sit faustus, vel infaustus. Ait enim Paulus ad Galat. 4. *Dies observatis & tempora, & menses. & annos: timeo vos, nè frustrà laboraverim in vobis*, & Augustinus relatus *in can. Non observetis* 26. *quæst.* 7. rem hanc ferè omnem ita definit. *Non observetis dies, qui dicuntur Ægyptiaci, aut Kalendas Januarii, in quibus Cantilenæ quædam & Comessationes, & ad invicem dona donantur, quasi in principio anni boni fati augurio, aut aliquos menses, aut tempora, aut dies, annos, aut Lunæ, Solisque cursum. Quia qui has & quascumque divinationes, aut fata, aut auguria observat, aut attendit, aut consentit observantibus, inutiliter, & sine causa magis ad sui damnationem, quàm ad salutem tendit, sive qui per quosdam numeros Litterarum, & Lunæ & per Pythagoricam necromantiam ægrotantium vitam, vel mortem, vel prospera, vel adversa futura inquirunt; sive qui attendunt somnialia scripta, & falsò Danielis nomine intitulata, & sortes, quæ dicuntur Sanctorum Apostolorum, & auguria avium, aut aliqua pro domo facienda, aut propter conjugia copulanda, aut in collectionibus herbarum carmina dicunt, aut Pyctaciola pro quavis infirmitate scripta super homines, vel animalia possunt præter symbolum, aut orationem Dominicam, aut magicis falsitatibus in grandinariis tempestatibus credunt. Qui autem talibus credunt, aut ad eorum domum euntes, aut, suis domibus introducunt, ut interrogent, sciant, se fidem Christianam, & baptismum prævaricasse, & ut paganum, & apostatam, id est, retrò abeuntem, & Dei inimicum, iram Dei graviter in æternum incurrisse, nisi Ecclesiastica pœnitentia emendatus Deo reconcilietur. Dicit enim Apostolus: sive manducatis, sive aliquid aliud facietis, in nomine Domini nostri Jesu Christi facite, in quo vivimus, movemur, & sumus.* Hæc Augustinus.

Deinde quia si aliquis dies ex se esset faustus, aut infaustus, sequeretur manifesta contradictio. Nam dies fausti apud unam nationem, sunt infausti apud aliam. Dies enim Lunæ est infaustus apud Hebræos, quia existimant, in eos natum fuisse Cain, dies Martis apud Athenienses, dies Mercurii apud Medos, dies Iovis, apud Frigios, dies Veneris apud Trojanos, & dies Saturni apud Persas. Igitur quilibet dies est infaustus respectu alicujus nationis. Et si aliquis eorum est faustus apud aliam, jam esset simul faustus & infaustus.

Quod autem asserit Campanella de familia Mendozarum, abhorret à veritate. Non enim S. Inquisitio cogit aliquem ad aggrediendum opus potius, uno die, quàm alio.

Atque ita tenent Theologi cum B. Thoma 2. 2. *q.* 95. *art.* 3. Torreblanca *de Mag. lib.* 1. *cap.* 27. *& lib.* 9. *jur. spir. cap.* 8. Simanch. *de Cath. inst. tit.* 63. *num.* 6. & præ omnibus opportunè ad rem hanc Chrysostom. *in Orat. Kalendis habita*, sic ait: *Dies bonus, & malus est, non sua quadam, & propria natura, nihil enim dies à die differt, sed nostra vel negligentia, vel ignavia. Si justitiam feceris, bonus tibi dies erit; sin peccatum designaveris, malus, & supplicio plenus.*

Porrò ad illud Pauli: *Dies observatis* &c. dicendum est, vanam esse illorum observationem, quia nulla permoti observatione motus, ac influentiæ cælestis observant dies, menses, aut annos, non ad Dei cultum, sed ad directionem negotiorum suorum, tanquam faustos, vel infaustos, sive, quod idem est, tanquam ominosos, sive in bonum, sive in malum, omnes ferè dies ominosos cunctarum nationum colligit Alexander ab Alexandro *lib.* 4. *dier. genial. cap.* 20. & hos dies vocat Augustinus *super cap.* 4. *ad Galat.* superius relatus, Ægyptiacos. Quare autem sic vocentur, putant aliqui, quia in illis Deus plagas insultat Ægyptiis. Sed hæc opinio rejicitur ab Abulensi *cap.* 15. Exod. *qu.* 15. Tum quia non fuerunt tot diebus plagati, neque tot plagis Ægyptii, quot numerantur dies Ægyptiaci. Tum quia fabulosum videtur, omnes illos dies plagarum pro omnibus hominibus fuisse à Deo maledictos, & illos funestos effecisse.

Melius igitur alii docent dictos fuisse Ægyptiacos, quia ab Ægypto, plena superstitionibus, adinventi fuere. Singulo quoque mense duos Ægyptiacos dies notatos fuisse, ait Abulensis *loc. cit.* & Petrus Brestaius *lib.* 1. *notab. cap.* 53. hujusmodi dicit esse: Ianuarii primum, & vigesimum quintum. Februarii quartum, & vigesimum sextum. Martii primum, & vigesimum octavum. Aprilis decimum, & vigesimum. Maii tertium, & ultimum. Iunii decimum, & decimum septimum. Iulii decimum, & vigesimum septimum. Augusti primum, & vigesimum quartum. Septembris tertium, & vigesimum primum. Octobris tertium, & vigesimum secundum. Novembris quintum, & vigesimum octavum. Decembris septimum, & vigesimum secundum. Exempla plura horum dierum superstitiosorum suppeditant Patres, nominatim Ambrosius explicans dictum locum Apostoli, Augustinus *Epist.* 119. *cap.* 7. *in Enchir. cap.* 79. & ex recentioribus videri possunt Martinus de Arles *tract. de superstit.* Raphael de la Torre *in d. qu.* 96. *art.* 3. *disp.* 2. Carena *p.* 1. Cirvelus *Opere Hispan. de superstition.* & alii.

Hinc

Hinc condemnandi sunt Chirurgi, qui, ut sanguinem minuant, dies quosdam indices observant penes quosdam angulos Lunæ imaginarios, & fictos aspectus, & conformationes, ex quibus de infirmitatibus judicant, & applicant remedia cum damno infirmi. Sunt enim mera delirantium somnia: ut probat Conradus Umpina *lib.3. de superstit. cap.* 8. *&* 9. His nugis sequutus fuit Ticinus *de vita cœlitus compar.* dum junior esset; postea verò se retractavit *lib.* 12. Non tamen negatur, quin influant cœli dispositiones in hæc inferiora, ut perperam contendit Torreblanca, asserens falsò, Galenum, Avicennam, Hippocratem, Langium, & Delrium, qui tantum volunt in locis ab eis allegatis, dies criticos, juxta humorum concoctionem, magis attendi, quàm ex constellatione, & reprobant fictos illos angulos, & aspectus non veros, & reales.

Observare igitur dies, menses, & annos &c. ad actus liberos hominum: ut ad inchoandas lites, ad gratiam Principum assequendam, ad contrahenda matrimonia felicia, vel infelicia, est superstitiosum.

Est etiam superstitiosum observare dies, menses, & annos, & quævis tempora respectu fortuitorum. Quia nec ista dependent à corporibus cœlestibus: ut docet D. Thom. *d. qu.*96. *art.* 5.

Observare item dies, & annos, ut ominosos, sive in bonum, sive in malum, non attento syderum influxu, est etiam superstitiosum. Quia tempus ut sic, non potest producere effectum aliquem, cum quanta non sint activa, atque adeo non significant futuros eventus.

Non esse superstitiosum dies sanctorum Vincentii, Urbani, & Conversionis S. Pauli observare, ut ex illis cæteri anni eventus conjiciantur, autumant Binsfeldius *de confes. malef. caus.* 3. Delrius *lib.* 3. *magic. p.* 2. *qu.* 4. *sect.* 6. Campanel. *rubr.* 11. *cap.*26. *num.* 99. quos sequitur Turrebl. *lib.* 9. *jur. spirit. pract. cap.* 8. *n.*35. Observationes autem his versibus explicantur.

Clara dies Pauli, bona tempora denotat anni.
Si nix, aut pluvia, designat tempora cara.
Si fuerint venti, designant prælia genti.
Si fuerint nebulæ, pereunt animalia quæque.

Et quidem probabilius est, id non esse superstitiosum, cùm nihil in his versibus contineatur contra cultum Sanctis debitum, nec dæmonis pactum in eis involvatur; est tamen vanum, nulloque innixum fundamento. Nam si dictus S. Pauli dies est anni prognosticon, vel hoc est, quâ sanctus est, vel quâ naturalis ex stellarum occursu, & concursu. Non autem hoc est, quâ sanctus est, quia sanctitas diei, aut illius cultus nullum anni prognosticon est. Nec quâ naturalis. Nam si ex occursu vel concursu stellarum faciendum esset prognosticon totius anni, cùm quotidie habeatur aliquis stellarum occursus, vel concursus, non esset magis prognosticon totius anni unus, quàm alius dies. Quare dicendum est, hos versus non fundari in Astrologorum, sed in Vulgi placitis, quod profanum est, quò nihil est incertius, cùm in eo non sit consilium, non ratio, non discrimen, non diligentia, ideoque arcendum.

Idemque dicendum est de observatione duodecim primorum dierum mensis Januarii ad prognosticon faciendum de singulis anni mensibus, quidquid dixerit Torreblanca *loc. cit. d. cap.*8. *n.*11.

Neque est superstitiosa observatio dierum criticorum circa corporum infirmitatem, quia pendet à re naturali, nempe à natura humorum. Vocant porrò Medici dies criticos illos, in quibus de morbi ratione judicium ferre possunt, qui sunt impares, inter quos potissimum sunt quintus, septimus, undecimus, in quibus si natura melius se habet, fit judicium de futura sanitate; si verò ingravescit, de morte proximè futura. Secus autem dicendum est de observatione dierum criticorum quoad hæreditatem adeundam, ut olim fiebat.

Porrò critici dies sumunt principium à primo die notabilis læsionis, vel ab ægritudinis puncto, à quo viginti quatuor horæ faciunt unum diem. At de numero dierum dissident aliquantulum Medici. Quæ in diebus paribus judicantur, sunt discreta apta conversioni; Quæ verò imparibus, contra. Initium morbi est insultus primus, huic cognitioni observatio horarum diei, & naturæ humorum opem fert perpulchram. Pituita ab hora noctis tertia, hoc est à nona post meridiem usque ad tertiam post mediam noctem viget, & phlegma stomacho innatur, somnumque conciliat. A tertia autem hora noctis usque ad nonam ante meridianam concoquitur sanguis, atque ab hepate elaboratur; unde mens, exorto sole, alacrior, sani, & ægri erectiores ob suavem effluxum, gratumque sanguinis habitum. Deinde ab hora nona antemeridiana usque ad horam tertiam post meridianam bilis flava suas vices obit, quo tempore naturæ vis secernit à sanguine choleram, eamque ad fellis folliculum dirigit; unde tunc temporis facilis ad choleram, & iram homo. At ab hora tertia usque ad nonam mediam noctis, bilis atra, seu succus melancholicus clavum in corpore regit, quo temporis curriculo, ut ait Soranus, hepar defæcatur, eluiturque à sordido excremento, idque natura spleni destinat; undè tunc mens hominis obnubilatur, & ex atra, densaque fuligine animus mœrore contrahitur.

Quibus notatis, observa, quatuor quadrantes fieri viginti quatuor horarum diei, & singulis humoribus distribui sex horas, in quibus singulis senariis nota principium incipiens, medium pro robore, & finem pro declinatione; cognosces insultus primos morbi, adnotatis naturis morborum, atque videbis plerumque morbos ex humoribus, si illi nuper mixti sint, incipere, & incrementum habere, ac intermitti cum tempore sui humoris. Sic febres continentes, & quæ ex sanguine ortum habent, mane hora tertia ingruunt. Tertianæ sub meridiem hora duodecima. Quartanæ hora tertia pomeridiana. Quotidianæ ex phlegmate, circa primas noctis excubias. Quod si humores redundent, aut inter se connexi, implicatique sint, ut fieri solet, non servant legitimum suum tempus, sed sunt insultus acriores, & productiores, & diuturniores.

In criticis itaque diebus à principio morbi, augumentum est dies tertius. Siquidem expleto duarum & septuaginta horarum curriculo, id est, tertio die humores sisti contingit, moverique desinunt, quod Luna eo temporis spatio unum Zodiaci signum peregerit, cujus vi humorum decursus in corporibus perficitur. Quamobrem quarta dies erit critica, indicativi septimi; quamvis aliquando, sed raro, ipsa sit critica, ut apud Avicennam. Synochus dicitur quarto die terminatus, unde critica, sed raro. Crisis septimi diei fortior erit crisi diei decimi quarti. Qui plura desideraverit, consulat Galeni libros de diebus decretoriis, & de crisibus, ac prognostica Hippocratis. Observatio igitur critica non est superstitiosa, sed naturalis.

Licita etiam est observatio dierum Lunæ pro rebus naturalibus asservandis, pro cedendis lignis, pro colligendis fructibus, pro sanguinis emissione. Id docet communis praxis, licet quoad venæ sectionem oppositum sentiat Torreblanca *d. cap.* 8. *à n.* 36.

Est etiam licita observatio dierum canicularium pro sanguinis detractione, sumptione medicinæ &c. Id etiam docet communis Medicorũ praxis. Incipiunt autem dies caniculares, secundum aliquos, pridie Idibus Julii, & occidunt, pridie Idibus Septembris. Secundùm verò alios incipiunt decimoquarto Kalendas Augusti, & sunt septuaginta duo: ut ait Sacerdotale Romanum *p.*3. *tract.*2. *cap.*4. Secundùm alios denique incipiunt decima septima Julii, & durant quadraginta diebus.

Observationem anni climacterici, ut sexagesimi tertii, esse superstitiosam, firmat Picus Mirandulanus *lib.* 6. *adversus Aristotelem cap. ult.*

At tenendum est, non esse superstitiosam, sed fundatam in ratione naturali. Nam habent in se vim immutandi

tandi corpus humanum, nisi impediantur ab aliqua causa. Quod probant fusè Arithmetici, Astrologi, Medici, & experimentum. Legatur Lupus *in edict. S. Offic. p. 3. lib. 15. dist. 6. art. 2. differentia* 1. & nota, quod climactericum tempus, hoc est, scalare, dubiosum dicitur. Quoniam Chaldæi Clymacteras appellant pericula vitæ, fortunarumque hominum, quæ fieri gravissima in septenariis dicuntur. Nam septimum quemque annum periculosum esse Censorinus autumat. Sunt igitur anni climacterici omnes, ac singuli septenarii. Nam in quolibet eorum natura mutationem in corpore humano facit, interdum ad morbum, quandoque ad sanitatem, pro cujusque corporis habitudine. Inter septenarios autem tres sunt præcipuè climacterici: quadragesimus nonus, quinquagesimus sextus, & sexagesimus tertius, qui omnium est maxime periculosus. Unde Augustus ad Caium nepotem ita scripsit: Nam ut vides, climactera, communem seniorum omnium tertium, & sexagesimum annum evasimus.

Mirum verò & in crescente, & stata, & decrescente ætate ferè pro septenariis sic variare corpus, quod pro planetarum septem dominio fieri putatur. Solon hanc diversitatem ostendit versibus suis, quorum sententiam sic expressit Censorinus de die nat. cap. 4. *Ferè post septimum quemque annum articulos quosdam, & in his aliquid novi natura offendit, ut & in elegia Solonis cognoscere datur. Ait enim, in prima hebdomada dentes homini cadere, in secunda pubem apparere, in tertia barbam nasci, in quarta vires, in quinta maturitatem ad stirpem relinquendam, in sexta cupiditatibus temperari, in septima prudentiam, linguamque consummari, in octava eadem manere, in qua alii dixerint, oculos albescere, in nona omnia fieri languidiora, in decima hominem fieri morti maturum.* Cumque natura, ut ex istis liquet, septenario quoque variet, tùm maximam, aiunt, fieri mutationem, ubi duplicato hoc numero, exacti sint anni septies septeni, hoc est, anno quinquagesimo, quando etiam mulierum ferè fæcunditas conquiescit, non quasi vis aliqua insit numeris, sed quia sic Deus fecerit naturam, ut pro certo temporum agat intervallo.

Quanquam verò Solon dicat pro septenariis tùm corpus, tùm animum mutari, aliorum tamen opinio est, septimo quolibet variare corpus, at nono quovis immutari animos nostros, atque hoc in novenariis fieri usquedum, & hoc numero duplicato, hoc est, novies novenis exactis, mens à se abeat; qui quadratus numerus, sed eo, quo interpretatur, modo potentissimus est in iis, in quibus animi potius quam corporis natura dominatur. Immò ferè, si Censorino credimus, cap. 15. *qui tales fuerunt non prius vita excedunt, quàm ad annum illum octogesimum & unum, in quo Plato finem vitæ, & legitimum esse existimavit, & habuit legitimum.* Ac propterea Platonem Magi, plusquam homines existimarunt. Unde Seneca Ep. 58. *Nam hoc scis puto, Platoni diligentiæ suæ beneficio contigisse, quod natali suo decesserit, & annum unum, atque octogesimum implevit sine ulla deductione. Ideo Magi, qui forte Athenis erant, immolaverunt defuncto, amplioris fuisse sortis, quam humanæ rati; quia consummasset perfectissimum numerum, quem novem novies multiplicata componunt.* Etiam, ut Censorinus ait, eo cap. 15. *hoc anno, & Dionysius Heracleotes, ut vita abiret cibo abstinuit, & contra Diogenes Cynicus cruditate in choleram solutus est. Eratosthenes quoque ille orbis terrarum mensor, & Xenocrates Platonicus, veteris Academiæ Princeps, ad eundem annum vixerunt.*

Quia verò, ut diximus, pro septenario quidem corpus, pro novenario autem variare animus existimatur, eò prior numerus sacratus est Apollini, qui corpori facit medicinam, at posterior Musis, quæ animos sanant, nàm animis Musicam mederi perturbatis, satis constat: Plutarch. *lib. 9. Sympofiacon. quæst.* 3. & Censorin. *cap.* 14.

Quod si septenarius, & novenarius concurrant, tùm animis, tùm corporis variare vis solet, minus tamen tam vehemens est corporis immutatio, quàm cum septimus est septenarius, minus etiam valide imperitur animus, quàm cùm nonus est novenarius, nempe potentius agere creditur natura in numeris quadratis, qualis non est, si septies novena, vel novies septena componas. Audiamus & de isto quoque differentem Censorinum: *Itaque primum climactera annum quadragesimum & nonum esse prodiderunt, ultimum autem octogesimum & unum, medium vero ex utroque permixtum anno tertio, & sexagesimo, quem vel hebdomades novem, vel septem enneades conficiunt. Hunc licet quidam periculosissimum dicant, quod ad corpus, & ad animum pertineat; ego tamen cæteris duco infirmiorem, nam utrumque quidem continet numerum, sed neutrum quadratum, & ut ab utroque non est alienus, ita in neutro potens, Nec multos sanè, quos vetustas claros nomine celebrat, hic annus absumpsit. Aristotelem Stagiritem reperio; sed hunc ferunt naturalem stomachi infirmitatem, crebrasque morbidi corporis offensiones adeò virtute animi sustentasse, ut magis mirum sit, ad annos sexaginta tres eum vitam protulisse, quàm ultra non protulisse.*

Sive autem is vere infirmior est climactericorum aliis, ut ait Censorinus, sive id scripsit, ut metum demeret Q. Cerellio eum extimescenti, nec is, nec clymactericus quisquam, nec mors ipsa formidini esse debet homini Christiano, nec est melioris vitæ initium. Quare si nondum eo perfectionis devenimus, ut cum Apostolo *cupiamus dissolvi, & esse cum Christo,* saltem voluntatem nostram subjiciamus divinæ, eò nos solantes, ut idem ait Apostolus ad Rom. cap. 14. vers. 18. *nemo nos separare possit à dilectione Christi, ac sive vivimus, sive morimur Domino sumus.*

Placet, juvatque huc adducere Caii Plinii festivam Epistolam, qua ille Calvisium suum filium de Marco Regulo Fabellis delectat, latenter tempora sua pulsans, quibus, ut etiam nostris mali multò majora quam boni præmia consequebantur Epistola est 20. lib. 2. *Assem para, & accipe, auream fabulam, fabulas immò, nam me priorum nova admonuit, nec refert, à qua potissimum incipiam. Verania Pisonis graviter jacebat (hujus dico Pisonis, quem Galba adoptavit) ad hanc Regulus venit, primum impudentiam hominis, cujus marito inimicissimus, ipsi invisissimus fuerat. Esto, si venit tantum; at ille etiam proximus thoro sedit quo die, qua horâ nata esset, interrogavit. Ubi audivit, componit vultum intendit oculos, movet labra, agitat digitos, computat, nihil, nisi ut diu miseram expectatione suspendat. Habes, inquit, climactericum tempus, sed evades, quod ut tibi magis liqueat, aruspicem consulam, quem sum frequenter expertus. Nec mora. Sacrificium facit, affirmat exta cum syderum significatione congruere. Illa, ut in periculo credula poscit codicillos, Legatum Regulo scribit, clamat: O hominem nequam, perfidum, ac plus etiam quam periturum, qui sibi per salutem filii sui pejerasset. Facit hoc Regulus non minus scelerate, quàm frequenter, quod iram Deorum, quos ille quotidie fallit in caput infelicis pueri detestatur Civitatem.* Et post alia sic suam Plinius concludit Epistolam: *Sed quid efficere contendo in ea Civitate, in qua jam pridem non minora præmia, immò majora, nequitia, & improbitas, quam pudor & virtus habent?*

Negant plerique apud Delrium, esse superstitiosum credere, ovum gallinaceum, ortum die Parascevæ, specialem vim habeat ad extinguendum ignem, si in eum injiciatur, existimantes, ovum, tali die genitum, hanc habere efficaciam.

At esse superstitiosum censeo cum Delrio *lib. 4. magic. p. 2. qu. 4. sect. 6.* Sanchez *in decal. lib. 2. cap. 40. num. 16.* Jamburin. *lib. pariter 2. in decal. cap. 6. §. 1. num. 27.* Nam si haberet hanc efficaciam, vel esset ex gallina, vel ex die, vel ex devotione. Non ex gallina, quia huic nullam specialem virtutem die Parasceve tribuit natura, cùm

cum dies ille sit à sua natura invariabilis, & ad unum determinatus. Non ex die quà Sanctus, quia si vis aliqua sanctitati diei adscribenda est, esset etiam adscribenda ovis omnibus ortis die natalis Domini, Resurrectionis, Pentecostes. Neque ex devotione aut fide agentis. Quia licet ista excuset à peccato, non potest tamen tribuere efficaciam id, quod ex se non habet.

Atque hujus diariæ superstitionis rei sunt ex Sanchez *eo nu.* 16. certis diebus olera Scopis tangentes, nè à ciniphibus, erucis, aut aliis insectis lædantur. Item nolentes die Veneris ungues præscindere, vel die Sabbati nere in honorem B. Virginis, cùm tamen alia servilia tunc exerceant. Item majorem vim tribuentes aquæ, quæ dominicis post quatuor tempora benedicitur, quàm benedictæ aliis dominicis, ad quosdam effectus.

Estque etiam superstitiosum, orationes sacras recitare, vel scriptas deferre, quibus à manuum violentia, vel ab aliis malis liberari, beneque fortunatos fore se credant. Deinde Lusores locum, seu chartas mutare, vel tantisper surgere ad malam ludi fortunam avertendam, gallinam gallorum more forte cantantem, uti infortunii portentum, occidere, aliaque similia, quamvis merè vana, & inutilia, nullamque graviorem superstitionem continentia. Quæ si certò credantur, vel si semper adhibeantur ad vitam dirigendam, cùm periculum subsit, nè dæmon se illis certò intermisceat, erunt mortalia, at si semel, aut iterum, non ita: Sanchez *d. lib.* 2. *cap.* 40. *n.* 21. Torrebl. *lib.* 9. *cap.* 2. *n.* 21. & Tamburin. *loc. cit. n.* 27.

Pactio illa, quam à nonnullis factam legimus, ut præmoriens superstiti apparere debeat, eumque de suo statu certiorem reddat, est illicita. Quia licet secundùm se considerata culpâ careat, tamen res est periculosa, & valdè obnoxia dæmonum præstigiis, ac illusionibus, & ideò hujusmodi promissio reprehenditur à Cirvelo *de superstit. p.* 3. *cap.* 11. Delrio *lib.* 2. *magic. q.* 26. *sect.* 7. Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 38. *nu.* 25. Fagundez *in* 1. *precept. decal. cap.* 36. *n.* 14. Tales enim apparitiones non sunt laudabiles, neque necessariæ. Constat ex Evangelio *Luc.* 16. *v.* 29. ubi diviti avaro cupienti, ut Lazarus post mortem fratribus suis appareret, respondit Abraham: Habent Moysem, & Prophetas, audiant eos. Quod perindè fuit, ac si diceret: sufficit illis doctrina Sacræ Scripturæ, nec petant apparitiones, in quibus plus periculi, quàm utilitatis esse potest. Hinc B. Ludgardis cū hujusmodi pactum inisset cum quadam moniali, subdidit, ante omnia dicendum, benedicite orationem Dominicam, orationem Angelicam pronunciandum, ut perjurium in Iunio. Sed Sancti præditi sunt dono discretionis Spirituum, & qua calliditate Satan valeat, agnoscunt.

Inter cæteras pactiones, & apparitiones hujusmodi, hæc celebris enarratur; Michael Mercatus senior cum Marsilio Ticino ingenii nobilissimi viro intima jungebatur amicitia, quam & paria Philosophiæ studia accendebant. Uterque horum Platonis scripta commeditatus, convenere inter se disceptarent: Quis hominis post mortem sit status. Quò anima migret? Quæ rerum facies in orbe altero? Atque hoc ex Platonis mente deducebant Christianis Oraculis confirmandum. Sermone inter differendum longius progresso, ad eam utrcque conventionem descendit, ut stipulatis dextris, alter alteri sanctè promitteret, ut qui prior naturæ concederet, superstitem de alterius vitæ ratione quàm fidelissimè, si liceret, annuente Deo, redderet certiorem. Hæc pactio, & juratum omninò in hæc verba. Post aliquantum temporis hi duo viri totis Urbibus disjuncti habitarunt. Cumque Michael Mercatus summo mane ad auroram Musis amicam Philosophiæ operaretur, equitem in proxima platea ad ædium suarum ostium concitato cursu properantem, simulque Marsilii succlamantem vocem audiit: O Michael, o Michael! vera sunt illa, vera, verissima. Michael ad notissimi amici voces excitus, mox à libris fenestram accurrit, ac prospicit, cernitque à tergo Marsilium equo niveo vehentem, jamque reflexo itinere abeuntem. Hinc celeri voce prosequutus, Marsili, Marsili, clamabat. Sed eques candidatus moram non ferens, oculis sese subduxit. Mercatus inopinato spectaculo attonitus, quid suo Marsilio evenisset, anxiè cœpit indagare. Demum intellexit, Marsilium Florentiæ ea ipsa hora obiisse, qua ad suas ædes visus à se, auditusque esset. Ab eo tempore Mercatus, quamvis jam antea vitæ integer, & commendatæ integritatis fuerit, Philosophiam nuncio remisso, res sibi suas haberi jussit, ipse in posterum solius Christianæ Philosophiæ leges sectaturus. Ita quod reliquum vitæ habuit, sibi jam, mundoque mortuus, ad futura se totum transtulit, æternitatem assiduè meditatus, juxta illud sponsæ de sponso suo in Cantico Canticor. *Læva ejus sub capite meo, & dextera ejus amplexatur me.* Non ignoro, quod hæreticis hoc, & hujusmodi alia fabulæ sunt. At ipsi post suum obitum hæc vera esse experientur. Quandoquidem in omnibus ferè minus valent præcepta, quàm experimenta.

Superstitiosi censendi sunt confratres S. Marci Evangelistæ Oppidi *de las Brozas*, qui in ejus festivitate à primis vesperis petunt agrum, & jubent tauro ferocissimo, ut deposita sævitia cum eis vadat, tantæque festivitati assistat; qui jussis ita obtemperat, ut pueri, ac fæminæ ejus cornibus serta florum suspendant: ut tradit Raph. de la Torre *tom.* 2. *de vitiis Relig. oppos. qu.* 96. *artic.* 4. *disp.* 1. Nulla enim est D. Marci cum cornuta bestia sympathia ex mystica quatuor animalium visione. Nec animalia sunt ulla ratione prædita, ut jussis valeant obtemperare, nec Deus ad has vanitates concurrit: Ideò superstitioni, & pacto id tribuendum est, ex D. Thoma 1. 2. *q.* 3. *art.* 3. Tolet. *lib.* 3. *de anim. q.* 7. Delrio *lib.* 2. *magic. q.* 10. Vasquez 1. 2. *disp.* 78. *cap.* 4. *nu.* 29. & Laurea *salam. certam.* 7. *cap.* 2. 3. & 4. Unde hos confratres, aliosque, qui tauros, aliave animalia in festivitatibus sanctorum è feris, & immanibus mitia reddunt, ut superstitiosos damnat Clemens VIII. literis suis datis Episcopo Civitatensi 10. Martii 1598. quas refert Joannes à S. Thoma 2. 2. & de Ensalm. *sect.* 2. *cap.* 2. *post n.* 13.

Quò vero ad milites S. Anselmi blasphemum in primis est, artem Divi Anselmi appellare illam vanam, & superstitiosam sanandi, ab Anselmo Parmensi confictam, qui fuit insignis magus, nec naturalis esse potest nec supernaturalis.

Non naturalis, quia omnibus conveniret, nec indigeret cæremoniis superstitiosis, quibus illi utuntur. Non supernaturalis. Quia supernaturalia, & divina non addiscuntur arte, neque ex voluntate hominum ab uno in alterum traducuntur. Refert Anania *lib.* 4. *de natur. dæmon.* hac arte sanati ab infirmitatibus, ac vulneribus, posteà gravissimis cruciatibus, ac morbis acrioribus vexantur, & plerumque curati, & curatores infæliciter vitam finiunt. Signum, quod arte dæmonis non sine præstigiis hæc magna ex parte aguntur. At de his alibi, ubi de Ensalmatoribus, ac de Ensalmis.

Superstitionem etiam committit, qui jumenta die S. Antonii Abbatis novies per ejus templum circumducit, aut venam eis aperit die alicujus Sancti, si animus illi est, adhibere hujusmodi circumstantias, tanquàm per se efficaces, ad sanitatem animalium obtinendam à Deo, non tamen si ut re magis excitet ad precandum propter diem Sancto illi dicatum, aut propter effectum specialem, quem ergà Sanctum habet, à quo auxilium, & incolumitatem rerum suarum expectat. Ita ex Valentia, Sayro, Delrio tradit Sanchez *lib.* 2. *in decal. d. cap.* 40. *n.* 31. Trullench. *lib.* 1. Item *in decal. cap.* 10. *dub.* 10. *nu.* 1. Tambur. *lib.* 2. *cap.* 6. §. 1. *nu.* 28. Fagundez *lib.* 1. *cap.* 37. *n.* 3.

Sic quoq; committit superstitionem, qui ex prima pecunia oblata crucifixoin die Parasceve conficit annulum ad

ad sanandum morbum contractionis membrorum, si certò existimet id evenire ex illo; secùs si id faciat propter Christi memoriam, expectando solùm ab eo sanitatem. Ità Cajetanus 2. 2. *q.* 96. *art.* 4. & *in sum. V. superstitio observationum*, ubi hæc: *Quarta superstitio est observationum in verbis, aut rebus sacris portandis, aut dicendis, utendis, adjunctis aliquibus conditionibus non malis, quarum ratio nescitur, ut patientes spasma nervorum primo Carolino oblato Christi cruci in Parasceves, utantur pro remedio, confecto ex illo annullo, & sic de similibus. Quantum enim apparet in hujusmodi rebus superstitio intervenit; quoniam vanæ conditiones apparent. Si tamen ex mera devotione fiunt, & non nisi à Deo intendant, & sperent effectum, putantes Deum inspirasse alicui Sancto Viro hujusmodi conditiones, non audeo damnare, sed tolerabile mihi videtur.* Quod etiam censet Sanchez *d.n.*31. qui ex Delrio advertit, doctrinam traditam àCajetano solum posse deservire ad excusandum eos,qui his rebus bona fide usi sunt; at petentibus consilium respondendum esse, id non licere sibi persuadere. Quia cùm lege ordinaria non sit solitus Deus hujusmodi conditiones, in quibus aliquid vanitatis apparet, Sanctis inspirare, temerarium est sibi quid hujusmodi persuadere. Sic etiam Fagundez *loc. cit. n.* 4. Trullench. *ibid. n.*7.

Id ipsum etiam dicendum est de eo, qui non vult in convivio, ad quod invitati sunt tredecim, accumbere, quia timet, unum ex convivis eo anno moriturum, si id firmiter credat; secus verò si aliquali credulitate, quodam levi timore ductus. Sic Tamburinus *lib.* 2. *in decal. cap.* 8. §. 1. *n.* 36. & 76. ubi hunc casum sibi perquàm venuste accidisse narrat his verbis: *Risi olim quoad hanc rem, & simul amicum sum collachrymatus. Cùm agerem Montis Regalis tredecim ex Canonicis invitati simul discubuere, ejusmodi superstitionem parvi facientes. Porrò die sequenti quidam ex Collegio Canonicorum, qui ad convivium invitatus non fuerat, obvius casu procedens, uni ex convivis dixit, fore ut unus ex ipsis tredecim eo anno moreretur; cui alter subridens respondit, potius fore ut ipse non invitatus è vivis desineret, quàm unus ex invitatis, adeò vanam eam observantiam se existimare. Hanc non insulsam responsionem mihi idem qui respondit cum risu narravit, & ego, fateor, illam cum plausu excepi, sed cum lachrymis non post multos dies amicum illum, qui convivio non interfuerat, è vita ab inexpectata sublatum febre sum prosequutus.*

At quid de Zauris? Asseverant multi Philosophi, Pindarus, aliique Poetæ, quod aliqui humori melancholico adscribunt, ac spirituum vehementiæ, istos non solùm fontes, & thesauros introspicere, sed & mortuorum corpora. Alii virtuti matrimonii id concedunt, ut Delrius. Sed Laurentius superstitiosum credit, cùm ad certum diem, scilicet Veneris tantùm introspiciant, vel feria tertia. Quod est signum fœderis latentis. Certè vana & superstitiosa hæc sunt. Vana, quia certum est, terram solidam esse,& opacam, ideoque incapacem, ut species transmittantur.Eoque magis quia dicitur,hujusmodi homines oculos habere rubeos, sive sanguineos, quæ est conditio potius diminuēs visus acumen.Et quia dicunt plerique illos aquas indagare à signis, ut ex vaporibus manè, ac vespere locis illis emanantibus aquas colligunt intra terram illam. Superstitio autem creditur, quia ad statos dies suam virtutem coarctant.

Superstitionem etiam committit, qui gladium, quo quis ab inimico vulneratur, vulnerariis medicaminibus curat,ut in salubritatem vulneratum in loco distanti jacentem brevissime restituat;vel applicando medicamentum particulis panni linei, sanguine vulnerati tinctis, cùm nihil naturale, nec divinum in eo effectu appareat. Bordon. *tom.*1. *cap.* 16. *n.*37. Tamburin. *loc.cit. num.*37. & 77. & antea Bonacin. *in decal. disp.* 3. *quæst.*5. *punct.* 4. *n.*17. & 18 ubi id latè probat Trullench. *ubi supra cap.*10. *dub.*10. *n.*10.Delrius *lib.* 3. *Magic. q.* 4. *sect.* 1. & Sanch. *d. cap.* 40. *n.* 44. Mazuchel. *disp.* 2. *de casib. Mediol. cap.* 10. *n.* 81. Naturalis enim modus medendi vulnera est, super ipsis vulneribus medicamentum applicare. Nam omne agens agit in passum sibi debitè approximatum. Cùm ergo talis modus medendi etiam in loco distanti, & ipsa celeritas sanationis sint nedum insolita, sed contra modum naturalem operandi, manifestè colligitur, ita medentes operari virtute dæmonis, qui ad applicationem medicamenti in loco distanti curat infirmum, sic decipiendo. Et ita fuisse conclusum in Pœnitentiaria Mediolanensi testatur Carena *p.*2. *de sortil. tit.* 12. §. 4. *n.* 29. quicquid inaniter contra effudit Petrus Servius *Libello de hac re edito, cui titulus de Unguento armario.*

Quare utens hoc medendi modo est denunciandus S. Officio, quia saltem est leviter suspectus, ex pacto tacito in ipso medendi modo cum dæmone. Dum enim effectus sanitatis naturaliter ab illo remedio pervenire non potest, sed solùm à dæmone, consequenter illo utens denunciandus est Tribunali Inquisitionis. Ita citati Doctores locis allegatis, & Petrus Navarra *lib.* 2. *cap.* 4. *p.*1. *n.* 215. Avila *p.* 2. *cap.* 5. *disp.* 4. & 5. & alii, quos citat Bonacina *ibidem n.* 19.

Non est superstitiosum credere, salivam hominis, omninò jejuni, mederi vulneribus, apostematibus &c. Quia naturalem vim ad hunc effectum habere constat experimento. Nam saliva hominis jejuni est melius digesta, & subtilior, quàm non jejuni, ut per Authores, quos sequitur Lupus *d.p.*3. *lib.*15. *dist.*2. *art.*2. *diff.*4.

Neque superstitiosum est credere, quod filum cannabinum netum à puella virgine, vim habeat ad aliquem morbum sanandum,si eo utens non utatur verbis, signis, aut vanis alligationibus, aut precibus. Nam si nuda planta mulieris vim habet, serpentem interimendi, eò solum, quod ejus caput vel leviter premat,ut ait Rupertus *lib.*1. *tom.*3. *de Trinit. cap.*2. cur non poterit virgo alicujus virtutis nobis ignotæ particeps esse, ut filo, quod suo sputo nendo imbibit, occultam vim ad aliquem morbum propellendum communicare? Testatur Plinius *lib.*28. *cap.* 4. quod Marcion Smyrnæus, qui de simplicibus effectibus scripsit, rumpi scolopendras marinas sputo tradit, item rubetas, aliasque ranas. Nec censetur superstitiosum credere,quod oliva plantata à muliere virgine, sive casta, efficiatur fructifera; secus verò si plantetur à corrupta: ut à Jacobo Sprengerio *in mal. malef. p.* 1. *q.* 1. ait Lupus *in d. p.* 3. *edict. Inquis. lib.* 15. *dist.* 4. *art.* 2. *diff.* 1.

Minus est superstitiosus mos ille Christianorum offerendi Deo, ac Sanctis anathemata, sive tabellas, ob acceptam gratiam, vel miraculum, aut evasionem naufragii, mortis, periculi: Licet enim ex vano ac superstitioso usu Gentilium erga Deos suos introductus sit, tamen in Sacra Scriptura legitur approbatus 1. *Reg.* 6. confirmavitque exemplo Judith offerentis conopæum, quod ipsa substulerat è cubili Holofernis in anathema oblivionis. Anathema enim dicebatur, quod ad rei memoriam suspendebatur, vel consecrabatur: ut notat Suarez *de censur. disp.* 8. *sect.* 2. *nu.* 4. & Navar. *in extravag. de dat. & accept. n.* 10.

Est mortaliter superstitiosus, qui ex eo, quod audit garrire aves, ululare lupos, latrare canes, mugire boves, &c. certo credit, sibi mali aliquid imminere; secus si ductus aliquibus eventibus leviter timeat, aut formidet. Ita colligitur ex *can. illos.* 26. *nu.* 2. Et docet Navar. *in man. cap.* 11. *num.*37. ac Torreblanc. *lib.* 9. *jur. spirit. cap.* 5. *nu.* 15. ubi alias adducens superstitiones, sic ait; *sunt alia vana* observationum superstitionis notæ, ut quæ crines pectinando evulsos, non nisi ter consputos abjiciunt, si ova comederint, eorum testas non nisi ter cultro perfossas in catinum projiciunt, timentes utrumque neglectum veneficii nocendi occasionem præbere servatum, præcludere nocendi potestatem: ut tradit Delrius *lib.*6.*magic.cap.*2.*sect.*1. *q.* 1. Qui cum vident noctuam volantem circa alicujus ædes, vel au-

diunt

diunt obstrepentem, vel canem ululantem, mortem prædicunt imminere. Aut si alicui iter facienti obviam venit lupus, mali aliquid obstare ominantur: ut tradit Petrus Binsfeldius *in confes. malef. prælud. fin.*

Idemq; Navarrus *loc. cit. nu.* 38. hæc scribit: *Qui observat illum diem potiùs quàm illum ad exeundum domo, vel ad iter agendum, vel quo pede statim à somno terram contingat, vel quem pedem primum calcet, vel quod domo egrediens in limine impingat, & ob id retrocedit; vel quia simul atque excitatur à somno, statim sternutavit, & obid in lectum revertitur. Qui has, & similes vanitates observant, utplurimùm venialiter peccant; antequam à suis Curatis, vel Concionatoribus, vel Confessarijs admoneantur, post admonitionem autem secundum* B. Antoninum 2. *p. tit.* 12. *jam mortalia crimina judicantur.* Quod intelligendum est, si hæc omnia certò, ac infallibiliter credant, non autem si levi timore ducti contrarium opinentur.

Et generatim de hac divinatione, quæ ex superstitiosis, & vanis quibusdam observationibus sumitur, scire convenit cum Azorio *lib. 9. cap.* 22. *p.* 1. quemadmodum omnia sunt fortuita dicta, vel facta hominum, quorum observatione quis futura divinat, sic superstitiones dicuntur fortuiti aliarum rerum eventus, ex quorum notatione quis læta, vel tristia sibi vel alteri omnia eventura certò conjectat. Exemplum ponit: Si quispiam summo mane domo egressus canem, aut felem offendat, funus, sepulchrum, aut crucem videat, divinat, sibi eo die, sic, vel aliter cuncta eventura, vana est hæc divinatio, ex inani, & superstitiosa observatione ducta.

Alij venatum ituri, si primo mane pedem in limine offenderint, aut eorum vestis deciderit, vel fuerit tacta à foricibus, aut lacinia valvis adhæserit, putant, & certum apud se constituunt, nihil sibi prosperè, ac feliciter eo die eventurum. Si cùm primùm domum exierint, sternutaverint, si corrigiam abruperint, si in porta caput offenderint, si corruerint, infausti ominis esse arbitrantur.

Putant nonnulli, certorum animalium occursu prosperos rerum eventus præsignificari, aliorum verò animantium, adversos. Certos itidem hebdomadæ dies esse sibi faustos, alios infaustos.

Hæc omnia ex varia Gentilium observatione initium duxerunt. Tiberius Gracchus quo die civili seditione oppressus est, domo egrediens, ita pede limen offendit, ut non parva vis sanguinis effluxerit. Plutarch. in *Tiberio Graccho.* & Valerius *lib.* 4. *cap.* 4. Neroni in expeditionem Alexandrinam profecturo, lacinia surgenti adhæsit. Sueton. *in vita ipsius. cap.* 19. Crassus contra Parthos profecturus in aciem, ita pedem offendit, ut humi prostratus conciderit, qui deinde in bello cæsus occubuit. Plutarch. *i Crasso, Bruto, & Cassio* prodituris in aciem, obvium Æthiopem calamitatem præsignificasse vulgò creditum est. Sabellic. *Ennead.* 6. *lib.* 8. Hadrianus Cæsar ex Mauri occursu futuram sibi mortem suspicatus esse perhibetur: Sabell. *Ennead.* 5. *lib.* 5. Annibali ex Italia Africam petenti, sepulchrum dirutum in via, omen ingessit infaustum.

Hæc, & his proxima superstitiosa, & vana sunt, & ut dixi, à Gentilibus accepta, quæ cùm aliquando experirentur certis quibusdam rerum eventibus lætum, vel triste sibi aliquid accidisset in eis aliquid divinitatis contineri censuerunt, ac deinde. Dæmon sese in illis rerum casibus immiscebat, ut sic Gentes delusæ tenerentur. Caius Flaminius cùm apud Lacum Trasimenum cum Annibale pugnaturus convelli signa jussisset. Lapso equo super caput ejus, humi prostratus est, nihilque eo prodigio inhibitus, signiferis signa moveri sua sede posse negantibus, malum, in ea continuò effudisset minatus est; & deindè ipse in bello occubuit, & in ea acie quindecim millia Romanorum cæsa, sex millia capta, viginti millia fugata sunt. Hæc Valerius *lib.* 1. *cap.* 6. Livius *lib.* 2. *belli. Punici.* Vulpem in via occurrentem, signum mali ominis putabant: sic etiam canis prægnans si occurreret, credebant infaustum omen. Porcus, aut mustella à sinistra veniens infœlicis ominis erat. Si quid item mures corroserant, tristia prænunciare creditum est. Quæ quidem omnia, ut vana, damnantur *in Can. Illud.* 26. *qu.* 2. ex Augustino.

Negari tamen non potest, aliqua dicta, vel facta in sacris scripturis fuisse, quæ rerum consequentium eventum, non ab humano, sed à divino impulsu profecta, significaverint: ut Gedeon. *Judic.* 7. ex eo, quod audivit narrationem ac interpretationem cujusdam somnij, omen captavit: & servus Abrahæ *Genes.* 24. omine etiam usus legitur. Et Jonathas Sauli filius. 1. *Reg.* 14. omen etiam observavit. Præterea narrat Paulinus *in vita Ambrosij*, Probum Judicem, cum Ambrosium ad Liguriam, & Æmiliam gubernandas misisset, ei dixisse, vade, & fac, non ut Judæus, sed ut Episcopus; & postea Mediolanensis Ecclesia eum in Episcopum elegit. Et ipse Ambrosius adhuc adolescens, cum sorori osculandam manum dedisset, ludens dixit, se futurum Episcopum, & ita fuit.

Superstitiosas, ac reprobandas esse illas orationes, in quibus à Christo, vel ab eius matre quis petit, ut sibi in mortis articulo appareat, censet Cirvelo *de superstit. par.* 3. *cap.* 11. Quia, inquit, magna præsumptio est, velle quempiam, ut Christus Dominus, ejusve sanctissima Mater ei appareant. Deindè quia diabolus facilè se in Angelum lucis transformat, & eum sub specie Christi, aut ejus Matris potest eludere; permittente id Deo in pœnam illius fiduciæ, & postulationis.

At ego censeo, hujusmodi orationes nec superstitiosas esse, neque reprobandas, tùm exemplo, tùm ratione. Extant enim innumera ferè exempla, etiam sanctorum, qui id à Christo ejusque Matre petierint, & exauditi fuerint. Sic rogatus apparuit S. S. Adhelardo, Alferio, Alquirino, Antonio Patavino, Bavoni, Claræ à Montefalco, Clementi Ancirano, Coletæ, Edmundo, aliis. Sic etiam rogata apparuit B. Virgo Annoni, Bonito, Reginaldo, Petro Faverio, apud Severanum *de pretios. mort. inst. & in Libello precum B. Virginis edito Bononiæ, recognito ab Archiepiscopo, & à Vicario S. Officij Bononiensi typis Josephi longi sub anno* 1673. *pag.* 131. præ cæteris hæc leguntur: *Eia pia Mater, dirige, & serva me materna benignitate cunctis diebus vitæ meæ, atque in extremo spiritu constitutum misericorditer protege, ne maligni spiritus possint nocere animæ meæ, ac salutem meam impedire. Exhibe mihi tunc jucundissimam præsentiam tuam, & roseo, rutilantique vultu tuo, ac blandis oculis tuis solare dolores, & gemitus meos. Dic tunc animæ meæ: Ego Mater Dei quam dilexisti, & in qua sperasti, loquor pro te, noli timere. Domina, redde me tunc certum de cælesti beatitudine, ut in sancta confidentia vitam hanc finiam, & te duce perveniam ad vitam æternam, Amen.* Qui enim Christum peramat eumdem cum Bernardo ita implorat.

In tremenda mortis hora,
Veni Jesu absque mora.
Cùm me jubes emigrare,
Jesu chare tunc appare.

Quis tot Sanctos, Ordinarium, & Inquisitorem superstitiosos esse dixerit, quòd ità rogaverint, quod id approbaverint?

Ratione etiam id comprobatur. Quia qui sic orat id temerè non vult, sed orationibus humiliter petit, atque adeò non est præsumptio, sed humilis oratio. Deinde si id esset superstitiosum, cur Christus, & B. Virgo rogantibus apparuerint. Non enim exaudiunt superstitiosos, nec permittunt, ut sic orantes decipiantur à dæmone sub specie Christi, aut ejus Matris, quia non

non vanè, aut temerè confidunt suis meritis, & postulationibus, sed misericordiæ pietati, ac benignitati Christi, ac Virginis. Postremò, quia id, quod petunt est licitum. Non est igitur superstitiosum, atque adeò nec reprobandum.

Illud autem non improbo cum eodem Cervelo *cit. cap. II.* nimirum esse superstitiosas eas orationes, in quarum titulis determinatur numerus dierum, in quibus dicendæ sunt, ad obtinendum à Deo gratias in eis contentas. Quod etiam censet Fagundez *lib.* 1. *in decal. cap.* 35. *num.* 17.

Superstitiosum itidem est, certis verbis pecus incantare, nè à lupis lædatur. Undè cum Fagundez *lib.* 1. *in decal. cap.* 37. *num.* 7. non approbo morem usitatissimum, qui apud rusticos Lusitanos propè Montem stellæ percrebuit, & indè per circumvicinas illas regiones derivatus est. Hi enim in custodiendo suo pecore certis verbis utuntur, quibus à luporum rabie tutum credunt, & nullo custode relinquant; quod illi, pecus amentare vocant, & asserunt, experientia compertum esse, nihil unquàm mali à lupis accepisse pecus illud, quod prædictis verbis fuit amentatum, quamvis lupi illud circumstent. Ego potius dicerem pecus incantare. Hoc ènim esse non potest, nisi ex vi alicujus pacti cum dæmone, qui certis, ac determinatis verbis est obligatus. Evidens enim est, verba illa non posse esse causam naturalem talis effectus, ac subinde esse certa signa alicujus pacti. Sicut enim serpentes pacto Dæmonis certis verbis incantantur: ut patet *ex psalm.* 57. sicut aspidis surdæ obturantis aures suas, quæ non exaudit vocem incantantium, de quo mox. Ità & oves certa verborum prolatione ex eodem pacto censendæ sunt incantari, ne luporum morsibus pareant, aut potiùs lupi, nè eos invadant.

Hùc refero, qui res vim humanæ potestatis exuperantes agunt verbis, aut characteribus quibusdam ignotis, quibus fortasse dæmonum nomina, & eorum invocationem signavere illi, qui primi iis ex pacto cum Dæmone usi sunt. Hujusmodi quidem opinionem non immeritò injecerit, quod majorem tribuant vim vocibus, barbaris nec intellectis, quàm ijs, quæ intelliguntur, ut etiam legas apud Joannem Picum in suis Positionibus. Atque ut nihil ejusmodi foret, quale metuimus, saltem verba etiam cognita, nec in se mala, sacramentum sint demonis ex tacito pacto concurrentis, quoties adhibentur ad ea præstanda, quæ nequit potestas humana.

Vel meræ nugæ, vel hujus generis sunt, quæ his verbis Plinius tradidit *lib.* 28. *cap.* 1. Dixit Homerus, profluvium sanguinis vulneratæ fœminæ, Ulissem inhibuisse carmine; Theophrastus ischiadicos sanari; Cato prodidit, luxatis membris carmen auxiliari, M. Varro podagris.

Huc etiam pertinent versus Unliciani, Comitis archiatrorum ad Valerianum Imperatorem apud Marcel. Empir.

Gramine, seu malis ægro præstare salutem,
Carmine seù potius. Nanquè est res certa saluti
Carmen ab occultis tribuens miracula rebus.

Habemus & magicas medendi formulas apud Cœlium Aurelianum *in chronicis cap.* 1. Myrepsum *sect. II. antidot.* 298. 405. 419. *& alibi.* Et apud alios, è quibus unum contentus ero referre Quintum Serenum Sammonicum junioris Gordiani præceptorem. Jubet ille ad sanandum hemitritæum, hoc est, semitertianam febrim *in medic. cap.* 51. chartam lino includere, cui inscriptum sit *Abracadabra*, inde eam de collo suspendere, ac quot diebus ordine retrogrado literam demere. Planè hæc à Magis profecta, quos & hæretici in multis olim sequuti. Immò vix dubito, quin illud *Abracadabra* indè fuerit, unde Basilides hauserat suum *Abraxas*, quem pro Numine summo coluit, nomine prorsùs fictitio, sed quod literis contineret numerum dierum, quos annus habet absolutus. Undè & D. Hieronymi opinio erat, *Abraxas* esse non alium, quàm Persarum Mithram, hoc est, solem, qui annuo cursu hoc spatium conficit. De Basilidis hoc numine, sive eo dæmoniorum principem, sive Solem, sive utrumque significarit. Vide Irenæum *lib.* 1. *cap.* 23. Tertullianum de *præscript. cap.* 46. Epiphanium *hæres.* 24. Hieronymum adversus Luciferum, *& lib.* 1 *in Amos.* Item Augustinum, Theodoretum, & Damascenum, in ijs, quæ de hæreticis tradiderunt.

Qui ista dæmonum commercio fieri negant, hi Avicennam in eo, & alios Arabes sequentes, magica omnia naturali ratione, arteque tantummodò humana fieri arbitrantur, eoque negant, sapientis esse ad illa recurrere, quæ utrùm sint, nondum conveniat, præsertim cum abundè ratio eorum reddi possit ex ijs, quæ humanæ sint potestatis, idquè partim per imaginationem, partim per verba & characteres. Quippè imaginationis vim satis relucere ex prægnantibus, & melancholicis. Etiam medicos, qui nihil efficaciæ ponerent in verbis, dum miram verborum, signorumque vim esse persuadeant ægris, imaginatione tali sepè ægros valetudini suæ restituisse. Atque hoc movisse Philippum Aureolum, sive Bombastum Paracelsum malis dicere *lib. de morbo caduco*, ut in morbis, quos quis à Magis immissos imaginetur, ad Sagas, Zigineos jubeat accedere, nec promittere dubiter, si remedia, quæ docuerint, cum vehementi imaginatione adhibeantur, fore, ut morbis fœliciter medeantur.

Jam ad vim imaginationis hic alterum accedere, quia spiritibus, ac humoribus ab ea commotis, vis inde exeat in verba, & characteres, quam etiam muta intelligant animantia. Quandoquidem aspis, conspecto eo, qui volet incantare, nè exaudiat, aures suas obturet, atquè ita carmen reddat inefficax. Hoc ipsum Regium Latem testari *psalmo* 57. *sivè juxtà Hebræos* 58. *num.* 5.

Singulis istorum occuram. Ac primùm non diffiteor, magnam esse imaginativæ vim, sed in immediatè conjuncta. Cujus generis etiam est, si æger, melancholicus, aut simplex à Medico nullam verborum vim credente, gnaro intereà, quantum possit imaginatio, de mirifica verborum virtute persuasus, valetudinem suam recuperet. Quanquam non existimem pij, ac prudentis medici esse, sic ægri credulitati illudere cùm ea res superstitionis periculo non careat. At intereà quid ista ad vim verborum, & characterum comprobandam? Quæ cum extrà hominem sint, quo pacto, quæso, adstruent ad ea se vim diffundere imaginativæ?

Planè, inquiunt, quia imaginatio turbat spiritus, & humores, posteaque inde vis prodit in verba, & characteres, posteaque non aliter ac ex invidorum oculis vehementi imaginationem venenatus exit radius, qui rem inficiat, quod fascinum vocamus; quo pacto item mulieres pleræque, menstruis laborantes, speculum noxio inficiunt vapore. Sed halitu, aut vapore posse multa infici, non dubito; at quòd propterea omnem fascini vim in imaginatione, ac spiritu oculis exeunte ponant, difficultèr persuadent. Magis placet sententia eorum, qui, ut non negant, posse spiritum noxium ex maleficorum oculis prodire, ità hic neutiquam subsistunt; sed utcumque hoc sit, in vero fascino principem vim dæmoni attribuunt. Quæ & sententia est Ludovici Vairi *in* 2. *de fascino, cap. ult.* ubi fascinum definit, perniciosam qualitatem dæmonum arte illatam, ob tacitum, vel expressum pactum cum eisdem dæmonibus firmatum. At de hoc alibi fusiùs. Tantùm quæro, quid simile sit inter corpora nuturalia, & ver-

& verba, ac caracteres? Corporibus per contactum mediatum, sive immediatum vim aliquam nunc utilem nunc noxiam imprimi posse, non negamus sed, quantò alia ratio in verbis, & characteribus? Quorum denominatio est ab re externa, ut magnam quidem vim habeant eorum sensus, quemadmodum in facundo elucet oratore, ipsa verò per se vim obtineant nullam, quippè quæ non naturâ significent, sed positione, sivè ex instituto: ut est apud Aristotelem initio de interpretatione. Aliter si esset, verba eadem idem apud omnes valerent, cùm contrà videamus, vocem eamdem huic genti illud, alij allud atquè aliud, denotare. Sed his dejecti, tandem velut Gorgonis caput, obtendant nobis locum divini Psaltis *loco citato*, qui illud dicere videtur, tantam esse carminis vim, ut illam etiam aspides extimescant. Et videtur hæc etiam sententia esse Augustini, Cassiodori, atquè aliorum. Quorum maior ex parte apud me foret autoritas, si quis eorum ad hanc ijs interpretationem præisset, qui ex professo id egissent, ut naturæ arcana scrutarentur. Nunc apud eos universos altum de re adeò miranda silentium est. Et id credo, impulit Grevinum, ut *in primo de venenis* sic scriberet, *Huic difficulter fides haberi potest, neque tamen prorsus abroganda, cum fieri possit, ut poetico more loquutus fuerit.* Sanè poeticum opus est, unde is locus promitur, eoque verisimilius est, Davidem obturationem aurium non propriè intelligere, sed metaphysicè signare; quòd sic agat aspis, quasi contemnat carmen, planequè ad illud obsurduerit. Sententia igitur Davidis ea fuerit: Tantum esse suorum hostium furorem, ut non magis possit mitigari, quàm moveatur aspis incantantis carmine. Nam æquè surdos esse hostes suos, ac surda est aspis ad tale hominis carmen. Quomodò & Hierem. 8. legas: *Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos.* Summum igitur hinc consequitur, solere a Magis carmen *occentari* serpentibus, sed, ut puto, nunquàm indè evincent, aliquam esse ejus carminis vim. Et hoc pro versutia sua scire serpentes, eoque callidè aures obturare, nè audiant. Quamobrem sic colligo, nullam ex se esse carminum efficaciam, nec qui ijs se morbos pellere profitentur, id tàm carminis, quàm dæmonis opera ac vi efficere.

Ad eamdem cum dæmone societatem refero præstigiatores, non eos quidem qui sola manuum agilitate, vel ingenioso quopiam dolo offucias faciunt, sed qui res agant, quæ arte vel opera humana præstari minimè possint. Ut cum Triscalanus ille Cænomannus præsente Carolo nono Galliarum Rege, ex torque aureo ... à se longiùs remoti annulos pelliceret singulos, & advolantes sua recipere manu, prout saltem videbantur, ac torquis nihilominus salvus, & integer reperiretur. Ad cujus rei conspectum sic Rex exhorruit, ut hominem abire jusserit, nec passus eum sit in conspectum suum ampliùs prodire; immò pro grandi præmio, quod expectabat, judicio sit traditus, spe tamen veniæ, si conscios magiæ proderet. Narrant eam rem Bodinus *dæmonolatr. lib. 3. cap. 3. Delrius lib. 1. Magic. capit. 4.* Ragusejus *de divinat. lib. 2. Epist. 6.*

Nequè iam laboro, verène fiant, quæ fieri putantur, an sensui, & phantasiæ illudatur. Utrunque quidem concurrere existimo, ac sic, ut censeam, persuadent antiquorum temporum exempla, omnium gentium consensus, ac nostræ etiam ætatis experientia. Alia igitur fiunt, alia fieri videntur, & ob ea, quæ fieri constat, etiam similia à multis creduntur, quæ non fiunt, sed videntur. De quo alibi. Interea sufficit nunc nobis, quòd ut multa eorum, seu ea facta, seu ficta sic videantur, non aliter fieri potuerint, quàm ope dæmoniaca, quæ eò hominem perducit, ut fiduciam reponat, non in eo, qui creavit, sed rebus creatis, immò jurato Dei hoste, & nostro etiam planè inimico, juxta illud Genes. 3. num. 15. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius.* Ut satis mirari non possim, tantam fuisse superioribus sæculis cæcitatem, atque insicitiam, ut Salmanticæ & illa Magia, quam dicunt Theurgicam, & altera, quam Goetiam nominant, scholis publicis doceretur: quemadmodum *lib. 3. de nat. dæmon.* tradit Anan. & Ragusejus *cit. ep. 6.*

Non est autem superstitiosum, adhibere virgam saliceam, vel amigdalinam ad inveniendum aquas sub terra latentes. Quia hic effectus ex viribus naturæ produci potest, in distantia tamen proportionata, ob qualitates ab aqua in virgam, vel à virga in aquam transmissas, vel ob sympathiam virgæ delatæ ab homine, talem corporis constitutionem habente. Quod sequitur Bonacina *d. disp. 8. q. 5. pun. 4. nu.* 14. & Trullench. *d. cap.* 10. *num. 9.*

Est autem superstitiosum credere, quod ille, coram quo ignis cinere tegitur, uxorem illo anno minimè sit ducturus. Nam hæc actio nec naturaliter, neque moraliter ullam vim habet ad hunc effectum: ut per *Lup. d. lib. 5. dist. 3. art. 1. diff. 5.* qui tamen addit, non esse omninò damnandum, qui excusaret dictam propositionem, si sumatur non literaliter, sed prorsus metaphysicè, & tanquam signum; quia cum calidiores natura, & alacriores spiritu, ut plurimùm conjugium petant, & è contrà frigidiores, & melancholici ad matrimonium non sint tam propensi, deducitur, eos, si tamdiu morentur apud ignem, ut expectent etiam illum coram se cineribus operiri, frigidos, & pigros existere; indè perbellè dici potest, uxorem non esse ducturos, dum manent sub dictis qualitatibus.

Censent plerique Doctores, esse superstitiosos illos, qui suo contactu, vel halitu, vel orationibus morbos etiam insanabiles, veluti canis rabidi morsum, miro modo sanant. Ji salutatores vulgò appellantur. Quia neque ex virtute naturali, nequè ex supernaturali morbis medentur; igitur ex virtute dæmonis. Non ex virtute naturali quia solùm suo halitu, vel contactu, adjunctis aliquando quibusdam precibus, morbos immedicabiles sanant, sanguinem detinent, canes rabidos interficiunt, ab illorum morsu curant, pedibus ignem illæsi conculcant, aliaque hujusmodi faciunt, quæ causarum naturalium virtutem excedere videntur. Neque ex virtute supernaturali: Nam hæc gratiarum, quas Theologi gratis datas vocant, operatio, est tantùm fluxa in flagitiosis hominibus, solùmque permanens in sanctis viris. Hi autem salutatores non fluxam habent hanc gratiam, & magna ex parte sunt improbæ vitæ, nequè ob alium finem medentur, nisi ob quæstum. Unde Victoria *de Magia q. 4. num. 16. ad* 2. ingenuè fatetur, se multum timere, hos nullam vim habere ad sanandum rabiem ex canis morsu, & si quam habent, eam esse à dæmone. Idipsum etiam ait Fagundez *lib. 1. cap. 36. num. 5.* qui citat Sanchez *lib. 2. in decal. cap. 40. num. 39.* & Suarez *lib. 2. de relig. cap. 15. num.* 25. At inibi hi Autores non loquuntur de Salutatoribus, sed de Carminatricibus, de quibus infra.

Negant alij, hos esse superstitiosos, sed licitam esse, inquiunt, eorum curationem, ideoquè approbandam. Ità Navar. *in sum. cap.* 11. *num.* 36. Margar. *confess. quæst. moral. fol.* 185. Castaneg. *lib. de superstit. cap.* 12. Palat. *in sum.* 12. *Incantationes.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 35. *qu.* 2. Tambur. *lib.* 12. *in decal. cap.* 6. §. 1. *num.* 30. Verricel. *quæst. mor. tr.* 8. *qu.* 37. *numer.* 18. *Trullench. lib.* 1. *in Decal. cap.* 10. *dub.* 10 *nu.* 10. Tum quia nonnulli ex his Salutatoribus permittuntur ab Ecclesia; Tum quia possunt his morbis mederi ex gratia gratis data à Deo: Et tum quia nulla sufficienti ratione

ti ratione probari potest eorum officium esse superstitiosum, nisi ex adjunctis circumstantiis id appareat: ut per Delben. *de St. Offic. pag. 2. dub. 228. integra sect.* 16.

Et quidem non esse censendos superstitiosos, si verba, aut signa, quibus utuntur, vana, & superstitiosa non sint, ac ipsi sanitatis effectores honeste vivant. Ea autem verba, & signa existimanda sunt vana, quæ neque ad Deum, neque ad Sanctos diriguntur, neque ullam cum effectu connexionem habent. Atque ità ex Sanchez, & Suarez docet Castropal. *tom. 3. tr. de superstit. disp.* 1. *pun.* 10. *à num.* 14.

Committunt verò gravem superstitionem, qui talibus signis, ac verbis ad curandum morbos ità utuntur, ut credant, quod à quocunque usurpentur, effectum sint habitura. Nam cum hæc virtus illis signis, ac verbis non sit naturaliter annexa, sequitur, ut vel à Deo vel à dæmone annexa sit. Non autem est annexa à Deo, aliàs essent verba sacramentalia. Necessariò igitur est à dæmone, ut per Suarez, quem sequitur Sanchez *d. cap.* 40. *num.* 47. Lessium *lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 10. *num.* 63. & Castropal. *d. num.* 14.

Et re ipsa dantur multa indicia, quibus dignoscitur, hos Salutatores virtute dæmonis operari, ut si ad curationem usurpent verba sacræ Scripturæ in sensu improprio aut falso.

Si affirment, quod in alterius Salutatoris præsentia majori virtute ad sanandum præcellentis, se nihil posse operari. Quod falsum est, cum unius Salutatoris virtuti, aut gratiæ nihil obstet alterius præsentia.

Si asserant, se alteri posse communicare virtutem medendi. Nam hæc virtus, sive sit naturalis, sive supernaturalis, personæ adhæret.

Si dicant, se posse ingredi in fornacem ardentem. Hoc enim naturaliter fieri nequit, nec talis miraculi ulla est necessitas inter fideles.

Si jactent se, suo halitu, vel tactu, suaque insufflatione, aut salivâ posse interficere venenatos, vel morti proximos. Nam ijs mortem accelerare, tametsi bono fine fiat, est intrinsecè malum. Qua de re Sanchez *ibidem num.* 47. sic ait: Tandem solent Salutatores suo flatu, ac saliva interimere rabie vexatos, ac moribundos, ne diu crucientur, aliisve noceant. Quod nulla ratione potest esse licitum, cùm intrinsecè malum sit accelerare mortem innocenti. Nec ea gratia potest esse gratis data, cùm illam non conferat Deus ad peccandum. Nec video, qualiter possit esse virtus naturalis, & ideò maxima suspicio est concursûs dæmonis ad eum effectum. Hæc Sanchez, & ex eo Castropal. *num.* 1. & Trullench. *num.* 10.

Non esse autem superstitiosum credere, hanc medendi virtutem inesse septimo cuique Salutatorum filio, si masculinum ordinem fœmineus partus non interruperit, asserunt Verricel. *In quæst. moral. tr.* 8. *miscel. qu.* 37. *nu.* 2. additque exemplum; nam sic masculus septimo loco continuato ordine natus strumas suo contactu curare, passim putatur. Quod comprobat Henricus Romanus *lib. de miracul. vivor. seu de varia natura fol.* 219.

At esse vanam hujusmodi credulitatem censeo cum Sanchez *loc. cit. n.* 47. ubi ait, hunc loquendi modum, aut cogitandi, esse ridiculum, ac prorsus sine fundamento. Ac ita etiam Trullench. *d. cap.* 16. *dub.* 10. *num.* 10.

Sunt, qui arbitrantur, virtutem hujusmodi Salutatorum esse naturalem ex corporis constitutione, vel ex syderibus. Primùm quia pluribus Ethnicis data est virtus medendi quibusdam morbis tactu, verbis, aspectu, odore, saliva, sudore, halitu. Itaque non est supernaturalis. Dedecet enim hanc virtutem, si supernaturalis sit, hisce hominibus concedi.

Et, quod mireris, nihil æquè ostendit, quàm curæ fuerimus Deo, quàm quòd hominibus venenum insit contra serpentium venena. Sanè urina ictorum ab aspide remedio est ictis ab ea. Plinius lib. 29. cap. 4. *Cunctarer in proferendo ex his remedio, nisi Marcum Varronem scirem, octuagesimo vitæ anno prodidisse, aspidum ictus efficacissimè curari haustâ a percussis ipsorum urina.* Neque solum contra aspides præsidium habemus iam morsi, sed etiam priùs, nec modò adversus aspides, sed alios etiam serpentes. Hoc Aristoteli traditum lib. 8. hist. animal. cap. 29. *Adversatur, & plurimis eorum hominum saliva.* Plurimis, ait, non quia non verum sit in cunctis, sed quia nondum de omnibus constaret. Utcunque hoc est, saltem omnibus id præsidij datum. Plinius lib. 7. cap. 2. *Et tamen omnibus contrà serpentes inesse venenum, feruntque ictu salivæ, ut ferventis aquæ contactu, fugere.* Hanc Salivæ vim agnoscit quoquè Galenus *lib.* 10. *simplic.* & Scaliger *in Aristot. histor. animal. lib.* 2. *cap.* 18. *sect.* 123. Sed in primis intelligenda illa hominis jejuni, quæ si in serpentem ceciderit, fugere iam dixi, velut ad contactum aquæ ferventis. Quod si in ictum ejus incidat, etiam mori, ab Ophilio traditum est, indeque Plinio *lib.* 28. *cap.* 4. ac similiter Lucretius *in* 4. *versic.* 639.

Etiam morsus à serpente, si confestim salivam illeveris vulneri, cohibebis venenum, nec ultra se diffundet. Hoc remedio etiam uti solent Ophiogenes in Hellesponto circa Parium, de quibus Varro, Plinio teste, *lib.* 7. *cap.* 1. scripsit suo etiam tempore fuisse istic paucos eorum, *quorum saliva contra ictus serpentum medeantur.* Ac colligo indè, saliva priùs imbuere manus solere, quandò, ut ibidem ex Cratete Pergameno refertur, *serpentum ictus contactu levare solent, & manu imposita venena extrahere corpori.* Facilè etiam mihi persuadeo, hoc remedio usos fuisse Psyllos, & Marsios, de quibus sic Plinius loco antè memorato: *similis & in Africa gens Psyllorum fuit, ut Agatharchides scribit, à Psyllo Rege dicta, cujus sepulchrum in parte Syrtium majorum est. Horum corpori ingenitum fuit, virus exitiale serpentibus, ex cujus odore sopirent eas.* Id ingenitum virus salivam fuisse censeo. Sed odorem de quo loquitur Plinius, puto, fuisse à rebus odoratis, quas circumgestarent secum: Multorum enim odore fugantur serpentes, ut odore gagatis incensi, quia nempe. Oribasio teste *lib.* 2. *synopseos cap.* 56. bituminosus est, ac sulphureus. Nam & bitumen, & sulphur, si accenderis, idem efficiunt. Eadem de causa hoc ipsum præstat lapis Thracius; nam & ille est bituminosus. Subjungit deindè Plinius. *Hæc gens ipsa quidem propè internecione sublata est à Nasamonibus, qui nunc eas tenent sedes; genus tamen hominum ex his, qui profugerant, aut, cum pugnatum est, abfuerant, hodieque remanet in paucis. Simile & in Italia Marsorum genus durat, quos à Circes filio ortos, ferunt; & ideò inesse ijs vim naturalem eam.* Idem de Psyllis, Marsisq. tangit *lib.* 21. *cap.* 13. De prioribus quoque Lucanus *lib.* ubi quòd à natura loci esse, ait, non omninò aspernandum. Nam & hoc bonitatem Dei arguit, quòd ubi serpentes plurimi, ac maximè virulenti, illic etiam cœli, solisque beneficio magis veneno resistant corpora humana. Videturque idem voluisse Hieronym. Fracastorius *libro de sympathia, & antipathia, capit.* 19.

Intereà non arbitror, quod in hoc solo consisti oporteat. Nam aliud prætereà in causa esse, ex eo colligo, quod Nasamones, cum, Psyllis fugatis, eorum sedes occuparunt, non tamen idem potuerunt, ut ex Plinio paulò antè cognoscere fuit. Quare censeo, Psyllos præcipuè eò se tutos præstitisse, quòd non è temperamento solo, sed ex vestibus quoque, vel aliter odorem spirarent serpentibus inimicum, cumque ictus

ictus venenatos exugerent, remedium fuisse à saliva, nec sola tamen; credibile enim est, priùs se herbis in Africa familiaribus munisse. Etiam cum sola manu imposita venenum extraherent, priùs digitos saliva, ac liquore aliquo ex herbis adversus venena idoneis tinxisse, planè credibile est. Valdè hæc firmat Cornelius Celsus, qui & ipse negat à temperie Psyllorum causam peti debere; immò eò usquè provehitur, ut putet, quod innoxij tractent serpentes, potius esse fiduciam usu longo firmatam. Locus est *lib. 5. cap. 26.*

Mihi interim in varijs hisce sententiis, nihil æquè verisimile est, ac illud, Psyllos, quoniam inter serpentes degerent, à primis incunabulis, quasi cum lacte à matribus, quò tutiores essent, remedia quædam non adeò vulgaria esse edoctos, neque ista alienigenis aperuisse, partim nè minus ijs essent admirationi; partim etiam ne minùs ex illis caperent lucri. Ac credibile est, nec alibi remedia fuisse tam præsentia: quia ubi locorum abundarent serpentes, ijsdem præcipuè remedia venenis Deus produxit.

Pergamus. Plinius *d. lib. 28. cap. 2.* antequam dixisset, maximæ quæstionis, & semper incertæ esse, valeantnè verba, & incantamenta carminum ad medendum, *cap. 1. ejusdem libri* scribit, dente hominis vi interempti, gingivas in dolore scarificari, & oculorum suffusiones felle hominis sanari, & calvaria interfecti neque cremati propinatam aquam è fonte noctu comitialibus morbis prodesse. Hominis suspendio interempti catapotia contra canis rabiosos morsus valere. Et post huius generis multa, inquit, sed piacula sunt ista, non auxilia, & remedia. Idem tamen *cap. 3.* scribit, fuisse in Africa Psyllos, & in Italia Marsos, ex quorum familiis qui ducebant originem, tales fuisse, quorum corpora tactu ipso, suctúve modico levabant percussos à serpentibus, & manu imposita corpori venena extrahebant. Alios verò fuisse, quorum corpora solo aspectu erant terrori serpentibus, & quemdam in dolium serpentum conjectum experimenti causa, circummulcentibus linguis illæsum penitus extitisse. Alios item, quorum sudor medebatur multis morbis. Alios, quorum saliva contrà ictus serpentium valebat, & vestem à tineis non attingi, quæ fuerit in funere, & serpentes ægrè quàm læva manu extrahi. Indè post multa *d. cap. 1.* exclamat: Quis ista invenit ostenta? Tecum enim resedit eversor juris humani, monstrorumque artifex, qui primus ea condidisti. Quam potest medicina ista originem habuisse? Quis veneficia innocentiora effecit, quam remedia?

Idem quoquè *lib. 7. cap. 2.* refert, aliquando humanorum corporum partes nasci ad aliqua mirabiles. Sicut, inquit, Pyrrhi Regis pollex in dextero pede tactus lienosis medebatur, & in Africa fuisse Psyllos, de quibus paulò antè dixi, quorum corpori ingenitum fuit virus exitiale serpentibus, ut cujus odore sopirent eas. Item procul Roma in Faliscorum agro familias esse paucas, quæ sacrificio annuo, quod fiebat ad montem Soracte Apollini, super ambustam, & ardentem lignorum struem inambulantes non adurebantur, flammis parcentibus. Quod idem Solinus commemorat *cap. 8.* At Varro id non tribuit miraculo, sed ait, Hyrpino ambulaturos per ignes certo quodam medicamento plantas pedum imbuere. Hæc, aliaque Plinius, & ex parte Solinus. Quæ si vera sunt certè mirabilia fuere.

Deindè quia multis lapidibus, herbis, & animalibus hæc sanandi vis à natura inest; potest igitur inesse quibusdam hominibus, atquè adeò salutatoribus: Et ità sentiunt Castanag. *loc. cit. cap. 12. num. 46.* Veracruz. *lib. 2. de anim. speculat. 2.* Quod aiunt probabile Victoria, & Margarita confessor. apud Sanchez *d. cap. 4. num. 49.*

Ego autem, si attendatur ratio, hanc disputationem ancipitem puto; si Doctorum autoritas, probabilius esse censeo, eiusmodi salutatorum virtutem non esse naturalem, aut debitam naturæ, aut hominis conditioni; sed esse gratiam à Deo gratis datam, sivè Dei donum his hominibus collatum. Ità etiam Delrius *lib. 1. cap. 3. qu. 4.* Sanchez *d. num. 49.* *Navar. cap. 11. man. num. 36.* Lessius *de iust. lib. 2. cap. 43. dub. 10. nu 63.* Ad quam sententiam inclinat Suarez *lib. 2. de superstit. cap. 15. nu. 25. & 27.* Vericel, *in quæst. moral. d. tr. 8. qu. 37. numer. 18.* qui probat ex eo, quòd Galliæ Reges tantùm Catholici, ac legitimi hoc dono potiuntur, & olim etiam, ut Reges Angliæ Catholici, meritò S. Eduardi Regis, narrat Polydorus Virgilius *lib. 10. hist. Anglor.* hoc habeant donum, ut suo contactu strumas sanarent. Illi ex familia Pulverina tantùm, si sint ex legitimo thoro, venenatos sputo curant. Constat autem, quod titulus Regni, Catholica fides, ac legitimus thorus, cum sint quid morale, sunt aliquid impertinens ad naturalem facultatem sanandi.

Quidquid igitur sit, concludo cum Azorio *d. lib. 9. cap. 25. qu. 2.* quòd negare non possumus, quin gratis, & liberaliter Deus posset quibusdam hominibus, immò etiam certis familiarum viris, vim, & facultatem concedere, ut tactu, sermone, aspectu, odore, vel halitu medeantur quibusdam morbis, & valeant contrà rabiosi canis morsus, aut serpentium venena. Nec ea vis, & potestas naturalis dici potest, quasi sit hominis naturæ, & conditioni debita, sed ea tantùm est gratuito Dei munere, & beneficio suscepta. Nec tamen sequitur, ut sit vis aliqua supernaturalis, hoc est, habitus menti infusus, sed est vis quædam præter solitum morem hominibus data, quæ suos præstet effectus, ut causarum naturalium ministerio, & opera, aut certè (quod est verisimilius) operante Deo, talium hominum interveniente sermone, tactu, aspectu, odore, sudore, vel halitu. Quò fit, ut id etiam virtutis & efficaciatis Dei munere possit inesse in hominibus, improbis: ac perditis. Id tamen seriò advertendum est, ut in his casibus cautè se gerant confessarij, quia in ipsis etiam dæmon occultè operari potest, ac solet.

Cæterùm lustrentur historiæ, antiquitatum abstrusi recessus excutiantur, nullum certum vestigium invenietur, quo quemquam priscorum Regum Franciæ, antè Philippum primum, & filium ejus Ludovicum Crassum illa pellendarum strumarum potestate viguisse constabit. Fatetur hoc ingenuè scriptor Galliæ diligentissimus, & Francorum gloriæ studiosissimus Scipio du Plaix in canonizatione S. Ludovici: *Ad me quod attinet, inquit, nullum adhuc documentum, nullum vestigium hujus gratiæ in duabus primis nostrorum Regum familiis vidi. Nec sanè verisimile est, si ea præditi fuissent, quin ejus temporis Chronographi in scribendis multis miraculis minoris momenti satis curiosi præteriissent istud tam frequens, tam nobile, & gloriosum familiæ Regum Franciæ.* Nam quicquid aliqui de Clodovæo, & aliis consequentibus fabulantur, nullius historici antiquioris fide nititur. Quis enim credat, neminem antiquorum Scriptorum, qui usq; ad nauseam delicatiorum hujus temporis minutissima quæq; miracula persecuti sunt, Gregorium Turonensem, Aimoinum, Æginhartum, Adelhelmum, Ivonem, adde Annales Fuldenses, Sigebertum, Marianam, Scotum, ac similes, neminem, inquam, illorum de re tanta, tam usitata, in oculis Franciæ, & Europæ gesta, mentionem facturum fuisse, nisi Reges priores illa potestate caruissent? Primus omnium, quantum investigare licuit, Abbas Guilbertus rem istam tetigit, qui Philippum Primum, & Ludovicum Crassum, sexcentis, videlicet annis post condi-

tum Franciæ Imperium, illam sanandi potestatem habuisse testatur, apud eundem Scipionem de Plaix *loc. cit.* Quid verò de illis, quibus potestas illa semel obtenta periit? Nam de Philippo idem Guilbertus coætaneus ejus dicit: *cujus gloriam miraculi, cum Philippus Pater ejus (Ludovici) alacriter exerceret, nescio, quibus invidentibus, amisit.*

Fœminas carminatrices, hispanè, *Ensalmadoras*, sivè *Sanctiguadoras* non esse superstitiosas, vult Tambur: *lib. 2. in decal. cap. 6.* §. 1. *num.* 30. ubi cum Sanchez inquit, non esse superstitiosos eos, quos Hispani vocant *Empsalmistas*, qui per Empsalmos, hoc est, per quasdam Scripturas, sivè ex Psalmis, sivè ex aliis orationibus confectas curant infirmos.

At esse superstitiosas tenet Fagundez *lib. 1. in decal. cap. 36. num.* 1. his verbis, ubi ait, curationem per verba Ensalmorum in foro conscientiæ non esse licitam, sed superstitiosam, & ex se mortalem, propter pactum dæmonis ibi implicitum. Quod etiam docet Moura *de Ensalmor. curat. sect.* 11. *cap.* 11. *num.* 21. ubi refert, curationem Ensalmorum fuisse suo tempore approbatam ab Ordinario Eborensi, sed posteà, re benè considerata, & discussa, fuisse publico Edicto prohibitam, & jussam denunciari in Visitationibus.

Quia curatio, quæ fit per verba Ensalmorum, inest verbis, non personis. Ergò signum est, quod hujusmodi effectus non possit provenire à gratia gratis data, aut à dono curationis, cùm hæc solùm communicentur personis, non verbis. Et quia Ensalmorum verba non habent effectum curationis, nisi proferantur ad certas complicationes panniculorum lineorum, in talem, vel talem modum efformatas. Virtus autem divina non est alligata complicationibus, nec adstricta pannis lineis, & non aliis, aut hujus, non illius coloris. Ergò signum est, talem effectum esse ex pacto aliquo dæmonis ibi implicito, & non ex verbis.

Tenendum tamen est, cum Sanchez *eo cap.* 40. *num.* 39. non esse superstitiosas hujusmodi mulieres, si solis orationibus licitis, absquè aliqua vana circumstantia, utantur: ut per passionem Christi &c. supplicantes Deo, ut prosint medicinæ naturales, quas adhibent. Nam in hoc nihil mali reperitur, sed potiùs boni aliquid; cùm pium sit, eum effectum piis orationibus à Deo petere. Secùs verò si nullam adhibeant medicinam naturalem, quæ habeat vim ad illum morbum medendum, credentes illis solis verbis, infirmum sanitati restituendum. Quia verba illa, aut signa nullam virtutem naturalem, aut supernaturalem habere ad talem effectum præsumitur, si utantur nominibus ignotis, nihil significantibus, aut verbis dubiis, vel verbis, quæ infallibiliter promittant effectum temporalem aut spiritualem, aut in ipsis solis verbis, aut in modo operandi, virtus sanationis collocetur, ut per Sanchez. *loc. cit.* & apud ipsum docet D. Antoninus, Angelus, Navarrus, Sylvester, Rodriguez, Lopez, & Ciruelo, quibus adhærent Trullench. *lib. 1. in decal. cap.* 10. *dub.* 10. *num.* 12. Castropal. *ibid. pun.* 10. *num.* 9. Villalobos *tract.* 38. *diff.* 7. *num.* 11. Fagundez *d. cap.* 36. *à num.* 3. Suarez *lib. 2. de relig. d. cap.* 15. *num.* 25. *& seq.* Filiutius *tract.* 24 *cap.* 6. *qu.* 6. *a num.* 151. & ego, qui cum citatis Doctoribus noto, quod in his casibus sit optima cautio protestari, se nolle uti illis verbis dubiis, aut vanis, & superstitiosis, neque se velle consequi effectum sanitatis ex aliquo pacto cum dæmone, sed solùm se velle uti dictis verbis, quatenus licita sunt, & à Deo effectum impetrant. Legantur Philiarchus *de offic. Sacerd. tom.* 1. *p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 11. *concl.* 4. Sanchez *de matrim. lib.* 7. *disp.* 95. *num.* 4. Villalob. & Trullench. *locis allegatis.*

In his autem casibus cognosci poterit, an dæmon in iis operetur, si in ipso curationis actu adjungatur aliqua inutilis, & vana circumstantia, ut characteres, vel nomina, vel quod medicatio fiat tali hora, vel die, vel fiat cum fimbria pilei, vel tali vestimento, vel effectus proveniat ex medio evidenter inefficaci, ut ex D. Thoma *cit. qu.* 96. *art.* 2. *ad* 1. Sanchez *d. cap.* 40. *num.* 9. *&* 44. & Sousa *lib.* 1. *aphor. cap.* 54. *num.* 5.

Qui ita occultè, & artificiosè utitur remediis naturalibus in curandis morbis, ut sine illis operari videatur, idque facit, ut in majori sit admiratione, si verè illa remedia virtutem medendi habent, sed occultam, & inusitatam, & indè provenit, quod illæ curationes æstimentur mirabiles, tunc non intervenit peccatum superstitionis. Quia talis curatio verè esset naturalis. Esset autem superstitio, si naturaliter illa remedia talem virtutem non haberent. Nihilominus iste modus medendi potest esse peccatum, vel veniale ratione vanitatis, & lucri, vel mortale ratione scandali, inducendo homines, ut judicent, illud fieri ope dæmonis, & præbendo occasionem ad introducendum opera superstitiosa: ut docent Victoria *de arte magica qu.* 4. *nu.* 5. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *d. cap.* 15. *num.* 24.

Si autem ille, qui tali medicamento utitur, notitiam illius virtutis habuit à dæmone, non est ei licitum illo uti: quia ille usus fundatur in societate demonis. Si autem illius medicamenti efficacia manifestata fuit à dæmone, sed non illi, qui eo utitur, sed aliis, qui præcesserunt, & posteà cognitum est experimento, dæmonem veritatem manifestasse, est licitum uti tali medicamento. Quia ille usus jam non fundatur in societate dæmonis, sed in virtute à Deo illi medicamento data, & iam experimento cognita. Quod autem cognitio illa originem traxerit ex doctrina dæmonis, per accidens est. Ita idem Victoria, & Suarez *locis allegatis.*

Utens verò remediis non natualibus ex aliorum traditione, ac experientia, sine dæmonis consortio, vel pacto, non excusatur à peccato superstitionis, si de illis remediis evidens sit, non posse esse causas naturales salutis, etiamsi illis utens publicè toleretur; & qui ab usu talis modi medendi nolit abstinere, non est à confessario absolvendus. Quia dùm illud remedium est evidenter insufficiens naturaliter ad producendum salutis effectum, præsumi non debet, divinam virtutem esse illi actioni infallibiliter assistentem, & salutis effectum producere, sed superstitiosum esse, & ex tacito dæmonis pacto. Nam regula generalis cum D. Thoma 2.2. *quæst.* 96. *artic.* 2. ab omnibus traditur, quod quotiescunquè causa adhibita non potest naturaliter effectum producere, superstitiosa est, & ad tacitum dæmonis pactum pertinet. Nèc unquam attribuenda est aliqua virtus supernaturalis, talibus rebus, nisi hoc ex S. Scriptura, vel Ecclesiæ autoritate, vel ex maxima operantis sanctitate argui possit effectum illum esse à Deo, vel ab Angelo: ut per Suarez *ibidem num.* 26. ab Lessium *lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 10. *num.* 62.

Damnandi utique sunt, qui dicunt, sua signa & verba, licet ex se videantur nullam virtutem habere, illam tamen efficacem accipere ab efficacitate imaginationis, sivè affectus ipsius hominis operantis illa mira opera. Nam licet imaginationis vis sit magna, hæc tamen vis considerari potest, vel quòad corpus ipsius imaginantis, vel quoad corpus alterius. Quod ad corpus proprium imaginantis, conveniunt omnes plurimum in illud posse.

se. Quoniam imaginatio excitat potentiam appetitivam ad timorem, vel ad pudorem, vel ad tristitiam, vel ad iram, vel ad similia: quæ affectiones ità hominem afficiunt, ut calore, vel frigore sic alteretur, ut pallescat, vel rubescat, aut dejiciatur. Atquè adeò D. Thomas 3. *p. qu.* 13. *art.* 3. *ad* 3. *& lib.* 3. *contrà gent. cap.* 103. & 104. docet, imaginationem posse in corpus imaginantis omnia, quæ naturalem coordinationem habent cum imaginatione, ut est motus localis in dormientibus, qui in somnis aliquandò ambulant, alterationis per frigus, & calorem, & quæ hanc alterationem consequuntur, nempè animæ passiones, secundum quas movetur cor, & sic per commotionem spirituum totum corpus alteratur. Aliæ verò dispositiones corporales, quæ non habent naturalem ordinem ad imaginationem non transmutantur ab ipsa imaginatione, quantumcunque sit fortis, putà, figura manus, aut pedis vel aliquid simile.

Quod verò ad corpus alienum disjunctum, ac separatum ab imaginante, nonnulli censent, per imaginationis vim non solum posse, etiam de longinquo, sanari, sed res loco moveri, & fulgura, pluviasque è cœlo excitari, ac deduci. Ità Avicenna *lib. de anima sect.* 4. *cap.* 4. Paracelsus *lib. de imaginat.* Pomponatius *lib. de incantam. cap.* 3. *&* 4. Marsilius Ficinus *lib.* 13. *Theol. Platon.* aliique plures, & hæc ab imaginatione effici posse volunt, vel per certos radios, aut per spiritus expulsos ex corpore vi imaginationis, vel solo animæ imperio. Qua de re fusè Thomas Fienus *lib. de virib. imaginat.* ubi mira, & nos infrà.

At verò dicendum est cum communi Theologorum sententia, D. Thomæ *loc. cit.* Suaræ *d. cap.* 15. *num.* 15. Valentiæ 2. 2. *disp.* 6. *q.* 13. *pun.* 2. Conimbricensium *in* 7. *Physic. cap.* 2. *qu.* 1. *ar.* 7. Delrij *lib.* 1. *magic. cap.* 3. *qu.* 3. Torreblancæ *de Magia lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 8. *& seq.* Medinæ *lib.* 2. *de recta in Deum fide cap.* 7. Pici Mirandulani *lib. de imaginat.* Abulensis *in cap.* 30. *Genes.* & aliorum, qui docent, corpus disjunctum, & separatum ab imaginante, neque per imaginationem, neque per aliam potentiam, mediantibus illis radijs, vel spiritibus, vel animæ imperio posse naturaliter immutari aut supradictos mirabiles effectus produci. Nam imaginatio est actio immanens. Ideoque anima imaginans nullam realem qualitatem potest rei disjunctæ naturaliter imprimere. Nec quod asserunt contrarium opinantes ulla probabili, aut verisimili ratione fundatur; cum hominis imaginatio non habeat vim movendi corpora externa, sed solùm vim commovendi internos humores, ac spiritus ipsius imaginantis. Constatque experientia, hos sanitatis effectores ad suas curationes non moveri ex vehementi imaginatione, & affectu, sed ità verba illa proferre, vel manu tangere, vel medicamentum adhibere, sicut solent vel medici, vel alii artifices operari.

Nec obstat, quod imaginatio tempore conceptionis solet magis operari in filios, quàm parentum species, & forma. Nam prærerquamquod id negatur à Peterio, *in d. cap.* 30. *Genes.* à Delrio *loc. cit.* à Valesio *de sacra Philos. cap.* 11. ex eo minimè probatur, posse imaginationem in corpus agere. Nam infans cùm est in utero, dicitur pars viscerum matris. *l. qui in utero ff. de stat. homin.* ac ideò ex hoc nequit argui, posse imaginationem alterius corpus disjunctum, ac separatum immutare. Minus obstat, quod ex potentia imaginationis oritur fascinatio, quâ maligni homines suis oculis, & aspectu alios, maximè pueros inficiunt, ut per Gloss. *ad Galat.* 3. Quod quidem non fieret, nisi vis imaginationis posset corpus alterius immutare.

Nam respondeo cum D. Thoma 1. *p. q.* 117. quod ex forti animæ imaginatione immutantur spiritus corpori conjuncti. Quæ quidem immutatio spirituum maximè fit in oculis, ad quos subtiliores spiritus perveniunt. Oculi autè inficiunt aërem continuum usquè ad determinatum spatium, secus specula, si fuerint nova & pura, contrahunt quamdam impuritatem ex aspectu mulieris menstruatæ, ut ait Aristoteles *in lib. de somn. & vigil. cap.* 2. Sic igitur cum aliqua anima fuerit vehementer commota ad malitiam, sicut maximè contingit in vetulis, efficitur secundùm modum prædictum, aspectus ejus venenosus, & noxius, & maximè pueris, qui habent corpus tenerum, & facilè receptivum impressionis. Possibile est etiam, quod ex Dei permissione, vel etiam ex aliquo facto occulto, cooperetur malignitas dæmonum, cum vetulæ sortilegæ aliquod fœdus habent.

Quoniam autem hæc materia de Ensalmis frequentissima est, ideò, ut magis intelligantur, & tanquam superstitiosi, & vani evitentur, eorumque effectus cognoscantur dæmoniaci, sciendum est; quod Ensalmi propriè dicuntur, quædam benedictiones, sivè imprecationes compositæ ex certa verborum, præcipuè sacrorum, formula rei simul ac interdum ex aliqua materia, ut vino, ac panno, certo partium numero complicato, quibus Homines, speciatim Hispani, utuntur, ad vulnera sananda, & alias ægritudines expellendas. Quare in rigore videntur esse idem ac incantationes: Ità ex Isidoro Malleus *pag.* 2. *quæst.* 1. *cap.* 16. Llamas *p.* 3. *tit. de method. incant.* Zanchin. *de hæret. cap.* 2. *num.* 1. & Moura *in princ. opusc. de Ensalm.* ex Augustino, & Hieronymo. Undè patet, diversos esse Ensalmatores à salutatoribus, qui tactu sanant.

Negandum tamen non est, incantationes quandoque accipi in bonam partem. Sic Hieronym. in illud Isaiæ 2. *Dabo prudentem eloquii mystici incantatorem.* id est, Concionatorem, qui verbis animas convertit; & transmutat, & notat Origenes *hom.* 20. *in cap.* 15. Jesu Nave, & Abalensis *in Matth. cap.* 26. *tom.* 6. *quæst* 38. ac expresè supponit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 96. *ar.* 4. *ad.* 2. Hoc autem vocabulum à psalmis derivatum, ait Carvalho in *Cysne de Apollo dialog.* 1. §. 12. & Bravus apud Mouram *ibidem.* Quia utplurimùm ex psalmis ipsis, & illorum instar componuntur, juxta quam originem Empsalmi nuncupandi veniunt, & illorum Minister Empsalmator, vel Empsalmita.

At Delrius *lib.* 7. *magic. disp.* 3. *qu.* 4. ab Anselmo quodam Mago Parmensi, corrupto vocabulo, trahi nomen tradit, & sic Ensalmos appellatos, quo modo communiter utuntur autores. Testatur autem Guevara in Epistola familiari ad Melgarium Medicum deperdita omninò Medicina per quadringentos & quinquaginta annos à morte Æsculapii, tempore Artaxerxis secundi, ut narrant Strabo, Diodorus, & Plinius, mulier quædam in Provincia Achaiæ, quæ Ensalmis medebatur, sivè puris verbis absquè alio pharmaco, relegata fuit, Athenisque ad lapides damnata. Sententiæ autem hanc rationem afferebant Athenienses: quia Deus, & natura in Lapidibus, & Herbis, non in verbis ægritudinum remedia collocaverant.

Ensalmi igitur ex Cajetano 22. *quæst.* 88. ar. 12. §. *verum*, & ex Navarro *ad can. non liceat.* 12. *qu.* 2. *num.* 9 ità distinguuntur, ut aliqui sint instituti per modum deprecationis, sivè orationis impetrativæ, atquè operis operantis, sivè gratia à Deo, sivè à dæmone expectetur. Alij verò instar operis operati, quasi ex sua institutione præcisè, atque ex se, adhibitis cæremoniis producant gratiam

desideratam: ut de Sacramentis novæ legis docent Thomistæ. Priores benedictiones, invocativas appellare possumus, posteriores verò, constitutivas, de quibus præcipuè disserendum est.

Pro Ensalmis pugnat Alchindus relatus ab Eymerico *pag.* 2. *qu.* 4. Is enim asserebat, orationes ad Deum fusas naturaliter efficaces esse ad bonum obtinendum,& aufugandum malum. Nam ab ipsis orationum dictionibus, & ab ipso desiderio, dum Deum oramus, prosiliunt quidam radii, qui naturaliter in nobis desideratum efficiunt. Id sequitur Avicenna, qui Orationes, & Lytanias in naturæ ordine collocavit. Addidit ideò Alchindus *errore* 7. Sacrificia naturaliter sortiri effectum. Et *errore* 10. prosequitur, quædam sacrificia naturaliter tali pollere potestate, quòd si secundum illa aliquod opus inchoetur, tale sacrificium dominatur illi operi ab initio usquè ad finem. Immò sacrificium Missæ, & conjurationes, atque obsecrationes infallibiliter efficaces prædicat ad obtinendam omnem cognitionem, etiam supernaturalem, artium, & scientiarum dignitates, divitias, robur, & amorem etiam Principum.

Ermas item Adelphius, aliique hæretici Psaliani, vel Messaliani apud Castrium *lib.* 11. *contra hæres. V. Oratio* & Prateolum *de var. Sect. lib.* 1. *V. Adelphius* orationem studiosam ità efficacem censebant, ut non solum dæmonem inhabitantem, sed & qualibet impedimenta propulsare valeat, immò & venire faciat sensibiliter spiritum sanctum, corpusque ab omni passionis motu eripere, futura prævidere, ac demum satis esse ad vitam æternam, etiam sine baptismo, alijsque pijs operibus efficaciter capessendam. Eosdem errores amplexi sunt Euchitæ, quos ampliant, dicentes, orationem facere, ut peccatum egrediatur quasi fumus, ignis, aut draco, referente Vvaldensi *tom.* 1. *de Sacrament. tit.* 1. *de orat. num.* 4.

Albumasar quoque *in Sada* affirmat, quod si quis Jovis capite existente in medio cœli aliquid à Deo expostulat, necessario obtinebit, in qua configuratione jactitat, à Deo petijsse scientiam, Conciliatorem.

E diametro adversantur Vviclefus, ac cæteri hæretici nostri temporis, inutilem ac omninò vanam omnem nostram orationem arbitrantes, cùm Deus optimè norit, quibus egeamus. Frustra ergo scienti loquuntur. Eoque magis, quia credunt; cuncta necessariò evenire. Quos impugnat Vualdensis *ibid. cap.* 12. Bellarmin. Delaterre, & alij post D. Thomam.

Trinitarij autem, teste Prateolo, mentalem orationem admittunt, vocalem verò prorsus excludunt, quos sequuntur Hussitæ apud eundem *lib.* 8.

Apud autem autorem mallei *p.* 2. quidam Felix Malleolus tutatur mordicùs universos Ensalmos, & exorcismos, sivè deprecativos, sivè constitutivos sivè contineant vanitatem, & superstitionem, sivè, virtute divina, sivè dæmoniaca, sive naturali operentur, dummodò sanitatem, vel alios bonos effectus in hominibus, sive animalibus pariant. Consentit Paracelsus *lib. de morbo caduco, & lib. de cœlesti medicina*, quem refert, ac irridet Maiolus *tom.* 2. *dier. colloq.* 3. inquiens, nihil referre, an Deus, anvè Angelus, an dæmon sanitatem præbeat, abutens verbis illis Lucæ 1. *salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos.* Undè forsan blasphemum adagium apud Hispanos: *Hagase el milagro, y hagalo el diablo.* Quod ad bonum sensum trahendum est, ac per exaggerationem prolatum.

Idipsum attribuitur Scoto *in* 4. *dist.* 34. *vers.* Hic primo. Nam docet, licere maleficium maleficio dissolvere, de quo nos suo loco, etsi Maiolus *ibidem*, & Sayrus *lib.* 1. *clau. reg. cap.* 6. *nu. ult.* alijque ab eo citati, Scotum interpretentur de ablatione maleficij absquè dæmonis ope. Referuntur tamen plures Iuristæ apud Malleum cōcedentes incantationis usum, etiam virtute dæmonis, dummodò ad evitandum aliquod malum dirigatur. Ità Azo. Archidiaconus, Baldus, Bartolus, & Salicetus, de qua re alibi.

His prælibatis, sit prima assertio. Ensalmi non obtinent virtutem, sanitatem, vel morbum inferendi à verborum naturali vi. Hanc alibi probavimus, & pluribus contra Bravum tutatur Moura *cap.* 4. *sect.* 2. estque Galeni *in proœm. lib. simplic.* docentis, aniles esse fabellas, medicaque consideratione indigna; sic illum interpretante Palacios ad Cajetanum V. Incantatio, Fragosus medicus Philippi secundi *ad qu.* 9. *in sua Chirurgia*, citans Matthiolum, Guidonem, Dioscoridem, ac Fernelium, & alium Bravum antiquiorem *in Libello de hydrophobiæ natura tit. de Psyllis, & Marsis*, dicentem, quod vera Philosophia non admittet verba, signa, aut characteres, virtutem aliquam operandi habere. Quod si aliquid operantur, id tribuendum esse causæ extrinsecæ. Quod sequitur Valerius *in sacra Philosophia cap.* 3. Codronchius *lib.* 2. *cap.* 5. Andreas Laurentius *lib.* 1. *cap.* 6. *de strum.* Grop. *in Hermatena lib.* 5. *cap.* 11. Guido *in sua Chirurgia cap. singul.* ita concludens: Sequantur doctrinam dogmaticam Galeni, quæ experimentis & ratione integratur, in qua investigantur res, & refutantur voces. Additque se Dei jussu illud opus compilasse contra sectam militum curantium vulnera Ensalmis. Fernelius *lib.* 2. *de abdit. rer. caus. cap.* 16 id fusè probans, ac Theologi post Augustinum *lib.* 10. *de civit. cap.* 9. & 11. cum D. Thoma 2. 2. & *lib.* 3. *contra Gentes cap.* 105. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 15. Thyreus *de apparit. Spirit. cap.* 24. Holcot. *in sap lect.* 189. Abulens. *in Levit.* 19. 9. 19. *sæpeque alibi*, Majolus *tom.* 2. *colloq.* 3. Tatianus *apud Figuiroam in Plaza universali discept.* 33. id, ut certum, affirmans, subdens, quod quando antiqui Magi Ephesinis nominibus dæmones expellebant, teste Plutarcho, id ex dæmonum pacto, simulacraque coactione, non ex naturali verborum virtute, contigisse. Accedunt Summistæ, qui effectus Ensalmorum, aut verborum, vel Deo tribuunt, vel dæmoni, vel virtuti naturali rerum à verbis diversarum. Unde Navarrus *in Man. cap.* 11. Peccat, inquit, mortaliter, credens effectum magorum, & similium, etiamsi ad sanitatem perveniatur, effici virtute verborum. Qui certè loquitur, tam de virtute naturali, quàm supernaturali. Ex Judæis quoque Rabbi Moyses Ægyptios mendaces, & stultos appellat, qui verbis solis, ac vocibus, aëre fracto ortis, tantam vim concedunt. Seneca etiam eos Philosophiæ adversarios ait apud Mouram *ibidem num.* 3. & Centuriatores ipsi apud Paramum *lib.* 2. *tit.* 3. *cap.* 8. *num.* 23. abhorrent à vi characterum, aut verborum. Quod & damnat Universitas Parisiensis. Fabulas Bravi de Cabala, imaginationis, complexionis, & constellationis efficacia, è qua Ensalmistæ virtus prodit, Lege apud Maiolum *d. tom.* 2. *colloq.* 3. quas & nos alibi diluimus. Et de Libro Raziel, deque eo deliria, vide Mouram *inibi*.

Et sanè vel hæc nominum ferè omnipotentia operativa (immò plusquam omnipotentia, cum audeant effutire, supra Deum ipsum autoritatem habere) provenit ex natura Ensalmorum, vel dictionum eorundem, atquè illorum naturalibus principiis; vel ex divina, supernaturali, si peradditaque, ac miraculosa infusione. Nullum autem ex his dici potest. Nam vel hæc virtus subjectatur immediatè in Ensalmis, & in vocibus, vel in imaginatione, vel in constellatione proferentis. Non in Ensalmis, & in vocibus

cibus. Tum quia voces nihil aliud sunt, quàm materialiter sonus, formaliter autem relatio, & ens rationis, vel sola denominatio extrinseca, quæ potest variare ad libitum imponentium, manente realitate Ensalmi omninò eadem. Et tùm quia multi Ensalmi res significant nefandissimas. Neque in imaginatione. Quia si ab illa efficaciam sortiretur Ensalmus, soli melancholici, & potentioris cogitativæ quærendi essent ad hoc munus, illique non perturbandi, quando proferunt Ensalmos, ne aliò avertantur, & imaginationis ratio minuatur. Quod sanè ridiculum est, & contrà Ensalmatorum praxim. Non in constellatione. Quia sic tantum posset proferri ab isto, & non ab illo, nisi nactus esset sub eadem constellatione eandem complexionem, cujus contrarium experimur. Et quia sicut Astra valent in his circumstantiis influere qualitates benignas, ità & morbidas, sive per se solùm, sive ut adjecta, vel impedita ab aliis. Undè sequeretur, Ensalmum prolatum, sivè applicatum, absque delectu concursus astrorum, non minùs in perniciem quàm in medicamen, posse à parte rei applicari.

Quod quidem ità confirmo. Nam si Ensalmus talem effectum operatur ex vi vocis vel sic articulatæ, vel aëris ità, vel ità refracti, & participantis hos, & non alios astrorum influxus, sequeretur, quod Ensalmus non eundem sortiretur effectum, si voce gravi pronunciaretur, aut peracuta, si Vere, aut Hyeme, nocte, aut die, in novilunio, aut plenilunio. Quod tamen non admittunt Ensalmistæ.

Præterea sequeretur, quòd Ensalmi efficacia non penderet per se à sanctitate, & significatione verborum: Quod est contrà sensum communem Ensalmistarum, speciatim Bravi, & Malleoli, asserentis ideò Ensalmum non minus operaturum quolibet idiomate pronuncietur; quoniam, inquiunt, operatur ratione rei sacræ, quæ variato etiam idiomate invariata remanet. Alias enim penderet ab influxu cœlesti, aut aliis circumstantijs, & sanctitati verborum, his, vel illis circumstantiis per accidens competeret.

Neque tandem ex divina, & supernaturali infusione. Quia gratiæ gratis datæ non conferuntur à Deo dependenter à certis verbis, quæ veluti ex opere operato constitutivè operentur effectum. Ac insuper gratiis gratis datis repugnat esse communes pluribus. Nam divisiones gratiarum sunt, ait Paulus. Eoque magis, cùm ad libitum quilibet eis uti queat, immò & communicare alijs, ut Ensalmatores gloriantur. Proprium enim hoc fuit Christi, ob gratiam excellentiæ. Et adhuc ex Apostolo, Spiritus Sanctus est, qui dividit, & communicat, sicuti vult1. *Cor.* 12. id est, notante ibidem Cajetano, ut non dependeat ab arbitrio recipientis, vel meriti, vel à communione aliorum. Quod etiam docent Patres apud Maldonatum. Ideoque D. Thomas 2. 2. *quæst.* 96. *art.* 1. ex hoc arguit, artem notoriam non esse gratiam gratis datam, neque à Deo. Quia, inquit, quælibet ex gratiis gratis datis non datur quibuscunque, aut certa observatione, sed secundùm arbitrium Spiritus Sancti, scilicet dividentis singulis, prout vult. Idque confirmat 1. 2. *quæst.* 66. *art.* 2. *ad* 1. *& quæst.* 68. *art.* 5. *etiam ad* 1.

At Moura hanc rationem parvi facit. Nam potuit Deus virtutem certis verbis alligare, ut Sacramentis, quæ Cornejo *par.* 2. reducit ad gratiam gratis datam, quæ est gratia miraculorum. Quia à Deo Sacramenta instituta sunt ad aliorum utilitatem, etsi Suarez ad gratiam gratis facientem reducat, cùm ad eam producendam dirigantur, ut Cornejo etiam dixerat de auxiliis. Verùm hìc non loquimur de possibili, sed de facto, de quo non habemus, fuisse aliis côcessum hanc gratiam, nisi Sacramentis & Sacramentalibus per se, & ex opere operato. Unde vitanda est novitas in materia tam gravi absque idoneo fundamento. Nec novitas nos magis, quam magnitudo rerum debet ad exquirendas causas excitare. Sicque eumdem errorem, quem Ensalmatoribus rei novitas attulit, naturæ ratione depellant.

Sit assertio secunda. Si constaret Ensalmum à Deo habere gratiam sanitatum infallibilem, dependentem à certis rebus, ut Sacramenta, esset gratia gratis data. Sed hoc probare difficillimum est. Gratia enim gratis data non potest esse, nisi donum à Deo proveniens, sicut gratia Regis Gallici ad sanandum strumas est beneficium à Deo collatum ad utilitatem aliorum. Non enim repugnat, diximus suprà cum Azorio *instit. moral. p. p. cap.* 25. *quæst.* 2. gratuito Dei munere quibusdam hominibus, immò etiam certis familiis, concedi gratiam, quæ suos præstet effectus, operante Deo, talium hominum intercedente sermone, tactu, aspectu, voce, sudore, halitu. Immò Bozius *de signis Ecclesiæ tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 1. non solùm Regibus Hispaniæ, & aliis autoribus tribuit gratiam pellendi dæmones signo crucis, sed nititur probare, omnes illos qui habent dominium, plus vigere in entitate, quàm privatos. Nam, inquit, gerunt vices quasi totius entis, & quò magis appropinquant ad suum principium, plus participant de divino influxu. Ex quo principio derivat donum prophetiæ in Saule, Sapientiæ in Salomone, curandi strumas in Regibus Francorum.

Sit tertia assertio. Quoties in Ensalmo, sive sit benedictio invocativa, sive constitutiva, concurrit aliquod falsum, peccatum, vel omninò indifferens moraliter, tanquam necessariò requisitum, sive in materia, sive in forma, non habet vim operandi à Deo, aut à bono Angelo, sed vel à causa naturali, si effectus ab illo dimanare potest, vel à dæmone. Hæc est communis cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 93. *&* 95. *art.* 2. *& quæst.* 96. *art.* 4. *& opusc.* 25. *cap.* 21.

Nam Deus nequit esse testis falsitatis, nec cooperari supernaturaliter peccatis, nec ipse respicit ad vanitates, & insanias falsas. *psal.* 39. oditque observantes vanitates, *psal.* 30. & *Ioan.* 4. præcipit in Spiritu & veritate nos adorare. Qui autem vanitates immiscet, id est, res spiritu carentes, sivè indifferentes, non adorat in spiritu, neque in veritate colit Deum, qui per cæremonias sacras intendit falsitates, ut annotat Cajetanus, quem sequitur Valentia *tom.* 3. *qu.* 10. *pun.* 2. & Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *cap.* 2. Et quod ad rem indifferentem, illa non est Deo grata, & si nec ingrata. Ergò non potest movere Deum ad miraculum patrandum. Ideoque votum rei vanæ, ac spiritualiter inutilis, est irritum, quia talis res, quamvis in se non sit peccatum, ac Deo ingrata, non tamen est ipsi grata, & proinde illius promissio ad Deum non pertinet, ut per Aragonium 2. 2. *qu.* 88. *art.* 2. & Theologos communiter. Idque comprobatur, si Ensalmus contineat nomina ignota, vel quæ nihil significent; sique interveniant aliqua apocrypha, & incerta, vel quæ non bene sibi cohæreant. Est enim hoc signum concursûs dæmoniaci. Mirum enim est, quòd Deus has miras virtutes denegaverit verbis certis, ac notis, & ab Ecclesia approbatis, concedat autem dubiis, & ab ipsa alienis.

Quarta sit assertio. Quilibet Ensalmus, sive constitutivus, sive deprecativus, si ex vi suæ institutionis promittit aliquem effectum certò, ac infallibiliter obtinendum, sive temporalem, sive spiritualem, si non importet causam totalem naturalem, non est à Deo. Nam ne Sacramenta quidem, nec sacramentalia, neque sacrificium Missæ operantur infallibiliter bonum temporale, neque extrema unctio, sed conditionate

ægros in salubritatem restituit, cum scilicet, expedit saluti animæ.

Hanc tradit Concilium Coloniense in explicat. primi præcepti decal. *Qui*, inquit, *hos characteres divendunt, persuadentes illis, quòd qui hujusmodi characteres secum portaverint, eos à periculis securos fore, quod Lex divina damnat, ac pronunciat, fidem Christianam, & baptismum prævaricasse; Paganos, Apostatas, & Dei inimicos effectos &c.* Intellige ex vi operis.

Eandem Gerson *part. 2. tract. de absolut. Sacram. alphab. 3. lit. L. vers. ulteriùs.* his verbis explicat: si versus *Dirupisti Domine vincula mea &c.* dictus semel, vel ter in morte, habeat efficaciam, qualem quidam ponunt, & imponunt Augustino, de assertione certa, quod habeat vim hujusmodi, respondeo pro regula, quòd nunquam attribuenda est aliqua virtus supernaturalis ex Scriptura sacra, vel revelatione divina. Et oppositum credere, habet quandam speciem superstitionis plus, vel minùs, secundùm materiam operis, & assertionis. Eam etiam docent Sylvest. *V. superstitio nu.* 11. Tabiana, Ledesma, Toletus, Ghetius, Trullench, Diana, Faustus, Navarrus, Cirvelus *par.* 3. *cap.* 3. Suarez *d. lib.* 2. *cap.* 15. Lessius *lib. item* 2. *cap.* 43. ubi etiamsi quis utatur cæremonia constante reliquiis sanctis, aut verbis sacris, cum certa persuasione obtinendi effectum, ut quòd non morietur sine confessione &c. Licèt nullam extrinsecam vanitatem adhibeat, ex eo tamen superstitiosè agit, quia illis rebus utitur superstitiosè ad effectum, quem nec suapte natura, neque ordinatione divina habet.

Et quod ad impetrationem infallibilem bonorum temporalium, patet; Quia oratio, stante etiam promissione Christi, *Quodcunque petieritis, accipietis, & fiet vobis*, non impetrat à Deo infallibiliter bona temporalia, sed tantùm fallibiliter dependenter à fine, ac ordine divinæ Providentiæ. Nec Sacramenta, & Sacramentalia infallibiliter operantur bonum temporale, quamvis sint cœremoniæ constitutivæ. Immò & Sacramentum Unctionis, quod ex Concilio Florentino, in decreto Eugenii, & in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 2. habet virtutem conferendi sanitatem corporalem, non tamen certò, vel absolutè, sed fallibiliter, & conditionatè, quando, scilicet, expedit saluti animæ. Quod autem dicitur de insula Momonca præservante habitantes à morte, mera fabula est, ab experimento quotidie explosa.

Hinc valdè suspectus haberi debet Ensalmus contra pestem, quem delatum fuisse fertur à quodam Græco Archiepiscopo Patribus in Concilio Tridentino congregatis anno 1546. quemque aiebat invenisse in Antiocheno Benedictorum Monasterio in quadam membrana exaratum, quem ipse ad brachium sinistrum in quadam itidem membrana transcriptum deferebat. Hanc autem cæremoniam observari debere tradebat, ut in membrana esset scriptum, gestans esset sacerdos, & ad brachium deferretur, ac orationes, finita Missa proferret, quas refert Moura *cap.* 13. *sect.* 2. *nu.* 25. Addebantur orationibus plures literæ, ac signa, etiam ignota. Hunc Ensalmum fuisse non modo sibilis, sed etiam convicio explosum, & ejectum à Patribus, etiam privatim certum puto. Nulla enim de illo memoria servatur.

Sit quinta assertio. Nullus Ensalmus, qui ex vi usus operis; & certorum verborum complicatorum in formulam aliquam promittit, vel operatur effectum, etiam fallibiliter, si non constet, esse à Deo, est admittendus. Ità Delrius *lib.* 2. *qu.* 5. Cajetanus post D. Thomam *qu.* 96. *ar.* 2. ac alii, quos refert, & sequitur Moura *loc. cit.* Probatur regula generali, communiter approbata, quæ damnat remedia omnia ex cæremoniis non iuxta naturalem vim effectus producentia, quos censendum opera dæmonis fieri, ejusque pacto saltem implicito. Sufficiat præ cæteris, instar omnium, D. Thomas *opusc.* 25. *cap. ult. & contra Gentes cap.* 104. & 105. ibique Ferrariensis, eamque tradunt Valentia 2. 2. *tom.* 3. *q.* 12. *pun.* 3. Lessius *lib.* 2. *de just. cap.* 43. Sylvester d. V. *superstitio. & V. maleficium.* Ledesma 2. *p. sum. tr.* 11. Navar. *cap.* 11. Graffius *lib.* 2. *decis. cap.* 3. & Symanchus *de cathol. instit. tit.* 63. *num.* 33. Vega *in sylva lib.* 2. *cas.* 22. Farinac. *in pr. crim. qu.* 10. alijque apud Cirvelum *p.* 3. *de superstit.* qui ex Patribus testatur, declaratum esse, in huiusmodi Ensalmis subesse dæmonis pactum, ac opus, citatquè S. Isidorum hæc omnia damnantem, quæ vocat remedia methodica, & empyrica, quæ Græcè idem significant ac Ensalmi, originemque traxisse ab Apolline, & Æsculapio, qui corporales morbos sanabant dæmonis opera.

Undè supposito, quod Ensalmus non operetur naturaliter, cùm verbis constat, & non medicamentis aptis, incumbit Ensalmatori ostendere, quod operetur virtute divina, qui tenetur tueri actiones suas. Et cùm sit quid facti non præsumitur, dum legitimè non constiterit, quia non ut reus habetur, nec agitur ad condemnandum, ut magus, quemadmodum censet Moura, sed ad approbandum, vel reprobandum Ensalmum, ne inducantur superstitiosa.

Sit assertio sexta. Per se loquendo licitum est, etiam autoritate privata conficere Ensalmum invocativum, applicando videlicet aliqua verba Sacræ Scripturæ ad sanitatem, vel aliud obtinendum, juxtà leges orationis, ut de D. Thoma dicitur adversus tonitrua, & fulgura, quæ pertimescebat, dicendo verba illa: Semper Deus timendus est, sed maximè cum tonat, alludens psalmo 28. *Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit. Vox Domini confringentis cedros*, cum spe obtinendi intentum infallibiliter, si non repugnet ordini Divinæ providentiæ, ei interveniant cæteræ conditiones ad orationem requisitæ, nullaque vana circunstantia intercedat. Hanc assertionem tradit etiam expressè Gerson *ubi supra*, inquiens: sic piè potest dici versus prior: *Dirupisti, Domine, vincula mea &c.* ad certum effectum. Immò in Breviarijs antiquis cuilibet psalmo proponebatur, ad quid prodesset, & similia, non de oratione certa, quod habeat vim hujusmodi, sed quia devotio dicentis hoc meretur, adjuvante Dei gratia.

Ad hoc refert Rebellus *in opusc. de Rosario*, effectus etiam temporales, quos obtinent illud recitantes. Et *Dialogo* 11. ex Belparco, & Pomerio refert, orationem Angelicam simul cum illis verbis: *Beatus venter, qui te portavit, & beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum*, recitatam flexis genibus coram Deipara, valere contra infirmitatem; hancque orationem, sive Ensalmum instituisse quemdam privatum Clericum. Et *dialogo* 2. ait, Beatum Jordanum in honorem Nominis Mariæ instituisse recitationem quinque psalmorum, ex quorum primis literis componitur nomen MARIA cum suis antiphonis, & oratione. Quod habetur in Chron. Ordinis Prædicatorum, ac in eius orario. Asserunt alij, Cassianum *collat.* 12. asserentem, maxima virtute præpollere verba illa: *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina.* Verùm Cassianus loquitur duntaxat de malis animæ. Exaggerat tamen pluribus, versiculum illum, addens, non tantum in corde, ore, parietibusve esse scribendum, sed & in ultimis naturæ necessitatibus meditandum. Invocativè autem modo iam dicto, per illum beneficia obtinentur. Unde non reprobatur, invocare peculiariter S. Blasium pro gulæ sanatione, S. Antonium contra ignem, & alios

alios huiusmodi. Sic quoque Antiphona *Salve Regina*, à privato instituta fuit contra tempestates à dæmone excitatas, tonitrua, fulmina, aliaque mala per eum inflicta, teste eodem Rebello *dial.*15. *lib.*2. ex Cæsareo *lib.* 7. *miraculorum sui temporis cap.* 39. Autorem tradit fuisse Hermanum contractum; quod confirmat Canisius *lib.*5. *de Deipara cap.* 18. De qua antiphona videndus Genebrardus *in chronogr. lib.*4. *anno Christi* 1072. *Mundi* 5161. Navarr. *de orat. & hor. canon. cap.* 19. *concl.* 17. Bernardus de Brito *p.* 1. *chron. Cisterc. lib.* 1. *cap.* 23. Durandus *in rational. lib.* 4. *cap.* 22.

Quò sensu accipienda est Bulla Sabbatina Carmelitarum, edita à Joanne XXII. in qua fertur, B. Virginem ei revelasse, confratres omnes Carmelitanæ Societatis, ejusdemque Ordinis Religiosos, qui pia opera in statuto simul revelata observaverint, fore, ut in primo sabbato immediatè sequenti eorum obitum, Deiparæ ipsius potentia, in Purgatorio, illiusque autoritate, liberandi sint ab universis pœnis, illicoque fruituri gloria cœlesti. Quod & Alexander V. Clemens VII. Pius V. Gregorius XIII. Clemens VIII. successores confirmarunt, ut refert Thomas à Jesu *in lib. de antiq. & sanctit. Ordinis Carmelitani lib.* 2. Eman. Rodrig. *tom.* 2. *q.* 97. *ar.* 2. & Moura *sect.* 2. *cap.* 15. Immò fuisse hanc Bullam approbatam à Paulo V. testatur Marcus Gualdalajara ejusdem ordinis *in thesauro spirit. sui Ordinis tit. Bullæ sabbatinæ*, & Moura *ibidem.* Nimirum hoc privilegium non importat infallibilem liberationem animarum a Purgatorij pœnis, sed tantum Deiparæ intercessionem per modum suffragij, sicut & sacrificium Missæ, & ut exponit ipse Paulus V. in suo Diplomate his verbis: *Patribus Carmelitanis permittatur prædicare, quod populus Christianus possit piè credere de adjutorio animarum Fratrum, & Confratrum sodalitatis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, videlicet, Beatissimam Virginem animas Fratrum, & confratrum in charitate decedentium, quæ in vita habitum gestaverint, & castitatem pro suo statu coluerint; Officium parvum recitaverint, vel si recitare nesciant, Ecclesiæ jejunia observaverint, & feria quarta, & sabbato a carnibus abstinuerint, nisi ubi in ijs diebus Nativitatis Domini nostri festum inciderit, suis intercessionibus continuis, piisque suffragiis, & meritis, ac speciali protectione post earum transitum, præcipue in die sabbati, qui dies ab Ecclesia eidem Beatissimæ Virgini dicatus est, adjuturam &c.* Et antea idem Paulus V. *in Officio Commemorationis Solennitatis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo inter alia ab ipso approbata Excalceatis Carmelitis die* 8. *Mensis Julii* sic ait: *Filios in Scapularis societatem relatos, qui abstinentiam modicam, precesque paucas eis præscriptas frequentarunt, ac pro sui status ratione castitatem coluerunt, materno plane affectu dum igne purgatorio expiantur, solari, ac in cœlestem patriam obtentu suo quanto citius piè creditur efferre.* Quidquid sit, an Papæ credendum sit asserenti, se talem revelationem accepisse divinam; cum sit quid facti, & cognitu difficillimum, quod sit divina.

Eodem sensu accipiendum quoque responsum datum S. Catharinæ Martyri ante obitum oranti pro suis devotis; dictum B. Virginis S. Hyacintho, protectio quindecim Auxiliatorum, promissio facta recitantibus Rosarium, scilicet, nisi aliter Deus disposuerit. Nec aliter intelligendi sunt Ensalmi deprecativi pro vulneratis, per modum orationis devotæ. Quo modo potuerunt mitti à B. Pio V. Agni cerei benedicti, aliaque hujusmodi, quibus, & quandoque miracula patrata narrantur in ejus vita apud Caracciolum, & alios; Cùm ne Summus quidem Pontifex habeat authoritatem instituendi Ensalmos constitutivos immediatè, ac per se ad victoriam, ad sanitatem efficaciter, & infallibiliter obtinendam, ut mox dicemus.

Et hoc pacto explodendi sunt quidam apud Bodinum relati à Thyreo *de apparit. Spirit. cap.* 14. asserentes, dari aliquod determinatum tempus, exempli gratia, quatuor temporum, aut Parasceves, hac prærogativa donatum, ut in illo nati frequentiùs spiritus videant, quos alij præsentes videre non valent.

Quare, mi Lector, si non vis falli, audi Cajetanum *in summa verè aurea V. incantatio*, nulli in materia incantationum credas. Quoniam impossibile videtur, ut non interveniat aliqua superstitio, saltem in modo dicendi, putà, dicere Pater noster ad aures equi. Hoc enim superstitiosum constat esse, & sic de alijs. Et quidem mirum est, quod sanctis viris, quibus Deus credidit secreta sapientiæ suæ, & virtutem suæ potentiæ in miraculis, & Sacramentis, ac curam animarum, quibus promisit notitiam omnis veritatis, secretas virtutes negaverit, & vetulis, ac personis qualibuscunque communicaverit. Unde hujusmodi incerta, ut saltem suspecta, cavenda sunt. Sic sacra Congregatio Cardinalium supremæ Inquisitionis in tota Republica Christiana condemnavit Ensalmos constitutivos sororis Joannæ, negotio ante maturè discusso, declarantes, ea omnia, quæ de famosissima sorore Joanna, quæ anteà sancta Joanna, & dicebatur, & habebatur, miraculosa opera, reliquias, & cæremonias, in quibus multa divina beneficia, quasi ex opere operato contrà tempestates, dæmonum infestationes, humanorum corporum obsessiones, aliaque innumera nocumenta, promittebantur, experimentoque comperta asseverabantur in libro ea de re edito contenta, apocrypha esse, & nullius autoritatis, & nulla fide digna, anno 1617.

Nec purgatur suspicio pacti dæmoniaci ex præcisa sanctitate verborum, neque ex intentione Ensalmistarum, cum sacris consultò utatur dæmon. Quia cùm non possit nocere dando manifestè venenum, addit aliquid mellis. Et quia verbis sacris, sicut & thure thymiamate instar Dei, venerari satagit. Et etiam quia sic facit, ut homines Deum gravissimè offendant, ut & ei, tanquam veraci credant. Quare non est credendum Ensalmatori, neque ejus sententiæ standum, loquentes de Ensalmis constitutivis, quos Episcopus tenetur per se prohibere, tanquàm suspectos de dæmonis consortio. Quam suspicionem ex ipso opere exortam, non purgat virtus, & prudentia Ensalmatoris; etsi videatur, Sylvestrum asserere contrarium v. superstitio num. 10. qui tamen intelligendus est de Ensalmis invocativis tantùm, qui agunt tantùm ex opere operantis, & juxta regulas rectæ orationis. At semper, ut advertit Suarez cum alijs *lib.* 2. *de superst. cap.* 15. *nu.* 24. attendendum est periculum scandali, nè rude vulgus non agnoscens discrimen, transeat deceptum ad Ensalmos constitutivos. Archiepiscopus Ulisyponensis quemdam approbavit hypocritam, Petrum Banes magum, fueruntque ejus Ensalmi contra morem medicorum approbati à Protomedico Regis Sebastiani. At posteà ille in S. Officio constitutus, confessus est, ex pacto dæmonis operari suis Ensalmis, quodque dæmones adoraverit, ab illisque fuerit pluries postera venere subagitatus, quia contra pactum aliqua opera Christiana egerit. Hinc Ecclesia pluribus suis Sacrosanctis decretis damnat omnes superstiosos, præcipuè *in can. non observetis* 26. *qu.* 7. & *can. non licet eadem caus. qu.* 5. Qua de re alibi fusè dictum est.

An autem Episcopus, vel saltem Summus Pontifex instituere possit Ensalmum, vel exorcismum constitu-

stitutivum efficacem ad sanitatem, victoriam, pacem, & concordiam Principum, ad futura cognoscenda, & hujusmodi alia? Sive

An Ecclesia potestatem habeat instituendi Ensalmum, sive cæremoniam, quæ ex vi usus, sive ex opere operato infallibiliter, vel fallibiliter, ac dependenter ab ordine divinæ Sapientiæ, sanitatem corporalem operetur, victoriam in bello &c. eo modo, quo sanitatem causat Sacramentum Unctionis, quove per exorcismos dæmones expelluntur; supposita Christi generali promissione facta Ecclesiæ de impetrando, & de gratia, ac reverentia ipsius Ecclesiæ? Affirmant Alchindus, Bravus, Chamisius, alijque Ensalmorum patroni.

At nos dicimus primò. Nemo Laicus, ne Supremus quidem Princeps hanc habet potestatem. Quia cùm sit potestas spiritualis, licèt ad corporalem sanitatem ordinata, debeatque operari virtute divina, dubio procul excedit potestatem naturalem, & politicam Principum. Sicut & institutio exorcismorum, etiam contra locustas, & alia damna temporalia, quibus Sancti, non Episcopi usi sunt, ut ministri Ecclesiæ, aut ex speciali virtute divina, ut Bernardus, Macharius, & alij.

Dicimus secundò. Episcopus non potest instituere Ensalmum constitutivum, qui ex vi operis, vel per modum impetrationis possit conferre sanitatem temporalem, victoriam in bello, aut aliud bonum temporale. Nam prohibetur Episcopis à jure, se ingerere ad instituendam cæremoniam stabilem, ac ferè permanentem, quæ instar operis operati miraculosè producat effectus visibiles. Se namque exponerent periculo tentandi Deum, & exhibendi dæmoni occasionem se immittendi ad vanè, ac superstitiosè operandum. Hinc Pontifex sibi reservat privativè quoad omnes inferiores causas omnes magni momenti, quas majores vocant, *can. omnis 2. quæst. 7. cap. majores de baptism. & cap. quod ad translationem de offic. leg.* & S. Concilium Tridentinum *sess. 25. in decret. de invocat. & venerat. Sanct.* præcipitur Episcopo, ut quoties in materia pertinente ad opus miraculosum aliquis dubius, aut difficilis abusus, vel gravis quæstio incidat, eam se solo non dirimat, sed priùs Metropolitani, & Comprovincialium Episcoporum in Concilio provinciali sententiam expectet, ita tamen ut nihil inconsultò sanctissimo Romano Pontifice novum, aut in Ecclesia inusitatum decernatur.

Quare si Episcopus, inconsulto Romano Pontifice, non potest miraculum ab alio factum approbare, multò minùs poterit instituere novum Ensalmum ad miros effectus perpetrandum. Et licèt aliqui Episcopi, ut Ulisyponensis, & Conimbricensis Ensalmos aliquos approbaverint, apud Mouram *cap. 10. sect. 2.* In his fortasse pro foro exteriori aliquando connivent; quia non probantur sufficienter indicia ad pactum tacitum præsumendum. Vel quia credebant, vi naturæ, aut alio modo licito operari. Prudentiùs tamen Episcopus Iprensis, re maturè cum doctis, ac pijs viris discussa, Ensalmum celeberrimum prohibuit, etsi absque aliqua vanitate interiori à viris probè viventibus adhiberetur, ut testantur Malleus, Delrius, & Moura *loco citato.*

Eoque præsertim quia unus Episcopus non posset approbare Ensalmum, nisi pro sua Diœcesi, etiam ob causam, quod Episcopo in sua Diœcesi nihil denegatur, nisi fuerit à Papa prohibitum, de qua regula Suarez *de Indulg. disp. 59. sect. 2.* Mirum enim esset, quod Ensalmus vulnera, sanguinem, vel ulcera saniem manantia sanitati restitueret in hoc Episcopatu, & non in illo. Quod in utroque, ac extra illos valeret, jam esset cæremonia publica pro alijs Episcopis. Quod Episcopo privato non competit.

Dicimus tertiò, Episcopus nequit approbare Ensalmum constitutivum, sed tenetur illum reprobare. Nam per se hujusmodi Ensalmi sunt de pacto dæmonis suspecti. Dixi per se. Nam posset aliquis Sanctus, miraculorum verè patrator sua sanctimonia veritatem Ensalmi comprobare. Et nihilominus deberet adhuc Episcopus expectare consilium Sedis Apostolicæ, à qua etiam veritas cujuslibet miraculi est expetenda, ut ex S. Concilio Tridentino superius adducto. Nec facilè credendum sanctam Sedem hujusmodi Ensalmos approbare. Nam referente Moura *sect. 2. cap. 10. num. 19.* cùm quidam Antonius Alvarez jactitaret, Ensalmos suos à summo Pontifice approbatos, quod plures in Lusitania credebant; re tamen inspecta, inventum est, tantùm obtinuisse dispensationem Apostolicam exercendi chirurgiæ, ac medicinæ munus, absque incursu irregularitatis, dummodò tamen gratis citrà incisionem, atque adustionem exerceret.

Etenim juxta regulam Juris, ac communem Doctorum sententiam præsumendus est malus autor Ensalmi constitutivi, quoties constat, cæremoniam non operari virtute naturali. Nam dubium est, an virtute divina, vel dæmoniaca operetur, unde saltem judicium est suspendendum, ac subinde non approbandus Ensalmus. Nec Episcopi permissio relevaret in foro interiori illum activè, aut passivè adhibentem. Nec excusantur à peccato gravissimo, sive docti sint, sive rudes, si aliundè norunt, vel dubitant, Episcopum negligenter se gessisse in approbatione Ensalmorum. Unde approbatio Episcopi solùm pro foro exteriori juvaret.

Dicimus quartò. Nec Pontifex quidem summus, neque Ecclesia universalis habet autoritatem instituendi Ensalmos constitutivos ad sanitatem, victoriam, pacem &c. Est communis cum D. Thoma 22. *quæst. 90. art. 3.* ibique Torres, & Cajetanus, Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 15. sect. 4.* traduntque Sanchez *lib. 2. in decal. cap. 42.* Sotus *lib. 8. de just. quæst. 3. art. 3.* Delrius *lib. 3. magic. par. 2. qu. 2. sect. 8.* Moura *d. sect. 2. cap. 11.* & videtur innuere Concilium Florentinum *in dicto decreto Eugenii*, & Tridentinum *sess. 14. cap. 2.* Nam pro excellenti, ac singulari prærogativa decernitur, Sacramentum Unctionis ex vi operis, etsi fallibiliter, conferre sanitatem corporalem, quasi Ecclesia ipsa potestatem habeat ad hujusmodi effectum producendum. Imò communiter Concilia, & Theologi supponunt, pertinere solùm ad potestatem divinam instituere remedia causativa sanitatis, licèt ex vi operis concedatur aliquibus gratia sanitatum, modo jam declarato. Imo etiam communis sententia Doctorum restringit, unctionem conferre sanitatem morbis exitialibus, ac impedientibus rationis usum ad animæ præparationem necessaria. Adduntque, non valere contra senectutem, qua homo decumbit, & moritur; alias posset hominem reddere immortalem. Quinetiam limitatur pro infirmitate proveniente ex peccatis actualibus, sive per se, sive quatenus augent inductus à peccato originali. Quod probat Sotus *in 4. dist. 23. qu. 1. ar. 2. ad 2.* ex forma ipsius Sacramenti, ubi etiam addit *ad 5.* quod hæc sacramentalis virtus inducat duntaxat quoddam divinum auxilium, certò quidem, & infallibiliter virtutis ita limitatæ, ut quamvis augeat vires naturales, etiam medicamentorum, possit tamen ab eis vinci, imò & ab arte peritissimi medici. Unde infert fallibilitatem præfati effectus, ex quo non esse ullo pacto arguendum pro salute animæ. Quod approbat. Henriquez *lib. de Sacrament. cap. 14. num. 7.* Refragatur verò Suarez *tom. 4. in 3. parte*

3. p. disp. 41. sect. 3. & in id videtur propendere Paëz ad Jacobi. cap. 5.

Et sanè Concilia Florentinum, ac Tridentinum declarant, ubi expedit saluti animæ, & Coloniense *tit. de hoc Sacramento*: Si ità Deo visum erit. Petrus etiam Sotus *Lect.* 1. *eod. tit.* §. *post materiam*, ait, cùm saluti infirmi aut animæ id convenientius est. Cathechismus Romanus *p.2.c.6.nu.26.* refert sanitatis effectum ad Dei consilium, & voluntatem. Cajetanus verò autumat *cit. c. 5. Jacobi*, solùm per viam deprecationis unctionem, de qua Jacobus loquitur, sanitatem conferre. At Salmeron, & Paëz, etsi minimè dissentire annotaverit Moura *ibid. n.*21. Coloniense autẽ, & Cathechismus Romanus tradunt rationem, cur in Ecclesia primitiva plurimi infirmi, cum ungerentur, corporaliter curabātur. Quia Christiani tunc Sacramentum fide ferventiori suscipiebant. Et Concilium Tridentinum definit, rem & effectum hujus Sacramenti esse inter alia, morbi incommoda, & labores leviùs ferre, & Sanitatem corporis interdùm, ubi expedierit, conferre. Notante enim Salmerone in eundem locũ, post antiquos Theologos, & expositores, non instituit Iacobus hoc sacramentum, sed institutum à Christo publicavit; nam in eo pactum de danda gratia, & quandoque sanitate invenitur, quod solius Dei proprium est. Atque adeò nullo modo Ecclesia potest instituere Ensalmos ad sanitatem efficaces, quasi ex vi operis causandam. Quod & confirmat Augustinus *4.p.serm.9.* cujus verba refert, & commendat Vualdensis *to.1.de sacr. c.* 162.*n.*3.*&* 5. ea sunt hujusmodi: *Videte, fratres, quòd qui pro infirmitate ad Ecclesiam currit, corporis sanitatem recipere, & peccatorum indulgentiam merebitur obtinere. Cum ergo duplicia bona in Ecclesia possimus invenire, tamen per incantatores, per fontes, per arbores, & diabolica phylacteria, per aruspices, vel sortilegos, vel divinos multiplicia sibi mala miseri homines conantur inferre.* Ergo ex Augustino ad Ecclesiæ potestatem sacramẽtale tantùm pro salute corporali recurrendũ est: alioquin ad Deum rectè, ad dæmonem pravè recurritur. Et D. Thomas loco citato tradit, Ecclesiā contra mala à causis naturalibus, vel supernaturalibus inducta, non habere potestatem agendi ex vi operis operati, aut cæremoniæ, ut sunt exorcismi fundati in promissione divina, sivè physicè, sive moraliter concurrant, sed ea impedire conatur per orationes, ac deprecationes per sua merita, & fidem; aut divina mysteria Deum obtestando,

Dicimus ultimò. Ecclesia non potest instituere Ensalmos efficaces ex vi operis infallibiliter, aut fallibiliter per modum impetrationis, causantes sanitatem temporalem, fundatos in promissione divina, aliàs Ecclesia usa fuisset in tot necessitatibus. At sanitas absque remediis naturalibus collata, & miraculosè, sicut & alia miracula, non nisi à Deo proveniunt, mediis instrumentis ab eo electis, toties, quoties, ut Angelis, & hominibus. Ergo ille tantùm posset instituere propria autoritate hujusmodi Ensalmos, qui posset facere, ut Deus promittat concurrere ad dicta miracula. Quod nulli potest creaturæ competere, sicut nec facere, quod Deus concurrat ad dicta miracula supernaturaliter. Quod requireretur ad Ensalmum constitutivum. Sed de his non plura.

Temerarium ait Torreblanca *lib. 9. jur. spirit. cap.* 6. *n.* 4 & indignationi divinæ obnoxium in materia religionis, vel cultus, aliquid addere, vel minuere, vel immutare. Nam ut, ait Dominus Deuter. cap. 12. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito, neque addas quidquam, vel minuas.* Undè Missarum ritus superstitiosus censetur, in quibus præscribitur certus numerus Missarum, vel Candelarum ab Ecclesia non præfinitus. Nam eo ipso ut superstitiosa damnantur in Sacro-Sancto Concilio Tridentino *sess.22. in decret. de observ. vel evit. in Miss. celebr.* his verbis: *Quarundam Missarum & candelarum certum numerum, qui magis à superstitioso cultu, quàm à vera religione inventus est, omnino ab Ecclesia Episcopi submoveant.* Et quidem superstitiosum est uti in cultu divino vanis, & inutilibus cære moniis, tanquam necessariis, ut certo numero Missarum, diebus continuis dicendarum, talibus horis, tot candelis talis coloris, quasi existimet, Missarum efficaciam cessaturam, si defecerint hæ circumstantiæ. Atquè id voluit S. Concilium Tridentinum, cujus S. Congregatio censuit, in prædicto decreto comprehendi etiam Missas ad devotionem aliorum, non ex superstitione, veluti tres de Trinitate, vel quinq; de plagis Domini ac similibus, cum totidem candelis. Quod est contra Sanchez *d. cap.*40. *n.*40. Fagundez *lib.* 1. *cap.* 37. *num.*1. Alcozer, & Cirvellum apud ipsos.

Hinc superstitiosæ quoq; sunt Missæ, quæ appellantur de *San Amador*, cum certis cæremoniis, nempè, ut inchoari, ac terminari debeant certis destinatis diebus, absque interpellatione, ac certo candelarum numero. Quidquid dixerit Torreblanca *eo cap.* 6. *n.* 8. *& seq.*

Sic etiam superstitiosæ sunt Missæ illæ, quas vocant *Trentenarii revelati*, aut Missas *del Conde*. Quia continent vanas circumstantias: ut quòd duo Clerici soli, & quidem inclusi intersint missæ, nec egredi indè possint, nisi ad Sacramenta ministranda, aut jussu Prælati; neo possint ab Ecclesia exire donec eæ triginta Missæ celebrantur; Etsi minùs rectè illas superstitiosas esse negaverit Episcopus Jiennensis, dum eas approbavit in sua Synodo, anno 1511. *tit. de vit. & honest. cleric. c.* 24.

Sunt itidem superstitiosæ Missæ S. Gregorii pro vivis & defunctis, nec non Missa de quindecim Auxiliatoribus, ac Missa de Patre Æterno, ideoq; illas tanquam nulla autoritate suffultas S. Rituum Congregatio damnavit his verbis: *S. Rituum Congregatio ad tollendos abusus, qui variis in locis irrepserunt, re maturiùs discussa censuit, & decrevit, Missas item, quæ circumferuntur à S. Congregatione non approbatas, S. Gregorii pro vivis, & defunctis, quindecim Auxiliatorum, & de Patre æterno, & quascumque alias, exceptis ijs, quæ sunt permissæ Regularibus tantùm, veluti Provinciæ S. Mariæ de Monte Carmelo, & altas; sicut etiam officia ab eadem non approbata; Prohibuit, rejecit omnino, & damnavit respectivè, & pro prohibitis, rejectis, & damnatis haberi voluit, sub pœnis contentis in Bullis Pii V. initio Breviarii, & Missalis, quòd scilicet non satisfaciant muneri recitandi Officii divini. Quo verò ad abutentes supradictis Missis, sub aliis pœnis contentis in Indice librorum prohibitorum ex decreto S. Concilii Tridentini edito &c. Facta demùm relatione horum prædictorum Sanctissimo D. N. Vrbano* VIII. *idem Sanctissimus ea laudavit, approbavit, atq; ab omnibus ubique sub prædictis pœnis servari præcepit. die* 8. *Aprilis* 1628.

Tolerandæ tamen sunt Missæ triginta S. Gregorii pro defunctis, ab eo institutæ, de quibus Gavantus *in rubr. Missal. p.*1. *tit.* 5. *n.*3. *lit.* D. Ritus autem celebrandi has Missas triginta diebus præscribitur à S. Gregorio Papa *lib.4. dial. cap.* 55. Abbati Pretioso pro anima Justi Monachi his verbis: *Vade ab hodierna die, diebus triginta continuis offerre pro eo Sacrificium; stude, ut nullus omninò prætermittatur dies, quo pro absolutione illius hostia salutaris non offeratur.*

Undè licet S. Rituum Congregatio prohibuerit Missas S. Gregorii pro vivis & defunctis, non tamen vetuit celebrari has triginta Missas, sed tantùm prohibuit quasdam Liturgias non approbatas, quæ dicebantur D. Gregorii. Et ita præ cæteris observant Gavantus *loc. cit.* Lezana *tom.* 1. *qq. regul. cap.* 21. *n.* 23. Quartus *in rubr. Missal. sect.* 5. *q. proœm. pun.*4.

Sunt autem qui censeant, non esse necessarium ut idem Sacerdos celebret assiduè cõtinuis triginta diebus dictas Missas, sed solùm ut offeratur hostia per mensem sive ab uno sive à pluribus. Ii sunt Gavãt. *ibid.* Tamburin. *Opusc. de Sacrif. Miss. lib.*2. *cap.*6. §.7. *n.*4. Lezana *d.c.* 21. *n.*23.

At ego probabilius censeo, quòd inhærendo historiæ S. Gregorii debeant hæ triginta Missæ ab eodem Sacerdote celebrari. Non enim ait D. Gregorius *offerri stude*,

sed *offerre stude*, Offerre autem habet significationem activam, quæ refertur ad eum, cum quo loquebatur Gregorius, & proinde dixit, quòd ipse offerre studeret. Nam si celebrentur ab eodem, habent illam continuatam instantiam orationis, & perseverantiam oblationis sacrificii, quæ conjuncta cum continuatione sacrificii ab ipso elevatur, ut sit satisfactiva pœnarum, & impetrativa liberationis animæ purgantis. Si autem contingat, non posse ab eodem sacerdote celebrari ob mortem, vel infirmitatem, poterit alius supplere.

Sunt verò celebrandæ, *de Requiem*, iis diebus, in quibus juxta rubricas celebrari possunt. Nam D. Gregorius dicit, quod per triginta dies offeratur sacrificium pro defuncto, cumque non explicet quâ missâ sit offerendum, relinquit, quòd offeratur secundùm dispositionem Ecclesiæ. Quia casus omissus relinquitur dispositioni antiquæ *L. si vero §. de viro ff. de lib. & posth.* Ecclesia autem disposuit, ac instituit speciales missas pro defunctis, ut cum ipsis pro eis offeratur sacrificium. Potest tamen celebrari missa quotidiana, quia dum in ipsa recitantur preces pro omnibus defunctis comprehenditur etiam defunctus, pro quo offertur sacrificium. Nec Consortium aliorum defunctorum ad participandum fructum precum Ecclesiæ tollit, quin defunctus percipiat proprium fructum horum sacrificiorum, dum pro ipso offeruntur.

Sunt etiam celebrandæ sine interruptione, ac ita, ut nisi hoc modo celebrentur, non prosint, tanquam missæ D. Gregorii, sed solùm ut ordinaria sacrificia, dummodo tamen isti triginta dies non coincidant cum triduo majoris hebdomadæ. Nam feria quinta, & sabbato non solet celebrari, & feria sexta non potest. Nam hujusmodi missæ sunt celebrandæ, secundùm institutionem Divi Gregorii, alioquin non habebunt effectum, ad quem secundùm illam institutionem ordinantur. Secundùm autem dictam institutionem debent continuò celebrari, & sine interruptione. Dicit namque Gregorius: *diebus triginta continuis*. Dictio autem *continuis* expresse requirit continuationem. Et subdit: *Ut nullus omninò prætermittatur dies.* Prætermitteretur autem, si interrumperentur. Estque notanda dictio illa *omninò*, quæ facit quòd nullo prorsùs modo possit omitti aliquis dies, in quo non offeratur sacrificium. Habet enim vim decreti irritantis, ita, ut nullum reddat, quidquid fit contra dispositionem, ut observant Osasch. *decis. Pedem.* 165. *n.* 14. Lambert. *d. iure patr. lib.* 2. *p.* 1. *quæst.* 7. *art.* 30. *n.* 19. & Marescot. *var. resol. cap.* 29. *num.* 11.

Nec ista continuatio sapit superstitionem. Nam, si saperet, neq; possent hæ missæ continuò celebrari, quia committeretur aliquid superstitiosum. Sed requiritur hæc continuitas ad elevandum suffragium ad majorem æstimationem; nam pluris fiunt, quæ continuantur, quâ quæ cum interruptione exhibentur. Unde pluris fiet donum centum aureorum, quàm si diversis vicibus eadem summa donetur. Et continuitas æstimatur præsertim in oratione. Unde 2. *Machab.* 13. Judas præcipit populo, ut continuò die ac nocte oraret Dominum, atque adeo omnes per triduum continuum prostrati oraverunt.

Ex quibus rejicitur sententia Fraxinelli, Bonacinæ, Homoboni, Lezanæ, ac Dianæ, asserentium non esse necessarium, quòd continuentur, sed posse interrumpi, non solùm quando juxta ritum Ecclesiæ non potest offerri sacrificium, sed etiam ex aliqua rationabili causa. Et colligitur, quòd licèt in triduo majoris hebdomadæ possint interrumpi hæ Missæ; quia continuitas intelligitur secundum ritum Ecclesiæ; Si tamen contingat, eum, qui incepit has Missas, celebrare feria quinta, & sabbato, tenebitur offerre pro defuncto, pro quo incepit has triginta Missas, non autem feria sexta; quia in hac non offertur sacrificium, sed consumuntur præsanctificata. Poterit etiam ad illas continuandum, si velit, celebrare dicta feria quinta, & sabbato, & hæc erit sufficiens causa celebrandi. Non tamen erit necessarium. Nam poterit se conformare consuetudini Ecclesiæ. Item colligitur, quòd apud Ecclesiam Ambrosianam, juxta cujus ritum nulla feria sexta Quadragesimæ celebratur Missa, non censetur interrumpi has Missas, si in iis diebus non celebrentur. Cum enim ritus Ambrosianus sit approbatus ab Ecclesia, & hæ Missæ debeant esse continuæ, quantùm admittit ritus Ecclesiæ, non est necessarium, quòd continuentur, quando juxta ritum Ecclesiæ apud quam celebrantur, nequeunt continuari.

Est superstitiosum ipsam Salutationem Angelicam, ipsasque divinas preces, si repetantur sub certo numero, quasi in numero aliquid lateat Numinis. Cæterum numerus à mysterio non vacat. Docet id Sacra Scriptura: Septimum quippe diem elegit, & sanctificari voluit Deus, quo ab omni opere, quod patrarat, requievit, *Genes.* 2. septimo quoq; anno incultam terram manere atque servum libertati donari constituit, *Levit.* 25. Anno etiam quinquagesimò possessiones suis reddi proprietariis jussit, *Exodi* 21. *Levit. ibid.* Quid ergo mirum si aliquas preces sub certo numero ordinavit Ecclesiæ pietas? Cum enim quinquagesimus annus, annus fuerit Jubilei, ac remissionis, quinquagies Angeli salutationem replicamus, ut per eam quinquagesimam, hoc est remissionis gratiam impetremus. Quinquies autem orationem repetimus dominicalem in laudem & honorem quinque vulnerum Christi, quorum sanguine nostra dilui precamur peccata. Quid, oro, in his est superstitiosum, aut vanum? Nihil profectò. Sunt enim ejusmodi preces rudis vulgi eruditiones, & exercitationes, ut vel in his se exerceant, qui altiora contemplari minimè noverunt, habeantq; pium exercitium, cui dediti, ab indecentibus fabulis se contineant. Sunt admodum pauci, qui cælestia meditari valent, plurimi autem, qui vel in isto exercitio se occupare non valent. Admittantur itaq; simplicia hæc studia rudioribus. Si qui verò ad potiora studia provehi queunt, non prohibemus. Neque existimo hoc elogium Virgini Mariæ ingratum, in quo sævissimus per eam prostratus commemoratur inimicus, si ad memoriam reduco quomodo gladius Goliad, quem prostravit David, in templo servatus est 1. *Reg.* 21. Si attendo & conopeum Holophernis Iudith collatum esse, in memoriam inclyti facinoris, *Judith* 15.

Adhibere medicamenta naturalia, & utilia cum vanis circumstantiis, est superstitiosum. Quia si adjungantur ad res naturales, quæ naturalem habent virtutem producendi sanitatis effectum, aliqua verba, vel characteres, vel quævis aliæ observationes quæ naturaliter efficaciam non habent ad effectum salutarem producendum, tunc speratur salus per aliquod supra vires causarum naturalium, ac per consequens adest in illis verbis, seu characteribus, aut cæremoniis superstitiosa, & dæmoniaca deceptio. Siquidem illa media, sive applicationes, cùm non possint esse causæ, habentes virtutem ad illos effectus, adhibentur, ut signa, ad quorum præsentiam alius operetur. Iste autem non est Deus. Quia Deus nunquam talia signa instituit. Est igitur dæmonæ ac proinde actio illa est manifesta superstitio, ut per D. Thomam 2. 2. *qu.* 96. *ar.* 2. *ad.* 1. ubi Caiet. Suarez *to.* 1. *de relig. lib.* 2. *cap.* 15. *nu.* 8. & 9. Lessium *lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 10. *nu.* 63. Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 40. *n.* 20. Navar. *cap.* 15 *num.* 34. Castrumpal. *p.* 3. *tr.* 17. *disp.* 1. *pun.* 10. *nu.* 18. ac Delbenem *de offic. Inquis. p.* 2. *dub.* 228. *sect.* 5. *num.* 5.

Si verò dubitetur, an affectus à causa naturali proveniat, quia non constat an vires causæ naturalis excedat, nec ne, censendum est, illum, potiùs à causa naturali procedere. Quia cùm innumeræ naturalium causarum vires nos lateant, non adest ratio, cur effectus ille

ille sit præsumendus potius superstitiosus, quàm à causa naturali, & ut docet D. Thomas 2.2.*q*.60.*ar*.4.*dub*.6. in meliorem partem interpretari debemus. Verùm qui tali re ad expellendum mortem uti intendit, debet protestationem præmittere, ut antea diximus, nolle effectum consequi, si ex dæmonis tacito pacto proveniat. Si autem constet, effectum illum vires causæ naturalis excedere, tunc nisi maxima operantis sanctitas, vel alia urgentissima indicia suadeant, effectum à Deo, vel ab Angelo provenire, censendum est in dubio superstitiosum, & causari à dæmone, etiamsi verba adhibita sint sacra. Ita docent cum D. Thoma *d. q.* 96. *ar.* 2. Sanchez *loc. cit. n.* 44. Suar. *ibid. num.* 13. *&* 14 Sayr. *lib.* 4. *cap.* 6. *n.* 4. alijque.

Cum autem plures sint vanæ observationes sacrarum rerum & verborum, ideo explicandum est quid sub nomine sacrarum rerum, & verborum comprehendatur. Primùm comprehenduntur septem Sacramenta, eorunque materia, & forma.

Deinde omnia Sacramentalia, nempè orationes ab Ecclesia, vel à pijs hominibus institutæ, omnia comestibilia, & potabilia benedicta, aqua benedicta.

Item reliquias Sanctorum, eorum imagines, quælibet Crux Christi, Agnus Dei, numismata sacra, lapis consecratus in quo celebrantur missæ, vasa sacra, ut calix, patena, pyxis, corporalia, paramenta Sacerdotalia, & aliorum ministrorum, aliaque ornamenta Ecclesiæ, vel calicis, aut altaris, candelæ benedictæ, cereus paschalis, oleum lampadis, locus Ecclesiæ, tempus specialiter divino cultui dicatum, ut si ad effectum obtinendum necessarium sit facere aliquid intra Ecclesiam, vel in cœmeterio, vel in die Paschatis, vel in festo alicujus Sancti, vel dum Sacerdos celebrat, vel dum Campana pulsatur, & id genus alia.

Tum demum Sacra Nomina Dei, Sanctissimæ Trinitatis, Jesu Christi, Virginis Matris Mariæ, aliorumq; Sanctorum ac Beatorum, vel Angelorum, & similiter verba Sacræ Scripturæ tam veeris quam novi testamenti, vel missalis, aut Breviarij.

Omnia enim prædicta vocantur res sacræ, quarum abusus est superstitio, & sortilegium eò gravius, quò res sanctiores in sortilegiis miscentur. Quia nullibi constat Deum, vel Ecclesiam prædictis verbis, aut rebus sacris dedisse virtutem producendi effectus juxta voluntatem sortilegi. Ideo dicendum est, dæmonem immediatè ad positionem talium mediorum occultè operari illud, quod homo intendit. Et hac ratione hujusmodi media vocantur signa, non causæ; quia signant pactum tacitum vel expressum cum dæmone, non causant effectum, ut per Sot. *in* 4. *d.* 15. *q.* 2. *ar.* 3. Graff. *p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 5. *nu.* 12. 13. 16. 22. 24. *&* 31. Farinac. *de hæres. q.* 181. *an.* 15. Floron. *de casib. reser. cas.* 1. *§. maleficium nu.* 8. Caren. *p.* 2. *tit.* 12. *§.* 5. & Bordon. *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 16

Differt autem superstitio cum abusu rerum sacrarum ab aliis superstitionibus, in eo, quod ubi res sacræ admiscentur in superstitione, sive sint Secramenta, sive sacramentalia, vel cœtera supradicta, sive sint verba Evangelii, vel fidei symbolum, vel Pater noster, Ave Maria, Psalmus Davidicus, aut verba Sacræ Scripturæ, vel aliæ orationes, est superstitio, sive sortilegium qualificatum, manifestè de hæresi suspectum, & ad Inquisitores spectat ejus cognitio.

Si autem res sacræ non interveniant, sed tantum media profana, ut characteres, aut verba aut alia signa, sive res, quæ nec Sacramenta, neque Sacramentalia, nec benedicta sint, tunc erit superstitio, sive sortilegium simplex, non hæreticale, nisi adsit pactum expressum cum dæmone; quia ratione pacti cum dæmone esset sortilegium vehementer de hæresi suspectum; sine autem tali pacto erat mixti fori jure antiquo, nisi ratione personæ ad Judicem tantùm Ecclesiasticum pertineret, ut notavit Abb. *in cap.* 1. *n.* 3. *&* 4. *de fortil.* Castr. *lib.* 1. *de just. hæret. punit. c.* 16. Clar. *lib.* 5. 11. *hæresis n.* 25. Jure autem novo per Constitutionem Sixti V. de qua alibi, excluditur Judex laicus à cognitione sortilegiorum etiam simplicium, ut per Scac. *lib.* 1. *de judic. cap.* 12. *num.* 53. Dianam *p.* 4. *tr.* 7. *resol.* 10. & Carenam *d. tit.* 12. *num.* 140.

Adhibens medicamentum naturale ad curandum morbum cum admixtione alicujus rei sacræ vel sacrorum verborum, si iis utitur, tanquam circumstantia necessaria pro salute obtinenda, est superstitiosus, ac de hæresi suspectus, & S. Officio Inquisitionis denunciandus. Et similiter si ex illa admixtione, ac modo medendi sequeretur vel subitò, vel citiùs, aut certiùs ipsa salus, quam ex solo medicamento naturali. Nam adest clarum indicium, dæmonem ibi occultè operari. Nullibi enim reperitur in S. Scriptura, nec per institutionem Ecclesiæ licitam esse talem admixtionem rei sacræ, vel sacrorum verborum cum naturali medicamento, ut causet suum effectum. Quia nec sacramenta nec sacramentalia, nec sacra verba fuerunt, à Christo Deo tradita ad hujusmodi effectus producendum. Sed dæmones, qui nituntur hominum animos superstitionibus implicare, usum talis admixtionis introduxerunt, ut res Deo dicatæ ac debitæ, sibi offerantur. Et ideo hic modus medendi est sortilegium hæreticale; necessariò denunciandum Inquisitoribus, ut tradunt Farinac. *d. q.* 181. *n.* 2. Pegna *in direct. p.* 2. *com.* 67. Testanturque Torrelh. *de mag. lib.* 2. *cap.* 49. *n.* 55. *& seq.* Delrius *lib.* 3. *cap.* 5. *qu.* 4. *sect.* 7. Carena. *d. tit.* 12. *§.* 5. *n.* 31. *&* 32. fuisse quendam condemnatum, ut negromanticum à S. Tribunali, quia cum recitatione verborum Consecrationis sanabat omnia vulnera.

Si verò adhibens medicamentum naturale uteretur rebus sacris, sive orationibus licitis, vel signo Crucis sine ulla vana circumstantia, sed ob veram devotionem supplicans Deum, ut medicamenta illa prosint infirmis, non esset superstitiosus. Quia in tali modo medendi nil mali reperitur; immo est quid pium expectare per orationes à Deo effectum salutiferum ex naturalibus medicamentis, ut supra diximus.

Sic etiam qui nullum infirmo applicaret medicamentum naturale ad sanitatem consequendam, sed solas res sacras, vel preces, vel adjurationes, existimans per illas solas infirmum esse sanaturum, committeret superstitionem, ac sortilegium. Nam certum est, quòd ista nullam vim habent nec naturalem, ut patet, neque supernaturalem. Præter enim Sacramenta, quæ Christus instituit non habent sacra verba virtutem conferendi certò aliquem effectum, ac proinde illum conferunt operatione dæmonis. Secus verò dicendum si quis speraret hujusmodi effectum impetratoriè, ac per devotionem, ut per Delbenem *p.* 2. *de offic. S. Inquis. dub.* 228. *sect.* 12. & alios apud ipsum.

Pariter si quis utatur sacris verbis, rationem habens ad virtutem divinam, non est illicitum verbis illis incantare serpentes. Si verò quis credat, quod vis incantandi serpentes sit certis, ac determinatis verbis, nulla ratione ad Deum habita, sed quod certò ob illa verba serpentes incantentur, est superstitiosus. Quia verba illa non possunt esse causa naturalis illius effectus. Atque adeo sunt signa taciti alicujus pacti cum dæmone, ut docet D. Thomas 2.2, *q.* 96. *ar.* 4. *ad* 2. ubi ait, *quod plerunq; tales incantationes habent illicitas observationes, & per dæmones sortiuntur effectum.*

Simili modo si trina repetitio versus alicujus Psalmi ordinetur in honorem Sanctissimæ Trinitatis, & non à simplici recitatione, sed à Deo speretur salus, licita utique est. Secus verò si in ipsis nudis verbis expectetur salus, ut per Delrium *p.* 2. *q.* 4. *sect.* 3. Facundez *ad* 1. *decal. precept. cap.* 27. *nu.* 10. Quia nuda illa verba ex se nullam habent efficaciam.

Qui verò manus celeritate, vel arte, ut non percipiatur ab astantibus id, quod efficit, utitur verbis sacris non ad producendum effectum, sed ad illudendum astantes, non est superstitiosus, neq; peccat mortaliter, secluso scandalo, & dummodo sacra verba non convertantur in ludibrium. Quia nullum adest in re hac ludicra dæmonis pactum, sed tantùm hominis artificium joculare, ut per Valentiam 2. 2. *disp.* 6. *q.* 13. ac Delben. *d. dub.* 228. *sect.* 8. *num.* 6.

Est tamen superstitiosum tribuere Angelis nomina illa Raguel, Tubiel, Adimis, Tuhas, Simihel, Uriel, Saltiel, Jehudiel, & Barachiel. Quia tria sunt nomina propria Angelorum ex Sacra Scriptura nobis nota, nempè Michael, Gabriel, Raphael: Et ita fuit decretum in Concilio Romano sub Zacharia Papa ut refert Baronius *to.* 9. *ad an.* 745. Unde supradicta nomina potiùs existimanda sunt nomina dæmonum, quàm Angelorum, ait Carena *p.* 2. *d. tit.* 12. §. 9.

De nominibus autem Uriel, Saltiel, Jehudiel, & Barachiel, dubitari potest, an sint Angelorum. Nam Uriel exponitur, *Ignis Dei*, Saltiel, *oratio Dei*, Jehudiel *Laus Dei*, Barachiel, *benedictio Dei*: Refertque Cornelius à Lapide *in cap.* 1. *Apocal. num.* 4. quòd B. Amedeo revelata fuerint nomina septem præcipuorum Angelorum, qui adstant coram Deo inter alios. Undè Panormi adest Templum insigne, dicatum his septem Angelis, quorũ nomina sunt Michael *Victoriosus*, Gabriel *Nuntius*, Raphael *Medicus*, Uriel *Fortis socius*, Saltiel *orator*, Jehudiel *Remunerator*, & Barachiel *Adjutor*. Et Granadus *in* 1. *p. to.* 3. *de Angel. tr.* 16. *disp.* 2. *n.* 3. testatur, Romæ reperiri in altari S. Mariæ Angelorum pictos hujusmodi septem Angelos cum iisdem nominibus, ac extare in eadem Urbe librum impressum Anno 1595. in quo leguntur eadem septem nomina Angelorum cum suis orationibus ad eos invocandum. Verùm quia nomina ista ex Canonica aliqua scriptura nobis non sunt revelata, subdit Granadus ibi *num.* 6. oportere in publicis orationibus abstinere ab omnibus aliis Angelorum nominibus, præter illa tria recepta. Immò consultius est nullum aliud illorum nomen, etiam privatis precationibus usurpare. Id enim est magis conforme consuetudini Ecclesiæ, ac decreto Concilii, jam citati.

Verùm quidquid antiquitus prætextu religionis in his irrepserit, hoc certum, hodiè non extare in Ecclesia S. Mariæ Angelorum eas imagines, eaque nomina Angelorum: fuerunt enim jampridem superiorum jussu omnia deleta. Idem desidera in Angelis illis Panormitanis, si adhuc supersint. Et tamen Philo Judæus de antiquitatibus Biblicis ait, quod Angelus qui apparuit matri Samsonis vocabatur *Phadael*. Et Feraclius *lib.* 1. *de abdit. rer. caus. cap.* 11. ait litteris se proditum accepisse, quod primi parentis Custos Angelus dictus sit *Raziel*, Abrahæ *Zachiel*, Isahac *Raphael*, Jacob *Peliel*, idest *mirabilis* Dei, Moysis *Metraton*. Verùm hæc Cabalistarum sunt conjecturæ, vel commenta. Nequè hoc mirum esse videtur, quia Magi aliquando Dei nominibus abutuntur ex Procopio in Leviticum apud Delrium *lib.* 1. *magi. cap.* 4. *q.* 4. ubi ait *Invocant Zabaoth*. Quid tum? Impiè hoc faciunt: Nam illam appellationem non Deo, sed dæmonibus tribuunt, & plerumque illi dæmoniaci usurpant nomina divina, dum ea imponunt dæmonibus, quorum ambitioni serviunt.

Advertendum est, superstitiosam omnino esse Chartulam, quam nonnulli pro doloribus viscerum gestare solent, in qua est scriptum nomen Pater, Balthasar, Filius Gaspar, Spiritus Sanctus Melchior. Sic quoque superstitio hæreticalis est deferre Chartulam collo appensam cum nominibus Gibeth, & aliis incognitis; Quia nomen istud est nomen dæmonis, ut ait Anania *lib.* 2. *de nat. dæmon. cap.* 61. Et delatio illa est signum reverentiæ, & alicujus adorationis Dæmoni exhibitæ; quemadmodũ signum est reverentiæ, ac devotionis erga sanctos eorum reliquias deferre. De superstitione Phialæ, & Cribri ad inveniendum res furto ablatas, agemus in sequenti Consultatione.

Esse autem superstitionem, sed non hæreticalem illam quæ fit cum hostia non consecrata, super quam celebrata sit missa, opinantur Ghirlandus, *de sortil. q.* 10. *n.* 16. *&* 17. Torreblanc. *de mag. lib.* 3. *cap.* 8. *n.* 18. *&* Farinac. *de hæres. quæst.* 20. *n.* 83. Quia non est abusus rei consecratæ, neque Sacramentalis.

Delrius verò *lib.* 3. *magic. sect.* 13. ita distinguit. Si talis bene sentiat de fide, & non præbuit hostiam aliis adorandam, sed accessoriè tantùm super altare ad magicos effectus posuit, erit tantùm suspectus de hæresi. Si verò credidit, talem hostiam esse, ut consecratam adorandam, apertè erit hæreticus; Si autem non credidit, illam habere vim aliquam ad effectum magicum, non erit suspectus de hæresi, sed ab Inquisitoribus pœna extraordinaria puniendus.

Alii omninò tenent talem superstitionem esse hæreticalem, ut docent Scaccia *de judic. lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 34. Sousa *lib.* 1. *aphor. cap.* 57. *n.* 11. Moura *de incantat. opusc.* 3. *sect.* 3. *cap.* 5. *num.* 29. Bordon. *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 30. Caren. *p.* 2. *de tit.* 12. §. 8. *n.* 53. *& seqq.* Nam in tali superstitione admiscetur res sacra, scilicet celebratio Missæ super hostiam, licet non consecratam. Ideoque est superstitio hæreticalis non propter hostiam non consecratam, sed propter Missam super eam celebratam. Si enim hoc faciens non intenderet derogare sacrificio Missæ, cur potius uteretur hostia, super quam celebrata sit Missa, quam alia, super quam illa non sit celebrata? Missæ igitur sacrificium per illam hostiam ordinatur ad superstitionem, & præsumitur, quòd id faciens credat, illud vim habere, ad maleficium operandum. Hoc enim ipsum in facto demonstratur. Ac proinde est superstitio manifestè hæresim sapiens. Et ita refert Carena fuisse declaratum in Congregatione S. Officii Cremonensis die 25. Septembris 1638.

Alii tandem volunt quod sit sortilegium hæreticale manifestè. Quod ego verùm puto, si in illa sicut fieri solet, sit impressa Crux, vel aliud signum sacrum, vel si utens utatur illa, quatenus est materia ordinata ad Eucharistiam conficiendam; aliàs non esset hoc sortilegium qualificatum. Quia hostia est materia de se indifferens ad alios usus, quàm ad Eucharistiam.

Si verò super hostiam non fuerit celebratum, sed solùm in ipsa scripta fuerint aliqua nomina, vel signa, vel commixta fuerit cum aliquo liquore vult Bordonus *loco citato*, quod vel sortilegium fuit ordinatum ad salutem, & ad bonum effectum, & non videtur sortilegus graviter de hæresi suspectus; quia censetur levis abusus. Si verò fuerit ordinatum ad maleficium, videtur graviter de hæresi suspectus; quia præsumitur credere hujusmodi media producere maleficium, eò quòd pendeant quodammodo à sacrificio Missæ, cujus illa hostia est destinata materia.

Verùm Carena *loco etiam citato* absolutè tradit, sortilegium cum hostia non consecrata, etiamsi factum sit ad sanitatem, esse hæreticale. Quia sicut forma Sacramenti Eucharistiæ adhibita in sortilegio, ex communi sententia, reddit illud hæreticale, ita hostia non consecrata quæ est materia ejusdem Sacramenti, & quæ moraliter pro Eucharistia est destinata, & conficitur cum signo Crucis, & imaginibus sacris. Et quamvis aliquando aliquis ea utatur ad sigillandum litteras, id tamen est per accidens, & non tollit, quia hostia moraliter tantùm pro Sacramento Eucharistiæ sit destinata, alioquin cur sortilegus hostiam potiùs, quàm aliam rem eligeret? At ego censeo, ut modò dixi, & ad rationem ex paritate formæ cum materia Eucharistiæ, respondeo, quòd forma est de se instituta ac determinata ad conficiendam Eucharistiam, non autem materia

tia quæ, ut dixi, est indifferens ad alios usus.

At quid de Prædictionibus futuris, quæ aliquando à morientibus fiunt?

Non esse vanam superstitionem eis præstare fidem, quia morti proximi sæpe futura divinant, cum Platone & aliis Philosophis ait Azor. *p.* 1. *lib.* 9. *cap.* 24. *q.* 6. & pluribus exemplis probat D. Gregorius *lib.* 4. *dialog. cap.* 27. *& seq.* concludens, quod aliquando exituræ de corpore animæ per revelationem futura cognoscunt, & aliquando etiam vel anima subtilitate sua, ea quæ sunt futura cognoscit. Sic Jacob jam jam moriturus vocavit filios suos dicens Genes. 49 *Congregamini ut annunciem quæ ventura sunt vobis in novissimis diebus.* Moyses quoque cùm mors sibi instaret, multa Israeliticis Tribubus prædixit. Nam si morituri vaticinantur futura, quæ certas causas naturales habent, id faciunt, quia nonnunquam ea hora consopitis sensuum motibus, mens intrò magis se colligit, ac meliùs, & exactiùs res contemplatur. Quia vario, ac multiplici sensuum affectu neque perturbatur, neq; distrahitur. Quare Augustinus 12. *confess.* ait quòd anima humana, quando appropinquat ad mortem præcognoscit quædam futura subtilitate naturæ suæ, *& cap.* 12. *super Genes.* dicit, quòd animæ humanæ secundum quod à sensibus abstrahitur, competit futura prævidere. Hinc vulgò dicitur, quòd morientes, vehementer amantes, dormientes, phrenetici, rapti futura nonnunquam divinant.

Non erit ergo superstitiosa & vana observatio futuri eventus prædicti ab eo, qui proximus est morti, neque illi præstare fidem.

Et quidem de hac animæ facultate extat exemplum apud Homerum *in Iliad. lib.* 21. ubi introducit Patroclum morti proximum ad divinandum id quod eventurum sit de morte Hectoris, sequens opinionem Zoroastri, qui credidit, quòd anima corpore inclusa, & morti proxima, haberet scientiam futuri, cum jam inciplat se liberare à vinculis vehiculi, quod Platonici Ostraceum appellant, se recipere ad vehiculum æthereum, & cœleste. Eustathius quoq; exponens Homeri locum scribit, esse antiquorum doctrinam, quod anima soluta à corpore, ac proxima naturæ divinæ, divinat. Et aiunt quòd Artemon Milesius *in libro de somniis* scripserit animam in se à corpore receptam, evadere in judicando penitus divinam. Et Plato *in Apologia Socratis* ait: Jam deventum est quò solent homines divinare, id est, quando sunt morti proximi. Idemque Eustathius observat etiam *in lib.* 22. *Iliadis*, Hectorem, morti proximum prædicere mortem Achillis. Ac Tullius *lib.* 1. *de divinat.* Sic ait: *Divinare autem morientes etiam illo exemplo confirmat Possidonius, quò affert, Rhodium quendam morientem sex æquales nominasse, & dixisse qui primus eorum, qui secundus, qui deinceps moriturus esset.*

Hæc opinio, ut dixi, traxit originem à Zoroastro, quam postea sequuti sunt Plato, ejusque sequaces. Et quanquam sit falsa, cùm anima nostra recipiat perfectionem à corpore, ut definivit Concilium quintum Cōstantinopolitanum, & tradunt Aristoteles & Peripatetici multis in locis. Satis tamen fuit pro stabiliendo credibili poëtico, quòd eam docuerint Zoroaster, aliique Persiæ Magi, qui mentionē faciunt de vehiculo æthereo, quod ab ipsis dictus ignis splendidus, & de Vehiculo ostraceo, quod vocarunt corpus materiale. Unde Porphirius *in libro de abstinentia à cibo animalium*, exponens hāc Zoroastri sententiam, vult, illum docere homines, quomodo agere possint, ut in hac vita utantur sensibus, qui fundantur in vehiculo æthereo, ut scilicet purgetur, quoad fieri possit, anima à contagione hujus corporis per abstinentiam, quæ talis esse debet, quæ sufficiat ad illud in vita sustinendum. Videatur Simplicius *in commento* 27. *in* 2. *de cœlo.*

Homerum imitatus est Virgilius *lib.* 10. *Æneid.* ubi ducit Orodem morti proximum, qui divinat Mezentii mortem.

Ille autem expirans, non me, quicunque es, inulto
Victor, nec longum lætabere, te quoque fata
Prospectant paria, atque eadem mox arva tenebis.

Et *libro* 4. introducit Didonem, morti etiam proximam, quæ sub specie imprecationis divinat mortem Æneæ, odium inter Carthaginenses, & Romanos, & bella, quæ gerere debebat Annibal contra Romanos. Virgilium imitatione expressit, etiam in hoc, sicut & in aliis plerisque Torquatus Tassus qui *in sua Hierusalem* inducit. Ariadenum, morti proximum, ita loquentem de futura morte Argilani *cantu* 9.

Non tu (chiunque sia) di questa morte
Vincitor lieto, havrai gran tempo:
Pari destin t'aspetta, e da più forte
Destra a giacer mi sarai steso a canto.

At nihilominus rem hanc ita definio. De divinatione animæ multiplex est modus dicendi. Philosophi enim naturales aiunt, quòd hujusmodi divinationes fiunt quandoq; per impressionem causarum superiorum corporalium. Manifestum siquidem est, quod corpora superiora imprimunt in corporibus inferioribus. Unde cùm vires sensitivæ sint actus corporalium organorum, sequitur quod ex impressione cœlestium corporum immutetur quodammodo phantasia; cumque cœlestia corpora sint causæ multorum futurorum, fiunt in imaginatione aliqua signa quorundam futurorum. Hæc autem signa magis percipiuntur per noctem dormientibus, quàm à vigilantibus per diem. Nam, ut inquit Philosophus, *lib. de somno & vigil.* quæ deferuntur de die, dissolvuntur magis. Aër enim nocturnus non ita turbatur, quia silentiores sunt noctes, & in corpore magis sentiuntur à dormientibus, quàm à vigilantibus. Hi autem motus faciunt, ut prævideantur futura.

Secundus modus est Alberti Magni in *com. lib. de somn. & vigil.* dicentis, quod sicut lumen radiorum stellarum, communicatum elementis, causat in elementis quandam virtutem activam ad multos effectus, quos elementa per se producere non potuissent, sicq; elementa sunt instrumenta stellarum, ita etiam cœlestes intelligentiæ, id est Angeli, organis nostris purificatis influunt intrinsecas virtutes, quibus ea, quæ fiunt à remotis, & futura sæpius divinantur, quod fieri solet in aurora, quando, digestione completa, fumi à stomacho ad cerebrum non ascendunt.

Communis ac tertius dicendi modus est Theologorum, asserentium, quòd revelationes, ac divinationes animarum aliquando procedunt ex naturali dispositione, interdum dæmonum demonstratione, nonnunquam revelatione Divina. Primo modo quando anima morti proxima præcognoscit quædam futura subtilitate naturæ suæ. Quod non est intelligendum, quasi anima ex natura sua vim aliquam habeat divinandi. Nam modus naturalis cognoscendi animæ conjunctæ est per cognitionem à sensibus. Dicitur autem anima morti proxima divinare, ac præcognoscere futura, quia cum ipsa abstrahitur à corpore, & à corporis sensibus, aptior redditur ad percipiendum subtiles motus, & influxum, vel divinum vel substantiarum separatarum, vel corporum cælestium.

Secundò fiunt quandoque hominibus revelationes ex cœlestium corporum impressione, ut dictum est supra ex Philosophis.

Tertiò fiunt ex dæmonum admonitu. Cùm enim intellectus dæmonum sit superior ex ordine naturæ intellectu humano, quædam cognoscunt etiam sua naturali cognitione, quæ sunt remota ab hominum cognitione, & talia possunt hominibus revelare, ut alibi dicemus. Quædam revelationes fiunt ex divina inspiratione, sicut dicitur Dan. 2. *est Deus, qui revelat mysteria de cœlo.*

Revelat autem Deus secreta sua hominibus sive per seipsum, sive per Angelos suos multis modis. Per somnium, per visionem, per oraculum, per mentis illustrationem, & per mentis excessum. Per somnium cùm dormiendo aliquid revelatur nobis. Per impressionem formarum imaginabilium, & illud, quod revelatur, tegitur figuris, & velatur imaginibus, ut cum Jacob dormiendo scalam vidit *Genes.* 28. Visio est, cùm in vigilia aliquid revelatur per impressionem formarum imaginabilium, & eo ordine eveniunt, quo apparuerunt, sicut visio Isaiæ. de qua dicitur cap. 6. ejusdem. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum.* Et visio Danielis super hebdomanibus. Oraculum est, cum in somnis Christus, vel Angelus, Pater, aut Mater, vel aliquis Sanctus aliquid apertè venturum, vitandum, vel faciendum denunciat, cujusmodi fuit somnium Joseph *Matth.* 1. & somnium pincernæ Pharaonis. Et oraculum non indiget interpretatione, si fiat doctis, sicut fuit Joseph, vir Mariæ, & Lucianus, cui apparuit Gamaliel. Si autem fiant indoctis indigent revelatione, sicut illud pincernæ, quod Joseph interpretatus est, dicuntque somniorum interpretes quòd oraculis præstanda est fides, si non sint illusiones dæmonum, quas sancti viri, ut ait Gregorius *in dialogis*, intimo sopore discernunt. Mentis illustratio est, ut inquit Isidorus 3. *etymol.* plenitudo Spiritus Sancti, per quam Deus Apostolis revelavit secreta sua secundùm illud Apostoli: Nobis autem revelavit Deus per Spiritum sanctum & *Act.* 2. Repleti sunt omnes Spiritu Sancto. Quibusdam autem revelat Deus secreta sua per mentis excessum, sive per extasim, aut raptum. Hoc modo vidit Petrus vas submissum è cœlo cum variis animalibus *Act.* 10. & talis fuit extasis, sive sopor Adæ. Revelat denique Deus secreta sua per sensibilium signorum expressionem, sive per rem corpoream extrinsecus apparentem, sicut Moysi per nubem loquebatur Deus; vel per vocem exterius sonantem, sicut Abrahæ insonuit, dicens: Ne extendas manum tuam super puerum *Genes.* 22. sive per parabolam mysticè significantem, hoc est per vocem quasi hominis formatam cum similitudine alicujus rei, sicut Balaam *Num.* 23. accepta parabola, ait. &c.

Ad Augustinum autem, Gregorium, & alios, qui videntur tenere divinationes inesse animæ à natura, respondeo cum D. Thoma *p.* 1. *q.* 86. quod Augustinus loquitur non assertivè, sed recitando opinionem Platonis, qui posuit, animam accipere cognitionem rerum secundum participationem idearum, quam participationem melius recipit abstracta à corporis sensibus, scilicet dormiendo, aut in morte. Gregorius etiam non intelligit divinationem inesse animæ à natura, sed per revelationem, ut dictum est.

Non esse autem superstitiosum adhibere filum, digitis appensum, à quo pendeat lapillus, sive annulus intra vas vitreum ad pulsandas, & dignoscendas horas, refert Tamburinus *lib.* 2. *in decalog. cap.* 6. §. 1. *num.* 39. & 79. ex Cardinali de Lugo, qui dum publicam lectionem Auditoribus dictaret, narravit, se in Hispania sæpissime hoc fili artificio usum fæliciter fuisse, ratus, vera esse, quæ ab ipsa pueritia didicerat, motus scilicet pulsus, & cœlestis alicujus constellationis occulta vi, eos horarios ictus in lateribus vasis edi.

At nihilominus tenendum est, id esse superstitiosum: Quia constat non ex vi naturæ, sed ex dæmonis pacto id fieri, ut tandem experientia doctus, dum in Italiam commearat, idem Lugo oppositum docuit, quem postea sequutus est idem Tamburinus *loc. cit.* ubi tamen ait, quòd non excedat veniale, siquis semel aut iterum vellet experiri curiosè quid accidat. Quod tradit etiam Tancredus ex Suarez, Sancio, & Bonacina apud ipsum Tamburinum. Ego autem censeo, quòd motus, quo annulus turcoidem habens, & ex filo perpendiculari pendens horas ad vitri latera pulsus indicat, si propter tenentis manus, quod puto, non fiat, dæmonis opera perficitur. At de his satis superque diximus. Pellantur impiæ istæ, penè aniles observationes, vix enim dignæ sunt lucubratione aniculaurum. Sit propterea disputatio gravis.

CONSULTATIO LIII.

An Gemmæ & lapides vires, & facultates habeant? & Quinam effectus naturales, non autem superstitiosi, & magici ab eis fieri possint, qui non?

Quod ad primum, Multi ineptè existimant, gemmas nullas prorsus habere vires. Alij illis tantùm elementales facultates concedunt, ut calefaciendi, refrigerandi, humectandi, siccandi, astringendi, indurandi, extenuandi, incrassandi, obstruendi, aperiendi, exedendi, & similes, quæ ex iis sequuntur, atque à materiæ constitutione, & temperamento proveniunt. Alii rursus peculiares quasdam facultates à forma & essentia manantes singulis tribuunt gemmis, persuasi magnetis exemplo, qui ferro uniri, & ad terræ plagas suas accommodare cupit. Alii supranaturales vires, & facultates gemmas habere volunt à cœlo, quæ neque materiæ, neque formæ adscribi possunt.

Nullas prorsus habere gemmas, & lapides vires insanum est affirmare, & contra omnem experientiam; & propterea longiorem confutationem non meretur. Habere autem ab elementis, materia, & essentia, seu forma vires, non solum magnes, & succinum, sed hæmatites, jaspis, aliique lapides experientia certissima convincunt. De supernaturalibus virtutibus major est difficultas.

Complures enim sunt, qui habere negent. Supernaturales voco non solum eas, quæ ab ordinariis naturæ instrumentis fieri non possunt, ut invisibilem aliquem facere, quæ facultas ophthalmo, aut solem obscurare, quæ heliotropio tribuitur, sed eas omnes, quas natura ignorat, aut quæ à rebus inanimatis fieri non possunt absque rerum animatarum consensu, aut ope. Tales sunt eloquentem, pauperem, acceptum omnibus, divitem, fortunatum, tutum & securum aliquem facere.

Alii è contra hujusmodi vires à gemmis effici approbante id experientia, existimant, ac præcipuè exemplo adamantis, quem Pontifex Sancta Sanctorum ingrediens gestabat in pectore, ac colorem æreum si Judæi contra Deum peccarent in nigrum convertebat, Item smaragdi, qui adulteria prodit, & turcoidis, quæ casus pericula excipit.

Sed, ut veram sententiam adferam, per gemmas sæpe admiranda facta fuisse non nego; à gemmis tamen, tanquam mixtis naturalibus, nonnisi naturalia effici posse, assero. Si supernaturale quid per gemmas, aut lapides fiat, aut naturale, quod tamen à gemma, vel lapide fieri posse, doctis non videtur, quia connexio causæ cum effectu nulla probabilis inveniri potest, id non gemmis, vel lapidibus, sed alteri causæ occultæ, vel supernaturali videlicet asserendum est, quæ idem per quodvis subjectum agere potest, si vult.

Causa supernaturalis, & agens est Deus, Angelus bonus, & malus. Bonus Dei voluntate, malus Dei permissu. Nam astra, à quibus supernaturales in gemmas facultates secundum multorum opinionem mittuntur, nihil contra naturam efficere, nec animantium voluntatem, & libertatem inclinare, aut cogere ad aliquid agendum, nec gemmis dare, quas ipsa non habent, facultatem, possunt. Divitiarum, & castitatis donum, quod non habent, & natura ipsa ignorat, quo pacto gemmis dare, ut id hominibus impertiantur, non video; cùm divitiæ nihil aliud, quam

jus quoddam sint possidendi, & ens nullum, easque hominis consensus faciat, & non natura, quæ sua omnibus hominibus æq; communicat. Castitatem in conjugio, aut adulterio cognoscere stellas, eamque facultatem smaragdo tribuere, ut adulteria sentiat, & prodat, tam est absurdum quàm bovem à curru trahi. Adulteria enim, quæ propter legem talia sunt, quemadmodum castitatem, omnesque virtutes & vitia, quæ ab animatis tantùm noscuntur, natura ipsa prorsus ignorat,

Effectus itaque omnes, qui à gemmis fiunt, ab eis, tanquam causa, fieri debent. Nam qui ab alia causa fiunt, licet interpositis, vel adhibitis gemmis, ab eis ineptè effici dicuntur. Divitiarum causam videmus industriam, artificium, ingenium, fortunam, & casum fortuitum. Adulterij verò impietatem, ebrietatem, corruptos mores, securitatis prudentiam, amicitiæ modestiam, liberalitatem, & comitatem, inimicitiæ iram, superbiam. Cur itaque dum manifestas istorum causas habemus, eas in stellis, & cœlo quærimus, & gemmas, quæ causæ non sunt, causas facimus?

Deinde effectus, qui contra naturam sunt, nunquam à gemmis, tanquam causis, producti censeri debeat. Aliquem invisibilem reddere contra naturam est. Quia omne corpus opacum, quale hominis est, visum terminat, & proinde inconspicuum esse non potest. Futura contingentia præscire contra naturam est. Non potest propterea gemma causa esse ut effectus, quorum causa incerta, & nulla adhuc est, ante causam genitam præsciatur. Absurdum itaque est, si quis invisibilis, adhibita gemma, fiat, ut de Gygis annulo legitur. vel si quem futura divinasse exitus rei approbet, id gemmæ adscribere.

Sed multi, ut has supernaturales vires gemmis inesse, & à cœlo, stellisque accepisse probent, experientiam allegant, quam refelli non posse putant.

Verùm operæ pretium hic est declarare, quid necessarium sit, ut quis experientiæ niti possit. Dum aliquid experientia, quæ nihil aliud est, quàm ejusdem rei sæpius, & eodo modo facta observatio, probatum volumus. Imprimis tria observare debemus, quæ necessariò concurrere debent, ut nos certos reddant, effectum ab illa causa, quam putavimus, productum esse. Primum est, si effectus ab illa causa, quam veram existimamus sæpe factus fuit, & propriè, non per accidens. Secundum, si nulla alia causa fuerit præsens, à qua effectus fieri potuisset. Tertium, si naturæ non repugnet, neque absurdum sit, talem effectum à tali causa proficisci.

Primum requiritur, quia si effectus quispiam semel, bis, terve solummodò fiat, vel ignoratur, vel non probè dignoscitur causa ipsius. Deinde propriè, & non per accidens effectus fieri debet, aliàs quod alteri debetur causæ, gemmæ, vel lapidi tribueretur. Secundum etiam necessarium est. Quia non semper, quod præcedit, aut præsens est, ejus, quod sequitur causa est, ut nec novilunium causa est eorum omnium quæ post novilunium contingunt. Nec Sol cùm lucet, causa est actionum humanarum, quæ in ipsius lumine peraguntur. Si itaque aliquid mihi contingat, dum gemmam, aut lapidem apud me habeo, & aliud quiddam præsens sit, in quod causa effectus verisimilius rejici possit, gemmæ non statim effectus adscribendus est. Tertium etiam desideratur, videlicet, ut non repugnet naturæ, effectum talem, aut talem à gemma, vel lapide fieri posse. Repugnat autem naturæ, ut dixi, aliquem invisibilem facere, & futura præscire, atque adeo id à gemmis fieri non posse credendum est.

Falluntur itaque facilè, ac sæpe ingenia crassiora, dum id, quod per accidens fit, propriè fieri putant dum id, quod post aliud, aut præsente alio fit, ab eo quod præcessit, vel præsens est, fieri autumant. Et dum id, quod ab aliquo fieri nullo modo potest, fieri posse opinantur. Hi errores in gemmis multum committuntur. Nam gemmarii, ut eas caro pretio vendant, miras virtutes, facultates, & effectus illis tribuunt, easque mirum in modum prædicant, quas dum observant emptores, & sequi, prout promissum fuerat, animadvertunt, etiamsi casu vel ab alia causa fiant, nihilominus tamen à gemmis, & lapidibus fieri arbitrantur.

Magnetem unionem ferri appetere, sardam, vel corneolum, vel jaspidem rubrum sanguinem, etiam è vulneribus fluentem, sistere, experientia probatur, eæque illis facultates, non à materia, & elementorum crasi, sed ab essentia, & forma proveniunt, quæ non solùm propterea occultæ meritò dici possunt, sed quia causa, etiam efficiens harum facultatum non minùs quàm essentia homini prorsus ignota est. Probantur autem prædictæ facultates experientia gemmis & lapidibus illis inesse, quia singula illa tria, quæ requiruntur ad certam experientiam, adsunt. Nam magnes propriè & non per accidens, aut propter aliud, quàm propter se ferro uniri cupit, ac semper, cùm non procul à ferro est, unionem appetit. Deinde dum appetitus iste magnetis observatur, nulla res alia præsens unquam deprehensa est, talem appetitum habere. At tertiò absurdum non est, & contra naturam magnetem unionem ferri appetere; quia natura gaudet similibus, & similia appetit. Similis autem est magnes ferro, quia in ferri fodina reperitur, vel ferri fodina est. Immò ferrum eandem, sed obscuriorem habet in se, quam magnes facultatem. De corneoli, jaspidis rubri, & hæmatitis facultate, quæ sanguinem sistit, idem asseri potest. Semper enim sistunt, nisi vehementior, & nota causa prohibeat. Deinde nihil aliud præcessisse aut præsens esse animadvertitur, à quo ille effectus fieri potuerit; & tertiò contra naturam non est sisti sanguinem, quem natura ultro sæpè retinere satagit.

Quod autem experientia approbet interdum per gemmas, aut adhibitis gemmis supernaturalia fieri, ut adulteria prodi ruptura smaragdi, aut casum, & pericula innoxia fieri ruptura turcoidis, non inde inferendum est, illa à gemmis, tanquam causis, fieri. Quia, ut dixi, à gemmis tanquam causis, nonnisi naturales effectus produci possunt, qui vel à temperie, materia, forma, aut essentia illarum proveniunt. Reliqui effectus, qui contra naturam sunt, illisque adhibitis, fiunt, supernaturalem habent causam, Deum, Angelum bonum, vel malum.

Adamas, quem summus Pontifex apud Judæos in pectore gestabat, dum Sancta Sanctorum ingrederetur, colorem aëreum habebat, qui cùm Judæi contra Deum peccarant, colorem aëreum in nigrum mutabat, non propria facultate, sed Dei voluntate, quæ sola causa sufficiens & mutans colorem fuit. Quod autem Deus per se facere potest, hoc etiam per ministros, Angelosque bonos, qui singulari Dei beneficio, & ad hominum conservationem sese gemmis insinuare possunt, ac homines à periculis conservare, vel gratia aliqua afficere peculiari. Verùm, ut nihil certi de Angelorum in gemmis præsentia affirmare licet, ita etiam hujusmodi gemmis fidere, ac nimium tribuere, placet imprimis dæmoni, qui se in lucis Angelum transformat, & in gemmulæ corpus insinuat, ac per illam mirè operatur, ut quis non Deo, sed gemmæ fidat, ac ab eo habeat, quod à Deo impetrare deberet. Ita fortassis nobis imponit per turcoidem, ut paulatim doceat, non à Deo securitatem, sed à gemma petendam esse.

Quod ad secundum. Licet nonnulli effectus, qui à gemmis fieri possint, vel non obiter supra ostensum sit,

sit, quia tamen brevitas obscuritatem parere solet, ac propter multorum errores gemmis nimis magnæ vires, quàm par sit, tribuuntur, ideò necessarium videtur, paulò fusiùs demonstrare, quinam effectus à gemmis, & qui non fieri possint. Id, ut commodè ac distinctè fiat, oportet, omnia effectuum genera, quæ in hoc Universo fiunt, perpendere. Sunt autem quatuor.

Primo genere continentur illi effectus, qui perfectione vires causarum naturalium superant. Talis est igni vim calefaciendi auferre, hominem invisibilem facere, &c. Nulla enim causa naturalis efficere potest, ut ignis ardeat absque calore, ut nec aliqua, quæ corpus opacum, & non perspicuum, aut transparens, nullo præsente impedimento inconspicuum reddat.

Secundo genere continentur effectus, qui etsi quidem vires naturalium causarum non excedant, modum tamen, quo causæ naturales ex præscripto à naturæ ordine utuntur, superant. Talis fuit effectus dum ex Virgine Matre natus fuit Salvator. Naturaliter enim ex muliere procreatur homo, sed non sine viri adjumento. Modus itaque generandi hic fuit non naturalis. Hæc duo effectus genera à solo Deo, vel à dæmone, Deo permittente, fieri possunt.

Tertio genere continentur illi effectus, qui naturalium causarum effectricem non excedunt, sed modum tantùm, quo ordinariè ad efficiendum applicantur, non servant. Talis effectus est, dum ex argento Chymica arte fit aurum, aut dum arbor pomifera propter ramusculi pyri insitionem pyra fert. Hi à voluntario agente fiunt.

Quarto genere continentur illi effectus, qui à causis naturalibus fieri possunt, ac eo modo, ut ipsis quatenus ordinariè ad agendum applicantur, effectus respondeant. Tales sunt dum pluviæ à vaporibus generantur, dum glacies à Sole in aquam solvitur, dum homo à masculo & fœmina generatur, & infiniti alii, qui ordinariè quotidie efficiuntur.

Hæc quatuor genera effectuum à gemmis effici posse nonnulli credunt autores. Nam Albertus Magnus invisibilitatem heliotropio, & ophthalmio attribuit, qui tamen effectus à causa nulla naturali effici potest. Idem autor heliotropium Solem obscurare tradit. Qui effectus, etiamsi naturaliter nubis interjectu fieri possit, ab heliotropio tamen in aquam injecto, id fieri non potest. Iterum alij putant jaspidem, Sole Scorpionem ingrediente, figura Scorpionis sculptum, calculum curare. Item alias gemmas certis constellationibus sculptas varias facultates suscipere, talesque quæ mixtis inesse possunt, sed quas gemmæ tamen non haberent, nisi sculptæ, observato certo tempore essent.

Quarti generis effectus à gemmis effici posse, nemo unquam dubitavit. Hi enim à forma, materia, vel essentia gemmarum promanant, tales sunt exiccare, calefacere: & quicunque à materia elementali, ejusque temperie, forma, & essentia proficiscuntur.

Omnia ista effectuum genera, quia à suis causis fiunt, necessarium est, ut dum à gemmis effici putantur, illæ causæ statuantur. Causæ autem sunt quadruplices. Efficiens, formalis, materialis, finalis. Efficiens causa propriè est, ad cujus esse sequitur esse alterius totaliter ab ipsa distinctum, plerunque ita, ut causa sit in alio subjecto quàm in quo est effectus. Causa formalis, & materialis extra subjectum, in quo sit effectus nunquam sunt. Causa finalis propriè causa non est, sed tantùm analogia; quia tantùm est intentionalis, non realis.

Quia itaque gemmæ distinctæ ab effectibus suis sunt, & nunquam in gemma, ab ipsa procreatus effectus apparet, necessario gemma effectûs à se geniti, efficiens causa esse debet. Causa porrò efficiens alia agit ex determinatione naturæ, alia ex voluntate libera. Quæ agit ex determinatione naturæ, & incorruptibilis est; nam aliquæ sunt corruptibiles quæ deficere possunt antequam effectus fiat; aut ab extrinseco non impeditur, omnibus necessarijs ad agendum positis, statuto tempore sine intermissione, effectum ex se prodit. Quæ agit ex voluntate libera, ut Dei, dæmonis, vel animantis, omnibus necessariis præsentibus, & nullo interposito impedimento, nihilominus potest actionem suspendere ita, ut, positis omnibus requisitis, effectus non ponatur necessariò.

Si itaque gemmæ causæ efficientes sint, vel naturales erunt, id est agentes ex determinatione naturæ, vel agentes ex voluntate libera. Verùm quia voluntatem nullam habent, sequitur esse efficientes causas naturales, & ex ordinaria naturæ determinatione, & præterea effectus ab iis productos etiam esse naturales, non supernaturales. Quia causa naturalis nonnisi naturales effectus producere potest. Propterea quod omnis causa efficiens in se perfectionem effectus producendi vel virtute, vel formaliter continere debet. Is effectus, si præternaturalis ponatur, ejusque perfectionem in se causa aliqua continebat, illa non naturalis, sed præternaturalis erat. Cùm illæ supernaturales dicantur, quæ effectus supernaturales producunt.

Quia igitur eadem causa respectu ejusdem effectus & naturalis, qualem esse posui, & non naturalis esse non potest, manifestum & clarum est, à gemmis, quæ tantùm causæ naturales sunt, supernaturales effectus produci non posse; ac ob id quicunque ab illis effici supernaturales putantur, aut per ipsas fiunt, non ab ipsis, sed ab efficiente libero, Deo videlicet, vel dæmone fieri. Homo siquidem supra naturam nihil efficere, nisi Dei, vel dæmonis ope potest, licet instrumentum sit, ut miri aliquid fiat, dum videlicet applicat efficienti naturali materias, quas natura nunquam, aut rarissimè jungit. Hoc enim modo efficit, ut natura etiam producat id, quod nunquam, aut rarissimè sola produceret, quemadmodum arbores, quæ diversi generis fructus propter insitionem, quam homo facit, ferunt, ostendunt. Deo omnes illi effectus præternaturales, qui per gemmas, aut lapides fiunt, adscribi possunt, qui referuntur ad manifestandam ipsius sapientiam, potentiam, & reliqua, quæ illi, ut Deo, adscribenda sunt, ut hac ratione, cultus ipsi debitus in animis hominum excitetur. Ita aquæ effluxio ex petra, & lapide sicco in deserto, tanquam supernaturalis effectus, Deum habuit autorem, & causam efficientem ad manifestandam ipsius potentiam, & confirmandos homines in vero cultu & religione. Sic etiam per adamantem, quem Summus Sacerdos in pectore gestabat, potentiam, & iram suam Deus, mutando illius colorem significabat, quæ certè coloris mutatio à naturali nulla causa fieri potuit, ut postea apparebit, ubi naturalis causæ notionem docebo.

E contra dæmoni, tanquam causæ efficienti, omnes illi effectus tribuendi sunt, qui prudentia vera judicari possunt ad vanitatem, peccatum, idololatriam, lucrum, vel alias res obtinendas, quæ à Deo solo petendæ sunt, pertinere. Dæmon enim per gemmas facit, & dat, quod à Deo solo dari, vel fieri debet, idque, ut paulatim hominum mentes à Deo avocet, etsi non ipse saltem vilis creatura colatur, effectus obtinendi gratia, Deoque hac ratione debitus cultus minuatur, & auferatur. Deinde ut hoc modo ille facilè, tanquam per gradus hominem ad maleficam ducat magiam. Dum enim quis hujusmodi effectus miratur, & gemmis inesse putat, etiam figuris, verbis, aliisque nugis inesse credit, ac earum viribus mirifica, & supernaturalia effici dæmonibusque imperari posse autumat. Quod dum animadvertit Satan, facilè orationibus

tionibus se cogi ad servitia posse simulat, & vocatus imperio paret, miraque, si cum illo pactum injatur, promittit, idque solùm, ut decipiat credulum, & irretitum illaqueet, suumque faciat. Nam promissa non solùm non servat, sed dominum suum de salute, gratiaque & misericordia divina desperantem facit, ac ad neces aliorum hominum, & maleficia, etiam verberibus cogit, illique imperat, & ad judicia tractum contra omnia promissa, & pacta deserit, ac fori secularis judicio crematum, gehennæ perpetuo igne cruciat. Hic finis, si æternitas finis, societatis, aut imperii est.

Verùm non solùm prædictis modis per gemmas spiritus nequam mira operatur, sed etiam naturalia & verisimilia, ut prudentiores decipiat. Quod facit duplici modo. Primò siquis gemmam superstitiosè certis cæremoniis adhibitis, habeat, gestet, aut annulo includi curet. Sive illa Deo tantùm debeantur, quod pejus est, sive nihil ad rem spectare videantur. Hujusmodi cæremoniæ Turcoidi adhibentur, quam putant aliqui casuri hominis casum in se suscipere, si dono data fuerit; nam aliàs nihil efficere posse credunt.

Secundo modo dum quis causas ex se insufficientes animo tali quis applicat, ut dæmonis auxilium expectet spectet aut desideret. Primo dicto modo, licet dæmonis auxilium neque expectetur, neque desideretur, attamen dæmon facilè per gemmam operatur, ut doceat gemmis confidere, & ut dixi, tanquam per gradus ad magiam maleficam hominis mentem ducat.

Primus gradus magiæ est, dum naturale quid fit, adhibitis mediis inconsuetis, & quæ nihil ad rem facere possunt. Ut cùm quis leporis capturam prohibet, inverso lapide aliquo, qui in via jacet.

Secundus gradus, dum naturale quid fit, adhibitis iis, quæ tantùm ad honorem divinum spectant, ut sacra sunt. Ut dum quis, sacrificante Sacerdote Crucem ex ligno fabricat ad febres sanandas. Hìc enim superstitio gravis committitur, nisi quis dæmonis opem detestetur, & precibus à Deo juvari, non confidens figuræ, materiæ, vel tempori, petat. Nam omnes circumstantiæ ac ritus ab Ecclesia Catholica non permissæ, rebusque ad effectus obtinendos adhibitæ, superstitionem faciunt. Quæ si effectum pariat contra consuetum naturæ ordinem dæmonem habet causam efficientem.

Tertius gradus est, dum quis supernaturale quid facit, adhibitis orationibus piis, aut rebus sacris, sed adjunctis cæremoniis, quæ nihil ad rem faciunt, & ab Ecclesia non sunt approbatæ.

Quartus, dum quis naturale, aut supernaturale opus efficit, expectans, vel desiderans tacitè dæmonis auxilium.

Quintus, dum quis expressè ipsius auxilium petit.

Sextus, dum quis cum illo paciscitur, & se illi devovet, Deumque ac omnes creaturas abjurat, qui certè gradus, scopus est dæmonis, ad quem per gradus prædictos paulatim pervenitur.

Sed, non solùm, ut hactenus ostensum est, supernaturales effectus à gemmis fieri non possunt naturaliter, verùm etiam multi naturales. Quia, ut naturaliter à causa naturali efficiente propria, & propinqua effectus naturalis producatur, multæ conditiones necessariæ requiruntur.

Prima est, ut subjectum aliquod sit præsens, quod effectum ab efficiente productum recipiat.

Secunda, ut certa latitudo distantiæ sit inter efficiens & subjectum, ex quo effectus est producendus, ita, ut extra illam distantiam non possit effectum producere, quemadmodum neque Sol regiones circa Arcticum Polum sitas ita calefacere potest, dum in tropico Australi hæret, sicut facit, dum circa Cancri tropicum versatur.

Tertia conditio est, ut spatium inter causam, & effectum sit plenum, id est continuum, non solùm quia vacuum non datur, sed quia res naturales plenitudinem, vel conjunctionem immediatam inter se requirunt, ut in se mutuò agant, & sic perfectionem consequantur. Nam quæ mediatè in subjectum agunt, tantùm sunt causæ per accidens non efficientes. Agentia siquidem duplicia sunt. Alia mediata, alia immediata. Immediata rursus duplicia. Alia immediata immediatione virtutis, quæ nempe producunt effectum virtute sibi naturaliter ingenita, quomodo ignis respectu caloris, quem producit, est agens immediatum. Alia sunt immediata immediatione suppositi, illa nempe, inter quæ & effectum nullum intercedit aliud agens, cui vim suam communicent.

Quarta conditio est, quod causa efficiens, seu agens immediatum immediatione suppositi, non possit agere in subjectum ab ipso per medium corpus dissitum, sive distans. Distare autem inter se dicuntur, inter quæ medium est corpus extensum ita, ut à neutro eorum penetretur. Nam si ageret, agentia absque continuatione ac plenitudine agerent. Quod est absurdum. Si itaque inter causam, & subjectum corpus aliquod medium sit, id debet suscipere virtutem agentis, vel sinere, ut virtus permeet ad subjectum. Ita aër medius inter Solem & terram lumen Solis transmittit, ut terram illuminet, calefaciat, & fructus producat: Corpus verò opacum impedit, ne lux permeet. Corpus medium interjectum virtute agentis in se recepta alterari posse, est necesse. Sed illam virtutem non oportet semper, & omnino esse eandem, qua subjectum proximè ad effectum producendum immutatur. Quia nempe Sol, cùm calorem in terra excitat, illum priùs aëri imprimit, ut media aëris regio frigida ostendit. Nec similem etiam necesse est virtutem esse prorsus ei, quam agens ipsum impressam continet, sed potestate imitari debet utramque, & talis esse præterea, quæ veluti actio agentis in subjecto extrinseco existens, præsentiam agentis desideret, & quantò eidem est propior, tantò sit perfectior, & quantò longiùs distat, tantò imperfectior, & quæ in parte remotiori medii existit, producatur virtute quidem existente in parte proxima, sed dependente ab ea, quæ est in agente, & hinc effici, ut quò longiùs ab agente virtus in medium diffunditur, tantò perfectione imminuatur.

Quinta conditio est, ut medium, quod inter causam & subjectum est, sit aptè dispositum ad recipiendam virtutem agentis, Nam, si non fuerit, reliquis omnibus positis, effectus universaliter sequi non potest.

Conditiones causæ efficientis explicavimus; nunc regulæ ostendendæ sunt, quibus sciri possit, num causa aliqua sit vera causa illius, vel istius effectus, an non sit. Nam sæpè quæ causæ non sunt, causæ putantur. Ut itaque causa aliqua sit naturalis istius, vel illius effectus, primò talis esse debet, cui non repugnet, ut talis est, habere perfectionem effectus vel virtute, vel formaliter. Secundò necesse est, ipsa inter certos alicujus spatii limites, præsente, & reliquis, quæ ad agendum sunt necessaria positis, nulloque intercedente impedimento, sequi effectum tempore statuto, & pro effectus exigentia debito variari, prout intra spatii limites adhibetur ad ipsum producendum propinquius, vel remotius. Tertiò, ut applicata ab iis, qui de superstitione minimè sunt suspecti, eandem vim habeat. Quartò, ut, ipsa sublata, cæteris omnibus etiam positis, effectus non sequatur.

Omnes igitur effectus, sive motus rerum, quorum causæ sufficientes ex rebus naturalibus applicatis per regulas jam positas assignari à viris doctis, & in rerum naturalium cognitione versatis, nequeunt, proveniunt

niunt ab agente occulto, quod est divinum, vel dæmoniacum.

Regula autem judicandi id, quod causa putatur causam non esse, hæ sunt. Prima, si constet, effectum nunquam sequi causam, vel sequi per accidens, quod simul jungitur.

Secunda, si prudentes, qui rerum usum habent, supposito omni affectu ordinato, negent, quod putatur causa esse causam.

Tertia, si comparatione rei facta cum aliis causis quæ notæ sunt, modus involvatur applicandi nimiùm discrepans, vel qui meritò possit cogitari esse voluntarius.

Quarta, cùm res cum effectu nullam habet affinitatem, qualis rebus, quæ vim habent procreandi, cùm suis effectibus intercedit. Inde enim infertur, quòd nec virtute, nec formaliter effectum contineat. Ut cùm arbor dicitur producere bovem, virtute continet vermem, & formaliter malum, sed nunquam bovem.

Quinta, quando nunquam separatim res effectum producit, sed cum conjunctione aliorum, quæ vim habent producendi effectum.

Sexta, quando constat rem aliquam ob aliquem finem esse institutam, quò non pertinet effectus.

Septima, si effectus à causa, eisdem conditionibus existentibus, nunquam ampliùs evenit.

Hæ regulæ facilè detegunt falsam causam à vera, & sæpè causam aliam alicujus effectus esse, quàm quæ putetur, & quæ naturalis putatur, sæpè occultam esse, divinam nempe, vel dæmoniacam ostendunt.

Sed antequam hæc omnia, tanquam generalia ad gemmas, & lapides referantur, necesse est priùs scire, effectus aliquos propriè, alios impropriè esse. Effectus propriè est id, quod qua ratione à causa procedit, est vera res, & non modus aliquis rei, proinde ante ens non erat, ut ignis in ligno, & sic effectus à causa productiva fit. Impropriè effectus dicitur modus entis, secundùm quem ens aliter se habet, quàm priùs, tamen non producitur de novo, ut motus localis in lapide priùs quiescente, cujus causa non productiva vocatur; nam causa motus revera fuit priùs in lapide.

Effectus autem impropriè dictus, sive modus rei, duplex est. Alter realis, alter intentionalis. Realis est rei modus quidam se habendi in ordine ad alterum, qui ordo convenit rei citra cognitionem, id est, non ut res est in cognoscente objectivè. Intentionalis effectus est, qui non convenit rei, nisi quatenus est objectum cognoscentis, sive repræsentantis.

Realis modus iterum duplex. Permanens, & fluens, sive successivus. Permanens est figura, ubi, situs, habitus, raritas, densitas, relationes aliquæ, ut esse simile, æquale, &c. Fluens, ipsa quæ permanent, continet, sed quatenus illas res fluentes afficiunt.

Deinde motus localis, ut actio, passio, & similia.

Effectus naturales item alii sunt materiales, alii spirituales, sive immateriales, qui vi causarum naturalium immediatè produci non possunt. Quia causarum naturalium vis, & efficientia subjectum præsens, in quod agat, immediatè desiderat, & materiæ concursu astricta tenetur in rebus vel materialibus effectibus producendis, ut superiùs in prima conditione effectuum ostendi. Immateriales autem effectus, sive spirituales sine concursu ullo subjecti, vel ex potentia tantùm animæ rationalis producuntur.

Hincque fit, gemmas, vel lapides, dum causæ naturales & materiales effectuum statuuntur in actus intellectus, voluntatis, habitus, scientiarum, virtutum, & vitiorum propensiones, quæ parti rationali animæ ingenerantur, nihil efficere, ut nec in alias res spirituales impressionem immediatam facere posse. Proinde eloquentiam, castitatem, liberalitatem, affabilitatem, pietatem, divitias, honores, favores, &c. dare, vel tribuere alicui non possunt. Mediatam tamen impressionem facere possunt, sed non ita, ut libertas hominis circa objectum tollatur. Mediatam faciunt, dum spiritus recreando, corroborant, ac id postea roboratum, alios in corpore affectus producit, ut confidentiam, magnanimitatem, audaciam, & similia, quæ corporis constitutionem sequuntur. Quod autem corporis constitutionem animi mores sequantur, peculiari docet Galenus tractatu, quem consulere Lector potest.

Gemmas verò, aut lapides, dum corpori applicantur aliquid in ipso efficere posse experientia multorum ita approbatum est, ut temerarius videatur, licet ratio non semper assequi causam valeat, qui id negare audet. Probat id Corneolus, hæmatites, & jaspis, qui omnes sanguinem sistunt appositi. Quem effectum nemo frigiditati illorum adscribere potest, quòd alii lapides æquè frigidi id non faciant.

Putant aliqui virtutem quandam occultam lapidibus inesse actione astrorum impressam. Sed non est necesse ad astra recurrere, cùm formæ proprietas occultas vires habeat sibi divina ordinatione impressas, quas semper ubi nullum impedimentum præstò est, ordinariè, tanquam è sinu ad hominis, & animantium utilitatem depromit. Hoc tamen imprimis observandum, multas vires falsò adscribi gemmis, quas nec habent, nec habere possunt.

Effectum impropriè dictum paulò ante à causa non productiva effici diximus. Ut verò ille in realem, & intentionalem dividitur, ita & causa. Quia quot genera effectuum, tot causarum. Causa itaque non productiva, alia realis, alia intentionalis. Realis multiplex est. Sed illa tantùm huic disceptationi convenit, qua res moventur loco. Quæ vel in animalibus est, & animalis vocatur, vel in cæteris rebus omnibus, ac naturalis vocatur, & ad locum unum astringitur, sequiturque naturæ determinationem, tanquam principium movens, cùm è contra animalis ad locum certum non astringatur, & sequatur cognitionem tanquam movendi principium. Propterea quæcunque res naturales naturaliter impelluntur in varias partes indeterminatè, non possunt citra vim extrinsecam impellentis moveri. Quæ si aperta non est, habet motorem spiritualem, & occultum, Deum, vel dæmonem, ut de motu annuli, horas indicantis superiùs dictum est.

De causa productiva intentionali, ejusque effectu, qui nihil aliud est, quàm res, qua ratione est objectum repræsentantis, vel cognoscentis ita, ut ratio formalis ejus in hoc posita sit, ut objiciatur cognoscenti, nihil dicemus; quia gemmæ, cùm animatæ non sint, & cognitionem nullam habeant, hujusmodi effectus efficere non possunt.

Ex præscriptis colligi facilè potest, gemmas, & lapides dum naturales tantùm, ut ante ostendi, suorum effectuum causæ sint, ac effectus ob id necessario etiam tantùm naturales sint, eosdem semper esse reales, nunquam intentionales. Deinde plerunque esse materiales, raro spirituales, & tunc tantùm cùm per medium aliquod efficiuntur, quod veriùs causa, quam gemma ipsa statui potest. Exempli gratia, si Corneolus, jaspis, aut hæmatites ab eo, qui continuum sanguinis profluvium passus fuerit, & propterea pusillanimus, & debilis redditus sit, gestetur, & sanguis sistatur, potest propter sanguinis retentionem cor ita corroborari, ac temperies viri restitui, ut loco pusillanimitatis magnanimitatem acquirat, virtutem immaterialem, sed quæ tamen à materia, videlicet san-

guine dependeat, ut omnes animi habitus, & intelligendi actus, sed, ut dixi, impropriè hujusmodi effectus, qui propriorem habent aliam causam, nempe copiam sanguinis, & spirituum, à gemmis effici dicuntur. Sapientiam verò, eloquentiam, prudentiam, comitatem, memoriam, aliasque virtutes, & intellectus habitus à gemmis effici, & produci, ut hactenus creditum fuit, longè est absurdius, cùm hæ neque ab humoribus, neque à spiritibus, ut ira, pusillanimitas, vecordia, & timor proveniant, sed à rationalis animæ parte, rerumque usu, & consuetudine, quæ habitum induxit.

Res verò externas, quæ neque à corpore, neque ab anima ortus sui initium habent, ut divitiæ, Principum favor, paupertas, fortuna in peregrinatione, immunitas à periculis, & similia in hominis corpus transferre gemmas, tanquam veræ harum causæ sint efficientes, mirum est quomodo hominibus persuaderi potuerit. Præsertim cùm res materiales non sint, & opinione potius res, quàm revera. Divitiæ enim, fortuna, paupertas, favor, licet res sibi habeant subjectas, circa quas ita dicuntur, nihil tamen aliud sunt, quàm relata, quæ ratione alterius, quid videntur esse. Divitiæ fere ratione paupertatis tales dicuntur, ut fortuna ratione infortunii talis dicitur. Dixi ante primam conditionem causæ naturalis esse, ut subjectum sit præsens, quod effectum suscipiat. Hic certè nullum est, cùm divitiæ, & fortuna, ut relata omnia nihil sint, nisi fortè ex homine aurum, aut pecuniam gignat gemma. Quod tamen nemo asseret. Sed, si gigneret, neque sic divitias produceret, cùm aurum à divitiis distinguatur. Si animum hominis regere dicas gemmam, ut is studiosè divitias quærat, & comparet, jam per subjectum voluntarium causam naturalem agere statues, & sic per medium, quod potest impedire effectum, idque absurdè. Quia sic à voluntate, non à gemma dependebit effectus. Falsò ergo, si fiat effectus, gemmæ tribuetur.

Sed præter prædicta, mirum est, quòd aliqui scribant, gemmis Deum reddi gestantibus propitium, ac eisdem dæmones fugari. Id, si verùm esset, non ille Deus, qui est, esset, sed gemma, quæ in illum ageret, ejusque voluntatem flecteret. Sed quònam devenit humana stultitia, quæ corpus inanime in Deum liberrimum, ac nullius potestati subjectum imperium habere, & in eum quid efficere, qui omnium rerum causa est credit? Quònam etiam humana nequitia, quæ sæpè contra conscientiam propter avaritiam gemmis divinas adscribit facultates, ut immenso pretio divendi possint? Divitias, sanitatem, Deique ac Principum favorem, quia nemo est, qui non exoptet, propterea non mirum ab imperitissimis facilè credi gemmis hujusmodi admirabiles virtutes inesse, easque tanquam felicitatis autores coli, ac caro pretio coemi. Sed hæc præstare & efficere non posse gemmas peritiores, & vel parùm docti ac naturali judicio præditi, facilè intelligere possunt. Nullus itaque effectus naturalis, qui connexionem cum sua causa non habet, ab illa effici potest.

Ex prædictis etiam regulis facilè colligi potest, gemmas gestatas productivas nunquam esse posse, id est nunquam effectum producere posse qui ens sit, quod ante non fuerat, nisi subjectum attingant, & aliud efficiens accedat, ut illæ potiùs materialis causæ rationem obtineant. Ut, dum ex calcedonio, & ferro excitatur ignis. Hic enim motus, sive voluntarius, sive casu adhibitus ex calcedonio, & ferro, tanquam materiis producit ignem, quem gemma quiescens nunquam produceret, & multò minùs, si subjectum non attingeret, ex quo effectus esset producendus. Non solum quia gemmæ formaliter, vel virtute nullum effectum propriè in se continent, sed quia etiamsi continerent, tanquam res quiescentes, & mortuæ in subjectum distans, & quod non attingunt, nihil efficere possunt, ut docet secunda conditio.

Quicquid itaque efficiunt gemmæ, tanquam causæ non productivæ id faciunt, ac effectus tantùm impropriè dictos producunt. Si intùs sumantur ab homine materiales causæ redduntur suorum effectuum, & causa efficiens fit calor nativus. Gemmas verò à causis agentibus, quæ reales non sunt, aliquid pati posse, ut smaragdum ab actu adulterii, & turcoidem à casu, non quatenus concutitur, sed quatenus nocere casus potuit gestanti, disrumpi, plusquàm absurdum est. Fortassis à nimia calefactione, quæ coitu excitatur, excalefacta gemma, subitòque hyemali tempore frigori exposita, rumpi posset. Sed hoc propter adulterium non fit. Turcois, quia mollis, propter annuli concussionem à casu rumpi posset. Sed hæc ruptura non fit, ut homo à casu illæsus permaneat, sed à concussione. Quod si hujusmodi effectus à prædictis gemmis fieri videantur, vel propter allatas causas, vel propter occultam efficientem fiunt.

Sed putantur gemmæ propter figuras certis temporibus illis insculptas, situm, aut propter hominis gestantis imaginationem, & sympathiam mira sæpè efficere. De his etiam, ne quid desit, dicendum.

Quod ad figuram attinet, illa est terminus quantitatis finitæ secundùm superficiem externam, & dividi potest multipliciter. Primò ratione dimensionis, secundùm quam alia plana, alia incisa. Secundò ratione materiæ, cùm alia ex jaspide, alia ex corallo fit, &c. Tertiò ratione temporis, quo fit. Quartò ratione significationis. Quintò ratione similitudinis. Sextò ratione, qua figura est.

Ratione dimensionis facultas nulla agendi in figura est. Quia quantitas, neque ut quantitas est, vim agendi habet; aliàs omne quantùm haberet; neque ratione specierum, in quas quantitas per se dividitur. Sic enim futurum esset, ut agendi virtus essentialiter de speciebus quantitatis diceretur. Quod vel hinc falsum esse dignoscitur, quod nullius prædicamenti differentiæ essentiales, quibus contrahitur, de speciebus alterius possint essentialiter prædicari.

Ratione materiæ figura vim immutandi per accidens consequitur, eam scilicet, quam materia ipsa habet. Quia cùm materia figura idem est, & absurdè illi adscribitur effectus, qui ab illa, non ut figura, sed quia à tali materia facta est, provenit.

Ratione temporis, quo conflata est, vim habere non potest, cùm tempus ens reale non sit propriè, ac non ens ens producere non possit. Quòd si tempus adhibeatur propter certum cœli aspectum, qui concurrit ad destinatum temporis punctum, quasi ille vim suam impertiret gemmæ, incertum quid, & hactenus nulla demonstratione ostensum, neque experientia approbatum creditur. Aspectus enim, & cœlestia, si quid agant in materias, non propter figuram, quæ artificialis est, & à natura non agnoscitur, sed propter materiæ essentiam, suas illi vires imprimunt, idque semper, cùm figurata, vel non figurata æquè apta sit ad vires, quas cœlestia corpora illis infundere possunt, suscipiendas.

Ratione significationis figura vim aliquam efficiendi habet, sed illa intentionalis est, neque gemmæ, aut materiæ adscribenda est. Agit autem figura, dum objecta intellectui movere potest voluntatem, & appetitum, & ratione hujus facultatem motricem ad movendum impellere lege quadam subordinationis, qua facultates hæ inter se nectuntur. Hoc modo figura lasciva luxuriam excitare potest.

Ratione similitudinis figura etiam agere potest, quatenus

quatenus movet appetitum, & voluntatem propter id, quod intellectui repræsentat. Sed hac ratione gemma, vel materia, ex qua constat figura, non est causa effectus, neque aliquid ad effectum facit. Quia similitudo, quæ movet sensum animalis, idem facere potest in quavis materia.

Figura autem sola absque aliis circumstantiis considerata, quatenus figura est, nihil prorsus efficere potest. Quia figuræ non inest perfectio effectus formaliter, vel virtute. Deinde figura per se solo motu locali perficitur, qui, philosophorum sententia, producendi virtutem nullam habet. Præterea nunquam experientia visum fuit, motum aliquem non posse alteri adscribi, quàm figuræ; proinde potentiam movendi nullam habere figuram, certissimum videtur. Tum demum quia figura, sive sit geometrica, ut circulus, vel triangulus, sive character alicui planetæ, aut spiritui dicatus, sive actum aliquem humanum referat, aut figuram alicujus substantiæ, duntaxat qualitas quædam ipsius quantitatis est, ac nunquam actionis principium, neque comprincipium, in motu locali, qui per alterationem fit, esse potest.

Quod autem ad situm attinet gemmarum, sive illæ in auro, argento, aut alia materia includantur, sive ad plagas mundi accommodentur, nihil situs juvare ad gemmæ vires augendas potest naturaliter. Quia propriè situs ens reale non est, & tantùm ratione alterius, aliquid esse videtur, ut relata omnia. Si materia, cui imponitur gemma, aliquid efficere naturaliter potest, vim gemmæ naturalem augere potest. At tum situs, quoad situs, nihil operatur.

Quod verò ad imaginationem, multi putant, & credunt, gemmas vires per se solas non habere; sed si effectus aliqui ab illis fieri videantur ab imaginatione gestantis effici. Sed notandum imaginationem, ut imaginatio est, formaliter immediatam vim sive movendi, sive producendi habere nullam aliam, quàm est actus imaginationis. Quia causa debet virtute aut formaliter perfectionem effectus continere. Imaginatio autem perfectionem objecti repræsentativè tantùm imitatur. Deinde imaginatio ut talis est, id est qua ratione substantiis corporeis, & mutationi obnoxiis convenit, nec movendi, neque producendi virtute immediata est prædita. Quia, ipsa remota, & aliis positis, non propterea impeditur effectus. Nam vis eorum effectuum, qui imaginationi tribuuntur, residet in qualitatibus complexionalibus, quæ imaginationi subordinantur. Quia effectus quicunque imaginationi verè tribui possunt, vel complexionales sunt, vel complexionem veluti dispositionem quandam sequuntur.

Imaginatio autem illa, quam vehemens appetitus sequitur, vim habet producendi, & movendi mediatam subordinatione quadam spirituum, & humorum, ex quibus corpus conflatur, facultatis item motricis, quæ animali est ingenita. Non potest tamen illa excedere vires spirituum, humorum, & virtutis motricis. Interdum, sed admodum raro, potest accedere virtus aliqua occulta, cujus applicatio imaginationi est subjecta.

Ut itaque imaginatio proprium corpus nonnisi dictis modis alterare potest, ita nec alienum, quod non alterat, nisi qua ratione spiritus animales qualitate aliqua imbutos, aut infectos, fumosve venenosos à corpore pellit in corpus alterius. Nam virtus mediata imaginationis major esse non potest, quàm quæ est spirituum, & humorum, ac virtutis motivæ, quæ ab anima regitur. Si igitur gemma beneficio imaginationis, aut adjuvante imaginatione effectum putatur produxisse, qui dictis modis fieri ab imaginatione non potest, credendum eum cacodæmonis ope fuisse productum.

Sed putant aliqui, gemmas, aut figuras, vel characteres illis insculptos sympathiam habere cum rebus nonnullis inferioribus, vel superioribus, astris nempe vel aspectibus, atque hac ratione mira interdum, & quæ præter rationem videntur, efficere. Sympathiam istam contingere existimant propter similitudinem, quam habent inferiores figuræ, & characteres naturales, vel artificiales cum superioribus & cœlestibus.

At decipiuntur. Quia cœlestia corpora neque figuras, neque characteres habent, neque etiam similitudinem aliquam cum figuris, aut characteribus inferioribus, sive illæ naturaliter, casu, aut artificio rebus insint. Nam, etsi Leonis, anguis, ursæ, cancri, piscium, capricorni, aut alterius rei figura in cœlo ab Astronomis statuatur, non tamen id fit, quòd revera sibi hujusmodi animalium aliqua figura, aut similitudo sit, sed tantùm quia illis placuit, astris tale nomen, docendi causa, tribuere. Quod Ursæ sidus demonstrat. Id enim aliquibus Currus nominatur. An autem similitudinem habeat currus cum ursa, judicent qui sanæ sunt mentis. Fictitiæ sunt figuræ cœlestes, & nulla entia realia, & propterea nihil agere, aut cum rebus inferioribus convenientiam nullam habere possunt. Quia tamen harum opinionum autores inferiores figuras, sive characteres sympathiam cum corporibus cœlestibus, aut earum fictitiis figuris habere, ac ita propter similitudinem, & convenientiam, ut dixi admirabiles vires ab astris accipere, easque deinde circa objecta idonea exercere existimant, explicandum est, quidnam sympathia, cui, tanquam causæ multi multa tribuunt, sit.

Sympathia, & ejus contrarium antipathia non aliud significant, quàm rerum naturalium vires, propriasque affectiones cum tali respectu, ut comparando unius perfectionem cùm alterius, intelliguntur, aut repugnare, aut consentire inter se.

Perfectio autem rerum duplex. Altera essentialis, accidentalis altera. Hæc rursus quadruplex. Una est potentia rei naturalis. Secunda operatio. Tertia modus certus se habendi ex natura rei debitus, ut situs est. Quarta effectus, qui rei extra ipsum in supposito distincto debetur. Ut autem perfectio dividitur, ita sympathia, & antipathia rerum. Essentialis ex accidentali, tanquam à signo colligitur, nec ad propositum facit. Itaque de accidentali tantùm agendum.

Sympathia itaque, ut illam describamus, est consensio rerum secundum accidentia propria, operationes, & effectus, quæ sibi mutuò suppetias ferunt ad perfectiones debitas obtinendas. Antipathia verò est repugnantia inter affectiones proprias, operationes, & effectus rerum, talis, qua sibi mutuo impedimento sunt ad debitas perfectiones accidentales consequendas. Sic inter ignem & aquam est antipathia, inter ignem & aërem sympathia. Putare autem inter res naturales talem esse sympathiam, ut opportunè applicatæ possint effectus supernaturales efficere, aut opinari sidera cum homine, aut figuris ab eo factis, sympathiam habere, absurdum est. Quia si vim aliquam in rebus efficiendis obtineant sympathia, aut antipathia, ea ad causam aliquam debet revocari, & cùm non possit reduci in materiam, aut formam, quippe antipathia, & sympathia rerum non concurrunt ad efficiendas res constituendo, & explendo ipsas, sicut partes, nec etiam ad finem, cum finis causa tantùm sit intentionalis, sequitur cùm causæ tantùm quatuor sint, vim, quam antipathia, & sympathia habent, in effectione rerum, ad efficientem causam pertinere. Sed quia ex definitione sympathiæ, & antipathiæ, colligitur duo contineri nomine utriusque, nimirùm perfectiones rerum naturales; deinde respectum quendam secundùm quem inter se repugnant, & conve-

niunt, ratione hujus respectus nullam vim agendi participant. Quia relatio sive realis, sive rationis quatenus relatio est, agendi vi caret.

Quod si sympathia, vel antipathia pro fundamento hujus respectus accipiantur, possunt esse conditio necessario requisita, ut res in se mutuò agant. Sed ita non sunt causæ, ac proinde falsum est ex astris posse communicari virtutem gemmis, vel lapidibus, ut effectus pariant contra communem naturæ ordinem, & quorum ratio verisimilis nulla à prudentibus dari potest. Cœlum & astra, tanquam causæ communes, & universales regunt quidem ista inferiora, ac vires per radios & calorem rebus immittunt, sed effectus, qui inde proveniunt, semper inde proveniunt, nec propter figuram aut characterem promoventur, aut impediuntur. Qui autem inde proveniunt, facilè experientia deprehenduntur, nec contrà naturam, aut rationem esse deprehenduntur, etiamsi ratio fortassis intelligi non possit. Si cœli plaga septentrionalis ferrum magnete tactum, & in æquilibrio positum ad se respicere cogit semper, etiamsi ratio, cur id fiat ignota, aut inventu difficillima sit, facile quidem perspicitur inter cœli plagam, & magnetem sympathiam esse, ac propter sympathiam motum fieri, verùm causa cur fiat, ignoratur. Sed de his hactenus satis.

CONSULTATIO LIV.

An, & quatenus vanæ observationes sapiant hæresim manifestè? Quænam in eis cavenda? Quæ revera sint vanæ superstitiones?

ET quidem hoc est aliud genus sortilegiorum, distinctum à divinatione. Distinctio autem horum generum desumitur à fine, & ab effectu intento à sortilegis. Finis enim divinationis est notitia occultorum & futurorum contingentium. Vanæ verò observationis finis sunt effectus quincunque spectantes ad commodum vel nocumentum humanum, ut ad sanitatem, divitias, infirmitatem, dignitates, amorem, & id genus alia; etiam ad cognitionem, non quidem occultorum, sed earum rerum, quæ humano modo investigari possunt.

Hujus autem vanæ observationis innumeræ sunt species, ac modi, quos omnes recensere, supervacaneum esset, nec puto necessarium; satis enim est, aliquas superiùs adduxisse, quia non distinguuntur, nisi materialiter ex parte rerum, quarum est usus. Aliæ quam plures legi possunt apud Raphal. de Turre 2. 2. *q.* 96 *ac Delrium lib.* 3. *mag.*

Essentia vanæ observationis in eo consistit, quod ad obtinendum effectus intentos adhibetur, vel res, quæ ad illos producendum vim non habent, vel circumstantiæ vanæ ac inutiles. Exemplum pono in arte notoria, quæ ad acquirendam scientiam utitur inspectione quarundam figurarum, & prolatione quorundam verborum, quæ nullam virtutem habent ad generandam scientiam; in collectione herbarum, in qua observantur vanæ circumstantiæ; in modo scribendi, aut ligandi, in eo quod in tali hora scribantur nomina ignota, characteres occulti, ac ejusmodi pleraque.

Quòd autem hæ vanæ observationes sint superstitiosæ ac illicitæ, & contineant pactum implicitum cum dæmone, probat D. Thomas 2. 2. *cit. qu.* 96. *ar.* 1. ubi disserens de arte notoria, sic ait: *Et ideo hujusmodi ars, non utitur his, ut causis, sed ut signis, non autem ut signis divinitus institutis, sicut sunt sacramentalia signa; unde relinquitur, quod sint supervacanea signa, & per consequens pertinentia ad pacta quædam significationum cum dæmonibus placita, atque fœderata.* Et art. seq. ita. *Unde si naturaliter non videantur posse tales effectus causare, consequens est, quod nec adhibeantur ad hos effectus causandos, tanquam causæ, sed solum quasi signa, & sic pertinent ad pacta significationum cum dæmonibus.* Idemque docet ibidem *ar.* 3. ex D. Augustino *lib.* 21 *de civit. cap.* 21. Sed ad quid significandum? Proculdubio aliquid in dæmonis reverentiam.

Alia etiam ratione probatur superstitio vanę observationis. Cùm enim ex causa insufficienti, & inefficaci ad producendum effectum, vel simpliciter, vel eo modo, quo desideratur, non possit sperari effectus, si ex illa speratur, non speratur, nisi accedente auxilio alicujus causę ocultę, quę non potest esse, nisi Deus, vel ejus Angelus, vel dæmon. Non autem hoc auxilium expectatur à Deo, quia in his invocare Deum, est illum tentare, neque his vanis adest speciali auxilio suo, neque ista approbat, neque hi vani observatores ad divinum auxilium confugiunt. Sperant hæc igitur à dæmone, cui confidunt, & qui in his se ingerit.

In his autem vanis observationibus, & incanrationibus duo animadvertenda esse, monet D. Thomas *ea q.* 96. *art.* 4. Primùm si verba, vel voces, vel scripta, quæ adhibentur, contineant aliquid pertinens ad invocationē dæmonis est manifestè superstitiosum, ac illicitum. Si verba sint ignota, ut sunt nomina quædam hebraica Angelorum, metuendum est, ne aliquid mali contineant. Quod etiam admonet Autor oper. imperf. in Matth. *homil.* 43. Similiter si verba falsitatem contineant, certum est, quod eorum effectus non potest expectari à Deo, qui non est testis falsitatis. Si verò adhibeantur orationes piæ, vel sacræ, & effectus expectatur à Deo per orationem, cavendum item est, ne cum verbis sacris contineantur aliqua vana, ut aliqui characteres; vel ne spes fundetur in modo scribendi, aut ligandi scripturas, aut in alia re vana, quæ ad divinam reverentiam non pertinet. Hoc enim existimandum esset superstitiosum

Atque ex his generatim colligi poterit, quænam sint vanæ superstitiones. Et primùm semper vana est observatio ac superstitiosa, quando speratur aliquid à dæmone, etiamsi id non excedat dæmonis virtutem; quia continet cum dæmone familiaritatem. Deinde, quando ad effectum obtinendum adhibentur res non habentes ullam virtutem ad illum producendum vel secundum substantiam, vel secundum modum. Postremò quando rei habenti virtutem ad obtinendum effectum, adjunguntur circumstantiæ, vanæ ac inutiles. Ita colligo ex D. Thoma *loc. cit. art.* 2. 3. & 4. & tradunt ibi Cajetanus ac Turre, ac sequutus est Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 40. *n.* 9. & Sousa *lib.* 1. *aphor. c.* 54. *n.* 4. & 5.

Quoniam verò natura producit aliquando mirabiles effectus, quare difficile est ejus vires cognoscere, idcirco effectus, cujus causa non est manifesta non est temerè adscribendus superstitioni, ut per Victor. *de mag. q.* 3. *n.* 7. Delrium *lib.* 1. *magic. cap.* 2. & 3. Sanch. 40. *n.* 42. & Sousam *eo cap.* 54. *n.* 42. Quando igitur dubium est, an effectus superet virtutem rei, quæ adhibetur ad illum producendum, præsumi debet, talem effectum provenire à causa naturali. Sanchez *ibid. n.* 44. & Sousa *n.* 7. Contra, si est certum, & manifestum quod effectus excedat virtutem naturalem causæ, prçsumendum est, esse à dçmone, nisi sanctitas operantis, vel alia indicia maximè urgeant, effectum esse à Deo, vel ab ejus Angelo, D. Thomas *d. q.* 96. *ar.* 2. Simanch. *cath. instit. tit.* 63. *n.* 33 Suarez *de relig. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 11. 13. & *seq.* Sanchez *cit. cap.* 40. *nu.* 44. & Sousa *eod. cap.* 54. *num.* 8.

Quando itaque dubium est, an causa, quæ adhibetur, sit sufficiens ad producendum effectum, non est illicitum experiri illius virtutem cum protestatione quòd non intenditur auxilium dæmonis, & quòd si effectus sit à dæmone, non fert animus uti illa observatione

tione, ut effectus producatur. Hæc tamen protestatio non excusat, ubi est manifestum, rem, quæ adhibetur, non habere virtutem ad effectum intentum. Ideo experientia, quòd vana observatio sortitur effectum, non reddit licitum ejus usum.

Ubi verò vana observatio non continet pactum expressum cum dæmone, sed solùm implicitum, levitatem, vel ignorantiam, excusare, si non sit crassa, vel affectata ex Valentia 2.2.*disp.*6.*qu.*13.*pun.*3.& Sanchez *d. cap.* 40. ait Sousa *cit. cap.*54. *n.* 40. Sed distinguendum est. Nam si quis putat causam naturalem habere virtutem sufficientem, si ea utatur, non est superstitiosus, neque illicitè agit, D. Thomas *d.q.* 96.*art.*2.*ad* 1. Quod verum est, etiamsi opinio ejus sit falsa, & ex crassa ignorantia procedat. Nam in his ideo intercedit superstitio, quòd quis utitur rebus, ut signis magicis, & non ut causis naturalibus, vel quia deposcitur dæmonis auxilium. Qui autem putat, rem, qua utitur, esse causam naturalem effectus intenti, & hac intentione illa utitur, simul utitur illa, ut causa, & non ut signo, & ut causa sufficienti, non ut invocante auxilium dæmonis. Si verò dubitat de virtute naturali causæ, peccat, si intendat absolutè consequi effectum undecunque ille proveniat. At si nihil cogitat de naturali virtute causæ, sed solùm attendit, quod ex tali observatione produci solet effectus, illaque utitur, est superstitiosus. Quia vult effectum, non ut ex causa naturali, sed ex quacunque causa ille proveniat. Si verò scit effectum excedere virtutem naturalem causæ, qua utitur, sed ignorat hoc esse superstitiosum non excusatur à peccato ex ignorantia crassa.

An autem excusetur à suspicione hæresis, attendenda est hæc tradita distinctio.

Neque hic habet locum excusatio ex parvitate materiæ, ut censent citati Doctores. Verùm, quòd possit dari imperfecta ratio societatis cum dæmone, ut si quis ex levitate, vel curiositate non credens, se divinam amicitiam offendere cum sibi occurrente dæmone in assumpto corpore, vel in energumeno, quasi per transennam loquens, requirit curiosa, sentit Cajetanus in *d. q.* 96. *art.* 1. ubi hunc excusat à mortali, quia non intervenit, nisi imperfecta quædam & levis societas cum dæmone. Ubi tamen dæmon invocatur, etiam tacitè, non datur parvitas materiæ, quæ excuset à mortali.

Ex quibus erui potest, an, & quando vanæ observationes sapiant hæresim manifestam. Et primò quidem, quotiescunque dæmoni tribuitur cultus divinus, vel ille expressè invocatur. Secundò quotiescunque observatio est factum hæreticale, ex hæresi proveniens, sive illam supponens. Tertiò quando dæmon, etiam implicitè invocatur ad id, quod manifestè excedit suam virtutem. Quartò si adhibeantur res sacræ ut Sacramenta, sacramentalia, & alia similia. Omnes tamen isti modi ad secundum reducuntur. Actus enim externus internam hæresim significat, ut effectus causam. Sic ex eo, quòd quis sperat per vanam observationem notitiam futurorum contingentium, hæc est spes, quæ supponit hanc hæresim, quod scilicet per vanas observationes possint certò cognosci futura. Sic etiam si in vana observatione tribuitur dæmoni cultus latriæ, supponitur hæresis, per quam adorans credat, dæmonem esse Deum. Vel si in vana observatione est abusus rei sacræ, supponitur, hæresis, quòd res sacræ ad Dei cultum deputatę habeant vim ad effectus vanos producendum.

Nec objicias, quòd ex abusu rerum sacrarum non supponatur hæresis, quia non supponitur per se, quòd illæ habeant virtutem ad vana, quia vanus observator potest sine hæresi credere, quod illæ res sacræ non ex se, sed ex pacto cum dęmone habeant virtutem conventionalem, ac moralem, quam ex pacto habere possunt. Nam hæc objectio absurda est. Dum enim evitat unam hæresim, incidit in aliam. Objectio itaque supponit pactum explicitum cum dæmone, ex quo hæc sacra adhibentur in vana observatione, & sic adhibentur ex dæmonis institutione, & non tanquam causæ naturales, sed tanquam causæ morales; quia scilicet adhibentur, tanquam signa alicujus divini cultus, & ut per res illas colatur dæmon, ac ita supponitur hæresis, per quam credatur, dæmonem esse Deum, à nobis adorandum rebus illis, quæ cultum divinum important, & quæ sunt signa divini cultus.

At verò quando neque ex parte effectus sperati, neq; ex parte rei, cujus est usus in vana observatione, neq; ex parte actionum, quæ admiscentur, non supponitur manifestè hæresis, tunc vana observatio non sapit hæresim manifestè. Videtur tamen, quòd omnis vana observatio sapiat manifestam hæresim, saltem quia tribuitur dæmoni cultus divinus. Cùm enim res, quæ adhibentur in vanis observationibus non adhibeantur, ut causæ naturales effectus sperati, quia ad id virtutem non habent, adhibentur ut signa, & sic ut causæ conventionales, ac morales, & simul qualificantes cultum, qui dæmoni per invocationem tribuitur per aliquam participationem divini cultus. Non enim præsumi potest, quod dæmon ex alio fine velit res illas adhiberi, ut signa, nisi ut sint signa alicujus divini cultus, cùm ipse in omnibus affectet divinitatem.

Unde fuit aliquorum opinio quòd tunc hæreticale sortilegium est, quando dæmon invocatur, aut consulitur, etiamsi id fiat sine cultu latriæ, aut duliæ. Pro hac opinione Farinacius *de hæres. q.* 181. *num.* 73. plures citat, inter quos Simancham *de Cath. instit. tit.* 63. *n.* 12. qui tamen id non asserit, sed solùm, quòd dæmonem invocans, & cum eo communicans, videtur, cum illo pactum inire. Sanctarellus verò *de hæres. cap.*22. *num.* 3. ait, quòd invocare dæmonem est illicitum. Et Squillacensis *de fid. cap.* 10. *n.* 1. *& cap.*13.*num.*2. loquitur de invocante dæmonem ad ea, quæ dæmonis virtutem superant. Delrius autem *magic. lib.* 3.*sect.* 15. ponere potuit plures casus, in quibus invocans dæmonem sine cultu est de hæresi vehementer suspectus. Quia, ut diximus, etsi talis, manifestè non exhibeat dæmoni cultum latriæ, aut duliæ, invocat tamen dæmonem ad ea, quæ non potest, vel abutitur rebus sacris. Idque docet D. Thomas 2. 2. *qu.* 95. *art.* 4. & cum eo cæteri, quòd scilicet invocans dæmonem ad sciendum futura contingentia, illicitè agit, estque manifestè supectus, quod hæreticè credat, dæmonem posse certò scire futura contingentia.

Itaque assertio illa generalis potest esse in multis casibus vera, sed illam esse universim veram & in omni casu, non inquiunt citati Doctores, qui nec loquuntur in hac specie, an nimirum invocatio dæmonis ad ea, quæ dæmon potest, si fiat sine manifesto cultu latriæ, aut duliæ, ac sine abusu rerum sacrarum, sapiat hæresim manifestè. Hoc autem tenent aliqui cum hac limitatione, si invocetur dæmon verbis deprecativis, ut Carena *p.* 2. *tit.*12.*n.*60. alijque ab eo citati. At hæc opinio suo loco impugnata est. Alij hanc opinionem videntur sequi cum alia limitatione, si intercedat pactum expressum cum dæmone. Pactum enim hoc censetur esse hæreticale, & sapere hæresim manifestè. Pro ea Farinacius *ibidem. n.* 34. quamplures allegat, qui si legantur, constabit, quod illi id teneant ex ratione, quã tradit Carena *d.tit.* 12. *n.* 137. Quia scilicet pactum expressum cum dæmone non fit, nisi apostatando à fide. Quid verò dicendum sit, si contingat fieri pactum, quod ex re conventa nullam sapiat hæresim, nullatenus expresserunt.

Est igitur altera sententia, quæ vult, quòd hujusmodi vanæ observationes, sive sortilegia, in quibus non invocatur dæmon, nisi ad ea, quæ potest

potest sua virtute agere, idque sine cultu, & abusu rei sacræ, non sapiant hæresim, seu non inferant suspicionem hæresis. Citatur pro illa Pegna *in direct. p. 2. com. 48. sive schol.* 50. qui tamen id non ait. Id verò tenere videtur Suarez *d. lib. 2. de relig. c.* 19. etiamsi fiat cum pacto explicito, tenetque Clarus §. *hæresis in fine*, alios referens. Et videntur etiam tenere ii, quos largiter adducit Farinac. *d. q.* 181. *n.* 81. tenentes sortilegium ad tentandam pudicitiam non esse hæreticale.

Hanc rem plerique Doctores confusè, ac permixtè tractant, non distinguentes inter sapere hæresim, & sapere hæresim manifestè. Quamplures enim inquiunt, sortilegia hujusmodi non sapere hæresim, hoc est, sentiunt, quod non sapiunt hæresim manifestè, sive non inducunt suspicionem hæresis vehementem. Ideoque videntur velle, quod simpliciter sortilegium non dicatur hæreticale, nisi sapiat hæresim manifestè.

Nos verò discretè, atque electè ita eam digerimus. Omne sortilegium aliquo modo sapit hæresim, ac reddit sortilegium suspectum de hæresi, saltem de levi; sed tamen in specie, quando invocatur dæmon sine manifesto cultu Latriæ, aut Duliæ, ac sine abusu rei sacræ ad ea, quæ potest sua virtute, sortilegium non sapit hæresim manifestè, neque inducit suspicionem vehementem hæresis.

Primam partem assertionis tuentur Pegna *d. schol.* 50. Zanard. *in direct. p.* 3. *c.* 64. Carena *d. tit.* 12. *n.* 246. quatenus ait, quòd propter sortilegia non hæreticalia regulariter sortilegi abjurant de levi, Salelles *lib.* 6. *c.* 5. *n.* 913. Delbene *p.* 2. *dub.* 229. *sect.* 7. *n.* 1. & 2. quodque amicitia sola cum dæmone per se aliquem saporem hæresis habeat, probabimus etiam suo loco. Et ratio paulò ante allata id convincit, vel saltem probat hujusmodi vanas observationes non esse sine levi suspicione hæresis.

Secunda verò pars probatur. Manifestum enim est, has vanas observationes, ac sortilegia non esse hæreticalia ex parte effectus intenti, qui nec est contra fidem, nec superat virtutem dæmonis, neque sunt hæreticalia ex abusu rerum sacrarum, ut supponitur. Solùm itaque potest esse dubium, an sint hæreticalia ex parte cultus. At verò non est manifestum, quod in his vanis observationibus exhibeatur dæmoni cultus latriæ, aut duliæ. Sapere enim hæresim manifestè est perspicuè, clarè, non obscurè, primo aspectu, ac illicò apparere saporem hæresis, ut ex Simancha *tit.* 62. *n.* 3. & aliis, quos refert Farinac. *d. q.* 181. *n.* 94. In hujusmodi autem sortilegiis non apparet clarè, ac primo aspectu cultus. Quia res, quarum est usus ex communi lege, ac more non sunt institutæ ad divinum aliquem cultum, imò neque ad aliquid significandum. Quòd autem hoc habeant in sortilegio ex institutione dæmonis, non est perspicuè manifestum, sed latet, & ex conjecturis tantùm deducitur. Et quamvis conjecturæ sint valdè probabiles ita ut virum doctum movere possint ad credendum in omni sortilegio dari saporem hæresis, hoc tamen communiter non apparet, sed latet. Tum quia non semper apparet, quòd res, quarum est usus non sint causæ naturales effectus intenti. Et tùm quia institutio dæmonis, quod res illæ adhibeantur, ut signa divini cultus, non est communiter manifesta, quia ex communi usu in istis sortilegiis non sunt instituta, ut signa, neque ut signa divini cultus. Intentio verò dæmonis, & ejus institutio est abdita. Non igitur ex his potest quis vehementer suspicari hujusmodi sortilegos ex sua intentione colere dæmonem, maximè cùm satis sit manifestum, illos ex amore alicujus utilitatis moveri ad hæc sortilegia exercendum. Ideoque ulteriùs hæc secunda pars probatur. Quia ex jure, quod habetur *in cap. accusatus de hæret. in 6. sub initio* datur distinctio suspicionis in vehementem, & levem, & *ex ejus* §. sanè non omne sortilegium sapit hæresim manifestè. Hæc autem, quæ hæresim manifestè non sapiunt, sunt quæ non habent saporem hæresis. Vel quia sortilegus neget manifestè fidem, ac sit manifestè hæreticus. Vel quia speret à dæmone quæ de fide constat, dæmonem non posse; neque abutitur, sed solùm sapit hæresim pacto, invocatione, & cultu implicito, & occultè latente.

Quòd si quæras. Quid, ubi interveniat pactum expressum sive invocatio expressa? Respondeo, in hac quæstione supponi falsum, dari scilicet pactum expressum cum dæmone, quod ex parte rei conventæ non sit superstitiosum. Non enim dæmon, nisi in cultum suum, & affectatam divinitatem ordinat cum se conventa. Sed demus tandem casum moraliter impossibilem, qui faciliùs inveniri potest in invocatione expressa facta, sive aliquo pacto conventionali; hæc tamen expressa invocatio, de se potiùs infert suspicionem vehementem malæ fidei, quamvis in hoc considerandæ sint circumstantiæ, ac præsertim causa invocationis, quam, si constet esse ex amore alicujus utilitatis, non autem ex mala fide, minuitur ratio suspicionis, ut alibi dicemus. Et animadvertendum est, quòd ea, quæ ratione pacti impliciti non inducunt, nisi levem suspicionem, in habente pactum explicitum, vel in explicitè invocante dæmonem, inducunt suspicionem vehementem. Quia illi manifesta est dæmonis institutio, aut promissio, constatque illi omnia dæmoniaca esse, ac ordinata à dæmone ad suam affectatam divinitatem.

Dicendum itaque est, dari tria genera sortilegiorum. Primi generis sunt manifestè hæretica, quæ sunt illa, in quibus sortilegus manifestè verbo, vel facto negat fidem, sive habet actum per se, & ex se contrarium confessioni fidei, quales sunt actus manifestæ idololatriæ. Secundi generis sunt manifestè hæreticalia. Hæc sunt illa, in quibus vel speratur à dæmone, quod de fide certum est, non posse ab eo fieri, vel intervenit in illis abusus rei sacræ. Tertii generis sunt hæreticalia latenter, ac implicitè, non autem perspicuè & manifestè, suntque illa, quæ non habent aliquid ex prædictis duobus generibus.

Ex quibus profectò habetur vel hæresis externa manifesta, vel manifesta hæresis suspicio, vel hæresis sapor. Ea, quæ non sapiunt hæresim manifestam sunt, in quibus sine aliqua circumstantia hæretica, aut manifestè hæreticali fiunt ad inveniendum thesaurum, vel res furto sublatas, ad sciendum aliquid occultum, quod sit occultum per accidens, sed dæmoni manifestum, ad sciendum, an post conceptionem partus jam in utero formatus sit mas aut fœmina, ad tentandam pudicitiam, ad impediendum, ne ignis filum, vel rem aliam comburat, ad transferendum aliquid è loco ad locum, ad inferendum infirmitates, ad ligandum sponsos, ad inducendum nebulas, tempestates, tonitrua, ad sanandum morbos, ad illuminandum etiam cœcum, non tamen à nativitate, ad juvandum memoriam, ad acquirendum scientiam per purgationem phantasmatum, per facilitatem, felicitatemque sensuum, & ad cætera hujusmodi, quæ dæmon virtute sua post agere.

Bifariam verò suspicio esse potest levis. Primò ex natura operis. Quia scilicet opus non est ex se contra fidem, solùmque rariùs est ex hæresi. Unde ex eo, nisi ex aliqua subjecta circumstantia non potest oriri vehemens suspicio hæresis, ut comedere carnes. Ex hoc enim non potest vehementer colligi, quod comedens carnes, teneat hæresim illorum, qui asserunt, non esse illicitum comedere carnes diebus vetitis. Aliæ verò sunt actiones, quæ per se in rei veritate sunt contra fidem, ac hæresim ex natura sua supponunt. Sed quia id non est manifestum, iccircò ex illis non consurgit manifestus sapor hæresis, aut suspicio vehemens. Hujusmodi

sunt omnia sortilegia, in quibus exhibetur dæmoni cultus verè hæreticalis, quamvis id non sit manifestum in sortilegiis, quæ dicuntur simplicia, & non qualificata.

CONSULTATIO LV.

De nomine Malefici, Magi, Mathematici, Sortilegi, & aliis quibusdam. Et quid sit Incantatio, Veneficium, Magia.

CONstantinus Imperator magicis carminibus assuetos maleficos vulgi consuetudine nuncupari testatur *in l. etsi excepta C. de malef. & mathem.* Idipsum & Lactantius *lib. 2. de orig. rer. cap.17.* & *in can. nec mirum 26. qu. 5.* Quamvis enim Maleficii nomen ad omnia pertineat crimina, & damnum omne, quo nocetur alteri, ut constat ex penè infinitis juris testimoniis *l. ex maleficiis ff. de act. § sequens de obl. apud Justin. §. 1. de obl. quæ ex delic. nasc.* ob insigne tamen nocendi studium, quod in sortilegis, lamiis, incantatoribus esse detegitur, ea maleficii nomine absolutè signantur. Ita Augures, Vates, Chaldæos, Magos, reliquosque id genus maleficos vulgus appellat ob facinorum magnitudinem *l. nemo haruspicem C. de malef.* Ut & Valentinianus, Theodosius, & Arcadius maleficos communis salutis hostes dixerunt *in l. fin. C. eod. tit.* Quæ non tantùm ad viros, sed & ad fœminas pertinent, quando & curiosior hic sexus ad artes scrutandas magicas pronior, & propensior fit, ut tradunt Rabbini in præceptis *lognace*, sive præceptis negativis *præcepto* 198. Sic enim & docent verba cap. 22. Exodi, quæ de muliere, non viro loquuntur *mechascephah lo thechaie*, id est malefica non vivet.

Qua ratione maleficia distingui possunt à vanis quibusdam, & curiosis nimiùm perquisitionibus, & observationibus, quarum Sectatores Mathematici quoque vulgò dicti sunt aliquando, seipsos tantùm, non alios lædentes. Propriè Mathematici nomen à demonstratione, qua utuntur Mathematici. Unde & eorum scientia mathesis, quæ quatuor illas complectitur, Arithmeticam, quæ de numeris agit, Astrologiam, quæ de syderibus, Musicam, quæ de melopœia, & verborum sonoritate, & Geometriam, quæ de terræ mensura. Atque de priori acceptione & notione rubrica, ut opinor, de maleficis, & mathematicis intelligenda est, sicut & Cornelius Tacitus *in 2. annal.* tradit, de mathematicis, magisq; Urbe pellendis facta fuisse Senatus-Consulta. Et D. Augustinus, cujus sententiam refert Gratianus *in can. illos planetarios 26. q. 2.* genethliacos, seu planetarios, mathematicos dixit. Et sic hanc observasse differentiam expedit, dum rescriptum Cæsarum Diocletiani, & Maximiani legimus in l. 2. C. de malef. *Artem Geometricam discere, atque exercere*, inquiunt, *interest; ars autem mathematica damnabilis est, & interdicta omnibus.* Quo loci Geometria à Mathematica distinguitur, & illa necessaria & approbata, hæc omninò illicita. Veluti & Plato *lib. 7. de republ.* Geometriam & ad omnes artes conducere, ut & cæteras, quas propriè diximus mathematicas, edocet ex consensu Pythagoræ & Glauci. Quibus suffragantur jura, *can. siquis artem d. 37.*

Nec etiam aberrabimus, si Tacitum loquutum de Astrologis divinatricis, seu judiciariæ curiositatis observatoribus nomine Mathematicorum pellendorum putemus. Item & Cæsares Honorium, & Theodosium *in l. mathematicos C. de Episcop. aud.* dum *Mathematicos*, aiunt, *nisi parati sint, Codicibus erroris proprii sub oculis Episcoporum incendio concrematis, Catholicæ Religionis cultus fidem tradere, nunquam ad errorem primum redituri, non solum Urbe Roma, sed etiam omnibus Civitatibus pelli decernimus.*

Possent & isti judiciarii Astrologi, olim meritò Urbibus expulsi, Magi dici aliqua nominis significatione. Quòd inter cæteras magici nominis acceptiones & magum *domum* dici annotavit non nemo apud Celtas ex lectione Joannis Picardi *lib. 2. Celtipædiæ.* Observant autem Astronomi regiones, & plagas Cœli, quas in partes, quas domos dicunt, dividunt, & ita à domiciliis Cœli observatis magi rectè ea ratione dici possent. Veriùs tamen est, Magos hos, & reliquos rerum mirabilium jactatores dictos fuisse ab usurpato nimium arroganter sapientum nomine, ut eo specioso homines rudes fallerent, & sacrilegam mentem ac artes sceleratas, dolosque tegerent. Nam Cœlius scribit *lib. 5. cap. 42.* vox Magus quidem Scythis ædificatorem sonat, Persis sapientem, Græcis verò divinarum rerum interpretem, exactissimè speculantem. Et, ut Plinius ait, *lib. 30. c. 1.* is Magus olim, qui eruditionem rerum abditarum Philosophiæ utriusque moralis, & naturalis callebat, medicinam, & mathematicas, in Theologia eximiè eruditus. Ita magia consummata Philosophia circa divina & humana potissimùm cognitio de Deo, & immortalitate animæ, ut & constat ex magia Zoroastri, quæ nunc excusa est.

Notat & Lucius Apuleius *in apolog.* 1. quàm pro se edidit, dum ait Magos Persis esse idem, quod nobis Sacerdotes, & magiam esse cultum Dei. Quod mutuatum est ex Alcibiade 1. *Platonis*, subscribitque D. Chrysostomus *to. 2. oper. hom. 2. in 2. cap. Matth.* Sic Strabo *lib. 1. Geogr.* scribit Sacerdotes Ægyptios, Chaldæos, & Magos aliqua sapientia cæteros excellentes, principatum, & honorem apud majores nostros comparasse. Et rursus *lib. 15.* de Persia sermonem faciens, juxta portas Caspias esse nationes Achæmedinarum ait, & Magos, qui honestum quoddam genus vivendi sectantur. Philo quoque Judæus *lib. de special. leg.* veram magiam perspectivam scientiam dixit, per quam naturæ opera cernuntur clariùs, eamque ut honestam expetendam, & ex hac corrupta malas prodiisse artes circulatorum, ariolorum, & similium. Sic Diogenes Laertius Persarum Philosophos, Magos dictos fuisse, eamque magiam à vetitis artibus separatam tradit *in prooemio.*

Effecit tamen tandem hominum pessimorum impostura, ut scientia, quæ saluberrimis ac præstantissimis constabat initiis, in odium, & opprobrium conversa fuerit, & Magi ac Chaldæi nomen exosum fuerit, & damnata conspurcata impiis cæremoniis, & maleficiis ars, ut *ex singulis legib. tituli de maleficis* liquet. Et non tantùm hujus facta, sed & libri improbati flammis adjudicati, *l. 11. de Episc. aud.* juncto Ulpiano *in l. cætera, ff. famil. ercisc.* Quemadmodum impiorum, aliorum dogmatum libri, & monumenta Vulcano destinantur *l. damnato §. 2. & l. quicunque §. nulli, & §. seq. C. de hæret.* Et eo pacto, quod honori Philosophis & Sapientibus erat, nunc vituperio est, & damno, ut nemo sanæ mentis se Magum audeat dicere.

Quamobrem Magi malefici intelliguntur, item & sortilegi dicti. Vocat namque & Plinius *lib. 28. c. 4.* sortilegia omnes Magorum vanas observationes. Et hodie quoq; omnes ii eadem sortium declinatione sortiarii, & mulieres magæ, divinatrices, Striges, Lamiæ, Larvæ, Lemures, Sortiariæ dictæ, *in can. si per sortiarias 33. q. 1.* Porrò incantationis, & veneficii nomen in genere significat actionem, qua ab homine, qui cum malo dæmone pactum iniit, ejusdem dæmonis opera aliquid, quod supra naturæ cursum est, perficitur.

Actiones autem istæ, ut & qui eas exercent variis appellationibus apud Græcos & Latinos indigitantur. A Latinis nominantur incantationes, veneficia, magicæ artes, incantatrices, veneficæ, maleficæ, magi, sagæ, lamiæ, striges. Quæ appellationes etsi singulæ certas actiones, & operandi modos significat; plerunque tamen ita confunduntur, ut unumquodque unum, vel plures, & omnes unumquemque significare videantur.

Primo

Primo enim nomen Pharmacum, à quo pharmaceutria derivatur, in bonam & malam partem accipitur, & ubi in malam accipitur & lethale venenum, & philtrum, & magicas actiones, quæ in imaginibus, & caracteribus, certis verbis, ac similibus consistunt, significat.

Secundo Epodi, quod est accinere, adcantare, admurmurare dicta, Incantatio est maleficii genus proprie, quo verbis quibusdam conceptis, quæ carmina vocant, malefici mira se præstare posse putant. Hinc venefici alii ex manifesto & expresso cum dæmone pacto sua carmina recitant, & incantationes instituunt. Alii imprudentes, non tamen excusabiles, carmina illa, seu verba sic recitant, non quasi ex pacto cum dæmone valeant, sed quòd verbis ipsis vim quandam inesse, malè persuasum habeant. Utriq; plerunque alios lædere student, præcipue illi, quibus pactum expressum est cum dæmone.

Tertiò etiam dicuntur Veneficæ, quòd venenis malis utuntur, iisque hominibus nocent.

Quartò ob nocendi studium Maleficæ appellantur, cùm omnia earum studia, eò dirigantur, ut hominibus vel brutis instinctu dæmonis, qui ab initio est homicida, noceant.

Quintò dicuntur Magi. Etsi enim nonnulli existiment magos semper & ubique habitos qui vel scire, vel facere possint ea, quæ à naturalibus causis effici nequeant, & cùm naturæ vires nihil saperet, nisi Deus, & Angeli boni, vel mali; Dei verò & bonorum Angelorum opera usi non sint, ea de causa, quòd quæ faciunt ordini à Deo prescripto prorsus repugnant, malorum Angelorum opera id præstitisse. Verùm hic sentio cum Pererio *lib.* 1. *de magia cap.* 3. & aliis, qui statuunt, dari magiam aliquam naturalem, eamque esse, quæ cognitione quadam, ac usu rerum naturalium mira perficit. Multa enim, ut Plinius loquitur, sunt Naturæ miracula incompertæ rationis, & in Naturæ majestate penitus abdita, qualia passim in Physicorum libris occurrunt, & eorum quædam collegit Pererius *loc. cit.* Hæc ergo quæ vulgo ignota sunt, si perspecta habeat Philosophus, mira facere potest adeo, ut vulgus ea supra naturæ vires, & à superiore aliqua causa profecta putet. Interim hoc negandum non est, cùm humana mens sit novitatis avida & scientia nunquam expleri possit, illos Persas, Chaldæos, & Ægyptios, cùm omnia, quæ vellent, intellectu consequi non possent, ad dæmonum opem tandem confugisse, Unde Magi nomen infamatum est, ut jam diximus.

Sextò Sagæ à sagiendo, id est multa faciendo dictæ sunt propriè, quæ se multa scire imprimis, quandoque & facere profitentur, quæ ex pacto cum dæmone se, quæ alii nesciunt, dicere, vel prædicere, vel tempestates ciere, homini, brutis, segetibus nocere posse sibi persuasum habent, quam ad rem carminibus, imaginibus, characteribus, & aliis rebus utuntur.

Septimò & Lamiæ nominantur à lamiis Ethnicorum: Ethnicis enim lamii erant spectra, seu phantasmata, quæ cum prodesse se velle, ac juvenum amorem ambire mentiebantur, in formosarum, & pulchrarum mulierum specie, cùm verò nocere volebant, deformi, & horrenda apparebant, & Empusæ ac Mormolicia dicebantur. Cùm ergo Sagæ hodiernæ cum spectris colludere, convivari, saltare, libidinem exercere, aliaque agere dicantur, hinc Lamiæ sunt vocatæ.

Octavò nominantur Striges ab ave hujus nominis è Poetarum fabulis nota, quæ credita fuit noctu lac infantium labris immulgere, & infantes absque custodia relictos, è cunis rapere, sanguinemque eorum exorbere. Quod cùm & veneficæ facere dicantur, Striges quoque nominantur.

Tandem etiam à quibusdam ars Atracia nominatur, non quidem ab atro colore, sed ab Atrace, qui eam primus in Thessalia tradidisse scribitur, teste Beroaldo *in Apuleium de Asino aureo.*

Etsi verò ex his omnibus pateat, nomina hæc diversas ob causas maleficis esse imposita, hodie tamen omnia pro uno, & unum pro omnibus fere usurpantur, & his nominibus omnibus ij appellantur, qui ex pacto cum dæmone, ejusque ope, ea, quæ supra naturam sunt, præstare dicuntur. Iis enim omnibus, ut postea dicetur, commune est, ut pactum cum dæmone habeant, interdum expressum, & apertum, interdum occultum, & implicitum. Et sanè eò dementiæ deveniunt, ut abjurato Deo, paciscantur cum dæmone, & se ejus tutelæ, patrocinio, ac dominio tradant, ut vel artes, & scientias, & occultas res ab eo discant, aut aliis nocendi vim ab eo accipiant. Quidam vero etsi cum dæmone pactum non ineant, cæremoniis tamen, characteribus, verbis, ac similibus, quæ ab aliis, qui pactum cum dæmone inierunt, acceperuntque, utantur, ut mirabilia præstent, & aliis seu prosint, seu noceant, de quibus suis in locis.

CONSULTATIO LVI.

De distinctione artium Magicarum, & maleficiorum, & quod maleficia per pharmaca fieri possint. Maleficiorum divisio. Somnificum, Amatorium, Hostile.

JUdex, qui sententiam dicturus est de Maleficis, & Magis, distinctione uti debet. Quamvis enim magicæ artes omnes animadversione dignæ sint *l. eorum C. de malef.* nihilominus quædam majori implicantur scelere, & quia atrociora habent in se crimina & pœnas exigunt majores. Proinde quoad forensem considerationem pertinet summatim explicabimus, quæ digna sunt observatione pro criminis magici notitia, & pro vindictæ temperamento.

Atque notandum puto Magorum, & maleficorum artes, seu scelera interdum pharmacis, seu venenis uti, additis incantationibus, aliisque mediis nocere. Et rursum aliquando in his pactum cum dæmone expresse initum, fide Sacro-Sancta Catholica ejurata, interdum tacitum.

Primum caput ex Justiniano probatur, qui *in § Item lex Cornelia, vers. eadem lege de publ. judic. lib.* 4. *Instit. jur. Civil.* veneficium susurris magicis maritat: *Eadem*, inquit, *lege & venefici capite damnantur, qui artibus odiosis, tam venenis quàm susurris homines occidunt.* Idipsum Plato facit *lib.* 12. *de legib.* dum agit de pœnis utriusque. Huc pertinent collyria, unguenta, potiones, philtra, suspensiones, suffitus, & reliqua similia, de quibus postea, iisque utuntur vel ad miracula insciis, & ignorantibus edenda, cùm tamen naturalia sint, vel ad dæmonum præstigia, quæ his non indigent, fucanda.

Pari modo & physica in ostentationem transferentes vel in perniciem, vel ad superstitionem, aut ad impietatem. Sic ex medicis herbis veneficia facta, ex viribus rerum abditis sortilegia; & vana quædam supra fidem conficta, ut docet Plinius *lib.* 26. *cap.* 4. dum de magicis agit herbis.

Et ideo hanc magiæ speciem dicit Suidas Pharmaceutriam, quam nos veneficam, & sagam dicere possumus, quæ etiam imitatur Jatralepticen, de qua Celsus *in prologo*, in quantum ungentis utitur. Nam sæpe constitit Sagas, & veneficas, puerulos, & pupos, & dormientes unguentis illitos necasse. Quia virus, & venenum oleis, unguentis, liquoribus, succisve exceptum admovent corporibus & cuti, & ad carnem, ossaq; penetrat, inde ad viscera, & interiora vitalia membra, permeat,

meat, & medullas, hocque aliquando papillas mammarum inungunt, porriguntque suggentibus, & ita toxicum exhibent, vel oculis venena, vel halitum gravem spirant, inunctis infaustis collyriis oculis, vel præmansis quibusdam, quæ odoris sunt inficientis, vel aliis similibus adhibitis, infectisque tunicis, vestibus, liminibus, parietibus, candelis, feris, chirothecis, strophiolis, aliisque veneno aliquo contagione lædente, vel occidente. In summa variè adhibent pharmaca, vel intra corpus ingerentes, vel circa corpus, & extra, vel in ambientibus corpora, veluti dum corrumpunt, inficiunt, & conspurcant elementa aerem, ignem, & similia, quæ tacenda potiùs, quàm evulganda.

Si verò pactum, ac fœdus cum dæmone desit, nihil res ad hanc tractationem pertinet magis, quàm homicidium ferro peractum, vel raptus Virginis, vel furtum, aut latrocinium.

Quod autem spectat ad maleficii divisionem, potest fieri vel per ordinem ad causam efficientem, vel ad finalem, ubi per efficientem causam non intelligitur Deus permittens, neque dæmon perficiens, neque prava malefici consentientis & cooperantis libera voluntas; hæc enim tria semper in omni maleficio concurrunt, sed vocantur efficientes causæ instrumenta, materiaque nocendi, quæ ad nocumentum immediatè concurrunt, quæ sicuti sunt in multiplici differentia, ita etiam varia, & diversa sunt maleficiorum genera pulverum, unguentorum aliarumque rerum, quarum, etsi aliquæ vim necandi, morbosque inferendi naturaliter habere possint, ut si sint virulentæ, plerumque tamen hujusmodi effectus ab illis non manant, sed pendent à pacto cum dæmone inito, ejusque opera duntaxat præstantur; ita, ut pulveres, vel unguenta, aliaque hujusmodi tantùm deserviant declarandæ conventorum fidei. Cujus manifestum est argumentum, quòd nonnunquam qui pulvis uni medicina fuit, is in alterius strigis potestate lethalis est.

Notandum est tamen, unguenta, vel pulveres, qui necant, atros, qui verò morbos tantùm afferunt, cinericei, vel interdum rufi caloris esse. Contra quo puluere, vel unguento malum tollunt, & medicinam faciunt, is plurimùm albus est. Quæ unguenta, vel pulveres, si igni iniiciantur, fulgorem, strepitum, nidoremque edunt, cui similem res alia nulla.

Insuper nec rebus sacris maleficos parcere, plura comprobant experimenta. Quidam etiam apertiùs grassantur, qui per dæmonem strangulari, vel præcipitari alium curant, vel puerulos noctu injecta culcitra præfocant, vel acu post aurem infixa necant. Hoc genus maleficorum Hebræis, & veteribus Latinis, nec non etiam Græcis, illis sub nomine *Lilith*, istis sub nomine *Lamiæ*, fuisse notum, pluribus probat Sebastianus Michaelis *lib. de Pneumatologia*, videturque ad illud Sacræ Scripturæ Threnor. 4. & Isai. 34. alludere, ubi dicitur: *Nudaverunt Lamiæ mammas suas*, quod illæ necarent infantulos, illis etiam mammas ostentando, quasi eos lactare, & sic fletum compescere voluissent vel eas veneno inungendo, ut diximus.

Quod spectat ad divisionem à causa finali desumtam sicut multiplex finis intendi potest, ita etiam multiplex ab illo maleficii divisio duci posset. Communiter tamen ad tria potissimùm genera reduci solet. Somnificū, Amatorium, & Hostile. Somnificum vocatur, quando malefici aliquem potione, malo carmine, ac certis ritibus soporant, ut interea ei venenum infundant, vel infantulos rapiant, aut noceant, vel furto quid subtrahant. Faciunt hoc interdum magi, & fieri potest naturalibus venenis soporiferis.

Maleficium amatorium, Græcis philtrum, vocatur omne illud, quod dicitur, fit, & datur eo fine, ut in amorem quis, Venerisque furias protrahatur. Veteribus enim is videtur communis error, etiam nolentes hujusmodi philtris in amorem pellici posse. Nihilominus tamen de fide tenendum est, hisce philtris, cujuscunq; generis, vel conditionis sint, nullius voluntatem cogi posse, ad quem non vult, amandum, sed tantùm posse imaginationem perturbari, humores concitari, & totum corpus interiùs quasi accendi; adeo, ut quis non tam philtrorum virtute, quàm dæmone ad eorum præsentiam variis tentationum illecebris interiùs certante, œstro quodam libidinis vexetur, & sic vehementer trahatur ad desiderium copulæ carnalis cum aliquo in genere. Unde si tum temporis maleficus amator accedat & artibus, quibus solent capi mulierculæ, personam amatam instanter urgeat, vel dæmon de uno illo assiduè memoriam, phantasianque moveat, exhibendo species circumstantiarum, propter quas amore dignus videatur, subtrahendo verò eas, quæ indignum redderent, facile sit, ut in laqueum præda cadat.

In voluntatem enim alienam quamcunq; nihil juris habet dæmon. Suadere quippe, & blanda, ac congrui objecti propositione pellicere potest, ac solet, illos ipsos calles terens, quos Deus cum reverentia, ut Sapiens dixit, liberam voluntatem disponens, sectari solet, ut rectè tradit Lactantius *lib.6. instit. cap.* 4. & 7. Cogere tamen voluntatem, ut se dedat, aut impedire, ne feratur in partem, quæ placuerit, nequaquam potest, quamvis interdum cogere dicatur, quia valde urget. Quod duntaxat voluit Cyrillus *lib.6. in Joan. cap.* 19. cùm dixit, *dæmonem magnam vim habere ad imperandum iis, quos possidet, & cogere ad opus, etiam nolentes.* Id est qui nollent, nisi ita arctè premerentur, & urgerentur ad malè agendum. Nam simpliciter nolentes, non posset dæmon cogere. Et eodem modo intelligendus Autor imperfecti in Matth. hom. 37. cùm ait. *Sicut navis, fracto gubernaculo, illuc ducitur, quò tempestas voluerit, sic & hominem Divinæ gratiæ auxilio per peccatum perdito, agere non quod ipse vult, sed quod vult Diabolus.* Quod autem absolutè dæmon adigere alienam voluntatem nequeat, certissimum omnino est, beneq; de Dæmone D. Augustinus *Serm.* 197. *de temp. Alligatus est*, inquit, *tanquam canis innexus catenis, & neminem potest mordere, nisi eum, qui se illi mortifera securitate conjunxerit. Jam videte, fratres, quàm stultus est homo ille, quem canis in catena positus mordet. Tu te illi per voluntates, & cupiditates seculi noli conjungere, & ille ad te non præsumit accedere. Latrare potest, solicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet, nec extorquet à nobis consensum, sed petit.* Similia Pelagius apud Augustinum *lib. de nat. & grat. cap.* 58. laudatus idcirco quoad hoc ab Augustino. Eademque repetuntur in *ejusdem Pelagii ad Demetriadem ep. sub fine.*

De hujusmodi philtris, sive amatoriis maleficiis habetur mentio in variis sacræ Scripturæ locis. Nahum cap. 3. v. 4. *propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ & gratæ, & habentis maleficia.* Quod Franciscus Ribera de maleficiis amatoriis interpretatur. Baruch etiam cap. 6. v. 42. *Mulieres autem circumdatæ funibus in viis sedent, succendentes ossa olivarum. Cum autem aliqua ex ipsis attracta ab aliquo transeunte dormierit cum eo, proximæ suæ exprobrat, quod ea non sit digna habita, sicut ipsa, neque funis ejus diruptus sit.* De quo loco vide interpretes, ac Delrium *lib.* 3. *magic. qu.* 3. *sect.* 2.

Quod autem ad philtrorum divisionem, Grillandus *lib. 1. de sortil. q.* 3. *&* 5. ad duo potissimùm capita illa reducit. *Amatoria*, inquit, *sortilegia vel fiunt intra corpus vel extra corpus, scilicet maleficiati. In corpore communiter fieri solent per cibum, vel potum, & in his frequenter admiscent (quod vix solet in hostili, vel somnifero maleficio) Sacra-*

cio) *Sacramenta, & Sacramentalia Ecclesiæ Catholicæ ut hostiam consecratam, &c. Extra corpus autem sive extra intestina fiunt maleficia amatoria per aliquas mixturas compositas ex herbarum foliis, vel radicibus, metallis, reptilibus terræ, &c. Et tunc adhibent certas ligaturas, quibus hæc involuta consuunt in clamyde, vel tunica maleficiandi, vel abscondunt sub capite lecti, vel inter plumas, vel materatia, super quæ ipse dormit, aut sub limine ostii, vel alterius loci, super quo ipse maleficiandus vir transiturus, aut mulier transitura sit.* Vel etiam, ut statim ex loco Baruch vidimus, illa comburunt, addendo, sic se amicorum cor, vel ossa urere, vel in amico suo hæc se adolere, vel tandem precari, ut sic amici earum amore torrerentur.

Subdit etiam idem Grillandus tertium quoddam genus hujus sortilegii, nimirum deferri quandoque imagines quasdam ad loca sacrificiorum, terra, vel cera, aut gemmis, seu alia quavis mixtura, & materia confectas, illasque baptizari priùs nomine personæ maleficiandæ sub invocatione, ac devotione dæmonis cum eisdem cæremoniis, quibus uti solent nostri sacerdotes in vero baptismate, quibus adjiciuntur quædam verba turpia, & nefanda. His imaginibus quandoque aperiunt pectora, & ipsarum corda ingenti calore ignita reddunt, aut tantùm detinent, quòd liquefiunt, putantes eodem modo cor hominis maleficiandi aduri, seu mollificari, & obediens reddi ad votum sortilegi, vel amantis. Maleficos istos Joannes Salisber. *liv.* 1. *cap.* 11. Vultriculos, vel, ut corrigit Delrius Vulticolos: *Vultricoli sunt*, inquit, *qui ad effectus hominum immutandos in molliori materia, cera, vel forte limo, eorum, quos pervertere nituntur, effigies exprimunt*, cujus illusionis meminerunt etiam poëtæ. Virgilius in Pharmaceutr. *Limus ut hic*, &c. & Ovidius *lib. Heroid.*

Devovet absentes, simulacraque cerea fingit,
Et miserum tenues in jecur urget acus.

Etsi autem sortilegii amatorii, quod fit intra corpus, materia ut plurimùm, sint res calidæ, dulces, amænæ homini, & coadjuvantes naturalem calorem, luxuriandique potentiam, & ideò à lege vocari solent *bona*, vel *non mala venena*, ad distinctionem maleficii hostilis, in quo quæ interveniunt, ut plurimùm sunt frigida, amara, noxia, & naturæ humanæ, hominumque saluti contraria, unde *mala venena* vocantur, hæc tamen non solùm menti, quod illis commune est cum philtris extrinsecis, sed etiam corpori, ut plurimùm, valdè noxia esse quotidiana docet experientia.

Circa philtrorum remedia quàm inutilia & vana sunt illa omnia Gentilium, quæ per incantationes, aut lustrationes quasdam fiebant, quæ Christianis etiam prorsus illicita sunt, tam utilia sunt, ac proficua primò illa omnia, quæ Sancti Patres ex S. Scriptura præscribunt, viderique possunt apud Delrium. Secundò naturalia etiam medicamenta, maniam purgantia, & ardorem libidinis temperantia, ut agnus castus & alia hujusmodi, quibus licebit uti, dummodo noxia non sint valetudini. De philtris suo loco iterum ac tertiò diximus.

Maleficium hostile vocatur quicquid in bonis animi, corporis, ac fortunæ damnum infert, aut aptum est inferre, aut iccircò adhibitum fuit à malefico, ut inferret. Hujus maleficii innumera extant Sacræ Scripturæ testimonia. Job cap. 2. *Diabolus percussit eum ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem.* Unde etiam maleficos dæmonum ope morborum irrogatores, sive immissores esse posse, nemini divinarum Scripturarum autoritatem admittenti dubium esse potest. Saulem etiam dæmon per atram bilem divexabat I. Reg. cap. 16. *Exagitabat eum spiritus nequam, qui pulsante Davide cytharam, secedebat.* In novo, quoque Testamento Matth. *cap.* 17. Marci 9. Lucæ *item* 9. unum dæmon aurium & linguæ usu privavit, ac simul epilepticum reddidit, quem Matthæus *Lunaticum* vocat, non quòd dæmoniacus non esset, sed quòd à dæmone obsideretur, ac simul pleniluniis temporibus per dæmonem comitiali morbo gravissimè affligeretur, eo quod tunc cerebrum humoribus plenum aptius erat exagitari. Apud Lucam *cap.* 8. alium diabolus vexavit illa affectione, quam Lycanthropiam medici nominant, cujus præcipuum signum, vel indicium est, quòd domi nequeant contineri, & in deserta loca se proripiant, circaque sepulchra oberrent. Aliam adflixit convulsione spinæ dorsi, Lucæ *cap.* 13. quo loco dæmon ille vocatur *spiritus infirmitatis*, eò, quòd, ut subditur, eam vinxerat Sathanas. Nam dæmones in Sacra Scriptura nomen habent ab effectu, ut *spiritus avaritiæ*, qui impellit in avaritiam, *fornicationis*, qui suasor libidinis.

Et quidem Magi propriè dicti sunt, qui vulgò malefici dicuntur, qui permissu Dei turbant mentes hominum minùs confidentium in Deo, ac sine ullo veneni haustu, violentia tantùm carminis interimunt, *can. nec mirum* §. *magi* 26. *qu.* 5. Theodoricus Rex Gothorum jubet Arigeono in Basilium quendam, & prætextatum inquirere, refertque eos custodia elapsos, cùm mentes alienassent Custodum *lib.* 4. *var.* Cassiod. *epist.* 23. Sic & mentem tolli docet Lucanus *lib.* 2.

Mens hausti nulla sanie polluta veneni,
Excantata perit.

Et Virgilius Eclog. 8.

Effer aquam, & molli cinge hæc altaria vitta,
Verbenasque adole pingues, & mascula thura,
Conjugis, ut magicis sanos avertere sacris
Experiar sensus; nihil hìc, nisi carmina desunt.

Et iterum idem *lib.* 4. *Ænead.* Didonem de venefica Massylæ gentis Sacerdote dicentem facit.

Hæc se carminibus promittit solvere mentes,
Quas velit; ast aliis duras immittere curas,
Sistere aquam fluviis, & vertere sydera retrò,
Nocturnosque ciet manes, mugire videbis
Sub pedibus terram, & descendere montibus ornos,

Et alibi in Ciride refert carmina & veneficia, quibus nutrix Ciridis conabatur Regis Jolchiacis animum defigere.

In carminis formula, quo evocabantur tutelares, ut dicebant Idololatræ, Dii, excantatio habet Urbis, & exercitus devotionem, Macrob. *lib.* 3. *Saturnal. cap.* 9. Plin. *lib.* 28. *cap.* 2.

Narrat Gaguinus in vita Philippi Huttini *lib.* 7. *hist.* uxorem Enguerrani cujusdam quæstoris Gallici, qui expilaverat ærarium Galliæ, cùm de mariti carcere conclusi liberatione desperaret, ad magiam & divinationem se convertisse, Panioto quodam malefico, & Clauda muliere ad id facinus opem ferentibus, atque cerea quædam simulachra ad Regis, & Caroli Valesii formam dæmoniaca arte confecisse, qua languentium speciem præ se ferrent, ad quorum similitudinem, nisi mala sors prodita fuisset, Rex, & ipse Carolus conficiendi macie sensim erant, & definita ad tempus morte consumendi. Quo cognito, suspensus fuit Enguerranus, & Paniotus, & Claudia flammis consumpti. Nec solùm copiosa horum exempla, verùm etiam magna non desunt.

Cardinalis Lotharingus, ex supremo Dynasta, & Claudia Valesia Henrici secundi filia genitus malefici cujusdam fascinationibus sortilegiisq; adeò pessimè divexatus, ut rei insolentia & facinoris magnitudo omnem orationem superet. Erat Cardinalis ille ante maleficium bona & firma valetudine, ac vegeto corpore: mox afflatus diro spiritu avernalis hominis, ita contabuit,

buit, diriguit, atq; exuccus factus est, ut vix pellucida cutis ossa operiret, nec tantùm macies horrori, sed tormina, angores, & cruciatus incredibiles Lotharingum ita torquebant, ut nulla supplicia cum illis comparanda viderentur. Primùm tota Lotharingia, finitimisque Provinciis, mox tota Europa quæsiti, & acciti ingentibus præmiis medici, omnes etiam Empirici, Paracelsistæ, nec illi modò, sed promiscuè omnes viri & mulietculæ, qui vel nugas proferebant. Ea enim artis inconstantia, ut cuilibet, medicum se profitenti statim credatur. Illi quidem operam, sed non opem adhibent, pervicacia mali omnem peritiam superat. Tandem obstupescere, & cæcutire in morbo insolenti omnes confitentur. Ergo infelix heros, humana ope destitutus, à Numine medelam poscit. Vota, supplicationes, jejunia, nudipedalia, ac hujuscemodi Christianæ expiationes decernuntur; non illis vis mali sistitur, perdius,& pernox torquetur, nec ut alligato ad vulturem in Caucaso *fibris requies datur ulla renatis*. Tandem inspirato spes medelæ affulsit. Marchio de Lullius, dum in Angliam it Orator Ducis Insubriæ, atque iter facit per Lotharingiam, tantillùm in aula diversatur : ut Cardinalem sic tortum vidit, ejus vicem incredibiliter demiratus, & miseratus, venit illi in mentem, Amedæum Ducis, cujus legationem obibat, fratrem nothum non dissimili nequitia Lamiarum, & maleficorum artibus cruciatum, frustra accitis omnibus Medicis, ab Ambrosiani Ordinis Mediolanensi Monacho exorcismis, expiationibusq; divinitus curatum fuisse, ut in tota Insubria res pro miraculo fuerit Illicò per veredarios accersitur malleus ille maleficarum, venia Clementis VIII. adfuit, à pluribus annis Summi Exorcistæ apud Pontifices Maximos vices agebat. Ubi Cardinalem penitissimè introspexit, de morbi torminibus, esus, potus, quietis, egestionis, similiumque statu certior factus, dæmonis artes esse palam professus est, abigendas divina ope, & sacris ritibus, qui illi de usu erant, constituit. Primùm jussit cubiculum, quo decumbebat Cardinalis, aulæis, stragulis, atque omni serica & linea supellectile nudari, quòd ille diceret maleficium in illis interdum ac sæpiùs esse abditum; ut revera in culcitra ossa cadaverum, caudæ felium, præsegmina unguium, & pilorum, & fœda plurima reperta sunt. Diebus singulis priusquam Mediolanensis ille exorcista ad Liturgiam se accingeret, ter percusso tintinnabulo in nomine ac virtute tremendæ Trinitatis dæmones adigebat adesse, & fateri, qui, qualesve essent, quorum maleficio corpus Principis insiluissent. Sacro peracto iterum percusso tintinnabulo, imperabat, ut Cardinalis osseus, aridus, totis artubus immobilis, manum illam, vel istam erigeret, pedes moveret, attolleret, transversum insereret. Nec mora, qui antea non magis movebatur quàm truncus, vel silex, manus ; pedesque ad modum imperantis movebat. Pectori admota erat Crux, in qua dominicæ portiuncula inerat. Jubebat Mediolanensis Monachus, Cardinalem semper thoro immotum, & quasi clavis, & cuspidibus defixum, ut se erigeret, dorsum inflecteret, ac prona cervice Crucem deoscularetur. Dicto ocyùs quasi novus homo, velut quatriduanus ille sepulchro olidus, ad Servatoris vocem exiit, Cardinalis vertebris sese ex diutino rigore dissolventibus, Cruci labia admovebat : mox subitus rigor, ariditas, & paralysis redibat, cunctis obstupescentibus, ac ipso Cardinali demirante, qua vi ignota tantillùm pristinas vires & munia corporis reciperet. Utque dæmonis nequitia conspectior foret, adegit Exorcista illum, laxare manus articulos rigentes Cardinalis, quo ille in subjecta charta pingeret. Dicto morem gerens qui nec digitum movebat, more, quo solebat ante sortilegia Jesus nomen nitidè expressit. Vix manus peregerat, cum exarato verbulo diriguit. Immundi illi spiritus, ut qui pertinaciter in obsidionibus hærent, vix stationibus discedunt, ubi tamen ariete crebro, & machinis urgentur, ad colloquium impelluntur. Sic Mediolanensis dæmonem adegit, ut palam fateatur, quot fascinationes, devotionesque Cardinalem obstringerent, quave parte corporis, quo, qualive maleficio injectæ, quando tyrannide sua erat Principem liberaturus, utque discessus innoxii signum proderet. Hoc genus dæmonum Verbi divini imperio audiens, prodit maleficium fascini, fallaciam detegit, ac tandem post duodevicesimum diem ab inceptis ritibus exorcismi immundus spiritus obsidione sua Principem liberavit. Egressus notatur, cùm in Liturgia corpus dominicum elevaretur, exorcista operante, & imperante his verbis: *Et quia Verbum Caro factum est, & quia Christus imperat, da gloriam Deo, gloriam Jesu Christo, cede Spiritui Sancto. Adjuro te, non ut homo mortalis, & peccator, sed tanquam Minister Dei, tanquam Minister Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Summi Pontificis, & tanquam Exorcista, & Sacerdos.* Et hinc Lotharingus torminibus, cruciatibusque liber, placidè, & in utramque aurem quievit, esus & potus illi ad palatum, paralysis abit, redit succus, decor oris, aspectu vernat, & paulatim totus invalescit, ut qui antea thori mollissimas plumas ægrè ferebat, paulò post lecticam pateretur. Qui Cardinalem maleficio affecerat, lento igne, ut qui bove Perillæo torrebantur, exustus, quamvis acres, scelere tamen mitiores pœnas dedit.

Non diffiteor, fore non paucos, qui me inania, ludicra, commentitia, & anilia fingere, ac scribere dicant, totoque cachinno hanc paginam perlegant, si modò fastidiosè perlegerint ; Sed tota Lotharingia mihi pro teste est, ac etiam qui de familia Catharinæ Borboniæ Reginæ Navarricæ novatores non pridem defuncti, ita, ut herois illa, nulla re alia ad Catholicos ritus magis impulsa fuerit, quàm vi arcana exorcismorum, quorum flagello spiritus nequam toties percussus aufugerit. Rem totam Dominus de Lorme, Archiater Cardinalis, edito opusculo, delibavit. Ego fidem meam huic narrationi adjicio, tanquam Exorcista à supremo S. Inquisitionis Tribunali deputatus. Cavendum tamen est ab impostura de qua vide Amatum Lusitanum *centur. 6. curat.* 87. in qua detegitur impostura, quòd muliercula incantationibus juvenem surdum reddiderit.

Mumolus, Præfectus Regis Chilperici, magus, & incantator, suspectus occidisse filium Regis, sæpè tortus, & distentus eam ob rem, & tamen dixit se nihil mali inde sensisse, Gregor. Turon. *lib. 6. hist. Franc. cap.* 35. Constantinus jubet, pestem feralem eos absumere quoque magos qui manibus accitis vitam insontium ventilare audent,& inimicos suos conficere *in l. multi C. de malef. & mathem.* Narrat Josephus *lib. 8. antiq.* Salomoni à Deo concessum fuisse ut artem contra dæmones edisceret ad hominum salutem, curationes quoque institueret, quibus ægritudines possent mitigari, quàm edoctus Eleazarus, spectante Vespasiano, eos curabat, qui à dæmonibus vexabantur.

Constans fuit quoque Ethnicorum opinio, magicis artibus pellici posse in sua arva fruges alienas, & ideò C. Furius Cresennius à servitute liberatus, cùm in parvo admodum agello largiores fructus perciperet, quàm ex amplissimis vicinitas, in invidia magna erat, quasi fruges pelliceret veneficiis, & ei à Spurio Albino Curuli dies dicta est, nisi ostendisset validam filiam, benè curata ferramenta, egregiè facta, graves ligones, vomeres ponderosos, & boves saturos, quibus

bus absolutus est, Plin. *lib.* 19. *cap.* 6. Et nocere posse etiam rebus magica vel inde constat, quòd Lex duodecim Tabularum prohibuit, ne hoc fieret, & puniri eum, qui fruges excantasset; & alibi, qui malum carmen incantasset, idem *lib.* 22. *cap.* 2. *&* *lib.* 30. *cap.* 1. Plinius autor quoque est *lib.* 17. *cap.* 25. in agro Marucino Vectii Marcelii, Equitis Romani, Neronis Cæsaris procuratoris universum olivetum viam publicam transgressum, atque ipsa prædia ex loco in contrarias sedes profecta. Et Virgilius de herbis, & maleficis susurris agens, ait Eclog. 8.

His ego sæpè lupum fieri, & se condere sylvis
Mœrim, sæpè animas imis exire sepulchris;
Atque satas aliò vidi traducere messes.

Hac de re Lex 12. Tabul. est: *Alienam frugem ne pellicito.* De hac Alex. ab Alex. *lib.* 6. *cap.* 10. Meminit & Apuleius *in Apologia: Magia*, inquit, *ista, quantum ego audio, res est legibus delegata jam inde antiquitus propter leges* 12. *Tabularum, propter incredundas frugum illecebras, interdicta.* Et lege pagana, inquit, Plinius *lib.* 28. *cap.* 2. in plerisque Italiæ prædiis cavetur, ne mulieres per itinera ambulantes torqueant fusos, aut omninò detectos ferant, quoniam adversetur id omnium spei, præcipuèque frugum.

Cur autem per maleficia sic Deus permittat dæmonem grassari, plures adduci possent rationes, etiam ex divinis Scripturis. Sed de his vide Trithemium *lib.* 8. *qu.* 5. Jaquerium *flagel. fascinat. cap.* 18. Delrium, & alios. Cur insuper, cùm ista damna plerunque dæmon possit per se inferre, malit tamen uti opera maleficorum, in causa est primùm, quia hoc pacto majorem Deo se facere putat injuriam, sic pluribus nocendo, & creaturis ratione præditis, & baptismo ablutis, & chrismate delibutis abutendo, ad Creatoris ipsius vilipendium. Secundò quia non adeò homines abhorrent à conversatione & familiaritate maleficorum, atque odêre consortium dæmonis. Tertiò quia quædam per homines potest, quæ vel non posset, vel non tam commodè posset per semetipsum immediatè perficere.

Superest jam, ut de præcipuis hujus maleficii generibus, vel speciebus agamus. Primum est *Fascinatio.*

Consultatio LVII.

De Fascinatione. Unde dicta. Quid sit. An reverà dentur morbi à fascinatione? Quot modis dicatur. Vulgò credita an detur? Quæ sit visu? Quæ voce? Contactu? Propriè dicta an detur? Signa.

Fascinum, & Fascinatio græcè, latinè invidia, quod invidi imprimis aliis aspectu nocere creduntur. Habetur autem vulgò pro incantationis quodam genere, quo sive intuitu, sive laudatione non solùm infantes, & homines, sed & agni, pulli, gallinæ, equi, & alia animalia, imò segetes lætiores, & plantæ laudantur, ut contabescant, & emoriantur. Unde Ovidius 3. amor.

Carmine læsa Ceres sterilem vanescit in herbam.
Deficiunt læsi carmine fontis aquæ.
Ilicibus glandes, cantataque vitibus uva
Decidit, & nullo poma movente fluunt.

Lædi etiam animalia fascinis, tradit Virgilius eclog. 8.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Et de intuitu Basilisci narrant, qui ea ratione solo visu necat, & si virus ejus speculo repercutiatur, à seipso mortem accipit. Dicunt & in lupo idipsum habere locum, ut si prior hominem conspiciat quàm videatur, vocem ei adimat, non alia de causa, quàm quod is virus emittat visu, quod eo modo, quo in basilisco dixi, pervenit ad hominem, si tamen ipse lupus prior videatur, non ita, eò, quòd metu pori, è quibus virus exit intercipiuntur, dum se conspici videns, insidias sibi parari suspicatur, & fugit. Unde Virgilius: *Lupi Mœrin vidêre priores.* De his plura vide apud Gesnerum *lib.* 1. *de quadruped. in lupo lit. E & H* ex Plinio, Solino, & aliis collecta.

Volunt autem, quòd inficiant illi spiritus mali, ex oculis prodeuntes, primùm aërem proximum, donec dissipentur, vel perveniant ad terminatum spatium, veluti ex visu menstruatæ mulieris infici quisque novit specula, & labes illis imprimi fœdas. Hoc modo vetulæ illæ sortilegæ putidis plenæ humoribus, quos ipsæ putidiores pharmacis faciunt, oculis teneros, pueros, & agnos inficiunt, mutantes, & excitantes illos intra se forti imaginatione in modum chameleontis, & polypi saxo adhærentis.

Hinc sunt qui metuant, si quid comedunt avidè, idque vident alium attentè intueri, ne fascinentur, & propterea, ne fascinentur, partem cibi intuenti statim porrigunt, affanturque cùm impertiunt: *Ne me fascines*, ut habet Aristoteles *sect.* 20. *cap.* 34. Immò quidam etiam ad res inanimatas fascinum extendunt, & vasa pulchra, ac specula intuendo fascinari ac lædi posse, ut rumpantur, existimant.

Et sunt nonnulli, qui existimant, non solùm infantes, qui optimè valent, sed & alios homines fascinatione in tabem, & pessimum statum conjici, immò & res alias lædi posse, & quidem tribus modis. Primò visu. Secundò voce, & laudatione. Tertiò contactu, & contrectatione. Atque suam opinionem probare conantur primùm variis exemplis & Poëtarum, Historicorum, ac Philosophorum autoritatibus. Et de visu quidem scribit Virgilius:

Nescio quis teneros oculis mihi fascinat agnos.

Plinius verò *lib.* 7. *cap.* 2. ex Isigono ait, quòd in Triballis, & Illyriis sint, qui visu effascinent, interimantque quos diutiùs intuentur, iratis præcipuè oculis. Additque quod pupillas binas in singulis oculis habeant.

Hujus generis & fœminas in Scythia, quæ vocantur Bythiæ prodidisse Apollonidem, Philargum, & in Ponto Thibiorum genus, multosque alios ejusdem naturæ, quorum notas tradit, in altero oculo geminam pupillam, in altero equi effigiem, & fœminas omnes ubique visu nocere, quæ duplices pupillas habent, ex Cicerone refert. De quo etiam Ovidius 1. Amorum.

Oculis quoque pupula duplex
Fulminat, & geminum lumen in orbe manet.

Et Telchinas, Rhodi Insulæ populos malè quondam hoc nomine audivisse ex Ovidio 7. *Metamorph.* patet; Et Plutarchus fascinum *Ophthalmon* nominat. Huc petinet & adagium, *Mantis te vidit*, cujus Rhodiginus *antiqu. lect. lib.* 36. *cap.* 22. mentionem facit, & in eos dici scribit, quibus fascinator oculus mali objicit quicquam, additque esse genus locustæ, quæ si quod inspexerit animal, protinùs ipsi aliquid producat mali. Ac inter recentiores Hieronymus Vida *lib.* 2. *bombyc.* Senem quendam oculis fascinantem describit, quem ibi lege.

Immò opinio vulgi est, non solùm ab invidis, iratis, ac inimicis, sed & ab amicis, & familiaribus immò ipsis parentibus, infantes fascinari, ac lædi posse, de quo Plutarchus 5. *sympos. cap.* 7. ubi pluribus de fascino agit. Et quod magis est, hominem se ipsum visu fascinare, ac sibi ipsi oculis nocere posse referunt, de quo

de quo idem Plutarchus *loc. cit.* Narrant, inquit, Eutelidam, cùm sibi pulcher visus esset, propria specie captum in morbum incidisse, atque bonum habitum unà cum pulchritudine perdidisse. Et nota est fabula de Narcisso ex Ovidio 3. *metamorph.*

Quod autem Lingua & voce, ac Laudatione fascinationem fieri possit, vulgata opinio est. Unde Virgilius Eclog. 7.

Aut si ultra placitum laudarint, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Et Plinius *eodem cap.* 2. scribit in Africa familias esse effascinantium, quarum laudatione intereant probata, arescant arbores, emoriantur pecudes ac infantes. Quod etiam refert Gellius *lib. 9. cap.* 4. Immò non solùm malevolorum, ac invidorum linguam infantibus nocere posse, sed & laudationem amicorum, vulgò creditur. Quod, ut præcaveatur, jam olim, dum res aliqua laudabatur, in usu fuit addere, *Præfiscinè dixero*, quasi præter fascinum, seu ne fascineris, hæc dixero.

De contactu autem, quo fascinationem fieri posse creditur, Plinius *allegato cap.* 2. scribit, quod genus Pharmacum in Æthiopia sit, quorum sudor tabem contactis corporibus afferat. Immò vetularum attrectatione infantes lædi posse, vulgus existimat, & propterea infantes vetulis ejusmodi non facilè contrectandos exhibent. Et Jo. Baptista Codronchius *de morb. venef. lib. 2. cap.* 3. veneficæ mentionem facit, quæ solùm ventrem fœminæ cujusdam blandè contrectando, fœtum ejus necavit.

Deinde idipsum rationibus probare conantur. Et primò quidem vaporum effluxus afferunt, qui non solùm ex animalibus, sed & plantis ac gemmis fiunt, de quibus plura Langius *lib. 2. epist.* 36. Et in specie de visu addit, nullum reperiri in humani corporis fabrica sensus organum, quod tanta spirituum copia scateat, & fulgorem ex se emittat, ut oculus, idque exemplo micantium Augusti, & Tiberii Cæsaris oculorum è Suetonio probat. Et ad hos effluxus etiam confugit Plutarchus *loco allegato*, ut rationem reddat, quomodo Eutelidas seipsum fascinare potuerit. Hoc autem magis fit ex fluxibus, qui vel circa aquas, vel alia quædam specula subsistunt. Exhalat enim spiritus in objecta, eoque fit, ut quo aliis nocebant, seipsos malè habeant.

Secundò in specie id declarant exemplo fœminarum menstruo laborantium, quarum, ut Plinius habet *lib. 17. cap.* 15. superventu acescunt musta, flavescunt tactæ fruges, moriuntur insita, exuruntur hortorum germina, & fructus arborum, quibus insedêre, decidunt, speculorum fulgor ipso aspectu hebetatur, acies ferri perstringitur, eborisque nitor, alvei apum emoriuntur, æs etiam, ac ferrum rubigo protinus corripit. Et mulieres menstruatas specula lucidissima si ea inspiciant, inquinare, Aristoteles *lib. de insomn. cap.*2. & ipsa experientia testantur. Cùm ergo in mulieribus tale quid generari possit, quod modis dictis alios lædat, non impossibile esse putant, homines quosdam, sive naturali, sive acquisititia proprietate talem nocendi vim habere posse, estque in confesso apud medicos, plerosque venenosos humores in corpore humano nasci posse, qui maxima ex parte à natura ad exteriores corporis partes amandari solent, ut Galenus *lib. 3. de loc. affect. cap. 7. & lib. 6. cap. 5. docet.* Ideòque non est mirum, si homines, in quibus tales humores abundant, aliis visu, afflatu, & tactu noceant.

Tertiò exempla ophthalmia laborantium afferunt, de quibus alii.

Quartò adducunt exempla aliorum etiam animalium quæ visu nocent. Ita de Basilisco, & de lupis narratur, de quibus supra.

Quintò nonnulli idem ex viribus imaginationis probare conantur, & prolixè recensent, quanta imaginationis vis sit, & quantam humores corrumpendi, & corpus afficiendi potentiam habeat. Et quidem, ut Cornelius Agrippa *de occulta philosophia lib. 1. cap.* 65. ea de re scribit. Statuunt passiones animæ, quæ phantasiam sequuntur, cùm vehementissimæ sunt, non solùm posse immutare corpus proprium, verùm etiam transcendere in operando ad corpus alienum ita, quod admirabiles quædam impressiones inde producantur in elementis, & rebus extrinsecis, atque etiam morbos quosdam animi, sive corporis sic possint auferre, vel inferre, & animam fortiter elevatam, ac vehementi imaginatione accensam mutare sanitatem, vel ægritudinem, non solùm in corpore proprio, sed etiam in alienis. Adduntque nonnulli, spiritus ab imaginatione corruptos, & inquinatos rursum aërem inficere ac corrumpere, non secus, ut ab aspectu stellarum maleficarum aër inquinari & corrumpi solet.

A quibus non dissentit Plutarchus, qui *citat. lib. 5. sympos. cap.* 5. in invidiam causam fascinationis refert. *Audacter*, inquit, *dico, universas quidem animi affectiones, quibus diù insunt, in ijs melancholicos habitus ingenerare. Hi cùm naturæ vim ceperunt, qualibet ex causa moti, sæpè etiam invitos homines in jam proprias, & consuetas perturbationes deferunt.* Et mox *Nulla itaque admiratione dignum, si, qui invidendi, & fascinandi habitum sibi contraxerunt, etiam adversus familiares ex proprietate moventur: ast ubi moti fuerint, quod natura solet, efficiunt, non quod volunt. Quemadmodum enim sphæram sphæricè moveri, & cylindrum in modum cylindri necesse est, ita & hominem sic invidia affectum invidenter adversus omnia moveri.* Et ibidem *: Quandoque homines sic invidia affecti oculos infigunt, hi verò animam proximè ordine locati, ipsius malitiam si attraxerint, veluti veneno tincta tela impetant, nihil, opinor, præter rationem aut fidem obtingit, si conspectu noceant.*

Inde in eundem sensum scribit Heliodorus lib. 3. hist. Æthiop. *Hic aër*, inquit, *nobis circumfusus per oculos, nares, halitus, aliosque meatus ad profundum penetrans, & ex qualitatibus exterioribus, eò secum inferens, qualis influxerit, talem etiam his, qui excipiunt, halitum ingenerat. Itaque ubi aliquis livore penitus res pulchras intuetur, circumstantem aërem qualitate malefica replet, ac proprium spiritum acerbitatis plenum in proximum quodque contorquet. Spiritus autem, utpote subtiles, ad spiritum usque & medullas ipsas pervadit, & plerisque morbus fit invidia, & proprium accipit nomen fascinationis.*

Existimatque Avicenna *lib. 3. natur. cap. fin.* animam multoties operari in corpore alieno, sicut in proprio, taleque opus existimat oculi fascinantis & operantis æstimationis, atque defendit imaginativam posse etiam corpora extranea immutare.

Tandem in specie vocem quod attinet, nonnulli vocibus, & vocabulis mirabiles vires tribuunt, atque, ut id probent, multa adducunt. Quanta, inquiunt, orationis vis sit ad movendos, & variè flectendos animos, notissimum est. Nec ignota Musicæ vis, quæ homines ad choreas, & tripudia, ad iram, ad tristitiam, ad misericordiam, ad arma concitare potest. Animi verò affectus magnam vim habere corpora nostra alterandi, extra dubium est. Observatum etiam esse putant, verbis quibusdam prolatis à vetulis infantes quosdam ægrotare, alios interire, fœminas uterum gerentes abortum facere, nonnullos macie consumi, alios gravissimis doloribus corripi.

At verò alii omnia illa, quæ de fascinatione dicuntur, fabulosa, & falsa esse existimant. Cùmque tres

tres ejusmodi fascinationis modi sint propositi per visum, per vocem, & per contactum, nullo horum quenquam fascinari ac lædi posse putant. Etenim cùm visio fiat, non radiorum emissione, sed specierum visibilium receptione, & sit actio in homine immanens, nullo modo visu quis alios lædere potest. Vox quoque cùm saltem auditus objectum sit, per se nemini nocet, nec verborum per se ulla efficacia est. Ita nec tactus, quatenus talis, nisi is, qui tangit alterum alteret, nocere potest, præsertim si vestes saltem contingantur. Quæ omnia cum verissima sint, postea probabuntur.

Cardanus *lib.* 1. *de venen. cap.* 17. etsi fascini tres principales differentias constituit, unam quæ à metu oritur, alteram quæ ex alienis verbis, tertiam in modo agendi, tractandi, percutiendi, attentiùs inspiciendi, tamen omnes tres ad imaginationem, ac terrorem reducere videtur, dum infantes vetularum tetrico aspectu, & felium oculis lucentibus terreri, ac in epilepsiam incidere, ac mori scribit.

Verùm, etsi negandum non sit, terrorem, timorem, & imaginationem morbos, eosque etiam occultos & malignos, inducendi vim habere, & infantes ex terrore epilepsia corripi posse, hoc tamen nihil ad hanc quæstionem de fascino facit. Non enim hîc quæritur, an homo sibi ipsi animi affectibus, metu, terrore, aliquid mali attrahere possit, sed de hoc controversia est, an aliquis alteri visu, vel voce nocere possit, & infantes, qui fascinari dicuntur, eas, à quibus fascinari putantur, sæpè non vident, non agnoscunt ac proinde ad eorum aspectum non terrentur.

Nos, ut hanc controversiam dirimamus, distinguenda est fascinatio. Primò enim fascinatio sumitur sensu vulgari, qui apud Poëtas occurrit, & in vulgi ore ac animo est pro læsione, quæ solo visu, vel laude induci putatur, cujus rei exempla supra sunt allata.

Secundò Fascinatio interdum accipitur pro læsione quæ alicui à corpore alio noxio, & venenato per occultos effluxus affertur, quæ fascinatio, si modo fascinatio dicenda est, ut mox dicetur, omninò naturalis est. Hoc modo Fascinum definit Langius *lib.* 2. *epist.* 36. quod sit vaporis virulenti à corpore noxio, natura ab aliis dissidente, id est defluvium, quo aliorum corporis habitus & spiritus per visum, contactum, invidiam ob vocis, & maledicæ linguæ virulentiam per vaporis halitum conspurcati, corpora tabescere cogit. Quanquam Langius in hac definitione non in solis effluviis acquiescere, sed visum, invidiam, maleficam linguam è vulgi opinione, sed minùs rectè, addere videtur.

Tertiò est Fascinatio magica, quæ nihil aliud est, quàm incantatio, & veneficium, quo modo fascinationis vocabulum accepit Bald. Roussæus *epist.* 50. in qua, ubi *in titulo Fascini*, historias se relaturum promittit, magicarum ustionum, & veneficiorum historias recenset. Itaque ut de distinctis rebus, & quæstionibus distinctè loquamur, secundum & tertium genus concedimus, sed an propriè fascinationes dici possint, dubitamus.

Et sanè quod ad secundum genus, probavimus supra rationibus & exemplis dari occulta rerum effluvia, per quæ varii morbi occulti, cùm simpliciter venenati, tùm etiam contagiosi, inducuntur, eaque effluvia esse partim atomos è corporibus effluentes, partim spiritualia, speciebus sensibilibus cognata. Verùm propriè fascinatio ista non dicitur, sed morbi, qui inde excitantur, pertinent ad morbos contagiosos, & venenatos, de quibus medici. Neque enim, si quis peste ab alio, vel lue venerea, vel scabie inficiatur, vel lippitudinem ab alio contrahat, vel si piscator stuporem à torpedine patiatur, aut quis à Basilisco serpente, bufone, aut hujusmodi alio animali venenato occulto effluvio lædatur, fascinatus propriè, sed venenatus dicitur. Et ipsa etymologia repugnat. Fascinatio enim propriè invidia est. Qui enim invidet ab ejus, cui invidetur, felicitate, & bonis oculos avertere nequit. Quæ fascini significatio nihil cum effluviis illis naturalibus commune habet. Ideòque, etsi effluvia illa omninò admittenda sint, ne tamen illa superstitiosa, & falsa fascinatio admitti videatur, fascinationis nomen ei non attribuendum.

Tertium genus quod attinet, probabitur *in sequenti Consultatione*, dari morbos à veneficiis. Nam, ut aliàs dæmon iis, cum quibus pactum iniit, persuadet, si res nullius momenti vel liminibus domus, vel lectis imponant, se iis effectus illos, quos cupiunt, præstare, cùm tamen omne illud dæmonis opera præstetur, ita quoque idem veneficis persuadet, ut eum, cui nocere volunt, torvum aspiciunt, ei male precentur, interim visus, voxque nihil tale præstant, sed omnium illorum, quæ hominibus, vel brutis accidunt, malorum autor dæmon est. De quo Scaliger *exercit.* 349. malus dæmon ista facit, non ut hominem faceret potentiorem, sed ut ipsum deciperet credulitate, atque sonum haberet tum impietatis, tum æterni exitii. Ipse igitur agit dæmon. Stultus ille, ac vecors putat suis se verbis agere.

Talis fuit procul dubio senex ille, cujus supra mentionem fecimus ex Hieronymo Viola, & ut vetula illa, de qua è Codronchio *lib.* 1. *de morb. venef. cap.* 3. diximus, quæ mulieris nobilis ventri blandiens manum admovit, quo contactu alterata fœmina nobilis motum inconsuetum statim sensit, & postea fœtum in frusta comminutum summo cum vitæ discrimine ejecit. Facit eo loco idem Codronchius & alterius vetulæ mentionem, quæ cum manu ventrem puerperæ tetigisset, puerpera sex mensibus peractis gravissimos cruciatus circa ventrem inferiorem sentire cœpit, tandemque cùm alvum excernere vellet, spinas, ossa, ligni frustula, & multa alia per ventrem inferiorem ejecit, & à torminibus liberata est,

Malo ad veneficia etiam, quàm ad naturalia effluvia referre Telchinas, de quibus supra ex Ovidio, ut & familias illas effascinantium in Africa, de quibus Plinius, & Gellius. Verùm actiones istæ magicæ cum fascino vulgari non sunt confundendæ. Et quidem negandum non est, vocabulum fascinationis ad actiones magicas sæpè extendi. Unde Nicolaus Jaquerius librum suum contra Magos & Veneficos inscripsit, *Flagellum hæreticorum fascinariorum*, & Roussæus *epist.* 1. fascinum pro veneficio sumit, ut antea dictum. At neque ista fascinationis significatio propria est, ut notio nominis antea proposita indicat. Et multis ex vulgi sententia fascinatio tribuitur, etiam amicis, in quibus nulla veneficii suspicio est.

Itaque restat tertium fascinationis genus, quod in Poëtarum libris occurrit, & in vulgi ore ac opinione est, quod, ut ex supra allatis patet, persuasum habet, etiam sine occultis effluviis, & incantatione, ac magicis actionibus alicui visu, vel voce, ac laudatione noceri posse. Atq; hoc fascinum dari, negamus, nullumque eo morbum induci posse, & quæ de eo vulgò dicuntur, & creduntur fabulosa, & superstitiosa esse. Omnia verò quæ ad id probandum superiùs allata sunt, saltem de effluviis illis occultis, vel incantationibus magicis vera esse putamus. Id, quod clarius fiet, si omnes, qui vulgò traduntur fascinationis modos, examinemus.

Et primò quidem ad visum quod pertinet, cùm visus sit actio immanens, & fiat per specierum visibilium receptionem, non spirituum opticorum emissionem, & visus, quatenus talis ab objecto aliquid recipiat,

recipiat, non verò in objectum agat, facilè hinc patet, visu, quatenus talis, neminem alteri aliquid damni afferri posse. Interim non negamus, ut ex toto corpore, ita etiam ex oculis quædam effluvia fieri, atq; hinc ophthalmiam contagiosam esse posse. Immò siquis statuere velit, è corporibus occulto modo malè constitutis qualia sunt vetularum, & sagarum, maligna talia effluvia ex oculis emitti posse, quæ aliis, præcipuè infantium tenellorum & ad resistendum minùs potentium, corporibus esse possint, cum eo non pugnabo, cùm & ophthalmia Gallica perhibeatur esse contagiosa. Verùm læsio hæc non fieret, nisi per oculos, ut in ophthalmia. Magis itaque credibile esse putatur, pauca omninò per oculos fieri effluvia, multò verò plura per os, & nares, quibus potiùs ea adscribenda sunt, quæ oculis fieri dicuntur. Peste certè laborantes neminem visu, sed potiùs halitibus ex ore, & reliquo corpore exhalantibus inficiunt. Ideoque sine periculo est, qui à peste laborante solùm videtur, qui verò è propinpuo cum eo conversatur, ut halitus ex ore & corpore exhalantes excipere possit, extra periculum non est.

Deinde vocis eadem ratio est. Invaluit profectò apud nationes omnes opinio, vocem & laudationem alicui nocere posse, quod, ut prohibeant, ut antea etiam dictum, Græci illud *aphascandos*, Latini *præfiscinè dixero*, usurpant. Verùm falsa, & superstitiosa ea est opinio, & nulla ratione nititur. Etenim ipsa vox, quatenus talis, nullam nocendi vim habet. Si quis verò voce alicui nocet, id potiùs accidit per effluvia illa morbida, & maligna, quæ ex ore cum voce exhalant. Quæ causa tamen in laudatione locum non habet. Nam cùm ii, qui infantes, vel alias res laudant, plerique sani sint, non ægri, nec etiam semper tam propinquo loco constituti, ut halitus ore egrediens ad infantes pertingere possit, hoc modo nulla læsio fieri potest. Et licet vetularum interdum, quæ infantes lædere creduntur, corpora sint malè disposita, tamen nec ex earum oculis tanta halituum copia egreditur, quæ infantibus nocere possit, & licet ex ore plures exhalent, longè tamen sæpè ab infantibus remotæ sunt, ut neque hoc modo iis nocere queant. Et omninò si iis aliquid nocent, dæmonis ope, non voce id præstant.

Tactu denique non solùm corpora ægra aliis suos morbos, ut scabiem, luem veneream, elephantiasim pestem, ac similes communicare posse, manifestum est, sed & ea corpora, quæ quidem nullo morbo laborant, & in speciem sana sunt, etsi venenata sint, aliis contactu nocere possunt. Talis fuit puella illa veneno nutrita, Alexandro Magno, ad eum perdendum dono missa, & ille Cambaiæ Regis filius, qui, ut Scaliger *exerc.* 125. *sect.* 1. refert, adeò venenosus fuit, ut muscæ etiam, quæ ejus cutem sugerent, interirent, & alter, qui sputo, quos volebat, interficiebat. Et omninò hominem aliarum rerum contactu, lædi posse, si nihil aliud, torpedo satis docet. Verùm ista omnia nihil ad fascinationem faciunt. Neque enim qui à scabioso, elephantiaco, lue venerea laborante, vel torpedine læduntur, fascinati esse dicuntur. Neque hoc modo probatur solum contactum cuiquam nocere posse; sed si quæ per tactum læsiones fiunt, per effluvia è corporibus ægris, aut venenosis fiunt. Si quæ verò læsiones accidunt, quæ non per effluvia talia morbida & venenata, sed solo contactu, etiam à sanis (corpus enim sanum alii morbum, quem nullum habet, communicare non potest) fiunt, eæ ad actiones magicas pertinent, qualis fuit ille contactus, qui, etiam mediis vestibus factus est, quo modo vetula illa ventrem fœminæ nobilis tangens, fœtum, quem in utero gerebat, interemit. Et hoc modo non omnes, qui ab ejusmodi hominibus tanguntur, læduntur, sed ii saltem, quibus veneficæ ejusmodi malè cupiunt.

Ex quibus omnibus facilè patet, fascinationem illam, quæ vulgò fertur, nullam esse, nec naturales causas habere, sed antiquam jam per multas gentes, per manus quasi traditam esse opinionem & superstitionem. Et propterea nec ab Hippocrate, neque à Galeno, neque ab ullo veterum Medicorum ejus inter causas morborum mentionem factam esse, & quæ à fascinatione vulgò dari dicuntur, ea fieri ab effluviis contagiosis, aut venenatis, vel per incantationes, & actiones magicas.

Quibus & hoc addimus, opinionem istam de fascino infantium imprimis ex eo natam esse, quod vulgus non intelligit causam, cur infantes, maximè sani & pulchri, sæpè subitò in morbum incidunt. Accidit verò id ideò, quia sanitas, quæ ad summum pervenit, periculosa est, teste Hippocrate 1. *aphor.* 3. Et propterea qui nitidiores sunt, suspecta sua bona habere debent, ut Celsus monet. Ideoque non mirum, si & infantes cùm ad summum sanitatis gradum pervenerunt subitò interdum ex eo delabuntur & in morbos incidunt. Cujus rei causam cùm vulgus ignoret, eos ab aliquo, qui infantes laudavit, vel à vetula aliqua, quæ eos torvum aspexit, fascinatos esse opinantur.

Atque hæc omnia si quis observaverit, facilè omnia argumenta, quæ ad probandam fascinationem vulgarem afferri solent, solvere poterit. Et primò quidem exempla, quæ ex poetis, & historicis afferuntur, quod attinet, plurima sunt falsa, & superstitiosa. Si qui verò effectus tales revera acciderunt, ii vel ab effluviis occultis, vel incantatione vel veneficio provenerunt, non à visu, vel laudatione simpliciter.

Postremò etiam rationes, quas afferunt, nullius momenti sunt. Effluvia enim illa quibus interdum homines læduntur, nihil ad rem faciunt. Illa enim concedimus, & per ea morbos induci posse, supra etiam monuimus, sed læsiones illæ non fascinationes sunt, ut antea diximus. Modus etiam, quem proponit Plutarchus quo seipsum Entelidas fascinare potuerit, falsus est. Etsi enim periculosus sit habitus summè bonus, tamen periculosus est, etiamsi quis in fonte, vel speculo se non aspiciat. Præterea est à veritate alienum, quod in corpore summè benè habito ex oculis spiritus in aquam effluere, eam corrumpere, & inde in proprium corpus reflecti potuerint. E corpore enim benè habito tam maligni vapores non effluunt.

Fœminarum menstruo laborantium, & specula inquinantium exemplum, nihil etiam ad rem facit, neque ea fascinatio est, neque per visum, quatenus talis, fit, sed per occulta effluvia, & halitus pravos, eosque non tam ex oculis, quàm ex ore & naribus exhalantes.

Ophthalmiam autem contagiosam esse posse, conceditur, sed nemo eum, qui hoc modo lippitudinem contrahit, fascinatum esse dicit, cùm vitia ista non per visum, quatenus talis, sed per contagiosum effluvium fiant.

Eadem ratio est basilisci, & aliorum animalium venenatorum, quæ visu nocere dicuntur. Non enim hoc præstant visu, quatenus talis, sed per occulta effluvia. Neque siquis à basilisco, vel alio animali venenato hoc modo necatus est fascinatus dicitur. Quòd verò lupus hominem priùs videns ei vocem adimat, fabulosum est.

Et quod ad imaginationem, magnas ejus vires esse concedimus, sed in proprium saltem corpus. Quod verò eæ etiam extra corpus proprium sese extendant, & vel in aërem, vel in aliud externum corpus agant, falsum esse alibi probavimus. Est enim imaginatio actio immanens. Unde id, quod de illa tradidit

didit Avicenna *lib. 3. natur. cap. fin.* alii non sequuntur, nisi de corpore conjuncto intelligatur, ut scribit Algazel *lib. 5. physic. cap. 9.* Sic & D. Thomas *p. 1. q. 93.* ex forti imaginatione immutari spiritus putat corpori conjunctos & potissimùm subtiliores, qui ad oculos perferuntur. Idemque docet *lib. 3. contra Gentiles*, ubi præcipuè Avicennæ opinionem, quod imaginatio faciat casum, persequitur, refellit, ac sugillat, de qua & nos alibi.

Quæ verò Plutarchus de invidis ad probandum fascinationem affert, nullius ponderis sunt. Et si enim ut alii pravi affectus, ita etiam invidia in malum habitum degenerare potest, tamen, ut quotidiana experientia docet, nemini, quàm sibi ipsi nocet invidus, & ut Ovidus *lib. 2. metamorph.* scribit:

Successus hominum carpitque & carpitur unà;
Suppliciunque suum est.

Quod verò invidus alteri invidia nocere possit, non dum observatum, cùm affectus animi extra suum corpus non egrediantur.

Tandem in specie vocem quod attinet, oratione quidem & musica hominum animos moveri posse, non nego. Verùm quid hoc ad fascinationem vulgarem? Neque enim dum infans ab alio aliquo laudatur, tale quid, quale in ornata oratione, aut musica auditur, occurrit; immò infantes, quid dicatur, plerunque non audiunt, aut si audiunt, nullum animi affectum inde concipiunt, qualis in iis, qui orationem vel musicam audiunt, excitatur.

Quæ omnia cùm ita sese habeant, & vulgata illa fascinatio nulla sit, effectus verò, qui ad eam referuntur, vel ab effluviis venenatis, & contagiosis, vel à veneficio proveniant, pendentes à dæmonis maleficio, qui strigi, vel sortiario ex pacto nocere volenti, cooperatur, unde sic definiri potest: Fascinum est perniciosa qualitas dæmonum arte illata ob tacitum, vel expressum hominis cum dæmone pactum, nihil ampliùs dicendum est. De quo inter alios vide Tostatum *in Gen. q. 11.* & *Num. cap. 21. à q. 9.* & Valesium *lib. de sacr. philosop. cap. 68. ad illud sapientiæ cap. 4. Fascinatio nugacitatis obscurat bona*, & D. Pauli *cap. 3.* ad Galat. *O insensati Galatæ, qui vos fascinavit, non obedire veritati?* Signa fascinantium & fascinatorum, fascinationis curatio, & si plura videantur superstitiosa, lege apud Medicos, ac Philosophos recentiores.

CONSULTATIO LVIII.

An revera dentur morbi, à veneficiis, & incantatione inducti? Ubi de aliis maleficii hostilis speciebus, nempe de veneficio, abortu, difficili partu, lactis exiccatione, sagittariis seu balistariis, variorum morborum illatione, ac de maleficio devovendi, deque personis, quibus malefici queant nocere, de fœdere cum dæmone, ac id genus alia, de artibus magicis mirabilium, ac scelerum effectricibus, ac respondetur argumentis Vvieri, aliorumque, qui sagis patrocinantur. Cur fæminæ quàm viri veneficiis frequentiùs deditæ sint? De signis morborum à veneficiis, ac denique de eorum curatione magica, naturali, divina.

HÆc ideo tractare arbitror, ut intelligant Judices, qui gladium imperii habent, quantam pestem foveant in Republica, dum in sagas, sortiarias, lamias, & maleficas non animadvertunt, existimantes eas tantum mentis alienatione ludificari, neque quidpiam reipsa exequi.

Sententia, quæ affirmat hæc ab istis verè perfici posse, probatur ex *l. 4. C. de malef. & mathem.* Addo Constantinum, *l. multi C. eod. Multi*, inquit, *magicis* artibus *elementa turbare*, *vitam infantium labefactare non dubitant, & inimicos ventilare.* Et jura pontificia tradunt *can. Si per sortiarias 33. q. 1*, per sortiarias, maleficasq; artes impediri posse ad tempus, & in perpetuum generandi vim, & concubitum, permittente Deo, & operante dæmone. Et quod mirabilius est, maleficium hoc cum certis, non cum omnibus operatur, nempe singularis excantatur, ne cum aliqua possit concumbere, cùm aliis possit. Qua ratione maleficium ab impotentia naturali coeundi secernitur *in cap. fin. & 1. de frig. & malef.*

Scribit & Berosus *in 3.* Chamum, filium Noachi, semper magiæ, & veneficiis incubuisse, & inde Zoroast dictum, invisumque iccirco patri, atque eum nactum opportunitatem, dum vino pater madidus dormiens jaceret, carmine magico patri illusisse, virilia ejus comprehendendo, taciteque simul submurmurando, eum sterilem perindeque ac castratu effecisse, neque deinceps Noachum fœminam ullam fœcundare potuisse. Et proinde eundem dictum tum ob id, & alia multa scelera, quibus genus humanum corrumpebat *Chem essema*, sivè *Chamum infamem*, ut Cato *lib. de originibus* vocat *Chamellenum*. Quibus consentiunt Thalmudistæ. Immo & fabulæ antiquorum, quæ referunt Cœlo, id enim nomen erat etiam Noacho, teste Beroso, fuisse descissos testiculos falce dentata, à Saturno filio, scribit Hesiod. *in Theogon.* Phurnut. *lib. 1. de nat. Deor.* Quod tamen Moses in Genesi mundi, & Noachi reticuit. Non enim Chamum excantasse virilia, sed irrisisse, tradit *Genes. 9.* & renunciasse nudatum esse patrem fratribus.

Refert Herodotus *lib. 2.* Amasim Regem Ægyptiorum non potuisse concumbere primùm cum Ladice uxore sua in thoro, cùm tamen aliis mulieribus uteretur, donec Amasis, cùm id diu fieret, ad eam dixit Tu verò, uxor, veneficio me læsisti, ideoque nullo machinamento potes effugere, quominus inter omnes mulieres teterrima morte pereas. Eam autem vovisse Veneri si ea nocte coiret secum Amasis, statuam Cyrenas se illi missuram, & ea nocte cum eo coiisse.

Paulus Æmilius quoque scribit *lib. 1. hist. Franc. in Clotario 2.* Theodoricum, Mediomatricum Regem Justam uxorem, Bertici Regis Hispaniæ filiam Hermembergam ad patrem remisisse integram à se, adverso rumore, quod ferretur à pellicibus ad insaniam usque devinctus, sancti, nobilissimique connubij usu perfrui, & virginis florem delibare non potuisse, velut maleficis artibus, carminibusque prohibitus.

Hinc maleficijs maleficia tolli persuasum fuisse jura pontificia his verbis tradunt, prohibendo, *can. non liceat Christianis §. pen. 26. q. 1. Siquis divinos, vel sortilegos in domum suam introduxerit, quasi ut foras malum mittant, aut maleficia inveniant, aut lustrationes paganorum faciant, quinque annos pœnitentiam agant.* Atque simul furta per has artes indagare prohibitum *cap. 2. de sortil.*

Profitentur & Magi se etiam morbos incantationibus pellere, ideo hos vocat exorcistas, & impostores Ulpianus *in l. 1. §. medicos ff. de var. & extraord. cognit.* Extat & libellus, ut quidam putant, sed verò spurius, Galeni, de medicinis expertis, qui probat hos medicos, & meminit de iis, qui per cibos sacrificiorum curabant, ut etiam Quintus Serenus huic vanitati fidem attulerit, alioquin peritissimus autor, *in medic. cap. 51. de hemitritæi morbi medela*; de quo supra.

Et Ammianus Marcellinus incantamentum ad leniendum dolorem dentium, ad medicinam pertinere, arbitratur.

Probat id insuper sacra Pagina ariolum Balaamum à Balaco Rege fuisse vocatum, ut malediceret populo Israëli,

Israëlitico, quod haud factum fuisset, si jam Rex expertus non fuisset magicas illius diras, vim habuisse exterminii, quas tamen Deus, qui dæmonibus imperat, in benedictionem convertit, *Num.* 22. *Josue* 24. & *Joseph. lib.* 4. *antiq. cap.* 6. Sunt & leges juris divini, quæ morte jubent tolli hujusmodi magos & magas, ut inde veram perniciem ab illis inferri liquidò constare possit, ob quam Deus persequitur illos, & qui eos consulunt, *Deuter.* 18. *Levit.* 19. *Exod.* 20. Atque in *Exod. cap.* 22. dum prohibentur arioli, tradunt, nomine Cassaphariolationis contineri & eum, qui malis artibus nocet pecoribus, segetibus, & hominibus.

Sed exemplis demonstremus, quomodo autores fide digni has imposturas, & magicas furias læsisse plures fassi sunt, litterisque consignarunt. Scribit Martinus Chromerus *lib.* 8. *de Republ. Polon.* Tartaros multùm uti magica arte, atque per eam vicisse aciem Henrici Pii, Regis Poloniæ, fuisseque in extremo Tartarorum agmine vexillum inter alia insigne, cujus figura X. chi græcum elementum referebat, in cuspide verò erat imago nigra, tetraque capitis humani barbati. Quod vexillum cùm signifer vehementiùs quateret, fumum, atque nebulam densissimam, ac fœtidissimam exhalabat, quæ non modo aspectum Polonis adimebat, verùm etiam exercitum perturbavit. Incantationibus autem quibusdam id Tartari effecerant, quibus juxta ac ariolationibus, & divinationibus sunt dediti.

Joannes Cuspinianus *in Cæsaribus*, *in Anastasio* tradit Bulgaros, gentem priùs ignotam in Illyricum, & Thraciam, & contra hos aliquos Romanos duces profectos victos, & cæsos omnes ferè, cùm illi incantationibus usi fuissent.

Narrat Zoar, & post eum Franciscus Venetus *lib.* 1. *problem. Sacr. Script. probl.* 216. *&* 228. Labanum Aramæum, socerum Jacobi, fuisse omnium Orientalium magum celeberrimum, cujus erant idola, quæ filia ejus Rachel furata erat *Genes. cap.* 31. videlicet, ne pater discessum suum, & maritum citò dignosceret, neve illis nocere posset. Fuisse autem illa idola, *Teraphim* dicta, imagines quasdam, quibus Laban divinabat, ligabat, offendebat hostes, & in illis totam vim Labani positam. Et ideò *Laban* dixit Jacobo, *furatus es cor meum*, ubi vulgaris editio habet, *ut clam meam abigeres filiam.*

Clogio, Rex decimus octavus Sicambrorum, filius Franci, à quo & Franci dicti, magus, augur, & Astrologus, habebat matrem nomine Lothildem, filiam Regis Doringorum, quæ summa Templi Palladis antistes fuit, & maga, quæ suis carminibus, & incantationibus quos voluit hostes filii sui delevit, & infelices reddidit, & quantumlibet absentes dæmonum ministerio peremit, victoriam Francis, metum, terrorem, & fugam hostibus maleficio procurabat, imbres, tonitrua, coruscationes, & tempestates in aëre horribiles, quoties, ubi, & super quos voluit, carminibus inducebat, ut ex antiquissimis autoribus annotavit Trithemius *lib.* 1. *Breviar. annal. Franc. in Rege* 18.

Scribit & Hunnibaldus Francorum Historiographus Heligastum Sacerdotem idolorum, filium cujusdam Theocali Pontificis sub Bazano septimo Rege, & Pontifice Jovis summo Francorum circiter 275. annos ante nativitatem Domini, multa Sicambris prædixisse futura, Jovem Sacerdotibus exhibuisse visibilem, secreta hominum consilia deduxisse in publicum, hostium arcana in causis arduis Regi Bazano denudasse. Quod & Sicambris securitatem, hostibus autem desperationem incussit. Meminit & horum Trithemius *loc. cit. in Rege* 7. Mira certè hæc, similia his, quæ dicuntur de Eliseo, qui ex Dei revelatione non ope dæmonum, ut alii, arcana consilia Regis Syriorum detegebat Regi Israëlis, & venientes hostes excæcavit, ut non cognoscerent eum, quem volebant capere, nec locum, donec deduxit eos in Samariam 4. *Reg.* 6.

Sed illud adhuc mirabilius est, si quidem verum sit, quod subjiciunt postea Hunnibaldus, & Trithemius, hunc Heligastum exactis in officio 32. annis, disparuisse in solemnitate Jovis post edita vaticinia & fulmina. Item & Bazanum Regem, celebrato die suo natali apud Neomagum cum omnibus suis proceribus, & designato in Regem filio, ac ostenso Jove visibili supra templum, disparuisse. In quibus mihi dæmones, si hoc verùm sit, imitati factum illud mirabile Dei, quo legimus Enoc translatum fuisse & raptum *Genes. cap.* 5 Eliam quoque sublevatum in aëra quadrigis igneis disparuisse 4. *Reg.* 2.

Erant Ephesiæ litteræ secundùm Suidam, carmina quædam obscura, quæ & Crœsus in rogo recitavit. Et Olympiæ Milesio, & Ephesio certantibus, idem tradit, Milesium luctari non potuisse, propterea quod alter juxta talum Ephesias litteras haberet, quibus compertis, & ademptis, Ephesum concidisse, Suidas *in v. Ephesiæ litteræ.*

D. Hieronymus litteris consignavit *in vita Hilarionis* Italicum quendam municipem, Gazam nomine, Christianum, cùm aleret equos Circenses, habuisse maleficum quendam æmulum, qui dæmoniacis quibusdam imprecationibus impediebat hujus equos & suos incitabat ad cursum, cùmque petiisset auxilium Dei ab Hilarione, eum porrò Scyphum quo bibebat, fictilem jussisse aqua impleri, eique tradi, quem cùm accepisset Italicus eques, & aurigas suos, rhedamque, & carcerum repagula respersisse cum mira vulgi spectatione, ac risu. Verùm tamen concursu tandem præpeditos equos magi, Itali autem vicisse.

Druidæ antiqua superstitione soliti erant magica quadam solertia ad decipiendum apta, ovum quoddam anguium certis cæremoniis, certa Luna solenni ritu singulis annis capere, cui magnam vim, occultos effectus, varias rerum causas falsò tribuebant, nempe ad victorias litium, ac Regum aditus, Plinius *lib.* 29. *c.* 3.

Meminit Froissardus *vol.* 2. *hist.* tempore schismatis Urbani & Clementis, quo Duci Andium à Summo Pontifice Clemente Sicilia concessa fuit, cùm obsideret Castrum quoddam Ovi nomine, in mari tutissimis, & penè inexpugnabilibus munitum propugnaculis, fuisse impostorem sortilegum, qui polliceretur Duci Andio suis magicis incantationibus perstringere posse oculos eorum, qui Castrum defendebant, ad eum modum, ut putarent, exercitum in eos supra pontem trajici, & ita percitos metu futurum, ut se dederent. Quod cùm audisset Comes Allobrogum, memor, quod is impostor incantationibus multorum malorum causas seminasset, jussit capite plecti.

Philostratus autem *lib.* 2. *de vita Apollonii* mirum narrat de Civitate Magorum, seu Sapientum, quæ intra Hyphasidem, & Gangem fluvios est, quam neque mille Achilles, neque ter mille Aiaces capere possent. Nec tamen ipsi in aciem prodeuntes dimicabant, sed tonitruis, & fulminibus à Jove, sive, ut opinor, à dæmone missis, hostes propulsabant, habiti Sacrosancti, & amici suorum Deorum, & Herculem Ægyptium eam obsidentem, territum cum suis abjecto aureo clypeo, arripuisse fugam.

Verùm, etsi actiones veneficæ, & magicæ, variæ ac plurimæ sint, quæ à Sprengero *in malleo maleficarum*, Joanne Bodino *in dæmonom.* Nicolao Remigio *in demonolatr.* & aliis plurimis prolixè recensentur, tamen multis, quæ ad rem nostram non pertinent, prætermissis, saltem de morbis agemus, *An scilicet dentur morbi ab incantatione & veneficiis inducti?*

Id autem affirmant antiqui & recentiores plurimi, & fit passim apud Poetas, tum etiam Theologos veneficarum, & sagarum mentio, & prolixum omnino foret, autoritates omnes, & locos, in quibus, & in sacris & profanis litteris veneficarum fit mentio, recenfere. Quapropter iis omnibus missis, saltem è recentioribus unam, atque alteram historiam recensebimus eorum morborum, quos à nulla alia causa quàm veneficio inductos fuisse, quivis facile colligere poterit. Joannes Langius *lib.* 1. *epist.* 38. refert anno 1539. in quodam Eisterensis Episcopi ditionis pago, Fungestal, Ulricum Nensesser, agricolam, cum crudelibus dolorum tormentis in altero hypochondriorum latere conficeretur, subitò clavum ferreum sub illæsa cute manu apprehendisse, quem chirurgus illic balneator novacula exciderit, nec tamen dolores cessasse, sed in dies magis incruduisse. Quare cum nullum aliud doloris remedium, quàm mortem, putaret, arrepto cultro, guttur sibi abscidisse. Porro cum cadaver, astante magna hominum frequentia, apertum esset, & ventriculus incisus, in eo lignum teres, & oblongum, quatuor ex chalybe cultri, partim acuti, partim instar serræ dentati, & duo ferramenta aspera reperta fuisse, quorum singula spithami longitudinem excedebant, adfuisse, & capillorum instar globi involucrum.

Alexander Benedictus *lib.* 7. *pract. cap.* 25. narrat, se vidisse duas mulieres vicinas uno die malis medicamentis potionatas, quæ mirificis postea vomitibus exagitatæ fuerunt, alteram acum crinalem ingentem in modum hami implicatam cum capillo muliebri plusculo, cum resegmentis unguium involuto rejecisse magnis conatibus, quæ sequenti die mortem obiit. Alteram capillamentum muliebre, vitri frusta cum canis caudæ pilosæ tribus frustis arefactis ita, ut penè integræ caudæ quantitatem, si in unum composita fuissent, adæquassent, evomuisse.

Antonius Benivenius *de abdit. sanat. & morb. caus. cap.* 8. refert, mulierem quandam sedecim annos agentem subitò in horrendum clamorem erupisse, ejusque ventrem ita intumuisse, ut fœtum octimestrem gestare videretur, & ita convulsionibus correptam fuisse, ut plantæ pedum cervicem attingerent, & tandem in vomitum prorupisse, quo ligna, & recurvos clavos, æreasque acus unà cum cera & capillis inglobatim mixtis vomitu ejecit, & tandem jentaculi frustum tantæ magnitudinis, ut devorare integrum nullus potuisset, idque sæpius ipsam fecisse.

In primis verò mirandam talis vomitus historiam Cornelius Gemma *lib.* 2. *de divin. nat. characterism. cap.* 4. oculatus testis longa oratione recenset, quam apud ipsum lege.

Forestus etiam *lib.* 18. *observat.* 16. *in schol.* refert, se vidisse pannum, clavos, ferramenta, capillos & ossa vomitu ejecta. Et Franciscus Hildesheim *spicil.* 2. *pag.* 186. narrat, melancholicum quendam per vomitum ferrum, globos plumbeos, pulverem tormentarium, & alia rejecisse. Et Codronchius *lib.* 2. *de morb. venef. cap.* 3. ut supra etiam dictum, scribit, cum vetula quædam ventrem puerperæ tetigisset, eam post sex menses gravissimos in ventre dolores percepisse, tandemque per anum spinas, ossa, ligni frustula, & multa alia ejecisse.

Et hoc quidem veneficii genus omnium prodigiosissimum est. Quo autem modo id fieri possit, alibi explicavimus.

Quæ omnia à naturalibus causis non provenisse, cuilibet facile est animadvertere. Et plures omnino morbi veneficio inducuntur. Idem Codronchius *eodem loco* refert, mulierem quandam veneficam cum fœminæ cujusdam gravidæ ventrem blandè quasi tetigisset, eam mox fœtus motum insuetum sensisse, & postea fœtum in frusta comminutum rejecisse, *Idem lib.* 1. *de venef. cap* 8. narrat, filiam suam Franciscam, decem menses natam, macie correptam fuisse, & sæpe suspiria magna edidisse, & cùm fasciæ solverentur, quod aliàs infantes facere non solent, semper plorasse. Cùm verò veneficii suspiciones adessent, inquisitum fuisse in culcitram, & nonnulla veneficii signa reperta, semen nempe ciceris, grana coriandri, frustum carbonis & ossis defuncti, rem quandam conspectu incognitam, præterea quasdam plumas quibusdam filis artificiose intertas, ut pileo, ut moris est, applicari facilè possent, & postea in eodem lecto inventa fuisse frustula duo nucis siccæ, & ossis albi, novem, vel decem ossa piscium, quæ erant fabricata instar pectinis cum quibusdam coralliis ex variis rebus paratis, mirè intertextis, quibus igni traditis, mutata domo, & omnibus aliis, Dei beneficio, absque omni remedio naturali, eam convaluisse,

Et præter dicta, Ligaturæ etiam, quibus novi præsertim conjuges ad Venerem impotentes redduntur, ita etiam vulgò notæ sunt, ut sæpe sponsi ad copulationem in publicum prodire metuant. Quod quidem veneficii genus interdum semper, interdum certis mensibus, aut annis durat. Atque in hoc maleficio præstando dæmon veneficis sese satis promptum præstat, ut conjugum amorem corrumpat, iisque peccandi occasionem præbeat, Codronchius *lib.* 3. *de morb. venef. cap.* 5. è Pierio refert, Comitem quendam in Argentoratensi ditione cùm uxorem duxisset, per triennium Veneris officium præstare non potuisse, casu autem de veneficii instrumēto certiorem factum, liberatum esse. Cum enim peregrè profectus mulierem offendisset, quam pro scorto antea habuerat, post mutuas salutationes interrogatus de valetudine sua, & suorum, prosperè omnia agi, respondit. Quò turbata mulier, iterum interrogavit, utrum filios ex uxore habuisset. Annuit Comes, & triennio tres habuisse respondit. Cùm adhuc magis vultu turbata esset mulier, cur, inquit Comes, turbaris? Forte meam mihi invides felicitatem? Non, inquit, mulier, sed vetulæ succenseo, quæ putavit suo maleficio vim procrandi liberos se tibi impedituram, in cujus signum, ait, puteus, qui in medio claustri est, ollam in fundo continet, in qua res quædam clauduntur, veneficii instrumenta. Gaudeo autem illa irrita esse, ac tuæ felicitati gratulor. Quibus auditis, Comes patriam reversus, repurgato puteo, ollam invenit, quam prædixerat mulier, & combustis instrumentis illis in posterum nullo impedimento uxore usus est.

Immo, quod magis mirum est, referunt nonnulli repertos fuisse, qui ex veneficio membro virili privati sint, atque ejus rei historiam etiam *alleg. loc.* narrat Codronchius de juvene quodam, qui diu juvecula quadam potitus, volens eam desertere, reperit se genitalibus privatum. Cùm verò tristis causam supervenienti cuidam mulieri tristitiæ aperuisset, atque quam maleficii in hoc negotio suspectam haberet, dixisset, illa respondit, vel blandissimis verbis, ac pollicitationibus, vel minis, ac vi opus est, ut eam ad pristinum statum te restituendum cogas, ac impellas. Qui monitis parens observato tempore, in noctis crepusculo, opportuno loco, eam comprehendens, cum precibus eam inflectere non potuisset, injecto in collum panniculo linteo, quo clamare mulier prohiberetur, penè ad mortem compressit, nec eam, antequam sanitatem promitteret, laxavit. Quæ tactu manus inter femora præstigium abstulit.

Hoc igitur maleficium ligaminis est, quādo malis verbis vir redditur, ut loquuntur canones, frigidus & maleficiatus, hoc est ad actum conjugii inidoneus. Ad quod præstandum dæmon utitur modis, seu formis penè infinitis. Sanè autor dæmonomaniæ plures quinquaginta reperiri scribit, & Ananias *lib.* 4. *de natur. dæmon.* tam in fœminas, quam in viros hoc

maleficium grassari verè dixit, sed tamen faciliùs, & frequentiùs in viros cernimus hoc malum serpere; quod aliquando est in diem, aliquando in annum, aliquando etiam in perpetuum, aliquando quoad omnes, aliquando quoad unum duntaxat personam certam, quod vocant maleficium respectivum. Huic maleficii generi videtur annumerandum, quod refert Saxo *lib.* 14. *Hist Danor.* his verbis: *Mares in Urbe Korentina apud Rugianos cum fœminis in concubitum admistis canum exemplo cohærere solebant, nec ab ipsis morando divelli poterant.*

Nec solùm Venerem impedire, sed & abortum possunt excitare veneficæ. Ita quidam veneficus, ut idem Codronchius *eod. in loc.* refert captivus in judicio fassus est, suis se veneficiis effecisse, ut quædam mulier per multos annos abortum fecisset, fœtu septies in utero enecato. Id etiam contigisse pecoribus, & jumentis omnibus utero gerentibus tum temporis. Instrumentum verò, quo utebatur, fuit serpens in limine ostij reconditus. Quo perquisito & pulvere tantùm, aliquibusque vestigiis serpentis, ob diuturnitatem temporis, inventis, igneque concrematis postea rectè pepererunt. Hujus rei, sicut & difficilis partûs, lactis exiccationis plura suppetunt exempla apud Delrium relata.

Conjugatis autem veneficæ non eo saltem modo nocere solent, quòd impediunt, ne conjuges sibi mutuò conjugale officium præstare possint, sed etiam dum odium pertinacissimum inter eos excitant. Dæmon enim vitiosos quoque affectus in homine excitare potest, ut, vel id, quod nullo modo pulchrum, omnium formosissimum, & maxime amabile habeatur. Et contra, quod meritò amandum est, horrendum, & abominabile appareat. Cujus rei historiam enarrat Codronchius *ibid. lib.* 3. *cap.* 6. In quodam Hetruriæ oppido, inquit, juvenis quidam adeo perditè veneficam mulierem adamavit, ut formosam alioqui uxorem unà cum filiis reliquerit, & cum pellice, suorum immemor, vitam eousque traduxerit, donec uxor, de maleficio monita, eò concessisset, & veneficii instrumentum invenisset, bufonem nimirum sub lecto altè inclusum, consutis oculis. Eo igitur abrepto, & solutis oculis, postea igni concremato, confestim vir suorum recordatus, tanquam è somno surgens, ad uxorem, & filios reversus est.

Contra odij hoc memorabile exemplum ibidem refert. In oppido Sepino, inquit, ditionis Neapolitanæ, erat quidam, Jacobus nomine, cujus uxor ita eum odio habebat, ut à primo die, quo inter ipsos matrimonium contractum fuit, simul habitare nunquam potuerint, tantùm abest, ut se invicem copulaverint. Et si quando Jacobus ad uxorem accedere volebat, tanto furore, & rabie percita uxor erat, ut se per fenestram potiùs præcipitem dare, quàm illum pati vellet. Quod cum cuidam religioso, ab ipsis hospitio recepto, relatum esset, de hac re dubius, nec fidem adhibere volens, experiendi gratia, illico mulierem advocari jubet, ejusque maritum in interiore ædium parte se se abdere, ne ejus præsentia uxor ingredi renueret. Venit mulier, quæ de odii causa contra conjugem interrogata, suam vicem priùs, miserumque statum cùm deplorasset, se nullam, inquit, eius rei rationem reddere posse; quia absentis mariti tanto desiderio & amore se flagrare dicebat, ut id verbis exprimere non posset. Cùm autem ad illum alloquendum accedere velit, illicò imaginationi suæ tot deformitatibus, & turpitudinibus, totque horribilibus monstris maritum apparere ut mortem priùs subire velle se, quàm illum ferre, asseveraret; quod ejus anima tota, omnesque vires, ac spiritus in maritum, tanquam oblatum malum, & sui perniciem ferebantur, rursus eo absente se eiusdem dem desiderio æstuare aiebat. De cujus mulieris verbis cùm bonus ille sacerdos periculum facere vellet, dixit mulieribus, eam comitantibus, ut illam circum pedes, & brachia super lectum valido fune in crucis modum vincirent, quo maritus, omni repugnantia remota, expeditum accessum ad eam haberet; verebatur enim ille sacerdos, ne ob deformitatem aliquam celandam mulier se ita affectam simularet. Uxor denique ob mariti desiderium se ligandam tradidit, rogans, ut ad se maritum admitterent, quo ingrediente nullæ unquam furiæ tam immanes visæ sunt, nulla fera ita efferata, nulla bellua tanta rabie ac furore concitata, quæ cum ea conferri posset. Spumam ex ore emittebat, dentibus fremebat, oculos contorquebat, totum corpus veluti furiis agitatum, ac dæmonibus plenum videbatur, mulieresque ibi assidentes retulerunt ejus ventrem, ac stomachum funibus contortis, quos ipsæ tangebant, refertum visum fuisse, totamque cutim, ut flagris cæsam redactam. Nec furendi finis factus est, donec maritus concertationis labore defessus, & illius misericordia motus, illinc exiit. Et tandem post tres annos mulier quædam in veneficiis versata, quæ Jacobi matrimonium cum illa uxore graviter, molesteque tulerat, maleficium, quod patraverat, solvit, & ita Jacobus uxore potitus est, & inde in summa pace, atque otio tranquillissimè vixit. Hactenus Codronchius.

Et Nicolaus Iaquerius *in flagel. hæret. fascinar. cap.* 12. refert, se frequenter vidisse, quod personæ maleficiatæ non potuerint præsentiam alterius tolerare, immo ne accessum, etiamsi nondum eam viderint, sed toto corpore cohorruerint, & coactæ sint fugere cum vehementissimis clamoribus,

Urinam etiam supprimere, sive occludere hominibus veneficæ valent. Id, quod juveni cuidam factum esse ad mortis usque periculum à venefico narrat idem Codronchius *d. lib.* 3. *cap.* 5. cui malo, ut dedecus etiam adderet veneficus, in publico ipsum urinam emittere coëgit, ac etiam colludendo impedimentum abstulit.

Inter recentiores Zachutus Lusitanus *de prax. medic. mirabil. lib.* 3. *obser.* 134. etiam memoratu dignam historiam puellæ veneficio affectæ refert, quam ipse sic recitat: Puellam annum agentem ætatis decimum sextum, ex nobili prosapia oriundam, forma non vulgari præditam, juvenis quidam speciosus, & liberalibus artibus apprimè instructus ita miserè deperibat, ut illius amore irretitus noctes plures, velut amens, insomnes duceret. At cum illum ea, ut ex infimo loco natum temneret, ac irrideret, indignabundus, sagarum consilio de ea magicis artibus vindictam sumere, jurat. Quare absentis puellæ imaginem cera confictam verbis prolatis sortilegæ compungunt, quibus recitatis insons sævis doloribus in toto corpore excitatis est afflicta, ijsque ita infandis immisericorditer vexabatur, ut aculeis transfigi videretur. Quibus lenitis remanebat aphona, & convulsione mirabili arrepta, qua pedibus antrorsum pectus contingebat, cum oculis torvis, nigricante facie, pinnis narium inversis, linguæ tremore, leipothymia, omnimoda virium jactura, fastidio summo. His triduo perseverantibus, convocantur medici, qui postquam ultro, citroque de causa morbi disceptarunt, in eam unanimes convenerunt sententiam, ut crederent, hæc horrenda vitia ab utero, auraque venefica ad partes superas elata, tanquam à prima origine, emanare, quæ similem tragœdiam excitare nata est. Quapropter præsidia plurima adaptant in hunc usum. Sed cùm iis applicatis illa delira, furibunda, omni convulsionis specie premeretur immaniter, à medicis tanquam spiritu malo apprehensa, aut veneficio

vexata

vexata deseritur. Hoc ita esse, confirmavit postea enormis vomitus, cujus violentia nigerrimam materiam primò, postea glomeratos crines, tribulorum fasciculum, acus æneas, & tandem oviformem massam, atro colore conspurcatam rejecit, qua dissecta, erupere plures volantes formicæ, quæ adeo horrendum fœtorem ex se expirarunt, ut nullus in domo persistere posset. Visis his omnibus patuit, cuncta hæc ex veneficio esse suborta. At cùm in agone esset syncope oppressa, per vomitum laboriosissime excrevit animal pugni forma, colore atrum, cauda oblonga, toto corpore pilosum, muris instar, quod postquam in terram elapsum est, eximia pedum agilitate per domum obrepit, & emoritur. Parentes rei novitate ac periculo filiæ commoti, consulunt ariolos, sagas, sortilegos, magos, & incantatores. Ex iis unus se eam sanaturum, proposita multa mercede, constanter pollicetur, dicens, ut adventante paroxismo vocaretur. Sic factum. Nam cum accessio ferociter invalescit, convocatur ipse, qui super caput ægræ priùs abrasum, me præsente, imposuit papyraceam chartam albissimam, in qua scriptæ erant litteræ binæ T. M. & imposita erat ungula asini semicombusta, & ille nescio quæ verba ad aurem obmurmurans, illam ab insultu, & omni syptomate imposterum liberauit. Ita Zachutus, & hoc veneficium dicitur propriè; etsi enim aliqui nullum agnoscant hujusmodi, quia putant, Sagos nonnisi vero, ac naturali veneno nocere posse, nihilominus tamen, permittente Deo, suis maleficiis sagos complures mortales gravissimis morbis, ac morte afficere, tam autoritate Patrum, quam historiis omnium ferè gentium compertissimum habetur. Hujusmodi autem veneficia contingere vel introsumptione, vel applicatione exteriore per contactum, inungendo, in faciem insufflando docet Grillandus de *sortil. qu.* 3. *&* 5. Ad hoc maleficium Delrius *lib.* 3. *q.* 4. *sect.* 2. reducendum putat peculiare quoddam Arabum scelus, quod *Scopelismum* vocabant, & de quo fit mentio *in l. cum quædam ff. de extraord crim.* cujus hæc sunt verba. *In provincia Arabiæ scopelismon crimen appellant, cujus rei admissum tale est. Plerique inimicorum solent prædium inimici scopelizein, id est lapides ponere, indicio futuros, si quis eum agrum coluisset, malo letho periturum esse insidiis eorum, qui scopulos posuissent.* Sic Ulpianus & Pineda *comm. in Job de* hoc crimine interpretatur illud *cap.* 5. *n.* 23. *sed cum lapidibus regionum pactum tuum.* Licet etiam huc referre maleficium vetus Circi Aurigariorum, de quo D. Heronymus in vita S. Hilarionis, nec non Saccullariorum crimen, de quo Jurisconsultus ait, hoc nomine vocatos qui vetitas artes exercentes in sacculos partem subducunt, partem subtrahunt, *l. saccularii ff. eod.*

Maleficii hostilis genus etiam est, Sagittariorum, & Balistrariorum, quorum Innocentius III. Papa vocat artem mortiferam, & lethalem. Nam ex pacto ipsi addicunt dæmoni corporis, & animæ dominium, & ille vicissim pollicetur, se adfuturum, ut quàm longissimè dissitum volent, infallibili ictu traijciant. Solennia, sive ritualia istius maleficii refert Delrius *loc. cit.* ex Sprengero. Meminit etiam Olaus Magnus *lib.* 3. *cap.* 17. alterius generis Sagittariorum, nempè Lappones, & Finnos de plumbo conficere jacula magica, digiti longitudine, & ea per quævis dissita loca mittere in eos de quibus vindictam expetunt, & hos oborto carcinomate in crure, vel brachio, intra triduum vehementia doloris emori. Ab his non multùm discrepat genus maleficorum, qui quasdam construunt imagines, quas vel acubus pungunt, vel igne liquant, vel confringunt, & sic certum iis, quos tales imagines designant, interitum tabe, vel alio mortis genere adferunt ex pacto cum dæmone inito, in cujus nomine solent effigies baptizare, & nomen occidendi illis indere.

Est etiam & maleficium devovendi. Ex divinis enim Scripturis, Catholicis omnibus certum est energumenos à dæmonibus sæpe invadi, ac possideri, vel obsideri, hoc est dæmones in hominum ingredi corpora, & simul potestatem aliquam eos affligendi, seu vexandi accipere. Ambo enim requiruntur, ut quis sit energumenus. Qua de rè doctè post Mengum *in fuste dæm.* & Polydorum *de exorcis.* Petrus Tyræus disserit *disput. de dæmon.*

Et tales historiæ plurimæ, ut dictum à Sprengero, Bodino, Nicolao Remigio, & aliis autoribus plurimis qui de veneficiis scripserunt, recensentur. Immo vulgo etiam passim notum, sagas, & maleficas Judicibus confessas esse, se alios cœcos, alios claudos, alios paralyticos effecisse, alios sævissimis doloribus diu exercuisse, & alios plurimos morbos excitasse qui plerique cùm supra causas naturales fuerint, ut ex symptomatibus, quæ in iis acciderunt, & apparuerunt admirandis manifestum est, non sine causa plurimi censent, dari morbos, à maleficio inductos. Et si enim Avicenna, & nonnulli alii negent, dæmones morborum irrogatores, seu immissores esse posse, quòd possint morbi ex naturalibus causis oriri, minus tamen rectam esse hanc ratiocinationem plura demonstrant S. Scripturæ testimonia; quibus dæmonum opera varias infirmitates fuisse inductas superiùs vidimus, docentque optimi medici Codronchius, Cæsalpinus, Fernelius, Valesius, aliique plures. Quod spectat ad modum, quo dæmon morbos inferat, accuratè illum explicat citatus Valesius *S. Philos. cap.* 28. Quo pacto venefici morbi ab aliis sint dignoscendi, ex parte discutiunt Exorcistæ quidam, sed pleniùs Medici. Exorcistarum iudicia proponit liber sacerdotalis Sammarini, Medicorum verò Codronchius *lib.* 3. *de morb. venef. cap.* 13. ubi docet, signa hæc vel communia esse cunctis maleficiis, vel peculiaria quibusdam, Andreas Cæsalpinus *de investig. dæm. cap.* 22. Iidem etiam agunt de remediis naturalibus contra maleficia, & ex illis Delrius *lib.* 6. *mag. cap.* 2. *sect.* 2. *qu.* 3. agit de remediis supernaturalibus divinis, sive Ecclesiasticis, quæ solent carere omni peccato, sineque ullo periculo adhiberi queunt.

Quod verò spectat ad personas, quibus malefici queant nocere, cum draco ille antiquus usque ad judicii diem mansurus sit ligatus, Apocal. *cap.* 20. certum est, illum nemini posse nocere, nisi cui Deus permiserit, & quantùm permiserit. Sic *Matth.* 8. ut porcos subiret, a Christo veniam petiit, nec mendaces facere Prophetas Achab 3. *Reg. cap.* 22. nec Jobum affligere sine divina potuit permissione. Quare cùm per dæmonem damna malefici inferant, sequitur, eos illis omnibus nocere posse quibus ne noceant, Deus non prohibuerit, sive sint homines boni, sive mali. De facto tamen sæpius nocent malis & peccatoribus, quàm justis ac bonis,

De Judicibus, & justitiæ ministris præcipue quæri solet, an & his nocere possint malefici? Communis multorum opinio est ex speciali privilegio illis concesso, non posse. Quod privilegium alii limitant per rei capturam. Prudentius Anania lib. 4. ad eos Iudices, qui hoc digni nomine, hoc est qui Deum præ oculis habentes rectè, riteque suo funguntur officio, restringit.

Verùm ista omnia quæ hactenus dicta sunt, in dubium vocant Sagarum patroni, nominatim Ioannes Vuierus, negantque Sagas, & Lamias illorum morborum hominibus causam esse posse, dum defendere conantur, Lamias non invehere eos morbos, quorum se fatentur effectrices esse, & quæ hac de re in historijs referuntur, inter fabulas recensenda esse, putat. Ac tale quid esse putant, quod de Duffo Scotorum Rege, ex Hectore Boëtio *lib.* 11. *hist. Scot.* referunt, qui cum sudoribus, vigiliis, doloribus, & macie

macie, sine ulla manifesta causa, conficeretur, tandem deprehensum est, in Moravia in quadam arce Sagarum unum cereum simulacrum ad Regis Duffi effigiem dæmoniaca arte confectum, ligneo affixum veru ante ignem movere, alteram carminibus recitatis liquorem quendam fundere sensim supra imaginem; quæ deprehensæ responderunt, dum simulacrum igni adhibitum ureretur, Duffum Regem in sudorem solvi, carminibus verò recitatis perpetuis teneri vigiliis, & ad ceram liquescentem macie consumi, consumpta autem cera, Regis mortem continuò subsecuturam. Contracto verò simulacro, & sagis flamma combustis, sub ipsum tempus hoc in Foressensi arce in Moravia, fuit Rex languore levatus, & noctu absque dolore quievit, ac brevi sanitatem recuperavit. Ubi monendum Moravos, ut Bodinus *de dæmonom. lib. 2. cap.* 8. qui has sagas ad enecandum Regem Scotorum conduxerunt, esse incolas Scotiæ, olim Scotorum hostes, nunc Scotiæ Regno adjectos. Quam historiam, ut dixi, Vuierus, & Cardanus *de variet. rer.* pro fabula habent.

Deinde omnia illa, quæ facere se putant Sagæ, mera somnia, & phantasmata esse existimant, statuuntque Lamiarum phantasiam solùm à malo dæmone vitiari, ac imbui simulacris, ut fecisse constanter fateantur, quæ nec facere potuerint, nec in rerum natura unquam fieri ipsa natura patiatur. Addunt etiam Diabolum ad eam rem maximè iis uti, qui sunt melancholici, tristes, Deo diffisi, impiè ac illicitè curiosi, perversè in religione Christiana instituti, impotentis odii, malitiosi, vix mentis compotes, similesque lubricæ fidei, vel insignis malitiæ, mulierculæ, effœtæ, stupidæ, sensibusque vacillantes. Hujusmodi enim homines, inquit, maxime dæmon adoritur, infestat, illicit vel assumpta plausibili forma, vel contagione, imaginationeque variè agitata, & corrupta, donec tandem ipsius proposito consentiant, se ipsius persuasioni dedant, quicquid in mentem ille ingerat, credant, tanquam fœdere obligati, ab illius nutu pendentes, ipsi obtemperantes, vera omnia esse, quæ suggerit rati, formas imaginatione ab eo ingestas revera substantialiter existere, seriò credentes, idque & vigilantibus, ac dormientibus accidere Idque, ut probent, varia melancholicorum deliria & vanas cogitationes adducunt, quorum quidam se bruta esse animalia, nonnulli se vasa fictilia factos esse, alii alia falsa imaginantur.

Et quidem istas imaginationes dæmonem etiam vigilantibus, plerunque tamen dormientibus, suggerere, existimāt, cùm aliàs dormientibus etiam occurrant quæ nusquam sunt, vel fuerunt. Uti etiam ad eam rem dæmonem quibusdam plantis somniferis, scribūt quibus unctæ sagæ per caminum se volare ac per aërem longè, latèque ad sympofia, choreas, concubitus ferri, & hujusmodi alia perpetrare, profundissimo somno detentæ, persuasum habent. Hujusmodi historiam referunt ex Joanne Baptista Porta *de magia naturali*, qui narrat, vetulam quandam sibi polliciram fuisse, se brevi temporis spatio sibi responsa aliunde allaturam, idque, ut faceret jussisse omnes foras egredi, qui à se acciti erant testes, vestibus verò nudatam unguento quodam valde se perfricuisse, illis per portæ rimulam aspicientibus. Hinc soporatam concidisse, profundoque occubuisse somno ita, ut nec sentiret, dum vapularet. Hinc ubi medicamenti vires cessarunt, à somno excitatam multa incepisse fari deliria, se maria, montesque transmeasse.

Pergunt & probant, omnia, quæ ad nocendum adhibentur à veneficis, esse merè inania, & ridicula, atque Satanæ instinctu in usum vocari ad eum finem, quasi aliquid præstent res ejusmodi prorsus nihili, inefficaces, ac frivolæ, quòd id, quod apparet, malum à dæmone cōstructū, vel aliàs occulta Dei voluntate, aut naturæ vitio ortum à se concitatum credant insanæ fœminæ. Si enim congenita vi ab ejusmodi rebus infertur morbus, eum quoscunque vel transeuntes, vel prætereuntes pati necesse est, cùm delectus sit expers materia venenosa, contrarium verò testatur experientia, & ii saltem, quibus id destinatum est, malum patiuntur.

Postea etiam probare volunt, quòd quotquot vulgò lamiarum maleficio affecti videntur, & quorum ita læsorum mentionem faciunt sacræ litteræ, omnes à dæmone exagitati, vel obsessi fuerint, adducuntque Jobi exemplum, *Job.* 1. Nabuchodonosoris *Daniel.* 4. dæmoniacorum, & à dæmone læsorum *Matth.* 8. *Marc.* 1. & 5. *Luc.* 4. & 8. ac similium.

Tandemque concludunt, quotquot tam crudeliter quibuscunque etiam convulsionum generibus, morbis prodigiosis, vomitu, dejectione præter naturam torquentur, hunc, vel illum somnum edunt, certos mendaciter notant, & accusant homines, cunctos à dæmone maligno, mendacique citra alterius cooperationem, agi, vexarique. Quæ verò res monstrosæ interdum vomitu rejiciuntur, eas omnes non fuisse in corpore, sed à dæmonis subtilitate, ac celeritate imperceptibili ori ingestas, nostris ad hæc oculis vel celeritate ejus victis, vel fascino delusis, vel interjecto corpore aëreo, aut aliter motis intus, vel foris, vel utrinque humoribus, aut spiritu caligantibus. Idque eo præcipuè argumento probant, quòd res ejusmodi sæpè magnitudine œsophagi, etiam quoad fieri possit, in homine vivo tensi, distractique naturalem diductionem exuperent. Cui & hoc addunt, quod licet vel mox à cibo sumpto talis sequatur vomitus, nihil cibi, vel chyli appareat mixtum, propterea rebus ejusmodi duris, acutisque vomitu ejectis nullam omnino ventriculo, vel œsophago noxam inferri. Denique addunt & hoc, quod multos morbos & homines ac pecora naturaliter patiantur, quæ falsò veneficiis adscribuntur. E quibus omnibus concludunt lamiarum facinora nulla esse, earum confessiones vanas, ipsas innocentes, & potiùs errore phantasiæ laborantes, & propterea meliùs informandas, quàm interficiendas esse.

Nos verò, ut quid in hac difficili re statuendum sit, pateat, statum controversiæ priùs formandum esse, putamus. Et quidem primò negandum non est, dæmonem rerum naturalium, & inter eas etiam venenorum, esse scientissimum & mancipiis suis propterea talia venena revelare, & patefacere posse, qua ratione venena efficacissima, & potentia componere queant, etsi interdum quasdam res superstitiosas, ac nullius momenti, ut eos deludat, adjicere jubet, quibus sive propinatis, sive extra adhibitis, aliis nocere possint. Certum autem est, Improbos homines, quos pestem pulveribus sparsis, vel unguentis portarum ansis inunctis excitasse historiæ multæ testantur, quas Sennertus *lib.* 4. *de febrib. cap.* 2. collegit, hanc pulveres tales, & unguenta conficiendi rationem à malo dæmone accepisse credibile est.

Talia itaque medicamenta sive cibo, aut potu misceantur, sive quocunque modo extra corpus adhibeantur, si veneficia appellare libeat, nullum dubium est, dari morbos à veneficiis inductos, quod nec ipsos adversarios negare posse existimo. Sunt enim talia omnia naturalia, etsi modus componendi à dæmone fluere possit. At de his quæstio non est, solumque quæritur, an veneficæ, sagæ, ac lamiæ, sine veneno naturali, possint vi supernaturali, malique dæmonis ope, hominibus morbos inferre, vel eosdem necare, Deo permittente?

Pro solutione igitur hujus quæstionis primùm assero. Sagis, & Lamiis propositum est, homines lædere, ipsisque varios morbos inducere, & earum opera multi variis modis læsi sunt. Hoc historiæ superiùs adductæ

adductæ satis docent, & extant tales innumeræ apud Sprengerum, Remigium, & alios, qui de Sagis, & Lamiis scripserunt. Etsi enim historias ejusmodi pro fabulis habeat Vuierus, tamen historiarum fides non ita elevanda est, ac in dubium vocanda. Ac licet id, quod de Duffo, Scotiæ Rege ex Hectore Boëtio refertur, mirabile videatur, illam tamen impietatem, jam antiquam esse, nec nostro etiam sæculo desiisse, è Poëtis, Philosophis, & historicis plurimis, atque ex oculatis testibus, qui adhuc vivunt, de horrendo maleficio sub Urbano VIII. Summo Pontifice, cujus effectores traditi fuerunt Curiæ seculari, constat. Quod comprobat Bodinus *lib. 2. dæmonom. cap.* 8. ita scribens: Enguerrandi Marignij judicium hac potissimùm causa niti legimus. Tale enim quid ab hujus Enguerrandi uxore in Regem Franciæ tentatum fuisse, annales Franciæ referunt, & alterius in Alenconiorum urbe tempore Francisci primi Regis, cujus factum probatum in judicio fuit, & copiosè in Navarrenæ Reginæ heptamero, neque tanquam fabula, sed velut historia vera in forensibus gestis omnibus exponitur. Anno 1574. generosus vir quidam, ut in judicio ejus, quemadmodum excusum est, legimus, qui Lutetiæ fuit decollatus, imaginem ceream capite & corde transfixo, & characteres alios habere compertus est. Et quod recentius est, mense Septembri anno 1578. Legatus Angliæ, & multi Galli per Galliam nunciaverunt, tres imagines cereas deprehensas esse in fimo cum inscriptis Reginæ Angliæ, & aliorum nominibus, quas imagines Curio pagi Istinctonii ad dimidium milliare Londino distantis fecisse dicebatur. Et recentem hujus rei historiam ex Zacuto retulimus.

Quod verò Lamiæ, & sagæ ad actiones illas magicas quocunque etiam modo concurrant, ex eo liquet, quod veneficii instrumentis remotis, vel ipsis Sagis crematis, ac mortuis, ægri convalescunt, ut ex historiis aliquibus supra recitatis apparet. Et Bodinus in confutatione opinionis Vuieri refert, Biebranam quandam Sagam ad Laodunum crematam anno 1555. Hæc, inquit, infirmabat homines, mirificèque distortos reddebat, eosque, bestias, & fruges perdebat. Sed ut primùm fuit exusta, cessaverunt hæc omnia ut ex Judice, qui de ea quæstionem habuit, cognovit Bodinus. Idem eundem Judicem sibi narrasse scribit, cùm ista cuidam fœminæ comminata esset, eam nunquam lactaturam, ita accidisse, & lac ejus subitò exaruisse. Et quamvis multos liberos pareret, ubera tamen semper aruisse. Cremata verò Saga, statim lacte abundasse. Et ex quodam nobili, ac honorato viro se cognovisse narrat, uxorem ejus ab amita impeditam fuisse, ne pareret, quod illa ipsa moriens confessa est, ut successionem liberis acquireret. Ut verò illa mortua est, hanc brevi gravidam factam, peperisse semel, atque iterum.

Nec quæ objiciunt, & ad Sagarum excusationem afferunt adversarii, magni momenti sunt. Primò enim non solùm anus melancholicas, & imprudentes fœminas, sed & juvenculas, viros item nullo modo melancholicos, talia perpetrasse, & alios eadem docuisse, & variis persuasionibus ad alios irretiendos, & in suam sectam pertrahendos usos esse, historiæ testantur. Et si saltem melancholicæ, ac deliræ essent veneficæ, omnibus, ut solent melancholici facere, palàm suam mirabilia patrandi scientiam prædicarent, quod tamen nullæ veneficæ faciunt, sed omnes clam, & apud eos saltem, quos sperant in societatem suam trahi posse, artes suas profitentur. Præterea si melancholicæ essent fœminæ, qui fit, quòd tot seculis, tot diversis locis captæ Sagæ in confessionibus consenserint? Et quidem melancholici plurima incredibilia, & impossibilia sibi persuadent, sed omnibus seculis vix duo reperti sunt, qui unum sibi imaginati fuerint.

Eadem ratio somniorum est. Sit enim, ut Lamiæ quædam somniarint, saltem, se quædam fecisse, quæ nunquam fecerunt, & id postea vigilantes credidisse, tamen non semper id accidisse, sed vigilantes, ac scientes multa perpetrasse, historiæ docent, quæ testantur, Sagas diversis in locis captas in narrationibus suis planè consensisse de die, hora, loco, modo, instrumentis, eadem retulisse, & quas scelerum socias habuerint, narrasse. Et quòd dormientes non solùm sibi imaginentur, se quædam facere, sed quòd etiam vigilantes ad actiones tales aliquid contulerint, patet ex eo, quòd instrumenta, quibus usas esse fatentur in iis locis, in quibus ea se reposuisse dicunt, reperiuntur, iisque remotis, vel combustis, læsi sanitati restituuntur.

Neque etiam probare possunt, quòd omnes, qui à Sagis, dæmonis mali ope, morbo aliquo affecti laborant, omnes à dæmone obsessi dicendi sint, sicut nec Job, licet à dæmone plaga pessima afflictus, ab eodem obsessus fuit. Tandem, etsi instrumenta, quibus utuntur sagæ, sint inania, & inefficacia, non ideo tamen sunt excusandæ, sed ob pactum, quod cum dæmone habent, execrabiles. Etsi enim ipsæ nihil agant, dæmon verò etiam nihil sine permissu Dei agere possit, tamen sicut voluntas, & conatus ad crimen læsæ majestatis in actionibus politicis constituendum sufficit, ita & hac ipsa de causa Sagæ meritò hic accusantur.

Assero secundò. Licet Sagis propositum sit homines lædere, ipsæ tamen id nec præstant, neque præstare possunt. Itaque etsi tot historiis, quas hactenus adduximus, fides non sit deneganda, & meritò effectus isti Sagis, & Lamiis imputentur, tamen inquirendum, quo in genere causæ hæ concurrant, & quid ad tales effectus conferant. Ubi omninò statuendum, Lamias, & Sagas ipsas operationum talium causas non esse, sed dæmonem, Sagas verò saltem instrumentales, aut potiùs impellentes causas, utpote ad quarum voluntatem, & preces dæmon, Deo permittente, tales morbos hominibus infligit, aut qui à natura ortum habent, eos sua ope à Sagis induci iis persuadet. Ideoque, ut veneficium appelletur, necessarium est, ut dæmon & Saga concurrant. Ubi enim dæmon solus precibus & pacto Sagarum non instigatus, hominem affligit, id, quod Jobo accidit, tunc propriè veneficium, aut actio magica non appellatur; sed tum solum veneficium dicitur, cùm dæmon in gratiam veneficæ, ad ejus preces, vel pacto invitatus homini nocet, & damnum infert.

Quòd autem veneficæ ipsæ nihil agant, & per instrumenta sua eorum, quos putant, effectuum causa non sint, pluribus rationibus probari potest. Certum enim est, interdum dæmonem Sagis in somniis varia symptomata suggerere, quæ ubi evigilant, vera esse credunt, & variis in locis se fuisse, ac varia perpetrasse sibi persuadent. Cujus rei historiam retulimus, mulieris, quæ cum unguenti cujusdam illinitione in somnum delapsa esset, postquam evigilavit, se maria & montes peragrasse dicebat. Extant enim tales historiæ plurimæ mulierum, quæ etsi pedem è lecto non extulissent noctu, mira tamen in locis peregrinis se perpetrasse dixerunt. Narratur & hujus rei hæc historia. Cùm fœmina quædam carcere detenta esset, quod in lupum se transmutare posse perhiberetur, atque id ipsa fassa esset, Magistratus, si ejus rei specimen ederet, se ei vitam donaturum promisit. Quod cùm se præstituram esse polliceretur, modò unguentum suum ad hoc opus necessarium ad manus haberet, id statim ex ejusdem domo allatum est. Quod ubi accepisset, caput, collum, axillas, & superiores corporis

partes eo inunxit, & paulo post concidit, ac profundo somno arrepta est, Magistratu præsente. Horis tribus elapsis subitò surrexit, & interrogata, ubinam interea fuisset, & quid rerum egisset, respondit, se in lupum mutatam prope civitatem aliquot milliaribus distantem quam nominavit, primò ovem, deinde vaccam dilacerasse. Cujus rei, ut certitudo haberetur, inquisitum est apud Magistratum ejus loci, atque rem ita se habere, compertum est. E quo constat, dæmonem Sagæ profundo somno detentæ nomine ista patrasse, & Sagæ phantasma hoc in somno objecisse.

Cùmque etiam se aliquid efficere persuasum habeant, nihil tamen revera eas præstare, è multis patet. Primò enim instrumenta, quibus utuntur, nullius momenti sunt, & eos effectus edere non possunt. Et, ut antea dictum, non est impossibile, dæmonem interdum mancipia sua docere posse, qua ratione pulveres, vel unguenta, quibus aliis noceant parare queant. At de his nunc quæstio non est, & Sagæ talibus raró utuntur, sed res nullius momenti adhibent, quas tales effectus edere non posse, quivis facilè animadvertit, puta cortices nucum, semina quædam, plumas, acus, clavos, vitrum, capillos, ungues, ossa, partes mortuorum, & præcipuè suspensorum, bufones, serpentes, verba, characteres, imagines cereas, & plumbeas, quæ vel in lectorum pulvinaribus, & culcitris, vel in vestibus, vel sub liminibus januarum, vel alibi abscondunt. Quæ res cùm inefficaces sint, quædam etiam artificiales, omninò eos effectus, quos illæ putant, præstare non possunt. Artificialia enim, & naturalia inter sese differunt, & artificialia non agunt in naturalia. Cùm ergo talia plerunque artificialia sint, in corpus humanum, & aliorum animalium, quæ naturalia sunt, agere non possunt.

Deinde, cùm omnis actio fiat per contactum, res verò, quæ vel sub liminibus, vel alibi absconduntur, prætereuntes, nisi venenatam qualitatem emiserint, non tangant, etiam nemini nocere possunt, in primis si aliquot milliaribus absint.

Præterea cùm quæ proprias vires habent, in quælibet obvia agant, sicut & in contagiosis, & venenatis morbis videre est, & magnes omne ferrum obvium trahat, talia verò instrumenta non omnibus, sed saltem quibus volunt sagæ, noceant, hinc patet, vires istas his tribuendas non esse. Unde refert Remigius *de dæmonolatr. sagar. lib. 2. cap.* 8. quandam Sagam cùm injurias, quibus à quodam affecta sibi videbatur, ulcisci vellet, ejus quinque vaccas tollere constituisse. A magistello ergo suo inductam, antelucanis horis pulvere quodam, quem ab eodem acceperat, pascua conspersisse. Cùm verò universum gregem perire nollet, recepisse dæmonem intra eum quinque vaccarum numerum futuram esse omnem noxam, idque eventum comprobavisse.

Ad hæc, cùm omnia agentia operationes suas sine ullis cæremoniis ac verbis præstent, exempli gratia, magnes trahit ferrum, nullis verbis, aut cæremoniis adhibitis, talia nihil præstant, nisi verba quædam admurmurentur, & cæremoniæ accedant, quas ideò malus dæmon adhiberi vult, ut hoc modo Sagæ ipsi obsequium præstent, & ille contra hujusmodi cæremoniis se quasi cogi, & allici simulet.

Tum demum etiam hoc ex eo patet, quod pulveres & unguenta, quibus Sagæ, dum nocere volunt, aliorum vestes conspergunt, aut inungunt, postquam Sagæ in vincula conjectæ sunt, à quovis sine damno tractari possunt. Et quòd res alicubi defossæ vel occultatæ, sagis mortuis, ampliùs nocere non possunt.

Et profectò dæmon, ut Sagas ad omnia obsequia promptas habeat, ipsisque persuadeat, se multa miranda præstare, & quibus velint prodesse, vel nocere posse, pulverem plerunque primo congressu eis subministrat, qui morbi, necisve causa esse possit, quemque non sit necesse in cibum, potumve injicere, aut corpori affricare, sed satis sit leviter etiam in vestes alicujus aspergere. Eum, qui necat, atrum, qui morbum tantùm faciat, cineritii, aliquando etiam rufi esse coloris aiunt. Et quoniam Sagæ sæpè vel metu, vel pretio, nonnunquam etiam misericordia adducuntur, ut morbo sic affectis curationem adhibeant, ne desit quoque ad eam rem remedium, tertium pulverem accipiunt, albi coloris, cujus vel aspersione, vel in esculenta, aut potulenta injectione propellatur morbus. Idque pluribus historiis probat Remigius *ibidem lib.* 1. *cap.* 1.

At verò, etsi dentur pulveres venenati, quibus homines infici possunt, tamen hos tales non esse, sed omnes illos effectus à dæmone provenire, credibile est. Quod vel ex eo patet, quia non solùm leviter vestibus inspersi morborum & mortis causa esse possunt, sed &, ut idem Remigius *eodem libro cap.* 3. habet, etiam unguento malus dæmon sagas instruit, quo impunè manus suas totumque adeò corpus inungere possunt, quo tamen si alterius manum, vel vestem etiam attingant, ei continuo morbum, vel mortem inferant. Et experientia observatum, ut ex locis allegatis apparet, sine noxa, & damno, unguenta, & pulveres illos, quibus sagæ usæ sunt ad damna aliis inferenda, à quovis tutò tractari posse, postquam sagæ in carcerem conjectæ sunt. Inde enim clarè elucescit, quicquid tum peragitur, à dæmone perfici, res ejusmodi saltem symbola esse, quæ testantur, sagas ejus facinoris conscias esse, & dæmonem earum suasu, & consilio talia peragere; nimirum ubi à Deo vel impetravit, vel jussus est, justo Dei judicio hominibus aliquid mali inferre, aut etiam ubi ex naturalibus causis homini aliquis morbus impendet, atque ipse hoc prævidet, ministris, & mancipiis suis mandat ut talia futilia, & anilia adhibeant, iisque persuadet, si id prestiterint, talia secutura. Quod cùm accidit, artificem & præceptorem admirantur, & colunt. Si verò sagæ sua sponte alicui nocere velint, atque in auxilium dæmonem advocent, nihil tale præstare potest, nisi à Deo potestatem impetret. Scribitque Bodinus *lib.* 2. *dæmon cap.* 8. vix è centenis binos inveniri, quibus ista noceant, ex Sagarum confessionibus esse manifestum. Interim ne autoritatis, & existimationis suæ jacturam apud suos dæmon faciat, se in gratiam earum, quæcunque volunt, præstiturum promittit. Quod si promissis stare non potest, & sagæ sua spe frustrantur, eas objurgat, quasi præcepta sua perperam executæ sint, neque omnia quæ mandaverat, adhibuerint, immo ipsas sæpe verberibus mulctat.

Assero tertiò. Multi morbi, qui à sagis induci putantur, sunt planè naturales, & à naturalibus causis & ab ipso interno humorum vitio, sine ulla dæmonis opera, oriuntur. Cùm enim dæmon, rerum naturalium scientissimus, sæpe prævideat, hominem ob internum humorum apparatum vitiosum in morbum aliquem paulò post lapsurum, ille mancipiis suis persuadet, si hoc, vel illud agant, hominem in morbum istum lapsurum, qui jam ex naturalibus causis in procinctu, & se paulò post proditurus erat, etsi à sagis nihil tale actum fuisset.

Quartò assero. Interdum ob ipso dæmone, Deo permittente, ad voluntatem & libitum sagarum, cum quibus is pactum habet, hominibus morbi & damna immittuntur, ipsis sagis, dæmonis persuasu, quædam adhibentibus, quibus ipsæ effectus illos, qui sequuntur, tribuunt. Verùm jam antea assertione secunda probatum est, media illa, quæ sagæ adhibent nullius efficaciæ esse, sed omnia illa, quæ eveniunt, solius dæmonis opera perfici.

Assertio quinta. Morbos verò illos dæmon interdum per

per causas naturales hominibus inducit. Cùm enim dæmoni rerum naturalium vires, ac sympathiæ & antipathiæ non ignotę sint, ac optimè norit quid hominis cujusque valetudini commodum, quid noxium sit, quid hunc, vel illum morbum inducere possit, & venena ad causas morbificas hominum corporibus, vel secundum totam substantiam, vel ipsarum partem spirituosam, & maxime efficacem, clam ingerere ac inferre valeat, vel humores pravos in corpore latentes agitare, vel etiam bonos corrumpere, atque in varias partes immittere, atque ita naturalem earum constitutionem mutare, immò violenter quædam, permissu Dei in corpore humano pervertere, præterea affectus varios spiritibus, & humoribus motis excitare, hoc modo varios morbos inducere potest. Et quidem nonnulli tales morbos à dæmone excitari negant, cùm à causis naturalibus provenire possint. Et autor libri *de morbo sacro*, qui nomine Hippocratis circumfertur, toto ferè libro disputat contra illos, qui statuunt, epilepsiam à dæmone provenire, & propterea non naturalibus medicamentis, sed expiationibus curandam esse. Atque opinionem hanc ex ignorantia naturalium Epilepsiæ causarum profectam esse censet. A quo non multùm Avicenna dissentit, qui *prima tertii fen.* 1. *tract.* 4. *cap.* 18. scribit, quibusdam medicorum visum est quod melancholia contingat à dæmone. Sed nos non curamus, cùm physicam docemus, si illud contingat à dęmone, aut non contingat, quoniam, si contingat à dæmone, sufficit nobis, ut covertat complexionem ad choleram nigram, & sit causa ejus propinqua colera nigra. Deinde sit causa illius cholera nigræ dæmon, aut non dæmon. Hujusque Avicenna.

De venenis porrò plura congerit Torreblanca *lib.* 12. *jur. spirit. practic.* agens de magia venenaria maleficorum. Et quidem aliud est venenum quod hominum ingenio ex rerum naturalium peritia paratur, de quo *in l.* 1. *C. ad leg. Cornel. de sicar.* alterum, quod arte dæmoniaca, & pacto dæmonis conficitur, de quo *in l.* 1. *C. de malef. & math.* Philo *lib. de special. legib* Grilland. *de sortil.* 9. 12. *nu.* 14. Binsfold. *in d. lib.* 1. *C. de malef.* Maiol. *tom.* 2. *colloq.* 3. Unde Plato *lib. de legib.* & Porphyrius *lib.* 2. *de sacrif.* veneni nomen pro incantatione usurpant.

Immo teste eodem Avicenna *lib.* 3. *fen.* 16. *tr.* 5. Cornel. Gemma *de divin. natur. charact. lib.* 2. Levino Lemnio *lib.* 3. *de occult. nat. mirac. cap.* 40. Schenchio *tom.* 2. *observat. medic. lib.* 4. *tit. de variis uter. affect. obser.* 11. Galeno *lib.* 2. *ad Glaucum*, Celso *lib.* 5. *cap.* 6. Beneven. *de admir. mor. lib.* 2. aliisque non solùm in corpore humano ex humibus coalescunt tophi, lapilli, capilli, oscilla, conchylia, spinæ, glomi pilorum, ac reptilia, sed etiam generantur vermes, lumbrici, angues, serpentes, mures, ranæ, aliaque hujusmodi, lapides item, ferrum, chalybs, stannum, aurum. Quæ tamen si dæmon producit, causarum ignarus, mira, vel præstigiosa judicat, ut notant autores Mallei *p.* 2. *q.* 1. Remig. *lib.* 3. *dæmonolatr. cap.* 7. Cæsalpinus *de investig. dæmon. lib.* 2. *cap.* 22. & Codronchius *de morb. venef. lib.* 3. *cap.* 6.

Magnus autem Albertus *lib.* 25. *de animal. cap.* 1. tradit, dęmonem quatuor modis operari hæc ex qualitate naturali, videlicet, aut ex acumine caloris corrodente, & putrefaciente in humida, ut lupus marinus, aut convertendo ad se humidum subtile ex calore flammante, ut euphorbium; aut tollendo sensum ex frigiditate mortificativa, ut opium; aut opilans vias anhelitûs in corpore ex grossitudine frigida substantiæ, quæ habet accidentale acumen, ut frigidum adustum, efficiens à tota substantia, ut gummi, napelli, fel leporis. Jubertus verò *parad. lib.* 3. *cap.* 27. & Grilland. *loc. cit. q.* 3. *num.* 30. venenum produnt tantæ activitatis, ut eo stapedes illitæ ipsum equitem occidant. Quod Cæsalpin. *supra cap.* 17. & Codronchius *ibidem* pacto dæmonis effectum credunt sortiri, tum magis si equus ipse proximior, aut illud exhibens non inficiatur. Et sane si ad enecandum particularem hominem paratur, signum est pacti cum dæmone, ut advertunt Valesius *controv.* 2. Delrius *lib.* 3. *mag. qu* 4. *sect.* 5. Taleque, ait Codronchius ibidem est venenum epistolarum, quæ tantùm necant illum, ad quem mittuntur, non alios plures legentes. Quo genere veneni fertur ab Averroe necatum esse Avicennam Cordubensem. Sic dum maleficę insultant in alicujus faciem, & statim horrenda lepra oppletur, ut evenisse narrat Malleus *p.* 2. *q.* 1. *cap* 11. Sic ille pacto dæmonis Parisiis chirothecis, globulis, pulveribus, flosculis suaveflagrantibus alios necabat ipso illæso apud Torreblancam *ubi supra.* Dignoscuntur tamen morbi hujusmodi quando sunt à natura, & quando ex pacto dæmonis. Illis enim prosunt naturalia antidota, his nullo pacto, ut per Doctores *in cap. fraternitatis de frigid. & malef.* Codronch. *d. lib.* 3. *cap.* 13. Delrius *lib.* 6. *cap.* 2. *sect.* 2. *qu.* 3. Cæsalpin. *cap.* 22. Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *qu.* 13. *pun.* 4. Delatorre *to.* 2. *de vit. oppos. religion. qu.* 6. *ar.* 2. *dispu.* 11. qui dissimiles progressus morborum, evacuationes, dolores, vomitus, ac similia describunt.

Verùm non satis firma ratio est, quòd quia morbi isti à naturalibus causis proximè provenire possint dæmon nihil cum iis commercii habeat. Licet enim causa proxima talis morbi sit humor naturalis, ea tamen, ut morbum hunc faceret, non sua sponte excitata est, sed dæmone movente, ac proinde ejus ablatione morbus non curatur, nisi etiam causa externa humorem illum vel generans, vel movens tollatur, malus dæmon putà. Ut enim siquis dolore capitis, vel febre ex mora sub sole corripiatur, non sufficit, si intemperiei illi, vel bili à sole generatæ remedia opponantur, sed etiam necessarium est, ut æger ex sole in umbram, & frigidiorem locum sese conferat. Ita etiam si dæmon aliquem humorem in corpore humano generet, vel moveat, non satis est, ut remedia ad humorem illum dirigantur, sed etiam opus est, ut dæmon ab actione sua cesset. Ideoque non idem est, quod putat Avicenna, sive morbus aliquis à malo dæmone excitetur, sive non excitetur, modò naturalis ejus causa adsit. Dæmonem autem quandoque mediis naturalibus morbos inducere, etiam sacræ litteræ docent. Nam 1. *Reg. cap.* 16. de Saule Rege legitur, quòd certis temporum intervallis malus dæmon ipsum exagitaverit. Et *Luc.* 13. extat historia mulieris habentis spiritum infirmitatis annis octodecim, quæ erat inclinata, nec poterat sursum respicere, quam Jesus sanavit die sabbati, & indignanti Archisynagogæ respondit: Hypocritæ unus quisque vestrûm Sabbato non solvit bovem suum, aut asinum suum à præsepio, & ducit ad aquam? Hanc autem filiam Abrahę, quam alligavit Satanas octodecim annis, non oportuit solvi à vinculo die Sabbati?

Morbi autem illi, qui à malo dæmone per naturales causas excitantur, varii esse possunt: Interdum enim vitiosos humores, quos vel generat, vel movet, ad cerebrum, & nervos detrudit, atque epilepsiam & convulsiones, ac paralysin excitat. Interdum melancholicis humoribus spiritus animales inquinat, & melancholiam inducit. Ad melancholiam referri potest & amor insanus, & odium erga aliquem sine causa. Etenim homini dæmon libertatem arbitrii auferre, ac proinde ad hunc, vel illum amandum, aut odio

habendum

habendum cogere non potest, varia tamen & falsa phantasmata imaginationi obiiciendo odium, vel amorem excitare valet, dum nimirum rem aliquam, quæ tamen talis non est, vel formosissimam, & maximè amabilem, vel contra obiicit. Quam ad rem etiam dæmon abutitur interdum iuvenum naturali constitutione ad Venerem, & libidinem proclivi. Cujus rei exempla præbent statuarum amatores, quorum aliquos fuisse, historiæ referunt. Etsi verò talia præstat dæmon, vitiosos affectus in hominibus excitando & Venerem stimulando, vel rei amatæ, vel amandæ imaginem continuò phantasiæ obiiciendo, tamen Sagis persuadet, ut credant, se cæremoniis quibusdam, vel aliis rebus nullius momenti adhibitis, alios in sui, vel quorum volunt, amorem pertrahere posse. Pertinent huc omnia quæ de philtris dicuntur, de quibus jam alibi dictum.

Interdum ad oculos detrudit humores, & cæcitatem. Aliquando ad aures, & surditatem inducere potest, vel spiritus, qui omnium actionum naturæ proximum sunt instrumentum, dissipare vel corrumpere, aut ipsam partis conformationem pervertere. Si humores vitiosos in partes membranosas moveat, gravissimos dolores excitare valet.

In primis verò dæmon in præstanda sua opera veneficis promptissimus est in conjugio turbando, ut ita & propagationem generis humani, cuius hostis est infensissimus, impediat, & adulteriis, immo homicidiis occasionem præbeat. Præstat autem id variis modis. Primò odium inter conjuges excitando, & consuetudinem conjugalem impediendo, de quo antea dictum, ejusque exemplum allatum. Et observatum etiam est alias, conjuges, qui se ardentissimè amarunt, cùm ad copulam conjugalem ventum est, adeò in odium exarsisse, ut se mutuò unguibus, & pugnis impeterent, & alterius corpus adeo horridum, & fœdum apparuisse, ut alter amplexus nullo modo ferre posset.

Nonnulli & hujus maleficii mentionem faciunt, quòd scilicet conjuges corporibus sibi mutuò appropinquare licet velint, non possint, dum dæmon phantasticum aliquod corpus inter eos interjicit, ut se contingere non possint, vel alio modo eos invicem à se dividit, cujus rei mirandam historiam ex Vincentio Belvacensi, cùm alii, tum Delrius *lib. 3. magic. p. 1. qu. 4. sect. 8.* referunt, quæ tamen cùm præstigiæ sint potius ad veneficia, de quibus assertione septima dicetur, pertinere videntur.

Deinde conjugium turbat dæmon, viros ad Venerem impotentes reddendo, qui tum vulgò frigidi & maleficiati appellantur, ut modò cum nulla fœmina, modò cum una, & præcipue propria uxore Venerem exercere non possint. Quod veneficii genus vulgo Ligatura appellatur. Præstat autem hoc vel seminis generationem prohibendo, vel membri genitalis erectionem impediendo, spirituumque ad id influxum prohibendo, vel semen exsiccando, & subducendo, & ejus effusionem prohibendo. In fœminis verò hoc præstat genitalibus aliquam affectionem præter naturam inducendo, ut virum admittere non possint. Interim dæmon sagis persuadet, ut nescio quas cæremonias ridiculas, & nullius momenti adhibeant, quæ ad rem nihil faciunt, & nihilominus credant, se præstare quæ ipse tamen efficit,

Neque enim impossibile est, ut demon etiam difficultatem partus, vel abortum excitet, & extant in confessionibus sagarum multæ ejus rei historiæ. Cùm enim ad gestationem & partum naturalem multa requirantur, quæ dæmoni ignora non sunt, variis modis ea corrumpere, & vitiare potest.

Assertio sexta. Nonnunquam etiam dæmon sine caussis, & mediis naturalibus in corpore hominis existentibus, sua potentia, & subita violentia solùm ad sagarum postulatum, homines lædit. Cùm enim sagæ vel metu, ne deprehendantur, rem aggredi nolunt, vel se eam expedire non posse pro voto putant, eam omnem dæmoni committunt, qui ex voto ipsarum eam expedit, & ea, quæ jubent, hominibus damna ac mala infert. Cujus rei passim multæ historiæ extant. Nicolaus Remigius *lib. 2. cap. 10. dæmonolatr. sagar.* narrat, Sagam quandam Joannam à Banno, cùm virum quendam forte bigis Argentoratum proficiscentem vidisset, memorem quidem acceptarum, & adhuc inultarum iniuriarum, eum devovisse, & execratam esse. Et cum vix imprecari cœperat, illum è curru in quo sedebat, præcipitem tanta vi deiectum esse ut illico exanimatus sit, integro nihilominus toto corpore, nec vel vulnere ullo saucio, vel livore decolorato, vel tumore inæquali, vel luxato, vel intorto, aut ulla sui parte læso, ut illi inclusam animam, interceptosque omnes uno momento spiritus fuisse à dæmone, credibile sit. Et idem eodem *lib. cap. 12.* refert, quendam alium, à quo injuria affectus sibi videbatur, diris devovisse, & illum mox turbine subito involutum, ac in terram dejectum, altero crure sic debilitatum fuisse, ut se loco movere non posset, & vicinorum pecorum custodum adminiculo domum deducendus fuerit, idque antequam vulnus coaluit ipsum illum Magum spontanea confessione patefecisse. Idem *eodem loco cap. 13.* scribit, sagam quandam, cùm vicinæ nocere vellet, ruri suo more opus fecisse, interim negotium dæmoni suo commisisse. Ecce verò vicinarum ædium occlusis, obseratisque foribus audiri miserum ejulatum pueri, quem mater abiens domi reliquerat. Cùm verò qui audiebant, accurrerent, ac fores properè effringerent, repererunt puerum prunis candentibus undequaque adopertum, & obrutum, quem licet quantùm possent prunis candentibus extrahere, & servare niterentur, animam tamen egit, & inter manus illorum mortuus est. Idem *cap. 14.* narrat, rustico cuidam ad Mosellam, dæmonem jussu cujusdam Francisci Vellei, turbine quodam, reliquo aere alioquin placidissimo, omnem spiritum sic intercepisse, ut diu vitæ dubius, ac incertus jaceret. Et *cap. 15. ait*, sagam absentem quandam dæmonis ope alterius oculo cladem intulisse, eumque qui hoc vulnus in oculo accepit, retulisse, vulnus istud oculi sibi quasi ab impingente per vim arboris ramo inflictum fuisse, cum tamen hinc atque inde arbores nullæ multis passibus starent.

Assertio septima. Sæpe præstigiis saltem dæmon homines ludit, & se morbos, qui nulli sunt, induxisse persuadet. Huc pertinet membri virilis ablatio cujus historiam supra ex Codronchio attulimus, & extant similes in Malleo maleficarum Sprengeri *p. 2. qu. 1. cap. 7.* Etsi enim nonnulli in ea sint sententia, revera membra genitalia à dæmone auferri, ac reddi posse, tamen cum iis sentire malo, qui meras præstigias talia esse putant, cùm in dæmonis potestate non sit, adempta homini membra restituere. Et quod juvenis ille solo contactu manus maleficæ inter femora membra genitalia statim recepit, id præstigias meras fuisse facilè docet. Nec mirum, ut Ludovicus Vives in Augustini *de civit. Dei lib. 10. cap. 16.* scribit, hoc fieri a dæmonibus, & falli ab eis obtutus nostri aciem, cùm à circulatoribus nobis sic sæpe imponatur, ostendanturq; quæ nisi à tali hominum genere agerentur, pro miraculis, qui caperent, non deessent, etiam sic facta admirationi sunt, & vix acumen ingenii rationem illorum assequitur. Licet enim sint, qui credant, nisi dæmonis ope ista non perfici, artis tamen sunt exercitatissimæ, quæ celeri motu, atque agitatione dexterum

...um in res obtutum præstigiis frustratur. Ita qui edit pan m, spuere cernitur farinam siccam, qui bibit vi... ...um, per frontem id, aut etiam jugulum, remittit, ma... ...no spectatorum metu, ac horrore gladii vorantur, & ingens vis evomitur acuum, Zonularum, nummorum.

Ad quod autem genus veneficii referenda sint mi... ...ra illa, quæ interdum per alvum, & vomitum reii... ...ciuntur, an dæmoni ope ex humoribus in corpore humano generentur, an ejus potentia corpori inferantur, an verò saltem præstigia sint dæmonis *tom.* 4. disputavimus.

Assertio octava. Etsi morbi, & alia mala, quæ sagæ se Hominibus immittere putant, à dæmone proficiscantur, sagæque ipsæ nihil agant, extra tamen culpam non sunt, ob pactum, quod cum dæmone inierunt, qui hominibus ad sagarum postulatum nocet & ob voluntatem nocendi non sunt excusatæ. Et sane Vuierus *lib.* 3. *de præstig. dæmon. & de Lamiis cap.* 6. *cum binis sequentibus* fœdera & pacta illa vana, præstigiosa, stulta, & nullius momenti esse scribit. Dæmonem enim, utpote qui spiritus est, & carnem ac ossa non habet, manum extendere, quod in pactis illis fieri in confessionibus sagarum refertur, non posse, sed dæmonem phantasmata vana, vel imaginationi obiicere, vel visui, vel auditui falsas species offerre existimat. Dæmonem etiam aliorum adminiculo in sua potentia ostendenda, aut actionibus declarandis, non indigere utpote qui nec ullius voluntate, aut imperio cogitur quam Dei, & hujus ministrorum bonorum. Et licet quid stipulantur sagæ, id tamen pactum non obligare putat, ideo quod à dæmone hominibus talibus visus, phantasia, & mens præstingatur, atque ideo quicquid agunt, vel ob ætatem stupidam, vel sexus inconstantiam, vel impotentiam mentis, vel animi morbum, & a maligno spiritu delusas facere. Dolosam etiam dicit hanc stipulationem, maximè in perniciosum finem confictam, sine testibus, vel contra Dei voluntatem, cum homo in baptismo Deo priùs obligatus sit. Summa, nihil, nisi dæmonis illusiones, & mera phantasmata esse existimat omnia illa, quæ de pactis, & fœderibus sagarum cum dæmone dicuntur.

At verò nimiùm sagarum malitiam, & impietatem Vuierus excusat, & extenuat, ac ita, ut non solùm apud Catholicos, sed etiam apud doctos viros, non paucos, eo nomine, ut sagarum patronus, malè audit. Ejus autem argumenta nullius momenti sunt. Etenim quod dicit, dæmonem non habere manus, & propterea consertis manibus fœdus inire non posse, verum est, & omnino etiam dæmones mali sua natura spiritus sunt, interim & sacræ ac profanæ litteræ plenæ sunt historiis, quæ docent, spiritus cùm bonos, tum malos hominum, vel aliorum animalium forma hominibus apparuisse, & sagæ optimè hoc norunt, nec ignorant corpus illud, in quo apparet dæmon esse præstigiosum. Itaque & hoc sciunt sub hac larva latere dæmonem; ac proinde quando cum spectro tali, aut larva ita paciscuntur, non cum larva, & spectro, sed cum ipso dæmone paciscuntur, quem incorporeum & invisibilem esse bene norunt, qui etiam loquitur, & agit absque visibilis, & tractabilis corporis assumptione. Ideoque sive cum dæmone sub visibili corpore latente, sive cum ipso invisibili dæmone paciscantur, idem est.

Deinde ad pactum, & fœdus consensus sufficit, nec semper opus est, ut stipulatio mann facta accedat.

Nec item pacta illa sunt vera phantasmata aut melancholicarum mulierum persuasiones & somnia. Neque enim dormientes, sed vigilantes, scientes, & re priùs deliberata cum malo dæmone, quem illum ipsum esse non ignorant, & quidem aliis sagis testibus, pactum iniviisse, & se Dei, ac hominum hostes futuros, si hoc, vel, illud eas docere, illis dare, vel illarum gratia facere, velit, promisisse, multæ sagarum confessiones docent. Et quomodo omnia somnia, vel phantasmata sint, quæ veneficæ de suis cum dæmone pactis dicunt, cùm certum sit, nullam sagam dixisse, se aliquem in societatem pertraxisse, & dæmoni copulavisse, quin non idem altera, quæ seducta est, affirmaverit, & ambæ diem, horam, locum, occasionem, modum pacti similiter enarraverint? Neque omnes, quæ pactum cum dæmone inierunt, melancholicæ vetulæ fuerunt, sed etiam puellæ à vetulis persuasæ, ac impuberes à matribus ad pactum tale coactæ, quæ postea, pœnitentia ductæ, sine ullis tormentis, vel tormentorum metu, rem, uti gesta est, enarrarunt, cujus rei aliquot memoranda exempla narrat Remigius *lib.* 2. *dæmonol. cap.* 2.

Neque etiam ista subitò contrahuntur pacta, sed varios homines inescandi, & sibi obligandi modos habet malus dæmon, atque affectibus hominum se accommodat, & cùm norit, alios libidini, & amori operam dare, eorum votis se satisfacturum pollicetur; cùm alios paupertatis pertæsos esse sciat, magnam divitiarum copiam ipsis promittit; cùm alios odio, & invidia erga alios flagrare non ignoret, media, quibus hostibus nocere possint, se monstraturum stipulatur; cùm alios scientiæ, & artium desiderio teneri perspectum habeat, iis artes multas, & medicamenta, quibus incurabiles morbos curare possint, se monstraturum spondet. Et quos blanditiis ad se pertrahere non potest, eos minis aggreditur, ipsisque pericula & mortem minatur, cujus rei exempla habet idem Remigius *loc. cit. lib.* 1. *cap.* 11. Et quomodo hæc mera phantasmata sint, cum sagæ notas hujusmodi servitutis, in quam se immiserunt corporibus suis à dæmone impressas imagines habeant, quæ & oculis sunt manifestæ, & quod à dæmone sint impressæ, eo cognoscuntur, quod etsi acu, vel alia re acuta eò loci sagæ punguntur, nullum omnino dolorem percipiunt, neque ex punctura, vel gutta sanguinis effluit? Id quod historiis aliquot probat Remigius *cit. lib.* 1. *cap.* 5.

Postremò etsi sagarum auxilio dæmon opus non habeat, ut potentiam suam exerceat, ut tamen ad voluntatem sagarum, quasi sociarum aliis noceat, ideo id facit, ut ipse animas sagarum lucretur. Etenim si solus homini noceat, suo periculo saltem id facit. Verùm si à sagis invitatus, & jussus homines lædat, sceleris socias habere cupit Sagas, ut æterni supplicij socias habere possit. Addunt & alii alias causas, nimirum dæmonem id ideo facere ut Deum ad majorem iram irritet, & ad sæviorem ultionem contra genus humanum provocet. Alij putant ideo dæmonem in criminis societatem sagas adsciscere, ut Deo quasi injuriam faciat, si scilicet homines à Deo ad vitam beatam creatos, redemptos, & baptizatos, à Deo avertat, & sibi mancipet. Præterea multa potest præstare per homines dæmon, quæ non ita commodè ipse solus præstaret. Non enim homines ita conversationem cum Sagis abhorrent, ut conversationem cum ipso dæmone, ad quam tamen sensim à Sagis pertrahuntur, de quo Remigius *ibid. lib.* 2. *cap.* 9. Ideoque, etsi sagæ ipsæ nihil præstant, hisce tamen de causis, & ut gratiam earum promereatur, simulque iis suam potentiam ostentet, & in admirationem apud ipsas veniat, criminis socias sibi adsciscit.

Pactum verò implicitum, ubi quis sciens, & volens superstitiosis rebus, characteribus, verbis utitur, quæ naturaliter id, cujus gratia adhibentur, præstare non possunt, qui licet ipse cum dæmone pactum non init

verè

verit, iis tamen mediis utitur, quæ aliis dæmon tradidit. Quò pertinent & ii, qui sibi persuadent, se dæmonem, non ut dominum, & cui, ut mancipia obligati sint, agnoscere, sed verbis, characteribus, cæremoniis, aut aliis modis dæmonem, etiam invitum, & repugnantem, ad sibi serviendum, & quæ volunt, officia præstanda, cogere posse. Miseros verò istos homines miserè fallit dæmon, & dum simulat, se repugnantem, & invitum adesse, ipse promptissimè adest, ut eum, qui sibi imperare cupit, suum mancipium efficiat. Immò ipse verba illa, characteres, & cæremonias constituit, & qui illis utitur, dæmonis servus, & mancipium est, non dominus, & artes illæ omnes, ac cæremoniæ addiscuntur suasore, ac impulsore dæmone. Quod etsi ipse non semper sensibus obvius facit, per alios tamen homines instigat, ut ejusmodi impietati sese dedant. Ac perinde est, sive dæmon ipse aliquid suggerat, sive per alium persuadeat. Et omnes, qui mediis à dæmone ordinatis utuntur, fœderi cum dæmone implicantur.

Quò referendæ sunt & imprecationes, ac devotoria carmina, ut Livius appellat, & execrationes, quas jam olim in usu fuisse, apparet ex oratione Æschinis contra Ctesiphontem, quibus & Sagæ, ac maleficæ interdum, dum ipsis aliquid denegatur, utuntur, dum eorum frequens imprecatio est, ut universa familia fame pereat, pariat irata Junone mater familias, prodigiis, portentisque domus tota infestetur, pecudes, segetes, vindemia pereant. Sæpè enim ad nutum adsunt dæmones, qui talia exequuntur.

Deinde inscius etiam aliquis se tali pacto implicare potest, si rebus, & cæremoniis, à dæmone ordinatis incautè utatur, cujus rei exemplum refert Lucerius *lib. 5. miscel.* ex relatione D. Nævii, & Civium Lipsiensium, ubi scribit, puellam quandam, non intelligentem, quid ageret, dum nutricis actionem totam, qua in ciendis tempestatibus sæpiùs usam viderat, imitaretur, tonitrua, ac fulgura excitasse, quibus villa haud procul à Lipsia dissita conflagravit. Quæ res ipsa satis docet, quàm cautè, ac studiosè cavenda sint illa omnia, quæ causas naturales non habent, sive sint verba ignota, sive characteres, sive imagines, sive quæcumque alia; sunt enim illa omnia dæmonis tesseræ, quas, quicunque eas usurpat, statim agnoscit, & quasi vocatus, adest, & se actionibus illis, quas illi edere cupiunt, immiscet, & hominibus familiaritatem suam offert, eosque consuetudine audaciores facit, ut postea arctiori fœdere dæmoni sese obstringant.

Pacta autem ista dæmoniaca sunt fallacia, & mendacia; Fallit enim dæmon, cùm se in Angelum lucis, ut D. Paulus *I. ad Corinth. cap.* 11. *num.* 14. loquitur, transmutat: & ex Lucretio *lib.* 1.

Sicut enim pueris absinthia tetra medentes,
Cùm dare conantur, priùs oras pocula circum
Contingunt mellis dulci, flavoque liquore,
Ut puerorum ætas improvida ludificetur.

Ita malus dæmon si se ipsum, & suas merces, quales sunt, venales exponeret, non facilè emptorem inveniret. Ergo cùm primùm hominem adoritur, se pium, beneficum, & salutarem ostendit. Id, quod historia illa, quàm Remigius *lib.* 1. *cap.* 9. recenset, satis docet.

In primis autem, & frequentiùs fœminæ veneficiis deditæ sunt, quàm viri, ut ex capitalibus judiciis passim annotatis constat: cujus rei autores nonnullas rationes afferunt. Prima est, quòd fœminæ debilioris sunt Judicii, & propterea faciliùs ab aliis sagis, & in primis à dæmone se decipi patiuntur. Deinde plurimæ mulieres sunt loquaces, & garrulæ, nec commissorum tenaces, & propterea si una hisce artibus sese dedat, rem inter plures divulgat, & magistram nequitiæ sese præbet. Tandem fœminæ etiam vindictæ, plerunque sunt cupidissimæ, & propterea vetulæ, si quem odio habent, ut ei nocere possint, media omnia conquirunt, & si aliter id præstare non possunt, ad dæmonis opem confugiunt. Juvenculæ verò si amasiis suis spe conjugii corporis sui copiam fecerint, & postea ab iis deserantur, injurias ulciscendi cupidæ, nec suis viribus sese ulcisci valentes, ad dæmonis opem confugiunt, & vel ipsum veterem amasium, vel novam ejus sponsam veneficiis impetunt, ut ex Virgilii *Eclog.* 8. apparet.

Assertio ultima. Licèt magna dæmonis sit potestas, nulli tamen etiam ad sagarum voluntatem, nocere potest, sine Dei permissione. Id, quod non solùm ex historia Jobi, sed & Evangelica patet, ex qua notum, quòd nec suibus dæmon nocere potest sine permissione Dei, & quòd nec capillus sine voluntate Dei de Capite nostro decidit. Ideoque etsi interdum sagæ à dæmone suo petant, ut hominibus morbos, vel damna inferat, idque dæmon ipsis se præstiturum promittat, & ei ejus rei consequendæ gratia quædam facere jubeat, si tamen Deus non permittat, sæpissimè voti compotes non fiunt. Scribitque Bodinus *dæmonom. lib.* 2. *cap.* 8. vix è centenis binos inveniri, quibus talia veneficia noceant, ut sagarum confessiones testantur. Quod si postea ea de causa sagæ cum dæmone exspostulent, ne ejus potentiæ aliquid defuisse videatur in ipsas culpam transferre, eas objurgare, immò interdum verberibus mulctare solet, quod præceptis suis non per omnia satisfecerint; Et in primis, dæmon à sagis quoque instigatus, nocere non potest iis, qui Deo quotidie se se precibus commendant, ac pietati student, & à peccatis gravibus abstinent, deinde Judicibus, qui sagarum causas agnoscunt, & judicant: cùm enim judicia publica exerceant, potestate à Deo concessa, Deus etiam eos protegit, ne à dæmone, vel ejus mancipiis in officio suo lædantur, ac turbentur.

Cur autem, & Deus permittat dæmoni, ut ad libitum, & jussum veneficarum interdum hominibus noceat, alibi disquirendum; Nunc id satis dicere sit, judicia Dei esse occulta, sed semper justa; & judicia Dei esse abyssum multam, *Psalm.* 35. *num.* 7. qui & multos ob peccata pœnis affligit, & pios afflictionibus probat, exercetque, & à peccatis abstrahit, ipse verò ubique & semper gloriosus est.

Morbos autem à veneficiis ortos, quod attinet, eos cognoscere, longè difficillimum est, cum dæmon naturalibus causis sese sæpè immisceat, eisque utatur, ut non facilè sit discernere, quid à causis naturalibus, quid ab ipso dæmone profectum sit. Immò in iis, quos obsedit, sæpè sat diù sub naturalis morbi larva latet. Exemplum ejus rei est apud Fernelium *lib.* 2. *de abdit. rer. caus. cap.* 16. de juvene quodam equestris familiæ, qui corporis concussione, & quasi convulsione, ex temporum intervallis, laboravit, cùm nunc solum sinistrum brachium, nunc dextrum, interdum etiam digitum unicum, aliàs crus alterum, aliàs utrumque, aliàs corporis truncum tanta celeritate agitaret, vix ut à ministris quatuor decumbens cohiberetur, caput inconcussum jacebat, lingua, & locutio libera, mens sana, omnesque sensus integri, vel in convulsionis ferocia. Deciès ad minimum quotidie corripiebatur, in cæteris sanus, sed labore confractus. Vera epilepsia judicari poterat, si mentis sensuumque læsio accessisset. Peritissimi quique adhibiti medici convulsionem epilepsiæ finitimam, à maligno, venenatoque vapore spinæ dorsi impacto, censuerunt, qui vapor in eos nervos irrueret, qui à spina in artus quoquoversùm, non autem in cerebrum, disseminantur. Varia fuerunt adhibita remedia, quæ tamen nihil profuerunt, sed mense tertio

primum

primùm deprehensus dæmon quidam, totius mali auctor, voce, insuetisque verbis, ac sententiis tùm Latinis, tum Græcis, quanquam ignarus græcæ linguæ laborans esset, se prodens. Is multa assidentium, maximèque medicorum, secreta detegebat, ridens, quod multa periclitati temerè essent, quod irritis pharmacis corpus hoc penè jugulassent.

Et omninò primum hoc signum est morborum à veneficiis illatorum, quod medici, etiam doctissimi, in morbo agnoscendo dubii sunt, & hæsitant, ac omninò fluctuant, & vix aliquid certi, quo vel sibi ipsis satisfaciant statuere possunt, & quamvis multa remedia adhibeant, iis tamen nihil proficiunt, sed morbus in dies deterior redditur.

Secundum signum est, quod, cùm morbi naturales sensim incipiant, & sua tempora percurrant, & ad statum perveniant, morbi à dæmone revera inducti sæpè nullis præsentibus causis, pravisque humoribus, statim in suo vigore constitui videntur, & gravissimis doloribus, ac aliis symptomatibus ægros affligunt.

Tertiò ægri insitata, & à medicis vix dum annotata symptomata patiuntur, & modò in hac, modò in illa parte de dolore conqueruntur. Plurimi sine causa toto corpore emaciantur, fiuntq; melancholici. Quidam convulsiones varias patiuntur. Addunt nonnulli, & hoc, quod, si saga, vel veneficus ad ægrum visitandum accedit, statim ille pejus haberi incipit, & horrore, vel tremore corripitur, vel si infans sit, plorat, & alia in corpore mutatio percipitur. Hoc verò certissimum est morbi, à veneficio illati, signum, si acus, cultri, & similia artificiosa, vel alia, quæ in corpore humano generari non possunt, vomitu, vel per alvum ejiciantur, vel ex ulceribus, & vomicis erumpant, aut extrahantur.

Recensent alii, & alia signa, quibus agnoscantur hujusmodi morbi, sed pleraque sunt superstitiosa, inter quæ proculdubio, & illud referendum, quod nonnulli jubent decocto verbenæ, ægrum abluere, & si in decocto illo nihil reperiatur, vel decocti color non mutetur, ægrum non esse veneficio affectum; si verò in decocto magna pilorum copia, & imprimis propriorum, inveniatur, signum esse veneficii, ejusque gravissimi; si verò pauci pili reperiantur, signum esse veneficii, sed mitioris, & quod curationem admittat, existimant. Cum enim vi verbenæ pili illi nec generari in aqua, neque è corpore elici possint, quis non videt, dæmonem, qui morbum intulit, eos, qui superstitionem illam tentant, ludere?

In specie verò coitus impotentiam, & Venerem ablatam, quod attinet, eam à veneficio esse, id certum signum est, si vir antea fat potens, subitò nulla causa naturali præcedente, illam potentiam amittat, & cum uxore, etiam quam amat, rem habere non possit, vel si vir ad alias fœminas potentem sese sentiat, ad uxorem verò propriam impotentem, vel si conjuges, qui antea mutuò sese amarunt, jam sine omni causa sese aversantur, & odio habent.

Curatio porrò, quæ ad morbos à veneficiis inductos adhiberi solet, triplex apud auctores occurrit magica, naturalis, divina. Nos de magica primùm disseremus, postea de aliis. Morbos non solùm veneficiis inductos, sed & alios, verbis, & incantationibus, ac characteribus, & cæremoniis curari, non solùm è litterarum monumentis, sed & vulgò notum est, faciuntque ejus rei mentionem Homerus *Odyss. lib.* 19. ubi è vulnere manantem sanguinem carmine repressum scribit. Plato *lib.* 4. *de Republ.* Plinius *lib.* 28. *cap.* 2. Trallianus *lib.* 4. *cap.* 9. Nicolaus Myrepsus, & alii, quorum sententias collegit Augerius Ferrerius *meth. med. lib.* 2. *cap.* 11. ubi de Homerica curatione agit, & plura talia allegat Delrius *lib.* 6. *magic. cap.* 2. *sect.* 1. *qu.* 1. de quibus alii, & nos alibi.

Morborum autem veneficorum, de quibus hic loquimur, curationem imprimis sagæ, ac veneficæ promittunt, ad quas sæpè vulgi, utinam interdum non etiam eorum, qui plus vulgo sapere debebant, fit concursus, refertque ex malleo maleficarum Codronchius *lib.* 4. *de morb. venef. cap.* 2. extitisse quandam in Germania famosissimam in solvendis maleficiis mulierem, cujus domus non solum ab indigenis, sed etiam remotissimis populis ejus gratia frequentabatur magis quàm apud nonnullos templa, adeò, ut Comes quidam incredibilem quæstum extorserit vectigali imposito, ut quicunque mulierem adiret, denarium solveret. Verùm cura hæc approbanda non est, & verba, characteres, incantationes, adjurationesque nihil ad tales morbos sanandos præstare possunt, sed si eventus respondet, is omnis à Dæmone pendet.

Docuimus enim jam alibi verborum, & Characterum nullam vim esse ad morbos, vel naturales vel veneficos depellendum. Nam verba saltem ex arbitrio hominum rebus imponuntur, & quidem apud nationes diversas diversa, & scribuntur vel in charta, vel ore proferuntur. In Charta scripta saltem figuræ sunt, & propterea nullam efficaciam habent: Verba verò prolata sonus sunt ex aeris fractione ortus, saltem auditum afficiendi, & eorum, qui una lingua utuntur, sensa animi patefaciendi vim habens, ipsos verò morbos, corporisque constitutionem tantùm afficere non potest quantùm non potest color auditum, aut sonus visum.

Eadem ratio Characterum, est, qui cùm res sint artificiales, in corpus humanum, quod naturale est, agendi vim non habent: omnis verò agendi vis substantiis competit, quæ à suis formis potentiam agendi habent, & per qualitates efficaces sunt. Etsi verò nonnulli, cùm negare non possint, vulgarium verborum nullam esse efficaciam, eo confugiunt, ut divinorum verborum esse aliquam vim, & tantam majestatem, ut vel ipsi dæmones eorum potestate fugentur illicò, & contremiscant, contendant, in eo tamen falluntur. Nam nulla verba divina sunt, sed ex arbitrio hominum est, ut rebus divinis imponantur, & quidem alia apud alias nationes, ac proinde nullam qualitatem physicè, vel etiam supernaturaliter operandi habent. Qui verò nominibus respectu rerum divinarum, quas significant, abutuntur, in Deum, & res divinas injurij sunt.

Cæterùm cum Paracelsus ipse etiam agnosceret verba, & Characteres nullam ex se morbos veneficos depellendi habere efficaciam, sed esse symbola, & instrumenmenta dæmonis, nihilominus statuit, licere à dæmone præcipuè in morbis veneficis, auxilium petere. Ità enim *in lib. de occulta philosophia* docet: si quis veneficiis sit læsus, esse fabricandum pedem, vel manum, vel aliud membrum ad formam ejus, quod ægrotat, & dolet, vel etiam imaginem totius corporis, atque illam esse inungendam, atque obligandam, non dolentem hominem. Si homo per incantationem usum sermonis visum, auditum, vel virilitatem amiserit, totius hominis imaginem è cera esse faciendam forti fide, & fixa imaginatione, atque illam imaginem debito modo curandam esse, & mox; Medicus non omnia, quæ scire debet, in Academiis discere potest, sed opus est, ut interdum vetulas, Zigeunos, Nigromanticos, agyrtas, rusticos, senes, & ejusmodi viles homines alios consulat, & ab ijs discat. Plura enim de talibus norunt, quam omnes Academiæ. Item *de morbis invisib. pag.* 113. scribit, Deum magia dæmonem donasse, & valde peritum in luce naturæ posuisse. Hanc autem ipsi eripi posse, artem usurpandam, dæmonem relinquendum esse; Ideoque nos in hoc mundo versari, ut Minor à majori discat. Itidemque scribit: si per Characteres aliquid boni in nobis fiat eodem loco habendos esse eos, ac si plantæ essent, ac etiam-

si diaboli sint, eodem loco id habendum esse, ac si essent pyxides è pharmacopolio, & si Diabolus verbum pro herba sumit, sit, inquit, nobis instar herbæ, verba ejus species, characteres ejus composita, ac sirupi sunt. Docetque eodem in loco, Si Deum toto corde amemus, etiam diabolus nobis offerat argentum, aurum, juvet nos, exhibeat nobis medicamentum, eripiat nos è carcere, credendum esse, hoc jussu Dei fieri.

Verùm magna hæc Paracelsi, & quorundam etiam medicorum, ut Cardani, & Pomponatij impietas. Etenim diabolus infensissimus humani generis hostis, & ab initio homicida est, ac propterea nihil boni, ac nullius morbi curatio ab eo sperari potest: recteque Chrysostomus statuit, potiùs mortem homini Christiano obeundam, quàm vitam hominis ligaturis redimendam, & Leo de passione Domini *serm.* 9. scribit Beneficia dæmonum omnibus sunt nocentiora vulneribus. Neque ullum exemplum à sacris litteris afferri potest, quòd Deus per Dæmones hominibus benefecerit. Sat multæ Angelorum myriades Dei ministerio inserviunt, ut non sit opus diabolo uti ad homines è carcere eripiendos. Per Angelum bonum Petrum è carcere ereptum esse ex Act. Apostolor. *cap.* 12. habetur & homini sanitatem restituendam. Ideoque solum à Deo auxilium petendum, non ab ejus, & humani generis hoste.

Unde etiam cum Rex Ochozias 4. *Reg. cap.* 1. ad Beelzebub, Accaronitarum Idolū, quosdam de valetudine sua consultum ablegasset, Elias Propheta illis obviam factus, ità eos alloquitur. Nunquid, quià non est Deus in Israel, mittis, ut consulatur Beelzebub, Deus Accaron? Idcirco de lecto, supra quem ascendisti, non descendes, sed moriendo morieris. Ac Apostolus 1. *ad Corinth.* 1. vetat, nos fieri socios dæmoniorum, & non sine causa ab antiqua Ecclesia institutum, ut baptizandi renuncient diabolo, & omnibus operibus ejus. Ideo desertor Ecclesiæ Christi, & Castrorum Dei est, atque in Castra diaboli transit, quicunque quocunque modo auxilium à diabolo petit. Deus sat potens est, ut hominem, si velit, sanare possit, auxilio dæmonis nullo modo opus habet: Ejus ergo solius auxilium, etsi à dæmone morbus inductus sit, & remedia vulgò nota non prosint, implorandum, & dicendum Dominus occidit, & vivificat, deducit ad inferos, & reducit, onus imponit, & tamen est salus nostra, ipse invocandus in die tribulationis ipse eripiet nos. Ipse sanat quos, & quando vult, non quos, & quando nos volumus. Mulier illa profluvio sanguinis laborans, demum duodecimo anno sanata est. Ille, qui ad Probaticam piscinam diu claudus iacuerat, demum trigesimo octavo anno sanatus est *Joann.* 5. Imo si Deo non placeat, nos à morbo liberare cum Job *cap.* 13. dicendum, etiamsi occiderit me dominus in ipso sperabo, & cum Davide: Deus meus, adjutor meus, & sperabo in eum, *psalm.* 17.

At *prosequamur*. Alia tam firma, & constans maleficiorum omni ætate fuit opinio sortilegarum, & veneficorum per incantationes, vel alio modo ex experientia credulitas, ut rerum naturalium scrutatores non ausi fuerint ea inficiari; quinimò, & quædam naturalia, alii autem vana, & superstitiosa remedia superstitioni opposuerint, ut superstitione illusæ mentes, contrario remedio ab inducta persuasione, ac læsa imaginatione ad veram revocarentur. Subijciam itaque ex fide dignis autoribus exempla, & traditiones, quæ nec omnia affirmo, neque omninò approbo, sed cuique relinquo liberum Judicium.

Placet in primis recensere quædam remedia, quæ adversus impios ipsos, dæmones sceleris auctores, adhiberi solent, deinceps quæ adversus eorum quoque maleficia. Quæ omnia in supernaturalia, naturalia, & superstitiosa divido: supernaturalia à vi quadam divina procedunt, & à potestate ejus, qui omnia ex arbitrio moderatur. Naturalia autem vim quoque divinam adversus eadem dæmonia habent; sed insitam, & ordinariam, non quidem ex quatuor elementis, eorumque compositione pendentem, sed ex tota, ut dicunt, substantia, & ex proprietate à Deo eis indita. Superstitiosa porro ejusdem improbitatis cum maleficio sunt, & damnata.

Divina remedia præcipua sunt, & ad quæ certiùs, & tutiùs ut dixi recurritur, utpote quòd omnipotens Deus sit dominus omnium creaturarum, & autor, & qui solus potestatem illam dæmonum nequissimam flagellat, vim vult, vel per se, solo imperio, vel per media. Proindè cum dæmonum turba ubique insidias posuerit in Cœlo, in aere, in terris, in aquis, sicut terra, in igne tot enim sunt dæmonum classes, Jamblicus *de Myster. Ægypt.* Psellus *de Dæmonibus*, vel satellitia, Deus optimus, maximusque, tot ibi objecit illis Angelos bonos, qui obsistant illorum conatibus. Quod innuit etiam Orpheus in principio Hymnorum. Cyrillus Hierosol. *Cathech.* 4. docet Angelos utique curare ignorantias nostras, & Daniel *cap.* 10. Angelos bonos pro sibi commissis populis pugnare, ac ità tutelares esse D. Joannes revelatum sibi nobis exhibuit *Apocal. cap.* 12. *can. signum de pænit. d.* 1. cum Michaele principe cælestis exercitus Angelos bonos pugnasse contra Draconem, & administros ejus. Constat, & ex veritatis certissimo testimonio apud D. Matthæum *cap.* 18. singulis hominibus datos esse custodes à nativitate, & consentit etiam Proclus *in com. in Alcibiad.* Platonis. Bonum genium hunc, mala propellentem, malum autem inferentem dixere Euclides, & alij, qualis ille, qui apparuit ante mortem Bruto apud Plutarch. *in ejus vit.* & Appian. & Florum. Testatur David, Deum mandasse Angelis suis ut custodiant hominem in omnibus viis *psal.* 90.

Ut autem boni Angeli tutelares dæmonibus superiores sint, Dei ope fit, dum loco decedere cogunt impios spiritus, vel dum eos cohibent, ut quando Angelus Raphael ligavit spiritum Asmodæum, & expulit à Sara, Thobiæ 3. *n.* 11. Eò pertinet illa parabola à Domino proposita Luc. 1. Venit autem ut dissolveret opera Diaboli *epist. Joann. c.* 5. *initio.* Quod & factum est, ultra sacras litteras, & nobis testimonia aliunde supersunt. Cum enim tempore Tiberii Cæsaris Thamus præternavigaret Insulas Echinades, Italiam versus juxta Paron, tranquillitate ventorum, & maris facta, vox audita, quæ ter vocato ex nomine Thamo, eique respondenti injunxit, ut cum appulisset Palodem alte diceret magnum Pana mortuū. Quod cum fecisset Thamus auditi sunt plurium gemitus, autore Plutarcho *lib. de defect. oracul.* Eusebius *lib. de præcep. Evang. cap.* 9. hoc contigisse ait, dum Dominus noster Jesus-Christus eijceret dæmonia. Marsus vero *in annot. in* 2. *Fastor. Ovidij* decimo nono anno imperij Tiberij Cæsaris, quo Jesus passus est. Neque etiam quisquam ignorat in nomine domini Jesu, dæmonia eijci. Hoc enim inter signa credentium additum est, *Matth.* 7. *Marc.* 16. Hermes apud Lactant. *lib.* 2. *de orig. error. cap.* 16. unicam custodiam adversus has dæmonum imposturas dixit esse rectum vultum Dei. Erant & in principio nascentis Ecclesiæ, exorcistæ, qui energumenos, à Dæmone obsessos, curarent, ac dæmonia pellerent, *can. cleros d.* 11. *can. exorcista d.* 23. *Can. perlectis §. ad exorcistam d.* 25. Plura narrat Lactantius, & dæmones adjuratos per Deum torqueri voce justorum, & mentiri illis non posse, ac sæpè magnis ululatibus confessos, se ita à Deo flagellari. Lactant *d. lib.* 2. *de orig. error. cap.* 16.

Vocarunt antiqui istos hominum, & locorum custodes Deos tutelares, quos priùs expugnabant evocatione, qui locis potiri desiderabant, & ita alliciebant, ut loco decederent, arbitrantes non posse aliter

sibi ji-

subjici loca, nisi evocatis & absentibus tutelaribus, Macrob. *lib. 3. saturnal. cap. 8.* Livius *lib. 5.* Vocant Rabbini hos tutelares Angelos intelligentias, & sic Thalmudici, & Kabalistæ dicunt, Mosem vicisse, & collisisse omnino Intelligentias Ægypti antequam Ægyptios prostraret, & Davidem antequam Goliam vinceret, amovisse Intelligentias illius in virtute nominis Domini dicens, *Ego venio in nomine Domini.* Sicut & Dominus noster Jesus Christus mundum subjugans, prius foras principem mundi ejecit. Et Jacob triumphum acturus super Esau, cui benedictionem urripuerat, priùs Angelum ejus, cum quo conflictatus est, vicit, & coegit se benedicere. Vide Franciscum Venetum *tom. 5. problem. sacræ scripturæ sect. 3. probl. 233* Et verè facilis est victoria Satanæ de nobis, ubi virtutem suam, & administros æternæ vitæ Angelosve tutelares Deus submoverit. Quod graphicè expressit David *Psal. 70.* Naturalia remedia plura sunt, quæ habent quandam cum dæmonibus antipathiam, occultam nobis, neque nisi experientia cognitam. Præter Medica à Medicis relata, perhibent plures, dæmones, qui se extollere voluerunt supra Dei thronum. *Isaia 14.* ita a pristina felicitate depressos, ut & rebus inanimatis subjiciantur in sceleris vindictam. Quamobrem dicunt, maleficium solvi ligationis, si maleficiatus Jovis barbam comedat, quamquam ejus plantæ, temperamentum, quod in tertio gradu frigidum est, magis nocivum sit potestati coeundi. Refert Tobiæ historia *cap. 6.* dæmonem sævissimum qui sponsos Saræ necabat, suffitu jecoris piscis cujusdam, de cujus nomine alibi, carbonibus superpositi abactum, & fugatum. Tibullus *lib. 2. eleg. 5.* Sulphure expelli tradit. Rostrum Lupi veneficiis resistere inveteratum aiunt, ob idque villarum portis præfigunt Plinius *lib. 28. cap. 10.* Amianthus lapis veneficiis resistit omnibus, privatim Magorum *idem lib. 36. cap. 19.* spinea virga videtur annumerari ab Ovidio inter fascinum levantia *lib. 6. Fast.* Dioscorides *lib. 1. cap. 100.* dum agit de rhamno ait: *Fama est ramos hujus valvis, atque fenestris impositos, veneficia depellere.* Amatus Lusitanus *lib. 4. in Dioscorid. enarrat. 157.* dum agit de Thapsia illam herbam usurpatam à mulieribus ad pellendos Dæmones apud Conimbricenses in Lusitania. Idem ait Apuleius de herba Verbasci *lib. de virtut. herb. c. 71.* cujus virgultum, qui secum portaverit, addit, nullo metu terrebitur, neque bestiæ, neque occursus mali molestabunt Euneo, Hesychius Milesius *de vit. Philosoph.* dum agit de Dione, & Blamni, & Lauri meminit in expulsione morbi per maleficia herbam, quam Homerus *Odyss. 6.* vocat Moly valere contra incantationes, testantur Plinius *lib. 4. cap. 25.* Dioscorides, & Anazabeus, verùm qualis illa sit, nec planè constat. Illud quoque remedium Psellus memorat *lib. de dæmon.* & expertum à quodam perito rerum occultarum Armeno. Is enim curavit mulierem quandam à dæmone obsessam, gladio districto, veluti furens minatus eam percussurum, ni se reciperet in lectum, à quo prosiliebat, velut cum illo congressura, Armenicè etiam cum eo contendens, cùm tamen eo in loco Armenica lingua esset incognita, idque tandiu, donec instante & adjurante furiosiùs Armeno pedem in lectum timens retulit. Scribitq; Philostratus *lib. 2. de vit. Apollonii* Lamiæ phantasma apparuisse in monte Caucasi Apollonio Tyanæo, & sociis peragrantibus in Indiam, modo in hanc, modo in aliam figuram se convertens, quandoque ab oculis repente evanescens. Apollonium autem quidnam id esset quamprimum cognovisse, gravibusque, & contumeliosis verbis illud increpasse, & socios, ut idem facerent, hortatum fuisse, eò quòd id contra hujusmodi invasiones optimum sciebat esse medicamentum, ejusque dictis cum socii paruissent, stridens phantasma tanquam Idolum aufugisse. Tradunt, & tactis menstruo sanguine postibus, irritas fieri magorum artes Ludovic. Bunairol: *in enneade muliebri cap. 2.* At quomodo res naturales agant in dæmones posteà dicendum.

Superstitiosa remedia plura opinor, ut, præter magica, illud, de quo meminit Theocriti Interpres *in Idil. morii.* fuisse contra fascinum ter in sinum spuere. Hoc idem Virgilius *in eide.* digitorum nomina quibusdam esse amuleti loco, ait Cœlius Rhodiginus *lib. 17. cap. 12.* Alterius curationis superstitiosæ meminit Ovidius *lib. 6. Fast.* dum agitur de cura Procæ ab strigibus sauciati, adhibita per Granen. in cujus verbis annotare debet Christianus dæmonis sacrificium fieri, & ideò illam speciem depulsionis veneficii impiam esse, & alienam ab homine Dei veri fide initiato. Eò refero, quæ de Stesichoro Lyrico Poeta scripta sunt, qui cum scripsisset Helenæ vituperium, luminibus orbatus fuit, & recepit visum palinodia facta, & encomio Helenæ edito, Hesych. Miles. *in vit. Philos.* eoque pertinent quædam remedia, quæ videntur esse, & non sunt, sed supponuntur à dæmonibus, ut videantur per ea curasse, quale illud, quod refert Paulus Grillandus *de sortileg. qu. 3. n. 27.* oculatus testis, nempe vidisse, se maleficii ligationis coeundi solutionem, qua solutus evomuit, ac per secessum emisit acus, plumas, ferramenta, pilos, sulphur, lapides, sed ementita à dæmone, & falsa, utpotè qui ea cùm reservasset, & liquefacta fuisse, & foras evolasse compererit. Contra Sylvanorum incursum refert D. Augustinus *lib. 6. de Civit. cap. 6.* ex Varrone his verbis remedium: *Mulieri factum post partum tres Deos custodes commemorat adhiberi. Ne Sylvanus per noctem ingrediatur, & vexet, eorumque Custodum significandorum causa tres homines noctu circumire limina domus, & primò limen, securi ferire, posteà pilo, tertiò deverrere scopis, ut his datis culturæ signis, Sylvanus prohibeatur intrare. Quia neque arbores cæduntur, vel putantur sine ferro, neque far conficitur sine pilo, neque fruges coacervantur sine scopis.*

Consultatio LIX.

An liceat media, & instrumenta, quibus sagæ, & venefici ad morbum aliquem inducendum usi sunt inquirere, inventa amovere, comburere, vel quocunque modo abolere, non quidem in contemptum, ac detestationem magicæ superstitionis, ipsiusque dæmonis, sed spe consequendæ sanitatis, & hac intentione, ut dæmon amplius non noceat? Ubi quæstiones de hac re fere omnes diluuntur, omissis tamen nonnullis, quæ à Theologis moralibus discutiuntur, & opinio Delrii variis, ac veris rationibus exploditur.

Difficilis est hæc quæstio, affirmat Delrius *lib. 6. magic. cap. 2. sect. 1. qu. 3.* atque ita, ut scribat, nullum, quod ipse sciat, editis libris negantem sententiam defendisse, præter unum Joannem Hessels, parùm tamen prudenter, ac verè.

Negant verò præter Hessels *in prælect. in 4. sent.* Gulielmus Estius *in 4. Thom. dist. 34. §. 8.* & Bodinus *lib. 3. dæmonom. sagar. c. 3.* & tutiorem; ac veriorem esse statuit.

Rationes hujus negativæ sententiæ satis firmæ sunt. Prima enim, si maleficii suspicio sit, & illius media ignorentur, non nisi per veneficos, & sagas alias patefieri possunt, quæ tamen ipsæ, cum hujus rei notitiam non habeant, de ea, ut à dæmone certiores fiant necesse est. At neque à malefico, neque à dæmone consilium ullum expetere licet.

Secunda; Qui remotis istis signis morbum à malefico inductum cessaturum putat, eo ipso rebus illis vires

nocendi, quas nullas habent, tribuit, & Deo relicto, à quo solo morbi immittuntur à dæmone, & ejus organis opem petit.

Tertia. Qui Sigilla illa tollit spe consequendæ sanitatis, effectum illum, vel à naturali causa, vel à Deo, & bonis Angelis, vel à Dæmone expectat. Atqui certum est, quòd non à naturali causa tunc morbus tollatur, cum signa illa nullas vires, seù nocendi, seù sanandi habeant; neque etiam à Deo, & bonis Angelis, cùm Dei auxilium tunc non imploretur; ergo si effectus, qui speratur, consequitur, necesse est, ut à dæmone proveniat.

At Delrius, qui in contraria sententia defendenda valdè laborat, *ibidem* §. 5. Respondet, esse insufficientem enumerationem partium; sanitatem enim expectari à morali causa, nempe amotione signi, id, quod probatione octava hoc exemplo declarat. Si quis cum hoste foret pactus, ut suspensa de muro flammula candida accurrat, & portam occupet, ac urbe potiatur, & tertius quispiam civium, hoc resciscat, nonne, inquit, tollere licebit hoc signum? Immò meritorium erit, si fecerit, nec proditoribus consenserit.

Verùm quid actiones morales ad morborum curationes? Et simile, quod adducit, nihil ad rem facit. Cum enim hostis, posito signo proditorum auxilium speret, etsi inscio proditore signum amoveat, nihilominus proditor hostem juvare promptus sit, hoc saltem accidit, ut signo amoto de proditoris auxilio incertus sit hostis, & propterea urbem aggredi non ausit. Tale nihil dæmoni, signo amoto, accidere potest. Is enim, si vellet, & Deus permitteret, signo amoto, æquè nocere posset, neque signorum auxilio opus haberet. Et nullius momenti est, quod addit, eum, qui signum removet, idem facere, ac si diceret; signum, quod nocumento inferendo posuisti comminuo, & perdo; non est, quod noceas, ampliùs nocere non teneris. Etenim quæstio est, etsi quis talia ad Dæmonem dicat, an propterea teneatur, & eo modo cogi possit, ut non ampliùs noceat; Quod si faciat, ab homine rogatus id facit, qui tamen peccat, quòd à dæmone sanitatem petit.

Itaque nullius etiam momenti est, quod regerit Delrius, experi sanitatem non à positiva aliqua dæmonis actione, sed à privatione actionis, sivè cessatione. Quod etiam objicit Lessius *de Iust. & Iur. lib. 2. cap. 44. dub. 5. num.* 40. dum scribit, effectum, qui hic expectatur, non esse actionem aliquam positivam dæmonis, sed cessationem, sivè privationem actionis, quem effectum liceat à dæmone expectare.

At primò nec cessationem illam à dæmone petere licet, cum nullo modo dæmoni supplicandum sit, & nihil revera boni à dæmone expectari possit; Neque enim, quod etiam affert Delrius, eodem modo, quo fugam ab obsesso expectamus, eo ipso etiam amotione signi eum cessaturum à nocendo sperare possumus. Nam cùm fugam Dæmonis ab obsesso speramus, eam futuram putamus Dei auxilio, qui præcibus ea de causa imploratur; at ista à nocendo cessatiò non à Deo petitur, sed à dæmonis voluntate speratur. Quod impium est. Et quis certus esse potest ac certo sperare, dæmonem, amoto signo, ampliùs non nociturum? Non enim coactus hoc facit. Ergo si liberè id facit ut honorari & adorari quasi velit, id facit. Et certè dæmon nunquam sponte cessat à nocendo corpori, nisi ut graviùs noceat animæ, cùm sit hostis noster capitalis, qui semper nobis maximè nocere cupit.

Falsum verò est, ne dicam impium, quod hìc responder Delrius, dæmonem desidere signo sublato, non quia per hanc amotionem gravius malum infligit animæ tollentis, sed quia sperat, maleficum in aliam sortem, ut vocat, translaturum, cum novo suo lucro, vel ic plures sibi adjuncturum, videntes eum promissis stare. Omninò enim concedimus, rem ità se se habere. sed indè facile patet, dæmonem non ob signi amotionem desinere nocere, sed quià suum lucrum captat, & plures sibi devincit. Ad quod præstandum cum occasionem præbeat signum amovens, extrà culpam non est.

Deindè falsum est, quòd illa sanatio sit mera cessatio, & privatio actionis v. g. Si quis à Dæmone surdus, vel claudus redditus sit, aut continuis doloribus à malefico torqueatur, illi morbi non tolluntur simplici dæmonis cessatione, cùm aliquid positivum sint; sed si tolli debet à Dæmone, necesse est, ut dæmon agat aliquid, & impedimentum illud positivum tollat. Atque ità illi ægri dæmonis ope sanantur, quod nulli expetendum.

Quarta ratio est. Qui hac spe, ut morbo liberetur, signa illa tollit, miscet se pacto, quod veneficus cum dæmone iniit. Cùm enim dæmon possit etiam sine signis talibus, Deo permittente, hominibus nocere, ut tamen à suis honoretur, certa signa ponit, quibus positis nocere incipit, manentibus nocere pergit, ablatis nocere desinit. Ideoque qui signa illa aufert, non dæmoni nocendi potestatem aufert, sed tacitè ab ejus voluntate expectat nocumenti cessationem, idque ex pacto inter illum, & veneficum inito. Nam cum voluntas dæmonis, ut ampliùs non noceat, hoc modo non possit, perinde est, ac si dicat dæmoni: Pactus es, amoto signo, te à nocendo cessaturum: Nunc igitur, me signum amovente, præsta, quod promisisti, & nocere desine.

Neque alicujus momenti est, quod hic objicit Delrius, dum scribit, non semper esse verum, quod possit dæmon nocere sine signis magicis. Sæpe enim, inquit, immò ordinariè, Deus permittit, illum multa facere per maleficos, & signa malefica, quæ non permittit illum immediatè facere. Unde non est absurdum existimare, quod quando Deus permisit, mediante signo, nocere, non possit dæmon nocere signo destructo. Quia Deus tunc videtur permissionem suam, sic limitasse.

Verùm hoc modo, etsi Deus permissionem suam ad signa illa limitaret, sese pacto, quod est inter dæmonem, & veneficum, immisceret; quod licere impium est. Hoc verò magis consentaneum, dæmonem, postquam à Deo homini alicui nocendi potestatem absolutè impetravit, ut suos sibi devinciat, iis persuadere, si hoc, vel illud signum ponant, hunc effectum sequuturum, cujus tamen autor postea est solus dæmon; signa verò illa ad maleficium nihil præstant.

Quinta est. Licet hoc modo impetretur, ut Dæmon à nocendo cesset, & amotis signis homo à morbo liberetur, tamen id dæmon non eo fine facit, ut homini prosit, cum ejus hostis sit infensissimus, sed ut animæ noceat, ut ex D. Leone suprà annotavimus.

Sexta. Et cum illi ipsi, qui contrariam opinionem defendunt, statuant, non licere, petere à Dæmone, ur cesset vexare maleficio, quia petitio illa est intrinsecè mala, ut potè involvens pactum, & societatem cum Dæmone; etiam non licet per remotionem signorum dæmoniacorum sanitatem sperare: etenim dæmon, vel cogitur hoc modo, vel precibus, & persuasione, quod pactum illud sit efficax ab eo impetratur. Cogi autem non potest. Ergo assentiente dæmone id impetratur. Quod nullo modo licet, cùm, ut Augustinus *lib.* 10. *de civit. cap.* 14. scribit, *unus tantùm Deus colendus sit. Omne quippe, quod præstare hominibus, vel Angeli, vel homines possunt, in unius esse omnipotentis potestate, quisquis diffitetur, insanit.* Et mox *Anima humana adhuc terrenis desideriis infirma, ea ipsa, quæ temporaliter exoptat, bona, inferna, atque terrena, vitæ huic transitoriæ necessaria, & præ illius vitæ sempiternæ beneficiis contemnenda, non tamen, nisi*

ab

ab uno Deo, expectare consuevit, ut ab illius cultu etiam in istorum desiderio non recedat.

Quamquam verò non pauci sint, qui contrarium sentiunt, quæ tamen pro sua opinione afferunt nullius roboris sunt. Primò quidem Doctorum communi auctoritate triumphat Delrius *loc. cit.* §. 2. At novum non est, ut alibi monui, multas opiniones publicè defendi, non quià veræ, sed quià communes, & Gulielmus Estius *cit.* §. 8. & 9. negat, esse sententiam communem, sed saltem Recentiorum sententiam esse statuit, à qua discedere ob rationes sit fas; & quamvis esset sententia communis, tamen sententias communes sæpè corrigi, novum non est. Ideoque ipse contrarium sentit, & antè ipsum Joannes Hessels, Bodinus, & nuper Fridericus Balduinus *in casib. conscient.* alijque non pauci.

Secundò historias aliquot producit Delrius, quibus probat, morbos à maleficis inductos, signis ablatis, cessasse. Verùm non utrum aliquid factum sit, sed an quod factum est, rectè factum sit, attendendum. Aliàs enim non signa solum amovere, sed, & maleficorum opem implorare liceret. Certè nisi Beelzebub in Accaron multos sanasset, Ochozias Rex ejus opem non implorasset. Quod factum tamen Regis Deus per Prophetam Eliam graviter objurgavit. Et saga illa, cujus etiam supra mentionem feci, non sinè causa tam celebris fuit ut dominus vici ob hominum confluxum vectigal ab ijs exigeret.

Tertiò objicitur, quod signi amotio per se non sit mala, neque finis per se malus, morbi putà ablatio. Et proindè putant, licere hoc medio ad talem finem uti. At respondeo, superstitiosum est, & malum, rem ad aliquem finem referre, ad quem neque naturaliter, neque ex Dei institutione ordinata est, & præcipuè ubi in illa re, vel actione aliquid commercii cum Dæmone intercedit, quod omnino hic accidit.

Quartò, licet, inquiunt, declinare à loco, ubi positum est signum, per quod eo anseunte afficiuntur maleficio. Ergo & licet, signum auferre. Verùm respondeo, esse diversitatem. Fuga enim & declinatio loci, in quo hominibus damnum infertur, naturaliter ordinata est ad evitationem mali, in quod quis incideret, si eum locum pertransiret: Signorum autem ablatio naturaliter non est ordinata, ut quis per illam à morbo liberari possit. Immo existimo, siquis firma in Deum fiducia talem locum pertransiret, nihil mali à dæmone passurum, nisi forsan ex singulari suo consilio Deus id dæmoni permitteret.

Quintò aiunt; Deum ipsum præcepisse, ut idola gentium destruantur, & licere ad imitationem Christi, qui venit in hunc mundum, ut destruat opera diaboli *Joan.* 1. *cap.* 3. destruere signa ista, quæ sunt opera diaboli respondeo, omnino id licere facere, sed non spe consequendæ sanitatis. Hæc enim si accedat, longè alius finis est remotionis idolorum, & remotionis talium signorum. Idola enim illa destruebantur ne ampliùs dæmon honoraretur, & hominibus ad idololatriam occasio daretur. Verùm signorum horum, & mediorum magicorum amotione dæmon honoratur, dum ab eo sanitas speratur. Ideoque non licet externa dæmonis opera destruere, ut instituantur interna, superstitio nimirum, & societas cum dæmone & anima hominis; sicut neque peccatum, quod dæmonis opus est, per aliud peccatum destruere licet.

Sextò dicunt, pactum cum dæmone hoc modo rescindi. At hoc negatur. Signa illa saltem ad deludendum & decipiendum veneficas sunt constituta, interim pactum, quod inter eas, & dæmonem intercedit ratum manet. Si verò ad remotionem signi nocere desinat dæmon, non id facit, quòd, remoto signo, pactum rumpatur, sed ut Sagarum, & eorum, qui maleficii signa tollunt, voluntati obsequatur, & à Dei auxilio ad suum auxilium eos avocet.

Septimò, validam, ut putat rationem, affert Delrius, qua probare conatur, in amotione signi, nihil illiciti intercedere, eamque petit ab enumeratione omnium illorum, qui hic reperiuntur, actuum. Actus, inquit, sunt vel interni, animi, vel externi, verbi & operationis. Animi interni actus sunt tres. Primus desiderii, ut sanitas reddatur, & cesset nocere dæmon, & ad hunc finem, ut tollatur conventio malefici, & dæmonis de nocendo. Et quia hoc pactum dependet à signo, cupere proinde ipsum tolli, ac destrui. Secundus actus est opinionis, sive credulitatis humanæ, quod scilicet opinor, seu credo probabiliter cum sublatione signi pactum cessaturum, & cum pacto noxam. Tertius est spes sanitatis & cessationis noxæ. Verbi externus actus est rogare maleficum, ut signum tollat, & nocere per dæmonem desinat. Operis externus actus est, ipsa signa tollere ac abolere. Atque hos omnes actus esse licitos, putat, & probare conatur.

Sel multis modis errat. Etenim desiderare sanitatem suam, & aliorum licitum quidem est, immo & hoc concedo licitum esse, desiderare maleficii cessationem. At de hoc jam quæstio est, à quo sanitas, & illa cessatio speranda, & petenda sit, an à solo Deo, ut is dæmonis opera destruat, an verò etiam à malefico, & signi ablatione? Affirmatur prius, negatur posterius. neque enim illa signa morbum induxerunt, neque, iis ablatis, cogitur dæmon, ut a nocendo cesset, sed ut ipse Delrius in responsione ad argumentum septimum habet, cessat à nocendo, quia sperat, vel maleficum in alium sortem, ut ait, translaturum cum novo suo lucro, vel sic plures sibi devincturum, videntes eum stare promissis, nimirum dum benefacere creditur dæmon, gravius nocet. Atque ita falsum, quod destructio signi sit medium necessarium sanitati recuperandæ. Aliud enim, & magis licitum medium est, Dei auxilium implorare, qui, ut non semper permittit, ut per talia signa homini damnum inferatur, ut supra dictum, ita etiam, signis istis manentibus, homini sanitatem, si vult, reddere potest.

Opinio quoque, nimirum cessaturum maleficium, cessante pacto, & signo amoto, est illicita; quia pugnat cum lege Dei, & primo decalogi præcepto: Non *habebis Deos alienos.* Spes etiam vana est; quia non nititur Dei fiducia, & auxilio, sed dæmonis.

Ex quo etiam patet externos illos actus vitiosos, & illicitos esse. Cùm enim sagæ istæ non per se, sed per dæmonem noceant, non licet ab ipsis petere, ut per dæmonem hominem sanent. Et omnino eò tandem res redit, ut dæmon honoretur, & invocetur. Cùm enim signo amoto, dæmon cogi non possit ne amplius noceat, id sua sponte facit eo fine, ut homines decipiat, & ut ipse Delrius ait, cessat, ut pactum cum Mago servet, & sic eum sibi devinciat, & alios alliciat: Cui rei occasionem præbet, qui putat, signi ablatione se sanitatem recuperare posse. Atque ita qui per remotionem signi morbum amoliri, & pactum rumpere vult, ille potiùs pactum confirmat, cùm velit, ut dæmon id faciat, quod promisit, nimirum, ut, ablato signo, morbum amoveat.

Octavò, utitur Delrius hoc argumento. Si licet; inquit, maleficos de medio tollere, ea spe & fine, ne hominibus amplius noceant per dæmonem, ut ejus viva instrumenta, licet etiam signa malefici, tollere, ne per dæmonem illa ampliùs noceant, ut ejus fictitia instrumenta, non operantia quidem, sed eum ad operandum excitantia. Atque ad hoc argumentum nondum responsum esse, putat.

Verùm facilis est responsio. Est enim hîc longè maxima diversitas. Ut enim sagæ, & maleficæ tollantur, mandatum Dei extat, neque id sine ratione, cùm sint homicidæ. Nam si latrones sua manu homines occidentes occidere licet, cur non liceat & maleficos occidere, qui dæmonis ope hominibus morbos inferunt, immò eos planè interficiunt? Deinde cùm pactum, cum dæmone inierint, & Deo ac hominibus renunciarint, atque eorum hostes se declararint, cur eos occidere non liceat? At de signis istis tollendis nullum Dei præceptum habetur. Ipsa enim signa non interficiunt, neque etiam dæmonem ad nocendum hominibus cogunt, sed ipse sua sponte superstitionibus talibus homines implicat. Et proinde ea quidem destruere licet, sed non spe consequendæ sanitatis. Et propterea siquis à malefico læsus sit, non signa adoriatur, sed ipsum dæmonem. Id, quod nulla alia ratione fieri potest, quàm Dei, & bonorum Angelorum auxilio.

Tandem Codronchius, qui *lib.* 4. *de morb. venef. cap.* 2. affirmativam sententiam sequitur, & eandem se *in lib.* 2. *de Christiana medendi ratione cap.* 3. defendisse scribit, hanc rationem affert, quia veneficia curare, vel abolere non possimus, nisi causas eorum amoveamus, illa scilicet, quibus veneficæ ad infligendos morbos utuntur. Immò vix aliam curandi rationem in hoc veneficii genere putat reperiri.

Sed falsum est, quod illa signa, characteres, imagines, quibus veneficæ ad inducendum morbos utuntur, sint causæ morborum illorum, ut supra satis probatum. Ideoque remotione illorum signorum non removentur morbi, sed dæmon, qui induxit, eos tollit. Neque etiam concedi potest, quod nullus alius detur tales morbos curandi modus. Extant enim remedia naturalia, de quibus idem Codronchius *d. lib.* 4. *cap.* 2. Rulandus senior *centur.* 3. *observ.* 100. Henricus ab Heer *lib. variar. observat.* 13. Crichthoras *lib.* 2. *cap.* 12. & alii. Divina, nempe exorcismi, Dei auxilium seriis precibus implorandum, iisque orandus, ut opera dæmonis destruat, ejusque potentiæ resistat. Si Deus nobiscum, nec dæmon, nec ejus organa quicquam nocere possunt. sed facessant, & confundantur, necesse est. Et licet nullus alius curandi modus daretur, tamen ad dæmonis opem non esset confugiendum.

CONSULTATIO LX.

Mira. Scelera. Fæda. Nefanda de sagis, lamiis, strigibus. De earum corporali translatione. Coitu cum dæmone, & id genus aliis, eruditè, jucundè, horridè.

MIra de iis dicuntur, quæ multis incredibilia sunt, aliis autem dubia, & variè intellecta. Hæ sunt veneficæ absolutissimæ, dæmonum mancipia inusta, & signata, de quibus plura refert Cardanus *lib.* 15. *de variet. rer. cap.* 80. Ipsæ tortæ, coactæ reserare sua infandissima mysteria, sæpè fassæ sunt quædam, quæ vix credibilia sunt, nisi quis, quæ jam de magis infra dicemus, annotaverit, quibus illæ anus maximè decipiuntur, aliosque lædunt, & fallunt. Et in summa in istis impietatis magicæ totius epitome & compendium est, harum similia opera ita constanti testimonio à pluribus, & ab antiquis ætatibus, & in diversis locis inter se Provinciis distantibus firmata, & comprobata, ut non mentibus solùm imponi, sed & arte dæmoniaca ea perfici, dubitare non possim. Dicunt se certis diebus in desertis, hisque certis convenire locis noctu, ex pluribus, diversisque oppidis, & Provinciis utriusque sexus, & ætatis, inibi saltare, jocari, epulari splendidè, concumbere, per invia eò deduci, inebriari, fatigari, dæmonum obsequiis initiari, perniciem humani generis promittere, quàm postea exequantur.

Cæterùm, ut faciliùs explicemus quæ mentes hominum fallunt, & in quibus Judices hallucinantur, adverto, duas esse species sagarum, quæ in impietate quidem, ut serviant dæmoni consentiunt, sed diversæ sunt professionis. Prior species earum est, quæ, relicto Deo, tantùm imaginationibus, & illusionibus adhærent, & pharmaceutria duntaxat utuntur, venenis scilicet. Alia species earum, quæ expressè fidei renunciarunt, apostatæ sunt à Christo, quæque dæmoni se devoverunt. Et hæ mira agunt, & noctu transformantur in figuras alias animalium, canum, upuparum, unde nomen strigum. In cubicula ingrediuntur invisibiles aliquando, rapiunt pueros, suffocant, & strangulant, aliaque impiissima moliuntur, & à dæmone transferuntur. De metamorphosi corporis vi incantationis dicemus & suo loco, sed nominatim adhuc & lamias in figuras alias transferri, vel alias figuras videri habere, quod probè intuentibus, quàm propiùs docetur ex Ovidio, dum de anu Dipse venefica agit, & Horatius de Canidia *Od. fin. Epod.* & Apuleius ait, *lib.* 2. *de asino, & alibi in* 1. magam in mustellam transfiguratam.

Interdum non quidem corpus moveri quidem putant, sed animam aliam figuram, relicto corpore, veluti vagina, suscipere. Et ferunt Hermotini Clazomeni animam, relicto corpore, vagamque, & è longinquo plura renunciare, quæ nisi à præsente nunciari non possent, corpore interim semianimi, donec, cremato eo, inimici ejus, qui Cantharidæ vocabantur, remeanti animæ velut vaginam ademerunt. Aristæi etiam animam visam evolantem ex ore in Proconnesso, corvi specie, nisi ea quoque existimemus exempla fabulosa, ut Plinius de illis *lib.* 7. *cap.* 52. & iterum de Aristæi anima Herodotus *in* 4. & Æsichius Milesius *illustr. peri Sophon.* Refert idem Hesychius *d. lib. in Epimenide*, creditum Epimenidis Cretensis animam corpore solere excedere, cùm vellet, & quandiu luberet, rursusque regredi; mortui quoque pellem litteris, notisque compunctam repertam, famam esse.

At explicemus quæ ii, qui sagas esse non credunt, & ita impunita scelera relinquunt, ratiocinantur. In primis obiiciunt ex Concilio Ancyrano *c.* 24. quod refertur à Gratiano *in can. Episcopi* 26. *qu.* 5. in quo hæ sagarum opiniones ad illusiones tantùm mentis referuntur. *Quædam*, inquit, *mulieres sceleratæ retro post Satanam conversæ, existimant, & profitentur noctu se cum Diana, vel Herodiade equitare super quasdam bestias, & per noctem intempestam multa terrarum spatia peragrare, quæ falsa opinione deceptæ, hæc esse ita credunt, & credendo a recta fide deviant. Ideò Sacerdotes perpetuò prædicare per Ecclesias debent, hæc esse falsa.* Et subjungit hoc ad visiones animi per dæmonem suggestas, & varias figuras, eo suggerente, impressas potiùs adscribendum, quàm ad corporalem translationem transferendum, firmat ex visionibus Ezechielis *cap.* 3. quæ in spiritu, non in corpore contigerunt, & ex D. Paulo 2. *ad Corinth.* 11. qui noluit affirmare, se extra corpus raptum.

Verùm huic Canoni respondent ii, qui ex tortura, & rerum eventu cautiores, & certiores facti sunt, post hoc Concilium veriorem esse detectam sententiam, & ideò istius generis sagis indictam à Conciliis sequentibus gravissimam fuisse pœnam. Dehinc Concilium Ancyranum loquitur de specie altera sagarum, neque ideò negat alias esse posse, quæ corpore quoque à dæmone non deferantur. Nam & hoc nemo dixerit esse impossibile, cùm legamus etiam Domi-

num

num nostrum Jesum Christum assumptum & delatum in sanctam Civitatem à Diabolo, & constitutum supra pinnaculum Templi *Matth. cap.* 4. Scimus & ab Angelo, ac Spiritu Dei per capillum translatum, & portatum Abachuch è Judæa in Chaldæam, ad ferendam escam Danieli, *Daniel. cap.* 14. & rursus momento relatum in patriam. Scimus & baptizato Eunucho D. Philippum ex loco baptismi dati fuisse translatum in Azotum, *Act.* 8. Et varia extant exempla, & testimonia maleficarum, quæ vel intercepto itinere, vel soluta impia, præter earum arbitrium, societate, divino quodam judicio, nudæ inventæ sunt, & in aliena patria, unde pedites revocare illas oportuit, & unde detectæ, ut maleficii reæ, damnatæ sunt. Vide exempla relata apud Paulum Grillandum *de sortil. qu.* 4. *num.* 26. 27. *&* 28.

Atqui sortilegæ, de quibus in Concilio Ancyrano, in multis differunt ab istis lamiis, ac lemuribus, de quibus agimus. Illæ enim ludificatæ à dæmone in mente, non omninò apostatarunt à fide, at istæ omninò, Deo vero ejurato, sese mancipia dæmoni tradiderunt. Dubiæ illæ in fide, ideò hæreticæ, & quæ reconciliari possint Ecclesiæ pœnitentia *cap. firmissime de hæret. can. qui sine servatore* 27. *qu.* 2. Istæ apostatæ, omnino alienæ à fide *cap.* 1. *de apost. in* 6. *cap.* 1. *eodem titulo.* Illæ se tacitè dæmoni devovent, illæ expresso Sacramento ei, quem sciunt, dæmonem esse, Deique adversarium. Illæ nulla conficiunt sortilegia, non responsa petunt, non sacrificant, non baptizant. Istæ contra.

Objicitur secundò *canon nec mirum.* 26. *qu.* 5. ex D. Augustino transcriptus, probans Magorum præstigia aliena esse à veritate. Sed dicimus aliud esse præstigia, quæ præstringunt, & ludificant mentes, & oculos hominum, aliud esse maleficia ut ex jam dictis apparet.

Et quidem non diffiteor, à dæmone aliquando hoc effici per illusionem phantasiæ, & lamias extra domos suas non ferri corpore, sed dæmon eas omni prorsus sensu destituit, & tales species eis imprimit, ut falsò sibi persuadeant, se per aërem volasse, è domo sua egressas fuisse, & in alienas ingressas, vel in delitioso loco cum aliarum similium consortio, omni cum voluptate convivia, tripudia, nefarios concubitus egisse, & gustasse. Hæc autem omnia re ipsa exterius non fiunt, sed dæmon facultati phantasticæ ita eis repræsentat ac si re ipsa fierent, ut per Turrecrem. *in d. can. Episcopi* 26. *qu.* 5. *art.* 2. *ad* 5. Navarr. *cap.* 11. *num.* 38. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 23. *&* 25. & Fagundez *lib.* 1. *in decal. cap.* 41. *num.* 8. Et huic opinioni favent aliquæ experientiæ, quæ referuntur ab Abulense *in cap.* 13. *Genes. qu.* 354. & à Cajetano 2. 2. *qu.* 95. *art.* 3.

Aliquando tamen verè corpore ad loca distantissima à dæmone feruntur, & iterum citissimè in domum propriam reducuntur. Et hæc sententia est communis Theologorum, & Canonistarum, ait Pegna *in direct. com.* 68. Abulensis *in cap.* 4. *Matth. q.* 74. Lessius *lib.* 2. *de just. cap.* 44. *dub.* 3. *num.* 15. Suarez *loco citato*, & alii, quos refert Delrius *lib.* 2. *cap.* 10. *& lib.* 5. *sect.* 16. *num.* 4. *&* 5. Non enim deest dæmoni potestas, ut Deo, permittente, hoc facere possit. Nam sicut Angeli movent orbes cœlestes, ita dæmones movere etiam possunt humana corpora de loco in locum. Omnia enim naturalia ipsis integra manserunt. Et de iis lamiis dicitur etiam experimento cognitum esse, sæpè accidisse in illis Congregationibus, & locis, ad quæ corporaliter à dæmone feruntur, ut nonnullæ fœdis, ac turpissimis actionibus, quibus ibi cum dæmonibus dant operam, deterritæ, facto signo Crucis, vel invocato Christi Jesu nomine, statim conventus ille solvatur, omnes dispareant, dæmones fugiant, & ipsæ, quæ nomen Jesu invocarunt, solæ maneant in eodem loco, ita ut magno labore domum redire cogantur, & interdum ob non servatum pactum nequissimum, severissimè à dæmonibus verberantur. Et ita docent D. Thomas *d. qu.* 95. *art.* 5. ibique Cajetanus, D. Bonaventura 3. *sent. dist.* 19. Abulensis *loco cit.* Sylvester. *v. hæresis* 3. *qu.* 6. Victoria *in relect. de magica qu.* 7. Castrus *lib.* 1. *de just. hæret. punit. cap.* 16. Suarez *ibid.* Carena *p.* 2. *tit.* 12. §. 2. *num.* 5. & quamplures alii apud ipsos.

Idque adeò verum est, ut Lessius *loc. allegat.* existimet, falsam esse, ac Reipublicæ perniciosam opinionem asserentium, dictam translationem non fieri re ipsa corporaliter, sed per illusionem phantasiæ à dæmonibus. Quod pluribus rationibus probat. Et præcipue quia grandis injustitia, & crudelitas esset, sæva morte afficere homines ob meleficia, quæ revera non fecerunt, sed solùm somniarunt, & illusione diabolica sibi visi sunt fecisse. Quamvis huic rationi responderi posset, si res per illusionem interdum fiat, tunc etiam gravissimum peccatum committi, & eodem ferè supplicio dignum, propter pactum cum dæmone, & conatum ad totum illud delictum verè ac realiter præstandum, ut notat Suarez *eo cap.* 16. *num.* 25. *in fine.*

Nec me dimovet ab hac sententia, quod dæmonum tanta non sit potestas, ut possint exequi, quæ se facere istæ lamiæ jactant, nec possint naturas, & constitutiones, ac ordinem cœli turbare, immutare, ac pervertere, grandines ad nutum, & pluvias, ventosque ciere, vel sopire. Solius enim demiurgi, ac summi Opificis Dei hoc est, D. Dionys. *epist. ad Polic.* per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil, Joan. *cap.* 1. Neque potuerunt dæmones vel in porcos intrare propria autoritate, ejecti ex corpore hominis, *Matth.* 8. *Marc.* 5. *& Luc.* 8. Sed & mores non aliunde, quàm ex voluntate, & arbitrio cujusque efformantur, ut mutari ab incantationibus possint, &, ut ait noster Flaccus *Ode* 5. *Epod.*

Venena magnum fas, nefasque, non valent,
Convertere humanam vicem.

Nec corpus corrumpitur, nisi de consensu voluntatis *L. vim passam, & l. si uxor* §. *siquis plane ff. ad leg. leg. Jul. de adult. l.* 1. §. *removet ff. de postul. tota caus.* 32. *qu.* 5. *cum similibus.* Immo neque auxilia conferre posse magicas artes eisdem rationibus comprobari potest, quibus nec nocere ostendimus, nec posse mederi hominibus, aut animalibus aliis. Sed & hæc etiam esse laqueos, ac insidias humani generis hostis, scriptum est, *in can. admoveant* 26. *qu.* 7.

Nam omnia hæc & similia, quæ propemodum infinita in hanc sententiam adferri possunt, verissima quidem sunt per se. Cæterum jam probatum est sententiis plurium, dæmones posse multa vel jussu Dei, vel permissione propter hominum peccata, vel ob illorum probationem, multaque ex cœlestibus, & aëreis impressionibus moveri per dæmonem posse per causas naturales, eisdemque de causis non est, quòd dubitemus, hominum voluntates posse inverti, vel impelli, vel suasionibus dæmoniacis, vel causis, quæ movere possunt, ab illo, vel ejus satellitibus applicitis, quibus nimium molles homines facilè vincuntur, & consensum pessimis jungunt eorum imposturis, & ita voluntas propriè impellitur à dæmone. Illa per seipsam succumbens consentit.

Neque nunc quærimus, an uti remediis sortilegis improbatum sit? Hoc enim palam est, & pœna debita est his utentibus, sed an hæc remedia adferri possint? atque ita posse etiam demonstratum est, quanquam, & præstigiis interdum morbos curare videantur, qui tamen remanent, & sæpè dæmones morbos permis-

sione Dei inferant, quos tollunt, ut maleficii coitus ligant, quos deinde solvunt. Novit & dæmon stirpium & pharmacorum vim, quibus adhibitis possit etiam curare, & impendentia, quæ ille novit, ut medicus ex symptomatibus, mala cognoscens, potest prævidere, sicut & ea, quæ nociva sunt, inferre. Neque etiam prohibentur hæc sortilegia, curantia dæmoniaca, quòd ea non possint curare, sed quia per ea detrahitur Deo, cùm ipsi impostores suæ volunt adscribere gloriæ quæ Deo vero debentur. Et quia summè periculosum est, à manu hostis conjurati, qualis dæmon homini, medicinam & pharmacum capere; nunquam enim salutem hominis procurare poterit is, qui omnia momenta captat, & observat, ut possit eum jugulare ac perdere. Eadem autem ratione, qua possunt morbos inferre magi ac dæmones, & posse curare palam est, vel cum superstitione, vel sine superstitione, & cum rebus, quæ curandi vires habent, adhibitis latenter, vel sublata causa impedimenti sanitatis, quam ipsi norunt, vel imposuerunt, Dei voluntate ac permissione. Interdum tamen & ipsi simulant morbos curare, qui cùm curati verè non sint, tamen ad tempus curatos videri faciunt, adhibitis quibusdam, quibus leniunt dolorem, quem tollere non possunt. Exempla pauca proferam. Adrianus Cæsar, qui divinationibus, & magicis crebrò usus est, quique dicebat, se anima, quæ spontè occubuisset, indigere, eisdem artibus, & incantationibus aquam intercutem, qua laborabat, eduxit, qua tamen rursus, & celeriter repletus fuit. Dio Cass. seu Xiphilin. *ex eo in Adriano.* Voluit & hic videri miraculorum effector, atque multa ideò de ejus miraculis conficta sunt, quale illud, quòd mulier ejus jussu cùm se aqua alicujus fani lavisset, oculos, seu visum recepit. Et quando venit ex Pannonia quidam natus cœcus ad febrientem Adrianum venit, quem cùm contigisset, oculos recepit, & Adrianum febri reliquit, ut narrat Spartianus *in Adriano.* Quæ tamen Marius Maximus per simulationem facta commemorat.

Quò etiam refero, vel ad magiam, quod Xiphilinus ait ex Dione *in Vespasiano*, Vespasianum Cæsarem cœcum hominem, itemque alterum, cui imbecilla manus erat, qui per quietem eum adire jussi fuerant, sanasse, alterius oculis sputo conspersis, & manu alterius conculcata.

Strabo *lib.* 15. *Geograph.* circumvagari per Indiam incantatores ait, qui medicari creduntur, & solam ferè apud illos esse medicinam. Qui modum effugandi dæmones, aut incantationes ediderint, quibus morbi sedarentur, docet Polydorus Virgilius *lib.* 1. *de inventor. rer. cap.* 22.

Cæterùm neque istis Magis, qui remedia jactant, impunitas semper data, quinimò & fuit pœna constituta meritò. Quamvis enim medicamenta, & jocunda per se ac desiderabilia sint, modus tamen per magica curandi displicuit. Audiamus de hac quæstione Hippocratem verè ratiocinantem, dum de sacri morbi per incantationes agit curatione. *Mihi*, inquit, lib. de sacro morbo, *nec ii homines his utentes videntur hunc morbum sacrum esse putare, qui his modis tolli putaverunt, & si quis expiamentis, carminibus, vel excantationibus, vel alia re simili hunc morbum abigit, divina non dicitur hoc ope fecisse, sed humana. Quod homines propterea fingunt, plusquam cæteri, ut scire putentur. Sicque homines decipiunt, castitatem, integritatemque præ se ferentes; plurimus iis sermo de diis est, mihi quidem non de pietate, sicuti rentur, sed de impietate verba facere videntur, deosque nullos putare, nec si sint, quidquam posse, nec prohibere posse, quin summa scelera committantur.* Ammianus Marcellinus scribit lib. 16. *in castris Constantii siquis super obventu soricis, vel occursu mustellæ, vel similis signi causa consuluisset quemquam peritum, vel anile incantamentum quoddam ad leniendum quendam dolorem, quod medicinæ quoque permittit autoritas, reus unde non poterat opinari delatus, raptusque in judicium pœnaliter interibat.* Damnati etiam sunt ab Antonino Caracalla, qui remedia quartanis febribus collo annexa gestarent. Ælius Spartian. *in Anton. Carac.* Et certè postquam improbatæ sunt maleficæ artes, quis negarit & illas pœna esse dignas, quæ similes his sunt, etsi alias tollant. Æquè enim improbato maleficio, veneficium tollitur. Sic Plinius, *Magorum*, inquit lib. 28. cap. 4 *hæc commenta sunt, ut eorum, quo ferramenta sæpè exacuta sunt, subjectam ignari cervicalibus, de veneficio deficientis evocare judicium, ut ipse dicat, quid sibi datum sit, & ubi, & quo tempore; autorem verò non nominare.*

Et quamvis magia ea perperam quibusdam probata videatur, quæ certis bonis finibus concludi existimatur, veluti ea, quæ ad conciliandos homines, vel jucunda quædam exhibet, vel morbis medetur, quia tamen hæc omnia benè non fiunt, ac scelestissima sunt, ideo, quemadmodum alia, sunt reprobata. Ponamus exempla. Fuit Didio Juliano, Imperatori creato contra voluntatem populi, ea dementia, ut per magos pleraque faceret, quibus putaret vel odium populi deliniri, vel militum arma compesci. Nam & quasdam non convenientes Romanis sacris hostias immolavit, & carmina profana incantavit, & ea, quæ ad speculum dicuntur fieri, in quo pueri, præligatis oculis, incantato vertice, respicere dicuntur, Julianus fecit. Ælius Spart. *in Didio Juliano.* Narrat Lampridius *in Diadum. Anton.* obstetrices capere solitas pileum, quo pueri nascentes insigniuntur naturali, & Advocatis credulis vendere; siquidem, inquit, causidici hoc juvari creduntur. Apud Gregorium Turonensem *lib.* 8. *hist. Franc. cap.* 33. mirum sacrilegium legitur his verbis: *Aiebat*, inquit, *Parisianam Urbem quasi consecratam fuisse antiquitus, ut non ibi incendium prævaleret, non serpens, non glis appareret. Nuper autem cùm cuniculi pontis emundarentur, ut cœnum, quo repletus fuerat, auferretur, serpentem, gliremque æreum repererunt, quibus ablatis & glires extra numerum ibidem, & serpentes apparuerunt.* Ferunt Empedoclem, corpus mulieris absque spiritus, & cibi usu, quasi triginta diebus conservasse, & ideò sibi falsò se exanimem mulierem vitæ restituisse, arrogasse, & immortalitatem. Hesych. Miles. *lib. de Philos.*

Sed hæc, quæ vetitis artibus scimus facta, & quæ credulorum mentes decipere possunt, pœnam merentur, atque hos, qui objecta specie finis boni, interim malo, seu magia utuntur, puniendos esse rectè definimus. Non quòd bonum, quod quærunt, malum sit, sed quòd malè illud assequi desiderent, ut bonum quidem est divitias habere, imperare, multa nosse, verùm illicitis artibus, non secus quam fraudibus, sacrilegiis hoc consequi, malum est. Sic Tatius Assyrus orat. contra Græcos: *Quamvis*, inquit, *magicis, & præstigiis quis utatur ad bonum, tamen punibilis est, non secus ac qui cum latrone fuerit, etiamsi latro non sit, ut socius sceleris punitur.* Res quædam per se malæ sunt, quibus quis benè uti non potest, & aliæ quoque eo ipso, quòd sunt prohibitæ, malæ & mortiferæ, qualis erat illa scientia, quam contra prohibitionem Dei primi parentes cognoscere voluerunt, eadem persuasione, qua hodie Magi ab artifice impietatis impelluntur, adducti. *Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum*, Genes. 2. & 3. Nihil potest esse purum, quod ex ore, & arte Satanæ oritur.

Nam si bonum quidpiam sit per se, dum ab eo prodit, polluitur. Quia Lex Dei prohibet ariolos, magos, & hujusmodi incantatores, & impostores, nec ullo modo distinguit fines utentium illis, vel consulentium,

tium, sed artem execratur absolutè, *Deuter.* 18. *Levit.* 20. Et imposturæ solæ dignæ morte sunt. Quemadmodum Isdoberges Rex Persarum Magos addecimavit pœna, quod detexisset in specu eos infodisse vivum hominem sub ara ignis, quo persuaderent Regi, ignem loqui, Nicephor. Cal. *lib.* 14. *hist. Eccles. cap.* 18. Socrates *lib.* 11. *hist. tripart. cap.* 8. Qui observant Paganica superstitiosa, Ægyptiacos dies, qui horas captant ratione ominis boni, & similia, anathemate plectuntur *can. pen.* 26. *qu.* 7. Qui furta detegunt, hoc modo puniri *in cap.* 1. *&* 2. *de sortil.* Et, ut Ulpianus ait: *Qui furem per divinationes dixerit, eum esse, qui non erit, de injuria quidem non tenetur. Id enim nimium mite judicium, sed constitutiones eum tenent, L. item apud Labeonem, § siquis Astrologus ff. de injur.* Et is, qui confugerit ad ariolos, & sortilegos, accusare non potest alium de crimine, *can. quisquis* 2. *q.* 8. & ab Ecclesiastica Congregatione ejicitur, *can. siquis ariolos, can. siquis clericus*, & *can. auguriis* 26. *quæst.* 5.

Claudius Cæsar quendam Romanum Equitem è Vocontiis jussit interfici, quod deprehensus fuisset in lite, quam exercebat, ovum secum detulisse in judicio, quod detulerat à Druidibus, qui antiqua superstitione id consecraverant, ut conducens ad victorias litium, & Regum aditus, Plinius *lib.* 29. *cap.* 3. Hinc Leo Cæsar abrogavit leges Codicis Justinianei, magiam illam quæ salutem, & bonum aliquod procurare videtur non improbantes, *lib.* 4. *C. de malef.* ut alibi annotavimus.

Mirantur, & ideò negant plerique, ut impossibilia, quæ ipsæ referunt, se turbis, conviviis dæmonum, & spectrorum cum aliis interesse, ac lætari, ad organum saltare noctu inibi. Hoc certè & mirabile est, verùm non impossibile, alioquin neganda erunt, quæ fide digni autores narrant de dæmonum saltationibus, & de spectris, & hominum per illos assumptis figuris. Olaus Magnus scribit *lib.* 2. *pop. Septent. cap.* 3. etiamnum hodie in partibus Septentrionalibus, de quibus historiam, non fabulam tradit, spiritus esse, qui se visibiles exhibeant, in Islandia frequentiores, & hominibus inserviunt, eorum jumenta, & animalia ad pastum ducere, ac reducere, nec detegi eorum technas, donec evanescant. Item alios ex spiritibus illis esse dictos græcè *Cobales*, qui imitantur, vel videntur imitari, quæ faciunt homines, cùm tamen nihil faciant. Et alios *Gutales* dictos Germanis, quod videantur esse amici hominum, idem *lib.* 6. *cap.* 10. Vives quoque tradit *lib. de verit. fid. Christ.* in terris Orbis novi nuper detectis spiritus omnibus familiariter apparere, & tam in Civitatibus, quàm extra alloqui homines, eisque jubere, vetare, & terrores incutere. Idemque Olaus *lib.* 3. *cap.* 81. refert, in pluribus locis illarum regionum videri spiritus & spectra saltantia, & chorizantia, potissimùm noctu ad sonitum omnium instrumentorum musicorum, vocarique choream illam vocabulo gentili *Choream Eluarum*, quorum etiam meminit Saxo *in historia Daniæ*, & Pomponius Mela *lib.* 3. *cap.* 10. dum Æthiopiam describit. *Ultra Sinum*, inquit, *mons, qui Deorum vehiculum, qui perpetuis ignibus flagrat, ultra montem virent collis, longo tractu, longis littoribus obductus, unde visuntur patentes magis campi, quam ut prospici possint Ægypanum Satyrorumque.* Hinc opinio ea fidem cepit, quod cùm in his nihil culti sit, nullæ habitantium sedes, nulla vestigia, solitudo in diem vasta, & silentium vastius, nocte crebri ignes micant, & veluti castra latè iacentia ostenduntur, crepant cymbala, & tympana, audiunturque tubæ sonantes. Et idipsum confirmat Plinius *lib.* 5. *cap.* 1.

Habemus hujusmodi dæmoniacorum conventiculorum vestigia in Sacra Scriptura, quando dæmon, præposito aureo vitulo in idololatriam incitavit populum Hebræorum, Mose absente, & coram vitulo cœpit ludere, edere, ac bibere. Quod usque adeo displicuit Mosi ob cultum Dei contaminatum in eo, ut occiderit viginti tria millia hominum *Exod.* 30. & *I. ad Corinth.* 10. Ad cujus vituli similitudinem constructum postea dæmonis impulsu Idolum Moloch, facie vituli, manibus planis ad suscipiendum porrectis, concavum, ubi sacrificia, & pueri dæmoniis immolati concludebantur, & igne supposito comburebantur, circum cantantibus, & psallentibus aliis cum ululatu crebro, & tympanis, ne ejulatus sacrificatorum perciperetur, idque fiebat in valle cujusdam qui dictus erat Heinon; unde locus dictus Geheinon, ut omnia rectè probantur *ex Hieremia* 32. & *Regum historia lib.* 4. *cap.* 23. Vide Munsterum in verbo *Tophet.* Huic etiam idolo dabatur semen ab hominibus, quo in plura abutuntur dæmones. Unde prodiit illa constitutio Dei: *Qui de semine suo dederit Moloch idolo, morte moriatur*, Leuit. 18. & 20. Nisi pro semine intelligamus genitos, seu filios.

Fiebant tempore idololatriæ conventus paganici publicè, & postea prohibiti. Noctu fieri cœperunt reservatis ritibus antiquis à dæmonis arte, & orgiis bacchationibus, seu furoribus, ac mysteriis, quæ proculdubio habebant venereas & impudicas cum cantibus, & tympanis sexuum commixtiones. Bacchi, vel Oenachi sacra secreta & nonnisi sceleris participibus, id est initiatis communicata. Horumque mystica erant fascinus, sive membrum virile, & vannus, de quibus multa Clemens Alexandrinus *in protreptic.* & Euseb. *lib.* 11. *de præpar. Evang.* & illud mirabilius videtur, & tamen non alienum à veritate, quod in illis conventibus, ad quos se deferri dicunt Larvæ istæ, ac sortilegæ, rem se cum dæmone habere perhibent, & se sperma illorum inter coeundum sentire frigidissimum. Item & quod venefici ejusdem conjurationis, & factionis quoque coire cum pulchris mulieribus sibi videantur. Quæ omnia impossibilia videntur, cùm spiritus carnem & ossa non habeant, & incorporei sint. Fateor certè, hæc stupenda esse, sed vicit credulitatem nostram & opinionem contrariam rerum experientia, pernicies, & scelera fœminarum harum, & veneficorum, & astus dæmonis, qui, ut immundus est & pollutus, ita immundis, & cœno, ut sus in volutabulo luti fœtidi valdè oblectatur. Ac ideo effingit sibi aëreum corpus huic perniciei idoneum, non secùs quàm sibi alias personas, quas commodius decipiat, imponit. Colligit & ideo spermata decidua, & huic corpori accommodat. Qua de re vide Consultationem nostram *tom.* 4. D. Augustinus dæmones habere quædam corpora arbitratur *lib.* 8. *de civit. cap.* 15. & *lib. de natur. dæmon. de Genes. ad litter.* Apuleius dæmonum corpora inter terrenam, & & æthercam naturam media esse ait *in Asino*, multoque minùs concreta, quàm nubes, & longè subtiliora, ex purissimo aëre liquido, ac sereno alimento coalita, nihil terrenæ soliditatis habentia, idcirco nec oculis humanis conspicua, nisi illa divinitus sui speciem offerant. Sic Psellus de dæmonibus corpora dæmonum, ex quo ceciderunt è Cœlo, & à propria bonitate, densiora effecta, & patibilia arbitratur. Isque ex quodam Marco tradit, dæmones semen jacere, ex quo perpusilla oriuntur animalia, habereque membra genitalia, sed non qualia homines, & excrementum ex illis manare. Quod tamen non omnibus dæmonum generibus contingat, sed materiæ proximis, aqueis, & terrenis, qui aluntur attracto in spongiæ modum humore.

Et quidem dæmones esse spiritus certum est. Sed hoc spiritus vocabulum non eodem ab omnibus modo intelligitur. Interea convenit non habere spiritus carnem

carnem & ossa, ac nequidem corpora ejusmodi, ut in propria videri queant natura. Sed diu disquisitum, an omni omnino corpore careant, quæ putatur Philonis fuisse sententia; quia *libro de confusione linguarum fol.* 234. *edit. Turnebi*, Angelos vocat, *animarum incorporearum sacratum Chorum*. Ac etiam statuunt Justinus Martyr, sive alius potiùs *quæstionum græcanicarum confutatione ad qu.* 2. Item Nazianzenus *orat.* 2. *de Theologia &* 38. *de natali Christi*, Gregorius Nyssenus *de vita Mosis*, Chrysostomus *orat.* 1. *de provid.* Theodoretus *in Genesin qu.* 30. *& orat.* 3. *contra Græcos*, Cyrillus *in Joannem lib.* 2. *cap.* 10. Ignatius *epist. ad Trallianos*, Athanasius *de natura unita*, Epiphanius *hæres.* 27. Basilius *homil. quod Deus non est autor malorum*, Isidorus *lib.* 1. *sent. cap.* 10. Gregorius Magnus *lib.* 4. *dialog. cap.* 29. Ambrosius *lib.* 7. *in Lucam cap.* 12. Sophronius Archiep. Hierosol. *in encom. de Angel.* Didimus *lib.* 1. *de Spiritu Sancto*, Leo Papa *ep.* 93. *cap.* 6. Augustinus *L. retract. cap.* 11. & *in Psal.* 105. Ut præteream duos Scholasticorum quasi Patres, Dionysium, & Damascenum, ille *cap.* 4. *de divin. nom.* hic *lib.* 2. *fidei cap.* 3.

Sed alii contra censent, nihil esse incorporeum, præter Deum. Quod asserit Gennadius Massiliensis *lib. de dogmat. Christian. cap.* 11. 12. *&* 13. & ex eo inter Augustino tributa, Scriptor libri de spirit. & anim. *cap.* 18. ac apud Bedam *lib.* 1. *de element. Philos.* legas. *Quidam dicunt, quòd corpora sint ita subtilia, quæ sensu percipi non possint; unde respectu corporum nostrorum, quæ spissa sunt, & crassa, spiritus dicuntur. Quemadmodum aër, quamvis corpus sit, tamen propter subtilitatem sui spiritus vocatur.* Quod confirmat B. Gregorius, qui *in moralibus lib.* 2. *cap.* 2. de Angelis loquens, ait: comparatione corporum nostrorum spiritus sunt, sed comparatione illius summi, & incircumscripti spiritus, corpora sunt dicenda. Hoc iterum probant autoritate B. Augustini, qui *Enchiridio* quoddam ponit capitulum, qualia corpora *Angeli habeant.* Sanè hæc sententia, quam Beda proponit nec sequitur tamen, multis & ante eum ac Gennadium placuit, ac multis post eos. Ex vetustioribus inclinat quoque eò Tertullianus *de habit. mul. cap.* 2. & *de vel. virg. cap.* 7. & Justinus Martyr *in priori apol. Methodius scr. de resurr. lib. de carne Christi cap.* 6. *Constat*, inquit, *Angelos carnem propriam non gestasse, utputà naturæ spiritalis, etsi corporis alicujus, sui tamen generis, in carnem autem humanam transfigurabilis ad tempus, ut videri, & congredi cum hominibus possint.* Imò Origenes *in prologo librorum Peri Archon.* clarè iis tribuit corpora, non palpabilia quidem, subtilia tamen, & tenuia instar auræ, cujusmodi quæ sunt ea à simplicioribus, ait, incorporea vocari, quia non videantur, nec urgenti resistant, quomodo nec aër vulgò dicitur corpus. Etiam *lib.* 2. *cap.* 2. solum Deum dicit *Asomaton*, incorporeum. Eusebius Cæsar. *lib.* 5. *de præp. Evang. cap.* 4. Cyprianus *de discip. & hab. Virg.* Clemens Alex. *lib.* 3. *strom.* Itidem Lactantius *lib.* 2. *divin. instit. cap.* 15. Angelos ait, spiritus tenues. Macharius homil. 4. *Unumquodque pro natura sua corpus est, sive sit Angelus, aut anima, aut dæmon. Licet enim hæc corpora tenuia sint, nihilominus in substantia, charactere, & repræsentatione pro subtilitate naturæ suæ corpora sunt subtilia, quemadmodum & corpus istud secundùm substantiam suam corpus est crassum.* Similiter Augustinus *de divinat. dæmon. cap.* 3. & 5. & *Genes. ad litter. lib.* 3. *cap.* 10. *in Enchirid. ad Laurent. cap.* 59. *epist.* 91. *ad Fortun. &* 115. *ad Nebridium, octoginta trium quæstionum* 45. *lib.* 2. *retract. cap.* 26. *de Civit. Dei lib.* 21. *cap.* 10. ubi de hac quæstione sic judicat. *Si quisquam nulla habere corpora dæmones asseverat, non est de hac re aut laborandum operosa inquisitione, aut contentiosa certandum.* Cassianus quoque *collat.* 7. *cap.* 13. ait, *Angelos habere corpus, quo subsistunt, licet tenuius, quam nos*, ac æqualis ejus Claudianus Mamertus similiter sensit *lib.* 3. *de stat. anim.* Imò Joannes Episcopus Thessalonicensis *in Nicena secunda act.* 5. ait, *ita Ecclesiam Catholicam docere.* In quo, etsi ratio eum fugerit, hoc tamen vidit, eam communiorem fuisse apud antiquos opinionem. Nec postea prorsus obsolevit, cùm & idem censeat Elias Cretensis *in apolog. Nazianzeni*, atque etiam Bernardus *in cantic. Ser.* 5. ubi itidem solum Deum, ait, incorporeum. Verùm plures ex his Patribus loquuti sunt secundùm sententiam Platonicam, sicut etiam Augustinus quando constituit Angelos corporeos, aut metaphoricè ex analogia, quam habent Angeli ad corpora, ut Basilius, Damascenus, & Nazianzenus; non enim absolutè dicunt, esse corporeos, sed substantias igneas, aut aëreas. E junioribus mens eadem Augustini Niph. *er.* 3. *de dæmon. cap.* 34. & Cajetani *in cap.* 4. *Genes. & in cap.* 1. *ad Ephes.*

Etsi verò cum nemine contentionis funem duxero, qui Angelis corpora tribuat, laxiùs hac voce accepta, non tamen assentiendum Thalmudistis, qui eos nugantur productos ex sinistro massæ latere, vel Platonicis, qui definire non verentur, corpora iis esse rotunda, ac his æthera, illis aërea, vel alterius elementi.

Asserendum tamen est, Angelos atque adeò etiam dæmones, esse incorporeos, prout incorporeum contradistinguitur à corporeo, & importat substantiam abstractam à materialitate. Est definitum in Concilio Lateranensi, ut habetur *in cap. firmiter de sum. Trin. & fid. Cath.* Nec dici potest, quod spiritualis natura dicatur obiter incorporea secundùm communem opinionem. Quia, ut patet ex modo loquendi, intentio Concilii erat non solùm definire, Deum esse Creatorem rerum omnium, sed etiam determinare de qualitate rerum creatarum, & proponit tanquam dogma, Deum condidisse creaturam spiritualem contradistinctam à corporea, & hanc esse Angelicam.

Et quidem si Angeli essent corporei, forma ipsorum, atque vis operativa esset immersa in materia, nec posset extra ipsam subsistere, neque operari. Unde non possent intelligere, quia intelligere est operatio omnino independens à materia. Est autem de fide, Angelos esse intellectuales: Et in gradu intellectuali sunt perfectiores homine. Ergo debent esse omnino immateriales, alioquin non essent superioris ordinis. Habemusque ex Sacra Scriptura conjungi in Angelis rationem spiritus, & rationem intellectualis. Sunt igitur purè spirituales. Quia ratio intellectualitatis ex natura sua abstrahit à materia. Ergo determinat rationem spiritus ad fundandam intellectualitatem; ita ut sit quid distinctum ab esse, & spiritu corporeo tanquam proportionatum fundamentum intellectualitatis. Cùm igitur sint omnino spiritus, erunt naturæ purè intellectualis.

Ad Joannem Episcopum Thessalonicensem, qui dixit rectè depingi Angelos, quia sunt corporei, & hoc fuit approbatum à Concilio, respondetur, Concilium solùm approbasse, quod debeant depingi Angeli, quia de hoc solùm controvertebatur, non autem approbavit rationem allatam. Quod colligitur ex eo, quia Tarasius Patriarcha proponens hæc approbanda Concilio, corrigens motivum dicti Joannis, dixit: *Ostendit Pater, quod Angelos pingere oporteat, quando circumscribì possunt, & ut homines apparuerunt.* Quare extra controversiam posuimus, etsi humana sæpiùs corpora assumant, minimùm tamen corporeos esse dicendos, quatenus perfectæ sunt substantiæ per se, nec ordinem habent naturalem ad corpus.

Memorant Annales Gallici apud Rosier. *in hist. Franc.*

Franc. anno 1488. apud Attrebates, detectum fuisse Valdensium conventum. Asserebant autem qui ex factione Valdensium essent, hi autem erant hæretici, aliter dicti *Pauperes de Lugduno*, cujuscunque sexus, se transportari invisibili modo arte dæmoniaca in locum eremum, ubi comparebat dæmon quidam forma hominis, cujus tamen faciem non viderent, qui legeret mandata, & quemadmodum orare, & obsequi deberent, & postea jubere postera, & nates suas exosculari, singulis dans pecuniæ eis quippiam modicum, quo facto extinctis facibus, & lumine concubitu sese polluebant, & suam quisque comprimebat, & subinde ad sua revertebatur.

Cæterùm, siquis admiserit corpora habere aliqua dæmones, vel corpora sibi posse, ut phasmata, conjungere, qui negare poterit cum hac confessione perditarum veneficarum posse convenire veritatem, & ita voluptate venerea inescari mulieres istas anus insatiabiles? Scimus in confesso esse apud doctissimos viros, incubos, & succubos esse dæmones, qui ineant mulieres, & qui viris ut mulieres, se subjiciunt. Cùm dæmones revera sint spiritus incorporei quamvis cum Lamiis, aliisque mulieribus commisceri nequeant; & cùm corpore careant, habere non possint sperma, nec generandi cupiditatem, possunt tamen ex aëre corpora sibi assumere, & aptare naturali eorum virtute. Et quòd dæmones in hujusmodi corporibus fiant incubi, & succubi testantur D. Isidorus *lib.* 8. *etymol. in fine*, Beda *lib.* 3. *in Luc. cap.* 31. T. Thomas 1. *p. q.* 51. *art.* 2. & 3. Simanch. *de cathol. instit. tit.* 37. *num.* 5. & D. Augustinus *lib.* 15. *de Civit. cap.* 23. *quos ait, antiqui dixere Faunos, Sylvanos; & Galli Dusios, qui hanc assiduè immunditiem & tentant, & efficiunt.* Et Panas, Faunos pilosos, dici dæmonas incubos consentit Glossa ordinaria sacrorum Bibliorum *in cap.* 13. *Isaiæ* & 34. & D. Thomas *loc. cit.* & *quolibet* 8. & *in dictis cap. Isaiæ.* Existimantque non levis notæ ac eruditionis viri caput sextum Geneseos eò pertinere; quamvis de filiis Seth, & filiabus idololatrarum intelligat D. Augustinus *d. cap.* 23. Athanasius *lib. de divers. q.* 19. & 97. Cyrillus Alexandr. *lib.* 9. *contra Julianum*, Chrysostomus *homil.* 22. *in Genes.* Quod veriùs, dum dicitur, filios Dei, quo nomine intelligunt Angelos, vidisse filias hominum pulchras, & eas sibi conjunxisse, natosque inde Gigantes, Lactantius *lib.* 2. *de orig. error. cap.* 15.

Neque verò errandum tam turpiter, ut dicamus à dæmone generationes fieri, ut quosdam dixisse ab initio, & quosdam homines non Adameos esse? Falsa enim, & conficta sunt ea omnia. Sicuti & quod Mela ait *lib.* 3. *ad finem cap.* 10. circa Athlantidis oras, fœminas esse toto corpore hirsutas, & sine coitu marium sua sponte fœcundas. Neque etiam quod fabulantur Rabbini, dæmones natos ex semine Adami quosdam corporeos; nempe: quòd scribatur in Genesi fuisse Adamum 130. annorum cùm genuit in similitudine sua, innuentes antea genuisse in alia similitudine. Concubuisse enim Adamum cum Naama, uti & Okeret, Lilit, & Mahalath putidè narrant. Quatuor enim has esse dæmonum ex Adamo matres. Quod Lilit dæmon retinuit semen ejus, & genuerit alios dæmones, ut refert Munsterus *in Messia Christiano.* Tantam etiam venustatem fuisse unius Naama prædicant, ut duo Angeli Dei, Aza, & Azaël, ejus forma capti, concubuerint, & ex ea dæmones genuerint, qui *Sedim* appellantur. Legere hoc est *in libro Haozar*: Eoque referunt, quod *Genes.* 6. *v.* 6. dicitur *Viderunt filii Dei filias hominum esse pulchras, & acceperunt ex eis uxores, quas elegissent.* Sed si hæc ad Naama pertineant, fuerit ea diluvii causa, eoque non meruerit virtutis ergo memorari in Scripturis. At sunt ista tam insulsa, ut ea posuisse, sit eadem refutasse. Sed illud non latet, quod Philostratus scribit *lib.* 4. *de vit. Apollonii* de Lamia, seu phasmate dæmonis Menippi cujusdam nuptias ambiente.

Hoc verum. Narrat Sozomenus *lib.* 8. *hist. tripar. cap.* 18. Apelli viro sancto in eremo Ægypti degenti fabro ferrario, cùm noctu accuderet, spiritum dæmona apparuisse in forma mulieris formosæ, ut eum ad luxuriam provocaret. Sed Apellem, accepto è fornace ferro candente in faciem illius insurrexisse, & ita cum spiritum frementem, & flentem cito citiùs ad fugam compulisse.

Inter spectra dæmoniaca nocentiora, *Lamiæ* sunt, *Lemures*, & *Larvæ*, quas antiqui ita distinguunt Ethnici, ut dicant animas exutas corpore, Lemures, D. Augustinus *lib.* 9. *de civit. cap.* 11. Apuleius, & Plato. Ex illis Lemuribus, eum qui posteriorum suorum curam sortiretur, pacato, & quieto nomine domum possidentem, larem orabant familiarem. Eum verò, qui propter adversa vitæ merita, nullis bonis sedibus in terra vagatione puniretur, inane terriculamentum bonis hominibus, malis autem noxium, Larvam plerique dixerunt. Dicuntur & maniæ, Mart. Capel. *lib.* 2. *nupt.* & Lemures. Et esse spectra hæc quoque magica docet Horatius *lib.* 2. *epist.* 2. *ad Julium Florum.* Nos quidem & hos Lemures & Larvas, & terriculamenta, ut veros spiritus impios, ac dæmoniacos admittimus, errore rejecto antiquorum, quo animas malè viventes in hoc corpore in dæmonas hos converti, ut bonas in Lares arbitrabantur, ut Hesiodus, *in Erg.* 8. Plato *in Tnim.* & *Cratyl.* Orpheus, & alii Quod etiam falsum pluribus eruditè, ut solet alia, D. Chrysostomus *homil.* 29. *in cap.* 8. *Matt.* docet, ac D. Augustinus *lib.* 9. *de Civit. cap.* 11. 12. & 13.

Porrò feruntur istæ maleficæ cum impio hoste humanæ naturæ, & more illorum dæmonum, qui dicuntur incubi, de quibus paulò ante, hominibus insidiari & vitæ eorum omnibus modis, persuasumque habere puerorum carnes ad unguenta sua impiissima valde proficere, & iccircò artibus nefandis instructæ, fallæ sant sæpissimè & pueros rapuisse, vel suffocasse mirabili, sed opere dæmoniaco. Quare autem Lamiæ dictæ sint, vide apud Durim *lib.* 2. *Libycor.* Suidam *in Lamia*, & Alciatum *lib.* 8. *parerg. cap.* 22 Quare & striges, leges apud Ovidium *lib.* 6. *fastor.*

Sed pergamus & de aliis præstigiis dæmonum, & magorum dicamus, quibus hominibus nimiùm credulis, & fatuis illudunt, simulantes se operari mirabilia, quæ vel non sunt, vel si sunt, mirabilia scientibus & advertentibus non sunt. Diodorus Siculus *lib.* 4. *biblioth.* Protheum ab Ægyptiis dictum esse Cœteum tradit, Regem Ægypti, tempore belli Trojani peritum syderum, & multarum artium. *De hoc fingitur*, inquit, *solitum mutare se in omnes animantium, stirpiumque formas, quod earum naturas facilè tum astrorum scientia, tum etiam usu & consuetudine Sacerdotum didicerit.* Alii autores de ejus genere diversa senserunt; verumtamen & vatem eum fuisse peritissimum consentiunt, & qui in varias sese converteret figuras, & illum consulentes eludere, ne facilè, nisi coactus, responderet. Sic Homerus de eo Protheo facit marinum Deum *Odyss. lib.* 4. Sic mater Aristæi Cirenes ad Aristæum pergentem ad vaticinium Prothei, dicit Virgilius 4. *Georg.*

Simon Magus quoque & se & alios in diversas animalium figuras convertebat. Imò in aurum, ut alibi diximus. Circe convertebat homines cantionibus, & pharmacis in porcos, & alias feras, ut ait Homerus *lib.* 10. *Odyss.* Plutarchus *in gryllo*, & alii. Ex Arcadibus, qui sorte ducti transnatabant quoddam stagnum, transformabantur in lupos, & cum similibus feris per illius regionis deserta vivebant; & si carne non vescerentur humana, post novem annos,

eodem

eodem renatato stagno, reformabantur in homines, Plinius *lib.* 8. D. Augustinus *lib.* 18. *de Civit. cap.* 17. Scribit Mela *de situ Orbis* de Neuris Scythiæ Europeæ gente, statum singulis tempus esse, quo si velint in lupos, iterumque in eos, qui fuere, mutentur.

Quid sentiat de his D. Augustinus audi. Is postquam transformationes retulit, & hominum incredibiles commutationes, ait *lib.* 18. *de Civit. cap.* 18. Si dixerimus ea non esse credenda, non desunt etiam nunc, qui eiusmodi quædam vel certissima se audivisse, vel etiam expertos asseverent. Nam & nos cùm essemus in Italia, audiebamus talia de quadam regione illarum partium, ubi stabularias mulieres imbutas his malis artibus, in caseo dare solere dicebant, quibus vellent, seu possent, viatoribus, unde in jumenta illicò verterentur, & necessaria quæque portarent, postque perfuncta opera, ad se redirent, nec tamen in eis mentem fieri bestialem, sed rationalem, humanamque servari, sicut Apuleius libris, quos titulo Asini aurei appellat, sibi ipsi accidisse, ut accepto veneno, humano animo permanente, asinus fieret, aut judicavit, aut finxit. Firmissimè tamen credendum est, omnipotentem Deum, omnia posse facere, quæ voluerit, sive vindicando, sive præstando, nec dæmones operari secundùm naturæ suæ potentiam, quia & ipsa Angelica creatura est, licet sit proprio vitio maligna, nisi quod ille permiserit, cujus judicia occulta sunt multa, injusta nulla.

Et statim: Nec sanè dæmones naturas creant, si aliquid tale faciunt, de qualibus factis ista vertitur quæstio, sed specie tenus, quæ à Deo sunt creata commutant, ut videantur esse, quæ non sunt. Non itaque solum animum, sed nec corpus quidem ulla ratione crediderim dæmonum arte, vel potestate in membra, vel lineamenta bestialia veraciter posse converti, sed phantasticum hominis, quod etiam cogitando, sive somniando per rerum innumerabilia genera variatur, & cùm corpus non sit, corporum tamen similes mira celeritate formas capit, sopitis, aut oppressis corporeis hominis sensibus, ad aliorum sensum nescio quo ineffabili modo, figura corporea posse perduci, ita ut corpora ipsa hominum alicubi jaceant viventia quidem, sed multò graviùs, atque vehementiùs, quàm somno suis sensibus obseratis. Phantasticum autem illud, veluti corporatum in alicujus animalis effigie sensibus apparet alienis, talisque etiam sibi homo esse videatur, sicut talis sibi videri posset in somniis, & portare onera. Quæ onera, si vera sunt corpora, portantur à dæmonibus, partim vera onerum corpora, partim jumentorum falsa cernentibus.

Hæc Augustinus, quibus aliud addit exemplum alterius, qui erat pater cujusdam Præstantii, qui narrabat, patrem venenum illud in caseo sumpsisse, jacuisse in lecto, quasi dormientem, qui tamen nullo modo poterat excitari. Post autem dies aliquot, eum evigilasse, dicebat, & quasi somnia enarrasse, quæ passus esset, caballum scilicet factum, annonam inter alia jumenta bajulasse militibus, quæ dicitur retica, quoniam ad retia deportatur. Quod ita, ut narravit, factum fuisse compertum est, quæ tamen ei sua somnia videbantur.

Aliud subiit: Indicavit & alius, se domi suæ per noctem, antequam requiesceret vidisse venientem ad se quendam Philosophum, sibi notissimum, sibique exposuisse nonnulla Platonica, quæ antea rogatus exponere noluisset. Et cùm ab eodem Philosopho quæsitum fuisset, cur in domo ejus fecisset, quod in domo sua facere negaverat. Non feci, inquit, sed me fecisse somniavi, ac per hoc alteri per imaginem phantasticam exhibitum est vigilanti, quod alter vidit in somniis.

Addamus alia superioribus similia. Scribit Luithprandus *lib.* 3. *de rebus per Europam gestis*, Baianum, filium Simeonis Regis Bulgarorum usque adeò didicisse magiam, ut ex homine lupus, & quæcunque alia, ut vellet, fieri posset fera. Et, ut addit Trithemius in chron. monast. Hiosgannensi, se invisibilem præbebat. Is autem, eodem teste, vixit anno Domini 970.

Huc pertinent illæ præstigiæ dæmonum, quibus delusi sunt idololatræ, quando penatum imagines Troja per Æneam delatæ Lavinium, & inde per Ascanium Albam, pristinum per se, ut mentiuntur, lararium repetierunt, Valer. Maxim. *in* 1. Quod dicunt Actium Nævium novacula cotem secuisse, Cicero 1. *de divinat.* Livius *in* 1. serpentem Æsculapio naviganti Romam pro comite adhæsisse. Navim, qua simulachrum matris Phrygiæ vehebatur, nullis viribus trahi, sed tantùm Zonula virginis potuisse. His similia adde, quæ refert Augustinus *lib.* 10. *de civit. cap.* 16.

Magnus præstigiator fuit Xenophon, quem admirabantur, quoniam ignem sponte sua nasci faciebat, Athenæus *lib.* 1. *dipnosoph. cap.* 14. De præstigiis Simonis Magi lege Nicephorum *lib.* 2. *histor. Eccles. cap.* 27. & 36. Epiphanium adversus Simonitas, Augustinum *ser. de Sanctis*, & *homil.* 86. *de jejun.* Sabba, Abdias, Babylon. *lib.* 1. *hist. Apostol.* & Arnobium *lib.* 2. *contra Gentes.* Magi Zaroes, & Arphazat apud Persas in Babylone sub Xerse Rege, tempore, quo inibi fidem Catholicam prædicarent Divi Simon & Judas Apostoli, qui mutos reddebant loquentes, & serpentes producebant, quique victi sunt ab Apostolis in fide Christi, ut fusissimè refert Abdias *lib.* 6. *hist.* Apollonius Tyanæus magus peritissimus, qui cùm eum Domitianus punire vellet, repente in judicio non comparuit, Lactantius *lib.* 5. *de justit. cap.* 3. Aliaque plura stupenda fertur operatus à Philostrato, qui ex professo vitam ejus perscripsit, & ex Hierocle. Erat Craca mulier maga, Thor, & Othinus magi, quorum illa quidem, ut ait Saxo in historia, appositas dapes in aliarum rerum formas commutabat; isti verò divinitatis fastigium, ludificatis idiotarum mentibus, sibi arrogabant. Fuit & Judæus anno Domini 876. *Zedechias* nomine, medicus Imperatoris Ludovici, magiæ peritus, qui videbatur imposturis devorare hominem armatum equitem & currum cum equis, & equisonem, quique alicui pedes, manus, caput præscinderet, & sanguinem fluentem ostenderet in pelvi, postea reviviscentem ostentabat. Visusque hic Judæus in Cœlo, & aëre venari, perinde ac si in terra esset. Scribit hæc Trithemius in cit. chron. Omitto reliqua, quæ de histrionibus feruntur, quæ ludificant mentem interdum arte, interdum manuum agilitate, qui certè, ut noxii, vel ut vanissimi, civitatibus pellendi sunt, ut jussit Carolus V. Imperator in constitutionibus Comitiorum Augustæ *ann.* 1548 *cap.* 26.

CONSULTATIO LXI.

An omnia, quæ à Magis, Sagis, Lamiis, Strigibus facta esse dicuntur, sint vere ab illis gesta? Quid de effectibus Magiæ?

Et quidem non est dubium, quin eorum, quæ de Magis aut dicuntur, aut scribuntur, quamplurima sint conficta. Nam plerique hominum nimis sunt creduli, ac superstitiosi, rebusque admirandis facilè capiuntur, cùm etiam docti viri, ac Philosophi ut ait Aristoteles *lib.* 1. *metaph.* quoniam fabula continet aliquid novum & mirabile, fabula oblectentur. Quis enim non videt, quæ Ovidius narrat

in libris

in libris metamorphoseos omnia ficta esse à Poëtis, cùm ad oblectationem legentium, tum ad mysticam hominum eruditionem adinventa?

Negari tamen non potest multa miratu dignissima verè à Magis esse facta. Nam S. Scriptura *in Exod.* 7. opera Magorum Pharaonis, & 1. *Reg. c.* 28. scribitur de Pythonissa, quæ suscitavit Samuelem, & *Psal.* 57. de venefico incantante aspidem, & *Matth.* 24. *Surgent*, inquit Dominus *pseudoprophetæ, & dabunt signa, & prodigia*, non utique alia arte, quàm magica. Ex historijs item Ecclesiasticis notum est, quæ opera admiranda Simon Magus ediderit magicis incantationibus, quàm ob rem, ut fertur, à Romanis publicam statuam meruit cum hac inscriptione: *Simoni, Deo sancto*, ut narrat Justinus Martyr *in apologet.* Irenæus *lib.* 1. *contra Valentinum*, Tertullianus *in apologet.* & Eusebius *lib.* 2. *hist. Eccles.* Propter quæ prodigia idem Simon tanta in admiratione fuit apud Samaritas, ut quemadmodum Lucas scribit *in Act. Apost. cap.* 8. de illo diceretur *Hæc est virtus Dei, quæ vocatur magna.*

Porrò quæ de strigibus vulgò circumferuntur, non sunt in totum falsa, sed multa illis admiranda accidere, qui ea compererunt viri fide digni, sicut Sylvester *in opere suo de strigibus*, & Alphonsus de Certio *in eo, quod inscripsit de punitione hæreticorum*, non illi quidem, tanquam dubia, sed, tanquam sibi notissima, & exploratissima tradiderunt. Mira sunt, quæ Philostratus *in libris de vita Apollonij* memorat, vel Brachmanas Indorum, vel Gymnosophistas Æthiopum, vel ipsum Appollonium gessisse. Quam ob rem tanto in honore fuit Apollonius apud posteros, ut eum Hierocles cum Christo Domino nostro conferre ausus fuerit; sed ejus audaciam fregit, insaniamq; coarguit Eusebius Cæsariensis *in lib. contra Hieroclem.* Alexander autē Mammeas Imperator Romanorum in suo Larario imagines Christi, Abrahæ, & Apollonii habebat, quòd hos tres maximè omnium miraretur, & coleret.

Verùm, ut dixi, eorum, quæ Magi fecisse dicuntur, quamplurima talia sunt. Quocirca Plinius nullam esse putavit Magiæ vim, atque potestatem, & quæ de Magis feruntur, omnia esse vana, falsaque, totamque Magiam reijcit, & damnat. Nam *libro* 30. *cap.* 2. *Immensum*, inquit, *& indubitatum exemplum est falsæ artis, quam dereliquit Nero. Non enim ad eam discendam Neroni defuit vel ingenium, vel diligentia, vel qualibet facultas; nec studium, cùm ejus discendæ avidissimus esset. Quia etiam ad eum docendam Tyridates, Armenorum Rex, nobilissimos Magos secum ducens, venit ad eum, cœnisque magicis eum initiavit. Sed is regnum quidem à Nerone accepit, Magiam autem, quæ nulla est, docere eum non potuit. Proinde ita persuasum sit, intestabilem, irritam, inanem esse, habentem tamen quasdam veritatis umbras, sed in his veneficas artes pollere, non magicas.* Hæc Plinius: Cui, ut concedimus plurima Magorum esse vana & falsa, ita esse talia omnia non assentimur. Esse autem pleraque Magorum promissa non solum inania & falsa, sed etiam incredibilia & ridicula, demonstrat Plinius *lib.* 26. *cap.* 4. his exemplis Magi aiunt, Æthiopide herba amnes, & stagna siccari, conjectu, tactu, clausa omnia aperiri; Achimenide conjecta in aciem hostium trepidare agmina, ac terga vertere. Latacem dari solitam à Persarum Rege Legatis, ut quocunq; venissent, omnium rerum copia abundarent. Apud Democritum invenitur compositio medicamenti, quo pulchri, bonique & fortunati gignantur liberi. Et *libro* 25. *cap.* 9. Circa herbam, inquit, quam nostri Verbenacam vocant, Magi mirè insaniunt. Hac perunctos impetrare, quæ velint, febres abigere, amicitias cōciliare, nullique non morbo mederi. Lege apud Gellium *lib.* 10. *c.* 12. & apud Plinium *lib.* 28. *c.* 1. quæ fabulantur Magi de Chamaleonte, tradita à Democrito magicæ artis principe, qui quo tempore Hippocrates medicinam, eodem magicas artes in Græcia celebravit, hoc est circa bellum Peloponnesiacum anno post Romam conditam trecentesimo, ut autor est Plinius *lib.* 30. *cap.* 1.

Nonnullos etiam effectus Magorum naturales, ac veros esse, tum ex sacris litteris, tum ex aliis probatis historiis compertum est. Nam opera Magorum Pharahonis vera fuisse, satis indicat Scriptura *cap.* 7. *Exod.* ac ita sentiunt Origenes, & Augustinus. Id quoque declarat Samuel à Pythonissa suscitatus 1. *Reg.* 28. quem fuisse verum Samuelem, licet nonnulli in dubium verterint, tamen autor libri Ecclesiastici *cap.* 46. nos dubitare non sinit. Dæmones item naturali solertia, quæ summa illis est, & scientia cunctarum rerum naturalium, quam propter peccatum non amiserunt, denique longissimi temporis experientia qua pollent, occultas, & admirandas rerum facultates & virtutes, ipsarumque rerum inter se vel sympathiam, vel antipathiam, & quemadmodum invicem applicari, & temperari debeant, quò mirabiles, & inusitatos effectus producant, optimè norunt & per Magos ministros suos præstare possunt. Atque hæc est doctrina Augustini *lib.* 3. *de Trinit. cap.* 7. *&* 8. *in lib. octuagintatrium quæstionum* 79. *& in q.* 22. *in Exodum*, à Christianis philosophis juxta & Theologis recepta, quanquam opera illa, quæ Virgines Vestales egisse, Romanæ historiæ produnt, putat D. Thomas *in quæstionibus de potentia qu.* 6. *ar.* 5. etiam ministerio bonorum Angelorum, Deo sic volente, castitatis virtutem & præstantiam commendare & probare hominibus, fieri potuisse.

Cæterum plurima Magorum opera esse simulata, fallentia oculos spectantium, nudamq; tantùm eorum quæ repræsentant imaginem, non autem veram naturam habentia, multi tradiderunt, & ego facilè credo. Tales fuerunt, si tamen fuerunt, admirandæ metamorphoses, quas à Varrone proditas commemorat Augustinus *lib.* 15. *de civit. cap.* 17. *&* 18. Tale quoque fuit, quod Philostratus *lib.* 4. *cap.* 5. tradidit accidisse Apollonio. Erat enim quædam Lamia, quæ speciem gerens pulchræ mulieris, simulabat se captam amore cujusdam Menippi juvenis formosi, ei velle nubere. Die igitur nuptiis dicato mulier illa convivium apparavit lautissimum, maxima auri, argenti, ornamentorum, omnis generis vini, & dapum copia instructissimum, quò cùm ingressus esset Apollonius, ad eos, qui aderant conversus, inquit: *Tantali hortos videtis, qui sicut Homerus scribit, apparebant esse aliquid, cùm nihil tamen essent. Talem enim esse hunc omnem apparatum existimare debetis. Neque enim quæ apparet materia, ulla subest, sed materiæ dumtaxat simulachrum est, & imago. Hæc autem sponsa, una est è numero Lamiarum, quas aliqui Larvas, aliqui Lemures appellant: sunt autem ad amorem, & Venerem pronæ, & humanas carnes vehementer expetunt, venereorum cupidine allicientes eos, quos cupiunt postea devorare.* Atque, his dictis, totus ille apparatus ex oculis omnium evanuit, & illa mulier Lamiam esse confessa est.

Non sunt admodum dissimilia quæ *can. Episcopi* 26. *q.* 5. de nonnullis strigibus narrantur, quas dæmones, delusa earum imaginatione, credere faciebant, longa terrarum spatia per aëra equitando conficere, & cum Diana, & Herodiade in amœnissimis locis iucundissimè epulari, & ludere, cùm neque verè transferrentur, neq; personis quibus credebant, adessent, sed tantum imaginationum ludificatione. De quo tamen supra fusiùs.

Probatur rationibus. Magi enim promittunt se ex lapidibus, vel lignis Leones, vel lupos subitò producere posse, & nonnunquam in spectaculis ex terra faciunt subitò existere leones, vel lupos. Constat autem ejusmodi animalia perfecta citra supernaturalē Dei potentiam nulla ratione gigni posse, nisi ex semine, nec ad justam magnitudinem, nisi statis temporum intervallis pervenire posse. Dicuntur etiam mortui à Magis revocati ad vitam, sicut traditum est de puella illa, quam Apollonius reviviscere fecit. Non posse autem Magos verè mortuos ad vitam revocare, ita concluditur. Si animus hominis est mortalis, non potest semel extinctus idem numero reviviscere. Sin autem est, uti verè est, immortalis, non potest ullis hominum, vel dæmonum artificiis, vel ullis naturalium agentiū viribus rursus ad corpus suum animandum, vivificandumque revocari. Nam cùm sit immortalis, & incorporeus, & supra omnis naturæ corporeæ facultates, nec ullius rei creatæ potestati su-

ſubjacet. Neceſſe eſt igitur, reſurrectiones mortuorum, quæ à Magis factæ narrantur, vel eſſe fabuloſas, vel fuiſſe ſimulatas, & tantùm in ſpeciem factas.

Consultatio LXII.

De Magia univerſim ſumpta. De magia naturali, ſeu phyſica, de Artificiali, ſingulisque ejus partibus. An dentur: quid illæ ſint. Quotuplices? Earum mira.

MAgia univerſim ſumpta definiri poteſt, Ars, ſive facultas vi creata, & non ſupernaturali quædam mira, & inſolita efficiens, quorum ratio ſenſum, & communem hominum captum ſuperat. Magiæ ſic latè ſumptæ diviſio peti poteſt ex cauſis tam efficienti, quam finali. Ab efficiente ducitur diviſio in naturalem, artificioſam, ſive humanam, & dæmoniacam. Quia cuncti effectus ejus adſcribendi ſunt vel inſitæ rebus naturæ, vel humanæ induſtriæ, vel dæmonis malitiæ. A finali cauſa recte dividitur primò in bonam, ſi bona intentione, & licitis mediis procedat, & in malam, cujus nempe finis, vel media, quibus utitur ſunt prava, finique acquirendo omnino improportionata. Et hæc peculiaris eſt Magia prohibita, quam idololatriam tacitam, & ſuperſtitionis ſpeciem, falſi videlicet cultus, ad diſtinctionem ſuperſtitionis indebiti cultus, Theologi communiter appellant

Prohibita Magia proinde definiri ſolet. Ars, ſive facultas, qua vi pacti cum dæmone initi mira quædam & communem hominum captum excedentia efficiuntur. Dicitur *vi pacti*, quoniam omnis Magiæ hujus vis pacto tacito, vel expreſſo cum dæmone ſemper nititur. Tacita etiam vocatur idololatria, quia ex vi talis pacti, ut plurimùm non tam intendunt Magi, cultum exhibere dæmoni, vel creaturæ, ut Deo, quàm ut benefactori cuidam munifico, à quo aliquid conſequantur. Quæ intentio ratione multiplicis objecti, licet innumeras quaſi ſpecies hujus tacitæ idololatriæ, ſeu prohibitæ Magiæ gignere poſſet, ad quatuor tamen principales ſolet reduci, Magiaque proba dividi in Magiam ſpecialem, divinationem, maleficium, & vanam obſervationem. Fit enim aliquando, ut extraordinarij duntaxat & miri effectus cognitio, vel operatio quæratur, & tunc ſibi nomen *Magiæ ſpecialis* vindicat. Aliquando fit, ut quis nitatur cognoſcere res futuras, vel etiam præteritas aut præſentes, vel occultas, & arcanas, & conatus iſte *divinatio* vocatur. Aliquando deſiderat inſtrui, & iuvari, non ut proſit ſed ut noceat aliis, vel ultionem ſumat, huic ſceleri *maleficium* eſt nomen. Sunt denique aliquando, quibus decretum eſt ſine noxa, vel damno cæterorum, ſibi, vel aliis hoc opere prodeſſe utilitate, vel voluptate, & hoc Theologi vocant *nugatoriam*, ſive *vanam obſervationem*. Magia porrò *generaliter* ſumpta dupliciter dividi poteſt. Altera enim eſt naturalis, altera non naturalis. *Naturalis* eſt quædam accuratior arcanorum naturæ cognitio, qua cœlorum, ac ſiderum curſu, & influxu, ſympathiis, atque antipathiis rerum ſingularum obſervatis, ſuo tempore, loco, & modo, res rebus applicantur, & mirifica quædam hoc pacto perficiuntur, quæ cauſarum ignaris præſtigioſa, vel miraculoſa videntur.

Magia autem *non naturalis* dicitur, quæ etiam mira efficit, veruntamen non utens viribus agentium naturalium, ſed ſola dæmonum opera & ope.

Naturalis autem Magia rurſum triplex tradi poteſt. Alia enim dici poteſt humana, quia humano ſtudio ac diligentia comparatur. Altera divina, quæ per revelationem vel à Deo, vel ab Angelis bonis percipitur. Tertia dæmoniaca, quam dæmones tradunt ijs hominibus, qui ſe illis impia ſocietate ac fœdere devinxerunt. Eſſe autem Magiam quandam naturalem, quæ eſt ſecretior quædam, & abſtruſior ſapientiæ pars, & quæ occulta quadam cognitione & uſu quarundam rerum naturalium mira perficit, nullo modo viris doctis dubitandum eſt. Quis enim neſcit eſſe multas virtutes rerum naturalium occultas, mirabilium rerum effectrices, quas ſi quis bene noſſet, & ad uſum accommodare ſciret, haud dubiè mira poſſet efficere: *Multa ſunt naturæ miracula incomperta adhuc rationis*, & ut Plinij verbis utar, *in naturæ majeſtate penitus abdita*. Hæc ſiquis hominum illis rebus naturalibus occultè utens faceret, Magus vulgò diceretur, & nonniſi auxilio dæmonum talia facere crederetur, cùm tamen opera illa eſſent naturalia, & naturaliter à cauſis naturalibus profecta.

De miraculis Naturæ integrum librum ſcripſit Ariſtoteles, qui inſcribitur de Admirandis auditionibus, quanquam eum nonnulli adſcribant Theophraſto Plinius cum aliis libris multa, tum plurima *libro 2. naturalis hiſtoriæ* prodidit, & Proclus *in lib. de ſacrificio & Magia*, & D. Auguſtinus *lib. 21. de civit. cap. 4. & 5.* Albertus Magnus *lib. 2. mineral. tract. 2. cap. 1. 11. & 17.* Fracaſtorius *in lib. de ſympathia*, Ficinus *lib. 4. Theologiæ Platonis cap. 1.* multaque ejus generis ſparſa leguntur in libris Hieronymi Cardani *de ſubtilitate, & de varietate rerum*, in libro Joannis Baptiſtæ à Porta *de Magia*, in libro Jacobi Vuicheri *de ſecretis*, & in quibuſdam aliis recentioribus. Horum hic nonnulla ex Plinio recenſebo *lib. 2. cap. 96.* Juxta Harpaſa opidum Aſiæ cautes ſtat horrenda uno digito mobilis, eadem, ſi toto corpore impellatur, reſiſtens. Duo ſunt montes juxta flumen Indum, alteri natura eſt, ut ferrum omne trahat, alteri ut reſpuat. Itaque ſit ſint clavi in calceamento in altero avelli non poſſe, in altero ſiſti.

Et *cap. 105. ejuſdem libri.* Hæc eſt natura naphtæ circa Babyloniam profluens bituminis liquidi modo, ut in eam undecunque viſum protinus tranſiliat ignis. Ita ferunt a Medea pellicem crematam, poſtquam ſacrificatura ad aras acceſſerat corona igne rapta. Et *cap. 107*, In Nymphæo exit è petra flamma, quæ pluviis accenditur. Et *cap. 10?* In Dodone Jovis fons, cum ſit gelidus, & immerſas faces extinguat, ſi extinctæ admoveantur, accendit. In Illyriis ſupra fontem frigidum expanſæ veſtes accenduntur.

Idem Plinius *l. ult. cap. 4.* Adamas, ſic græcè dictus, quòd nec ferro, nec igne dometur, hircino tamen rumpitur ſanguine, & cum magnete lapide in tantum diſſidet, ut juxta poſitus ferrum non patiatur abſtrahi, aut ſi admotus magnes apprehenderit, rapiat, atque auferat. Verùm nihil eſſet mirabilius magnete, ſi vis ejus non adeo nobis eſſet nota & explorata. Nam rationem cur ferrum ad ſe trahat & acum nauticam ſua vi tactam eatenus agitet, quoad illa directò ſeptentriones ſpectet, quis nobilium philoſophorum non diligentiſſime inveſtigavit? Quis autem adhuc comperit, aut ſatis explicavit?

Sed omnia excedit miracula Echeneis piſciculus, quem Latini vocant Remoram, cujus meminit Ariſtoteles *lib. 2. de hiſtor. animal. cap. 14.* At Plinius *lid. 32. cap. 11.* non ſolùm ab antiquis de eo prodita, ſed etiam ſibi ſuique temporis hominibus plane cognita & explorata tradens, ſic ait: Eum ſemipedalem eſſe, limaci magnæ ſimilem, adhærentemque navigiis, licet ea ſint ingentia, curſuque incitatiſſimo ferantur, eorum tamen ita frænare impetum, ut ſtare cogat, non labore ullo, nec renitendo, nec aliter quàm adhærendo. Fertur Actiaco bello tenuiſſe Prætoriam navim Antonij properantis circumire, & exhortari ſuos, donec iret in aliam. Ideoque Cæſariana claſſis impetu majore protinus venit. Tenuit etiam ejus memoria Caii Principis ab Aſtura Antium remigantis quinqueremem quadringentorum remigum viribus propulſam, ejuſque adhærens gubernaculo; feruntque Cæſarem peculiariter miratum quomodo adhærens tenuiſſet, nec idem polleret in navigium receptus. Hactenus ex Plinio.

Nec modò quæ ratione carent, ſed etiam homines mira edere, & non cernentibus incredibilia, cùm alij teſtati ſunt, tum D. Auguſtinus, multis, certiſq; ejus rei poſitis exemplis. Novimus, inquit *lib. 14. civit. cap. 24.* hominum quorundam naturas multum cæteris diſpares, & ipſa raritate mirabiles, quædam, ut volunt de corpore ſuo facientium, quæ alij nullo modo poſſunt & audita vix credunt. Sunt enim qui aures moveant, vel ſingulas, vel ambas ſimul. Sunt qui totam

cæſariem

Cæsariem, capite immoto quantum capilli occupant deponunt ad frontem, revocantque cùm volunt. Sunt qui eorum, quæ devoraverunt, incredibiliter plurima & varia, paululùm præcordiis contrectatis, quod placuerit, integerrimum proferunt. Nonnulli ab imo sine pædore ullo ita numerosos pro arbitrio sonitus edant, ut ex illa etiam parte cantare videantur. Ipse sum expertus sudare hominem solere cum vellet. Notum est, quosdam flere, cùm volunt, atque ubertim lacrymas fundere. Presbyter fuit quidam nomine Restitutus in parœcia Calamensis Ecclesiæ, qui quando ei placebat ita se auferebat à sensibus, & jacebat simillimus mortuo, ut non solùm vellicantes, & pungentes minimè sentiret, sed aliquando etiam igne ureretur admoto sine ullo doloris sensu, nec in eo ullus inveniebatur anhelitus.

Jam verò sphæram illam, quam tradit Cicero *lib. 1. Tusculanarum disputationum & lib. 2. de nat. Deor.* ab Archimede primum, ac deinde à Possidonio factam, omnes cœlestium Orbium conversiones suis motibus clarissimè, perfectissimeq; repræsentantem, quis humanum, ac non potiùs divinum, aut dæmoniacum inventum, & opus credidisset? Huc etiam referri potest, quod Albertus *cap. 3. lib. sui de motib. animal.* commemorat, duos in Germania natos esse pueros, quorum altero juxta domorum ostia incedente, omnia ostia versus latus sinistrum illius aperiebantur, tametsi clausa essent. Idemque contingebat alteri puero illius fratri versus latus ejus dextrum. Et hoc, dicit, vidisse multos, negatque id referri posse aliò, quam in proprietatem occultam, quæ utrique in eorum ortu indita esset à cœlo, quanquam ego vereor, ne illud non fuerit verum, aut si fuit, non puto id naturaliter sine interventu, & opera dæmonum fieri potuisse.

Si igitur tam mira sunt naturæ opera, cur non sapiens reconditiori naturalium rerum recognitione, usuque præditus, similia facere posset? Atque hæc est Magia naturalis. Tales erant apud Persas Magi, ait Philo *in libro, quòd omnis probus sit liber*, naturæ scrutatores, præ veritatis cognoscendæ studio, qui per otium divinas virtutes contemplantur clariùs, & alios ... initiant mysteriis. Et *in lib. de special. legib.* Veram, inquit, Magiam, hoc est, perspectivam scientiam per quam naturæ opera cernuntur clariùs, ut honestam, expetendamque non plebeij solùm testantur, sed etiam Reges Regum maximi, præsertim Persici, tam curiosi harum artium, ut regnare non liceat, nisi familiariter cum Magis versato. Divus Hieronymus exponens secundum Danielis caput, *Magi*, inquit, *sunt, qui de singulis philosophantur, nec malefici sunt, sed philosophi Chaldæorum, & ad artis hujus scientiam Reges quoque & Principes ejusdem gentis omnia faciunt.* Unde & Magi in Salvatoris nostri nativitate primi ortum ejus intellexerunt.

Hujus artis excellenti peritia censet Philostratus Apollonium Tyanæum mira, quæ de eo narrantur, effecisse; idemque sensit de illo Justinus Martyr *in quæst. ad orthodox. qu.* 24. ita scribens: *Apollonius, ut vir naturalium potentiarum, & dissensionum, atque consensionum earum peritus, ex hac scientia mira faciebat, non autoritate divina. Hanc ob rem in omnibus induit assumptione idonearum materiarum, quæ eum adjuvarent ad id perficiendum, quod efficiebatur. Et Apollonij quidem opera quoniam facta sunt ex scientia rerum naturalium ad corporalem actionem hominum, non evertit Deus.* sic ibi Justinus.

Magiæ naturalis fiducia ausus est Archimedes ad mirandum illud theorema ponere: *Quantumlibet onus quibuslibet viribus movere.* Nec posuit modò, sed & apertissimè demonstravit. Et quia id Regi Hieroni incredibile videbatur, speculationem illã ad praxim traduxit. Ingentem navem onerariam, quam ingens hominum turba, vix maximo labore movere poterat, hominibus multis, ponderibusque impositis procul assidens, quieta impellens manu, vi quadam multifidæ machinæ, tranquillo quasi mari prolaberetur, ad se adduxit. Cùmque Marcellus maximo exercitu terra, marique Syracusas obsideret, Archimedes ad Urbis propugnationem mirabiles, terribilesque omnis generis machinas, telaque hujus magiæ naturalis scientia adinvenit, quibus tantas hostium strages passim edebat, ut Romani incredibili admiratione, terroreque perculsi, dicerent se non contra homines, sed contra Deos pugnare.

Quid dicam de stupendo illo Architæ Pythagorici commento: à quo plerique Græcorum tradunt, & apud Gellium *lib. 10. cap. 12.* Phavorinus procerto confirmat, simulachrum columbæ è ligno ratione quadam mechanica factum, volasse, ita erat scilicet libramentis suspensum, & aura spiritus inclusa, atque occulta concitum. Hac etiam arte ferunt, Albertum Magnum caput æneum, quod maxima spectantium admiratione loqueretur, fabricasse. Severinum etiam Boëtium in epistola quadam, sive à Cassiodoro, sive à Theodorico ad eum scripta, dicitur hujus artis vi, miracula fecisse, hoc est, ut metalla mugirent, æneus anguis sibilaret, aves simulatæ dulcissimè canerent, homines ærei in aëre buccinarentur.

Verùm de his satis, illudque ratum, firmumque sit, esse quandam Magiam naturalem, quam qui tenent, paucissimi autem bene tenent, possunt mira facere, quæ rude vulgus putat opera & auxilio dæmonum fieri. Tum quia opera illa sunt inusitata. Tum quod secreta quadam ratione, & aliis occulta fiunt. Quamobrem plerique putant ejusmodi homines habere consortium cum dæmonibus, & non nisi eorum ope illa præstare. Talem de se fuisse hominum opinionem *quodam loco* scribit Galenus; & Boëtius *lib. 1. de consol. pros.* 4. queritur se propter reconditioris philosophiæ cognitionem, & quarundam rerum mirabilium effectionem, tanquam magicis, & maleficis artibus imbutum, fuisse accusatum, & damnatum.

Naturalis hujus magiæ cognitionem unà cum cœteris scientiis protoparenti Adamo fuisse infusam minime dubitandum. Hujus etiam non humano studio partæ, sed à Deo, vel Angelis bonis acceptæ manifestum est argumentum perfectissima rerum omnium naturalium scientia divinitus infusa Salomoni, per quam verisimile est, eum mira effecisse, aut certe, si voluisset, facere potuisset. Josephus certè *lib. 8. de Judaicis antiquit.* ait, Salomonem instituisse occulta quædam remedia ad pellendos morbos, & fugandos dæmones. *Incantationes*, inquit, *composuit, quibus morbi pelluntur, & conjurationum modos reliquit scriptos, quibus ita fugantur dæmones, ut deinceps nunquam reverti audeant, atque id sanationis genus etiam suo tempore apud Judæos in usu esse, & se vidisse Eleazarum Judæum, præsente Vespasiano, aliisque Principibus, multos à dæmonibus vexatos hac ratione liberasse. Modus curationis erat hic:* admoto *naribus dæmoniaci annulo, sub cujus sigillo inclusa erat species cujusdam radicis à Salomone indicatæ ad ejus olfactum, per nasum contrahebatur dæmon, & collapso mox homine, adjurabatur dæmon, ne ampliùs rediret, Salomonis mentione facta, & incantationibus ejus recitatis. Discessus autem dæmonis ab homine illud erat indicium, quod jussu Eleazari egrediens, vas plenum aqua, dispositum, invisibiliter evertebatur.* Ita Josephus.

At profectò illa ratio ejiciendi dæmonem non ex Magia naturali, sed ex superstitiosa, & dæmonis artificio composita proficiscebatur, nec eam credibile est institutam esse à Salomone, nisi fortè post quam is Dei gratiam perdidit, in cultum idololatriæ prolapsus. Juvenis etiam Tobias mirabilem vim ejus piscis, quem in Tigri cœperat, Angelo Raphaele docente, cognovit. Nam sic Tobiæ dixit Raphael, ut legitur *cap. 7. illius libri. Cordis ejus particulam si super carbones ponas, fumus ejus exfricat omne genus dæmoniorum, sive à viro, sive à muliere, ita ut ultra non accedat ad eos. Fel autem ejus valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur* quam vim Callyonimo pisci tribuunt cum Galeno *lib. 1. simplic.* Plinius, Ælianus,

& alij. Simili remedio piscis Gregorius Turonensis Episcopus, cùm puer esset, divinitus admonitus, patrem suum à gravissimo morbo liberavit.

Nonnunquam etiam Magiam naturalem discunt homines à dæmonibus. Sic enim Magos Pharaonis eam didicisse, certum est. Imò fere qui hanc Magiam tenent, cùm sint homines minimè probi, ac philosophiæ, aliarunque liberalium doctrinarum rudes, & imperiti, non dubium est, quin vel ipsi eam artem à demonibus didicerint, vel ab iis, quibus eam dæmones tradiderint. Vix enim ulli mortalium, aut certe paucissimis, nec nisi ijs, qui accerimo fuerint ingenio, & longinqui temporis diligenti observatione usi, talis Magia naturalis contingere potest.

Diximus, naturalem Magiam dividi in operatricem, & divinatricem. Hæc in abditis, & futuris conjectandis versatur. Illa miros effectus producit. Loquendo jam de Magia naturali operatrice, ad magicos illius effectus cœli aspectum, & influxum plurimum valere, & conferre putant aliqui. Quæcunque enim per characteres, figuras, ac numeros ipsi perficiunt, ea produci volunt à virtute ijs figuris communicata ab aliis figuris sublimioribus ex sympathia quadam naturali rerum inter se similium, quatenus hæ figuræ ad amussim invicem coaptantur.

Nihilominus tamen Theologi cum D. Thoma 2. 2. *qu.* 96 *ar.* 2. *& lib.* 4. *contra Gentes*, alijque plures tam Jurisconsulti, quàm periti medici existimant, errorem esse in fide, ac philosophia naturali, veraque astronomia asserere, quod imagines ex metallo, vel cera, vel alia quacunque materia ad certas constellationes fabricatæ, vel certo charactere, aut figura efformatæ, aut etiam baptizatæ, exorcisatæ, consecratæ, vel potius execratæ secundùm artem, & sub certis diebus habeant virtutes mirabiles, quę in superstitiosis aliquorum libris recitantur. De quibus consule Pererium *lib. de divina Astrologia*, Codronchium *lib.* 2. *de morb. venef.* Ananiam *lib.* 4. *de nat. dæmon.* Sybillanum *in peregrinis quæstionibus*, ac Delrium *lib.* 1. *magic.*

Alij volunt, effectus Magicos hujusmodi, miraculis similes, oriri posse ex naturali hominis constitutione, sicque impij non tantùm Magi, sed & Fulginas medicus ausi sunt asserere, hujus temperamenti virtute, quod ad pondus vocatur, Christũ Dominum tot miraculis coruscasse. Verùm hoc totum prorsus ridiculum ostendit Codronchius *loc. cit.* impium verò Medina *l.* 2. *de recta in Deum fide cap.* 7.

Plerique hosce miros effectus viribus imaginationis tribuunt, quam putant posse etiam remotiores fascinare, vel sanare, & res loco movere, & fulgura, & pluvias cœlo deducere. Ita Avicenna *lib. de anima sect.* 4. & alii, qui tamen in modo id explicandi inter se dissentiunt. Quidam enim hoc posse imaginationem volunt per certos, quos ipsi somniant, gradus. Ita Alkindus *lib. de imaginib.* Alij per spiritus ex corpore vi imaginationis expulsos, ut Paracelsus, Pomponatius, Andreas Catanæus *lib. de mirab. effect. caus.* Cæteri cum Avicenna & Fulginate solo animæ præstantioris imperio.

At verò licet, ut alibi, ac sæpe diximus, in eo conveniat sacra & profana doctrina, quod vis imaginationis plurimum valeat in proprium imaginantis corpus, quoad ea omnia, quæ naturalem habent cum imaginatione coordinationem, ut sunt motus locales in dormientibus, de quibus extat Andreæ Libanij liber, ut sunt alterationes per frigus & calorem & quæ has alterationes consequuntur. Insuper licet sit satis verisimile, per accidens posse aliquid imaginationem in corpus vicinum, arcta quapiam conjunctione, vel contactu ei copulatum; si tamen & imaginatio sit valde intensa, & vicinum corpus ad eam affectionem valde dispositum. Ad quod probandum conducere potest artificium Jacobi *Genes.* 30. de quo vide Pererium *ibidem.* Attamen imaginatio nullam vim obtinet ad alias proprii corporis dispositiones, quæ naturalem cum illa non habent coordinationem, ut puta, ad figuram manus, vel pedis, vel ut quis adiiciat staturæ suæ palmum unum, & quæ sunt similia. Vide D. Thomam. 3. *p. q.* 13 *ar.* 3. *ad* 3 *& lib.* 3. *contra Gentes cap.* 103. similiter in corpus alienum disiunctum, omnino separatum ab imaginante, anima humana neque per imaginationem, neque per aliam potentiam, mediantibus ullis radiis, spiritibus, vel speciebus, ulla mirifica hujusmodi potest efficere. Quod ex Theologis recte probat Michael Medina *loc. cit.* & ex Medicis Codronchius *ibid.* & Valesius *de Sacr. philos. cap.* 68.

Volunt tandem nonnulli solo contactu, visu, afflatu, osculo, vel nudi lintei applicatione, vulnera, & morbos sanari, & alia mira hujusmodi naturaliter perfici posse. Sed hoc etiam vanitate plenissimum esse pluribus demonstrat Delrius *lib.* 1. *magic. cap.* 3. *qu.* 4. & nos suo loco. Donum enim conferendæ sanitatis, sive curationis est donum supernaturale & gratia gratis à Deo data 2. *Corint.* 10. Quare si nihil superstitionis in hujusmodi curationibus accedat, illæ omnes virtuti divinæ adscribendæ sunt.

Dices ex Pomponatio *lib. de incantat. cap.* 3. sicut in herbis, in lapidibus, & in animantibus inveniuntur virtutes sanandi, ita nihil repugnare, quod in tota humana specie similes etiam vires reperiantur, ut in uno homine sit virtus talis lapidis, in alio talis plantæ, vel animalis. Quod ergo planta hæc, vel lapis ille possit, idem hominem etiam hunc, & illum naturæ vi effecturum.

Respondeo, tam lapidibus, quam plantis in ordine ad plures effectus miros, occultam quidem vim à natura insitam esse, quæ tamen naturaliter hominibus inesse nequit. Nec ratione specifica, quia non omnes habent; nec individuali, quia conditiones individuales non producunt talem effectum. Quare si hoc accidat absque ullo remediorum naturalium usu, dicendum est fieri aut per gratiam gratis à Deo datam, aut per pactum cum dæmone: Quod est ex circumstantiis dijudicandum.

Atque hæc de Magia naturali, de qua etiam Delrius *cit. lib.* 1. *cap.* 5. Lessius *lib.* 2. *cap,* 44. *dub.* 1. Suarez *de relig. lib.* 2. *cap.* 14. *num:* 10. Farinac. *de hæres. quest.* 181. §. 1. *num.* 36. Filiuc. *tr.* 24. *cap.* 7. *numer.* 162. ac Torreblanc. *lib.* 2. *de mag. cap,* 1. Superesset aliquid dicere *de Magia naturali divinatrice*, sed quia connexione doctrinæ commodiùs de illa agendum est infra, cùm de divinatione, ideo Magiæ artificiali, de a *supra* nonnulla diximus, hæc quoque addamus.

Magia artificialis est illa, quæ mira quædam perficit hominum industria. Tantùm enim in præsenti est sermo de Magia artificiali operatrice, quæ rursus dividitur in Mathematicam, & Præstigiatoriam. Mathematica dicitur, quæ nititur principijs arithmeticis, geometricis, vel astronomicis. Alij Taumaturgicam illam appellant. Nihil tamen efficere potest, quod rerum naturæ repugnet, quinimo indiget ope causarum naturalium certo motu, & dimensionibus applicatarum, ut satis patet ex speculis ustorijs, hydraulicis, & alijs hujusmodi rebus. Quare siquis effectus proponatur, causarum naturalium vim & efficaciam superans, ille ad præstigiosos referri debet. Hinc sequitur Magiam artificialem, sive Taumaturgicam, ut & naturalem, sive physicam per se bonas, ac licitas esse, ut omnes artes per se sunt bonæ, quamvis per accidens utraque illicita esse possit, primò per relationem in malum finem, secundò, quando scandalum oriretur & quòd putarentur hæc fieri dæmonum opera; tertiò, si quod inde spirituale, vel temporale damnum corporis, aut animæ immineret ipsi circulatori, vel spectatoribus, ut per Sylvestrum, & Fumum v. Ars.

Ad hanc materiam de magia artificiali operatrice primùm pertinet, an vis characterum, annullorum, sigillorum, aut imaginum sit, qualem Magi contendant?

Secundò, an numeris arithmeticis, aut musicis magica vis aliqua insit?

Tertiò, an verbis, & incantationibus vis insit morbos sanandi, aut alia mirifica perficiendi?

Quartò, an amuletis, & periaptis?

Quin-

Quinto, an aurum, vel argentum hac arte quàm Alchimiam vocant, confici possit? Quibus omnibus, præter alibi dicta, sic breviter respondeo.

Characteribus, annulis, sigillis, aut imaginibus nulla penitus virtus inest in ordine ad producendum aliquos magicos, vel mirabiles effectus. Unde si quando aliquis talis effectus sequitur usum hujusmodi rerum, quod fieri interdum videtur, id totum ex constituto fit duntaxat. Quia dæmones hæc sibi signa constituerunt, & quasdam quasi tesseras militares, aut pacta conventa, ut homines solent verborum certas formulas. Ita Theologi cum D. Thoma 2.2. *qu.* 96. ex Medicis Codronchius *lib.* 3. *de morb. venef.* Bokelius *de philtris*, & alii, quos refert ac sequitur Delrius *contra Pomponatium*, *Ludovicum Dulcem libro Italico de gemmis*, in quo fictitii Salomonis, & Hermetis sigilla edidit.

Numerus, qua numerus est præcisè, nullam naturalem, neque supernaturalem vim operandi continet. Id probant Laurentius *lib.* 8. *histor. anatom. qu.* 10 Vairus *lib.* 1. *de fascino cap.* 11. Quod autem adduci solet in contrarium de anno climacterico, qui homini solet esse lethalis, de diebus criticis, de octimestri partu minimè vitali, nullius est momenti. Idem enim Laurentius *loc. cit. cap.* 9. & *qu.* 3. optimè demonstrat annorum climactericorum rationem, ut & criticorum dierum potissimùm pendere ab humorum, & constitutionum, quæ in hominibus sunt, ratione, ac periodo quadam naturali, de quo dictum est supra. Quod ad partum verò octimestrem semper ferè lethalem, id accidit, quia semen humanum multiplex est. Quoddam perficit fœtum septimo mense, & tunc fœtus post sextum mensem conatur exire. Quod si non reperit magnam resistentiam, tunc validus erit, & robustus. Si verò reperit, continua illa mensis pugna debilitatur, & octavo mense debilis atque invalidus admodum producit in lucem unde moritur. Aliud semen perficit fœtum nono tantum mense, & tunc fœtus ante hunc mensem non conatur exire, soletque adeò robustus esse ut cuncta impedimenta contraria, vel ei non resistant vel per resistentiam, quando mater uterum fert diutius, non admodum debilitetur. Vide Hippocratem *lib. de partu octimestri*, qui tutius hac in re sentit, quam Academici ad numerorum vim superstitiosè confugientes, quorum dicta refert Fabius Paulinus *lib.* 6 *de hebdomad. cap.* 4.

Inmo quia frigus, & siccitas sint vitæ inimica, eo creditum octimestrem partum raro esse vitalem Quippe fabulantur primo à conceptu mensi præesse Saturnum, alteri Jovem, tertio Martem, & ita porro pro ordine Orbium cœlestium recepto, eoque mensis septimo præfectam Lunam, terris proximam. Quo tempore si fœtus prodierit, ob naturam ejus parturientibus commodam, unde & partui præfecta, dictaque Juno Lucina, fœtum esse vitalem; sin, decursis septem errantium syderum spatiis, ad Saturnum redeatur, frigore & siccitate ejus, quæ repugnant vitæ humanæ principiis, quippe in calore, & humore consistentibus, fœtum si tum exire paret, perimi, vel editum sic congelari, ut esse diu nequeat superstes. Sed nono mense redire imperium ad Iovem, sydus calidum, & humidum, eoque fœtui salutare, unde tunc vitalis esse soleat.

Quod spectat ad numeri sonori, sive Musicæ, cujus est objectum, vim & efficaciam, facit profectò inprimis illud Elisei, qui, ut Josaphat Regi Juda, Joram Regi Israel, & Regi Moab siti laborantibus aquam tribueret 3. *Reg. cap.* 4. prius sibi psaltem adduci jubet, cùmque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini, & ait. *Hæc dicit Dominus*, &c. *Lib.* 1. *quoque Reg. cap.* 10. Legitur, Samuelem ad gregem Prophetarum misisse Saulem unctum in Regem, qui cùm occurrissent, & ante eos psalterium, & tympanum, & cytharam, ipsosque prophetantes vidisset, insiluit in eum spiritus Domini, & prophetavit in medio eorum, ut *v.* 10. legimus, & 12. Propterea versum est in proverbium: Num Saul inter Prophetas? Ex his enim & aliis similibus S. Scripturæ locis videtur insinuari prophetiam vi concentus musici aliquando Prophetis contigisse. Insuper 1. *Reg. cap.* 16. legimus vi cytharæ Davidicæ malum spiritum à Saule repulsum, quandocunque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat cytharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leniùs habebat; recedebat enim ab eo spiritus malus. Tandem Josue *cap.* 6. habemus vi clangoris harmonici tubarum muros Iericunthinos corruisse. Quæ omnia ad triplicem musicæ effectum discutiendam provocare debent accuratum S. Scripturæ Interpretem, quorum primus ad Prophetiam, secundus ad morbos, vel dæmones expellendos, tertius ad aliquid concutiendum, & agitandum pertinet. De quibus videndus est Mersennius *in Genesin cap.* 4. Ibi enim accuratè, & eruditè materiam hanc pertractat & Kircherius in sua Mousourgia. Nos alia infra.

Nulla vocabula vim habent naturalem vulnera, vel morbos sanandi, vel noxas alias depellendi. Dicimus *nulla*, ad excludendum quodvis verborum genus. Dicimus, *vim naturalem*, quia Zelotypiæ illa adjuratio & lex Thorath kina Numer. *cap.* 5. quicquid habebat efficacitatis, de sursum habebat, ferè modo, quo hodie preces Ecclesiasticæ, formulæ Sacramentorum, & Sacramentalium, & exorcismorum vim habent supernaturalem ex Dei institutione, vel gratioso concurrendi modo. Unde, quod pro tota hac materia valde notandum est, *naturale*, hic non sumitur, prout opponitur operi animali, vel libero, vel violento, sed ut opponitur artificiali, prodigioso, & miraculoso, tresque illos ordines excludit. Vide Petrum Cirvetum, Durocensem *in quæst. de Kabala & Magia Judæorum*, quæ est ultima inter ejus paradoxas quæstiones, ac Delrium *lib.* 1. *magic. cap.* 4. *qu.* 1.

Amuleta hujusmodi, quæ collo dependent, nullam vim obtinere naturalem ratione verborum, characterum, vel figuræ, vel constellationis, sed duntaxat ratione materiæ, si quæ illis existat. Hinc delirant fascinatores, qui eò solent attendere, ut metallo cuique proprium inscribant characterem, quemadmodum & uti corporis parti applicent laminam sic inscriptam.

Unde opinio ijs est, tum demum se consequi à planeta, quod expetunt, si convenientis metalli laminam cum proprio charactere convenienti corporis membro alligarint. Quare si quis effectus producatur cujus causa nequit esse virtus, vel facultas naturalis subjecti, effectus ille prodigiosus erit, & amuletum superstitiosum, qualia multa congessit Costa Ben-Lucas Judæus *lib. de ligaturis*.

Quando tamen in ipsis verbis, modo scriptionis, certo Crucium numero, figura, vel similibus spes non ponitur, pium & sanctum est, reverentiæ causa, Sanctorum reliquias, cereas agni Dei effigies, Evangelium S. Joannis, psalmos Davidicos, & similia secum gestare collo appensa, sed effectus, qui inde oritur, erit supernaturalis, Dei beneficentiæ adscribendus. Aliis autem ligaturis uti, quas vel usus Ecclesiæ Catholicæ, vel proborum medicorum ars non commendat, omnino est prohibitum. Tales sunt nefariæ illæ præcum formulæ, quas contra vulnera, & pericula ignis

ignis, aquæ, & alia quidem per mendacium adscribunt B. Leoni, & aliis Sanctis

Huc etiam pertinent formulæ omnes, quibus immiscentur nomina ignota Angelorum, hoc est alia, præter Michaël, Gabriel, Raphael. Sic, ut *alibi* dixi, in Concilio Romano sub Zacharia Papa ad damnandos errores Aldeberti, & Clementis hæreticorum, Germaniam turbantium, congregato, cùm lecta fuisset Aldeberti oratio, in qua continebantur hæc verba: *Supplico vos, Angelus Uriel, Angelus Raguel, Angelus Michaël, Angelus Adinus, Angelus Tubnas, Angelus Sabaoth, Angelus Simichel,* Patres Concilii damnandum Aldebertum pronuntiarunt, ut hæreticum. Causa verò subditur, & ipsum Concilii decretum his verbis: *Octo enim nomina Angelorum, quæ in sua oratione invocavit Aldebertus non Angelorum, præter Michaëlis, sed magis dæmonum nomina sunt, quos ad præstandum sibi auxilium invocavit. Nos autem, ut à nostro sancto Apostolatu edocemur, & divina tradit autoritas, non plusquam trium Angelorum nomina agnoscimus, id est, Michaël, Gabriel, Raphael.* Cui decreto non obstat, quòd *lib.* 4. *Esdræ cap.* 4. nominetur Uriel, & Jeremiel. Liber enim ille canonicus non est, nec tantæ dignitatis. De Uriel vide Nicolaum Serarium *in cap.* 12. *Tobiæ qu.* 10. *& seqq* Illud quoque attendendum, & ex suis circumstantiis dijudicandum, ne ipsis veris Angelorum nominibus utentes, ea malis accommodarint. Cur enim id non ausint, qui ausi sic abuti nominibus Dei? Qua in re libet audire Procopium *in Levit.* contra quosdam curiosos hoc utentes prætextu, his verbis agentem: *Attamen objiciunt, quidam invocant Sabaoth. Quid tum? Impiè hoc faciunt. Nam illam appellationem non Deo, sed dæmonibus tribuunt, & plerumque illi dæmoniaci usurpant nomina divina, dum ea imponunt dæmonibus, quorum ambitioni serviunt.* Hoc fit in precibus Magorum, quibus inserta *magna*, sic vocant, *nomina*. De Alchimia suo loco peculiari agemus.

Altera Magiæ artificialis species dicitur *Præstigiatrix*, alii *ludicram*, sive *deceptoriam* vocant, quòd ejus effectus non sint quales, aut qui videntur. Ad eam pertinent multa, quæ ab agyrtis, circulatoribus, mirionibus, funambulis, & aliis hujusmodi personis creduntur patrari incantationibus, cum tamen agilitate manuum, vel pedum fiant. Advertendum tamen est, eos aliquando solere decem magicis præstigiis unum subtilitatis, seu agilitatis artificiosæ actum miscere, ut quæcunque ab ipsis præstantur, persuadeant citra præstigium, sola dexteritate & arte fieri,

CONSULTATIO LXIII.

An absque Superstitione, ac illicita arte ex Astrorum repræsentatione procul absentium sensa cognosci possint, ita nimirum, ut syderum interventu absenti cuilibet, absque alio nuncio, vel litteris, sensa animi nostri non secus manifesta facere possimus, ac si propriis litteris, vel internuncio exponerentur. Ubi exempla in sacra, & profanis historiis manifestandi absentibus secreta animi nostri sensa.

MUltis, non dubito, nova admodum, ac insolens videbitur hæc Quæstio, ut quæ cum ratione nec disseri quidem, vel in dubium vocari ullo modo posse videatur, cùm omnibus utique persuasissimum sit, nullo id modo absque Magiæ damnatæ maleficio fieri posse, quod nunc ita fieri possit, quærebatur. Sed est tamen equidem non levis dubitandi ratio. Etenim anno 1606. hæreticorum, ut opinor, studio, in Catholicæ Religionis odium, Francofurti typis editus fuit liber sub nomine Joannis Trithemii, inscriptus Electori Principi Philippo Comiti Palatino, hoc titulo: *Steganographia, hoc est ars per occultam scripturam animi sui voluntatem absentibus aperiendi certa, autore Reverendissimo, & Clarissimo viro Joanne Trithemio, Abbate Spanheimensi, & Magiæ naturalis magistro perfectissimo, &c. hactenus quidem à multis multum desiderata, sed à paucissimis visa; nunc verò in gratiam secretioris Philosophiæ studiosorum publici juris facta cum privilegio, & consensu superiorum.* Ita inscriptio.

Ac esse quidem, licet, ut etiamnum est, imperfectum & librariorum incuria, vel imperitia, multis passim mendis obscuratum, verum hunc, & genuinum Trithemii partum, ex ipsomet Trithemio colligi potest, qui ita scribit epist. 51. ad Rogerium anno 1507. *Magnum & nimis arduum opus Steganographiæ mirabilis adinventionis in octo libros partiendum scribere sum adorsus. Cujus primum quidem librum, & secundum ad finem usque perduxi, tertium verò mancum, & reliquos omnes divisi usque in hunc diem omnino sepultos multiplici consideratione persuasus, cùm & labor sit magnus, & forsitan retributio parva. Maneat ergo imperfectum sicut jacet, donec aliud persuadeat utilitas.* Hæc ille.

In hujus ergo voluminis libro tertio ad eundem Electorem Principem *editit. Francfurt. in* 4. *ex Officina Matthiæ Beckeri, anno* 1606. *pag.* 160. ita præfatur Trithemius: *Inveni*, inquit, *in quodam libro cujusdam antiqui Philosophi, qui dictus est Menastor esse, possibile, ut quadam arte mentis nostræ conceptum amico notum faciamus, quantumlibet absenti in viginti quatuor horis, sine verbis, sine libris, seu litteris, & sine nuntio perfectissimè, latissimè, & secretissimè. Cùm autem desiderio sciendi vehementissimè ducerer, cœpi velle experiri dictionum veritatem, & post multos labores tandem inveni ipsam scientiam experientia probatam. Maximum est hujusmodi artis secretum, & tantis obscuritatibus involutum, ut nulli sit facile pervium. Menastor enim nimis obscurè & paucis verbis mysterium involvit, tantisque viribus* (seu potiùs artibus,) *ut secretum maneat, usus est, ut post eum adhuc nullus reperiri potuerit, qui ausus sit ejus sermonem aliquo documento facere clariorem. Ego autem metuens tam mirabile opus propter nimiam obscuritatem vilipendi ab imperitis, aut tandem igni cremari, cum in eo multis probationibus jam diu sim expertus* (seu experiendo versatus) *ita illud litteris commendare apertioribus volui, ut & viris eruditis, ac in magicis studiosissimis cum Dei auxilio, possit aliquatenus fieri pervium, & tamen imperitis Napophagis omni tempore maneat occultatum, & nullatenus eorum obtuso intellectui cognitum. Dixit autem Menastor: Septem sunt planetæ, quibus septem præsunt Angeli, & illis sunt unus & viginti spiritus subjecti, per quos nunciantur arcana.* Hactenus Trithemius, qui & postea toto libro sequenti plurimis paginis, ac sectionibus hujus artis rationem ac modum ita describit, ut plenè asserat, interventu stellarum, ac præsertim septem planetarum, animadversisque variis eorundem motibus, tam puris, ut ipse loquitur, quàm mistis, tam rectis, quàm retrogradis, aliisque ex arte ritè factis, & observatis, sine alio nuntio, sine litteris, ac verbis, posse intra viginti quatuor horas tutissimo, & certissimo significari amico ejusdem artis perito omnia, quæ eum scire quisque voluerit.

Denique concludit idem autor: *Si volueris*, inquit, *de aliquo absente scire, quomodo valeat, & verum statum ejus in viginti quatuor horis, quantumcumque longè sit, isto modo scire poteris. Et omnia quæ fiunt in mundo, constellatione observata per hanc artem scire poteris.* Ita Trithemius, qui cùm non solùm hujus rei autorem adducat Menastorem, antiquum, ut ipse ait, Philo-

Philosophum, qui tamen qualis sit, mihi equidem non constat, sed eam etiam compluribus experimentis se comprobasse testetur, non leve sanè argumentum suppeditat ad probandam affirmativam partem propositæ quæstionis, fieri nimirùm posse, ut naturali astrorum repræsentatione, amicorum procul absentium sensa cognoscantur.

Sic enim ex dictis argumentari licet. Trithemius cùm se pluribus experimentis effectum rei comperisse dicit, aut verum dicit, aut contra suam mentem ex proposito mentitur. Mentiendi autem causam ille non habebat, nec ei, si quam habuisset, virum tam gravem obtemperaturum crederemus, præsertim cùm suam hanc ipse artem Electori Principi dicarit, ac venditarit, cui mendacia vendere tutum minimè fuisset. Si verum dicit, adeoque re ipsa, certa planetarum observatione interveniente, sine verbis, litteris, & nunciis, absentium sensa ipse cognovit, absentibusque sua sensa manifestavit, aut naturali vi planetarum, aliorumque mediorum adjunctorum, hoc factum est, quod argumentum postulat, aut non naturali, quod dici non potest. Quoniam si vis ea naturalis non fuit, aut supernaturalis fuerit necesse est, aut superstitiosa, & dæmoniaca. Prius dici non potest, non solùm quia vis supernaturalis tot mediis, ac cautelis à Trithemio præscriptis, ut mox videbimus, nec indiget, nec juvari potest; sed etiam quia si illa vis supernaturalis fuisset, pertineret utique vel ad donum prophetiæ, aut aliam aliquam gratiam gratis datam, ut Theologi loquuntur, ac proinde nec promiscuè omnibus, nec eidem semper adfuisset, nec omnino per modum artis aut tradi, aut disci potuisset; ut tamen tradi, ac disci posse à quolibet, asseruit Trithemius. Nisi ergo Trithemius pessimæ magiæ deditus fuit, dicendum est, posse naturali vi, ac repræsentatione syderum, certis simul quibusdam observationibus intervenientibus, amicorum absentium vota, & sensa cognosci.

Quis autem tantum virum magiæ criminis insimulet, quem totius vitæ cursus, & conditio ab eo facit alienissimum? Nimirùm hominem fide Catholicum, statu Religiosum, & quidem in sanctissimo Benedicti Ordine regulam adstrictiorem professum; dignitate, Spanheimensem primùm, deinde monasterii S. Jacobi in suburbio Herbipolensi Abbatem, virum virtutis & doctrinæ laude sua ætate præstantissimum, innumeris propemodum elucubrationibus, ac libris pro fide, pro pietate, pro veritate editis celeberrimum, summis in Orbe Christiano viris, ac Principibus, tam Ecclesiasticis, quàm Politicis, ac in his, ipsi etiam Maximiliano primo Imperatori, ut ex Spanheimensi Chronico liquet, notissimum, charissimum, quem Joachimus Brandeburgensis Elector vocat *Reverendissimum Patrem, amantissimumque præceptorem*, & rursum in alia epistola, *Reverendum Patrem in Christo Abbatem, suumque Patrem amantissimum.* Et infra eandem epistolam, scriptam illo ipso anno 1507. quo Trithemius in citata epistola 51. ad Rogerium in Steganographiæ libris conscribendis occupatum se fuisse scribit, ita concludit: *Vale Germaniæ decus, totiusque arca sapientiæ, mei memor ad Dominum, & ama me, quia te vehementer amamus.* Rursum Hermannus, Episcopus Coloniensis eodem anno 1507. in suis litteris compellat eum *Venerabilem in Christo, syncere dilectum.* Nicolaus Gerbellius appellat eum, *virum inter Germanos primarium.* Vide 2. *p. oper. hist.* Trithemius *epist.* 14. 19. 23. 26. & 31.

Denique in epitaphio, quod à Georgio Flachio, Herbipolensis Antistitis in Pontificalibus Vicario, & Theologiæ Doctore, viro pietate, ac doctrina conspicuo & ad Concilium Tridentinum legato conscriptum, in monasterio Benedictinorum S. Jacobi Herbipoli etiamnum extat, vocatur *Germanæ gloria terræ, litteris simul, & virtute celebris*, Maximiliano Imperatori acceptissimus, *cui primùm tribuerit docta caterva locum.* Et additur: *Absit suspicio de dæmonis orta magia, contra quam magnum scribere cœpit opus.* Insinuat videlicet hic Epitaphiographus opus illud Trithemianum circa annum 1508. ab eo cœptum, de quo ita Joannes Duraclusius discipulus ejusdem Trithemii: *De dæmonibus*, inquit, *& artibus prophanis, maleficis, & superstitiosis laboriosum opus Trithemius versat in manibus, quod libros habebit duodecim, in quibus omnia diabolicarum artium vafrамenta explodit, confundit, & evertit.*

Quò spectant etiam libri quatuor Antipali maleficiorum sub eundem annum 1508. ab eodem elaborati, ut & libri quinque contra maleficos, & omnes artes, & superstitiones ab Ecclesia prohibitas, scripti. Sed non pluribus ante annis duo vasti tomi in folio operum Trithemii, historicorum quidem à Marquardo Frehero, sacrorum verò, seu spiritualium à Joanne Busæo, Jesuita in lucem dati, satis testantur, quantus & doctrina & religione fuerit Trithemius. Omitto quæ de insigni Bibliotheca Trithemiana à plerisque viris doctis cupidè vel à longinquo adita, ac lustrata, deque aliis ejus laudibus, ac singulari cum summis Principibus consuetudine ex ipso Chronico Spanheimensi, aliisque collegit idem Busæus in Epistola dedicatoria sui, quod in lucem dedit Trithemiani operis,

Cùm igitur talis ac tantus vir fuerit Trithemius, quis artem illam superiùs ex ipso relatam, ab eoque ipso sæpiùs experimento probatam,, maleficii, ac superstitionis arguere, ipsumque adeò Trithemium inter maleficos, seu dæmonolatras referre ausit? Taceo, quod, etsi res tota per se valdè incredibilis, causæque ejus naturales prorsus occultæ videantur, nihil tamen obstat, quò minùs revera naturali vi effici posse videatur, cùm & innumeros alios quotidie in natura experiamur effectus, quorum vel causas ignoramus, vel magnitudinem ita suspicimus, ut nondum experimento cognitos ne fieri quidem ulla ratione posse judicaremus. Quis enim ante tubum illum opticum non diu inventum, fieri posse naturæ viribus existimasset, ut Solem, Lunam, sydera, aliaque visus objecta perinde liceat humanis oculis conspicari, ac si homo non dico tripla, decupla, sed plusquam vigecupla proportione iisdem propior esset? Quis re nondum comperta, fieri posse judicasset, ut omnium rerum aspectabilium species in obscurum locum per foramen immissæ, vivis adeò coloribus momento depingerentur, tamque nobile sui spectaculum exhiberent, quàm ne peritissimi quidem ars pictoris assequi potest? Quod si magnes vim occultam habet trahendi ferrum, succinum, paleas, Luna mare, remora sistendi navem, torpedo obstupefaciendi capientis manum, cur non & astrorum certa observatio, actioque ad eam accommodata accedens, vim habeat amicis nuntiandi secreta, quæ volumus? Hæc igitur sunt, quæ causam huic Quæstioni dederunt, ac probabilem fortasse dubitandi rationem parere potuerunt.

Nunc quid hac de re sentiendum sit, paucis exponam. Primùm illud omnibus persuasissimum esse debere assero, nullam ejusmodi existere vim naturalem, ex astrorum dispositione, aut ea, quæ à Trithemio secundùm ipsam verborum superficiem descripta esse videtur, arte, nuntiandi absentibus mentis secreta. Probatur hoc non solùm communi sensu virorum doctorum, qui propterea, ut videbimus, librum illum Trithemii superstitionis, & magiæ damnant, sed etiam ex ipsis ejusmodi artis præceptis, quæ singillatim expensa partim ridicula, partim impossibilia,

certè quidem ad propositum scopum sua natura minimè accommodata, facilè deprehenduntur.

Primùm jubet, ut exactissimè motus omnes singulorum planetarum ad ipsa etiam usque minuta prima, secunda, tertia, quarta, pro cujusque diei tempore cognoscantur. *Nam in diversis*, inquit, *gradibus, signis, diebus, horis, minutis, secundis, tertiis, & quartis planetarum effectus quoad hanc scientiam diversimodè variantur.* Et infra: *Nisi quis*, inquit, *valde expertus in omnibus his fuerit, scieritque motus planetarum medios perfectè, ac deinde minutissimas divisiones punctuales, quæ ex quartis, tertiis, secundis, minutis, & gradibus inæqualibus subtilissimè divisis proveniunt, facilè in veros errores incidet, & grave periculum vix evadet.* Ita ipse. Adeo verò minutè, ac pensiculatè scire planetarum motus impossibile esse, vel ex eo constat, quod ne Solis quidem adeò illustris planetæ motus undique tam exactè hactenus compertus fuit, cùm ejus periodum etiam secundùm prima ipsa minuta breviorem quidam, longiorem alii faciant.

Secundò edicit Trithemius, in hac re non sufficere communes & consuetas Astronomorum regulas, sed quasdam proprias, & peculiares esse adjiciendas: *In his omnibus*, inquit, *non solùm generales regulas ab Astronomis traditas, (quia licet maximè conducant huic scientiæ nostræ, tamen non penitus sufficiunt) sed etiam particulares sciat, necesse est.* Quænam autem quæso sunt illæ particulares regulæ motuum cœlestium, ipsis etiam Mathematicis ignotæ?

Tertiò exigit Trithemius, ut non minùs etiam exactè cognoscatur motus stellarum octavæ sphæræ: *Cùm volueris*, inquit, *in hac profundissima speculatione operari, imprimis oportet te scire ortum, exaltationem & occasum omnium stellarum octavæ sphæræ, per quas fit operatio, & quantum quælibet distet ab alia.* Quis autem adeò exactè hoc novit?

Quartò, calculatis diligentissimè omnibus, vult observari quis Angelus Saturni præsit illi quartæ diei, aut noctis. Ubi supponere videtur ex antiquorum quorundam sententia, à se quidem etiam in libro ad Imperatorem Maximilianum de septem Secundeis, sive Intelligentiis motricibus, ut ipse præfatur, non asserta, sed relata, certos quosdam Angelos certo tempore mundi gubernationem, & quasi præfecturam sustinere. Sed cùm ipse Trithemius eam de septem illis Secundeis sententiam suspectam, & incertam habuerit, quia etiam, ut ex fine ejusdem libri colligitur, dubitavit, an in illa annorum distributione lunares, an verò solares menses sint accipiendi, quis juxta eam, certum ejus regiminis modum, ac partitionem habere poterit perspectum?

Quintò vult etiam quolibet tam diei, quàm noctis tempore oculis conspici stellas illas, per quas quis operaturus est. Quod etsi quidem ipse arte à se alibi tradita fieri posse asserat, utique tamen ad litteram, ut sonat, intellectum falsum est, non solùm, quod ejus rei nullum extat vestigium, sed etiam, quod stellæ illæ cùm undique terram ambiant, non semper ac promiscuè omnes supra horizontem existunt.

Sextò vult schedulis inscribi nomen, & stellæ illius, & Angeli ad operandum accommodati, ut & alia nescio quæ secretissima. Sed quid scriptio nominis utriusque ad propositum, nisi quòd hæc magici, non naturalis effectus indicium præbent, ut & alia, quæ mox referentur?

Septimò vult in alia charta describi conceptum mentis, quem ab absente cognosci volumus, & has duas schedulas simul convolvi, &c. Alibi vult etiam imaginem tam Angeli eo tempore præsidis, quàm amici illius, ad quem secretum dirigitur, certo modo, ac ritu depingi. Sed constans, ac certa Theologorum sententia est, à Theologis copiosè detenta, imagines nullam vim efficiendi Physicam habere, præterquam quod sensus objectivè movere possunt. Quam communem doctrinam velut demonstratam suppono. Vide Delrium *tom*, 1. *lib.* 1. *cap.* 3. *qu.* 5. *& tom.* 3. *lib.* 3. *p.* 1. *qu.* 3. *sect.* 4. *& p.* 2. *qu.* 4. *sect.* 2. & nos alibi.

Octavò meminit idem Trithemius *quodam loco*, nempe *pag.* 171. *&* 177. etiam conjurationis cujusdam ad spiritum. Sed præterquam quod hoc quoque causam hujus effectus non naturalem, sed dæmoniacam arguit, ab ipso etiam Trithemio ibidem asseritur non necessarium, cum hac quidem arte, non minùs absque spiritus, ejusque adjurationis interventu secretum nuntiari, seu retegi absenti posse fateatur. Ex quibus proinde satis demonstratum est, primum illud pronuntiatum, naturali scilicet via, ex astrorum dispositione, sive observatione absenti nuntiari sensa animi nostri non posse.

Huic verò nunc subjungo alterum, artem illam, à Trithemio traditam, sine nuntio, sine verbis sine litteris longè absenti animi nostri sensa secretè manifestandi, ut & cætera, quæ in duobus præcedentibus libris ad occultæ scriptionis artem spectantia, ab eo traduntur, adeoque totam ejus Steganographiam specie externa spectatam, ac proprio verborum sensu intellectam, planè magicam, & superstitiosam esse, ac pro tali ab omnibus jure haberi. Hoc pronuntiatum cuivis per se facilè manifestum est, qui vel obiter Trithemii Steganographiam inspexerit, idque præter ea, quæ paulò ante ex libro tertio retuli, ex quatuor potissimùm capitibus elucescit.

Primum est, quòd apertè toties pronuntiat, ac repetit omnia, & singula hujus artis secreta, saltem quæ *duobus præcedentibus libris* traduntur, per spiritus transigi, quibus nempe secretum commendandum sit, ut id amico absenti renuntient. Item primi libri capitis primi clavim & operationem ait, teneri à spiritu principali *Pamersyel, Anoyr, Madriel, per ministerium Ebra sotheam abrulges*, &c. Secundi capitis Princeps spiritus ab eo vocatur *Padiel Subsolanus, habens sub se ministros diurnos decem millia, nocturnos ducentum millia*, &c. Et sic de cæteris. Similia etiam *ex tertio libro* jam superiùs retulimus.

Secundum est, quod eosdem illos spiritus ab utroque tam secreti nuntiandi causâ mittente, quàm ab amico missos recipiente, præcipit adjurari, & quidem verbis peregrinis incognitis, ut videre est *toto lib.* 1. *&* 2. v. g. *lib.* 1. *cap.* 1. ita loquitur: Cùm autem sederit ad scribendum versus Orientem ita spiritus compellet: Pamersyel oshurmus delmuson Thafloyn peano, &c. Et mox infra pro altero litteras secretas recipiente hanc ponit conjurationem, cujus initium: *Lamarton anoyr bulon madriel, &c.* omitto alia.

Tertium est, occultorum characterum usus. Ita enim generatim præcipit Trithemius lib. 1. cap. 1. *Sed observa*, inquit, *ut in omnibus litteris, quas miseris hac arte conscriptas, proprium signum infigas, ut ille cui scribis, sciat, per quos spiritus sis operatus. Quoniam si ipse operatur per alios ad intelligendum, & tu per alios ad mittendum, nunquam in æternum obedient ei, sed pro indebita operatione & illum læderent, & secretum tuum minimè revelarent. Omnes enim spiritus, quibus in hac arte utimur, ordines, & officia sibi commissa tantùm custodiunt, & de aliis se nullatenus intromittunt*, &c. Ea verò signa nova planè & incognita proponuntur postea *lib.* 1. *cap.* 32.

Quartum est, admirabilis hujus artis effectus, qui planè naturæ vires, ac ordinem superare, certè quidem causis, ac mediis, quæ ex præscripto adhibentur, minimè proportionatus esse videtur, ut de tertio libro satis ex dictis constat. Eadem est ratio duorum præ-

præcedentium. Ita enim præcipit autor lib. 1. cap. 1. *Præparet*, inquit, *hujuscemodi arte usurus, chartam in quam scripturus est, cum invocatione divini nominis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Deinde verò scribat in ea quamcumque narrationem voluerit simplicem, & apertam, quam omnes legentes intelligant, Latino, patrio, vel quolibet alio sermone.* Nec aliud præterea mandat Trithemius, quàm ut ejusmodi litteræ ad amicum, in arte probatum, mittantur, additis utrinque adjurationibus, & certo charactere, quorum antea mentionem fecimus: *Et his factis, & dictis*, inquit, *alter*, (qui litteras illas recepit) *mox intelliget mentem tuam perfectè, spiritibus ultro se cum impetu offerentibus*, &c. Quis autem credat fieri ratione, ac vi naturali posse, ut quælibet scripta narratio apta sit ad mentem nostram, seu certum animi secretum amico patefaciendum?

Ex his omnibus ita licet argumentari. Spiritus illi, qui levi qualibet, ac præsertim ignota, ac peregrina adjuratione à quolibet evocati, ad quidvis etiam inane, ac futile nuntiandum adsunt, utique non sunt boni spiritus, sed maligni. Spiritus Trithemiani levi qualibet, eaque peregrina adjuratione à quolibet evocati ad quidvis, etiam inane ac frivolum nuntiandum adsunt, ut ex dictis Trithemii præceptionibus patet. Ergo spiritus Trithemiani, prout ab eo secundùm verborum proprietatem depinguntur, non sunt boni, sed maligni spiritus. Ergo & ars eorum ministerio utendum præcipiens, secundùm externum quidem verborum sonum non est licita, sed magica, & dæmoniaca.

Rursum. Ars illa, quæ peregrinis utitur characteribus, cujusque effectus artis media secundùm naturæ leges longè superat, meritò est suspecta, velut magica, & superstitiosa, ut Theologi tradunt inter alios superstitiosi effectus indicia. Atqui talis est ars illa Trithemii. Ergo meritò de magia, & superstitione est suspecta.

Neque verò hanc suspicionem adeò firmis indiciis, imo ipsa quasi Rei confitentis assertione nixam satis purgavit Trithemius, quod artem suam sæpiùs sinceram, omnisque superstitionis ac damnatæ Magiæ expertem esse profitetur, quodque in ipsa statim præfatione sibi ab opposita censura vult esse cautum, cum ita lectores alloquitur. *Si verò non intellexerint, quod multis scimus futurum, discant prius quàm reprehendant*, &c. *Quam si nequiveritis intelligere, non ipsam, quia bona est, sed obtusa ingenia vestra reprobate*, &c. Id enim quilibet damnatæ artis professores facere solent, ut suam artem velut honestam, ac synceram commendent, ac eos, qui aliter sentiunt, reprehendant, ut videre est in Astrologis judiciariis, auguribus, oniromantis, &c. neque ferè ulla adeo execrabilis ars est, quæ non sub specie honestatis cupiat illudere.

Idem verò pronuntiatum secundò etiam probatur ex communi judicio virorum doctorum, qui hactenus Trithemii Steganographiam sub censuram vocarunt, & tanquam magicam, & superstitiosam (proprio nempe verborum sono, ac sensu, communi utique id genus scriptorum interpretandi, jure ac more acceptam) damnarunt. Ex his Antonius Possevinus in suo *Apparatu sacro de Steganographia Trithemii*, ita censet: *Falsi sunt*, inquit, *qui eam suspexerunt, & tanquam opus admirandum, clavimque polygraphiæ celebrarunt. Superstitionis enim, & periculi plenissimum est, magiamque sapit, non naturalem illam, quo tamen nomine plerique suas sordes tegunt, verùm etiam ipsam, quæ cum a S. Romana Ecclesia prohibita sit, una cum ejusmodi libris in Romano Indice haud dubium, quin & ipsa sit ablegandum.*

In eundem sensum Delrius *lib. 2. magic. qu. 3.* de superstitioso quodam Judæorum volumine loquens, pleno sacrificiis, & incantationibus dæmonum, ait: *Vix dubito aliquod* (ejus exemplar) *in manus Joannis Trithemii incidisse, unde & partitionem, & materiam suæ Steganographiæ periculi, & superstitionis plenissimæ acceperit. Cujus operis nomen, quod nondum prohibitis ab Ecclesia libris sit insertum, suspicor accidisse, quia liber nondum typis vulgatus in paucorum manus incidit. Alioqui quando prohibiti libri omnes magici, satis iste prohibitus censendus, qui inter alios familiam ducat.* Nec minùs graviter hac de re censet Bellarminus *de script. Eccles.* qui & addit. *opus illud Steganographiæ prohibitum meritò esse.*

Quid quod ipsimet etiam Trithemio, utcumque aliàs ad Magiæ notam, & suspicionem depellendam, cùm adhuc in vivis esset, contra Carolum Bovillum, teste Duraclusio, apologiam ediderit, suum illud Steganographiæ opus utique quod quandam damnatæ Magiæ speciem præ se ferret, & iccircò non intelligentibus plerisque scandalo esse posset, tandem displicuit, ac re adhuc imperfecta deponendum, ac prætermittendum est visum, ut supra ex eodem retulimus. Qua de causa etiam, vel ob ipsam mali speciem, quam liber ille præ se fert, & Apostolus non secùs, quam malum ipsum cavendum esse monuit 1. *Thessal.* 5. & quod aliàs etiam plus fortè periculi, & curiositatis habere, quàm utilitatis, ac solidæ doctrinæ videri potest, nemo inficias ierit, satis causæ esse, cur liber ille prohibitis accenseatur.

Atque hæc hactenus de Steganographia Trithemiana secundùm proprium verborum sensum spectata, dicta sint. An verò etiam juxta ipsam autoris mentem, ac sensum, ab eo intentum, verè Magica sit, ac superstitiosa, alterius est disquisitionis, nec tam facilè est dicere, quàm ex veritatis norma dijudicare.

Habemus quoque in ipsa Sacra Scriptura non omnino absimile absentibus animi nostri sensa secretè manifestandi exemplum, quod describitur *Lib. I. Reg. cap.* 20. ubi Jonathas cum Davide in hunc modum depactus est. *Cras*, inquit, *Calendæ sunt, & requireris; requiretur enim sessio tua usque perendie. Descendes ergo festinus, & venies in locum, ubi exulandus es in die, qua operari licet, & sedebis juxta lapidem, cui nomen est Ezel. Et ego tres sagittas mittam juxta eum, & jaciam quasi exercens me ad signum. Mittam quoque & puerum, dicens ei: Vade & affer mihi sagittas, si dixero puero, ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas, tu veni ad me, quia pax tibi est, & nihil est mali, vivit Dominus. Si autem sic loquutus fuero puero: Ecce sagittæ ultra te sunt, vade in pace quia dimisit te Dominus.* Quod ergo in uno singulari casu ad certam duntaxat sententiam patefaciendam ex conventione privata duorum, valuit jactus, & commonstratio sagittæ, id ex perpetuo & stabili pacto, seu præscripto artis, ad quidvis manifestandum efficere possunt eadem, aut similia signa, certo numero, ordine, ac modo conformata.

Et quoties in profanis historiis legimus, fumo, sono, aliisque ejusmodi signis sine voce, sine litteris, sine nuntio longè distantibus res alioqui penitùs ignotas fuisse significatas? Certè Phryctos facium ostentatione è mœnibus finitimos, sociosque tam de hostium, quàm amicorum adventu certiores reddere solitos ita, ut cùm amicos indicarent *faces quietas gestarent, cùm hostes, agitarent*, testatur Suidas. De moribus Cathaini regni etiamnum hodie servari solitis hæc refert Augerius Busbequius *epist. 4. legat. Turcicæ: Postquam multorum mensium labore ad angustias, ac veluti claustra regni Cathaini perventum est, ibi mercatores interrogantur, quid ferant, unde veniant, & quo sint numero: Quæ regis præsidiarii cognita interdiu fumo, noctu per ignes proxima specula*

tradunt

tradunt, illa vicissim sequenti, ac sic deinceps, donec aliquot horarum, quod plurium dierum spatio non posset, nuntius Cathaium ad Regem de mercatorum adventu transferatur. Qui quidem pari celeritate, eademque ratione quid tibi placeat respondet, admitti omnes, an partem excludi, aut differri velit, &c. Qua in re utique varietatem quandam signorum intervenire necesse est.

De Imperatoribus olim Græcis ita scribit Cedrenus: *Volentes*, inquit, *incursiones Saracenorum in Romanas ditiones nequaquam ignorari, ne ex improviso irruentes ii regiones devastarent, castellum quoddam Tarso vicinissimum, excelsissimo, & natura munitissimo in colle ædificaverant Lulum nomine, in quo collocati custodes, ubi Saracenos incursionem moliri sentiebant, igne succenso signum dabant, quo igne conspecto, ii, qui in in Argeo colle excubabant, idem faciebant. Eos excipiebant, qui in Iramo colle, post hos qui ad Ægialum, & secundùm hos qui apud Mamantum, inde qui in Circo, atque ab his, qui ad Mocillum, denique post hos qui in D. Auxentii colle stationem habebant, igne edito excubitoribus magni palatii incursionem hostium significabant. Hoc ignium ordine sese insequentium indicio, & Imperator momento temporis de hostium conatu certior reddebatur, & rustici nuntio percepto, muris se claudebant, & impetum hostium evitabant.* Eo momento quasi temporis, ut autor loquitur, ignis indicio Lulo Constantinopolim, nempe supra sexcentum milliaria hostilis irruptionis notitiam propagatam. Quantam vim & celeritatem si fictitiis illis planetis Trithemianis dederis, nihil est amplius, quod in iis aut velut naturæ vires excedens admireris, aut ob effectus magnitudinem quasi superstitiosum damnes.

CONSULTATIO LXIV.

An per artem præsidio rerum naturalium adjutam, absque arte magica dæmoniaca, verum aurum fieri possit ab Alchymistis?

DUæ sunt oppositæ sententiæ. Prima omnino negat Ita D. Thomas 2. *sent. dist.* 7. *qu.* 3. *ar.* 1. *ad* 5. Cajetan. 2. 2. *qu.* 77. *art.* 2. *ad* 1. Valentia 2. 2. *disp.* 6. *qu.* 13. *pun.* 2. *diffic. ult.* Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 40 *num.* 50. Torreblanc. *lib.* 2. *de mag. cap.* 4. Castropal. *p.* 3. *tr.* 17. *disp.* 1. *pun.* 10. *n.* 17. Delbene *de offic. S. Inquis. p.* 2. *dub.* 228. *sect.* 20. & Abulensis *in Exod.* 7. *qu.* 10. aliique plures, nominatim Avicenna *in lib. meteororum*, ut refert *Ægid. in* 3. *quodlibet qu.* 8. Averroes *in paraphrasi super* 1. *lib. de generat. animal.* idem Ægidius *loc. cit.* Conciliator *in differentia* 209. Cardanus *lib.* 17. *de subtilit.* Exempla verò fallacis Alchimiæ, vide apud eundem *in* 10. *libro de variet. rerum cap.* 51. qui omnes suas afferunt rationes, atque asserunt, hujusmodi artem transmutandi viliora metalla in pretiosiora, vel esse impossibilem, vel saltem indiscretam, incognitam, perniciosam, valde periculosam, & illicitam.

Quòd autem sit supra humanam facultatem, ac moraliter impossibilis probatur. Quia nulla illarum rerum, quas Alchymici ad dictam transmutationem adhibere solent, est causa efficiens principalis ejusmodi effectus, cùm nulla sit æque perfecta, ut effectus, qui intenditur. Et quamvis Alchymici asserant in iis rebus esse semen auri, & argenti, hoc tamen quidem dicunt, sed non probant. Oportet nanque omne semen agere in virtute alicujus causæ principalis, quam isti non possunt certò indicare, neque experientia probare. Quia, ut ait D. Thomas *loc. cit.* Alchimistæ faciunt aliquid simile auro, quantùm ad accidentia exteriora, sed tamen non faciunt verum aurum. Quia forma substantialis auri non est per calorem ignis, quo utuntur Alchimistæ, sed per calorem Solis in loco determinato, ubi urget virtus mineralis. Et ideo tale aurum non habet operationem consequentem speciem auri.

Secunda sententia firmat, id fieri posse arte alchymica & consequenter à superstitione, & arte magica eam liberant. Hanc defendit Delrius *lib.* 1. *macar. cap.* 5. *qu.* 1. *sect.* 2. & 3. & *qu.* 4. contendit, hunc artis usum licitum esse, Sylvester, inquiens secundùm se nihil continere illicitum. Quia uti naturalibus causis ad naturalem effectum, non est illicitum per se. Et ita etiam tradit Torreblanca *lib.* 2. *d. cap.* 4. *n.* 14.

Et quidem si verum, & perfectum aurum ab Alchymistis potest effici, haud dubiè chymica facultas una de præcipuis Magiæ naturalis partibus censenda est; nimirum tale opus Magiæ, tum propter vim, ac potentiam artis maximè admirandum esset, tum propter magnitudinem utilitatis, optatissimum, atque gratissimum mortalibus accideret. Audiamus quid eruditus vir Scaliger ea de re scriptum reliquit *contra Cardanum exercit.* 327. Triplex est, inquit, Magia. Una hîc infima, & nostras sanè & fœda, & sordida cum cantiunculis, cadaveribus, & funibus suspendiosorum, quæ, siquis attrectare audeat, mereatur. Altera ex astris deducit vires in specula, sigilla, annulos, tabellas. Tertia divina est. Nomen apud vulgus odiosum fecit colluvies impostorum. At Magus apud Persas nihil aliud, quàm Sapientem sonat; sed propter Smerdis proditionem, & perfidiam nomen Magorum infensum diù fuit. Hac Magia Dominum Jesum fuisse promissum Regem, cognoverunt Magi, qui ad eum adorandum longinquis è regionibus profecti sunt. E Syrorum libris hæc descripsimus. Aiunt Magiæ & transmutatoriæ artis vires, usus, & fines esse perquam similes. Opus & finem Chymistarum, esse corpus in corpus. Opus, & finem Magiæ, esse spiritum in corpore. Magi suas affectiones violentias appellant, propterea quòd, vires suas supra eas, quæ naturæ ordine fieri videntur, exercent. Chymistæ suum opus nominant Fortitudinem; hoc enim significat decantatum illud, Elixir, in cujus fide omnem oppignorant naturam.

Et posse revera effici aurum interventu alchymiæ, docent Albertus magnus *lib.* 3. *de mineralibus cap.* 9. Janus Lacinius, qui de facultate chymica in transmutandis metallis multa disputavit, ejusque disputationis summam memorat Cardanus *loc. cit.* Antonius Mirandulanus *in opere, quod scripsit de eversione singularis certaminis lib.* 19. *sect.* 7. Pererius *de magia lib.* 1. *cap.* 12. ac fusissimè Robertus Vallensis *cap.* 1. *oper. de verit. & antiquit. artis Chymicæ*, argumentando non solùm ab autoritate humana omnis generis Poëtarum, Philosophorum, Jurisperitorum, Theologorum, sed etiam à sacra divinarum Scripturarum. Primoque loco affert testimonium Esdræ lib. 4. cap. 8. *Dicam autem coram te, Esdra. Quomodo autem interrogabis terram, & dicet tibi, quoniam dabit terram multam magis unde fiat fictile, parvum autem pulverem, unde aurum fit.* Quod ille censet explicatissimam assertionem Alchymiæ. Verùm quia ille liber Esdræ inter hagiographa non annumeratur, addit illud Ecclesiastici cap. 38. *Altissimus creavit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit eam.* Item illud Davidis Psal. 18. *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terra, purgatum septuplum.* Quem locum duplici alia lectione illustrat. Prior est, eloquia Domini, eloquia munda, argentum igne examinatum in vase terreo, purgatum septies, Posterior verò est hujusmodi: Verba Dei, verba pura, argentum in Aludele exustum, in terram,

seu

seu pulverem refusum septies. Est Aludel vox Arabica, latinè sonans sublimatorium, aut vas, in quo fit sublimatio chymica, de qua Geber *lib.* 2. *cap.* 43. Quod ergo sublimatione per ignem lentum facta, septiesque iterata argentum quovis auro perfectiùs reddatur, inde David puritatem, & nitorem divinæ legis, supra quodvis vulgare aurum expressit ea comparatione argenti in Aludele per fusionem chymicam repurgati.

Qui loci omnes, licet efficaciter non probent Chrysopœiæ veritatem, alias enim possunt habere interpretationes, posterior tamen Psalmi locus, saltem probat illius artis veritatem in argento, aliisque metallis igne excoquendis, & scoriis ac fæcibus abjectis expurgandis; ex quo postea probabiliter colligitur ad tantam perfectionem illam artem pervenire posse, ut per illam applicando activa passivis verum aurum confici possit. Autores enim hujus secundæ sententiæ, adductis divinarum Scripturarum autoritatibus, non illam propterea defendunt, tanquam quid pertinens ad fidem, sed tanquam quid in Philosophia probabile, quæ in suis etiam sententiis divinarum Scripturarum suffragium quærere solet. Unde quod *lib.* 3. *Reg. cap.* 10. legitur fecisse Salomonem, ut tanta esset abundantia argenti in Hierusalem, quanta & lapidum, probant aliqui non tam thesauris paternis, aut navigationi triennali per mare rubrum in Ophir, quàm ipsi lapidi Philosophico acceptum esse ferendum.

Stante igitur Philosophicæ hujus sententiæ probabilitate, de qua Pererius *loc. alleg.* & nos *alibi*, existimo, libros, prout Chrysopœiam spectant, non esse simpliciter, & absolute confingendos. Unde etiam hactenus nullos illorum jure positivo communi fuisse prohibitos, etiam post extravagantem Joannis XXII. contra Alchymistas, rectè notavit Delrius *lib.* 1. *magic. cap.* 5. *qu.* 4. Dixi simpliciter & absolutè. Quia non sunt probandi illorum libri, qui, ut Alchymiæ opera, & arcana occultent, non solùm iisdem verbis utuntur, quæ in rebus sacris, atque divinis mysteriis usurpare solemus, sed etiam sub illis, tanquam sub metaphoris Philosophica latere arcana somniantes, sic illa explicare conantur. Quod quàm sit absurdum divinisque mysteriis injuriosum, patet. Nam, licet non minus ex arte chymica, quàm ex omnibus aliis scientiis naturalibus, possint desumi aliquæ similitudines, ac metaphoræ ad explicanda Sacrosancta, fidei nostræ mysteria, quod tamen illa subserviant ad declaranda rerum omnino naturalium, & inferiorum arcana, videtur eorum dignitati omnino dissentaneum, atque adeo improbandum.

Hinc non solùm hujus artis libri legi, sed etiam illa licitè potest exerceri, cùm nullo jure in foro fori hanc artem fuisse prohibitam, ut non liceat eam exercere ex defensione juris positivi, ut tradit Delrius loco superiùs adducto, ubi de communi jure loquitur, tam civili, quàm Canonico, non de particularibus locorum Statutis, vel Regnorum Sanctionibus. In foro autem conscientiæ non promiscuè, sed cum delectu hanc esse permittendam, imò plerisque, ut perniciosam atque adeò illicitam esse prohibendam. Sic quicquid illiciti est, id non ex artis natura, quæ in se mala non est, imò, quatenus ars est, & scientia secundùm se bona est, proficiscitur, sed à vitio tantùm circumstantiarum, quæ, utplurimùm in hac operatione reperiuntur. Unde, si hæ desint, non est quod in ea reprehendatur. Sed, quia vix unquam desunt omnes, rarò fit, ut alicujus ratione non adsit vitium, & peccatum, & ideò dicitur plerisque perniciosam, & sic illicitam esse censendam. Hæ autem circumstantiæ, & veluti capita cæterarum sunt quatuor. Finis, modus, tempus, persona. De quibus plura videri possunt apud Delrium *ibidem*, Raphaelem de la Torre 2. 2. *pu.* 96. *art. disp.* 9. & Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 40. *num.* 51. & latè Graffium *p.* 1. *dec. lib.* 1. *cap.* 28. negans chymicum pertinacem esse sacramentaliter absolvendum. Quod tamen debet intelligi, quando ejus studium ex aliqua circumstantia esset perniciosum, non autem de illo secundùm se.

CONSULTATIO LXV.

Quotuplex sit Magia? Ejus vera distinctio. An sit aliqua Magia non naturalis, hoc est, quæ non ad naturam, sed ad dæmones necessario referri debeat? Sive an detur Magia dæmoniaca, cujus prima species vocatur Goetia, sive Magia specialis, & nigra? Et qui spiritus illi sint, quorum opera Magi mira faciunt? Ac de Negromantia, deque Magia Cabalistica, & quis Magiæ Inventor?

VArias Magiæ species, neque hanc artem antea in totum vel commendavimus, vel damnavimus. Nunc quam alii Magiæ varietatem tradiderint, ostendamus. Plinius *lib.* 30. *cap.* 2. complures. Magiæ species ab Osthane principe ejus artis doctore traditas esse commemorat. *Namque*, ait, *& ex aqua, & ex sphæris, & ex aëre, ex stellis, & lucernis, ac pelvibus, securibusque, & multis aliis modis divina promittit, præterea umbrarum inferorumq; colloquia.* Sed Jamblicus in libro suo de mysteriis Ægyptiorum, Proclus *in libro de sacrificiis* duplicem faciunt Magiam, sicut etiam ex Porphyrii doctrina refert D. Augustinus *lib.* 10. *de Civit. cap.* 9. Alteram vocant Theurgiam, nempe bonam, & laudabilem, qua certis quibusdam hostiis, & sacrificiis, munditia quadam animæ, & corporis, aliisque sacris cæremoniis bonos, ac beneficos dæmones invocant, quorum afflatu, & auxilio, & occulta manifestant, & futura prænuntiant, & mira edunt opera, quæ supradicti Scriptores miris laudibus celebrant. Alteram appellant Goëtiam, & Necromantiam, quæ mortuos excitat, & consulit, ac per eos responsa de rebus occultis, vel futuris reddit. Dicitur Goëtia à planctu, quo circa mortuorum sepulchra eorum animæ ex inferis evocantur. Necromantia verò, quia sit divinatio ex mortuis evocatis petita.

Suidas autem distinguit Magiam, quam ait Persarum esse inventum, in Goëtiam, Magiam propriè dictam, & Pharmaciam. *Magia*, inquit, *est invocatio dæmonum, scilicet beneficorum ad aliquod bonum conficiendum, cujusmodi Apollonii Tyanæi prædictiones fuerunt. Goëtia fit per coactionem, & invocationem mortuorum, sic enim dicta est à planctu, qui fit circa sepulchra. Pharmacia verò fit, cùm aliquid porrigitur alicui sumendum ore, quod mortem ei sit allaturum, vel vehementes aliquas perturbationes, & mutationes, aut corporis, aut animi in eo sit effecturum, certis incantamentis præparatum.*

Nobis autem Magiæ species hac ratione, & ordine distingui posse videntur. Magia, alia est naturalis, de qua supra. Altera est non naturalis, quæ dæmonum invocatione, & ope utitur ad operandum. Hæc in Theurgiam, Goëtiam, & Necromantiam, rectè dividitur. Nam si quæ sunt aliæ, ad has species commodè revocantur. Illa, quam naturalem diximus, partim est Physica, cujus nomine medicinam etiam amplectimur, quæ circa occultas rerum naturalium virtutes, rerum mirabilium effectrices, versatur; partim est Mathematica, cujus excellenti peritia, quam mira fecerunt Architas, & Archimedes supra commemoravimus.

Rursu

Rursus Magia tam naturalis, quàm non naturalis bifariam dividitur. Altera enim habet veros & naturales effectus, altera simulatos tantùm nec tales revera, quales videntur. Hanc uno vocabulo Præstigiatricem appellamus. Suis enim præstigiis adeò præstringit, & eludit sensus humanos, ut faciat videre quæ non sunt, & non videre quæ sunt, idque vel interventu & adminiculo dæmonum, vel operatione naturalium agentium, vel incredibili tractu, atque agitatione manuum, de quo etiam supra. Hæc dividitur in Opticam, & Pharmaticam Illa manuum, digitorum, aliarumque partium corporis incredibili agilitate, & motione, defixum in res obtutum spectantium frustratur. Hæc collyriis, suffumigationibus, alligationibus, potionibusque sensus interiores, & exteriores ita perturbat, ut secus quàm revera est judicent de sensibilibus exterioribus. Utitur etiam illa prior laminis, annulis, imaginibus, speculis vario situ, varioque modo positis, & transpositis. Magiæ porrò naturali quidam duas alias species adjungunt; alteram vocant Astronomicam, alteram Cabalisticam, quæ an sint meræ nugæ & quorundam hominum commenta, an revera aliquid solidi habeant, & præstent, nunc paucis dijudicandum est.

Astronomicam appellant, quæ certas quasdam imagines, & figuras, annulos, sigilla, statuas, & alia quædam horum similia fabricat, in quibus ejus cultores, ac defensores affirmant, cœlestium corporum virtutes, & influxus recipi, receptosque miros effectus præstare. Sed hæc vana sunt, nec modò à Christiana veritate, ac pietate, sed etiam à Philosophica ratione, ac disciplina longè remota. Virtus enim cœlestis per se universalis est, ac indeterminata ad hunc, vel alium quemlibet effectum producendum. Determinatur autem per causas naturales particulares. Illæ autem imagines, & figuræ Astronomicæ non sunt causæ naturales, nec habent vim, aut efficiendi quippiam, aut præparandi materiam ad hunc vel illum effectum recipiendum.

Deinde cœlum naturaliter operatur. Illæ autem imagines sunt ingenio, & artificio hominum inventæ, & pro eorum arbitrio adhibitæ. Non igitur per illas virtus cœlestis modificari, aut determinari potest.

Præterea. Lignum, quocunque modo figuretur, non potest in se recipere immediatè formam equi vel leonis, nec vitrum, aut aurum formam plantæ. Multò igitur minùs hujusmodi materiæ, propterea quòd ab ipsis Astronomis variè figurentur, idoneæ, habilesque reddentur ad certas quasdam virtutes syderum recipiendas, & ad aliquos mirabiles effectus producendos.

Ad hæc: Quænam est naturalis convenientia illarum astronomicarum imaginum cum cœlo? Neque enim est vel secundùm figuram, vel secundùm naturam, vel motum, vel qualitates. Quomodo igitur res naturales sine ipsis figuris non sunt idoneæ ad divinos illos syderum influxus accipiendum, signatæ autem, & adornatæ istis imaginibus, statim fiunt idoneæ? His accedit, quod insignia visu, effectuque sydera si mathematicis demonstrationibus credimus, ampliora sunt, quàm universa terra. Quomodo igitur influxus illorum ad unam imagunculam astronomicam restringitur, ut non etiam per alias res quamplurimas tali figura carentes diffundatur? Nullus igitur novus effectus ab hujusmodi Magia astronomica proficiscitur, & siquis fortè cernitur aliquando, is non earum imaginum, aut syderum potentia, sed occulta dæmonum opera, quò ejusmodi fraudibus mortales circumveniant, proficiscitur. Atque hæc contra Apponensem, Cardanum, & Pomponatium sunto. De Magia verò Cabalistica mox.

Quod autem sit aliqua Magia non naturalis, haud est ambigendum. Multa enim faciunt Magi, quæ nullo modo effici possunt per causas naturales, sed ea necessariò referri debent ad aliquas substantias incorporeas, quæ occultè cum ipsis Magis, & per ipsas operantur. Magi enim nonnunquam faciunt statuas è ligno, vel alia materia factas, nullo extrinsecus impellente, moveri ex se motu progressivo, & humano, quin etiam loqui ac respondere ad quæstiones de variis rebus propositas. Si id fieret naturaliter, cùm natura nunquam det operationem aliquam, nisi dando formam, ex qua illa operatio procedit, supradictæ verò actiones, sint tantummodo animalium perfectorum, & quædam propriæ hominis, oporteret in illa statua productam fuisse animam sentientem perfectam, & animam rationalem. At nec hujusmodi animæ possunt esse subjectivè in tali materia, qualem habent illæ statuæ, quippe quæ carent vita, & sensu, nec animalia perfecta possunt generari, nisi ex semine à sui similibus, nec potest natura simul & generare animal perfectum, & perfectam illi magnitudinem dare. Necesse igitur est, prædictas operationes statuarum, non à natura, sed ab aliquo dæmone, qui intra illam statuam latet, proficisci.

Deinde Magi quædam manifestant occultissima, & quæ ratione humana eis nota esse non poterant, veluti furta clam facta, thesauros alicubi reconditos, res quæ in remotissimis regionibus geruntur, quæ quisque olim vel dixit, vel fecit. Denique prædicunt quædam futura. Hæc autem opera sunt mentis, & quidem sublimioris, atque præstantioris, quam est humana.

Præterea Magi cùm volunt mira illa facere, certis quibusdam vestibus induuntur, ducunt quasdam lineas, & circulos, describunt figuras, pingunt characteres, & alia quædam adhibent, quæ per se nec vim habent naturalem producendi illos effectus, nec præparandi materiam ad illos producendos, aut accipiendos. Non igitur Magi opera illa faciunt per causas naturales.

Ad hæc, supra omnis naturæ corporeæ potestatem est illud, quod aliquando faciunt Magi, ut ad eorum præsentiam & fores & alia loca, quæ clausa sunt, repente patefiant. Interdum etiam se vel alios repente ex hominum conspectu subducunt, quod de Apollonio Tyanæo memoriæ proditum est. Is enim cùm sisteretur in Prætorio ante Domitianum Imperatorem, repente ex oculis omnium evanuisse dicitur.

His accedit, quod Magi non faciunt hæc, nisi pronunciando certas quasdam voces, & verba, in quibus illi totam, vel maximam vim artis Magicæ ponunt. Voces autem, & verba, cùm ex se non habeant aliam vim, quam significandi, vel quodammodo afficiendi auditum, non possunt esse causa, ut aliquid fiat, nisi dupliciter. Vel ratione rerum, quæ illis verbis dicuntur, quæ res intellectæ ab audientibus, eos variè afficiunt, & movent, præsertim adjuncta decenti convenientique actionis, & pronuntiationis ratione, & hoc modo brutorum, & concionatorum verba movere solent audientes. Sed hic modus movendi non nisi ad audientes, qui intelligunt, pertinere potest. Vel movent verba propter suavitatem modi, quo modulatè, & artificiosè cum suavitate, ac dulcedine auditum afficiunt. Qua ratione non solùm homines, sed bruta vocibus musicis variè affici, ac permoveri cernimus. Neutrum autem horum reperitur in vocibus Magorum. Non igitur per illas voces, tanquam per causas naturales, illos suos effectus producunt. Jam verò cùm Magi ad faciendum quod volunt adhibeant quasdam invocationes, obtestationes, comminationes, sacrificia, prostrationes corporum, & alia ejusdem generis, quis non liquidò cernit, hæc non posse referri ad naturam corpoream, ratione, & intelligentia carentem, sed ea naturæ alicui incorporeæ ac intelli-

telligenti, cujus Magi opem implorant & sine cujus concursu, quod intendunt, efficere non possunt, exhiberi?

Postremò, ne quis vel ambigendi, vel cavillandi sit locus, id omnem tollit dubitationem, quòd non solum Magi miranda illa opera per seipsos faciunt, sed quasi quędam dictata tradêtes aliis, eadem per illos perficiunt: quin etiam usu venit, quosdam plane ignorantes, an illa essent vel à dæmone tradita, vel magicis pravitatibus infecta, fidem tamen habentes illis sibi dictatis, eisque utentes, mira etiam fecisse. Quod apertè demonstrat, facultatem ejusmodi res perficiendi non esse naturalem. Non ignoro, Petrum Apponensem, Cardanum, maximè verò Pomponatium *in libro de Incantationibus*, ejusmodi opera Magorum, exclusis dæmonibus, ad solas causas naturales conatos esse referre, sed frustra & infœliciter. Verùm eorum opinionem alibi refellimus. Interim sciendum hanc nostram sententiam ab omnibus Platonicis fuisse probatam, ac litteris traditam. Hoc enim sensit Plotinus, Porphyrius, Iāblicus, Proclus. Hæc etiam fuit Pythagoreorum doctrina, imò ante hos omnes idem in Pæmandro sensit, ac docuit Mercurius Trismegistus.

Has autem substantias, incorporeas, quæ favent Magis, eosque juvant ad illa opera facienda, quæ non fiunt per causas naturales, sed excedunt naturæ corporeæ potestatem non esse bonos Angelos, sed malos, quos dæmones appellant è multis sane firmis, manifestisque argumentis ostendi potest.

Primo ejusmodi spiritus jubent se à Magis adorari tanquam Deos, sibique sacrificia fieri. Hoc autem est proprium dæmonum, qui honorem divinitatis, quam à principio affectantes assequi non potuerunt, decipiendis hominibus aliquo modo obtinere cupiunt. Boni autem Angeli ejusmodi honores non solùm non optant, sed etiam vehementer aversantur. Vnde legimus *in Apocalypsis cap.* 19. Angelum quemdam prohibuisse, ne Joannes ipsum adoraret, dixisseque, *Vide ne feceris: conservus enim tuus sum &c. Deum adora.*

Deinde Magi sunt homines flagitiosissimi, & artibus magicis abutuntur ad inferendum exitium aliis, hoc est ad patrandum adulteria, furta, homicidia, infanticidia. Boni autem Angeli maleficis hominibus non favent, & ab ejusmodi sceleribus abhorrent.

Post hæc Magi multa miscent mendacia, multasq; fallacias, quibus homines circumveniunt, ac decipiunt, ad quod Angeli boni cooperari non possunt.

Præterea Magi invocando eos, quorum abutuntur opera, minantur illis quædam impossibilia, nisi venerint & cùm venerunt, imperant illis, & cogunt, ne inde discedant. Hoc autem imperium non possunt habere homines in Angelos bonos. Habent autem in dæmones, vel quia superior dæmon, cum quo Magi habent societatem ac fœdus inierunt, cogit inferiores dæmones parere jussis Magorum, vel simulant dæmones se cogi a Magis, cùm tamen id voluntariè faciant, nec ab illis cogi queant, quò faciliùs decipiant homines, tantam vim & autoritatem Magorum admirantes, ac illis fidem adhibentes.

Quod autem Dominus noster argumentatur, se non ejicere dæmones potestate principis dæmonum, quia non potest Satanas Satanam ejicere, alioqui regnum ejus divideretur, nec diù stare posset, intelligendum est de perfecta ejectione dæmonis ab homine, hoc est, tam ex corpore ejus, quam ex animo; vel de ejectione, quæ proficiscitur ex odio dæmonis, & desiderio exercendi imperium quod habet in homines.

His adde, quia, ut inquit Eusebius *lib.* 5. *de preparat. Evang. cap.* 7. unde potuerunt Magi discere verba illa, & cœremonias, quibus dæmones advocant, eosque vel loco, vel annulo, vel vasi, vel statuæ, vel aliis rebus adesse cogunt? Unde scire quibus sacrificiis, libamentis, aut suffimentis dæmones avertantur, & fugentur, vel oblectentur, & alliciantur? Et alij quidem dæmones aliis rebus? Unde, inquam, homines hæc discere potuissent, nisi ab ipsis dæmonibus?

Et quid? Non enim est credibile hominem posse imperare Angelis bonis, eosque vel reluctantes cogere, & compellere ad aliquid faciendum. Quod tamen Magos facere disertissimis verbis declaravit Porphyrius in epistola ad Anebonum Ægyptium, quam Eusebius *loco citato cap.* 6. scriptis suis inseruit. Ex ea verò nonnulla, quæ ad rem pertinent, hic adscribam. Proponit autem in ea Epistola Porphyrius nonnullas dubitationes circa ea, quæ Magi faciunt, dæmones invocando.

Prima dubitatio est: *Quomodo Magi invocant, & obsecrant dæmones, tanquam superiores, & eisdem tamen tanquam inferioribus imperant, & quod volunt, facere eos cogunt?*

Secunda. *Cur dij Magorum jubent homines esse justos, ipsi autem à Magis jussi multa patrant iniqua, & flagitiosa?*

Tertia. *Nolunt illi exaudire Magum, qui non multis diebus ante se abstinuerit à Venere, ipsi tamen jussu Magorum illiciunt, & incitant homines ad turpes, & nefandas libidines.*

Quarta. *Volunt Magum invocaturum ipsos ante ab esu carnium abstinere, cum ipsi tamen nidore ac sanguine cæsorum animalium maximè oblectentur.*

Quinta. *Et qui mortuum tetigit ad operationes magicas accedere non licet, cùm tamen mortuis cadaveribus animamalium res magicæ ferè peragantur.*

Sexta. *Magi minantur Soli, & Lunæ ac diis cœlestibus, dicentes se concisuros Cœlum, & arcana Isidis edicturos, & Osiridos membra Typhoni tradituros, nisi dii adveniant, & respondeant ipsis; absurdum tamen videtur, Deos, quasi infantes ejusmodi fictis minis ac terroribus commoveri, moveri autem eos istis minis Chereon Sacer Scriba testatur, & hæc esse illa, inquit, quibus dæmones maximè coguntur.*

Septima. *Preces autem, & orationes, quibus utuntur Magi invocantes suos Deos, inanes, & ridiculæ videntur. Sic enim eos compellant. Tu, inquiunt, qui è limo emersisti, qui sedes in loco, qui navigio navigas, qui singulis horis formam commutas, & in singulis zodiaci signis commutaris. Atque his precationibus, & adjurationibus aiunt Deum se hominis visui subiicere.*

Octava. *Quid sibi volunt verba illa barbara, & nihil plane significantia, quibus Magi utuntur ad Deos suos advocandos? Nam si ad verborum significationem dij respiciunt, quacunque voce eadem res significetur, movebuntur; non enim dii sunt Ægyptii, vel Scythæ, vel illis linguis utuntur, aut illas tantum norunt.*

Nona, *Cum dæmones sint supra ordinem rerum sensibilium quomodo possunt rebus vel allici, vel etiam cogi? Quare aut Magorum malignitate hæc omnia sunt excogitata, qui nostras passiones Deo attribuere ausi sunt, aut aliter homines de Deo cogitant, quàm rei veritas habeat.*

Hæc in illa epistola Porphyrius. Jamblicus autem, quem Simplicius, & alii ob magnam peritiam rerum divinarum cum incredibili studio, & religione conjunctam divum prænominare solent, *in libro quem de mysteriis Ægyptiorum scripsit*, ad supradictas omnes Porphyrij dubitationes respondere conatur. Sed ejusmodi sunt omnia ejus responsa, ut videantur esse magis incredibilia, & absurda majoribusque implicata difficultatibus, quàm illæ ipsæ, quæ propositæ sunt dubitationes.

At quæret forsitan aliquis, *Cur dæmones nonnisi sub certis quibusdam. Cœli constellationibus, & nonnisi certis quibusdam vel lapidibus, vel herbis, vel figuris, aut aliis signis adhibitis, advocentur à Magis, nec aliter opera magica fiant?*

Respondetur, id quidem facere dæmones varias ob causas. Primò ut inducant homines in eum errorem, ut credant, esse aliquod Numen, ac divinitatem in stellis, easque pro Deo adorent, & colant, Deinde, ut simulando per stellas multa maleficia, multaque incommoda, & detrimenta inferri hominibus, infament eas, & exosas reddant hominibus. Tum quia dæmones, cùm nonnisi per causas naturales operentur, animadvertunt secundùm certas aliquas constellationes materiam, circa quam operari volunt, magis affici, & præparari ad effectus illos accipiendum. Hinc fit, ut nonnunquam dæmones secundùm incrementa Lunæ, maximè quosdam vexent, qui propterea vocantur lunatici, quos Dominus sanasse dicitur *in Evangelio Matthæi cap.* 4. & 13.

Cùm enim cerebrum hominis, autore Aristotele, sit omnium corporis partium humidissimum, ideoque maximè subjiciatur potestati Lunæ, quæ magnam habet potentiam & vim commovendi humores, in cerebro autem perficiantur actiones secundùm incrementa Lunæ, maximè perturbent phantasiam hominis, quia vident tunc cerebrum ejus ad id esse magis præparatum. Dæmones porrò, sicut dixit Augustinus *lib.* 21. *de Civit. cap.* 6. alliciuntur herbis, lapidibus, animalibus, carminibus, aliisque cæremoniis, non tanquã animalia cibis, sed ut spiritus signis, ea ratione, ut hæc illis exhiberentur in signum divini honoris, cujus illi sunt cupidissimi. De hoc vide D. Thomam *par.* 1. *qu.* 115. *art.* 5.

Et profectò qui dæmones negant, etiam aliquam Magiam dæmoniacam esse negant. Dæmones tamen esse, & dæmoniacam Magiam, quæ nec industria, aut artificio hominum, nec naturalibus causis, sed immateriali quapiam & separata virtute nititur, pluribus sacræ Scripturæ testimoniis tam libri Job, quàm Exodi compertum est.

Prima igitur Magiæ dæmoniacæ species vocatur Goëtia, sive specialis, ac nigra, ejusque consideratio ad duo potissimùm capita reduci potest. Primùm continet ea, quæ dæmones, vel Magi eorum ope agere possunt in res creatas secundùm ea, quæ ipsimet dæmones ab illis pati possunt, ita tamen, ut omnium operationum magicarum veluti basis, & fundamentum sit pactum per Magos cum dæmone initum, quod pactum, ut sæpè diximus, est duplex. Unum expressum; alterum tacitum. Iterum pacti expressi triplex est modus. Primus fit solemnitate varia, & ipsi cacodæmoni visibiliter in corporea aliqua forma apparenti, coram testibus fidelitas, & homagium promittitur. Aliquando etiam id fit per libellum supplicem, qui dæmoni præsentatur. Alius modus priori similis est, nisi quòd sine testibus peragitur. Tertius per vicarium initur, magum videlicet, vel tertium aliquem, cùm paciscens dæmonis aspectum, vel colloquium reformidat.

Pactum verò tacitum duplex est. Primum quando quis sciens, ac volens superstitiosis utitur signis, quibus uti solent Magi, estque semper peccatum mortale. Secundum, quando quis ignorans magicis utitur signis, quia nescit esse mala, & à dæmone instituta. Et hoc, vel nullum, vel levissimum est peccatum, si duæ conditiones accedant. Prima si ignorantia sit probabilis, v.g. eorum, qui hoc scire non tenentur: Secunda, ut ignorans ista, paratus sit, quando fuerit admonitus, hujusmodi superstitionem relinquere.

Sed venio ad Magiam Cabalisticam, quam Philosophi quidam Judæorum, & de Christianis nonnulli, vanitatis magis, quàm veritatis studiosi, ac res curiosas, atque inauditas, quàm veras & solidas discendi avidiores, affirmant scientiam esse, Mosi primum à Deo in monte Sina traditam, deinde, non quidem litterarum monumentis, sed ore tenus à prioribus per quandam velut manuum traditionem ac receptionem, posteris traditam, adhuc fuisse conservatam. Qua etiam ratione ferunt veteres, disciplinam Pythagoricam multis seculis esse conservatam.

Complectitur autem hæc Magia Cabalistica universam Philosophiam, divinam & humanam, necnon & naturalem, omniumque rerum doctrinam mysticè, ac symbolicè continet, non eam more aliarum humanarum disciplinarum rationibus, & argumentis, disputationibusque tractans, sed numeris, figuris, ac symbolis ita, quod in ea singulæ, litteræ, figuræ, nomina, elementa, apices, lineæ, puncta, accentus, spiritus, & siquid aliud est minutius, profundissimam quandam, & abditissimam ingentium rerum significatricem doctrinam habent, cujus specimen dedi in consultatione de libris Thalmudicis & Cabalisticis.

Hanc Magiam qui benè teneat, eum nihil non pollere, aiunt, omnia scire, ac præscire, naturæ imperare, cunctaque res ei obedire. Hac Mosen prodigia illa fecisse in Ægypto, & in deserto, hac Josue, Eliam, Elisæum, & Isaiam, Danielem, Samuelem tot, tantaque fecisse miracula. Dicunt enim nomina, quæ Deus per Adamum cunctis rebus secundùm suas cujusque rei proprietates imposuit, fuisse hebraïca, quibus rerum omnium substantiæ, qualitates, & proprietates exprimantur; quocirca his nominibus naturales res appellanti, confestim res omnes se illi subjiciunt, & ejus obsequio se totas addicunt. Hujus amentiæ expers non fuit Vviclef, qui, ut memorat. Thomas Vvaldensis *in opere suo de sacramentalibus*, dixit: *In statu innocentiæ Adam imposuisse nomina animalibus secundùm naturales eorum proprietates, quibus nominibus appellata ab homine, statim ei obedivissent, ejusque omnia jussa fecissent, & hujus rei reliquias remanere in exorcistis, & incantatoribus, & ad id magnam vim habere voces hebræas.* Cujus sententiæ doctam, copiosamque confutationem lege apud ipsum Vvaldensem.

Verùm adeo est inerudita, insulsa, & ridicula hæc Cabalistarum opinio, ut nihil æque mirum sit, quam ulli hominem sanæ mentis aliquando eam probari, ac persuaderi potuisse. Sed ita est profectò. Sunt ingeniorum similiter, ut hominum monstra quædam, ac portenta, è quibus ejusmodi opinionum deliria proficiscuntur. Nonne incredibile est, Solem ac Lunam, cæteraque astra, elementa item, ac stirpes, cum ratione careant, divinam illam vim, quæ latet in vocibus hebræis sentire, eaque sic affici, ac permoveri, ut homini pro ejus arbitrio pareant. Sed esto noverint illam vim, vel omnes res naturales, vel certè animantes, aut homines, num ideo ejusmodi nominum appellatione eas continuò moveri necesse est? Si reconditissimam illam vim, & efficaciam vocum hebræarum, quam jactant Cabalistæ, paucissimi hominum intelligunt, nec nisi qui illa eadem arte sunt initiati, quomodo eam agnoscent ac sentirent bruta, cæteraque non ratione modò, sed etiam sensu carentia? Cur tribuunt tantam vim vocibus, & characteribus hebrææ linguæ, quam omnium vetustissimam, & primam ferunt, cùm certè constet, alios esse characteres hebræos, qui nunc extant, quàm qui olim fuerant ante captivitatem Babylonicam? Quod Hieronymus *in prologo galeato* affirmatè scribit, dum ait; *certum est, Esdram post captam Hierosolymam, & restaurationem templi sub Zorobabel, alias litteras reperisse, quibus nunc utimur, cùm ad illud usque tempus iidem Samaritanorum, & Hebræorum characteres fuerint.*

Nec verum est, in lingua hebræa reperiri voces, quæ omnium rerum naturas, infimasque differentias, & proprietates exprimant, nec in declarandis rebus uberior est, aut significantior hebræa lingua, quàm græca, vel latina, nec ullum est nomen in ulla lingua, quod simul alicujus rei & substantiam, & differentias, atque proprietates, tam genericas, quàm specificas, atque individuales aperiat; nec in vocibus hebræis per se sumptis, plura, majorave latent mysteria, quàm vel in græcis, vel in latinis. Legimus in Scriptura, quomodo Moses, & Aaron per virgam eis à Deo traditam, plurima, maximaque fecerint prodigia. Legimus Josue retinuisse cursum Solis & Lunæ cùm dixisset: *Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Aialon, stetitque Sol in medio Cœli, & non festinavit occumbere spatio unius diei. Nec fuit antea & postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israele.* Narrantur etiam Samuelis, Elisæi, & Danielis miracula, nec tamen usquam de istis Cabalisticis mysteriis ulla mentio, aut verbum fit. Si tanta est Cabalistica Magiæ vis, ac potestas, ut cœlis imperet, Solem sistere, aut retrocedere cogat, maria dividat, flumina siccet, totamque naturam commutet, & sibi ad nutum obedire faciat, cur isti sapientes Cabalistæ ejus artis peritissimi, talia nunquam patrarunt, vel etiam nunc patrare possunt? Certè Philosophi Judæorum, qui sibi hanc sapientiam arrogant,, ad excutiendum jugum durissimæ servitutis, quo miseri jam mille ac septingentis ferè annis oppressi tenentur, ea uti debuissent. Accedit & ratio. Quia, ut sæpè diximus, verba nullam

jam vim, neque artificialem, neque naturalem, neque supernaturalem, habent ad hujusmodi effectus producendum. Non artificialem. Nemo enim unquam id suspicatus fuit. Neque supernaturalem. Nam esset gratiæ, aut miraculi. Hoc autem dici non potest, quia Deus nihil tale promisit, neque Ecclesiæ revelavit, quale Cabbalistæ jactitant. Ergo vel est prodigiosa, vel naturalis. Non quidem prodigiosa ministerio bonorum Angelorum, quia hi se non immiscent magicis operationibus. Ergo ministerio dæmonum. Non denique naturalem. Quia verba si scripta sunt, quid mortuum sunt. Si ore prolata, vim tantùm habent contactu aërem feriendi, ut animalium, reliquorumque inanimatorum soni. Restat igitur, quòd hæc ars sit superstitiosa, & magica pertinens ad pactum & fœdus cum dæmone.

De Necromantia quæ secunda species est Magiæ, nonnihil dicendum, ut qualis, quantave sit ejus vis, vel potiùs fraus, & fallacia ostendamus. Necromantici profitentur se animas mortuorum evocare posse, ex eisque cognoscere multa, quæ sunt occultissima, vel etiam futura. Animas autem mortuorum, præsertim eorum, qui flagitiosè vixerunt, aut violenta morte de vita deturbati sunt, Magis eas invocantibus adesse, respondere, multaque manifestare, docet Porphyrius *lib. 2. de abstinent. animal.* Nam cùm de pravis & fallacibus dæmonibus dixisset, mox hæc subdit de animabus: *Prava*, inquit, *anima, quæ corpus suum violenter reliquit, expoliata ad hoc ipsum deinde se admovet, ibique moras trahit. Unde nonnunquam visæ sunt animæ lamentari. Nam animæ carentium sepultura, circa corpora immorantur, quibus malefici sæpiùs abutuntur ad ministerium suum explendum, compellentes animas à positione corporis, vel partis cujusdam assumptione. Quocirca qui vaticinantium animalium insinuari sibi animas optant, præcipua illorum membra deglutientes, veluti cervorum, vel talparum, vel aliorum accipiunt, & ita præsentem sibi faciunt animam, Dei ritu vaticinantem. Talis enim anima unà cum sui corporis integra sumptione, in corpus humanum se penitus ingerit.*

Magnam sanè huic arti fidem facere videtur quod legitur 1. *lib. Reg. cap.* 28. Pythonissam rogatu Regis Saulis excitasse à mortuis animam Samuelis, fecisseque ut Sauli de eventu impendentis belli consulenti, quæ mox ei eventura erant, prænunciaret. Et quidem Augustinus *lib. 2. ad quæstiones Simpliciani*, respondens *ad 3. quæst.* & *in libro de octo Dulcitii quæstionibus quæst.* 6. disputat in utramque partem, an fuerit ille verus Samuel, an potiùs dæmon specie ac figura Samuelis. Propensior tamen est ad credendum illum non fuisse verum Samuelem, sed ejus imaginem, & simulachrum arte dæmoniaca formatum, & aspectui Saulis præsentatum. Appellari autem in Scriptura Samuelem quod illum habitu, specie, & autoritate repræsentaret.

Hoc idem citra ullam dubitationem traditur *in lib. 2. de mirabilib Sacræ Scripturæ cap. 2.* & *in libro quæstionum Veteris & Novi Testamenti quæst.* 27. qui libri nomine Augustini in ejus operibus numerantur. Tertullianus item *in lib. de anima*, non solùm hoc probat, sed contrariam sententiam omnino improbat. Nam loquens de Samuele, hæc scribit: *Ecce hodie ejusdem Simonis hæreticos tanta præsumptio artis magicæ extollit, ut etiam Prophetarum animas ab inferis movere se spondeant, & credo, quia mendacio possunt; nec enim Pythonico tunc spiritui minus licuit animam Samuelis effingere post Deum mortuos consulente Saule. Absit autem, ut animam cujusquam Sancti, nedum Prophetæ à dæmonio credamus extractam, certè quod ipse Satanas transfiguretur in Angelum lucis, nedum in hominem lucis, etiam Deum se asseveraturus, signaque portentosiora editurus, ad evertendos, si fieri posset electos.* Quibus verbis, aliisque proximè consequentibus apertè docet Tertullianus non fuisse illum verum Samuelem. Divus etiam Thomas 1. *p. q.* 89. *ar.* 8. & 2. 2. *q.* 95. *ar.* 5. *ad* 2. & *q.* 174. *ar.* 5. *ad* 4. dubitanter de hoc loquitur, sequutus nimirum Augustinum. Idemque fit *in can. Nec mirum* 25. *q.* 5. Non ipsa igitur Samuelis anima, sed dæmon larvatus, ac subdititius apparuit.

At Lyrano, ac Tostato, ac ni fallor etiam Augustino *lib. de cura pro mortuis cap.* 15. ac mihi probabilius est, imo certum, fuisse veram animam Samuelis, quæ Sauli apparuit, exercente quidem Pythonissa artem suam magicam, sed non ejus artis vi ac potentia, sed Dei imperio ab inferis excitatam, quæ dispensatione divina Pythonissam, & Saulem latente, ostendit se aspectibus iniqui Regis, divina eum sententia percussu, ut impius Rex, quæ post mortem supplicia suæ impietati debita passurus erat, jam tum acerbissimo doloris sensu prægustaret. Neque ad id probandum, aut persuadendum opus est testimoniis, vel argumentis, cùm hoc in Sacra Scriptura perspicuè traditum sit. Nam *in lib. Ecclesiastici cap.* 46. Sic est: *Et post hoc dormivit Samuel, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltavit vocem illius de terra in prophetia, delere impietatem gentis.* Falsitas tamen, sive deceptio sensuum in eo saltem reperitur, quod visa obtemperare voci Pythonissæ, cùm tamen non vi carminis magici evocata, sed Dei imperio advenerit. Et quia verum suum corpus, aut veram sindonem non attulerat, ut videbatur, saltem quod ad hoc, illusoriis effectibus annumerandus videtur.

Et sanè D. Augustinus *libro illo de cura pro mortuis*, & D. Thomas 2. 2. non obscurè significant, si liber Ecclesiastici, tanquam sacer & canonicus recipiatur, necessariò sentiendum esse, verum Samuelem apparuisse Sauli. Loquuntur autem illi cum conditione de autoritate libri Ecclesiastici, non quod non eum pro sacro & canonico haberent, sed quia nec Hebræi eam recipiunt ac reponunt in libros Canonicos, & quidam Catholicorum olim de ejus autoritate dubitarunt. Quare nobis, ut de ejus libri fide, & autoritate post Concilium Tridentinum, sic neque de vero Samuele Sauli post mortem prophetante, dubitare licet.

Celebratissima olim fuit Necromantia multis in locis, & apud multas gentes. Osthanes apud Plinium *lib.* 3. *cap.* 2. promittebat quorumlibet mortuorum excitationes, & colloquia cum vivis, majorisque admirationis est, quod extremo illo capite subdit Plinius: *Adolescentibus nobis*, inquit, *visus Appion grammaticæ artis, prodidit Cynocephaliam herbam, quæ in Ægypto vocaretur Osyrites, divinam non in vivos modò, sed etiam in mortuos habere potentiam, eaque se evocasse umbras ad percunctandum Homerum, qua patria, quibusque parentibus genitus esset.* Cicus Asculanus *in Commentariis*, *quos in sphæram edidit*, nominat librum, qui olim extabat, & inscribebatur, *Scriptura Cham*, opus magicæ ac maleficæ impietatis plenum, continens elementa & praxim Necromantiæ. Tertullianus *cit. lib. de anima*, ubi de inferis, ac defunctorum evocatione disserit: *Publica*, inquit, *jam litteratura est, quæ animas etiam justa ætate sopitas, etiam proba morte disjunctas, & prompta humatione dispunctas, evocaturam se ab inferorum incolatu pollicetur.*

Fuerunt quondam multa apud varias gentes loca, Necromantiæ usu celebrata ut Cymmericum Oraculum ab Homero *lib.* 11. *Odyssea*, cujus etiam meminit Strabo *lib.* 5. *Geograph.* Tesprotium in Epiro à Virgilio *lib.* 6. *Æneados*, apud Lucanum Erictone venefica Thessala mortuum evocat, qui Sexto Pompeio exitum Pharsalicæ pugnæ denunciet. Phigaria, Arcadiæ civitas, habuit hujusmodi Necromantas, à quibus occulta, & futura sciscitari, usitatum fuit.

Beatus Augustinus *lib. 9. de civit. cap.* 11. citat Apuleium affirmantem animas hominum dæmones esse, & ex hominibus fieri Lares, si meriti boni sunt; Lemures autem, aut Larvas, si mali, qui nullis bonis sedibus in terris vagatione puniuntur, inane terriculamentum bonis hominibus, cæterum noxium malis. Cùm verò incertum est, quæ cuique sortitio obvenerit, utrum lar sit, an larva, manes Deos nominant, & fanis, atque cæremoniis vulgò admittuntur, ut oracula reddant, ut in Bœotia Amphiaraus, in Africa Mopsus, in Ægypto Osiris, alii alibi, Æsculapius ubique. Hæc tamen ibi Augustinus verè, graviterque refellit, & apud Tertullianum *in libro de anima* sic legitur: *Nosomanas propria oracula apud parentum sepulchra mansitando captare, Eraclides scribit. Celtas apud virorum fortium busta eadem de causa abnoctare, Nicander affirmat.*

Ut verò animadvertit Sousa *in aphor. Inquis. lib.* 1. *cap.* 41. tribus potissimùm modis Necromantia exerceri solet. Primò, cùm quis certa verborum forma, certis carminibus, descriptisque circulis, figuris, aut characteribus à dæmone immediatè, vel mediatè acceptis, ferèque semper adhibito sanguine, mortuos suscitare conantur, ex eisque multa occultissima, vel etiam futura cognoscere. De quo etiam Delrius *lib.* 2. *magic. cap.* 11. Farinac. *de hæres. qu.* 181. *num.* 58. & Raph. de la Torre *tom.* 2. *qu.* 95. *ar.* 3. *disp.* 3. Secundò, cùm quis defunctorum animas, præcipuè eorum mortuorum, qui flagitiosè vixerunt, aut violenta morte obierunt, præfatis cæremoniis evocare contendit, ut occulta manifestent. Tertiò, cùm quis ex descriptis figuris, lineis, ac signis in mortuorum corporibus, vel ex certo cadaverum contactu vult occulta indagare.

Verùm has omnes mortuorum, quæ arte Necromantica fiunt, apparitiones, vanas, & falsas esse non est dubitandum. Plerasque enim ab ipsis Necromantis, aliisve fictas esse, compertum est. Si quæ autem revera contigerunt, in his existimandum est, non animas defunctorum apparuisse vivis, sed ipsos dæmones tales se ostendisse Necromantis, vel eos consulentibus, tales inquam habitu, specie, ætate, voce, & affectu, quales fuerant olim mortui, cùm inter vivos versarentur. Confirmat hoc ipsum D. Thomas *par.* 1. *qu.* 117. *art.* 4. *Non potest*, inquit, *anima separata, naturali virtute sua movere aliquod corpus. Cum enim sit naturalis forma humani corporis, non habet vim movendi secundum locum, nisi corpus, quod informat, & vivificat. Nam etiam cum est unita corpori, si sit aliquod membrum mortificatum, non obedit ad motum localem. Quare animæ defunctorum nec assumere corpora, nec cum illis ad vivos venire possunt.*

Deinde Necromantæ non habent vim, & imperium in animas defunctorum, quæ sunt in Cœlo, nec quæ sunt in Purgatorio. Non enim convenit, aut decet animas Sanctorum impiis Necromantatum artibus subjacere; neque in animas, quæ sunt in Inferno. Nam cùm illuc sint à Deo, tanquam in carcerem, detrusæ, nulla inde vi possunt efferri, nec nisi Dei mandato egredi. Non est autem credibile, Deum id concessurum Necromantis, per quos dæmon satagit mortales decipere, & à veri Dei cultu avertere. Sic enim Deus artem necromanticam, & per se infamem, ac toties à se in sacris litteris reprobatam, extremoque mortis supplicio condemnatam, non solùm honoraret, sed etiam fide, cultuque apud mortales dignam redderet.

Non proinde inficior, animas, quæ sunt in Purgatorio nonnunquam apparuisse vivis. Id enim S. Gregorius *in* 4. *lib. dialog.* nonnullis, & quidem certis probat exemplis. Neque ego, etiam animas beatas vel martyrum, vel aliorum Sanctorum descendere in terram hominibus, eorum auxilium implorantibus opem & solatium laturas. Id enim confirmat S. Augustinus *in lib. de cura pro mort. cap.* 16. exemplo B. Fœlicis, Episcopi Nolani, quem civibus suis, cùm à Barbaris oppugnarentur, apparuisse, & subvenisse affirmat Augustinus. Sed aio, mortuorum animas, cùm apparent vivis, non id facere sua voluntate, & arbitratu, nec naturali potestate, multòque minùs vi ac potentia artis necromanticæ, sed hoc fieri quodam singulari Dei consilio, voluntate, ac potestate. Non enim animas defunctorum interesse rebus vivorum minùs est miraculum secundùm Augustinum *loc. cit.* & secundùm D. Thomam *d. p.* 1. *q.* 89. *ar.* 8. *ad* 2. quàm vel illuminatio cæci, vel alia, quem in magnis Dei miraculis numerantur.

Sed nemo meliùs, quàm Tertullianus *in libro de anima*, ubi de inferis, & animarum evocatione agit, hanc sententiam disertissimis verbis comprobat. Illum audiamus. *Necromantia*, inquit, *secunda est idololatria, in qua se dæmones perinde mortuos fingunt, quemadmodum in illa Deos*: Quidni? *Cum & Dii mortui sint? Itaque invocantur quidem defuncti, sed dæmones operantur sub eorum obtentu. Hanc autem fallaciam Diaboli sub personis defunctorum delitescentis, ni fallor, etiam rebus probamus, cùm in exorcismis nostris interdum dæmon aliquem se ex hominibus affirmat, interdum gladiatorem, vel bestiarium, sicut & alibi Deum, nihil magis curans, quàm hoc ipsum excludere, quod prædicamus, ne credamus animas universas malorum ad nihilum redigi, ut & judicii, & resurrectionis fidem turbent. Et tamen ille dæmon, postquam circumstantes circumvenire tentavit, instantia divinæ gratiæ victus, id, quod in vero est, invitus confitetur. Sic etiam in Necromantia, quæ jam quiescentes animas evellere ab inferis creditur, & conspectui exhibere, non alia fallacia vis est, operatior planè. Quia & phantasma præstatur, & corpus effingitur, nec magnum illi exteriores oculos circumvenire, cui interiorem mentis aciem excæcare perfacile est. Nullæ autem animæ omninò inferos patere, satis Dominus in argumento illo pauperis requiescentis, & divitis ingemiscentis, ex persona Abrahæ sanxit, non posse relegari renunciatorem dispositionis infernæ; quod vel tunc licere potuisset ut Moysi, & Prophetis crederetur. Sed etsi quasdam revocavit Dei virtus in documentum juris sui, non idcircò communicabitur fidei, & audaciæ Magorum & fallaciæ somniorum, & licentiæ Poëtarum. Nam in iis mortuorum resurrectione, qua Dei virtus in corpora animas repræsentat, solida, & contrectabili, & satiata veritate præjudicatum est hanc esse formam veritatis, ut omnem mortuorum exhibitionem incorporalem, præstigias judices.* Hæc Tertullianus. Legatur etiam Hugo S. Victoris *lib.* 6. *eruditionis didascalicæ cap.* 5. ubi numerosiùs, & enucleatiùs Magiæ varietatem ac divisionem enarrat.

Originem verò Magiæ non naturalis, variè tradunt Scriptores. Philo *lib. de special. legib.* censet, ex vera & naturali Magia adulterata, & corrupta natam esse fallacem, & quæ vulgò dicitur Magia. Vetus tamen opinio est, principem hujus Magiæ doctorem, & quasi parentem fuisse Zoroastrem, de quo Plinius *lib.* 30. *cap.* 1. & *lib.* 7. mira de eo scribit. Idemque sentit Justinus historicus *sub initio lib.* 1. D. Augustinus *lib.* 1. *de civit. cap.* 14. & Autor historiæ Scholasticæ enarrans historiam Geneseos *cap.* 39. De antiquitate autem Zoroastris variant Scriptores. Eudoxus, & Aristoteles ex Plinio *loco citato* volunt, eum antiquiorem fuisse Platone sex millibus annorum. Hermippus, vel ut citat Laertius, Hermodus *in libro de disciplinis* facit eum quinque millibus annorum bello Trojano vetustiorem

Con-

Contra Xanthus Lydius apud Laertium multò recentiorem eum facit, hoc est sexcentis duntaxat annis ante Xerxis transitum in Græciam. At illi nimium multos computant annos, hic nimium paucos. Constat enim Zoroastrem fuisse tempore Nini primi Assyriorum Regis, quo regnante, natus est Abraham. Unde paulò ampliùs sexcentis annis Mose priorem fuisse Zoroastrem patet.

Apud verò Cassianum Serenus Abbas *collat.* 8. *cap.* 21. originem Magiæ & omnium maleficarum artium altiùs repetit, nimirum etiam ante diluvium ex eo tempore, quo filii Dei, ut Scriptura narrat, permisti sunt filiabus hominum. Sed veriùs ii sentire videntur, qui dæmonem primùm magicarum artium autorem, & parentem faciunt, à quo mortales earum cognitionem acceperint, ac usum didicerint. Nec mirum cùm ipse ut est apud Joan. cap. 8. *homicida sit ab initio.* Rectè igitur Lactantius *lib.* 2. *divin. institut.* omnium maleficarum artium inventores, & magistros fuisse dæmones confirmat his verbis: *Eorum inventa sunt Astrologia, & Aruspicina, & Auguratio, & quæ dicuntur Oracula, & Necromantia, & ars magica, & quicquid præterea malorum exercent homines vel palam, vel occultè. Quæ omnia per se falsa sunt, ut Sybilla Erythrea testatur.* Graviter, ac eleganter omnes Magiæ species, omnesque fallacias ex dæmone profectas esse, ostendit etiam Cyprianus *in libro de Idolorum vanitate.* Ipsum adi; & luculenter Porphyphyrius apud Eusebium *lib.* 5. *de præpar. Evang. cap.* 7. Certè liber Exodi satis clarè ostendit jam tempore Mosis, hoc est plusquam trecentis annis ante bellum Trojanum, Magiam celebrem fuisse, Magosque magna apud eam gentem & sapientiæ, ac divinæ cujusdam virtutis autoritate & existimatione floruisse, utpote qui se Mosi opponere ausi fuerint, similiter illi mira quædam operantes. Quomodo autem Magia, artium omnium vanissima, & fraudulentissima, tantum in toto terrarum orbe, totque seculis valuit, vide apud Plinium *lib.* 30. *cap.* 1. Et quomodo religio ac disciplina Christi tenebras Magiæ, ac veterum maleficarum artium è mundo discussit, lege apud Tertullianum *in libro de Idololatria,* apud Eusebium modò citatum *lib.* 1. *cap.* 2. & S. Leonem *ser.* 1. *de natvit. Apostolorum Petri & Pauli.*

CONSULTATIO LXVI.

An opera Magorum sint vera miracula? Quomodo à veris miraculis differant, ac dignoscantur? Quid de prodigiis Magorum Pharaonis? Quinam ii fuerint? Et quomodo ea fecerint?

TRiplici modo potest intelligi aliquid esse miraculum. Primò simpliciter, & absolutè, nempe comparatione cujuslibet naturæ. Hac significatione nullum planè est miraculum. Nihil enim est quod divinæ potentiæ, ac sapientiæ comparatione miraculum dici queat. Nam miraculum alicui dicitur, quod ejus & facultatem, & intelligentiam excedit. Deus autem nihil est quod admirari possit, cùm & causas omnium, quæ fiunt, optimè noverit, & ipse princeps causa sit efficiendi omnia.

Deinde potest appellari miraculum respectu hominum, qui quæ sunt ipsis insuitata, & quorum causas ignorant, quoniam ea maximè admirantur, dicunt miracula. Qua ratione non modo dæmonum & Magorum, sed etiam sapientum hominum inventa quædam nova, & artificiosa opera, miracula nominantur. Postremò verè ac propriè miraculum dicitur opus, quod ideo verè ac meritò mirandum est, quia omnis naturæ creatæ vim, atque potestatem excedit.

Hoc autem multis modis potest evenire. Nam excessus naturæ creatæ vel est in eo, quod fit, quale nullo modo natura potest facere, cujusmodi est, ut duo corpora simul sint in eodem loco, ac se permeent, vel ut corpus humanum evadat immortale, impassibile & gloriosum. Atque hæc tenent primum locum, & gradum in miraculis. Vel excessus est non in eo, quod fit, sed in eo, vel ex quo, vel in quo res fit. Potest enim natura producere aurum, vel arborem, sed non ex nihilo. Potest dare vitam, sed non mortuo. Potest item facultatem videndi largiri, sed non nato cœco. Et hæc secundum locum in miraculis tenent. Vel excessus non est in eo quod fit, neque in eo ex quo, aut in quo fit, sed vel in modo, vel in ordine, vel in alia quapiam circumstantia, rebusve aliis, cum quibus omnibus naturaliter opus illud fit. Pono exemplum. Potest medicus sanare ægrotum, sed non subitò, nec absque medicina. Potest Magus, vel dæmon, vel etiam natura ex ligno producere serpentem, sed non immediatè. Atque hic est infimus miraculorum gradus, & locus. De quibus etiam alibi.

Itaque cùm propriè miraculum dicatur illud, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ ut docet D. Thomas 1. *p. qu.* 110. *art.* 4. ac cæteri, non sufficit ad illius essentiam, quod aliquid fiat præter ordinem alicujus naturæ particularis. Aliàs cùm quis projiceret lapidem sursum, miraculum patraret, cùm hoc sit præter ordinem lapidis. Ideoque tunc aliquid dicitur esse miraculum, quando fit præter ordinem totius naturæ creatæ. Hoc autem fieri non potest, nisi à solo Deo, *qui facit mirabilia magna solus, Psal.* 76. Et hac ratione dæmones non possunt cœcos illuminare, nec mortuos suscitare, nec idem corpus in duobus locis esse, ac similia, quæ verè miracula sunt. Sed quoniam non omnis virtus naturæ creatæ est nobis nota, ideò cùm aliquid fit per virtutem creatam, nobis ignotam, videtur nobis miraculum, sed verè miraculum non est. Cùm igitur dæmones faciunt aliquid sua virtute naturali, miracula dicuntur non simpliciter, sed quoad nos. Et hoc modo Magi dicuntur per dæmones miracula facere, quæ verè miracula non sunt. Ita D. Thomas *loc. cit.* Alensis 2. *p.* *q.* 42. & 43. & communiter Theologi.

Dæmonum igitur ac Magorum miracula non vera differunt à veris miraculis, quæ in scripturis, & historiis Ecclesiasticis à servis Dei patratis legimus, his quinque modis. Dignitate virtutis efficientis. Qualitate eorum, qui faciunt: Diversitate factorum: Modo faciendi, ac fine, cujus gratia fiunt vera miracula, cùm, ut supra diximus, omnis naturæ creatæ vim exuperent, solius Dei potestate possunt effici.

Nam licet per Angelos, vel servos Dei fieri videantur, illi tamen non agunt virtute sua, sed Dei, cujus sunt ministri, & tanquam instrumenta. Magi autem opera sua faciunt vel virtute quarundam rerum naturalium quibus utuntur occultè, vel opera dæmonum, qui etiam Magis auxiliantur. Vera miracula licet interdum faciant homines mali, raro tamen, nec nisi ad confirmationem veritatis, ac divinæ virtutis declarationem. Ferè autem Magi homines sunt flagitiosi, & malefici, quos proinde divinis, humanisque legibus consulere & adire prohibemur. Quæ faciunt Magi, vel sunt tantùm phantastica, & simulata, & ideò nec diuturna; vel sunt perniciosa, vel inutilia. Vera autem miracula sunt opera solida, & vera, utilissima hominibus, & non nisi magna aliqua necessitate, ac utilitate facta. Magi opera sua faciunt, vel per causas naturales, vel ope dæmonum, utuntur multis præstigiis, mendaciis, ludificationibus hominum, figuris, characteribus, verbis

vel nihil, vel absurda significantibus, aliisque superstitiosis ceremoniis, miscentque sacra profanis. Nam nonnulla verba sacra, quæ usurpant, adjunctis superstitionibus fœdant, & contaminant. Docent enim ea dici debere sub certo quodam constellationum situ, certoque loco, ac tempore, toties signo crucis facto, tot candelis accensis adhibitis, vel filis, aut velis, aut chartis, quas vel pueri, vel virgines tantum tetigerint.

Adhibent etiam quædam, quæ nihil prorsus ad effectum producendum pertinent, sed ridiculam habent vanitatem. Dicunt enim oportere tali hora, & toties, & tali aqua lavare faciem, radere capillos, hac vel illa veste indui. Sed quod impietatis plenissimum est sanguinem ex humano corpore mittunt, eoque libamina quædam consecrant, nomina quorundam dæmonum usurpant, quibusdam animalibus familiariter utuntur, & cum eis colloquuntur, dæmonibus sacrificant, nomen & fidem Christi abjurant, probibent homines signare se signo Crucis, aliaque faciunt partim superstitiosa, partim penitus execranda.

Nihil tale sancti faciunt in edendis miraculis, sed vel interiore, vel etiam exteriori supplicatione, & invocatione divinæ virtutis, vel facto signo Crucis, vel aliquibus verbis sacris recitatis miracula operantur.

Tandem, cur vel dæmones, vel Magi faciant illa sua miracula, non est obscurum, nimirum vel lucri, vel gloriæ & honoris cupiditate, sibi divinum nomen & cultum aucupantes, vel ut veritatem pervertant, & falsitatem hominibus persuadeant, vel ad patranda maleficia, veluti furta, adulteria, homicidia. Sancti autem faciunt miracula, non sua causa, cum & divitias contemnant, & honores fugiant, sed ut Deum honorent, Ecclesiam ædificent, hominesque non solùm corpore, sed multò etiam magis animo juvent.

Qui igitur studiosus est veritatis, amansque virtutis non erit ei difficile vera miracula à falsis discernere. Qui autem flagitiosè vivit, & Christi doctrinam odit, nec studio veritatis, sed vanæ curiositatis cupiditate miracula quærit, huic Deus justo suo judicio permittitur, ut quia veritati consentire, & acquiescere noluit, circumveniatur mendaciis, & falsis miraculis persuasus perversam doctrinam, falsaque dogmata, piis, verisque repudiatis, amplectatur. Hoc enim est quod docuit Apostolus *in 2. Epist. ad Thessal. cap. 2.* præmonens venturum Satanam, vel Antichristum *in omni virtute, in signis, & prodigiis mendacibus & in omni seductione iniquitatis*, non quidem omnibus, sed *iis, qui charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. His enim mittet Deus operationem erroris, ut credant mendacio, & judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.*

De Prodigiis verò, quæ Magi Pharaonis fecerunt, magna quæstio est, an Serpentes illi, sive dracones, in quos Scriptura *Exod. 7.* narrat virgas à Magis projectas fuisse Ægyptiacis incantationibus, atque arcanis conversas, fuerint veri, & naturales serpentes, non minùs quàm is, in quem virga Aaron mutata fuit, an potius fuerint simulachra quædam tantùm, & imagines serpentum qui à dæmonibus serpentum modo movebantur. Idemque est dubium de aqua mutata in sanguinem, ac de ranis productis.

Multi & graves scriptores existimant, serpentes illos fuisse naturales. Id docent Theodoretus *in Exod. p. 18.* & copiosiùs Augustinus *lib. 3. de Trinit. cap. 7. & 8. & in lib. 83. quæst. q. 79.* quem sequuntur Scholastici, D. Thomas *in comment. in cap. 24. Matth. & 1. p. qu. 14. ar. 4. D.* Bonaventura *2. sent. dec. 7. qu. 2.* ibique Cajetanus, & sentiunt Lyranus, Tostatus & Paulus Burgensis, confirmaturque argumentis D. Thomæ desumptis *ex 1. p. loco cit.*

Sed contra multò plures, & antiquiores, non minus doctrina & antiquitate præstantes asserunt prodigia illa Magorum non fuisse veros & naturales effectus. Sed tantum simulatos, & apparentes, & artificio quodam magico ac dæmoniaco spectantium oculis imponentes. Ita Iosephus *lib. 2. antiquit.* Philo *lib. 1. de vita Mosis*, Justinus Martyr *in lib. responsionum ad quæstiones Orthodoxorum, in respons. ad quæst. 26.* Tertullianus *in lib. de anima*, Gregorius Nyssenus, Græcus interpres, quem citat Catena *in Exodum cap. 7.* ad quem locum etiam Rupertus, Rabanus, & Hugo S. Victoris, satisque indicat Ambrosius interpretans *cap. 3. posterioris epistolæ ad Timotheum*, & eundem Pauli locum explanans Hieronymus.

Neutra hæc opinio evidenter ex sacris litteris, aut humanis rationibus vel probari, vel reprobari potest. Videtur tamen aliquantò probabilior Augustini sententia, fuisse veros illos Magorum Serpentes, quam ita explico.

Quatuor, vel quinque modis cogitari potest, Magos fecisse serpentes, sanguinem, & ranas. Duobus, vel tribus in speciem tantùm, ac simulatè, duobus aliis verè. Primò enim species, & phantasmata virgarum & serpentium, aquæ & sanguinis & ranarum, quæ erant in phantasia, & imaginatrice facultate, dæmones commovendo, ac turbando spiritus, in quibus erant illæ species, potuerunt facere, ut illæ species refluerent ad sensum communem, vel etiam ad sensum visus, ita: Primùm species virgæ, mox, ea sublata, species serpentis, adeo, ut videretur virga conversa in serpentem. Vide hoc apud D. Thomam 1. *p. qu.* 114 & 111. *ar.* 3 & 4. quod & in aliis fieri cernitur. Nam in somno motu vaporum ascendentium in cerebrum, atque descendentium, refluentibus speciebus rerum sensibilium ad primum sensitivum, dormientes videntur sibi & videre, & audire, & vi morbi idem contingit phreneticis.

Secundò potuit fieri, ut dæmon virtute aliqua naturali occulta, spectantium visum ita inficeret, vel turbaret, ut viderentur esse, quæ non erant, & non esse quæ aderant, quemadmodum ægrotus corrupto palato, & gustu, dulces cibos judicat amaros.

Tertio modo potuerunt dæmones virgas illas Magorum subitò convertere in serpentes, applicando illis invisibiliter aliqua agentia naturalia, nobis ignota, ad producendum serpentes potentissima & efficacissima.

Quarto modò fieri potuit, ut dæmones, non advertentibus, qui spectabant, virgas à Magis projectas subitò è conspectu illorum clam auferrent, & pro illis serpentes mole æquales ipsis, vel ante præparatos, vel aliunde, tunc celerrimè asportatos, intuentium oculis subjicerent ita, ut virgæ in serpentes viderentur esse conversæ,

Quinto modo potuit illud fieri, ut dæmones virgas illas in modum & formam serpentum figurarent, vel figuram serpentum illis affingerent, & in illis motum, qualis est verorum serpentum, ipsi efficerent.

Qui igitur negant, illos serpentes Magorum fuisse veros & naturales, eos necesse est sequi vel duos priores modos, vel certe quintum modum. At contra priores duos modos illud pugnat, quod Scriptura inquit, factos esse serpentes. Non ergo solùm erant in imaginatione, vel aspectu intuentium, sed extra quoque erant serpentes. Non enim dixisset Scriptura, Magorum virgas versas esse in serpentes.

Contra verò quintum modum facit, quod Scriptu-

ra

ra dicit, serpentem, factum ab Aaron, devorasse serpentes Magorum. Quomodo autem devorasset illos, nisi fuissent veri serpentes?

Divus Augustinus, & D. Thomas, S. Bonaventura, Cajetanus, & Burgensis sequuntur tertium modum, qui tamen nec Lyrano, nec Tostato fit probabilis. Certum enim est nec Dæmones potuisse immediatè producere serpentes, sed tantùm adhibendo causas naturales eorum productrices. Certum etiam est, nullum agens naturale, naturaliter operando, posse subitò producere formam ex materia non ante disposita, & præparata. Certum item est, diversas formas exigere diversas materiæ præparationes, & quò formæ sunt nobiliores, eò plures, & operosiores præparationes deposcunt. Major enim præparatio fit materiæ ad formam mixti, quàm ad formam elementi, & major ad formam animalis perfecti, quàm vel mixti inanimati, vel plantæ.

Ex his negari non potest, dæmones non potuisse producere illos serpentes immediatè ex Virga. Nam materia Virgæ est admodum remota & aliena recipiendæ formæ serpentis.

Si dicant, non immediatè ex virga productos esse serpentes, sed variis transmutationibus præmissis. At tot, & tam variæ transmutationes subitò fieri non potuerunt. Statim enim atque Magi projecerunt virgas, apparuerunt serpentes. Quid? quod cùm naturaliter producitur serpens, non statim producitur magnus, sed primò parvus, deinde paulatim acquirit justam magnitudinem. At illi serpentes statim producti sunt magni, nimirùm æquales virgis Magorum. Non enim visum fuisset virgas mutatas esse in serpentes, nisi serpentes fuissent æquales virgis.

Et licet agens naturale, ut est instrumentum vel hominis, vel Angeli, possit vel citiùs, vel meliùs aliquid facere, non tamen ob id potest ex qualibet, & in qualibet materia effectum suum producere, non potest posteriorem formam inducere, non inductis prioribus. Posterior enim, & nobilior forma præsupponit necessariò priores, & sicut inter formas, ita inter earum dispositiones est ordo naturaliter immobilis, ut non possit esse posterior in materia, nisi antea fuerit prior. Præterea verus sanguis naturaliter non potest produci, nisi in animali, & per calorem animalis ac per certa instrumenta, quæ in solo sunt animali.

Restat igitur quartus modus, qui & Lyrano, ac Tostato, fit verisimilior, quem & probabiliorem censeo. Nam secundùm eum modum defendimus, veros fuisse serpentes, atque ita evadimus difficultates objectas contra primum, secundum, & quintum modum. Nec tamen dicimus, eos productos fuisse ex virgis, ne urgeamur illis rationibus, quibus tertius modus premitur.

Unus tantùm scrupulus hæret. Quomodo si non fuerunt serpentes producti ex virgis, dicantur virgæ conversæ in serpentes? Sed respondendum est, Scripturam id dixisse, non quòd ita fuerit secundùm veritatem, sed quia ita videbatur, & existimabatur spectantium judicio. Nam & hoc quoque dicere oportet eos, qui negant illos fuisse veros serpentes, & Cajetanum, qui vult, illas virgas habuisse ultimam dispositionem pro forma serpentis. Sic enim non poterant esse veræ virgæ, ut ostendimus, sed secundùm speciem tantùm. Quare secundùm eum nec Magi projecerunt veras virgas, nec veræ virgæ sunt conversæ in serpentes.

At cur permisit Deus, ut Magi, qui contradicebant Mosi, prodigia facerent, cùm ea res & divinam virtutem, quæ per Moysem operabatur, obscurare videretur, & Pharaonis animum magis in perfidia, & inobedientia obfirmatum, & obstinatum redderet? Ad hoc Chrysostomus *hom.* 46. *in Acta Apostol.* ita respondet: *Permisit Deus Magis aliquid adversus Mosem, ne Magus putaretur esse Moses. Permisit illos docere omnes quantum Magia imponat sensibus, ultra tamen non deceperunt, sed ipsi se victos confessi sunt; & non potest sine certamine vera esse victoria, & quo potentior est hostis, eo illustriorem reddit ejus gloriam à quo se victum esse ipse confitetur, sicut Magi victos se à Mose confessi clariorem ejus gloriam effecerunt.* Idemque ait Theodoretus *in Exodum q.* 18.

Quinam verò fuerint hi Magi, Josephus *lib.* 2. *antiquit.* refert, illos fuisse Sacerdotes Ægyptios, dicitque Scriptura, eos operari solitos per incantationes Ægyptiacas, & per quædam arcana. Nam operabantur cantando quædam verba modo carminum. Sed quia vel verba illa erant secreta, Onkelus vertit, susurrationes, vel modus, quo operabantur, erat secretus & occultus, ideo vocantur arcana. Septuaginta Interpretes vocant eos Sophistas, & Pharmacos, id est, veneficos, & incantatores, Onkelus Magos, Aquila vertit occultorum cognitores, & patratores. Hos Jannem, & Mambrem vocat Apostolus *cap.* 3. *poster. Epist. ad Timoth.* ubi Chrysostomus, Theodoretus, ac Theophylactus, & Ambrosius. De iis quoque Numenius *lib.* 3. *de bono, apud Eusebium lib.* 9. *de præpar. Evang. cap.* 3. ita scribit: *Jannes, & Mambres, Ægyptii erant, magicis artibus adeo præpotentes, ut Mosi, Judæorum duci, viro Deo conjunctissimo, soli resistere posse à cunctis Ægyptiis judicati sint. Multas enim calamitates, quas Moses Ægypto intulit, solvere visi sunt.* Hos autem Magos fratres fuisse, & Ambrosius *loc. cit.* affirmat, & ex narratione B. Macharii Palladius commemorat, in ejus vita, ubi de mirabili horum Magorum sepulchro ab ipso Machario visa & comperta, & deinde ipsi Palladio narrata, describit.

Consultatio LXVII.

Quæ opera admiranda possint facere dæmones vel per seipsos, vel per Magos? Ubi signa, & indicia ad discernendum effectus magiæ ex pacto ab effectibus physicis, & miraculosis, & artificiosis. Quomodo dæmon invisibilem se præbeat? Qua forma apparere soleat? Quid possint Magia, aut Magi in dæmones? Et quæ dæmones, ac per eos Magi facere non possint?

In hac re duo manifesta sunt ex Scriptura. Unum est, dæmones per se ex uno loco in alium moveri, & quidem maxima celeritate. Satan enim Deo interroganti, unde veniret, respondit: *Circuivi terram & perambulavi eam*, Job *cap.* 1. & 2. Hoc ipsum confirmatur ex Matthæi *cap.* 12. & 1. Petri 5. Alterum est, dæmonem non solùm posse movere seipsum, sed etiam alia corpora ex uno loco in alium transferendo. Dæmones enim per peccatum non perdiderunt dona naturalia. Sicut igitur Angeli naturali vi movent orbes cœlestes, sic dæmones possunt movere alia corpora; & sicut Angelus ille Prophetam Habacuch capillo capitis apprehensum, ex Judæa Babylonem usque transportavit, indeque reportavit in Judæam *Daniel* 14. ita posset dæmon idem facere, & fecisse certum est. Nam tulit Dominum nostrum in pinnaculum Templi, & in montem excelsum, *Matth.* 4.

An autem hæc virtus motiva dæmonis, sit distincta ab intellectu, & voluntate ejus, affirmandum

censeo, licet plerique negent. Quanta verò sit virtus motiva dæmonis, vel quot corpora, aut quanta movere possit, & non ampliùs, ignotum hominibus puto; Existimant tamen fere omnes, in dæmonibus superioribus majorem esse hanc vim motivam, sicut enim eorum naturæ sunt perfectiores, ita quoque eorum potentiæ sunt fortiores. Et quoniam Angelus est terminatæ speciei, ac definitæ naturæ ac perfectionis, non potest esse ubique locorum, neque potest quantacunque velocitate quantumlibet corpus movere.

Et notandum, duplicem esse dæmonum actionem, quæ à Philosophis vocatur transiens. Altera est immediata, quæ immediatè proficiscitur à dæmone, & hæc est motus localis, quo movet corpora: Nam sicut Intelligentiæ non per aliqua media instrumenta, sed immediatè movent Orbes cœlestes, sic dæmones immediatè possunt movere corpora secundum locum. Altera est *mediata*, nempe quæ motionem localem ab ipsis factam consequitur. Dæmones enim afferendo ex variis locis, ac invicem applicando causas naturales, & agentia invicem & patientia componendo, varios producunt effectus, qui immediatè quidem existant ex causis naturalibus, mediatè verò à dæmonibus, qui illas causas præsentes fecerunt, & materiis, quæ ab illis aptæ sunt pati, accommodarunt.

Atque ex his, quænam opera mira dæmones possint, vel non possint facere, non est arduum demonstrare. Et primò per motum localem multa possunt dæmones facere, quæ fidem excedere videantur. Possunt ignem ex superiori aeris parte demittere, quo multa consumant, ac perdant. Possunt immittere vehementes ac turbulentos ventos, qui magna diruant ædificia, sicut fecisse dicitur adversus Job. 1. immittere grandinem, *Exod. 9.* ubi grando, qua Ægyptii puniti, expressè dicitur per malos Angelos immissa. Possunt gravissimas tempestates, & procellas in mari excitare, vel aquas maris ab imo commovendo, vel per concitatissimos ventos. Possunt terram magnis motibus concutere vel immittendo vehementem aliquem spiritum in cavernas terræ, vel in illis inclusum vehementissimè agitando. Sic fortasse fieri potuit, quod narrat Philostratus de duobus doliis, quæ vidit Apollonius apud Indos, quæ aperta imbres, & ventos emittebant, clausa verò eadem cohibebant, atque compescebant. Unde ab Apostolo vocantur dæmones *principes aëris hujus.* Possunt convivia exhibere, captivos, carceribus, & vinculis eripere, urbes obsidione liberare, expugnandas præbere, ad dignitates, & honores pomovere, divitias, ac thesauros conferre, impedire fluxum sanguinis è vulnere, inferre amentiam, ac omnes læsiones, quæ gladio, igne, vel aliis instrumentis inferuntur. Possunt arte sua, non nova rerum creatione, sed sua celeritate etiam species novas objicere, nivem in æstate, flores, & rosas in hyeme, & alia præter tempus, nempe quod ea possint ex locis à nobis longè secretis, quæ hæc habent, celeriter ad nos perferre ex opposito nobis sub terram hemisphærio, in quo contrariæ aliæ temporum dispositiones. Sic potest ex diversis locis materias cogere, ex quibus tempestates concitat, & miscet. Sunt enim quædam hujus generis, ut ex meteoris liquet. Et Theophrastus, Paracelsus *de malef. cap. 5.* tradit, ex sale petræ, & aluminosa materia in magna quantitate mixtis super terram, & accensis fumum gigni, qui in aëre nubem generet, in pluviam postea resolvendam.

Possunt Magi immittere dæmones in homines, & facere, ut ab eis obsideantur, Deo permittente, & eosdem expellere, vel ex pacto cum ipsis, vel ipsis volentibus, quamvis simulent se cogi vi incantationis ad egrediendum, vel ex pacto cum dæmone potentiore, qui inferiores, etiam invitos, expellere potest, ut docet D. Gregorius *lib. 1. dialog.* 10. ubi notat, quod nunquam facit hæc dæmon, nisi ut magis noceat, præsertim in anima.

Possunt itidem transferre ex uno loco in alium, quantumvis remotum, vel homines, vel animalia, vel quævis alia corpora. Sic dæmon Christum tulit in pinnaculum templi, & in montem excelsum, *Matth.* 4. Simonem Magum per aera evexit in cœlum, ut narrat historia Ecclesiastica. Et in historia Gentilium traditum est, nonnunquam visos esse serpentes, dracones, & homines per aera volantes, quin etiam Albertus tradit nonnunquam boves, seu vitulos pluisse. Quod hac ratione factum esse existimandum est.

Possunt quoque subitò res præsentes è conspectu hominum subtrahere, atque ita reddere invisibiles, sicut Apollonius ex oculis omnium excessisse diximus, & nisi volumus fabulam fuisse id, quod de Gyge memorat Plato, *in 2. de Republ.* & Cicero *lib. 3. de offic.* hac etiam ratione dicemus, Gygem, cùm volebat, potuisse latere oculos præsentium, & spectantium, idque fecisse non vi ac potestate ejus annuli, quem gestabat, ut illi tradunt, sed potiùs dæmonum artificio.

Possunt item facere, ut statuæ, vel aliæ res inanimatæ ambulent, & incedant more hominum, dæmone illas movente, ac motum moderante. Sic factum est, quod ex Philostrato de tripodibus lapideis, ac pincernis æreis, qui apud Jarcham, præsente Apollonio, in convivio per se movebantur, & more famulorum ministrantium mensis, & pocula, ac fercula, convivis suo loco, ac tempore præbebant.

Possunt etiam facere, ut statuæ, arbores, animalia loquantur more humano. Qua ratione fieri potuit, quod narrat Valerius Maximus *lib. 1. cap. ult.* de simulachro Junonis Monetæ, quod Romani Veijs Romam transferre religionis ergo cupiebant. Cùm enim quidam militum per jocum interrogarent illud simulachrum, an Romam migrare vellet, velle se respondit. Qua voce audita lusus in admirationem, & religionem versus est. Simulacrum etiam Fortunæ muliebris a matronis Romanis cum æde sua consecratum, bis loquutum esse, idem Valerius autor est, his verbis. *Rite, me, matronæ, vidistis, rite me consecrastis.* Et, Cajo Volumnio ac Servio sulpitio Consulibus, dicitur bos humano sermone loquutus. Bello etiam Punico secundo fertur Gneo Domitio bovem dixisse: *Cave tibi Roma.* Huc quoque pertinet quod narrat Philostratus, cum Apollonius esset cum Gymnosophistis Æthiopum, quorum princeps erat Thespecion, ejus tacito jussu arborem ulmum humana voce Apollonium salutasse. Nec putandum est vel leones, vel arbores, vel alias res inanimatas modo hominum loqui posse, sed dæmonem esse, qui sermones illos articulatos, & humanis similes in aere formet juxta, vel intra illa corpora. Sic Angelus, qui occurrit Balaam, ei mortem intentans, fecit, ut ejus asina loqueretur, *Num.* 22. Nam etiam videmus esse quosdam, qui per organa, vel alia instrumenta musica, tanto artificio temperare possint flatum, quo illa pulsantur, ac resonant, ut voces & cantus hominum æmulari, ac reddere videantur.

An autem intelligentiam discursivam possint brutis largiri, pendet ab alia quæstione, an bruta aliqua ratione sint prædita. Nam si semel ita sunt, facile præstabit dæmon, ut sublatis impedimentis discurrant, & scienter intelligant. Si non sunt, id præstare non posse, certum est. Possunt facere, ut homo non sentiat actu, quod natura sensibile est, ne scilicet crucietur

quæstio-

quæstioni subditus, vel ut longissimo tempore dormiat, aut inediam perferat. An etiam magicis artibus opera dæmonum sexus mutari queat, ubi non agitur de membrorum ablatione, sed de ipsa sexus virilis in fœmineum, aut fœminei in virilem commutatione, quàm naturalem, ex medicis hujus seculi, fatetur Gemma *lib.* 1. Cosino possunt seni juventam reddere ita, ut qui defecta jam, & decrepita curvatur ætate, vires resumat, & habitum nitoremque juvenilem, mutentur cani in colorem meliorem, frigus in teporem, torpor in agilitatem, cœteraque corpus recipiat, quæ senium abstulerat.

Possunt similiter facere, ut animalia mirabili quadam ratione seipsa moveant, & quædam agant, quæ sine intelligentia, & ratione, nec ea quidem vulgari, sed admodum solerti ac prudenti minimè fieri posse videantur. Tale est, quod narrat Valerius *lib.* 1. *cap.* 8. quod est de miraculis, de serpente illo Æsculapii, quem Romani, quasi volentem, ac intelligentem, & quædam rationis, ac religionis, nec non divinitatis cujusdam signa dantem, Epidauro Romam advexerunt. Hujus etiam generis est, quod narrat Philostratus *lib.* 5. *cap.* 15. de Leone quodam mansuetissimo, qui loro, veluti canis, in Ægypto per urbes ducebatur, contrectantibus se non modò non nocens, sed etiam blandiens, qui ad genua Apollonii modo supplicantium hominum humiliter se abjecit, quem aspiciens Apollonius, ad eos, qui aderant. *Hic* inquit, *Leo me rogat, ut vos doceam hominis animam illum habere. Fuit enim hic quondam Amasis, Ægypti Rex.* Quæ simulatque dixit Apollonius, leo miserabiliter fremens, lacrhymabilem rugitum edidit, tum dentibus infrendens, cùm plorare videretur, ubertim lachrymas fundebat: *Hunc*, inquit Apollonius, *Leonem, censeo Leontopolim mittendum, & in templo collocandum. Regem enim in regiam belluam conversum, tanquam egenum, mendicare indignum judico.* Hæc ille. Quæ omnia arte magica Apollonii, ac opera dæmonum facta sunt, quo faciliùs error Pythagoricus de transmigratione animarum humanarum in varia bestiarum genera hominibus persuaderetur.

Pariter possunt, quod in historiis Romanorum legitur, & a nobis alibi est commemoratum, Claudiam mulierem Vestalem quò suam pudicitiam probaret, navem ita hærentem in Tiberi, ut multi eam homines loco movere non possent, Zona sua quò volebat, nullo labore traxisse. Et Tucciam item Vestalem aquam Tiberi haustam ad Capitolium usque cribro tulisse. Hæc inquam, facta sunt opera dæmonis qui & navim occultè promovebat, & aquam, ne per cribrum dilaberetur, suspensam tenebat.

Ac etiam possunt facere, ut subitò globus aliquis igneus, vel flamma appareat, vel circum aliquem fulgeat, sicut Plinius *lib.* 2. *cap.* 107. Servio Tullio dormienti, ex capite flammam emicuisse, & L. Martio in Hispania interemptis Scipionibus concionanti, ac milites ad ultionem exhortanti, arsisse simili modo.

Possunt & aquas fluminum dirimere, ac eas retropellere ita, ut flumina retrofluere videantur. Quod Plinius suo tempore accidisse scribit *lib.* 2. *cap.* 103.

Possunt thesauros occultos detegere, & opes mari projectas eruere. Sed hoc eis Deus non permittit, quia esset maxima ad malum occasio. Ideo videntur omnes ferè magi, & lamiæ esse pauperes, ut observat Lessius *lib.* 2. *cap.* 44. *dub.* 3. *numer.* 20. Additque Suarez, quòd, etsi aliquando homines per artem magicam subitò ditentur, pecuniæ tamen paulo post, vel in carbones, vel in vilem aliquam materiam resolvuntur. Et si interdum pecuniam non ab ipsis dæmonibus tactam, sed aliunde sublatam suis maleficiis conferunt, non diu consistit, ut experientiis constare refert Binsfeldius *lib. de confess. malef. prælud.* 6. Nam ut ait D. Thom. *in* 3. *decis.* 23. *quæst.* 2. *ad* 4. quæ fiunt per artem dæmonis præter viam naturæ, non sunt diuturna, nec talia sunt, ut per naturales causas fieri non possint. Proprium enim dæmonis est magis nocere, quàm benefacere, imo numquam benefacit, nisi ut occasionem nocendi captet.

Possuntque varia corpora variè formata assumere, eaque movere ita, ut homo, vel Angelus, vel leo, aut aliud quodvis animal videatur. Idque facit vel ad exterrendos, vel ad decipiendos homines. Legimus enim B. Antonio dæmones in variis animalium formis, & quidem horribilibus, ac terrificis, ad eum perterrefaciendum, & à sancto proposito removendum, apparuisse. Sicque accipiendum est, quod scribit Valerius *lib.* 1. *cap.* 8. Romanis apud Lacum Rheginum pugnantibus cum acie Tusculanorum, Castorem & Pollucem Romanarum partium propugnatores visos, hostiles copias penitus fudisse. Et Publio Varinio noctu Urbem petenti, obvios esse factos duos juvenes excellenti forma, albis equis insidentes, nunciantes illo ipso die Persam Regem à Paulo fuisse captum; quod ita evenisse postea compertum est.

Jamque possunt repræsentare varias figuras cujuslibet rei, vel auri, vel gemmarum, vel dapum, vel hominum. Nam sicut fictores, sculptoresve ex materiis sibi subjectis varias formas, & figuras rerum effingunt, ac interdum tales, ut vetæ ac naturales videantur, sicut traditur de illis uvis à Zeuxide pictis, adeò perfectè naturales uvas reddentibus, ut eas ab avibus appetitas esse dicatur. Sic dæmon ex aëre condensato, vel alia quavis materia cujuslibet rei figuram effingere potest, cujus rei alibi ex Philostrato, exemplum posuimus Lamiæ cujusdam, quæ Menippo, quem decipere volebat, maximas opes, pretiosa ornamenta, magnam copiam vini, ac epularum ostentabat; quæ Apollonius ostendit esse tantùm inania simulachra, & imagines earum rerum, quæ videbantur.

Nec non queunt concitare, ac conturbare humores, vel spiritus, qui sunt in corpore humano, disjungere etiam ac distrahere partium compages & connexiones, quare gravissimos morbos, & acerbissimos cruciatus efficiunt, sicut in iis, qui à dæmonibus torquentur, cernere licet.

Atque etiam possunt spiritus animales, qui interiorum sensuum functionibus peragendis inserviunt, ita movere, & conformare, ut res quasdam vel præteritas, vel præsentes, vel futuras repræsentent. Possuntque etiam eosdem spiritus, quibus insunt species rerum sensibilium extrinsecus per sensus exteriores impressæ usque ad ipsos sensus exteriores devolvere ita, ut etiam qui vigilant, videantur sibi aliquid videre, audire, & facere, quod revera non est. Hoc enim videmus accidere phreneticis. Quod igitur homini vi alicuius morbi contingit, dubitandum non est etiam id Dæmonum artificio in homine effici posse.

Possunt insuper dormientium phantasmata movere & conformare ad repræsentandum aliqua futura, quæ dæmones cognoscunt esse futura, ut ita dicipiant homines, fidem habentes somniis, & ex ipsis actiones humanas, vel suas, vel aliorum cognoscere, ac dirigere velint. Atque hinc quidem ortum duxit divinatio per somnia, cuius divinationis exempla sunt quamplurima apud Valerium *lib.* 1. & apud Ciceronem in libris de divinatione. Simili dæmonum artificio fidem & veritatem invenit apud Gentiles Augurum, & Aruspicum disciplina per volatum, vel garritum avium divinans, vel per inspectionem extorum

torum animalium cæsorum, vel per electionem sortium, de quibus suo loco. Ejusmodi enim rebus dæmon se ingerit, ac immiscet quò mentes hominum superstitionibus imbuat, & variis erroribus implicet. Nam quod in Romanis historiis traditur in victimæ opimæ, quam Julius Cæsar immolaverat, extis, non esse inventum cor, & in aliis vel jecur, vel principem aliam partem corporis non esse repertam, non alia ratione, quam dæmonis occulta vi, partes illas ablatas esse, credendum est.

Possunt præterea sensus exteriores immutare, ac seducere dupliciter. Primò extrinsecus, obiiciendo sensibus varia sensibilia non vera, hoc est, non talia, qualia videntur, sed solas eorum imagines & simulachra. Vel intrinsecus commovendo spiritus, & humores, quorum commotione, etiam sensus exteriores variè afficiuntur, ac turbantur, ut non rectè judicent de suis objectis. Id quod cernimus sensibus exterioribus phreneticorum accidere.

Tum demum possunt varias passiones vel amoris, vel odii, vel timoris vehementer excitare in homine, idque facere bifariam. Vel objiciendo species rerum, quæ ad tales passiones excitandas plurimum valent. Vel interiùs movendo phantasmata ad similes res repræsentandas, aut agitando, & accendendo humores qui sunt harum passionum materia, nimirum vel sanguinem, vel flavam, aut atram bilem.

Itaque circa animam corpori injunctam, idque informantem possunt dæmones sensus internos immutare, memoriam juvare, vel debilitare, intellectum subtiliorem, ac meliorem quoad functiones ingenij, ac judicij reddere, per commodiores organi dispositiones, artes, atque scientias docere, voluntatem movere, respectu cujus longè restrictior est Magiæ, dæmonumque potentia. Nequeunt enim voluntatem movere aliter, quam objecto, tanquam odibili, vel amabili proposito, vel excitatis imaginariis visionibus, & cogitationibus, vel allecta, & inclinata voluntate per passiones in parte sensitiva inflammatas.

Extasim, sive raptum potest dæmon in homine efficere ligando, vel solvendo sensus exteriores, idque duobus modis. Prior est, quando illos tramites obstruit, quibus à cerebro spiritus animales, sive sensitivi ad exteriores sensus deferuntur, veluti contingit somniantibus. Posterior quando eosdem spiritus sensitivos ab exterioribus sensibus ad interni sensus organa attrahit, ibique retinet, ne rursum ad exteriorum sensuum organa queant descendere. Ita enim contingit, ut in raptu ob nimiam internarum virium sensitivarum applicationem, ac spirituum sensibilium ad externi sensus organa confluxum impeditum, adeo impediantur sensuum exteriorum munia, ut corpus vivum cadaveris mortui, ac immobilis speciem præ se ferat. Porrò naturalis hujus raptus dæmonis vires non excedentis discernendi ab illo supernaturali, de quo ratiocinatur Apostolus ad Corinthios, nullum ferè est efficacius indicium, quàm si hujusmodi raptus sint voluntarij, ac pro libitu illius, qui rapitur. Facit enim hoc dæmon ex fœdere. Qua de re *tomo.* 8.

Possunt dæmones circa mortuorum cadavera ea induere, ac in iis apparere, diù incorrupta servare, ut neque putrescant, dissolvantur, aut incinerentur. Quia hoc naturaliter, vel ex unguentis, vel ex loci natura, imò & corporis constitutione potest provenire, vel etiam ex mortis genere. Qua de re etiam *alibi fusè.*

Potest dæmon se corporeis oculis, licet sit incorporeus, visibilem præbere, cadaver aliquod assumendo humanum, vel ferinum, ac illud movendo, ac impellendo motu non vitali, sed locali tantum. Aliquando etiam sibi elementare corpus circumdando, vel ex solo aere condensato, vel, ut alii volunt, partibus aëreis commiscendo terreas, & aquas nubium, vaporum, exhalationumve, ut & colores faciliùs hac mixtione exprimat, & faciliùs membra conglutinet, condenserque, & ea non solùm visibilia, sed etiam palpabilia, & solida exhibeat. Licet autem, si majori potestate non impediantur dæmones, possint, qua velint apparere forma, humanamque perfectam, & omni ex parte pulchram exhibere; quia tamen solet ei obstare Dei voluntas, certis animalium formis dæmones nondum uti permisit, ut columbæ, oviculæ, sive agni, fortè quod agnus verus sit Christus, ut in columbæ specie Spiritus Sanctus solitus sit apparere, & quia etiam hæc animalia dolo carent, nullumque inferre solent damnum. Libentiùs igitur induit animalia, in quibus aliqua sunt, quæ meritò culpes. Hirci forma, seu Capri, quod animalis hujus salacitas, superbia, & alia vitia, actiones dæmonum referant, vel quia hircorum, qui à sinistris locandi caput est. Hæc autem forma ei antiqua est, quando adorandum sese proponit. Etsi enim quando pactum expressum init, soleat offerre se conspicuum forma virili, post pactum tamen, quando homagium illi reddi debet, semper in forma hirci apparet, ut satis deducitur ex divinis scripturis Levit. *cap.* 17. Isaiæ *cap.* 13. *v.* 21. *&* *cap.* 34. *v.* 14. ubi ideo dæmones vocantur *Sahhirim* hoc est, ut dixi, pilosi, sive hirsuti, ut solet aliquando B. Hieronymus vertere, quia olim in forma hirci adorati fuere. Nam *Sahhir* Hebræis hircus, quasi hirtus dicitur, ut latinis à pilis, & horrore. Unde forsitan etiam Satyri nomen deductum. Quod confirmat Rabbi Kimchi in radic. dum scribit Sahhir vocari diabolum, quia solitus hirci effigie se conspiciendum præbere.

Quando autem vult familiaritatis ac fidei specimen præbere, catti, vel canis sumit effigiem; si quis aliquando devehendus, equum induit; si per locum angustum, vel rimam subiturus, vespertilio, musculus, vel mustella fit. Si qui præsentes sint, colloquium impedituri, vel quos velit latere, muscam induit, & partes auribus vicinas occupans, quæ vult insusurrat. Si ad malum, specie boni, velit inducere, apparet forma Christi. Denique ut innumera testantur exempla, sæpè sæpiùs formam capit, quæ instituto maximè sit accommodata, & quia ad omnia ferè idonea est humana, hanc plurimùm effingit, non eodem tamen modo. Sanè morituris solere maximè terrifica apparere specie, plures testantur historiæ, B. Martini, Odilonis, Opportunæ, & aliorum. Cujus rei rationem Angelus reddidit B. Asiardo, hoc à Deo permitti, ut hic terror tam terribilis visionis expiet in Sanctis, siquid adhuc expiandum in illis esset reliquum, ut scribit Fulbertus, *in ejus vita apud Surium mense Septembri.* Porrò dæmonem non posse tam accuratè corpus effingere, ut nullo signo queat dignosci, vel ut aliquas vitales actiones verè comedendi, bibendi, aut loquendi exerceat, probant verba Angeli *Tobiæ* 12. *v.* 23. Cùm ergo loqui videntur dæmones, vel Angeli, non loquuntur propriè ac vitali actione, sed producendo sonum in aëre, humanæ voci similem, & adstantium auribus insonantem, ad eum fermè modum, quo quis artificiosè quopiam instrumento, puta tibia, vel tuba sonum vocis humanæ exprimit, de quo vide Tostatum *qu.* 11. *in Exodi cap.* 7.

Procurare autem, ut dæmones nobis appareant, vel ut defunctorum animas nobis repræsentent, quod illi facere revera nequeunt, nullo modo licet; imò mortale est peccatum, prohibente Apostolo 1. Corinth. cap. 10. *Nos socios fieri dæmoniorum.* Amicè enim & precariò aliquid ab illis recipere, vel petere, est in adversarii castra se recipere, & transfugere à Christi Ecclesia. Non possumus etiam per modum impe-

imperii, & compulsionis eos adigere, nisi quatenus sumus ad hoc à Deo delegati per exorcisticam dignitatem, in cujus exercitio divinum operatur imperium.

Cur autem dæmones antiquis Patribus visibiles apparuerint adeo frequenter, nobis hodie non item, hanc quæstionem olim S. Joannes Briglintonius apud Surium 10. *Octobris* proposuit S. Guillelmo Shlegtholmensi, qui respondit: *Antiquorum Patrum animos non fallax splendor, & inanis gloria, sed divina gratia illustrarat. Itaque facile illi fraudulentas inimici machinationes providentes, seu pugiles invicti illum fortiter expugnarunt. Quod ille superbus non ferens, difficillima tentationum certamina illis objiciebat, monstruosas formas, & teterrimos impetus eis inferens, ut vi illos protruderet in peccata. Nos verò qui ei facilè obedimus, occultis tentationum jaculis citò prosternit, etiamsi nullam nobis tetram speciem repræsentet.* Quibus addi potest, Deum id permisisse, quia minùs curiositatis tunc erat, & minùs periculi ab illusione imminebat.

Hæc sunt, atque alia horum similium, quæ dæmones per motum localem facere possunt, & interdum quidem faciunt. Neque enim quæcumque possunt facere, licet eis facere, sed quantum eis per divinam providentiam permissum est. Habent enim potentiam à Deo restrictam, & quasi ligatam, quam eis interdum laxare solet Deus, vel ad exercendum bonos, ut adversus Job *lib.* 1. *&* 2. vel ad puniendum malos, ut adversus Achab, & Prophetas ejus, 1. *Reg.* 18. Sicut enim dæmones permissu Dei ingressi in porcos, præcipitarunt eos in mare, sic homines in omnia malorum tam culpæ, quàm pœnæ genera deturbarent, si eis Deus quantam vellent potentiæ ac malitiæ suæ exercendæ potentiam foveret.

Per alteram verò actionem dæmonum, quæ non est motus localis eorum, sed eum consequitur, hoc est, per actiones causarum naturalium, quas dæmones invicem applicarunt, & temperarunt, mira quoque dæmones possunt efficere. Sunt enim singulares quædam virtutes occultæ, ac ignotæ hominibus, ut in certis quibusdam aquis, terris, succis, gemmis, lapidibus, herbis, lignis, animalibus, & in ipso hominis corpore, mirabilium, ac penè incredibilium operum effectrices, quarum rerum exempla nonnulla superiùs adduxi, sed plurima reperiuntur apud Solinum, Plinium, Albertum, Cardanum, & alios. Hæ virtutes quibus in rebus naturalibus insint, ubi locorum lateant, quibus cum rebus componi, misceri, ac temperari debeant, quo tempore tempestivè, ac opportunè ad operandum adhiberi oporteat, notissimum est dæmonibus, quas etiam undecunque & quocunque voluerint, maxima facilitate, celeritateque clam homines transferre possunt.

Hujusmodi autem effectus quatuor ob causas sunt hominibus admodum mirabiles. Primò, quia sunt novi, ac inusitati. Secundò, quia modus, quo dæmon illos molitur, est occultus, & invisibilis. Tertiò, quia sicut homines variè temperando, & accommodando res naturales possunt aliquos effectus producere, quos nonnunquam per se causæ naturales produxissent, sicut patet in arborum insitionibus, in distillationibus aquarum, & ciborum, & condimentorum confectionibus, & medicamentorum compositionibus; sic dæmones effectus aliquos singulares per causas naturales possunt producere, quos ipsæ per se nunquam produxissent. Quartò, quia, ut inquit D. Thomas *lib.* 3. *adversus Gentes cap.* 103. *& p.* 1. *qu.*110. *ar.* 2. *ad* 3. cùm Angeli, vel dæmones adhibent causas naturales ad effectus aliquos procreandum, utuntur eis tanquam instrumentis, non secus quam medicus utitur herbis ad sanandum, Ex instrumento autem procedit effectus, non tantùm virtuti ejus respondens, sed ea superior, ac præstantior, nempe respondens virtuti principalis agentis, à quo movetur ad operandum illud instrumentum, quemadmodum securis non solùm secat, sed etiam facit lectum, vel mensam, vel hominis statuam, ut est instrumentum hominis ex arte operantis. Et calor naturalis, qui est in semine, vel in animali non solùm calefacit, rarefacit, aut segregat, sed etiam generat sanguinem, carnes, & ossa, in virtute animæ, vel animalis, cujus est instrumentum. Sic etiam causæ naturales interdum producunt effectus præstantiores suis ipsarum virtutibus, ex eo quod sunt instrumenta Angelorum, vel dæmonum, à quibus moventur, & reguntur. Posset igitur dæmon plurimos morbos, arte medicinæ, quam homines callent, incurabiles, magna celeritate, ac facilitate sanare. Tum quia novit optimè omnes morborum etiam abstrusorum causas, & affectiones. Tum quia scit omnia genera remediorum, & idoneam eorum applicationem, sed non omnes tamen posset sanare, quia sunt morbi aliqui simpliciter incurabiles.

Porrò jam diximus cum communi Doctorum sententia, miracula propriè dicta non posse à dæmonibus fieri, posse tamen, Deo permittente, multa mirabilia secundum quid, sive respectu nostri præstare. Quoniam verò plura etiam ex illis à Deo, vel etiam naturaliter ex beneficio artis patrari possunt ab hominibus, non desunt sua signa, & indicia ad discernendum tales effectus magiæ ex pacto ab effectibus physicis, miraculosis, & artificiosis; ut nimia loci distantia, si adhibeantur verba ignota, falsa, absurda, nihil cohærentia, aut sacra, sed detorta ad sensus extraneos, aut ad quem non sunt instituta. Quando vis collocatur in aliis observationibus planè superfluis, ac indifferentibus. Hisce omnibus, vel aliquo istorum ac similium concurrentibus ad alicujus rei effectionem, meritò plusquam suspecta esse debet, præsertim cùm medium adhibitum non est proportionatum ad effectum producendum, sicut è contra quando hujusmodi effectus miri consequuntur à quocunque, & quotiescunque hoc applicatur sine aliis cæremoniis, vel observationibus vanis, meritò judicamus effectum esse naturalem.

Quoniam etiam ex effectibus miris, tam dæmonibus quam Magis, eorum ope possibilibus, quidam sunt veri, quidam præstigiatorii, aut ex utrisque mixti, & verorum exempla sunt secundùm plerosque incantatio serpentum, *de qua supra ex Psalmo* 37. Item signa, & prodigia pseudoProphetarum, *Matth. cap.* 24. Inter præstigiatorios verò, sive apparentes effectus suscitatus per Pythonissam Samuel, de quo etiam supra; ideo ad hos veros, ac sinceros effectus à fucatis dijudicandum suæ etiam sunt leges ac regulæ, nimirùm. Si effectus magicus ejuscemodi sit, ut potentiam dæmonis superet, qualia sunt miracula soli divinæ Omnipotentiæ reservata, ut suscitatio mortui, tunc effectus censeri debet præstigiatorius. Quando non constat effectum esse superiorem viribus dæmonis, res planè dubia est, & oportet recurrere ad circumstantias. Quia nec dæmoni Deus semper permittit facere quidquid posset, nec dæmon ipse semper vult facere quidquid facere permittitur, sed gaudet præstigiator hominum deceptione, quia mendacii pater est.

Magia verò, aut Magis rerum naturalium virtute nihil penitus in dæmones potestatis est, nisi ex pacto. Fingunt enim dæmones se à Magis cogi, quibus sponte obtemperant, ut plures irretiant, irretitosque retineant, Unde cum vis omnis Magorum in dæmones pendeat, & oriatur ex tali fœdere cum iis inito, sequitur sanè, si Magus pactum habeat cum dæmone superiore, non posse vim illi facere, posse tamen

per

per ipsum sibi ex pacto famulantem, juvantemque inferiores cogere, ad aliquid faciendum, omittendumve. Ut enim Angeli boni sibi superioribus sponte & alacriter obtemperant, sic è contrario Cacodæmones superioribus suis, ut prava mancipia duris dominis, aut imbecillior tyranno potentiori, nonnisi inviti, & malo domiti obediunt. Etsi enim, quæ inter dæmones Ordinum, ex quibus exciderunt, adhuc ratio habetur, non sit vera propriéque dicta subordinatio; nam ei deest ordinis ratio formalis, atque perfectio, quæ per media subordinata in unum, ultimumque finem dirigitur, quo sensu verissimè *Job cap. 9.* asserit, nullum apud inferos ordinem reperiri, imperfectam nihilominus sive materialem ordinum distinctionem inter illos reperiri, docent Theologi cum D. Thoma *par.* 1. *qu.* 109. ex verbis Apostoli ad Ephes. cap ult. *adversus principes, & potestates.* Ibi enim de dæmonibus agens duos eorum choros nominat. Unde etiam ex hoc naturali robore, & aliquali ordinis dæmonum præcellentia nascitur Magorum quorundam in alios Magos vis, atque potestas, qua vel effectus illorum impediunt, vel invicem arte sua malè se mulctant, & necant, Deo id ita permittente.

Nulla igitur verba, nullæque res corporales naturalem habent facultatem, licet queant supernaturaliter, directè, ac per se dæmonem expellendi, vel etiam actiones impediendi, cogendi, ut appareat, accedat, fugiat, aliquid faciat, vel facere desinat. Dixi directè, quia quæcunque res corporeæ inducere possunt in corpus patientis dispositionem contrariam dispositioni requisitæ ad actionem dæmonis, purgando nempe humorem melancholicum plurimùm dæmonibus optatum; unde ita directè corporeos humores purgant, & corpoream ægritudinem pellunt naturaliter, ut etiam sint causæ indirectæ, & sine quibus non, cur dæmones fugiant, & corpus illud deserant. Ex hac mente licere obsessis à dæmone petras, vel herbas natura efficaces, absque ulla tamen incantatione, habere, & gestare, communis est Theologorum sententia. Vide Conradum Vvimpinam *lib. 2. de superstit. cap.* 10. & Valesium *lib. de sacr. Philosoph. cap.* 15. & 18. Vide etiam Lyranum & Burgensem *super* 1. *Reg. cap.* 16. & ibidem Tostatum *qu.* 40. & Josephum *lib.* 8. *antiquit.* de radice Salomonis, cujus odoratu dæmon exibat per nares ejus hominis, quem tenebat.

Sic facilè intelligi potest locus Tobiæ cap. 6. *Cordis ejus*, piscis videlicet Callyonimi, *particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum.* Quod & postea factum ibidem legitur. Ita enim Angelus Raphael directè dæmonem expulit, & in deserto relegavit, ut colligitur *ex cap.* 12. ut etiam suffumigatio hæc indirectè dæmonem pellere potuerit. Similiter *lib.* 1. *Reg. cap.* 16. dulce melos non fugavit directè dæmonem, sed duntaxat ferienti cytharam Davide, leviùs Saul se habebat, quoniam ipso concentu Musices delinito, nonnihil sedabantur humores, quibus agitabatur, & propterea vexationi dæmonis minùs idoneus reddebatur; unde tunc temporis ille recedebat, non quòd Musica vel delectaretur, vel offenderetur, sed quòd ægrè ferret hanc sui domicilii quasi turbari possessionem, per hujusmodi humorum temperiem meliorem, de quo vide Abulensem *cit. cap, à quæst.* 41.

Posse quoque dæmones corpora hominum, & animalium transformare, non quidem intrinsecè figuram mutando, sed extrinsecè ex corporibus aliam circumponendo, alibi diximus. Aliqui enim opera dæmonis convertuntur in speciem lupi, accommodant namque se ad speciem bestiæ, quantum possunt, manibus & pedibus incedendo, & dæmon adjicit reliqua, circumposita alia figura ita, ut speciem lupi exactè referant. Deinde ingreditur dæmon, mutat phantasiam, & animum ferinum inducit, quod ei perfacile est, commotis humoribus, & venenatis succis adhibitis. Denique agilitate lupina corpus regit. Hinc fit, ut tales invadant, lacerent, ac devorent homines, ut veri lupi solent, & ipse homo oculorum judicio, videatur in lupum conversus. Qua de re Augustinus *lib.* 18. *de civit. cap.* 18. Chrysostomus *hom.* 29. *in Matth.* Isidorus *lib.* 8. Origenes *cap.* 9. Rabban. *lib. de Magor. præstig. can. non mirum* 26. *q.* 5. D. Thom. *qu.* 6. *de potentia art.* 5. *ad* 6. & *p.* 1. *qu.* 114. *art.* 4. *ad* 2. D. Bonavent. 2. *dist.* 7. *artic.* 2. *qu.* 2. & alii. Omnino enim, ut ex perfecto animali aliud fiat animal perfectum, longè exuperat vim creatam, quodque Deus Creaturis omnibus negavit, id non absque impietate illis adscribitur.

Nec obstat confessio propria eorum, qui se lupos prædicant. Subinde enim morbi est genus, quod Lycanthropiam vocant. Proficiscitur autem à copia atræ bilis, hoc ita hominum phantasiam depravat, ut videantur sibi lupi, aliqui etiam lupino more oves, vel homines invadere studeant. Vide Paulum Æginetam *lib.* 3. *cap.* 16. & Aretium *lib.* 6. *cap.* 10. Talem se credidit pater Præstantii apud B. Augustinum *lib.* 18. *de civit. cap.* 8. Item Borussus ille, de quo Georgius Sabinus *in Ovid.* 7. *metam.* præterea alius à Joanne Euvichio, *lib. de natur. sagar.* memoratus, qui cùm sibi lupus videretur, sub fœnum se recipiebat, & à rusticis nimis credulis jam cœperat excoriari, avidis cognoscere, an non quia Lycanthropi dicantur Plin. *lib.* 8. *cap.* 22. pellem vertere, pilos interiùs haberet. Equidem vix video utrum magis misereri conveniat miseri Lycanthropi, qui medici sapientis curæ debuit committi, an potiùs simplicium rusticorum, eum, ut versipellem excoriare volentium. Nec enim confessioni atra bile laborantis, sed suis eos oculis credere oportuit.

Neque propterea existimo, morbo semper tribuendum, quoties de Lycanthropis in quæstionem venit. Nec enim pertinaciter inficias iero, spiritus malignos, ubi vident se nancisci decipi idoneos, ut ferè sunt atra bile laborantes, forma interdum lupi apparere, vel veros excitare lupos, qui oves dilanient, aut alia dent damna. Interea verò in melancholicis illis, somno sopitis, sic phantasiam dirigere, ut hi omnia sibi agere videantur, quæ faciunt lupi, aut dæmones forma lupi adsumpta.

Hoc etiam largiar, quandoque homines ipsos in dilaniatione ovium esse præsentes, quia, quæ vulnera sint inflicta lupis, ea illis postea compareant corporis humani locis, ac partibus quæ respondeant lupinis, ut dicendum videatur, homines à spiritu malo lupina pelle circumvestiri, aut ex aëre non absimile quid circumfundi, perque pellem lupinam, sic membris adaptatam, aut per aëriam speciem facilè cedentem, ita ictus penetrare, ut reapse iis locis ferro vulnerentur. Vel si hoc durius creditu est, saltem, dum à dæmone, vel lupis veris ista fiunt inter pecudes, mali spiritus alto sopitis somno, vulnera similia infligunt domi, quæ hi foris credunt accepta, quia quæ foris fierent, in phantasia à dæmone repræsentarentur domi. Utrumcumque istorum placuerit, extra controversiam poni debet, nec animas humanas in corpora migrare lupina, nec humana corpora in lupina converti.

Objectant nobis de Nabuchodonosoro, de quo Daniel *cap.* 4. *v.* 22. & 30. & *cap.* 5. *v.* 21. narrat, *à filiis hominum abjectum, cor ejus cum bestiis positum, & cum onagris habitasse, herbam tanquam bovem comedisse, rore cœli corpus ejus tinctum, donec corpus illius pilis, sicut aquila plumis, vestiretur; ungues etiam essent, sicut avium.*

Sed

Sed non tam hæc significant, feram factum, quàm ita efferatum, ut in figura humana feræ esset similis, temperamento immutato, corrupta imaginativa, sic ut morbo, eoque lycanthropiæ non absimili, quadrupes sibi videretur, atque ejus instar, humani fugiens consortii, manibus, ac pedibus inter feras diù, noctuque sub dio reptaret, gramine etiam vesceretur, pilis & unguibus inhorresceret, nec loqueretur, sed potiùs incondito strideret sono. Quomodo Rupertus Tuicensis Propheten interpretatus *in lib. 6. de Victoria Verbi Dei cap. postremo.* Ac sententiam hanc etiam admittunt, quæ de eo legitur apud Gregorium Magnum *in Jobum lib. 5. cap. 6.* Ubi priùs, inquit, *in irrationale animal versus est*; subjicit autem, *quem communem cum hominibus habuit sensum hominis amisit.* Planèque repudianda est sententia, quam Flavio Josepho, sed perperam, tribuunt Nicolaus Lyranus, & Dionysius Carthusianus. Item quæ de ipso legere est apud Dorotheum Tyrium *in synopsi de vita, & morte Prophetar.* sed suppositium scriptorum judicio etiam Molani, Bellarmini, Possevini, fortasse Dorotheum, Abbatem Romanum, ut visum Baronio *ad Martyrol. Roman. 5. Junii.* Scio idem legi apud Epiphanium *in vita Danielis*, sed nec opusculum illud de Prophetarum vita, & interitu, magno illi Salaminis apud Cyprios Episcopo satis dignum existimo, multa adeo ex Thalmudistis hausit incerta, imò falsa, nec ejus libelli meminit Theologorum veterum quisquam.

Non tamen est negandum, quin possint dæmones aliquas veras transformationes efficere, applicando activa passivis. Sic possunt efficere ranas, muscas, mures, ac cætera hujusmodi, quæ ex putri nascuntur, ut probat Delrius *lib. 2. cap. 14.* Et forsan etiam animantia, quæ sunt ex semine, infuso ex semine in vas naturale genituræ. Sed qui sic nascitur, ut alibi notavimus, non erit filius dæmonis, sed illius, cujus erit semen.

Ideo id, quod legimus *Exod. 8. & 9.* de Maleficis Ægyptiis eos fecisse ranas, & serpentes &c. verè factum fuisse, non tantùm apparenter, docuit Augustinus *libro 20. de Civit. cap. 18.* At de hoc vide quæ supra diximus. Quod autem Ciniphes facere non potuerint, divino consilio factum est, ut constaret, eos non Dei virtute operatos fuisse, sed ope dæmonis, cui non semper permittitur facere quidquid potest, ut deceptiones ejus detegantur. At de his satis.

Nunc dicendum est, quas res dæmon nec per Magos, neque per seipsum possit efficere. Et quidem per motum localem, qui est immediata ejus operatio transiens, multa non potest facere dæmon. Non enim potest, ut inquit D. Thomas *in quæst. de potentia qu. 16. art. 8. & 3. lib. adversum Gentes cap. 108.* destruere, aut subvertere ipsum Universum. Sunt enim dæmones partes Universi. Pars autem non habet vim atque potestatem in totum, cujus est pars, &, ut ait Paulus ad Hebr. 2. *Non subjecit Deus Angelis orbem terræ.* Nec potest pervertere ordinem Universi, cùm autore Aristotele, bonum Universi sit ordo. Non potest item perturbare, vel suis locis commovere principes partes mundi, ex quibus ejus integritas coalescit. Non potest sistere cœlum, vel motum ejus in contrarias partes trahere. Non potest elementum aliquod ex uno loco in alium transferre. Non potest facere, ut detur vacuum, cùm vacuum tollat conjunctionem, connexionem, atque subordinationem omnium partium Universi, in quo ejus conservatio, atque gubernatio consistit.

Diximus, non posse dæmones ejusmodi res facere vel simpliciter, vel secundùm potentiam ordinariam eis à Deo concessam, & quam eis concedi poscit æquissima divinæ providentiæ ratio. Et cùm dæmones habeant vim motivam definitam, alii quidem majorem, alii verò minorem, non possunt quantumlibet corpus quantalibet velocitate movere, nedum in instanti. Non possunt facere, ut duo corpora sint simul in eodem loco, vel unum corpus in duobus locis simul, vel ut unum penetret dimensiones alterius. Nec potest dæmon, distans à corpore, illud movere secundum locum; quia movens & mobile debent esse simul, alioquin posset movere per vacuum, & per quantamcunque distantiam. Nec potest transferre corpus de extremo ad extremum, & non per medium.

Multa quoque sunt, quæ per alteram actionem dæmonum, quam mediatam diximus, cujusmodi est naturalis alteratio, corruptio, generatio rerum naturalium non possunt à dæmonibus effici. Non enim potest dæmon immediatè producere ullam formam substantialem, vel accidentalem. Cùm enim sit incorporeus, non potest immediatè alterare materiam corpoream; unde formæ naturales educantur. Nec potest aliquid creare ex nihilo; Tum quia id requirit infinitam virtutem activam, qualem Deus solus habet. Tum quia nec motus localis dæmonis, neque operatio, quam per causas naturales exercet, in nihilo recipi, aut circa nihil versari possunt. Nec potest ex quolibet facere quodlibet. Nec per quamlibet causam, vel instrumentum potest quemlibet effectum producere, sicut medicus non potest per quamlibet medicinam quemlibet morbum sanare, nec artifex per quævis instrumenta quodcunque voluerit opus perficere. Atque hoc est, quod Augustinus compluribus locis docet, nec dæmones, neque Angelos esse creatores rerum, nec posse transmutare formas rerum, nec materiam corporalem ad nutum illis obedire.

Præterea non possunt dæmones producere formas substantiales, non præviis alterationibus, ac præmissis dispositionibus. Nec possunt eas in instanti, aut quantumlibet parvo tempore producere. Nec possunt quamlibet rem naturalem immediatè in quamlibet aliam transmutare, etiam adhibendo causas naturales. Non possunt animalia perfecta sine semine producere. Quare, si visi sunt unquam vel ex lapidibus, & lignis producere equos, vel leones, vel ex nubibus pluere vitulos, non est putandum, sic eos fuisse generatos, sed vel aliunde invisibiliter per dæmones illuc translatos, ut supra notavimus, vel non fuisse vera animalia, sed eorum tantùm imagines, & simulachra, cernentium oculos fallentia. Nec possunt animal producere subitò secundùm perfectam magnitudinem, ac virtutem ejus. Nec possunt pervertere, atque immutare ordinem, qui est inter formas, & dispositiones rerum naturalium, ut possint posteriores inducere, non inductis prioribus, aut extremas, non inductis mediis. Nec possunt mortuos ad vitam revocare propter causam supradictam. Nec possunt impedire, ne agens naturale, habens omnia requisita ad agendum, non agat. Denique quod superat vires agentium naturalium, quodque naturali eorum dispositioni ac ordini repugnat, & ad quod virtus agentium naturalium nullo modo se extendit, id fieri à dæmonibus nequaquam potest.

CONSULTATIO LXVIII.

De Spectris. Eorum causa, Figuræ. Mala. Terrores. Ludibria, fraudes, artes, ac regulæ dignoscendi apparitiones, an sint à malo, an à bono spiritu?

Concitant & dæmones sua arte, ac ingenii, operisque celeritate ex materia commoda quam ipsi norunt

norunt, spectra diversa in aere, & in terra miri artifices, ac celeres, ac rerum naturalium, quæ ea possunt generare, & facere, peritissimi. Quæ tamen ipsi operantur, vel ut decipiant, vel ut autores, & creatores rerum earum videantur, ac miraculorum patratores, vel ut terreant. Homines pios, & bonos à pietate avocent, cùm tamen nihil sit in his, præter celeritatem, mirandum. Confingunt itaque in cœlo ex nubibus animantia, mediantibus Solis, radiis exercitus, venatores; addunt ex aëris repercussione, ac instrumentis adfabrè factis voces, fletus, & id genus alia terriculamenta. Aristophanes in Ranis unum profert, quod Proteum refert, & apparuisse dicit Dionysio pergenti ad inferos. *Erat*, ait, *aliquando bos, nunc autem mulus, aliquando iterum mulier pulcherrima quidem, jam canis, Empusa igitur est.* Eusthatius *Empusam* dicit larvam, spectrum, quod uno pede ambulat. Secundùm alios, quod unum pedem æreum habeat, Cœlius Rhodig. *lib. 6. cap.* 28. Alium, ut Aristophanes ait, asininum. Et Suidas tradit hoc spectrum dæmoniacum ab Hecate immissum, & calamitosis apparere, item & in meridie, cùm defunctis inferiæ ferrentur. Apparent enim dæmones non quales sunt, ut plerumque, sed ludicris involuti monstris. Nam, ut ait B. Chrysostomus homil. in Psalm. 41. *Quot dæmones feruntur per aërem, quot adversæ potestates? Si illis Deus permitteret terribilem illum vultum suum, & horrendum aspectum nobis ostendere, annon mente dimoveremur? Annon periremus? Annon omnino interiremus?*

Rabbini Judæorum dicunt, *Lilith*, de quo alibi, esse spectrum quoddam dæmoniacum, habens formam abortivi nati ex impuro partu, excepto, quod habeat alas. Ideo scriptum est in parietibus Judæorum per circulum album cœnaculi? *Etzelo chutz Lilith, chutz Lilit*, hoc est: *Mane extra Lilith, extra Lilith.* Et hoc circulo existimant arcere se dæmonem, ne ingrediatur, & ne noceat infanti, recens nato. Hæc Munsterus *in lib. Messiach Christianorum.* Fertur à Philostrato *lib.* 4. *de vita Apollonii*, Ephesi dæmoniacum quoddam spectrum pestem disseminasse, idque in forma, & specie senis mendici, peram gestantis panicii, frustis refertam, laceram, & sordidam vestem gerentis, quem Apollonius Tyanæus ad expiandam Civitatem cùm detexisset, jussit lapidibus obrui. Quod factum. Et sublatis deinde acervis lapidum, ait in ejus locum inventum esse canem, tanquam molossum, magnitudine tanta, quanta maximi Leonum esse solent, quasi rabidi canis spumam emittentem, & ita liberatam à peste Civitatem. Chunnegundis, uxor Henrici Secundi Imperatoris, in suspicionem venit adulterii cum aliquo juvene, in forma cujus dæmon ex aula Imperatoris sæpè videbatur egredi. Purgavit autem illa innocentiam suam ambulans super craticulam ardentem, prout tunc erat mos, & judicandi formula, *Krantius lib.4. cap.5. Metrop.*

Gennadio, Patriarchæ Constantinopolitano apparuit spectrum, quod postquam exprobatum ab eo fuit, illi dixit: *Te vivente silebo, sed mortuo perdam Ecclesiam.* Quare & pro Ecclesiæ stabilitate rogavit studiosius Gennadius, Theodor. *libro* 1. *epist. hist. Eccles.* Apparuit dæmon cum diademate ac splendore Dom. Martino Turonensi Episcopo, dicens, se Christum esse. Detectus autem quod Christus non esset, pollicitus reverti cum veste purpurea, & diademate, Severus Sulpit. *lib.* 1. *vit. D. Mari.*

Narrant miram dæmonis imposturam historiæ Ecclesiasticæ. Vir quidam in Creta tempore Theodosii junioris, dæmon potiùs, & alastor, se Mosem Judæis ibi degentibus esse simulavit, atque pollicitus est, se illos per mare rubrum pede sicco traducturum, atque toto uno anno per insulam percurrens, suasit illis, ut se sequerentur. Quod & fecerunt vanis illius promissis decepti unà cum conjugibus, & liberis. Itaque eos in summum quendam scopulum, in pelagus excurrentem duxit, atque inde seipsos conjicere in mare veluti natantes, & urinantes jussit, idque ex illis quidam statim, ut imperatum fuerat, fecerunt, neque deinceps apparuerunt. Quidam etiam in præcipitio saxi allisi interierunt. Et universi illi vel in undis, vel in præcipitiis saxi periissent, nisi Dei Providentia piscatores, & alia mercatura victum quæritantes Christiani homines præsto essent, eosque inde modis omnibus extrahentes servassent. Tum primum fortasse qua dementia capti essent sentientes, hi, quominus alii se in mare projicerent, prohibuerunt, eorum, qui antea id fecissent interitum indicantes. Quam fraudem detegentes, Pseudo-Mosem illum apprehendere sunt aggressi; verùm persicere id minimè potuerunt. Confestim enim ille disparuit, & magnam suspicionem præbuit, perniciosum quendam dæmonem sub humana specie gentem eam in exitium produxisse, ut Autores sunt Nicephorus *lib.*14. *histor. Eccles. cap.*40. & Socrates *lib.*1. *hist. Tripart. cap.*9.

Et licet aliqui hæc spectra negaverint, ut Cassius apud Plutarchum in Bruto, qui dæmones negat, nec credit consequenter eorundem apparitiones, aut molestias, sed vult sensus tantùm decipi, & hujusmodi imagines fingi, Michael Balbus, ut est apud Zonaram, nullos esse dæmones asseruit, nullas quoque eorumdem apparitiones, aut molestias, & Andreas Tiraquellus *ad cap.*10. *lib.* 2. *& ad cap.* 23. *libro* 5. Alexandri ab Alexandro *genial. dier.* dæmonum apparitiones, & spectra, mera esse somnia putant. Contrarium tamen docet fides Catholica ex sacris Scripturis, & Patribus.

Ex scripturis quidem *Genes.* 3. *Psal.* 90. *Matth.* 4. *Luc* 24. 2. *Corinth.* 11. *ac alibi.* Ex Patribus Prochorus *de Joanne Apostolo cap.* 2. ubi de dæmone lacessente Joannem verberibus, plagis & asperioribus conviciis. Justinus Martyr *orat. ad Antonium Pium*, ubi de dæmone per spectra apparente. Tacianus *orat. contra Græcos*, ubi de dæmonis variis apparitionibus. Origenes *lib* 4. *contra Celsum*, ubi varia dæmonum in figura animalium spectra. Athanasius *in vita S. Antonii*, ubi de innumeris dæmonis artibus nocendi ac de ejus multifaria forma terrifica. Palladius *in hist. Patrum cap.* 18. de Nathanele Eremita à dæmone illuso. Joannes Cassianus *collat.* 7. *cap.* 32. ubi de nonnullis spiritibus, quos Faunos vulgus appellat, seductoribus, & jaculatoribus, ridentibus, illudentibus, ac de aliis furori, ac truculentiæ deditis. Sozomenus *lib.6. hist. Eccles. cap.*20. de spectro habitu mulieris formosæ tentante Apellem, Cyrillus Eremita *in vita S. Sabæ cap.*14. ubi dæmones in scorpionum ac serpentum speciem Sabam tentabant perterrefacere. Æneas Gazæus *in Theophrasto*, ubi circa sepulchra umbræ, ac spectra, humanas animas repræsentantia, simulachrum hominis effingentia. Joannes Moschus *in prato spirituali cap.* 11. ubi de dæmone in habitu monachi. Georgius Pisides *de mundi opificio* ubi de larvis, quas dæmon figurat, de spectris, quæ fingit inania. Michael Psellus *de operat. dæmon. capit.* 18. ubi de transfiguratione dæmonum in quamcumque figuram voluerint. Joannes Zonaras *in Isaacio Comneno*, cui venanti visum est aprum horrendum, qui po-

postea evanuit, unde spectrum dæmoniacum à plerisque fuit judicatum. Zeno Veronensis *in serm. de resurrect.* ubi de vagis, immundisque spiritibus, eorum artibus, atque figuris. Hieronymus *in vita Hilarionis cap.* 3. ubi de variarum portentis vocum, dæmonum ludibriis. Augustinus *de Civit. lib.* 22. *cap.* 8. ubi de spiritibus vexantibus domum viri Tribunitii Hesperii, & orationibus liberatum. Alcimus Avitus *lib.* 2. ubi de variis dæmonis formis. Adelinus Sagensis, *in vita S. Opportunæ*, ubi dæmon in specie nigerrimi Æthiopis, cujus capilli, & barba distillabant quasi picem calidam, & liquidam, &c. Cyprianus Arelatensis *in vita S. Hilarii Arelatensis cap.* 19. ubi de diabolica infestatione, de diversis dæmonum insidiis, de saxorum quoque imbre. Fortunatus *in vita S. Martini lib.* 2. *cap.* 4. ubi dæmon mentiens speciem humanæ sub imagine formæ. Gregorius Turonensis *hist. Francor. lib.* 2. *cap.* 21. ubi de Episcopo, qui nocte quadam ingrediens plenam Ecclesiam dæmonibus reperiit, ipsumque principem in modum ornatæ mulieris in throni illius cathedra residentem. Gregorius Magnus *lib.* 2. *dialog. cap.* 2. de D. Benedicto de dæmone in merulam verso circa ejus faciem volitante, quæ signo Crucis edito recessit. Dinamius Patricius *in vita S. Maximi*, de dæmone insidiatore, forma ingenti, atque terribili sese offerente. Similia narrant Beda *in vita S. Eudberti cap.* 13. Joannes Monachus *in vita S. Valfrani*, Joannes Diaconus *in vita S. Gregorii lib.* 4. *cap.* 89. Hucubaldus Elonensis *in vita S. Aldegundis cap.* 18. Petrus Cluniacensis *de miraculis sui temporis lib.* 1. *cap.* 8. Jacobus Vitriacus *in vita Mariæ Aegniacensis lib.* 2. *cap.* 4. D. Bonaventura *in vita S. Francisci cap.* 11. Theodoricus Apoldius *in vita S. Dominici lib.* 3. *cap.* 7. Petrus de Dacia *in vita S. Christinæ virginis Stumblensis*, Nicolaus Lyranus *ad cap.* 11. *poster. ad Corinthios*. Petrus Ranzonus *in vita Sancti Vincentii lib. primo, cap.* 9. Omitto alios prope innumeros, solum addo aliquos alios profanos, Alexandrum ab Alexandro *genial. dier. lib.* 4. *cap.* 19. Cardanum *de rerum variet. lib.* 16. *cap.* 93. Marinum Cromerum *de reb. Polon. lib.* 9. & Paulum Venetum *de regionibus Oriental. libro* 1. *cap.* 44. Sigibertum *in chron. ann.* 858. Honorium Augustodunensem *de mundi synopsi lib.* 1. *cap.* 53. Gulielmum Neubrigensem *rerum Anglic. lib.* 5. *cap.* 7. Saxum Grammat. *histor. Danic. lib.* 14. Cæsarium Heisterbachium *lib.* 5. *cap.* 47. Gulielmum Alvernum *de legibus*, Matthæum Vvestmonasteriensem *in chron. an.* 1100.

Ex quibus compertum est, dari quædam loca spectris, ac spiritibus infesta. Id exemplis plurimis probant historiæ tum Gentilium; tum Christianorum, confirmantque Sancti Patres, de quo plura Tyræus *de loc. infest. cap.* 1. ac testatur D. Gregorius *lib.* 4. *dialog. cap.* 39. Gregorius Nissenus *in vita Gregorii Neocæsariensis*, Glycas *in histor. Græcorum Imper.* Plinius *libro* 7. *epist.* 27. Olaus *libro* 2. *cap.* 3. *& libro* 3. *capit.* 11. Beucerus *lib. de divinat. fol.* 283. Boëthus *libro quarto, Scotor. histor.* Diodor. *libro* 3. *cap.* 4. Fasel. *ex Aristotele lib.* 1. *de rebus Sicut.* Munsterus *libro* 1. *Cosmogr. cap.* 15. Plutarchus *in vita Cimonis, & in Dione.* Suetonius *in Caligula & in Otthone.* Xiphilinus *in Nerone*, Bodinus *libro* 3. *de dæmonom. capit.* 6. Muloenda *de Antichristo*, Gravina *in lapide Lydio.* Extantque plura exempla apud Vvierum *lib.* 3. *cap.* 9. *de præstig. dæmon.*

Aliqua tamen loca dicuntur infesta propter homines, quia videlicet horrida sunt, quoniam ipsi spiritus certos homines persequuntur. Alia sunt infesta per se, quoniam ratio infestationis è spiritibus, & non ex hominibus, qui in iisdem locis degunt, pensatur. Neque dubitandum, posse spiritus loca infestare, ut plurius probat Sylvester de Strigimagis.

Dæmonum spectra sunt, quæ in fodinis mineralibus, & salinis observata fuere, de quibus idem Tyræus *ibidem*, *cap.* 1. Quæ in balneis, quorum Gregorius Nissenus meminit. Spectra animarum, quæ purgantur, & quæ inferni cruciatibus addictæ sunt, vide apud Tyræum *loc. cit. & cap.* 38.

Non iccircò admittimus genera diversa dæmonum molestantium, à Psello distincta penes loca habitata. Loquutus est enim, ut rudis Christianæ doctrinæ. Quod, si attendisset Delrius, & Autor *compend. malefic.* ei nullo pacto adhæsissent. Melius igitur alii in duo genera molestantes dæmones distinguunt, hoc est in duos modos molestandi. In mites, & in tetricos. *Mites* volunt Lares appellari, Germanis *Guteoli*, aliis virunculi montani, quia plerunque apparent nani, tres dodrantes longi. *Truculenti* verò Larvarum appellatione dignantur. Hi homines molestant, atque turbant. Utrorumque meminit Cassianus *libro* 7. *collat. cap.* 32 Verè tamen affirmandum est, eosdem dæmones quandoque mites esse, postea truculentos, & contra. Omnibus siquidem dæmonibus inest potestas, ac voluntas humano generi nocendi; quod facere conantur pluribus artibus, permittente Deo, etiam mititatem simulando.

Interdum verò animæ purgandæ sunt, quæ molestant viventes. Id probant exempla plurima, quæ afferunt Patres, ut Paschasii, quem celebrat Gregorius Magnus, spiritus, qui obsequium aliquandiu exhibuit presbytero, Felici Portuensi Episcopo noto, matris sanctæ Catharinæ Senensis apud Raymundum Capuanum, matris sanctæ Elisabeth, Hungarorum Reginæ, quæ filiæ post mortem apparuit. Similis apparitio fuit illa sororis sancti Vincentii Ferrerii, & quæ factæ sancti Thomæ Aquinati apud Castiglium *centur.* 1. aliæque innumeræ. Quamvis enim eis suus sit designatus locus, ubi juxta Dei voluntatem puniuntur, desiderare tamen possunt viventibus apparere, illarumque desiderio, rationabile est quandoque satisfacere ex causis Deo notis. Non enim Deus suo rigore justitiæ erga illas utitur, quo erga damnatas Tum magis, quia earum charitas non solùm ipsis prodest, sed & viventibus, quos æstuante charitate diligunt.

Aliquando tamen proveniunt hujusmodi molestiæ ab animabus damnatis, ut per Tyræum *ibidem, part.* 1. *cap.* 5. Non verò propria voluntate, aut dæmonum jussu comparent, sed Dei ad aliquem specialem finem, præcipuè ut testes sint quandoque suppliciorum infernalium apud viventes, non tamen ordinariè, quia habent Mosem, & Prophetas *Luc* 16. & nunc etiam Evangelium.

Animæ autem purgandæ frequentius apparent. Quia bona à vivis & sperare, & consequi possunt. Quod pluribus exemplis probari potest. Probabiliter affirmatur juxta doctrinam Augustini, eas faciliùs ad vivos redire, qui dum viverent, ut redirent, quasi meruerunt, id est qui suffragandis animabus purgandis diligenter vacarunt. Alii autem piè defuncti frequenter redire solent, viventiumque opem implorare, de quo plura Tyræus *loco citato cap.* 79. Deo tamen semper annuente.

Agnosci possunt apparitiones, an sint à malo, vel à bono spiritu ex hisce regulis vel signis. Si signo Crucis, vel nomine Jesu, Mariæ, vel alterius Sancti,

Sancti, vel aqua benedicta, vel ad præsentiam sacrarum reliquiarum, vel sacræ Imaginis, vel similium, quibus Ecclesia uti consuevit contra diabolicas fraudes, diffugiat, ac dispareat. Si aliquid contra fidem, vel doctrinam Ecclesiæ, vel quod sit à moribus Sanctorum alienum suadeat, vel instruat. Si prava sit causa suæ apparitionis, ut si imperio alicujus Magi vel aliqua revelet, quæ sunt frivola, vel vana, vel noxia. Si excitat mentem hominis ad superbiam, ad vanam gloriam, ad præsumptionem, vel ad alium turbati animi motum. Si blandè appareat, & postea relinquat mœrorem, perturbationem mentis, tenebras desolationem, ac similia; nam boni spiritus est illuminare, solari & tranquillitatem animi afferre. Si prohibeat rem tractari, & consuli cum superiore, vel Confessario. Si appareat in forma vili, & abjecta, ut Æthiopis, serpentis, bufonis, canis, & hujusmodi, vel cum fœtore, tumultu, & horrore discedat. Si postquam præstitum est, quod persuasit, rursus frivolis occasionibus rideat. Dæmones enim varias occasiones quærunt, ut sæpè appareant, unde hæc celeritas esse debet suspecta. Lege plura apud Tyræum *lib.* 1. *de apparit. spirit. cap.* 16. Delrium *lib.* 2. *magic. qu.* 26. *sect.* 3. Lessium *lib.* 2. *cap.* 44. *dub.* 3. *num.* 25. & Jacobum de Chusa Theologum in integro opere *de apparit. spirituum,* ac Peltanum *de Purgatorio.*

Cæterum non posse Magos opera dæmonum veras defunctorum animas nobis ostendere, docet D. Thomas 1. *par. qu.* 117. *art.* 4. *ad* 2. fusèque probat Alphonsus Mendoza *qu.* 5. *quodlibet. scholast.* & nos supra *suo loco.* Quia Sanctorum animæ in manu Dei sunt, & soli Deo obediunt, damnatorum verò nequit dæmon sinere egressum sine nutu Dei, sine quo nec ipse id potest. Quod idem habet locum in animabus, quæ igne purgatorii expiantur. Ideo solent ipsi dæmones has vices subire, qui per mundum adhuc vagantur. Neque id mirandum, cùm in Angelum quoque lucis, imo & in ipsum Christum, quandoque se transfigurare audeant.

Et advertendum, quod etsi multa habeantur pro spectris dæmoniacis, quæ naturalia sunt, vel artificialia, & quæ sensuum vitio, aut imbecillitate vitiatæ phantasiæ talia videntur esse, cùm non sint qualia videntur, de quibus agit Petrus Leloyerius *lib.* 1. *de spectris*; attamen solet etiam dæmon hisce, utplurimùm, se adjungere, & hominum proclivitate abuti. Hinc ut variæ dæmonum operationes, ac libidines, sic etiam varia eorum genera solent distingui. Cœlestium, sive æthereorum, & igneorum. Aëreorum. Terrestrium. Aquaticorum, sive fluvialium, qui quoties corpus assumunt, sicut in sexu fœmineo frequentiùs apparent, ita qui habitant in locis siccioribus, & subaridis sæpiùs in viros se transformare dicuntur. Subterraneorum. Lucifugorum. Meridianorum, quorum omnia accurata notitia valdè est necessaria ad intelligentiam plurium locorum sacræ Scripturæ, in quibus ejusmodi dæmonum, sive spectrorum fit mentio, ut Psalm. *Non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano,* Levitici *cap.* 17. vocantur pilosi *Sahhirim*, ubi noster vertit, dæmonia; Isaiæ *capit.* 2. *v.* 20. vocat dæmones talpas, & vespertiliones. Ephes. 6. & Luc. 22. legimus illis propriam noctem, & potestatem tenebrarum. Ex his etiam nocturnis est Asmodæus Tobiæ *cap.* 6. David *Psalm.* 103. dæmones vocat *bestias sylvæ,* Job *cap.* 1. *v.* 19. spiritum ab eremo venientem. Sacri etiam vates Hieremias Thren. *cap.*4. & Isaias *cap.* 13. meminerunt Lamiarum, quas vera dæmonum ludibria, sive spectra fuisse, sancti Patres docent, sicque de aliis. Possem istis alia propè infinita subnectere; sed hæc memorasse sufficit de spectris, ut ea immitti à dæmone, & arte dæmonis intelligamus. Ac proinde qui hujusmodi artibus se pellunt, vel spectra commovent, digni animadversione erunt: *Si quis aliquid,* ait lex civilis in l. si quis aliquid ff. de pœn. *fecerit, quo leves hominum animi superstitione terreantur, Divus Marcus hujusmodi homines in insulam relegari rescripsit.*

CONSULTATIO LXIX.

An, & quatenus Magiæ studium sit licitum? Magia superstitiosa quàm grave peccatum. Magia non naturalis an sit superstitio hæreticalis? Quæ alia crimina cum Magia admisceantur? An in ea detur parvitas materiæ? Ubi & quomodo Magus, qui suo Chirographo fidem Christianam abnegavit, & dæmonis obsequio se dedit, possit fœdus dissolvere absque sui chirographi restitutione?

IN hac re ita distinguendum est. Magia naturalis, cùm sit doctrinæ physicæ ac medicæ & mathematicæ pars nobilissima, per se bona & honesta est, hominumque studio, & cognitione dignissima. Forsitan autem ejus studium, & tractatio publica meritò prohiberi posset in Republica, videlicet, si timeretur ne ea in vulgus prodita, multi, (quæ est humani ingenii ad mala proclivitas) ad perniciem, exitiumque aliorum abuterentur. Nam licet medicina quoque abuti possint medici, & ob eandem causam etiam prohibenda videretur, attamen alia est ratio medicinæ, alia Magiæ. Nam Medicina & ejus usus est per se necessarius mortalibus, & abusus manifestior est, quàm ut omnino celari queat, ideoque punitu ac emendatu facilior; Magiæ verò nec usus societati hominum est per se necessarius, ac est abusus occultus. Latet enim per quas res, & qualiter Magia operetur. Quamobrem valdè timeri potest, ne, quò est occultior in operando, eò magis fiducia impunitatis lubrica sit ad nocendum.

Magis verò non naturalis, præsertim quæ commercio ac fœdere inito cum dæmone nititur, dupliciter addisci potest. Vel speculativè tantùm, vel etiam practicè, hoc est, vel noscendi tantùm causâ, vel etiam utendi, ac exercendi. Nuda cognitio Magiæ per se mala non est. Omnis enim cognitio veri bonum quoddam, ac perfectio est intellectus. Si enim cognitio malorum bona non esset, Deus eam non haberet. Atqui Deus omnium bonorum pariter atque malorum scientiam perfectissimam habet. Si per se mala esset cognitio hujus Magiæ, ergo nulli prorsus eam discere, aut nosse liceret. Quomodo igitur Ecclesiæ Doctores, ac rectores hujus Magiæ vanitates, fallacias, maleficia, impiasque superstitiones detegere, ac confutare possent? Quomodo probare mira illa, quæ faciunt Magi vel esse meras imposturas, vel opera dæmonum, vel occultarum virtutum naturalium effecta? Quomodo demonstrare, nullum opus Magorum verè posse dici miraculum? Quomodo docere Christi miracula multùm differre ac præstare Magorum miraculis, & nec Magos virtute divina operari, nec Christum, ejusque servos miracula magicis artibus edidisse?

Hoc

Hoc autem animo & consilio nonnullis Magiæ studere concessum est. *Nos Christiani*, ait Tertullianus lib. de anima, *fallacem Magiam non socia conscientia, sed inimica scientia novimus, nec invitatoria operatione, sed expugnatoria dominatione tractamus, multiformem hanc lucem mentis humanæ, totius erroris artificem, salutis pariter, animæque vastatricem.* Rectèque dixit Joannes Picus Mirandulanus: *Quò qui est Magiæ peritior, eò clarius eum cernere, quantum inter Magorum, & Christi, atque Sanctorum miracula intersit.* At studium ejus potest tripliciter non esse bonum. Vel si quis illud præferat studiis utilioribus, & tantùm propter inanem quandam curiositatem illud capessat. Vel si ad malè agendum id referre velit. Vel si propter imbecillitatem mentis periculum sit, ne hujus Magiæ fraudibus, ac superstitionibus circumveniatur. Meritò igitur id studii publicè Christianis vetitum est, nec ulli, nisi permissu superiorum Ecclesiæ conceditur.

Usus verò hujus Magiæ in totum damnatus est, ac vetitus, non solùm lege divina, & Ecclesiastica, sed etiam civili, nec Christianorum tantùm, sed etiam Gentilium. Non est autem usus Magiæ licitus. Aut enim est ibi peccatum infidelitatis, si quis dæmoni credens, tribuat ei divinum numen. Aut est peccatum idololatriæ, si oblationibus, & sacrificiis cultum dæmonibus exhibeat. Aut saltem est peccatum inobedientiæ, quia tam Magus, quàm qui opera Magi utitur, facit contra prohibitionem divinam & ecclesiasticam. Causa autem hujus prohibitionis triplex est. Primò, quia is peccat in seipsum, committens se in magnum discrimen, scilicet deceptum magicis fraudibus, in graves errores labendi. Deinde facit injuriam Ecclesiæ, cum dæmone habens commercium, & familiaritatem, qui est omnino præcisus ab Ecclesia, eique adversarius. Postremò gravissimè Deum offendit, dum confugit ad dæmonis opem, & auxilium, quasi non esset omnipotens, ac homini abundè providens, & consulens Deus Christianorum.

Quàm autem gravibus, ac minacibus verbis Deus & usum ac studium hujus Magiæ prohibeat ex variis sacræ Scripturæ locis liquidò cernitur. *In capitulo enim* 19. Levitici sic habet: *Non augurabimini, nec observabitis somnia. Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos.* Et cap. 20. *Anima, quæ declinaverit ad Magos, & Ariolos, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui.* Et cap. 18. Deuter. *Non inveniatur in te, qui sciscitetur Ariolos, & observet somnia, & auguria, nec sit maleficus, nec incantator, neque qui Pythones consulat, aut quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter istiusmodi scelera delebit has gentes in introitu tuo.* Et 4. lib. Reg. cap. 1. Ochoziæ Regi Israël, qui miserat nuncium ad consulendum Beelzebub, Deum Accaron de ægritudine sua, Elias hæc renunciari jussit. *Nunquid non est Deus in Israël, ut eatis ad consulendum Beelzebub, Deum Accaron? Quamobrem hæc dicit Dominus: de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Et lib. 2. Paralip. cap. 33. inter alia scelera Regis Manassis, hæc connumerantur: *Observabat somnia, sciscitabatur auguria, maleficis artibus inserviebat, habebat secum Magos, & incantatores, multaque mala operatus est coram Domino, ut irritaret eum.*

Cujus severissimi præcepti hanc rationem reddit Philo in lib. de special. legib. *Non sinit noster Legislator procrastinari veneficorum supplicia, sed absque mora vult exigi, quòd dilatio noxiis opportunitatem peccandi præbeat, cæteris metum afferat, existimantibus, quicquid illorum vitæ accedit, suæ securitati decedere. Idcircò sicut viperas, serpentes, aliasque venenosas bestiolas, priusquam mordeant, aut saucient, aut etiam se commoveant, sine mora ad primum aspectum occidimus, præcavendo naturalem eorum malitiam priusquam noceant, eodem modo ejusmodi homines plectendi sunt, qui Magicis suis artificiis, & maleficis artibus incautos homines non solùm errore implicant, sed in graves calamitates intrudunt.* Ita Philo.

Quàm essent autem hæ artes Magicæ & Apostolis, & nascentis Ecclesiæ Christianis abominabiles, & exosæ vel unus locus, qui est *in* 19. *cap. libri de Act. Apostol.* apertissimè declarat, ubi sic legitur: *Multi ex his, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus.* Illos autem libros de rebus curiosis, Chrysostomus, Augustinus, Beda, Oecumenius, aliique de rebus Magicis scriptos fuisse, interpretantur, ut alibi etiam diximus.

Porrò gravius est peccatum, quò præstantior est virtus, cui opponitur. Magia autem superstitiosa opponitur Religioni, quæ est omnium virtutum moralium præstantissima. Ideoque est peccatum gravissimum, gravius furto, homicidio, adulterio, perjurio, ac similibus. Nam tollit honorem, & cultum Deo debitum, & dæmoni tribuit, ineundo cum eo pactum, ut ipse Magus dæmonem honoret, & dæmon eum faveat ad sua maleficia præstandum, ut per Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 12. & Fagund. *lib.* 1. *in decal. cap.* 41. *nu.* 1.

Estque Magia non naturalis superstitio hæreticalis. Quia cum ipsa semper intervenit pactum cum dæmone. Magi enim, Lamiæ, Sagæ, ac Striges in suis magiis dæmonem invocant, eique thura adolent, sacrificia offerunt, candelas accendunt, cultum exhibent; genua flectunt, humi se prosternunt, preces effundunt, eum adorant, se ei devovent, obedientiam promittunt, ejus laudes celebrant, castitatem pro eorum reverentia, vel admonitu servant, jejunant, carnem suam macerant, per characteres, signa, & ignota nomina obsecrant, animalia immolant, imagines baptizant, pueros rebaptizant, caput defuncti fumigant. Sanctorum imagines conculcant, sputis fœdant, Cruces dejiciunt, vel confringunt, Sacramentis, vel Sacramentalibus abutuntur, & sanguinem proprium in eorum cultum, & obsequium emittunt. Hæc autem omnia hæreticalia sunt, ut etiam notant Suarez *loc. cit. num.* 10. & 11. Carena *par.* 2. *tit.* 12. §. 4. *num.* 28. Tales enim ineuntes pactum cum dæmone, etiamsi petant res, quæ dæmonis facultatem naturalem non excedunt, sunt vehementer de apostasia suspecti, ut testantur Delrius *libro* 5. *magic. sect.* 15. *num.* 2. Zanard. *in summ. divin. precept. part.* 6. *cap.* 64. Genuen. *in prax. cap.* 18. *nu.* 11. & Carena *loc. cit.*

Hinc Magiam dæmoniacam exercentes non solùm reputantur sortilegi hæreticales, sed etiam, ut hæretici habentur per Repert. Inquis. *v. heresis, rubr. sapere heresim manifestam*, Locat. *in Judic. Inquis. v. Apostata num.* 5. Farinac. *de heres. qu.* 181. *nu.* 36. ubi firmat, quòd Magia, quæ naturalis non est, hæresim in se contineat, cùm nonnisi dæmonum auxilio, & cum eis pacto inito exerceri valeat. Quod intelligendum est non ratione magicæ superstitionis, sed circumstantiarum, ut rectè docet Suarez *ibidem*, *numero* 11. ut quia pacto expresso addi soleat expressa idololatria per sacrificium, aut alium similem cultum, dæmoni exhibitum. Imò in hæresim frequenter incidunt, qui hoc modo dæmoni serviunt.

Imò cum Magia admiſcentur alia crimina à Confeſſariis, & à Judicibus inquirenda Ea ſunt. Primum crimen hæreſis. Multi enim ex his non credunt dæmonem eſſe damnatum, ac pœnis ſubjectum, nec eos, qui ipſi adhærent, eſſe damnandos; nec eum nihil poſſe, niſi ex Dei permiſſione, ac ſimilia. Secundum eſt crimen Idololatriæ. Accipiunt enim dæmonem loco Dei, eique fidem ſpondent, & totos ſe mancipant, & ſacrificia offerunt, aliiſque modis colunt. Tertium eſt crimen Apoſtaſiæ. Abnegant enim Chriſtum, ac ejus fidem, renunciant baptiſmo, & omnia ſacramenta conantur quibuſdam cæremoniis turbare ac funditus evertere. Quartum eſt crimen blaſphemiæ in Deum, in Chriſti humanitatem, in B. Virginem Mariam, & in omnes alios Sanctos. Quintum eſt, ſacrilegium. Nam ſæpè in ſuis Magiis utuntur rebus ſacris, ac etiam ſanctiſſima Euchariſtia. Sextum eſt Luxuriæ, & quidem nefariæ cum ipſo dæmone. Septimum ſunt damna proximorum, ut homicidia, præſertim infantium, vaſtationes ſegetum, interitus animalium, & hujuſmodi alia, ut per Leſſium *lib.* 2. *cap.* 44. & Suarez *loc. alleg.* Delben. *de offic. S. Inquiſ. p.* 2. *dub.* 228. *ſect.* 5. *n.* 7. *& ſeq.* & Caſtropal. *p.* 3. *tract.* 17. *diſp.* 1. *pun.* 8. *n.* 5.

Nec in Magia datur parvitas materiæ. Quia non fit ſine dæmonis invocatione, vel expreſſa, vel tacita. Invocatio autem dæmonis ſive tacita, ſive expreſſa, ſemper eſt mortalis, & ejuſdem rationis, ſive invocetur dæmon in re magna, ſive in re parvi momenti. Nam in iis, quæ reſpiciunt Deum, ejuſque honorem dari non poteſt parvitas materiæ. Cum itaque in qualibet Magia, etiam parvæ materiæ interveniat dæmonis invocatio, ac Dei gravis inhonoratio, ac offenſio, dari non poteſt in ipſa parvitas materiæ, excuſans à mortali. Quod etiam docuit Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 38. *nu.* 18. Leſſius *d. cap.* 44. *dub.* 4. *nu.* 16. Caſtropal. *tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 2. *pun.* 7. *nu.* 2. ac Diana *p.* 5. *tr.* 5. *reſol.* 29 Quia eſt materia indiviſibilis.

Ratione tamen inadvertentiæ, vel ignorantiæ dummodo hæc non ſit affectata, nec craſſa, dari poteſt aliquis actus magicus, qui excuſet à mortali: ut ſi quis ignoret, vel nullo modo advertat, tacitam dæmonis invocationem. Quia eſt valdè occulta. Tunc ex defectu ignorantiæ & animadverſionis eſſe poteſt veniale peccatum, dummodo quis paratus ſit, nullo modo id facere, ſi ſciret, vel dubitaret, quod à dæmone effectus ille fieret, ut per Cajetanum 2. 2. *q.* 95. *art.* 2. Valentiam *to.* 3. *diſp.* 6. *qu.* 10. *pun.* 4. Leſſium, Sanchez & Dianam *loc. cit.*

Quod verò attinet ad diſſolutionem pacti chirographo confirmati, poteſt illud Magus diſſolvere ſi pœniteat, & à prioribus Magiis omnino recedat. Optimus enim eſt portus pœnitenti mutatio conſilii. Nec opus eſt, ut dæmon chirographum ei reddat. Nam per veram pœnitentiam pactum illud omnino reſcinditur, nec in fine vitæ coram Deo nocebit. Et tenetur credere, etiam hoc peccatum poſſe per pœnitentiam deleri. Si verò ipſe Magus apud ſe chirographum retinet, vel illius exemplum, oportet illud comburere, ne ſit cauſa ſcandali, ſi inter alias ejus ſcripturas ſive in vita, ſive poſt mortem ab aliis inveniatur, ut per Suarez de Relig. *lib.* 2. *cap.* 17. *nu.* 4. & Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 40. *n.* 52.

CONSULTATIO LXX.

De Adjuratione, ſive exorciſmis contra dæmones. Quid ea ſit? Ejus conditiones. Qui adjurare poſſint? Quo pacto adjurandum? An licitum adjurare dæmones? Ad id requiſita. Media ac remedia ejiciendi dæmones. An dentur energumeni? De ſignis maleficii. Cur permittat Deus vexationem dæmoniacam? Et cur dæmon opera malefici utatur? Quam poteſtatem habeat dæmon in energumenum. De licito uſu, ac poteſtate exorciſmorum. Quomodo immittantur in corpus energumeni, quæ ab eis per os ejiciuntur? Quiſnam fuerit piſcis ab Angelo Raphaeli Tobiæ oſtenſus? Et ad rem alia.

ADjuratio eſt conteſtatio rei ſacræ, ob cujus reverentiam, amorem, vel timorem promovetur adjuratus ad aliquid agendum, vel omittendum. Alia eſt ſolennis, alia privata. Solennis eſt, quæ fit ex forma ab Eccleſia inſtituta, & à miniſtris ad id conſecratis. Privata eſt, quæ ſolemnitate caret, & fit à quibuslibet privatis hominibus. Utraque ſubdividitur in adjurationem imperativam, & deprecativam. Imperativæ habes exemplum *Geneſ.* 24. & 50. *ac Matth.* 29. Deprecativæ eſt illud *Cantic.* 5. 1. *ad Theſſal.* 5. *ac alibi ſæpè.*

Ut autem ſit juſta, & honeſta requirit veritatem, juſtitiam, judicium. Ut ſcilicet conteſtatio fiat per veram rem ſacram, non per fictitiam & falſam, & ex vero animo adjurantis obtinendi, quod poſtulatur, aut præcipitur, & non irriſoriè ac joco; ex vera cauſa, non ficta, & ſimulata. Juſtitiam, ut quod petitur, vel imperatur ſit res juſta & honeſta. Quia invocare divinum nomen aut aliam rem ſacram, ut obtineatur res turpis, & inhoneſta, eſt Deo injurioſum; Eſtque peccatum mortale, vel veniale ex gravitate, vel levitate materiæ, quæ petitur, vel imperatur. Judicium, ut cum debita conſideratione fiat. Conteſtatio enim nominis Dei & Sanctorum fieri debet cum neceſſitate ac debita reverentia, non temerè, & quavis occaſione.

Omnis autem creatura intellectualis adjurare poteſt. Quia quælibet præſtare poteſt per nomen Dei ut illius amore, vel timore quilibet moveatur ad aliquid agendum, vel omittendum. Solemniter verò adjurare, non omnibus datum eſt, ſed tantùm miniſtris ab Eccleſia conſecratis, quales ſunt Exorciſtæ.

Adjurari autem poteſt Deus per ſeipſum, & per ejus Sanctos, ut per ſuam infinitam pietatem, ac per Sanctorum merita nobis miſereatur, ſuæque divinæ gratiæ participes faciat. Similiter adjurari poſſunt Angeli ac omnes Sancti, ac etiam homines. Dæmones verò, quamvis nec amore, nec timore Dei moveantur, ſed omnia ex odio operentur, nihilominus etiam adjurantur, ut conteſtatione divini nominis coacti, præſtent, quæ ſibi imperantur. Quod ſæpe fit exorciſmis Eccleſiæ, ad hunc effectum inſtitutis. Creaturæ autem irrationales per ſe non ſunt capaces adjurationis. Sed quia earum operationes vel ſunt principaliter à Deo, cujus diſpoſitione omnis creatura movetur, vel à dæmone, qui permiſſione divina utitur aliquando creaturis irrationalibus ad nocendum homini, etiam illæ adjurari poſſunt, quatenus adjuratio vel per modum deprecationis refertur ad Deum, vel per modum compulſionis refertur ad dæmones, ut ipſis creaturis uti non poſſint ad hominibus nocendum. Et talis eſt modus adjurandi in exorciſmis

cismis Ecclesiæ per quos dæmonis potestas excluditur ab irrationalibus creaturis, ut docet D. Thomas 2. 2. *q.* 95. *ar.* 3.

Non tamen pariter adjurantur creaturæ rationales & Deus, sed variè. Nam Deum adjuramus non ut ejus voluntas immutabilis immutetur, sed ut nostram voluntatem ad ei perfectè serviendum, ac benè operandum immutet, ac firmet, & quæ secundùm suam voluntatem ab æterno ordinavit, per suam misericordiam, & Christi merita, nobis concedat. Homines autem adjurantur, ut eorum voluntas immutetur ad aliquid agendum, vel non agendum ob reverentiam rei sacræ. Angeli adjurantur, ut per rem sacram, vel aliquid divinum excitentur ad ferendum suffragium pro nobis, ut quæ justè petimus à Deo, recipiamus. Beatissima Virgo, & omnes Sancti adjurantur, ut per eorum merita, quæ non meremur, nobis impetrent. Ex quibus patet diversitas adjurationis.

Est verò superstitiosum adjurare creaturas irrationales, dirigendo sermonem non ad Deum, neque ad dæmones, sed ad ipsas creaturas per se, ne nobis noceant. Quia, ut diximus, creaturæ irrationales non sunt exorcismi capaces, neque ad nobis nocendum moventur ex se, sed vel à Deo, vel à dæmone, ipso permittente, vel in pœnam nostrorum peccatorum, vel ad nostram correctionem, vel ad alios fines à divina providentia statutos. Ideo talis adjuratio est vana superstitio, quæ nisi excusetur simplicitate, vel levitate materiæ, est peccatum mortale. Quia gravis irreverentia esse videtur, contemnere exorcismos Ecclesiæ, & alia divina verba vanè applicare creaturis omnino ratione expertibus. Verùm si animus adjurantis non sit contemnere exorcismos Ecclesiæ, sed sit quædam simplicitas, seu vanitas, esset tantùm veniale, ut per Sylvestrum *v. ajuratio*, Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *cap* 14. *num.* 12, & Sanchez *in decal. lib.* 2. *cap.* 42. *v.* 37.

Est similiter peccatum superstitiosum, ad fugandum locustas, mures, &c. ut frugibus terræ noceant, constituere Judicem, accusatorem, & advocatum, ac procuratorem ad dirimendam litem inter ipsas locustas, vel mures, ac terræ possessores, vel cultores, & auditis partibus proferre sententiam, ut locustæ, mures, &c. excommunicentur, & anathematizentur. Quia talis actio est omnino vana, cùm creaturæ irrationales nec litis, neque sententiæ sint capaces. Lis autem agitur contra dæmones, à quibus supponitur illas moveri, & damnum inferre. At homines nec jus, neque potestatem in dæmones habent, nec isti eorum accusationem timent, neque eorum defensione indigent, neque eorum sententiam exequuntur. Quod si aliquando se obedire ostendunt, ac nocere desinunt, id faciunt, ut homines magis decipiant. Et ita etiam docent Sotus *lib.* 5. *de just. qu.* 12. *ar.* 2. *& lib.* 8. *qu.* 3. *ar.* 3. Delrius *lib.* 3. *magic. qu.* 4. *sect.* 8. Sanchez *cit. cap.* 42. *nu.* 39. ac Delbene *de juram. cap* 6. *dub.* 7. *nu* 2. In Rituali autem Romano habentur expressæ formulæ, quas omnes sequi debent pro adjuratione creaturarum irrationabilium.

Est autem licitum adjurare dæmones, si debito modo adjuratio fiat, estque id certum de fide. Nam Christus dominus dixit de suis fidelibus Marc. ult. *In nomine meo dæmonia ejicient.* Et Luc 10. *Dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebunt.* Quare Ecclesia peculiarem Clericorum ordinem instituit ad exorcizandum, sive adjurandum dæmones, ut communiter, teste Suarez *d. lib.* 4. *cap.* 3. *nu.* 6. docent Sancti Patres, ac Theologi.

Adjurantur autem dæmones per nominis Jesu invocationem. Id docet Justinus Martyr *disp. cum Triphone.* Nec desunt exempla. B. Theodorus Archimandrita apud Surium *tom.* 2. Jesu nomine invocato plures liberavit. Idem affirmat Marcellinus *cap.* 20. de S. Suiberio, Saxonum Apostolo, & de Arsacio prosequitur Sozomenus *lib.* 4. *hist. cap.* 15. Sic D. Bernardus *in ejus vita cap.* 1. S. Dominicus, Eligius, Antonius.

Per usum Reliquiarum. Id testatur Hieronymus *lib. contra Vigilantium*, Chrysostomus *hom.* 66. *ad popul. Antioch.* & *lib. contra Gentiles de vita S. Babilæ.* Expressiùs *ser. in adorat. caten. S. Petri.* De qua Vincentius *in historial. lib.* 24. *cap.* 88. & Breviarium Romanum *prima Augusti lect.* 6. deque Petri umbra *Act. cap.* 5. *& cap.* 19. de attactu semicinctorum, & sudarii D. Pauli, Gregorius Nyssenus *in vita Gregorii Thaumaturgi apud Surium tom.* 4. de aliis Theodoretus *hist. Patrum cap.* 21. apud Baronium *ad annum* 424. Beda *lib.* 3. *hist.* Anglor. *cap.* 11. refertque Hieronymus *epist. ad Eustochium de vita Paulæ* ad sepulchrum Elisæi, Joannis Baptistæ, atque Abdiæ rugire consuevisse, latrare, sibilare, ac mugire dæmones. Idem refert Ambrosius de sepulchris Prothasii, & Servasii, ac testantur Augustinus *lib.* 22. *de civit. cap.* 8. Nazianzenus *orat.* 19. Vide alia exempla apud Baronium, ac Tyræum *p.* 3. *de dæmoniac. cap.* 43. Bellarminum, Gravinam, Boerium, & alios. De aqua, qua D. Bernardus lavit manus refert Abbas Benevallensis, de pulvere, qui circa martyrum sepulchra inventus est, testatur Gregorius Nyssenus *orat. in Theodor.* Gregorius Papa *lib.* 3. *dialog. cap.* 17. Plura simila narrat Gregorius Turonensis *de miraculis S. Martini lib.* 2. *cap.* 1.

Per sanctæ Crucis impressionem, de cujus usu adversus dæmones Lactantius *lib.* 4. *cap.* 27. D. Basilius *lib. de Spiritu Sancto*, S. Ephrem. *de pœnit. cap.* 3. Origen. *hom.* 5. *in* 6. *cap. Exod.* Augustinus ad Catechumenos, Theodoretus in vita Juliani, & Marciani Martyrum, Gregorius Nyssenus in vita S. Gregorii Neocæsariensis. Idem narrat de B. Antonio S. Hieronymus in vita D. Pauli, Metaphrastes in vita S. Margaritæ, Gregorius Turonensis in vita Gregorii Linconiensis, Surius in vita S. Brigittæ *tom.* 4. Raymundus in vita S. Catharinæ Senensis. Alia vide apud Epiphanium *hæres.* 30. Athanasium in vit. L. Antonii, Cyrillum Hierosol. *Catech.* 9. Baronium *an.* 60. Nec mirum. Triumphavit enim Christus de dæmone hoc signo.

Per usum rerum consecratarum. Antiquissima enim in Christi Ecclesia consuetudo est, ut res quædam consecrentur, & benedicantur, quibus fideles ad dæmones profligandum, morbos pellendum, aliaque mala arcendum utetentur. Oleum ab Apostolis benedicebatur ad ungendum infirmos. Basilius *lib. de Spiritu Sancto* docet, esse Apostolicam traditionem, quod aquam benedicamus. Ejus antiquitatem probat maximè oratio, quæ inter constitutiones à Clemente scriptas reperitur, quæ est hujusmodi: *Domine Sabaoth, Deus virtutum, Creator aquarum, & dator olei, misericors, & benigne, qui dedisti aquam ad potum, & munditiem, oleum ad exhilarandum faciem in exultatione lætitiæ, ipse quoque nunc sanctifica aquam, & hoc oleum in nomine eorum qui attulerunt. & da virtutem sanitatis effectricem, ægritudinum expultricem, dæmonum fugatricem, omnibus insidiis adversariam, per Christum, qui est spes nostra, &c.* Aquæ benedictæ meminerunt Epiphanius *hæres.* 30. Theodoretus *lib.* 5. *cap.* 21. Augustinus *homil.* 27. & 50. *ser.* 19. *de Sanct. & lib.* 6. *in Julianum cap.* 8. De ejus virtute contra dæmones Beda *in hist. Anglic. lib.* 1. *cap.* 17. B. Theodor. *lib.* 1. *cap.* 22. De oleo benedicto adversus dæmones notat Gregorius presbyter *in Theodoro Archimandrita.*

Per exorcismos, qui non sunt meræ præstigiæ, ut eos vocant Calvinus, & Vvellerus, sed potestas à Christo accepta dæmones expellendi, ut habetur *Marc.* 5. & 6. *Matth.* 8. 9. & 10. *Tobiæ* 6. *Actor.* 16. & 19. *ac alibi.* De quorum usu ac potestate Clemens *lib.* 8. *cap.* 16. *Constit. Apostolic.* Ignatius Episcop. Antiochen. Dionysius Areopag. *de Eccles. hierarch. cap.* 3. Justinus Martyr *dialog. cum Triphone*, & *orat. ad Gentiles*, Irenæus *lib.* 2. *cap.* 57. Origenes *lib.* 1. *contra Celsum*, Eusebius Cæsariensis *de demonstrat. Evangel. lib.* 3. *cap.* 8. Athanasius *in vit. B. Antonij*, Concilium Antiochenum *Can.* 10. Cyrillus Hierosolym. *catech.* 16. Gregorius Nazianzenus *orat.* 1 *sive in Apologet.* Timotheus Alexandrinus *in respons. canonic. cap.* 2. Joannes Chrysostomus *homil.* 3. *de natura Dei*, Joannes Cassianus *collat.* 7. *cap.* 11. Palladius hist. *Patr. cap.* 16. Nilus *de orat. cap.* 100. Sozomenus *lib.* 4. *cap.* 15. Socrates *lib.* 4. *cap.* 19. Theodoretus *hist. relig. cap.* 9. *de Petro Eremita.* Cyrillus Eremita *in vit. S. Euthymij.* Tertullianus *in apologet. adversus Gentes cap.* 23. Minutius Felix *in Octavio.* Cornelius Papa *epist. ad Fabianum apud Eusebium lib.* 6. *cap.* 35. *de Novato*, Cyprianus *epist.* 2. Lactantius *lib.* 2. *divinar. instit. cap.* 15. Julius Firmicus Maternus *de error. profanar. religion. cap.* 14. Prudentius *in apothesi contra Judæos*, Paulinus presbyter *in vit. D. Ambrosii*, Hieronymus *contra errores Vigilantii cap.* 2. Ruffinus *lib.* 1. *cap.* 4. Augustinus *lib.* 8. *de civit. cap* 26. Severus Sulpitius *in vit. D. Martini*, Paulinus Nolanus *de natali S. Felicis.* Posidius *in vit. S. Augustini cap.* 29. Petrus Chrysologus *serm.* 52. *de dæmoniaco surdo*, Prosper *de prom. & prædict. de dimidio tempor. cap.* 6. Constantius presbyter *in vit. S. Germani Episcopi Antisiodor. lib.* 2. *cap.* 10. Ennodius Ticinensis *in vit. S. Epiphanii cap.* 15. Adelinus Sagiensis *in vit. S. Opportunæ*, Arator *lib.* 2. *hist. Apostol.* Fortunatus *in vit. S. Martini cap.* 21. Gregorius Turonensis *in vit. Patr. cap.* 14. Gregorius Magnus *lib.* 2. *dialog. cap.* 30. Joanas Monachus *in vit. S. Columbani cap.* 23. Audenus *cap.* 23. *lib.* 2. *vita S. Eligij.* Beda *lib.* 3. *hist. Angl. cap.* 11. Alminus *in hist. S. Richarij*, Valfridus Strabo *in vit. S. Galli cap.* 17. Eginardus *de translat. S. Marcellini, & Petri lib.* 3. *cap.* 13. Ratherius Veronensis *de S. Ursumaro*, Fridegodus *in vit. S. Audœni Episcopi cap.* 26. Petrus Damiani *epist.* 2. Ado Trevirensis *in Martyrolog.* 7. *Augusti de martyrio S. Donati.* Adamus Bremensis *lib.* 1. *cap.* 36. *de S. Romberto.* Anselmus *in elucidario*, Lisiardus *in vit. S. Arnulphi Episcopoi Suessionensis cap.* 24. Sigebertus Gemblacensis, *in vita S. Maclovii cap.* 16. Hugo Foletinus *de claustro animæ lib.* 4. *cap.* 26. Rupertus Tuitientis *in vit. St. Hereberti cap.* 17. Bernardus *in vit Malachiæ cap.* 25. Gerardus Nazarethanus *de conversatione servorum Dei cap.* 20. Helmodus presbyter *in chron. Schlavor. lib.* 1. *cap.* 56 Theodoricus Benedictinus *in vit. S. Hildegardis lib.* 3. *cap.* 26. Sigebertus continuator. Cæsarius Heisterbachius *lib.* 5. *cap.* 10. & 11. Guilelmus Alvernus *p.* 2. *de universo cap.* 13. Vincentius Belvacensis *in specul. histor. lib.* 23. *cap.* 143. de S. Albin. Matthæus Parisius *in hist. Anglic. an.* 12. 17. Bonaventura *in vit. S. Francisci cap.* 12. Thomas Lentinus *in vit. Petri Mediolanensis*, Nicolaus Lyranus *ad cap.* 19. Matth. Raymundus Capuanus *in vit. Catharinæ Senentis*, Ioannes Nider *in formicario lib.* 5. *cap.* 11 Bernardinus Senensis *to.* 4. *de amore ineffabili serm*, 41. Bernardus Iustinianus *in vit. S. Laurentij, Justiniani cap.* 8. Antonius Bonfinius *rer. Ungaricar. lib.* 1. *decad.* 2. Hieronymus Emserus *in vit. Bennonis cap.* 32. Thomas Fazelus de *reb. Siculis. prior. decad lib.* 10. *de Argyre per Vetusta Urbe*, Cornelius Gemma Lovaniensis *de naturæ divinæ characterismis lib.* 2. *cap.* 2 *aliique.*

Nom tamen semper eadem formula usa est Ecclesia, quæ habetur in Rituali Romano; Nam hodie plura addita sunt. Laurentius Justinianus spiritus prius increpabat, moxque exitum imperabat. Eodem modo Bertulphus Abbas infantem liberavit. Anatholia primùm afflabat obsessum, subinde ad dæmonem conversa, præcipiebat exire, & exibat. S. Colunbanus imperat spiritui egressum, nec discedebat, nisi tandem immissis in os obsessi digitis, & ejusdem aliquantulùm attrectata lingua. Bernardus quendam liberavit, hostiam patenæ impositam obsesso superimponens. Gregorius Lingoniensis cum imperio signum crucis conjunxit. Eugenius Abbas dæmonem fugabat breve scriptum exorcismorum alligans collo obsessi. Quomodo autem processerit Hilarion in vita ejusdem narrat Hieronymus. Stola sacerdotalis energumenis ac dæmoniacis imponebatur, referente Gregorio *lib. dialog.* Et in pectore ad modum Crucis. Manusque etiam imponebantur exemplo Apostolorum, qui super ægros manus imponebant, ex Sulpitio in vit. S. Martini, & Palladio in vit. S. Macarii. Digiti etiam in os immittebantur, ut de Patroclo Abbate Gregorius Turonensis *lib. de vit. Patr. cap.* 9. Surius *tom.* 1 *de S. Claro Abbate Viennensi.* Flagellis spiritus depellebatur ex Gerardo à Nazareth *cap.* 20. Gregorio *lib.* 2. *dialog. cap* 30. Napoleos, Cypri Episcopus refert, dæmonem ejectum inflicta alapa, dicendo: Noli amplius mœchari, & dæmon ad te minimè accedet. Ingressus enim fuerat dæmon ob stupri consuetudinem.

Hinc hæretici Vvaldenses, & Vviclephistæ potestatem in Ecclesia depellendi dæmones non nisi per calumniam negant, irrident exorcismos, usum Reliquiarum, Crucis, rerum benedictarum, ac similia. Godelmus *lib.* 1. *de Lamiis cap.* 6 blasphemat, annumerandos esse exorcistas Pontificios incantatoribus, quia hæretici alij scribunt, hos esse magos, & citat Aretium Zuinglianum, Kemnitium, Lutherum, Bodinum, & Vvierum, effutitque præterea, quod sicut incantatores diris vocationibus dæmones ab inferis evocant, ita exorcistæ malignos spiritus ex hominibus, & animantibus certis precibus recitatis, ac usurpatis, additisque aliquibus cœremoniis, characteribus, execrationibus, ac sæpe repetito nomine Mariæ, & sanctorum, eijcere conantur. Addit tamen, referente Delrio *lib.* 6. *magic. cap.* 3. in Ecclesia primitiva peculiare donum fuisse voce humana, & potestate divina de corporibus obsessorum eijcere dæmonem, vel compescere. Et hi, ait, dicebantur Exorcistæ, propterea quod manus vexatis à cacodæmone imponebant, & solemnibus quibusdam imprecationibus, & obtestationibus dæmones eijciebant. Sed addit, hoc in primitiva Ecclesia fuit peculiare donum, cùm autem hoc donum ejiciendi dæmones in Ecclesia desijsset, illa ad superstitiosos exorcismos, & ad magicas veriùs incantationes transit, ut Kemnitius ait. Verùm non ostendit, ceremonias esse superstitiosas, nec desijsse hoc donum. Adhuc enim videmus etiam in utraque India ab exorcistis quotidie dæmones propulsari. Ita delirant, modò ajunt, modò negant. Hæc autem, aliaque hujusmodi tam absurda sunt, ut operosa confutatione non egeant. Eos tamen accuratè confutant Tyræus *de loc. infest.* & *de* Demoniac. *p.* 3. *cap.* 48. Delrius *loc. cit.* & Vvaldésis, Bellarminus, Gravina, Boverius, Nugnes de sacramentalibus, Coccius, Moura, Torreblanca, Sotus, Porrecta, Cajetanus, Suarez, Granadus post D. Thomam 3. *p. qu.* 81. Innocentium III. *de myst. Missæ*, Niderum, Sprengerum, & alios agentes de Sacramentalibus in communi, sive de cæremoniis Sacramentorum, probantes quàm religiosus, ac sanctus ritus ille sit, atque Ecclesiæ conveniens, quis possit sacramentales cœremonicas extra substantiam Sacramentorum instituere, mutare, ministrare, quomodo Christus Dominus dederit Ecclesiæ potestatem instituendi has

cære-

cæremonias, quam partim Apostoli, partim eorum successores Episcopi, nec non Summi Pontifices exercuerunt, unde originem habuerint cœremoniæ, quas nunc Ecclesia observat, de quibus Patres, traditio, & Concilium Tridentinum *sess.* 6. *can.* 13. Legatur præ cæteris Delatorre 2. 2. *qu.* 90. *art.* 2. *disp.* 1. *num.* 3.

In Ecclesia igitur Romana sunt media ad dæmones fugandum. Est de fide. Nam quod Ecclesia observat ab Apostolorum tempore, licitum, & sanctum est. Usus autem hujusmodi mediorum est approbatus à tota Patrum antiquitate, ac perseverat ad hæc usque tempora. Id docet Augustinus *lib.* 4. *contra Donatistas cap.* 24. ubi ait, Apostolica traditione, ac institutione haberi, quod in universa Ecclesia, & omnibus antecedentibus temporibus observatum fuit, quamvis etiam ipsum tale sit, ut ab Ecclesia potuerit institui. Et Irenæus *lib.* 3. *cap.* 3. ac Tertullianus *lib. de præscript. hæret.* asserunt, ab Apostolica traditione descendere, quod pro tali habetur in his Ecclesiis, ubi est integra & continuata successio ab Apostolis, de quo Cano *de locis theol.* Bannes 2. 2. Bellarminus, & Arauxus *disp* 2 *p.* 1. quam potestatem abhuc perdurare, patet ex Marci cap. ult. In nomine meo dæmonia eijcient. Ex quo infert Augustinus *in psal.* 108. Ergo non solum Apostolis, sed etiam quotquot crediderint præfata potestas collata est. Ut enim docent Theologi 3. *p.* potestas collata Apostolis ad gubernationem Ecclesiæ pertinens, successoribus derivare debet, alias deesset Christus in necessariis, neque claves in Ecclesia modo essent, neque potestas remittendi peccata. Ideo Lactantius *lib.* 4. *cap.* 27. inquit: *sicut Christus cùm inter homines ageret universos dæmones sibi subjugabat, ita nunc sectatores ejus in nomine Magistri sui, & signo passionis ejus eos ab hominibus excludunt.* Idem asseruut Cyprianus, Beda, & Tertullianus *ad Scapulam.* Lege D. Thomam *in* 4. *dist.* 6. Quæ autem in hoc cavenda sint vide apud Niderum *cap.* 6.

Quare minus rectè videtur sentire Suarez *in* 3. *p. disp.* 15. *sect.* 4 ubi credit, probabile tantum esse, Ecclesiam accepisse à Christo potestatem ad removendum, & impediendum dæmones ab inflictione malorum per imperium directum in eum, cui ex ipsius Christi voluntate obedire coguntur. Unde eum reprehendit Delatorre *loc. cit. disp.* 14. *num.* 12. Quia de fide est, Ecclesiam accepisse potestatem depellendi dæmones per imperium ex locis S. Scripturæ, quos congerit, sive physicè in eos agendo, sive tantùm moraliter ex vi operis, ac promissionis divinæ, Deo nempe ad præsentiam deprecationis Ecclesiæ physice expellente, dummodo Ecclesiæ imperium sit efficax, seu non ridiculum respectu dæmonum.

Et quamvis Moura de Ensalm. *sect.* 2. *cap.* 11. *num.* 1. pro Suarez respondeat, interpretans ejus sententiam de potestate immediata Ecclesiæ, & non de gratia gratis data membris, rursusque de imperio cum actione physica, non tamen rectè respondet. Nam de fide est etiam, ut idem Suarez, Moura, & Delatorre probant, potestatem immediatè concessam esse Ecclesiæ ad expellendun dæmones, ne oves deglutiant, alioquin defuisset Christus suæ Ecclesiæ, nec ejus capiti dedisset omnia necessaria ad pascendum suas oves.

Meliùs ergo respondetur, Suarez loquutum esse de potestate Ecclesiæ cum efficacia morali, ut patet ex suo contextu; Nam de efficacia morali ibi tractat. Unde antea §. *Circa quintum* supponit ac probat ex usu & traditione Ecclesiæ, ex Conciliis, ac Patribus confirmata, Ecclesiam ipsam specialem potestatem habere à Christo in dæmones (hoc est immediatam) ad imperandum illis, sive ad illos coercendum, sive expellendum. & §. *illi opposito*, excludit physicam efficaciam, quia quandoque non sequitur effectus, & morali modo ait, dæmones præcipiuntur, ac obedire coguntur. Ibidemque, causas efficaciæ moralis, quam probabiliter tuetur, assignat; primùm, nempe quandam veluti consequutivam, & connaturalem efficaciam, suppositis nostræ fidei mysteriis, per quam dæmon exorcismos perhorrescit, confunditur, ac torquetur. Deinde assignat sanctitatem, non tantum ministri, sed totius Ecclesiæ, in cujus persona minister orat. Postremò peculiarem potestatem datam Ecclesiæ à Christo ad imperandum dæmonibus, qui ex ipsius Christi voluntate obedire coguntur, & hanc confert exorcistis, & non tantùm facultatem postulandi. Subditque, fortasse de hac loqui Justinum *qu.* 40. *ad Gentes* cùm ait, esse vim quandam, quæ sub sensu non cadit, quæ timorem incutit dæmonibus, cùm ab Ecclesia imperantur. Hanc etiam videtur Augustinus *lib.* 83. *quæstionum qu.* 79. vocare publicam, & imperialem legem, ac summi Dei potestatem, quæ interdum Sanctis conceditur, ut imperent infimis potestatibus, vocatque signa publicæ justitiæ, quæ efficaciam habent propter excellentissimum Imperatorem; licet hic effectus impediri possit, vel propter privatam, vel propter publicam causam, cum id non pertineat ad donum gratiæ gratum facientis, sed ad liberationem quandam à malis pœnæ, quæ impediri potest, tum ex proprio demerito, sive obice; tum etiam ob majorem animæ utilitatem, vel in aliorum exemplum, aut propter aliud Ecclesiæ commodum. Unde Augustinus *ibidem* ait: *Cùm autem non cedunt his signis hujusmodi potestates, Deus ipse prohibet occultis modis, cùm id justum, atque utile judicat, vel ad confundendos malos, cùm eos oporteat confundi, vel ad movendos bonos, ut proficiant in fide, ad quæ ista non jactanter, sed utiliter possint, vel ad discernenda dona membrorum Ecclesiæ.* Credit tamen Suarez testimonia, quæ efficaciam comprobant posse interpretationem accipere de gratia gratis data, quæ ad gratiam miraculorum revocatur, ac interdum servis Dei conceditur supra dæmones.

Atque ex his rectè infertur contra eos, qui energumenos, sive dæmoniacos negant, eosque præsertim qui non admittunt dæmones existere, quod Aristoteli tribuitur, ac Peripateticis, teste D. Thoma 1. *p. qu.* 3. *de potentia.* Ideo Aristoteles humori lymphatico, aut melancholico attribuit sermones variarum linguarum, prædictiones futurorum, & ignota, quæ manifestant obsessi. Quod impugnant communiter Theologi *ad dictam qu.* 50. ubi etiam probant non solum esse de fide ex sacris scripturis dari dæmones, sed & ratione naturali probari à posteriori cum eodem D. Thoma *lib.* 3. *contra Gent. & qu.* 6. *de potentia* contra quosdam recentiores, nominatim Arauxum *in d. qu.* 50. *ar.* 1. sicut & contra eosdem ibidem probatur, à D. Thoma fuisse satis demonstratum theologicè Angelos esse, non demonstratione absolutè naturali. Quod si animadvertisset Arauxus, non ita debilem rationem D. Thomæ in illo articulo judicasset cum Bubalo, & aliis.

Divus quoque Hieronymus in *cap.* 4. Matth. autores refert, qui censebant energumenos, non à dæmone vexari, sed ab astrorum influxu; de quo & nos *tom.* 4. Levinus item Lemnius *lib.* 2. *de occult. natur.* censet, energumenos nequaquam à dæmonibus pati, sed quibusdam nescio quibus naturalibus morbis laborare.

Nos verò ita primùm asserimus. Hæresis manifesta est, negare homines à dæmone obsideri, atque cruciatibus intra corpus angi. Probatur primùm ex Sacra Scriptura, in qua plures dæmoniaci referuntur

à Christo

à Christo & ab Apostolis liberati, ut Matthæi 8. *&* 12. *ac* 17. Lucæ 4. 8. *&* 10. Marci 1. *&* 5. *ac* 16. Deinde ratione nostri Doctoris locis allegatis. Nam obsessi linguis peregrinis effantur, quas unquam nec audierunt, nec didicerunt, ac de rebus altissimis tractant, cum sint idiotæ, futura annuntiant, & absentia ac si viderent, affirmant. Hæc autem non possunt provenire ab astris, sive à morbis. Nam operationes hujusmodi elici nequeunt nisi ab operante per intellectum. Cœli autem, aut morbosæ qualitates sunt intellectus expertes.

Respondet Arauxus, effectus etiam arreptitiorum & Magorum provenire posse proximè à Deo, quia boni sunt quoad substantiam, & tantùm mali redduntur ex fine, impediuntur autem tales effectus quandoque Nam ad hoc satis est, quod Deus illos possit producere mediantibus humoribus concitatis, non quidem ex indigentia, sed ex sua libertate.

At certè maximum absurdum est, Deum esse causam propriam, & particularem blasphemiarum, & aliorum criminum. Unde nec illa potest, ut causa propria, & particularis, etiam materialiter, producere. Repugnat enim, Deum, ut causam particularem, concurrere ad miracula facienda in confirmationem falsæ doctrinæ. Et quidem certum est, notante etiam Torreblanca *lib.* 1. *de magia cap.* 11. ex Codronchio *lib.* 2. *de morb. venef. cap.* 8. juxta Leges naturæ mediis humoribus concitatis, non prædici futura, vel abscondita, aut abstrusa & profundissima arcana aperiri, sed requiritur miraculum, quod Deus non operatur ad blasphemias proferendum, & alia mala perpetrandum. Etsi videantur loqui variis linguis, linguæ non sunt, sed voces tunc à confusione humorum concitatæ, nullo modo significativæ, cùm à nullo antea fuerint ad significandum justitutæ. Attenuantur enim humores vi humoris melancholici, ut apud Aristotelem *in probl. sect.* 30. & Avicennam *lib.* 3. *fen. tr.* 4. *cap.* 19. Unde possunt variis modis idioma fingere, vel diversum modum formandi voces ex forti imaginatione, quasi propriam linguam loqui, ut maniaci.

Dices, si sermo ab hominibus est institutus, neque illi naturale inest quicquam, quomodo furore correpti linguis loquantur, quas nunquam didicerunt? Exemplum commemorat Michael Psellus *dialogo de operat. dæmon.* ubi fuisse ait quandam mutierem lingua loquentem Armeniorum, *quæ nunquam venisset in eorum conspectum, nec ultra thalamum, & colum, sciret quicquam.* Imò & Petrus de Apono, qui Conciliator dicitur, simile adfert exemplum ad Aristotelis *sect.* 30. *probl.* 1. Aliud item Pomponatius *lib. de incant. cap.* 10. Aliud Erasmus, & ex eo Cardanus *in encom. medicinæ.* Aliud Fernelius *lib.* 2. *de abdit. rer. caus.* Agnoscit idem Levinus *in* 2. *de occult. natur. miracul. cap.* 2. sed causam ejus petit à natura hominis. *Sunt*, inquit, *humores tam violenti, atque atroces, ut eorum fuligo in cerebrum delata, quod in meracissimo quoque vino, affluenter hausto, observamus, peregrinam linguam extorqueat.* Ac paulo post id penitus explicat, aitque *non absurdè statui à Platone* in Menon, quem refellit Aristoteles analyt. post lib. 1. cap. 1. & 2. *nostrum scire haud aliud esse, quàm reminisci; mentem enim imbutam esse artibus, ante illarum usum, sed ut ignis cineribus obrutus, foveri, & exuscitari postulat, quo resplendeat lumen; sic ingenitos nobis igniculos, mole corporis ac densis oppressos humoribus, aliquo indigere suscitabulo, quo veterum reminiscamur.*

Verùm puto, si ad Litteras Sacras, & veteris Ecclesiæ Canones Levinus attendisset, non eam amplexus esset sententiam, quam semper antiqui Patres improbarunt. Horum quippe opinio erat, quoties fraus abest humana (nam sæpe hanc intervenire, experientiâ abunde compertum) dæmones eam scenam adornare. *Sed enim*, inquit Levinus, *si à malis geniis perficeretur, non consilescerent morbi purgantibus medicamentis, nec iis, quæ somnum conciliant, discuterentur. Nunc his, & plerisque aliis, quibus abundè instructa est res medica, ritè adhibitis, restitui illos videmus, atque ad consuetum loquendi usum, mentenque saniorem reduci. Cum itaque serventissima sit humorum ebullitio, vehemens quoque sit spirituum agitatio, quæ voces quasdam inauditas, linguamque priùs incognitam extundit, non secus, quam ex contritu, ac collisione silicis, emicantes, ignitasque scintillas elici videmus.*

Sed nihil his infirmius est. Utcumque enim, si medicamentis humor expurgetur melancholicus, continuò desinat vis sermone loquendi incognito, non propterea tamen humoris ea melancholici vis est, ut concitando spiritus tum vitales, tum animales, tantum possit, ut lingua loquamur, quam non didicimus. Potius dicendum, dæmonem, qui omnia pene poterat mente amente (quippe ab humore atro adhuc obnubilata, nec magis sui compote, quàm in ebriis fieri solet) deserere hospitium vetus, quia videt se non posse, quod poterat priùs. Neque enim spiritus, quippe creaturæ, eoque finitæ potestatis, possunt, quæ volunt, sed solùm illa, quæ non exuperant vim naturæ. Subjecto igitur idoneo iis opus est, ut personam hanc agant. Homo verò per se, ac sine dæmone, tale nihil potest. Nam excedit vires, ut aliquis, non dico verbum unum, alterumve casu promat linguæ, quam nesciat, sed, ut perpetuum contexat sermonem, & ad quæque non præmeditata apte respondeat lingua citra ejus disciplinam. Quod si fiat, nec id evenire inficiari prorsus animus, à dæmone fieri putandum, qui in homine, non compote sui, sic regat instrumenta, ut exequantur, non quæ homo, sed quæ ipse velit.

Perrò tria requiruntur, ut dæmones licitè adjurentur. Primum, ut finis adjurationis sit expellere, ac fugare dæmones, non verò aliquid ab illis obtinere, vel societatem cum illis inire, ut docet D. Thomas 2. 2. *qu.* 90. *ar.* 2. Secundum, ut adjuratio fiat non obsecratione, sed imperio, & objurgatione. Nam obsecratio ad benevolentiam, & amicitiam pertinet, qua nos uti erga dæmones non licet, quia sunt Dei, ac nostri inimici. Tertium, quod adjuratio solennis fiat ab habente legitimam potestatem, quæ non omnibus data est, sed solùm Ecclesiæ ministris ad id specialiter deputatis. Nam hæc pertinet ad actus Ordinis Ecclesiastici, qui non possunt, nisi à consecratis ministris exerceri.

Esse autem licitum, dæmonem superiorem adjurare ut dæmones inferiores à corpore obsessi expellat, opinatur Sylvester v. *adjuratio qu.* 5. Quia hæc adjuratio non ordinatur ad beneficium consequendum à dæmone, seb ad ipsos dæmones expellendum. At contrarium tenendum est cum Suarez *de relig. lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 8. Lessio *lib.* 2. *cap.* 44. *dub.* 6. *num.* 46. & Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 42. *num.* 21. Quia verè hoc est, beneficium à dæmone petere. Beneficium enim est, à nocumento aliquo liberari. Adverto tamen cum Castropalao *p.* 3 *tr.* 14. *disp.* 4. *pun.* 4. *num.* 10. esse licitum præcipere superiori dæmoni, ut cum aliis sibi inferioribus ab obsessi corpore exeat. Quia tunc expulsio superiori & inferiobus præcipitur, & beneficium recipitur à Christi nomine, & ab Ecclesiæ exorcismis, nullo autem modo à dæmone.

Ingreditur autem dæmon in corpus hominis, & ab illo egreditur per quamlibet ejus partem. Quia cum quantitate careat, sitque spiritus, non indiget via, qua ingrediatur, & egrediatur. Ut plurimum tamen

ingre-

ingreditur & egreditur per os. Quia maleficium per os transmittitur. Residet verò totus in toto, & totus in quolibet parte corporis obsessi, non per modum formæ, sed tantum assistentiæ, ac operationis; plerunque residere solet in corde, ut inde pravos motus in corpore excitet, & prava sensibus internis, ac externis objiciat. Nec semper molestiis ipsum corpus afficit, sed ad tempus torquere cessat, & ad tempus etiam ipsum deserit, & postea revertitur, Deo misericorditer ita permittente, ut notat Abulensis *in cap. 8 Matth. qu. 13. ad 2.* & Tyræus *de dæmoniac. cap ult. num. 9.*

Signa verò, quibus dignoscitur aliquem esse maleficio læsum, & a dæmone obsessum multa enumerat Delrius *lib. 6. magic. cap. 2. sect. 2. quæst. 3.* Ea sunt, omnia spiritualia odio habere, à facie sacerdotum, & exorcistarum fugere, in Ecclesiam ingredi nolle res benedictas, sanctorumque Imagines. & maxime Crucifixi, aspicere, nec deosculari, imo hæc omnia in terram proiicere, vel conspuere, sacra illa verba, *Miserere mei Deus*: *Qui habitat in adjutorio Altissimi*. *Magnificat anima mea Dominum*, ac similia nolle proferre, & si coguntur dicere, balbutire studeant, aut verba corrumpant, tædiumque magnum ostendant, illaque demum proferre non possint. Si quando super dæmoniacum legitur Evangelium, vel Christi passio videantur conturbari, guttas sudoris defluere, intolerabiles anxietates ostendere, stridores ingentes mittere, se prosternere, & id genus alia facere. Verùm quia hæc à ficto dæmoniaco etiam simulari possunt, ideo alia plura minùs vulgaria subiicio, quæ referunt Tyræus *loc. cit.* Delatorre, Malleus, Flagellum dæmonum, Viadana *de arte exorcistica*, Codronchius, Compendium maleficarum.

Si tanquam animatum corpus res aliqua perambulet ita, ut obsessi sentiant sibi veluti formicas sub cute reptantes.

Si partes, quas dæmon petit, quadam palpitatione commovent.

Si puncturis quibusdam molestiam gravem inferat.

Si velut flatus à capite ad pedes descendat, & iterum à pedibus ad caput ascendens resiliat.

Si vesicula in lingua excitetur, quæ confestim evanescat, vel plures appareant minutis granulis similes, ex quibus etiam multitudo inhabitantium spirituum arguitur.

Si ad gulam duntaxat aliquid ascendens, eam tumefaciat, & siccam tussim excitet.

Si linguam petens, ac contorquens inflet, vel compellat ad loquendum, non obsessi, sed dæmonis ipsius conceptus, vel si ingentis oris hiatu linguam exerat.

Si in dorso sensum præbeat aquæ frigidissimæ, quasi confertim per dorsum diffusæ, ac sursum & deorsum percurrentis.

Si quis vocem aliquam intra se loquentem audiat, sed verborum sententiam percipere non potest.

Si interrogetur quid egerit, vel dixerit, fateatur se nihil meminisse.

Si septem, vel pluribus diebus abstinuerit à cibo & potu.

Si sentiatur interna persuasio inducens ad præcipitium, vel suspendium, vel jugulationem.

Si fiat stupidus, cœcus, claudus, surdus, mutus, Lunaticus, aut pene immobilis, cum antea loqueretur audiret, videret, prudenter ageret.

Si superveniant terrores, & statim recedant.

Si quando leguntur exorcismi, conturbetur.

Si manus sacerdotis imposita super caput, sentiatur valde gravis.

Si sub illa manu sentiatur res figidissima, tanquam glacies.

Si descendat ventus frigidissimus per humeros, ac renes

Si caput quàm maxime aggravetur.

Si videatur cerebrum constringi, ac perforari ac si gladio esset sauciatum.

Si inflammetur caput, & facies, ac interdum totum corpus ac si esset vapor ignis.

Si febris ingens accendatur cum dolore capitis totumque corpus extenuetur, angaturque.

Si ita constringatur guttur, ut videatur suffocari.

Si in orificio stomachi moveatur aliquid ad modum pilæ, ac si essent vermes, formicæ aut ranæ.

Si in stomacho magnus vomitus concitetur.

Si viscera maximè torqueantur.

Si venter summoperè infletur.

Si appareat in facie color cedrinus.

Si sint oculi constricti, & omnia membra videantur ligata.

Si adsit cordis constrictio.

Si sentiatur in gutture bolus ascendens, ac descendens.

Si sit cibi indigestio, maximè si priùs adhibita fuerit medicina.

Zacharias verò Vicecomes *in Complemento Exorcistæ, doctr. 1.* hæc alia refert signa. Lingua nigra, & tumida, locutio lingua extra os exerta, inflatio gutturis, vel districtio, si quis ploret, nesciens causam.

Si cum ira, & contentione interrogantibus respondeat. Si coactus, ut loquatur, nolit loqui. Si dentes comprimat, nolitque comedere. Si homines odio prosequatur. Si multa dicat, ex quibus minimè dignoscatur quod velit innuere. Si opprimatur sopore gravi. Si se pugnis percutiat, vestes laceret, capillos evellat. Si terribiles habeat oculos, ac horribiles. Si terrore repentino afficiatur, & confestim terror ille recedat. Si diversorum animalium voces imitetur. Si strideat dentibus, ac spumam emittat, ut canis rabidi.

Si exponat se præcipitiis. Si præter naturam varia videat, & audiat. Si sentiatur in aliqua corporis parte dolor, & si super eam signum Crucis fiat, statim per corporis membra diffundatur.

Alii ad cognoscendum, an æger sit energumenus, solent schedulam aliquam sacra Dei verba continentem, reliquias sanctorum, vel Agnum cereum benedictum, vel quid aliud Sacratum latenter ægro applicare. Sacerdos capiti energumeni manum, & stolam imponit, sacra profert verba. Ad ea æger tremere, ac horrere incipit ac præ dolore multos motus inconditos edere, multaque inusitata dicere & facere. Si dæmon caput petat, gravatur æger, & pungitur acrius in capite, vel caput una cum facie, rubore & calore quodam igneo perfunditur. Si oculos invadat eos distorquet, si dorsum, convulsiones membrorum antrorsum, ac retrorsum adducit, aliquando toto corpore rigentes inflexibiles adeo reddit, ut nulla vi ablata flecti possint.

Aliquando velut mortui corruunt ac si laborarent tertia epilepsiæ specie, aura quadam in caput irruente, & ad imperium sacerdotis elevantur, aura remeante unde discesserat. Si dæmon fauces aggrediatur, adeo constringantur, ut præfocari videantur. Si in partes nobiliores feratur, ut prope cor, ad pulmonem, anhelationes, palpitationes, ac sincopas excitat. Ad ventriculum si tendat, movet singultus, ac vomitus, ut aliquando æger cibum sumere, vel assumptum continere nequeat, motus cujusdam rei parvæ instar pilæ circa os ventriculi, nec non rugitus, & alias voces absonas excitat, & circa præcordia torsiones,

vel

vel flatus. Cognoſcuntur etiam aliquando quibuſdam ſuffitibus ex ſulphure, aliiſque rebus teterrimi odoris.

Ait autem Nider *lib. 9. formicarii cap.* 11. quòd licet in hac vita non valeamus internoſcere perfectè ſine miraculo quibus modis noceant dæmones obſidentes, ſex tamen modos ſatis convenientes enumerat, qui ſunt iam recitati ex Malleolo. Vide Delatorre *loco cit.* ubi multa in hanc rem prudenter annotat ex Codronchio, & aliis.

Ego tamen recitata ſigna dæmoniaci æquivoca cenſeo, certaque arbitror quæ ſequuntur. Si quis loquatur lingua ſibi antea ignota vel alios ſic loquentes, intelligat. Si illiteratus, ac idiota doctè diſcurrat de quæſtionibus Theologicis, philoſophicis, &c. Si legere ac ſcribere neſciat, perfectè legat, & ſcribat. Si ita immobiliter maneat, ut multorum hominum viribus dimoveri non poſſit. Si arcana, & futura denunciet. Si muſicæ quidem rudis, cantet, ac pſallat jucundè, ſcienterque. Verbo ſi ſupernaturalia faciat.

Signa autem cognoſcendi ſimplicem maleficiatum, ſunt quæ ſubnecto, quæque experientia comperta eſſe ait Codronchius, docens ea vel communia eſſe cunctis maleficiis, vel peculiaria quibuſdam. Communia ducit à cauſa morbi, & à concomitantibus morbum. Signa à cauſa tradit, ut ſi morbus cœperit ex intenſiſſimo alicujus amore, vel iniquo in aliquem odio. Si ex maledictis, vel minis alicujus malefici; ſi inſtrumenta maleficii ſint inventa, de quibus multa refert Andreas Ciſalpinus. A concomitantibus morbum ſunt paroxyſmi, ac remedia juvantia, vel lædentia.

Communia ſigna ſunt, quod morbi maleficio illati ægerrimè cognoſcuntur ita, ut medici in iis hæſitent, & ambigui huc illuc animo agitentur, nec certi quidquam de illis audeant proferre.

Quod remediis ex ante adhibitis morbus ſe non remittat, ſed potiùs exaſperetur, & augeatur.

Quod more naturalium morborum non creſcat paulatim, ſed frequenter ſtatim ab initio, nullis peccantibus humoribus in cauſa exiſtentibus cum graviſſimis ſymptomatibus, ac doloribus ſe morbus prodat.

Quod valdè inconſtans ſit morbus, & licet periodicorum naturam referat, raro tamen periodos ſervet; ac licet etiam ſimilis videatur naturalibus morbis, in multis tamen diſcrepat.

Multoties ægrotans graviſſimè dolet, in qua tamen parte doleat, nequit referre.

Interdum æger ſuſpiria, quæ luctuoſa vocant, ſine manifeſta cauſa emittit.

Aliquibus appetitus dejicitur. Quidam cibos revomunt, & ventriculum ita malè affectum habent, ut & ſæpiùs adſtrictione laborent, vel etiam pondus in ipſo quoddam, quin rem aliquam modò deſcendere, modò aſcendere per ſtomachum, & guttur percipiant, & ſi in ſuperiorem partem delatam deglutire conentur, omnem operam ludant, re ipſa mox ſponte deſiliente.

In regione cordis punctorium dolorem percipiunt adeo, ut ipſum aliquando lacerare aſſerant.

In quibuſdam circa collum manifeſtè pulſare arteriæ, & quaſi tremere deprehenduntur.

Alii ſæviſſimo colli, ſeu renum dolore cruciantur, vel circa ventrem inferiorem torſiones acerbiſſimas, ac ſæpè flatum quendam frigidiſſimum per ventrem permeantem, ac citò redeuntem, vel vaporem uti flammam ignis calidiſſimam ſimili modo illos infeſtantem, percipiunt.

Quidam ad venerem impotentes redduntur.

Conſuevere quidam levibus ſudoribus, præcipuè circa noctem corripi, quamvis tempore, & aura frigidiore.

Alii videntur habere particulas corporis veluti nexibus ligatas.

Morbi, quibus laborant veneficio læſi, ſunt, ut plurimùm totius corporis quædam extenuatio & macies, ac virium imbecillitas cum ſummo languore, mentis ſtupiditas quædam, varia melancholica deliria, diverſa febrium genera, medicis multum negotij exhibentia, motus quidam convulſivi, unde epileptici videantur, membrorum quædam rigiditas ſpeciem convulſionis præſeferens. Aliquando omnes capitis partes tumefiunt, aut talem circa totum corpus laſſitudinem percipiunt, ut vix ullo pacto movere ſe poſſint.

Plerumque tota cutis, ſed, ut plurimum faciei flavo, ſeu cineritio colore ſuffunditur.

Aliqui habent oculorum palpebras ita adſtrictas, ut eas vix aperire poſſint. Hi cognoſcuntur experimentis quibuſdam.

Veneficio affecti faciem ſacerdotis vix aſpicere valent, nec oculis intentis ullo modo. Album oculorum variis modis mutatur.

Ægrotantes, cùm inſtrumenta comburuntur, ſolent in deterius mutari, vel noxam quandam recipere majorem, vel minorem pro ratione levioris, vel ſævioris veneficii ita, ut quandoque formidabiles clamores, & mugitus cogantur emittere. Quod ſi nullam mutationem, vel læſionem percipiant, erit de ſalute ægri bene ſperandum, parvo negotio bonæ valetudini reſtituendum.

Si forte veneficus ad viſendum ægrotum accedat, ſtatim infirmus ingenti moleſtia afficitur, aliquo tremore, ſeu terrore corripitur, ſi ſit puer, ſtatim plorat, oculi ad fuſcum colorem mutantur, & alia notatu digna in ægrotis mutatio obſervatur.

Quando pro curatione morbi quædam linimenta ſacra ad oculos, aures, frontem, & quaſdam alias partes ſacerdos adhibet, ſi in partibus illis ſudor, vel aliqua alia mutatio appareat, ſignum eſt veneficii.

Permittit autem Deus, ut interdum homo à dæmone per maleficium vexetur tribus præſertim ex cauſis. Ad Dei gloriam. Ad animæ utilitatem. Ad alicujus peccati pœnam. De quo Delrius *lib. 5. magic. qu. 7. ſect. 2.* Nullam tamen poteſtatem habet dæmon in animam energumeni in ordine ad peccatum, cogendo ejus voluntatem ad conſentiendum ſuis tentationibus. Poteſt quidem dæmon illam allicere, ac incitare ad amorem, vel odium, & ad alios pravos affectus, nunquam verò ad perpetrandum peccatum. Nam quod ad hoc quilibet homo eſt omnino liber, ut docent Theologi cum D. Thoma 1. *p q.* 111. *ar.* 2. 3. & 4. & *q.* 114. *ar.* 2. Circa corpus autem ejus poteſtas eſt à Deo limitata, alias nullus energumenus mortem evaderet. Sæpè autem ei permittitur, ut corpus vexet, affligat, ad motus pravos excitet, & voluntatem ad malum ſuadeat.

Exorciſmi autem habent vim ejiciendi dæmones non ſolùm ex opere operantis, ſed etiam ac præcipuè ex opere operato. Quia Chriſtus dixit: In nomine meo dæmonia ejicient, & Eccleſiæ poteſtatem tradidit inſtituendi exorciſmos ad fugandum dæmones, ut ex Concilio Carthag 4. *cap.* 7. & tradunt Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p. qu.* 65. *ar.* 4. *diſp.* 15. *ſect.* 4. ac Delbene *de juram cap.* 6. *dub.* 7. *ſect.* 2. *n.* 15.

Cur autem energumeni exorciſati non ſemper à dæmonibus certo liberantur, ea cauſa eſt, quia ſæpè obſtat vel modica fides, vel aliqua culpa ipſius exorcizati, vel Miniſtri exorcizantis. Quandoque etiam dæmones non expelluntur ex occulto Dei judicio propter majorem animæ utilitatem, vel in aliorum exemplum, vel propter aliquod Eccleſiæ commodum. Ita S. Auguſtinus *lib.* 83. *quæſtion. q.* 79. Victoria *de Magia qu.* 6. *num.* 24. ac Tyræus *de dæmoniac. cap.* 39.

Alia

Alia ratio est, quia non semper iis, qui dicuntur obsessi à dæmone, est habenda fides, quòd ita revera sint. Nam etiam ipsi Exorcistæ in hoc sæpe decipiuntur, existimantes dæmoniacos qui melancholico humore laborant, vel alio naturali, & occulto morbo vexantur.

Quomodo autem immitantur in corpus energumeni quæ aliquando eis per os eijciuntur, discepta-vimus *tomo* 4. Certum autem est, quòd in humano corpore interdum ex pravis humoribus generari naturaliter possunt tophi, lapilli, oscilla, conchylia spinæ, glomi pilorum, & similia, ut testantur Galenus *lib.* 2. *ad Glaucum*, Celsus *lib* 5. *cap.* 3. *de occult. nat. mirac. cap.* 4. Alex. Benedict. *lib.* 2. & 3. *anatom.* Anton. Benin. *eod. tit. cap.* 3.18. 24. & 94. Ideoque potest dæmon talia producere in congruis corporis partibus. Sed naturaliter in corpore humano generari non possunt ex ulla putrefactione acus, clavi, cultri, forfices, & alia ferramenta. Quia calor naturalis non videtur posse convertere humores in metalla. Adi *citatum tomum* 4. ubi de hoc plura & mira.

Non licet Exorcistæ dæmonem interrogare de maleficii autore in Energumeno. Tum quia hoc est velle discere à dæmone aliquid ignotum, & ab eo aliquod beneficium recipere, quod est illicitum. Tum quia hæc interrogatio arguit societatem, & amicitiam cum dæmone. Et tum quia cùm ille sit pater mendacii, ac semper paratus ad hominem decipiendum, nullatenus ei credendum est. Impium enim est ab eo veritatem quærere Unde Carena inquit, *pessimam esse praxim eorum, qui volunt, posse exorcistam in energumeno exorcizando, dæmonem interrogare de illius maleficii autore, & hoc esse indicium ab omnibus reprobatum contra maleficium.* Qua de re suo loco de indiciis.

Nec potest Exorcista dæmonem interrogare in quo consistat obsessi maleficium, vel quæ sit ejus infirmitatis causa, & quale illius remedium. Nam interrogare & rogare, petere ac deprecari parum differunt ut per Suarez *to.* 1. *de relig. lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 5. & Sanchez *in decal. lib.* 2. *cap.* 41. *nu.* 17. Rogare autem, ac deprecari dæmonem est vetitum, quia est intrinsece malum, cùm involvat societatem & commercium cum ipso dæmone. Nec unquam possumus ejus operam uti ad aliquod nostrum beneficium, vel auxilium, ut docent S. Thomas 22. *qu.* 90. *ar.* 2. *ibique* Cajetanus, Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 8. *ac* Delrius *lib.* 6. *magic. cap* 2.

Licet verò aliquid à dæmone inquirere ad Dei gloriam, & astantium utilitatem, dummodo adjurans prudenter judicet, ita expedire, & dæmon divina virtute compellatur ad veritatem dicendam, quia tunc hostiliter agitur cum illo. Ita D. Thomas 2.2. *qu.* 95. *ar.* 4. *ad* 1. Cajetan. *cit. q.* 90. *ar.* 1. *in fine.* Id tamen non est faciendum, nisi a sanctis viris, qui potestatem à Deo acceperint ad compellendum dæmones, ut vera fateantur.

Licet quoque nomen ipsius dæmonis interrogare quia confert, ut adjurans nominatim dirigat præcepta quibus utitur, adversus eum. Causam item ingressus, ut ea cognita, ac remota, tolli possit, minorque sit ejus in hominem potestas; & si sit aliquod obsessi peccatum, eo expiato, faciliùs liberetur energumenus, & adstantes à similibus caveant. Ac etiam, an sit unus dæmon, an plures in eo corpore, ut sciat Exorcista cum quot hostibus pugnat, omnesque egredi imperet. Ita admonentur Exorcistæ in Ritual. Rom. *rubr. de exorcismis* & tradunt Sylvester *v. adjuratio quæstione quinta* Valentia 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 8. *pun.* 2. & Sanchez *cit. lib.* 2. *in decal. cap.* 42. *num.* 23. Etsi enim dæmones sæpè mentiantur, quando tamen divina virtute, sacrisque adjurationibus coguntur, ut causas, propter quas in obsessi corpore ingressi sunt, fateantur, non est dubitandum, quin eis fidem adhiberi possit, ut notant Delrius *libr.* 6. *magic. cap.* 3. *litt. B.* & Sanchez *ibidem.*

Censet verò Sotus, superstitiosum esse petere signum à dæmone, quo ipse testetur, se à corpore obsessi exire, & nunquam in illud revertere. Quia ipse est pater mendacii, ideoque nec ei, nec ejus signis præstanda est fides. At cæteri Doctores communiter affirmant, licere hoc signum petere. Quia dæmon cogitur exorcismis Ecclesiæ veritatem dicere. Et sicut exorcismis cogitur discedere ab obsesso, ita etiam, ut det signum sui discessus. Unde in Sacerdotali Romano exorcista monetur, ut hoc signum petat. Quod etiam tradunt Sanchez *cit. cap.* 42. *numero* 28. Delrius *dicta littera B. in fine*, ac Filiucius *tom.* 2. *tractatu* 24. *capite* 8. *numero* 214.

Sic quoque Simanchus *de cathol. instit. tit.* 65. *numero* 32. ac Delrius *libro* 2. *magic. quæstione* 30. *sectione* 3. opinantur, non posse licitè Exorcistam, sputo, alapa, & flagro dæmoniacum cædere, vel fumo graveolentis odoris molestare, idque esse superstitiosum: Quia dæmon fingit se dolere, & affligi, ut adstantes decipiat, & ut corpus dæmoniaci magis torqueatur.

At verò tenendum est, tunc id esse superstitiosum, quando sputa, aliaque hujusmodi adhibentur, tanquam habentia directè virtutem aliquam ad dæmones expellendum, aut affligendum. Quia nulla res corporea vim habet ad eos cruciandum. Cùm enim sint spiritus, pati nequeunt ex re aliqua corporali. Secus autem quando adhibentur ad dæmonem confundendum, ac in ipsius contumeliam & contemptum, ut sic se contemptum sentiens in eo corpore, illud deserat. Videns enim se contemni, torquetur. Verùm cùm hæc in solam dæmonis contumeliam, & contemptum fiant, moderata esse debent ita, ut corpus dæmoniaci minimè torqueatur, sed sola dæmonis superbia, ut per Sanchez *loc. cit. numero* 30. & *sequen.* ubi de his plura.

Similiter licitum est exhibere dæmoniaco medicamenta ad dæmonem expellendum. Nam exhibentur non quasi vim contra dæmones habeant, sed in eorum contemptum, & quatenus prosunt ad evertendum humores, quibus homo à dæmone vexatur.

At inquies, si dæmon remediis corporalibus ab energumenis non expellitur, cur Raphael dixit Tobiæ *cap* 6. de pisce illo: *Cordis ejus particula, si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum?*

Respondeo, non defuisse Doctores, qui opinati sunt, Deum hujus piscis fumo dedisse virtutem supernaturalem ad expellendum dæmones, sicuti dedit igni corporali potestatem illos torquendi, & aquæ benedictæ virtutem eos fugandi. Ita sentiunt Valesius *de sacr. philosoph. cap.* 28. Gulielmus Parisiensis *de Universo*, Loyerus *libro octavo de spectr. capite primo*, ut refert Celada *in cit. capite sexto Tobiæ* §. 233. *numero quarto.* Alij verò censent Raphaelem illis verbis voluisse dissimulare suam virtutem supernaturalem, ne quando rem, adeo mirabilem præstitisset, Asmodæum expellendo, Angelus putaretur, non homo, ut notat idem Celada *num.* 6. & Serarius *de dæmoniac. cap.* 48. ac Delrius *lib.* 2. *magic. quæst.* 27. *sect.* 2. Et dæmonem fugare voluit Raphael vilissimo fumo in con-

contemptum & ignominiam illius superbissimi dæmonis, qui fugit ab obsesso, ne ignominiis, ac injuriis afficiatur.

Dicendum tamen est cum communi sententia, Raphaelem illa verba dixisse, quia dæmon energumenum vexat per causas naturales, corporis humores alterando, & vel libidinis calorem accendit, ut ad lasciviam stimulet, vel melancholicum humorem excitat, ut ad perturbationem, ac desperationem animum inducat. Fumus ergo cordis illius piscis extricare poterat omne genus dæmoniorum, non directè ac principaliter, sed indirectè, ac dispositivè, impediendo actionem dæmonis, & humorum alterationem per ejus dispositionem contrariam, discutiendo melancholiam, dissipando dolorem, temperando œstrum libidinis, & exhilarando animum eo modo, quo musica David impediebat agitationem Saul per dæmonem Quod efficere etiam solent ruta, hypericon, cornua caprina, artemisia, jecur chamæleontis, sardonyx, Chrysolithus, & id genus alia. Sed directè ac principaliter virtute supernaturali, & Angelica dæmon expulsus, & fugatus fuit. Ita enim ait sacer textus cap. 8. *Protulit de cassidili suo partem jecoris, posuitque eam super carbones vivos. Tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & relegavit in deserto.* Ex quibus liquet, non ex illo fumo, sed ab Angelo dæmonem extricatum fuisse. Tacuit autem Raphael suam potestatem, cùm dixit: *Fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum*, ne se patefaceret Tobiæ, ac ne sciret, eum esse Angelum, quem quasi hominem, viæ comitem, ac ducem habebat. Sicuti eadem ratione vocavit se Azariam, & cum Tobia comedit, ac bibit. Atque ita docent Abulensis *in lib.* 1. *Reg. cap.* 16. Victoria *de Magia qu.* 6. Zachar. Vicecomes *p.* 1. *de remed. corporal.* Delrius *lib.* 6. *magic. cap.* 2. *q.* 3. aliique plures, quos sequitur Celada in *d. cap.* 6. *Tobiæ* §. 233. *num.* 9.

Cæterum Callionymi piscis fel, qui Callionymus appellatur, cicatrices sanat, & carnes oculorum supervacuas consumit ex Plin. *lib.* 3. *cap.* 23. Apud Dioscoridem quoque loco *Parabil. lib.* 1. *cap.* 41. item Galenum *lib.* 4. *de composit. medicam.* secundùm locos legere est, fel callionymi, uti & scorpii, ac testudinis marinæ mederi oculorum suffusioni. Etiam *lib.* 10. *ejusdem Galenici operis cap.* 15. Callionymi piscis fel laudatur ad acuendum visum, & initia suffusionum discutienda. Itaque & aliquorum, nominatim Valesii *loc. cit. cap.* 42. non absurda est opinio, fel illud piscis, quo redditus est visus Tobiæ *cap.* 11. *vers.* 15. fuisse Callionymi, sive uranoscopi, sive scari. Sanè legas quoque apud Rondeletium *lib.* 1. *de piscib. marinis cap.* 1. *Quot oculorum suffusiones, ac cicatrices uranoscopi, ac ranæ piscatricis felle curaverim, nihil attinet hic recensere.* Et verò hæc opinio de Tobia verisimilis, quod Callionymus ferè circa littora versetur, in arena etiam de die dormiat, unde imeroeitis dictus Oppiano *lib.* 2. eò faciliùs capi poterat à juniori Tobia.

Non tamen est licitum Exorcistæ præcipere dæmoni sub pœna excommunicationis, ut ab obsessi corpore exeat. Tum quia dæmon non est capax excommunicationis: Nam est extra forum Ecclesiæ. Solus enim homo viator excommunicari potest, quia est intra forum Ecclesiæ & privari potest communicatione fidelium, & usu Sacramentorum. Et tum quia excommunicatio fertur propter delicti emendationem & animæ salutem. Dæmon autem nec potest emendari, nec sperare salutem. Et quamvis in sacerdotali Romano instruatur Exorcista, ut dæmoni, tanquam excommunicato, præcipiat, id tamen non intelligitur in proprio sensu, sed metaphorico pro execratione, & maledictione, ut per Sanchez *eo cap.* 42. *num.* 32. ac Filiucium *d. cap.* 8. *num.* 276.

Minùs potest Exorcista præcipere dæmoni, ut abeat in locum desertum, vel in infernum, ac inde ne egrediatur, nisi præcipiat sub conditione divini beneplaciti. Quia Christus verbis illis, *In nomine meo dæmonia eijcient* dedit Ecclesiæ potestatem eijciendi dæmones, non autem designandi terminum ejectionis. Sub spe verò divini beneplaciti licet dæmonem in infernum conijcere, quia infernus est locus illi à Deo paratus. Licet etiam in desertum locum eum mittere ac præcipere, ne inde amoveatur, ut hominibus nocere nequeat, ut per Tyræum *de dæmoniac. cap.* 6. *numer.* 23. Delrium *lib.* 6. *magic. cap.* 3. *litt. B.* ac Delbenem *de juram. cap.* 6. *de adjuratione dub.* 12.

Potest tamen Exorcista dæmoni petenti, ne in infernum relegetur, vel ne novis cruciatibus afficiatur, connivere, ut ab obsessi corpore egrediatur. Nam Exorcista non concedit hoc dæmoni, tanquam amico, nec quia ei vult complacere, sed quia vult medium, quo faciliùs compellatur, corpus obsessum deserere. Et consentiendo ejus petitioni, nec Deo, neque proximo injuriam facit, cùm non aliud intendat, nisi faciliùs ipsum dæmonem expellere. Si verò dæmon peteret in aliud hominis corpus ingredi, utique illicitum esset, illi annuere, quia esset in alterius damnum, Tyræus *loc. cit. cap. ult. numero* 8. Sanchez *d. cap.* 42. *numer.* 36. ac Delbene *ibidem num.* 14.

Solet verò aliquando dæmon, ut exeat ab obsessi corpore aliquod opus bonum præscribere, quod neutiquam faciendum est. Nam id consulit ex malitia, ut faciliùs postea homines decipiat. Transfigurat enim se in Angelum lucis, ut animas obtenebret, ac in æternum perdat. Ideo tutius est opus bonum ab eo impositum, omittere, & in aliud commutare, ne in eo opere aliquid fraudis & periculi moliatur. Dæmonibus enim ne bona quidem consulentibus, credendum est. Quia bona omnia, quæ nobis consulunt, tendunt ad malum, & ad nostram perniciem. Si verò opus bonum à dæmone præscriptum, sit faciendum, ut præceptum, utique fieri debet, quia de se bonum est, à Deo vel ab Ecclesia, non autem à dæmone præscriptum.

Possunt autem Exorcistæ in dæmonis adjuratione aliquando esse de superstitione suspecti. Primùm si laicus, vel clericus, sola prima tonsura insignitus, quasi ex speciali Dei privilegio, vel ex Officio exorcizare præsumeret. Quia dum hoc privilegium non ostendit, certum est, ex officio id munus ei non competere, ideoque de superstitione redditur suspectus. Deinde, si novis exorcizandi formulis, ac ritibus, diversis à communibus Eccesiæ, utatur. Præterea si quis sibi vendicaret majorem virtutem ad dæmones exorcismis eijciendum, quàm cœteri ejusdem Ordinis. Secus autem, si diceret, se in hoc munere peritum esse, meliusque nosse quo pacto in energumenis dæmones tractandi sunt. Postremò si vocibus ignotis utatur, quas solis Dæmoniacis ad aures dicunt. Clam enim uti nominibus ignotis, non est absque superstitionis suspicione. Ac ita etiam tradunt Delrius *post. lib.* 6. *magic. in anacaphal. monit.* 10. Ciruel. *de superstit. pag.* 3. *cap.* 8. & Sanchez *cit. cap.* 42. *num.* 15.

Existimant Cirvelus de *superstit. p.* 3. *cap.* 8. *ac Sotus de just. lib.* 8. *qu.* 3. *art.* 2. *ad* 2. esse superstitiosum imperare dæmoni, ut det signum sui egressus ab obsessi corpore, nec sit in illud amplius regressurus, ut nimirum extinguat lampadem longe positam, frangat vitrum in Ecclesiæ fenestris

fenestris, pulset campanam, vel simile. Quia dæmon absque eo, quod egrediatur ab energumeni corpore, extinguere potest lampadem, vitrum frangere, & campanam pulsare, ut credatur sui egressus; & sic Exorcistam, ac cœteros decipere, cùm sit pater mendacij.

His tamen obstat usus Ecclesiæ, & Sacerdotale Romanum, ubi expresse dicitur, posse in exorcismis pro obsessis à Dæmone tale signum expostulari. Quia, licet aliquando possit esse fallax, raro tamen ita contingit, quando in signi postulatione servatur modus, ab Ecclesia præscriptus. Nam signum hoc petitur, non ut conducens ad expulsionem, sed ut expulsio in nomine Christi sequuta, nobis manifestetur. Credendum namque est, quod Christus reliquit suæ Ecclesiæ potestatem ad expellendum dæmones, non qualemcunque, sed manifestam, & consequenter ad expostulandum signum, quo expulsi nobis innotescat. Et, quamvis dæmon sit pater mendacii, quotiescunque tamen dicit aliquid virtute divina coactus per exorcismos Ecclesiæ, fides ei adhiberi potest. Et ita etiam censent Tyræus *de dæmoniac. cap.* 46. *num.* 23. *& cap.* 52. *num.* 4. Delrius *lib.* 6. *magic. cap.* 2. *quæst.* 3. *sect.* 3. *remed.* 4. *& cap.* 3. *lit. B. in fine*, & Sanchez *d. d. cap.* 42. *numero* 28.

Domus verò, quæ spectris, aut alia dæmonum infestatione vexatur, hoc modo est adjuranda. Statim inquilini conscientiam excutiant, conterantur, ac de peccatis confessionem instituant, omniaque de domo removeant, quæ Deo displicere possint. Devotè insuper se Deo commendent, ac Deiparæ & Sanctis, & interea dum durat vexatio, quotidie mane ac vespere Sacerdos quispiam Sacerdotali indutus cum stola, cruce, & aqua benedicta accedat, & lustret omnia domus cubicula, locaque alia, recitans devotè psalmum. Qui habitat in adjutorio Altissimi, & Evangelium S. Joannis, In principio erat Verbum, & alias precationes pias, & exorcismos, qui dominicis diebus in benedictione aquæ contra dæmonum vim, ac insidias leguntur. Ponantur per singula præcipua domus loca rami palmarum benedicti, & candelæ benedictæ, jubeantur dici Missæ à viris piis, ac Deum timentibus pro quiete familiæ illius, & ut ira Dei cesset, ac mittat Custodem Angelum suum, qui dæmonem expellat, & domum illam custodiat. Caveant autem, ne cum dæmone sermonem ullum misceant, vel loquenti quidquam respondeant. Multoque magis caveant, ne quem Magum, aut ulla superstitiosa vexationi reprimendæ remedia accersant. sed magna spe ac fiducia in Deum, misericordiam ejus summa cum patientia præstolentur.

Demum Exorcistæ, ad quorum notitiam aliquo modo pervenit corpus delicti alicujus maleficii, vel persona de aliquo maleficio suspecta, dummodo hujusmodi notitia non perveniat ex indicio, & dicto dæmonis, debent quamprimum, personas hujusmodi S. Officio revelare sub pœna privationis muneris exorcizandi, aliisque arbitrio S. Congregationis pœnis, & Sanctissimus mandavit, hujusmodi decretum superioribus cujuscunque Religionis, ac Instituti, nec non Vicariis, sive Ordinariorum Officialibus, cœterisque omnibus ad quos pertinet, impertiri hanc facultatem exorcizandi notum fieri 20. Januarii 1628.

Consultatio LXXI.

De Confessario hæretici, malefici, sive sortilegi. De eorum Casuum reservatione. Deque facultate absolvendi eos, atque alios suspectos de hæresi.

Confessarius circa pœnitentes hæreticos, maleficos, ac sortilegos primò diligenter inquirere debet, an ij errorem habuerint in intellectu. Quia tunc essent hæretici excommunicati in Bulla Cœnæ. Si verò talem errorem non habuerint, animadvertere debet, an commissum maleficium, vel sortilegium sit casus reservatus. Nam hoc crimen, ut plurimùm ab Episcopis reservari solet, & tunc impetranda est facultas ab Episcopo illud absolvendi. Secundò debet confessarius accuratè illos interrogare de abusu Sacramentorum, & aliarum rerum sacrarum ac benedictarum ab Ecclesia, de pacto expresso, vel tacito cum dæmone ac de cultu illi exhibito, de tempore, quo in hujusmodi maleficiis, ac sortilegiis insorduerint, de singulis sortilegiorum, ac maleficiorum speciebus, ac de actibus apostaticis factis, de complicibus, de damnis illatis, de qualitate mulierum, ad quarum amorem provocandum fuerint maleficia, an scilicet fuerint virgines, an matrimonio conjunctæ, an liberæ & cœtera hujusmodi. Tertiò ostendere debet pœnitentibus peccati gravitatem, ac Dei misericordiam illos expectando ad pœnitentiam, & an de sua salute aliquando desperaverint. Nam sæpe dæmon solet maleficos, & sortilegos in desperationem inducere, ut suæ servituti sint omnino subjecti. Quartò debet illos obstringere ut dæmoni, ac omni pacto cum eo inito, renuncient, ut damna illata resarciant, ut libros, vel scripta, quæ maleficia, aut sortilegia continent, ad Inquisitionem deferant. Et consideratis facti circumstantiis, & qualitate pœnitentis, certam promissionem exigat de ampliùs non committendo hujusmodi facinora.

Et licet maleficus, ac sortilegus sit ab Inquisitore, prævia abjuratione absolutus, tenetur tamen confessario commissa maleficia, & sortilegia confiteri. Quoniam ab Inquisitore fuit tantùm in foro exteriori absolutus. Sublata enim excommunicatione in foro exteriori, remanet adhuc peccatum in Sacramentali confessione absolvendum,

Opinatur autem Benoch. de *casib. reser. p.* 2. *qu.* 1. *in* 1. *cas. tabel. nu* 87. quòd in hoc crimine, Confessarius exigere debeat à pœnitente juramentum, nunquam ampliùs illud committendi, & pœnitens id præstare debet. Quia, ut docet Graffius *p.* 1. *dub.* 1. *cap.* 32. *num.* 15. in enormibus delictis tale juramentum est à Confessario exigendum, & à pœnitente præstandum. Carena vero *p.* 2. *tit.* 12. *§.* 35. *numer.* 305. existimat hoc prudentis Confessoris arbitrio relinquendum esse, considerata qualitate pœnitentium, ac cœteris facti circumstantiis. Sed ego censeo cum Navarro *in man. cap.* 26. *numer.* 25. Philiarcho *de offic. Sacerd. tom.* 1. *pag.* 2. *lib.* 3. *cap.* 16. Sanchez *lib.* 3. *in decal. cap.* 8. *num.* 8. ac Diana *p.* 6. *tr.* 6. *miscel.* 1. *resol.* 30. Confessarium à pœnitente juramentum, aut votum desistendi ab aliquo crimine petere non debere. Quia eum trangressionis periculo exponeret. Nec satis est ad hanc petitionem dubium transgrediendi. Quia in dubio non est præsumenda alterius iniquitas.

Confessarius verò quando casus sortilegi, aut malefici indiget consultatione, & tempus non habet consulendi, potest hujusmodi pœnitentem absolvere, si ille promittat se exequuturum quod prudenti consilio adhibito judicatum fuerit esse obligatum: Nam in tali casu pœnitens est sufficienter dispositus ad absolutionem recipiendam. Et ita docent Suarez *tom.* 3. *de pœnit. disp.* 28. *sect.* 2. & Coninch. *disp.* 8. de *eod. argum. dub.* 16. *num.* 126.

Reo autem S. Officij comprehenso, & in carceres tantùm conjecto, judicialiter non examinato, non debet concedi confessarius, nisi post confessionem judicialem, aut in periculo mortis, ut per Doctores, quos sequitur Piasecius *in prax. p.* 2. *cap.* 4. *art.* 6. *num.* 7. Sicque tutius esse docet praxis, & tradit instructio Toletana sub anno 1561. *num.* 71. ut refert Delbene *p.* 2. *dub.* 195 *sect.* 38. & nos *alibi*. Si tamen consuetudo non sit in contrarium, potest confessarius, etiam ante judiciale examen, reum alloqui, eumque ad confessionem delictorum disponere, ac suadere, ut integram veritatem, tam de se, quàm de aliis dicat, & ne tædio carceris, vel spe liberationis, aut metu tormentorum sibi, vel aliis falsum crimen, imponat, ut asserunt Zanardus *in direct. theol. p.* 3. *cap.* 80. & Pegna *in direct. Inquis. p.* 2. *com.* 25. §. *Diximus hucusque*.

At si reus crimen suum in judicio confessus fuerit, interroget eum confessarius, an socios criminis Judici manifestaverit. Nam ad hoc tenetur, ut perniciosa crimina extirpari possint. Si autem per odium, vel tormentorum metum innocentes Judici denunciaverit debet Confessarius eum cogere, ut falsam denunciationem coram Judice retractet, etiamsi timeat, pati nova tormenta ob variationem depositionis, dummodo adsit spes, quod Judex ejus retractationem extrajudicialem contra priorem judicialem ac juratam sit admissurus, ut per Doctores, quos refert, ac sequitur Petrus Navarra *de restit. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 251. Nam ex regula Judex stare solet confessioni criminis, semel judicialiter factæ, licet hæc postea revocata fuerit, ut tradunt Abb. *in cap. sicut num.* 1. *de testib.* Covar. *lib.* 2. *var. cap.* 73. Menoch. *de arb. cap.* 108. Excipitur tamen, si reus deponens de crimine, errorem suum postea alleget, & ejus probabilem rationem afferat, ut notant idem Abb. *in cap. præterea numero* 4. *de testibus cogend.* Covar. *loc. cit. numero* 8. Menoch. *ibidem numero* 7. *ac* Delrius *lib.* 5. *magic. sect.* 5. *circa fin* subdens, quod si ex manifestis indiciis appareat, quod testis, vel denunciator, non ex levitate, ac perturbatione animi, neque ex precibus, vel suasionibus, testimonium suum retractet, etiam in crimine hæresis, à judice audiri debeat, ut ex *d. cap. sicut de testibus*.

Si verò Confessarius reum adeat post ejus condemnationem, caveat, ne reprehendat modum procedendi Judicis, vel ejus sententiam, ne reo præbeat occasionem expostulandi. Officium enim Confessarij non est talia inquirere, vel judicare, sed reum ad contritionem, & ad patientiam disponere, ad fortiter tolerandam pœnam exhortari, ejusque sacram confessionem magna cum charitate audire, magnamque Dei misericordiam ei ostendere, dum ab æternis incendiis eum eripuit.

Post latam verò sententiam condemnationis non tenetur Confessarius Judici declarare, personam, à reo denunciatam, esse innocentem, neque ipsius rei innocentiam. Nam Iudex existimare debet, denunciationem factam in tormentis, & coram seipso, ac Notario ratificatam, judicialem ac solennem, esse veram, quæ non eliditur per subsequentem revocationem extrajudicialem & non solennem. Atque ideo non tenetur, neque debet confessarius post rei supplicium Judici significare, quod ipse reus jam jamque moriturus denunciationem factam revocaverit. Quia hujusmodi revocatio non accipitur, & plus fidei habetur judiciali prius legitimè factæ, quam extrajudiciali.

Verùm si reus constanter Confessario dicat, personam innocentem denunciasse, Confessarius hortari, & suadere illum debet, quod publicè coram populo talem denunciationem revocet. Tum ut suæ conscientiæ magis consulat, satisfaciatque. Et tum quia talis revocatio à jam jam morituro facta, sine dubio aliquatenus debilitat denunciationem primam ita, ut si alia etiam judicia prædictæ falsæ denunciationis accedant, contra denunciatam personam procedi non debeat.

In casu autem, quo hæreticus, saga, maleficus, sortilegus, vel quilibet alius reus constanter affirmet, se non esse hæreticum, neque sagam, neque maleficum, neque sortilegum, nec ullo modo reum, sed tormentorum vi crimen falsò sibi in judicio imposuisse, Confessarius non tenetur monere Judicem de ipsius rei innocentia, & quod vi tormentorum falsò sibi crimen imposuit. Nam, ut supra dictum est, non tenetur Judex retractationi extrajudiciali fidem ullam præstare. Et quia si Confessarius teneretur intercedere pro reo, quem ipse in Sacramentali confessione innocentem esse agnovit, alii verè nocentes occasionem sumerent delicta sua Confessario non detegere cum gravi Sacramenti Sacrilegio, & suarum animarum jactura, ut de eorum innocentia Judici contestaretur.

Debet tamen Confessarius hujusmodi reum monere, ut considerato suo dedecore, ac vitæ detrimento, cujus sibi causa fuit, confessionem suam coram Judice omnino retractet, si aliqua spe ducatur, quod Judex sit ei crediturus, alioquin revocatio eum frustraretur. Ita Simanchas *de cath. instit. tit.* 13 *numero* 28. aliique communiter. Si autem reus ob suæ confessionis revocationem timeret repetitionem tormentorum, & potius vellet mori, quam illa iterum subire, tunc nonnulli Doctores negant Confessarium debere illum obligare, ut etiam cum tali periculo se retractet. Quia in tali casu reus non tenetur sub mortali se retractare. Sic Angelus *v. detractio* §. 7. Sotus *lib.* 5. *de justit. quæst.* 10. *art.* 2. Tolet *lib. item.* 5. *cap.* 66. Sa *v. Infamare*. At contra censent Covar, *lib.* 1. *resol. cap.* 2. *numero* 8. Molina *de just. tr.* 4. *disp.* 37. *concl.* 15. Navar. *cap.* 18. *num.* 92. Delbene *p.* 2. *de offic. S. Inquis. dub.* 217. *pet.* 13. *num.* 4. & 5. Quoniam qui causam præbuit suæ morti, tenetur eam tollere, si possit, alioquin erit sui ipsius homicida. Et si quis falsò crimen alteri imposuit, ob quod ille puniendus esset, homicida esset alterius in omnium sententia.

Ego tamen priorem sententiam magis probabilem autumo. Quia non tenetur homo cum tanto cruciatu vitam tueri, ne alius eam eripiat. Sicut non tenetur permittere sibi tibiam abscindi cum tanto dolore. Non enim, ait ille, tanto dolore digna est salus.

Nec objectetur, quòd talis homo, moraliter loquendo se interficit. Ergo peccat. Id enim negatur. Non enim physicè, ut patet, neque etiam moraliter, sicut is, qui sine justa causa se conjicit in certum periculum mortis, dicitur sibi causa mortis. Quia justam causam habet, ob quam se interficiendum

dum exponit, sicut si quis se exponeret hostium telis, ut gravissima tormenta ab illis inferenda evaderet, non se occideret. Quod verum puto, quamvis antea perjurio crimen falsum, vi tormentorum, ob quod erit morte plectendum, falsus sit, confirmasset, si prudenter metuit se rursum ad tormenta raptum iri, ut plerumque fieri solet, sed potest sine peccato mortifero in eo persistere ac mori, ut per Angelum, Soto & alios *loc alleg.* Patet ex dictis, præter quam illud de perjurio, quod nunc probatur ex Lessio *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 7 *num.* 48. Quia, etsi peccaverit mortiferè, quando perjurio confirmavit, tamen postea non tenetur retractare. Quia perjurium jam transiit, & non retractando nemini facit injuriam, retractando autem, culpam perjurii delere non potest, sed coram eo pœnitendo. Quod potest facere absque externa revocatione. Secus est de perjurio, quod in detrimentum alterius cedit. Hoc enim debet revocari. Unde nec tenetur ea, quæ sibi imposuit retractare, saltem in extremo vitæ, cùm jamjam est occidendus, ea revocatio nihil prodesset, sicut ferè semper nihil prodest. Quod verius est contra Sylvestrum *v. detractio q.*3. ex Panormitano.

Si autem Confessarius ex confessione hujus complicis criminis sciat hæresim, sortilegium, vel maleficium commissum ab altero complice, & iste illud neget commisisse, antequam illum absolvat, debet eum interrogare, an aliquid amplius habeat, quod ejus conscientiam gravet, ac torqueat, nunquam tamen ei potest dicere peccatum, quod per confessionem alterius complicis scivit. Quòd si respondeat, se nihil amplius habere confitendum, potest eum absolvere, & ad sanctam communionem admittere, vel Eucharistiam ministrare, secum judicans, fuisse jam alteri confessum. Quia Confessarius tenetur stare responsis ipsius confitentis, qui in confessione est sui accusator, & testis, tamque pro se, quam contra se ipsi credendum est, ceu docent D. Antonin. 3. *par. tit.* 14. *cap.* 18. §. 15. Sylvestr. *v. Confessio* 3. *num.* 8. Navar. *cap.* 8. *num.* 17. Henric. *lib. de pœnit. cap.* 20. *num.* 6. Tolet. *in sum. lib.*3. *cap.* 15 *nu.* 4. Et ob eandem rationem, si unus complex diceret Confessario Dic, meo socio, me tibi confessum fuisse hoc peccatum, quod ambo commisimus tali die, talique loco, & ille adhuc in confessione neget illud patrasse, etiam absolvendus est. Ita Vivald. *in Candelabr. par.* 1. *de sigil. num.* 36. Si autem posterior complex revelet primum, & primus, sive confessus fuit, sive minimè de tali peccato, tunc non potest Confessarius ei dicere primum complicem vel tale peccatum fuisse confessum, vel non confessum. Quia id esset revelare sigillum confessionis alterius, ut notat Henricus *loc. cit.* Insuper si hæreticus, saga, vel maleficus, aut sortilegus sit convictus de crimine, & in tortura illud confessus, ac etiam coram Judice & Notario extra torturam ratificaverit, in confessione sacramentali illud constanter neget in foro conscientiæ præstanda est ei fides, & à Confessario absolvendus, & ad sacram admittendus communionem. Verùm si post sacramentalem confessionem, se innocentem esse, palam sustinere voluerit, ei non est ministranda Eucharistia, ne per Viaticum quidem, si damnatus sit ad mortem, propter scandalum. Quia tunc publicè præsumetur mendax, & pertinaciter impœnitens, ut per Delben. *de offic. S. Inquis. par.* 2. *dub.* 217. *sect.* 15.

Si autem magus, vel maleficus, aut sortilegus errorem habuit in intellectu circa fidem ita, ut in hæresim formalem inciderit, Confessarius non potest illum absolvere virtute Bullæ Cruciatæ, nisi semel tantum in vita, & in morte. Si verò non deliquerit in fide, & errorem non habuerit in intellectu, sed crediderit omnia, quæ ab Ecclesia ordinata sunt, & hæresim, vel maleficium aut sortilegium commisit tantùm exterius, vel ob iracundiam, vel ob libidinem, vel ob aliquod lucrum, Confessarius virtute supradictæ Bullæ potest illum toties quoties absolvere. Quia hæc Bulla facultatem concedit absolvendi omnes casus excepta hæresi formali. Talis autem hæreticus, maleficus, vel sortilegus hæresim formalem non commisit. Sic etiam tradunt Henriq. *lib.* 6. *cap.* 16. *num.* 2. Portel. *in addit. ad dub. regul.* 11. *libri prohibiti num.* 14. Sanchez *in decal. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 12. Duard. *in Bull. Cœnæ lib.* 3. §. 2. *qu.* 8. *& qu.* 11. *num.* 47. Farinac. *de hæres. quæst.* 180. *num.* 8. Acosta *in Bul. Cruciatæ qu.* 63. *concl.* 4. Suarez *de fid. disp.* 24. *sect.* 1. *num.* 11. Filiac. *tom.* 1. *tr.* 16. *cap.* 3. *num.* 49 & Diana *p.* 1. *tract.* 5. *resol* 7.

Quamvis Confessarius, si casus reservatus id non sit, validè absolvat jure communi suum criminis socium, nec mortaliter peccaret illum absolvendo, secluso scandalo, & periculo excitandi seipsum, vel pœnitentem ad novum peccatum, illius tamen confessionem audire, non autem illum absolvere debet. Quia confessio fieri debet cum pudore ac verecundia, & cum animo præcavendi peccata in posterum. Confessio autem facta Confessario complici non fit cum debito pudore, ac verecundia, & ex ea facilè accipi potest occasio liberiùs peccandi. Quod etiam tradunt D. Thomas *in addit. ad* 3. *par. qu.* 20. *art.* 2. *ad* 1. Cardinalis de Lugo *de pœnit. disp.* 16. *nu.* 359. Dicastil. *tract.* 8. *de sacram. disp.* 9. *dub.* 8. *nu.* 610. & Carena *par.* 2. *tit.* 12. §. 35. *num.* 306. Unde sicuti Confessarius, cui suspensum est munus audiendi confessiones, nequit tempore Jubilæi Sacramentum pœnitentiæ ministrare, ita, neque poterit socium sui criminis eodem tempore absolvere, ut per Carenam *loc. cit. num.* 310.

Quod verò ad facultatem absolvendi hæreticos, maleficos, sortilegos, & alios de hæresi suspectos, si ii habeant annexum peccatum hæresis, quia maleficus, vel sortilegus errorem habuit in intellectu in rebus fidei, jam sæpè diximus, quod nec Episcopus, neque Inquisitor possunt in foro conscientiæ illum absolvere, sed solus Summus Pontifex, vel ab ipso delegatus. Quia peccatum hæresis est in Bulla Cœnæ Summi Pontifici reservatum ita, ut nec ab Episcopo, neque ab Inquisitoribus in foro conscientiæ possit absolvi, sed tantùm in foro externo; quamvis contrarium, sed minùs rectè cum suis sustineat Diana *par* 5. *tract* 5. *resol.* 3. Cujus sententia procedere potest, ut ait Carena *loc. cit.* in Inquisitoribus Hispaniæ, ac Siciliæ, ut notat etiam Freitas ad Roderic. *de Confess. sollic. qu.* 21. *num.* 18. Et ita fuisse à supremo Inquisitionis Tribunali decretum refert idem Carena ac teste Masino *in prax. S. Offic. p.* 10. *asser.* 108.

Potest verò tam Episcopus, quàm Inquisitor absolvere ab excommunicatione deprehensum in hæretica pravitate pœnitentem post ejus abjurationem ex privilegio Gregorii Noni, incipiente. *Ille humani generis*: ibi: *Si verò aliqui hæretica labe penitus abjurata, ad Ecclesiasticam redire voluerint unitatem, ipsis juxta formam Ecclesiæ beneficium absolutionis impendant, & injungant eis, quod talibus consuevit injungi.* Idemque statuit Clemens IV. ac liquet *ex cap. Ut officium de hæret. in* 6. & tradunt Repert. *Inquis. v. absolutio* § *sed nunc*, Locatus *in Judic. v. absolvere nu.* 11. Simanch. *de Cath. instit. tit.* 3. *nu.* 1. Eymeric. *in Direct. par.* 3. *qu.* 92. ibique Pegna *com.* 141.

Si verò maleficus, vel quilibet sortilegus nullum habuerit errorem in intellectu, nec erraverit in fide, & incurrerit in casum reservatum, & in excommunicationem

cationem, certum est, Episcopum proprium, vel Inquisitorem posse illum tam à crimine, quàm ab excommunicatione absolvere. Quia potestas absolvendi conjuncta est cum potestate ligandi, ut ex verbis Christi observat Ambrosius *lib. 2. de Cain & Abel cap. 4.* ac refertur *in can. Verbum de pœnitent. dist. 1.* Cùm ergo tam Episcopus, quàm Inquisitor potestatem habeant casus istos reservandi, & sub pœna excommunicationis delinquentes ligandi, sequitur, quòd etiam potestatem habeant ab illis absolvendi, eamque aliis delegandi. Nam jurisdictio delegata sufficit ad absolvendum, ut communiter omnes affirmant.

An autem Episcopus habeat facultatem absolvendi maleficum, vel quemlibet alium hæreticum occultum in foro conscientiæ, diximus etiam suo loco, ubi etiam disceptavimus de facultate Inquisitorum. Unde maleficus, aut sortilegus, vel quilibet alius hæreticus occultus, dum nec ab Episcopo, neque ab Inquisitore absolvi potest in foro conscientiæ tenetur in tali casu Romam mittere pro absolutionis facultate à Summo Pontifice obtinenda, & interim tenetur à Sacramentorum receptione abstinere. Quod si rationabiliter timeret, sic abstinendo, periculum scandali, vel gravis infamiæ, tunc si Sacerdos sit, potest celebrare, si laicus Eucharistiam sumere, eliciendo prius actum contritionis. Si verò non existimat, se contritionem perfectam habere, confiteatur, & à Confessario absolvatur. Ita docent Navar. *in man. cap. 27. num. 239.* Reginald *in prax. tom. 1. lib. 8. cap. 7. num. 87.* Fagund. *de præcept. Eccles. tr. 1. lib. 3. cap. 12. num. 12.* & alii, quos citat Sancius *in select. disp. 32. num. 11.* quamvis ipse contrarium opinetur, sicut etiam Suarez *tom. 5. in 3. par. disput. 9. sect. 3. n. 7.*

Ratio autem est, tum quia lex naturalis ac divina defendendæ suæ famæ, & evitandi scandalum prævalet legi humanæ de abstinendo excommunicato occulto à celebratione Sacri, vel ab Eucharistiæ receptione. Si igitur tam maleficus, quàm quilibet hæreticus occultus verè pœnitentiam agant potest ad evitandum scandalum vel propriam infamiam, si sit Sacerdos, celebrare, vel laicus communicare. Et tum quia leges Ecclesiæ non possunt obligare contra charitatem. Nam fundatæ sunt in visceribus charitatis Christi. Esset autem contra charitatem hæc reservatio, si obligaret etiam cum jactura propriæ famæ, & cum aliorum scandalo. Atque adeo si dum hæreticus occultus expectat absolutionis facultatem, rationabiliter timeat jacturam suæ famæ, & aliorum scandalum, potest prævia contritione, vel confessione, si Sacerdos sit, celebrare, si laicus Eucharistiam sumere.

In articulo autem mortis communis sententia est, quemlibet Sacerdotem jurisdictionem habere absolvendi pœnitentem à quibuscumque casibus reservatis, etiam in Bulla Cœnæ. Decernit enim S. Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 7.* ut nulla sit reservatio in articulo mortis, quod etiam habetur *in d. Bulla Cœnæ can. ult.* Atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, ac censuris absolvere possunt. Hoc ita certum est, ut pudeat Doctores in testes adducere.

In periculo autem mortis non esse idem dicendum nonnulli opinati sunt; volunt enim, esse necessarium articulum mortis, nec sufficere ejus periculum, quia jura loquuntur de articulo mortis. Ita Sotus *in 4. d. 18. qu. 4. art. 4.* Cano *par. 5. de pœnit.* Valentia *tom. 4. disp. 7. qu. 10. pun. 2. col. 2.* & Covar. *in cap. alma mater par. 1. §. 11. num. 8.*

At communiter cæteri Doctores asserunt, quod sicut in articulo mortis, ita & in periculo potest quilibet Sacerdos absolvere ab omnibus peccatis, & censuris etiam reservatis, & quoad hunc effectum non differre periculum mortis ab articulo. Sic Glossa *in cap. pastoralis §. præterea de offic. ordin.* & *cap. quod in te v. pœnitentia de pœn. & remiss.* Palud. *in 4. d. 17. qu. 5. art. 2. & d. 20. qu. 1. art.* et *am 2.* Adrian. *de confes. qu. 3.* Sylvest. *v. Confessor 1. qu. 6. & v. interdictum 5. qu. 7.* Navar. *cap. 26. num. 31. & cap. 27. num. 271.* Medina *Cod. de confes. qu. 16.* Suarez *tom. 4. in 3. par. disp. 26. sect. 4. num. 3.* Sanchez *lib. 2. in decal. cap. 13. num. 1.* & quamplures alii quos refert ac sequitur Diana *par. 5. tract. 3. resol. 59.* & probatur *cap. eos, qui de sent. excom. in 6.* ubi in eodem contextu nunc periculum, nunc verò articulum mortis appellatur. Nam causa hujus concessionis est necessitas pœnitentis, ne sine absolutionis remedio perpetuò pereat, ideoque talis reputanda est necessitas periculi mortis. Quando autem quis dicatur esse in periculo mortis ita, ut ab omnibus peccatis, ac censuris etiam reservatis, absolvi possit à quolibet Sacerdote, alibi diximus.

Hæreticus, maleficus, vel quivis alius absolutus in articulo, vel periculo mortis ab excommunicatione, elapso mortis periculo, tenetur quamprimum poterit, adire superiorem, alioquin incidit in eandem excommunicationem, quia secundum ordinarium jus non conceditur facultas absolvendi in articulo mortis, nisi sub hoc onere, ut habetur *in d. cap. eos, qui de sent. excomm.* ac docent Cajet. *in sum. v. excommunicatio num. 69.* Suarez *loc. cit. disp. 30. sect. 3. num. 6.* Zambran. *de cas. b. art. mort. cap. 4. dub. 4. num. 21* aliique communiter. Siquis verò sit absolutus in articulo, vel periculo mortis à peccatis reservatis, non habentibus excommunicationem annexam, non tenetur elapso illo articulo, sive periculo suum adire superiorem, ut iterum ab illis peccatis absolvatur, Suarez *d. disp. 30. sect. 3. num. 6.* Diana *par. 5. tract. 14. miscel. 2. resol. 59.* omnesque alii: Quia nemo tenetur iterum confiteri peccatum à quo directè, ac per se fuit absolutus: Ex Concilio enim Tridentino in articulo mortis nulla est reservatio.

Potestque in articulo mortis etiam Sacerdos suspensus, vel excommunicatus, vel irregularis, vel degradatus, aut hæreticus absolvere ab omnibus peccatis & censuris hæreticos, maleficos, sortilegos, & alios, si tamen non adsit alius Confessarius, vel simplex Sacerdos. Nam S. Concilium Tridentinum *d. cap. 7.* absolutè ac indistinctè declaravit, omnes Sacerdotes in eo articulo ea potestate gaudere, ne aliquis absque pœnitentiæ Sacramento ex hac vita discedat. Idque in casu necessitatis. Quia Concilium ait, id esse indultum ratione necessitatis. Quare hæc facultas absolvendi est, quando deest copia superioris potentis absolvere, ac proprii Sacerdotis, seu alterius approbati ad audiendum confessiones. Unde si adsit Parochus, vel alius qui habeat jurisdictionem, non potest simplex Sacerdos absolvere. Quia tunc non est articulus necessitatis. Quod probatur à simili *ex can. presbyter 26. qu. 6.* ubi dicitur: *Nisi absente Episcopo extrema necessitas cogat.* Dummodo proprius Sacerdos, vel approbatus possit, ac velit. Nam idem est, non adesse legitimum Confessarium, & adesse, sed nolle, vel non posse confessionem audire existentis in eo articulo. Et ita declarasse S. Congregationem, testatur Zambranus *loc. cit. num. 24.* In hac tamen re non debet simplex Sacerdos esse nimis scrupulosus, sed in dubio debet in tali articulo existentem absolvere ne illum in periculo moriendi absque confessione exponat. Si autem adesset Confessarius habens privilegium absolvendi à reservatis sunt qui existiment, non esse illum necessario præferendum Sacerdoti approbato, quia ex Tridentino in eo

eo articulo cessat omnis reservatio. At contra censeo. Quia tunc nullam esse peccatorum, & censurarum reservationem non est absolutè, sed ratione necessitatis, quæ præsente Sacerdote, habente privilegium absolvendi, cessat. Eademque ratione sacerdos simplex non approbatus, præferendus est Confessario approbato, sed suspenso; suspensus irregulari; irregularis excommunicato; excommunicatus degradato; degradatus catholicus hæretico, vel schismatico.

In casibus autem Summo Pontifici reservatis, quando ratione articuli, vel periculi mortis non potest recurri ad ipsum Pontificem, esse adeundum Episcopum pro illorum absolutione, putant Corduba *in summ. qu.* 18. *pun.* 2. *dict.* 1. & Zambran. *ubi supra num.* 14. Nam ei conceditur hæc facultas in hac necessitate, in qua accessus ad Pontificem esse non potest. Ut in percussione Clerici Papæ reservata, deciditur *in cap. ea noscitur*, & *cap. de cætero de sent. excom.* Sicque eadem videtur ratio de aliis casibus Papæ reservatis. At non esse necessarium priùs adire Episcopum, aut ab eo facultatem absolvendi petere, etiamsi commodè id fieri possit, censeo cum Suarez *d. disp.* 30. *sect.* 3. *num.* 4. Molina *tom.* 4. *de just. disp.* 63. *num.* 2. & Sanchez *cit. lib.* 2. *in decal. cap.* 13. *num* 9. Quia in illo articulo, sive periculo nulla est reservatio Ac proinde eadem est ratio de his peccatis, ac de aliis, Unde sicut de aliis potest absolvere quilibet sacerdos, ita & ab istis. Ob reservationem enim Papæ nullum speciale jus acquirit Episcopus. Ad exemplum de percussione Clerici respondeo, quod est casus specialis, ideoque non debet extendi ad alios, cùm reservatio sit odiosa.

Si, deficiente Confessario approbato, simplex sacerdos cœperit audire confessionem constituti in periculo mortis, & ante absolutionem superveniat Confessarius approbatus, vel superior, cujus casus est reservatus, potest simplex ille sacerdos inceptam confessionem audire. Nam quando cœpit confessionem audire, verè habebat jurisdictionem illum absolvendi. Alias enim esset gravissimum onus, valdeque alienum a ratione, & ab Ecclesiæ pietate. Nam obligaretur constitutus in mortis articulo, ut confessionem legitimè cœptam, repeteret. Atque ita colligitur ex *cap. gratum*, & *cap. relatum de offic. deleg.* & tradunt Palud. *in* 4. *d.* 17. *qu.* 4. *art.* 3. *concl.* 7. *num.* 25. D. Antonin. 3. *part. tit.* 17. *cap.* 9. *in fin.* Henriq. *lib.* 6. *de pœnit. cap.* 11. *num.* 8. Zambran. *de casibus in art. mort. d. cap.* 4. *dub.* 5. *num.* 4. & Sanchez *lib.* 3. *in decal. cap.* 13. *n.* 15.

Secus autem dicendum est, si casus haberet annexam excommunicationem reservatam, & ante absolutionem superveniret superior, cui excommunicatio erat reservata. Nam qui confessionem tunc audire cœpit, sive sit simplex sacerdos, sive sit approbatus, tenetur illi pœnitenti onus imponere, ut quamprimum commodè possit, adeat legitimum superiorem, & absolutio illa ab excommunicatione ob nullam aliam rationem conceditur, nisi quia tunc non adest superior, qui ab illa absolvere possit. Ergo dum superior adest, & commodè pœnitens potest se illi præsentare, utique tenetur. Neque ex hoc infertur pœnitenti gravamen aliquod. Quia non ideo cogitur peccata repetere, ac superiori confiteri, sed sufficit, ut illi præsenti suam revelet excommunicationem, ad quod tenetur etiam post absolutionem.

Constitutum verò in articulo, vel periculo mortis, qui per se non potest superiorem adire, sed potest per litteras, aut per Confessarium, vel alium nuntium petere facultatem, ut à reservatis absolvatur, teneri ad illam obtinendam aliquem istorum mittere, opinatur Zambranus, nisi tamen periculum sit in mora. Quia in hoc casu non dicitur deesse copia superioris, dum per alium quis illum adire potest.

Sed Corduba *in sum. qu.* 18, *pun.* 2. *in princ.* Henriq. *d. lib.* 6. *cap.* 9. *n. ult. in com. litt.* & *d. cap.* 11. *num.* 4 Valentia *to.* 4. *disp.* 7. *qu.* 10. *pun.* 2. *col.* 6. Azor. *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 19. *qu.* 5. & Sanchez *d. cap.* 13. *num.* 14. docent, verè dici, non esse copiam superioris, quando constitutus in mortis periculo non potest personaliter superiorem adire, nec eum commodè advocare. Quia vel non veniet, vel serò veniet. Hanc sententiam certam puto. Quia jus non obligat pœnitentem, ut per tertiam personam superiori absoluturo se præsentet, sed per seipsum, & quando per seipsum non potest, censetur legitimè impeditus, ut constat ex *cap. quamvis de sent. excom.*. Atque adeo vere dicitur legitimè impeditus, qui personaliter superiorem adire nequit, licet alium mittere ad eum valeat. Neque tenetur per litteras facultatem absolutionis petere. Quia exponeret se periculo detegendi crimen suum, si litteræ vel amitterentur, vel ab ullo aperirentur. Neque tenetur Confessarius. Quia onus adeundi superiorem ad obtinendam absolutionem non est Confessarii, sed pœnitentis in sui criminis pœnam.

Tenetur tamen maleficus, sortilegus, hæreticus, & quivis alius, habens excommunicationem reservatam, si in articulo, vel in periculo mortis absolvatur, Confessario juramentum præstare adeundi quàm primum commodè poterit superiorem, si convaluerit aut periculum evaserit, alioquin incidet in eandem excommunicationem, ut habetur expressè *in d. cap. eos, qui de sent. excom in* 6. Tenetur verò Confessarius admonere constitutum in articulo, vel periculo mortis ut id faciat, sed non tenetur hoc onus sub juramento imponere. Canones autem, qui contrarii videntur, loquuntur de excommunicatione ob clerici percussionem, qui ut dixi, non sunt extendendi ad casus similes. Quòd si confessarius omitteret, vel oblivisceretur pœnitentem monere de hoc onere, valeret absolutio. Quia Ecclesia noluit valorem absolutionis in tanta necessitate ex confessarii negligentia, vel ignorantia pendere. Itaque si Confessarius hoc juramentum petat, tenetur pœnitens illud præstare, sed non tenetur confessarius illud exigere; at pœnitens tenetur illud onus semper implere.

Maleficus verò, sortilegus, vel quilibet alius constitutus in periculo mortis si postquam ab excommunicatione absolutus fuit, periculum evaserit, potest per procuratorem se superiori præsentare. Nam absolutio ab excommunicatione non exigit contritionem, neque præsentiam excommunicati, neque determinatam formam, sicut absolutio à peccatis. Imò etiam satisfacit, si per litteras se præsentet. Secùs verò excommunicatus ob Clerici percussionem, qui tenetur personaliter comparere ut absolvatur in pœnam sui delicti, ut patet ex *cap. Quod de his de sent. excom.*

Non posse autem sortilegum, maleficum, hæreticum & quemlibet alium excommunicatum, qui in articulo mortis obmutescens, nullum dedit contritionis signum, ab excommunicatione absolvi, tradunt Navar. *in sum. cap.* 27. *num.* 272. & Ugolinus *de censur. Papæ reser. p* 3. §. 2. *num.* 2. dum aiunt, quòd omnis sacerdos in articulo mortis potest absolvere ab excommunicatione, etiam non confessum, dummodo signa contritionis præcedant. Verùm posse moribundum absolvi ab excommunicatione, etiamsi nullum dederit contritionis signum asserunt Bossius *discept.* 2. *dub.* 4. *num.* 58. ac Diana *p.* 9. *tr.* 7. *miscel.* 2. *resol.* 13. nisi evidenter constet, illum privatum usu rationis, omnino impœnitentem mori. Nam, ut jam dictum, absolutio ab excommunicatione non exigit contritio-

nem. Unde si Excommunicatus vivus, & sanus absolvi potest ab excommunicatione, etiam si non sit contritus, cur moribundus absolvi non poterit, nisi signa contritionis dederit? Ideoque peccaret mortaliter sacerdos, qui moribundum ab excommunicatione non absolveret; nam illa negata, nec juvari posset Ecclesiæ suffragiis, nec in loco sacro sepeliri. Qui verò tempore mortis signa contritionis dedit, potest, etiam post mortem ab excommunicatione absolvi, non à quolibet sacerdote, sed ab illo tantùm, à quo vivens absolvi poterat. Quia cessavit jam necessitas articuli mortis, in quo tantùm datur facultas cuilibet sacerdoti, ut possit à peccatis, & à censuris absolvi.

Hæreticum, sortilegum, maleficum, vel alium excommunicatum moribundum, si adsit sacerdos, nullus alius potest in mortis articulo ab excommunicatione absolvere. Nam absolutio à censuris tunc conceditur præcipuè propter absolutionem sacramentalem, ut ex Concilio Tridentino *d. sess.* 14. *cap.* 7. colligitur. Et quia hæc est intentio Ecclesiæ, ut constat ex usu, & traditione, & ex *cap. ult. de sepult.* Quando autem deest sacerdos, communior, ac probabilior sententia negat, quòd quilibet alius non sacerdos, & etiam laicus possit moribundum ab excommunicatione absolvere, ut per Suarez *de censur. disp.* 7. *sect.* 6. *nu.* 9. Quia neque ex aliquo jure, neque ex usu habemus, quod Ecclesia hanc potestatem laico concesserit saltem pro articulo mortis. Est enim alienum à jure ut spiritualia per laicos ministrentur, *cap. decernimus de judic. & cap. si verò de sent. excomm.* Quæ quidem ratio videtur etiam procedere de non sacerdotibus. Nam jura, quæ de hac concessione pro articulo mortis loquuntur, semper nominant sacerdotem, ut patet ex S. Concilio Tridentino *loc. cit.* Et consuetudo solùm videtur esse de sacerdotibus. Unde Suarez expressè ait, quod Diaconus, & à fortiori quilibet inferior non Prælatus, neque habens ordinariam jurisdictionem ad excommunicandum, vel absolvendum, non censetur habere illam pro articulo mortis juxta communiorem sententiam.

Verùm, etsi supradicta sententia videatur probabilior, & communior, attamen probabilis etiam existimatur illa, quæ tradit, quòd si non adsit sacerdos, possit non solùm quilibet Clericus, sed etiam laicus absolvere in articulo mortis ab excommunicatione, nequis careat Ecclesiastica sepultura, & Ecclesiæ suffragiis. Ita Glossa *in cap. pastoralis de offic. Jud. ord.* §. *præterquam, & in cap. à nobis* 2. *v. non potuerit de sent. excom.* Sanchez, & alii, quos citat & sequitur Diana *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 132. *& par.* 5. *tr.* 3. *resol.* 77. *& tract.* 9. *resol.* 7. *& par.* 9. *tract.* 7. *misc.* 2. *resol.* 13. *num.* 3. Quia cum Ecclesia, vel Summus Pontifex possit potestatem absolvendi ab excommunicatione etiam laico concedere, ut probat Suarez *de censur. disp.* 7. *sect.* 6. *num.* 4. cùm sit potestas jurisdictionis, non ordinis, credendum est, illam concessisse in mortis articulo, & hanc esse ejus voluntatem. Nam, etsi laicus non possit à peccatis absolvere, ipsa tamen excommunicationis absolutio per se est valde utilis, multumque potest conferre ad salutem animæ. Sicut igitur Ecclesia omnibus modis hanc procurat fidelibus moribundis, ut propterea in illo articulo det jurisdictionem omnibus, qui sunt capaces illius, absolvendi à peccatis, ita censendum est, dare illum ad absolvendum ab excommunicatione omnibus, qui sunt capaces talis jurisdictionis, quales sunt etiam laici.

Et quidem voluntas interpretativa Ecclesiæ sufficit ad tribuendam jurisdictionem. Nam voluntas interpretativa sufficit, ut aliquid sit voluntarium juxta doctrinam D. Thomæ 1. 2. *qu.* 6. *art.* 3. *in corp.* communiter receptam. Unde, ut imputetur peccatum, sufficit voluntas interpretativa. Adest autem voluntas interpretativa Ecclesiæ quòd laicus possit absolvere à censuris in articulo mortis. Nam voluntas Ecclesiæ semper præsumitur recta & talis, qualis secundùm regulas rectæ rationis esse debet. Unde mens superioris semper talis præsumitur, qualis de jure esse debet, ut notant Bald. *in l. ex facto ff. de vulg. & papil. substit.* Felin. *cons.* 31. *num.* 7. Dec. *cons.* 64. *n.* 7. Gozad. *cons.* 101. *num.* 10. & Jas. *in l. causas nu.* 6. *C. de transact.* Atque adeo præsumitur, ut velit subvenire subditis quotiescunque tenetur, ac proinde quòd habeat illam voluntatem, quæ necessaria est pro subventione, ac propterea quòd habeat voluntatem concedendi jurisdictionem cuique laico absolvendi à censuris in articulo mortis. Nam constitutus in articulo mortis & censuris irretitus, est in gravi necessitate quoad absolutionem, aliàs sine ipsa decederet, & privaretur Ecclesiastica sepultura. Ideoque stante hac gravi necessitate tenetur Ecclesia subvenire, ac eligere media omnia necessaria pro subventione, atque adeo concedere etiam laico jurisdictionem pro absolutione. Imò cùm ex mente Ecclesiæ necessariò colligatur, quòd talis facultas sit concessa, ut dictum est, habetur pro expressè concessa, cùm pro expresso habeatur, quòd ex mente colligitur juxta ea, quæ tradunt Gama *dec.* 51. *nu.* 7. Surd. *dec.* 254. *num.* 37. Molin. *lib.* 3. *de rit. nupt. qu.* 36. *num.* 19. Flores de Mena *qu.* 21. *num.* 26. *lib.* 2. *var.* Pereira *de empt. cap.* 9. *num.* 8. & 12.

Ex quibus elicitur cum Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 13. *in fin.* & Bossio *disept.* 2. *moral. dub.* 10. *n.* 92. quòd etiam, stante opinione contraria, hæc, quam tradidimus, in praxi adhibenda est, quia cùm sit probabilis, & etiam pro tali ab Autoribus oppositæ sententiæ habeatur, debet quisque illam sequi in casu tantæ necessitatis. Quin imo cùm ex charitate teneantur subvenire in gravi necessitate constitutis, præsertim quando sine gravi incommodo fieri potest, tenemur etiam eligere illa media, quæ nobis pro subventione possibilia sunt. Unde cùm semper possimus amplecti opinionem probabilem, tenetur quisque hanc opinionem sequi in facti contingentia, ut moribundo subveniat.

Colligitur deinde, quod stante probabilitate hujus opinionis, sic absoluto non erit deneganda ecclesiastica sepultura, sicut nec etiam suffragia Ecclesiæ, ut notat etiam Bossius *loc. citat. num.* 91. Est enim secundùm charitatem, ut subveniamus proximo, quoad fieri potest. Et ideò cùm possimus sequi quamcumque opinionem probabilem, possumus etiam habere talem pro absoluto, & concedere Ecclesiasticam sepulturam, ac alia suffragia, cùm hoc maximè deceat benignitatem Ecclesiæ.

Item colligitur, si moribundus petat absolvi à laico à censuris, nec absolvatur, poterit post mortem absolvi ab eo, qui habet facultatem absolvendi, ut notat etiam Sayr. *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 4. *in fine.* Cùm enim, ut quis absolvi possit à censuris, requiratur resipiscentia, *cap. sacris & capit. à nobis* 2. *de sent. excom.* & notant Navarr. *in can.* 1. *nu.* 85. *de pænit. d* 6. Covar. *in cap. alma mater par.* 2. §. 11. *nu.* 9. dum petit absolvi, ostendit resipiscentiam, ideoque absolvi poterit. Unde supervacanea videtur cautio Dianæ *p.* 5. *tr.* 3. *res.* 77. quòd, licet hæc opinio sit probabilis, expedit tamen, quoties à sacerdote absolutio obtenta non est, ut prosit à laico obtenta, quòd obtineatur nova absolutio post ejus mortem ab illo, cui excommunicatio erat reservata, si commodè obtineri possit.

Denique colligitur contra Henriquez *lib.* 6. *sum. cap.* 9. *num.* 3. demus quòd laicus non potest absolvere à censuris in articulo mortis, talem absolutionem

nem non operari, ut postea possit pœnitens absolvi à quocunque sacerdote. Quia cùm absolutio impertita à laico non fundetur in debita facultate, est omnino nulla, atque adeo non potest tollere reservationem. Siquidem quod nullum est, non potest parere aliquem effectum, *l. non putavit §. non quavis ff. de bonor. possess. contra tab. & cap. illud de jure.* Nec est eadem ratio, ac de absolutione à peccatis. Nam hæc ideo, licet invalida, tollit reservationem, quia fundatur in debita facultate, quæ pro articulo mortis est in quolibet sacerdote.

Hinc sepelientes in loco sacro excommunicatum absolutum ab excommunicatione à laico in articulo mortis, ut supra, non incidunt in excommunicationem latam *in d. cap. sacris de sepult.* Nam Ecclesiastica sepultura deneganda non est, nisi in casu claro, & manifesto, & concedenda, quando dubitatur, an cadaver sit in loco sacro sepeliendum, quia tunc in partem favorabilem est inclinandum, ut in *cit. cap. sacris de sepult. & can. non æstimemus 23. qu. 2.* ac docet D. Antonin. *par. 3. tit. 10. cap. 5. §. 9. in fine.* In hoc autem casu adest opinio probabilis pro mortuo excommunicato, quod licitè, ac validè à laico in articulo mortis absolvatur ab excommunicatione. Cætera vide apud Theologos morales.

Consultatio LXXII.

De Divinatione, quatenùs est magiæ dæmoniacæ species. Eius divisio multiplex. Quando superstitiosa. Quando tantùm illicita. Quæ dæmon possit prædicere. Divinationis fundamentum. Summa ejus genera. Oracula ex quibus reddita. Quot modi Manganiæ, sive Goetiæ. Species ac modi divinationis, in quibus non explicitum pactum, vel latens admodum, sed implicitum. Alia.

Magicæ vetitæ vanitates, artes dici possunt, cùm ratione quorundam præceptorum & regularum, quibus impietas utitur, tum etiam propter fraudes, ac dolos qui artes dicuntur in jure, ut *in l. 1. C. de suffr.* ibi: *Si artibus moram nectant*, & *in l. omnes ff. de præscript. 30. vel 40. an.* ibi: *omnes docendi artes amputantes, & in can. quicunque 22. qu. 1.* ibi: *quacunque arte verborum quis juret, Deus non decipitur.*

Porrò istarum artium, & fraudum duo sunt summaria capita Jurisconsultis perpendenda, ut aliæ sint divinatrices, aliæ mirabilium & scelerum effectrices. Divinatrices versantur in curiosa, superstitiosa, & impia indagatione præteritorum, absentium, & futurorum. De divinatricis prohibitione, & de non divinatrice jura nota sunt *in l. si excepta, & l. nemo Aruspicum C. de malef. s. 4. & in l. nulli magicis, eod.* Divini autem dicti sunt, quasi Deo pleni, quippe quod divinitatis se esse plenos simulent, & mentiantur, dum astuta conjectatione, vel cognitione naturali futura prædicunt, & abscondita. Duo genera divinationis, ars, & furor. Sic enim meminit D. Augustinus *de natur. dæmon.* relatus *in can. igitur genus 26. qu. 4.* & ita Plato *in Phædone* duas species divinationis facit, Maniam, & Augurationem. Illam dixit cum afflatu dæmoniaco conceptam cum furore, vim fatidicam, & divinam. Hanc, artem ex legibus, sive regulis certis, ac signis, aut physicis, aut aliis superstitione assumptis.

Divinatrices certè eò usque numero excreverunt, ut vix res sit aliqua, ex qua divinationem accipere vanitas, & impietas non tentaverit, quæ ad quatuor genera reduci possunt. Primum. Ad divinam seu Prophetiam ex Sancto Spiritu. Et extra Dei Ecclesiam Mania, sive Pseudo prophetia & fanatica, de qua postea. Secundum. Ad Physicam, quæ est ex viribus, ac naturis rerum, ac serie, ordineve, & causis præfatio, & declaratio, qualis aliquando ex physiognomia colligitur, ex Astrologia, & similibus. Tertium. Ad dæmoniacam, quæ per dæmonum ministerium invocatione, & impietate fit. Quartum. Ad communem cum his omnibus postremis Nos de improbatis, hîc tantùm agere decernimus, at neque de iis omnia dicemus, sed pauca, quæ ad pœnam constituendam pertineant, primùm aperiemus summatim, deinde aliquanto fusiùs, non alia quidem ratione, quàm ut Judices brevi elencho norint omnes impostorum blasphemas artes, neve quòd speciem interdum religionis præfert, alioquin tamen impium, impunitum relinquant. Artium autem harum aliquas Lilius Giraldus de Diis Gentium. *syntagm 7.* dum agit de Apolline, aliquas Vvierus *lib. de præstig. dæmon. cap. 1. & 12.* alias Bartholomæus Cocles *in anastasi physiogn.* aliàs tradunt Rabbini *in comm. ad præcept. affirm. 36. & 51.* Paulus Israelita quoque *in dictis præceptis*, Franciscus Venetus *tom. 2. problem. Sacræ Script. probl. 275. & seqq.* & alii, quos inferiùs adducam. De undecim speciebus meminit jus divinationis *in can. illud 26. qu. 2. & sequ. & id can. igitur, & seq. 26. qu. 3.*

De Prophetia nunc non agemus, cujus etiam duo quasi suprema genera in sacris Scripturis repeiuntur. Unum per Sacerdotes, alterum per Prophetas. Etsi enim sæpè, qui Prophetæ iidem & Sacerdotes erant, aliter tamen futura prædicebant, quatenus Sacerdotes, aliter quatenus Prophetæ. Sacerdotalis enim Prophetiæ modus consistebat in applicatione Ephod, Prophetarum autem oracula fiebant per visionem, & somnum, de quibus vide Alphonsum à Castro *in duodecim Prophetas minores*, Martinum, Delrium, & nos alibi. Neque agemus de Nivinatione, sive prænotione naturali quæ sumitur ex signis, vel causis naturalibus, quæ utplurimum vocari solet præsagium, vel conjectatio, strictè sumptis vocabulis. Hanc enim esse licitam, quando procedit ex consideratione causarum, signorumve cum vera prudentia conjunctorum, concedunt omnes, sicut è contra est illicita, & ad dæmoniacam accedens divinationem, quando secus fit, ut mox videbitur.

In præsenti ergo tantùm erit sermo de prænotione dæmoniaca, quæ derivatur ex pacto tacito vel expresso cum dæmonibus, & vocatur simplex divinatio. Hinc Theologi docent, illicitam esse prorsus, suaque natura lethalem hanc divinationis speciem, quamvis ex aliquibus circumstantiis fiat aliquando venialis apud Valentiam 2. 2 *disp. 6. qu 12. pun. 4.* Solet definiri, quòd sit significatio occultorum ex pactis conventis cum dæmone.

Quantum ad ejus divisionem multiplex potest adduci. Primò, ratione cognitionis intentæ rerum occultarum potest dividi in superstitiosam, & non superstitiosam, sive illicitam tantùm. Divinatio non tantùm illicita, sed etiam superstitiosa est, quando quæritur cognitio rerum ipsi dæmoni incognitarum, sicuti est certa rerum merè contingentium, ac liberarum notitia, ut sunt primùm, quæ dependent absolutè à voluntate Dei, cujusmodi sunt omnia supernaturalia mysteria, necnon in ordine naturali gubernationes, & mutationes Regnorum, ac Rerumpublicarum, quia corda Principum sunt in manu Dei, qui solus illa immutat ut lubet. Secundò, ea, quæ dependent ex arbitrii humani libertate, ut quid crastina die sim facturus, vel cogitaturus. Tertiò, quæ sunt omnino, ac propriè futura contingentia, quandiù illa non habent certam & determinatam causam.

Illi-

Illicita verò tantùm, & non superstitiosa divinatio est, quando præcisè ab eo quæritur cognitio quæ dæmonis scientiam non excedit, si velit verum dicere. Primùm enim ex illis, quæ certò novit, potest dæmon multa probabiliter, & conjecturaliter prædicere. Summam enim diuturna observatione sibi experientiam comparavit, & pollet angelico ingenii acumine, ac optimè rerum naturalium facultates, & ad quid valeant hominum voluntates, per appetitum sensitivum inclinare. Novit omnium hominum temperamenta, affectusque. Novit quid ex his, ac illis sequi soleat. Unde contingit, ut sæpè ad amussim prædicat quid, & quando homines sint facturi, vel etiam quòd Deus hunc, vel illum populum sit puniturus, quòd Princeps sit de solio exturbandus, & alia hujusmodi.

Deinde potest dæmon certò prædicere quæcunque dependent à causis necessariis, quæ quidem ab aliis causis naturalibus nequeunt impediri, ut sunt motus cœlorum, eclipses, conjunctiones astrorum, & ejusmodi alia. Insuper ea, quæ, permittente Deo, novit se facturum, ut, si, Deo permittente, ipse pestilentiæ alicujus autor, & illator fuerit, vi mali cessatura certo die, novit infallibiliter pestem cessaturam, idque certiùs adhuc, si ex pacto ad certi signi alicubi reconditi, vel condicti sublationem morbus desinere debet, poterit certò finem mali scire, illumque prædicere. Item quæ intellexit per revelationem, sive illa contineantur in sacris litteris, sive aliter dæmoni fuerint manifestata. Quo pacto tam multa olim malignos spiritus prædixisse de fidei arcanis, legimus.

Postremò nihil dubitandum præterita dæmonem omnia memoria retinere, quæ vel aliena relatione accepit, vel coram ipso gesta fuere. Idemque dicendum de præsentibus. Nam quæcunque actu exteriori prodita sunt, ut secreta furta, res perditæ, thesauri olim defossi, metalla subterranea, ac hujusmodi cætera, quæ hominum cognitionem fugiunt, dæmonibus nota sunt. Et quamvis juxta probabiliorem D. Thomæ sententiam virtute sua naturali, nullas possint cognoscere affectiones liberas, vel cogitationes spontaneas hominis sine alicujus manifestatione; si tamen cogitatio, vultus, vel membri alicujus motu, aut mutatione, vel alio extrinseco signo prodatur, meliùs, quàm exercitatissimi medici ex hujusmodi dæmones indiciis internas animi affectiones deprehendunt. Potest etiam veterator adeo vehementer phantasmatibus immissis hominem turbare, ut vix ad aliud advertere, vel aliud queat tum cogitare, quàm quod ab eo suggestum fuit, ut ita videatur divinare, quæ homo cogitat. Tandem dæmones, qua pollent celeritate, quæ in remotis longo itinerum intervallo regionibus geruntur, ea tam celeriter denuntiare possunt, ut diu ante prædicta ab ignaris putentur.

Item cùm divinationis omnis fundamentum sit implicitum, vel explicitum pactum cum dæmone, omnes divinationis species, quæ penè dixerim sunt innumeræ ratione diversorum instrumentorum, ad illam inservientium, ad duo potissimùm capita possunt reduci, quorum primum complectitur eas, in quibus clarè cognoscitur pactum expressum, posteriùs cæteras.

Primi summa quasi genera sunt duo, Oraculum, sive dæmonomantia, & Mangania, sive Goëtia, quorum iterum plurimi sunt modi. Oracula enim aliquando vel ex antris, vel ex statuis, vel ex hominibus reddita fuisse à dæmonibus, legimus. Et quamvis aliqui, non veteres tantùm, sed & recentiores viri eruditi, hujusmodi oraculorum causam physicam reddi posse, existimaverint, peculiarem videlicet quandam loci illius è terra exhalationem, quæ fanaticos efficiat; nihilominus verior, hoc ex Christiana Philosophia, cui Fernelius *lib. de abditis rer. caus.* & Codronchius *lib. 7. de morb. malef. cap.* 8. subscribunt, censet effectus tales adscribendos esse dæmoni adsistenti, vel obsidenti hominem, specum, statuamve, & tantùm per accidens fieri, ut dæmon priùs hæc, quàm illa loca, ubi talis non est exhalatio, veluti accommodatiora instituto suo deligat, sicut & libentiùs obsidet atrabilaria corpora. Quare quod expurgato medicamentis corpore, vaticinationem aliquando cessasse legatur, hoc inde fit, quia dæmon illa corpora deserebat, in quibus non inveniebat ampliùs amicas sibi dispositiones. Quod verò prisca omnia cessarint oracula, non tam tribuendum vapori, vel exhalationi deficienti, quàm virtuti Salvatoris nostri Jesu Christi, qui superveniens fortior forti armato hæc deceptionis vasa extorsit.

Sunt inter species vanitatis divinationis Manganiæ, sive Goëtiæ, quæ sequuntur. Prima species est,

Lecanomantia ex pelvi, & aqua immissa, ubi nequam consulebatur dæmon: sive quando in pelvim injiciunt cum variis characteribus pretiosos lapillos, auri, argentique laminas, tum responsum ex pelvis fundo auditur.

Gastromantia, per quam non vocibus, sed figuris respondetur. Fit per phialas vitreas ventriculosas, similiter aqua plenas, & inspectante puro puero, puravе puella, vel prægnante muliere, responsi loco, certæ figuræ, & imagines apparent.

Catoptromantia divinatio ex speculis mundissimis, sive quæ rerum quæsitarum figuras in speculis exhibet politis.

Crystallomantia, vaticinium ex polito crystallo. Fit in crystalli frustis, annulo, alterive vasi inclusis, vel etiam nudis, & in cylindrum, aut obelum conformatis, quibus fingit se dæmon inhabitare.

Dactylomantia per annulos ad certas constellationes fabricatos, sive quæ divinat annulis ad certam Cœli posituram constructis, vel incantatis, & super tripodem ad certa verba motis.

Hydromantia ex annuli ictibus in cyatho aquæ factis. Sed & aliam hydromantiam damnant jura *in can. nec mirum 26. qu.* 5. divinationem scilicet per aquam in quam advocantur, & consuluntur umbræ dæmonum, & fiunt imaginum ludificationes, cujus septem modos refert Delrius.

Onymantia, sive Onychomantia ex ungue pueri impolluti, quod oleo, ac fuligine impolluti pueri unguis illiniatur, & ungue Solem versus obverso, certum quid submurmurando, videntur quæ cupiuntur.

Coscinomantia, divinatio per cribrum, quia cribrum imponunt forcipi, forcipem binis digitis comprehendunt, ac elevant, & præmissis verbis conceptis subjiciunt nomina eorum, de quibus suspicantur eos furtum, vel aliud occultum crimen patrasse. Reum verò indicant illum, quo nominato, cribrum nutat, movetur, vel convertitur, quasi qui digitis forcipem tenet, arbitratu suo cribrum movere non possit.

Axinomantia, divinatio per secures, sive qua securis rotundo infigitur palo, & ex ejus motu fur deprehenditur.

Gastrimantia per spiritum pythonicum ex utero respondentem.

Cephalæomantia, per caput asini assatum super prunas.

Cleromantia per sortes fortunæ Prænestinas, de quibus & Valerius Maximus *lib. 1. cap.* 4.

Cleidomantia per clavem, cui circumdant chartulam inscriptam nomine suspecti, deinde clavem alligant sacræ Scripturæ Codici. Hanc virgo sustentat, & verbis certis murmuratis chartula ad nomen criminosi vertitur, moveturque.

Necro-

Necromantia, hoc est divinatio per mortuos, sive per manes, & defunctos elicitos ut credebant.

Necyomantia ex cadaveribus.

Sciomantia ex umbris.

Aëromantia, quæ ex aëre conjurato reddit oracula.

Pharmacia, qua utuntur incantatores, qui divinant, freti solo dæmonis commercio, præter incantationem adhibentes pharmaca.

Oniromantia per insomnia divinatio.

Botanomantia divinatio ex herbis.

Astragalomantia ex jactu astragalorum.

Geomantia ex projectione punctorum, & linearum.

Astronomia per astrorum indicia, unde genethliaci, *can. illud.* 26. *qu.* 2.

Physiognomia ex facie inspecta.

Chiromantia ex inspectione linearum manuum.

Cothabomantia, quæ fiebat per æneam phialam, plenam vino in minora pocula transfuso ab alto, unde captabant amasii divinationem, de qua Cœlius Rhodiginus *lib.* 15. *cap.* 5.

Pyromantia, cùm ceræ pila, igne incensa. Erant juxta Ismenum fluvium Thebarum Apollinis ædes, ubi immolatis hostiis, & impositis in ignem, sacerdotes vaticinabantur, de quo meminit Sophocles in Oedipo Tyranno.

Spatalamantia per os hirci recenter occisi.

Splanchnoscopia, vel haruspicina, haruspicum divinatio, per extorum inspectionem, ab haruga, sive hostia, vel ab ara, divinatio dicta. Prohibita nominatim *in l.* 2. *C. de pagan. & in l. nullus C. de malef. & mathem.* Non ignoramus tamen probatam antiquis paganis, & Ciceronem notasse *lib.* 3. *de divinat.* Reipublicæ causa, communisque religionis esse colendam.

Secunda species divinationis est Ionoscopia, Auspicium, Augurum ex avibus sumptæ divinationes. Hæ dictæ Præpetes, si ex volatu colligerentur, Si ex cantu, & ore Oscines, ut autor Varro *lib.* 5. *de lingua latina.* Quibus & accedebat ex pastu divinatio, pullis gallinaceis ex causa eductis, cujus vanitatis apud Ethnicos Romanos erant collegia, nempe Augurum, neque quicquam publicè, aut privatim fiebat, magnum, aut parvum, inconsultis Auguribus, ut ait Dio Cassius *lib.* 37. & Valerius Maximus *lib.* 2. *cap.* 1. Eratque Lex duodecim Tabularum: *Omnium Magistratuum auspicium, judiciumque esto.* Extant & plura exempla de ominibus, ac de Auguriis apud Valerium *lib.* 1. *cap* 4. *&* 5. & de inventione eorum tractat Polydorus Virgilius *lib.* 1. *de invent. rer. cap.* 22. *cum binis seqq.* ac Plinius *lib.* 7. *cap.* 56. *& lib.* 8. *cap.* 28. Romæ Augurum Collegium maximè solenne tradit. Erat adeo frequens auguriorum captatio, ut principia ipsa rerum auspicia dicta sint, ut *in l. fin. C. de interd.* & alibi. Sed & auguria non tantùm ex avium garritu, incessu, saltu, vel volatu, verum etiam ex ovis capiebantur, ut apud Plinium *lib.* 10. *cap.* 55. & ex piscibus apud eundem *lib.* 9. *cap.* 76. ex muribus, vel vulpe *lib.* 8. *cap.* 28. atque ex aliis. Arioli quibusdam dicuntur, & harioli, quasi farioli à fando, vel ore prædicendo; Alii dicuntur Vates, divinationem ore promittentes. Sustulit Ariolos Samuel de terra 1. *Reg.* 28. & prohibuit Deus *Levit.* 19. ab ariolis quicquam sciscitari. Augustinus *lib. de natura dæmon. in can. igitur* 26. *qu.* 3. ariolos putat dictos, quòd circa aras Idolorum nefarias preces emitterent, & funesta sacrificia exercentes responsa acciperent dæmonum. Ulpianus fanaticos dixisse videtur, qui aliqua profantur, caput jactantes, circa fana bacchantes, & quasi dementes, responsa dantes, *in l.* 1. §. *pen. ff. de ædil edict.* Fanaticus à fano, sive templo, quod fando dedicatur, vel à fando. Et qui præ divinando solent fari fatidici dicti, ut & vaticinari, inquit Varro *lib.* 5. *de lingua latina*, quod vesana mente faciunt.

Ad hanc speciem divinationis refero alias plures, quas comminiscebantur edi per Bacchidas furentes, ex Tripode, ex antro Triphonii, ex quercu Dodonea, ex columbis ejus, vel tympano, ex aquis Castaliæ, fonte Colophonio, lebete Thesprotio, & aliis, quorum dæmoniaca Oracula adventu Messiæ obmutuerunt, ut sæpè diximus, superatis illorum administris dæmonibus. Sicque siluit Apollo Colophonius, Delius, Pythius, Clarus Didimæus, Amphiaraus, Amphilochus, & Hammonis oraculum, ut scribit Theodoretus *lib.* 10. *de curat. græcan. affect.* & Plutarchus *lib. de cessat. oracul.*

Quantum verò ad hanc divinationis speciem, nempe Ariolationem, sive Haruspicium, Augurium, sive Auspicium, & Sortes, strictè sumptæ, vel in eis non est explicitum pactum, vel latens admodum; In his tota veterum disciplina divinandi in sacrificiis Gentilium versabatur, in qua, licet olim semper intervenerit Idololatria expressa, non tamen semper pactum explicitum. Hodie fieri potest, ut neutrum interveniat, sed implicitum duntaxat.

Primus hujus divinationis modus erat ex vivæ adhuc victimæ observatione, Victimarius dictus. Secundus, quo motus, & singula mactatæ hostiæ membra rimabantur, jecur maximè. Tertius pyroscopia, quando pix trita in ignem spargebatur, aliquando tedæ pice illitæ accendebantur, & certis characteribus signabantur, & si flamma tedarum in unum coibat, prosperum; si lambens & divisa apparebat, infelicem; si tricuspis assurgebat, gloriosum eventum; si variè dispersa, in ægro mortem, in sano morbum; si crepitans, infortunium; si subitò extincta, ingens periculum ominabatur. Quartus est Capnomantia, hoc est fumi observatrix. Quintus propriè dicta Libanomantia, sive ex thure divinatio. Sextus Spodomantia, qua divinabant olim ex cineribus sacrificiorum. Septimus Hydromantia & œnomantia, qua considerabant colorem utriusque laticis in sacrificio fusi. Octavus ducebatur ab edulibus variis, ut Crisomantia, alcunomantia, tyromantia, ichiomantia, & sic de aliis. Nonus est Ceromantia, cum cera liquatur, & aquæ guttatim instillatur, & figuræ inde ortæ observantur. Decimus Anthropomantia, quæ rimabatur hominum mactatorum fibras, ac viscera, ad quam commodè reducitur sacrificium filiorum in Tophet, ubi igne absumebantur in honorem Moloch 4. Reg. *cap.* 23. & Ezechielis *cap.* 20. 11. 31. Undecimus Daphnomantia ex laurei rami combustione prosperum signum si obstreperet cum fragore, infelix, si taceret. Duodecimus cùm ex verbenæ, lunariæ, salviæ, myricæ, ficus, & aliorum simplicium foliis, ramulisve consignatis nomine quærentium, & quæstione, cognitio futuri petebatur. Decimustertius Omphalomantia obstetricum propria, quæ per nodulos umbilico, & secundinis adhærentes conjiciunt quoties puerpera sit postmodum paritura. Decimusquartus ex eadem obstetricia schola profectus est Amniomantia ex membranis scilicet, quibus fœtus in utero materno involvitur, divinatio, de cujus vanitate legendus Levinus Lemnius *lib.* 2. *de occultis naturæ miraculis cap.* 8. Decimusquintus est æquè ridicula Judæorum divinatio per Jeduim quoddam animalis genus, de qua ex professo agit Andræas Libavius *par.* 2. *singular. disputat.* Decimussextus est Lithomantia, divinatio ex lapide, de qua aliqui intelligendum putant illud Levitici 26. *num.* 1. *Nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum.* Nam ubi vulgata editio habet *lapidem insignem*, aliqui vertunt *lapidem imaginationis*, vel *lapidem speculationis.* Decimus septimus

mus Rabdomantia, divinatio ex virgis, quæ iterum multiplex est. Decimus-octavus Lampadomantia quando nonnulli candelam in B. Antonii, vel alterius Sancti, honorem accendunt, sicque res perditas confidunt inventuros. Decimus-nonus Parthenomantia, sive divinatio, qua virginitatem puellæ explorabant, & sic de aliis, de quibus vide Michaelem Medinam *lib. 2. de recta in Deum fide*, & Julium Sirenium *de fato lib. 9. cap. 15. & 16.* De Virginis explorandæ ratione an naturaliter haberi possit, vide Valesium *de sacra Philosoph. cap. 25.* & Paulum Vecchium *in observat. medic. cap. 141.*

Est & apud Coclitem expilatio gallinarum, genus divinandi. Meminit Commentarius Euripidis in Phœnissis fuisse rationem quoque divinandi priscis ex cauda victimæ. Si enim repanda, & incurvata fuisset in igne, difficultas, & effectus belli periculosus; si protensa, & deorsum vergens, clades, & calamitas; si in sublime, victoria portenderetur. Ritus etiam fuit Aruspicibus in sacris, vesicam obturatam lana victimarum, vinctamque igni injicere, & ex crepitu, vel jaculatione urinæ, cùm rumperetur, conjectare, divinareve, sicut & idem enarrator Euripidis notat ibidem. Quæ omnia incerta, & illicita esse satis constat ex variis sacræ Scripturæ locis, ac protinus ut ridicula, ac simul impia, & prohibita rejicit Christianus. Prohibentur enim Levit. *cap. 19. v. 26.* Deuteron. *cap. 18. v. 10.* Ecclesiast. *34. v. 5.* Jeremiæ *cap. 27. v. 9. Paralip. cap. 37.* Prohibetur & species magiæ, Hebræis dicta *Kasam*, id est Præsagium futurorum. Sicut & *Nahas*, nobis augurium. Alia divinandi successus rerum formula Idololatriæ describitur ab Ezechiele *cap. 21.* dum dicitur, quod Rex Babylonis stetit in bivio, in capite duarum viarum, divinationem quærens, commiscens sagittas, interrogans Idola, & exta consulens.

Tertia tandem species sunt Sortes. Sors olim dicta *Phur*, ut patet ex libro Esther *cap. 9. v. 26.* quam plerique Persicam, vel Susianam vocem esse volunt; meliùs tamen alii cum D. Hieronymo Hebræam. Sors autem ex D. Thoma *2. 2. qu. 95. art. 8.* triplex est divinatoria, consultoria. divisoria. Divinatoria vocari solet cleromantia, quæ ex genere suo prohibita est, talemque fuisse Jonæ sortitionem plures docent. Ejus varii sunt modi, sicut & aliarum, quæ suum à materia nomen habent. Primus est, quibus bacillis, oscillis, talis, pillulis, aut tabellis inscriptis in altum, vel in urnam conjicitur.

In sacris litteris inveniuntur aliquæ sortes, ad rabdomantian potissimùm pertinentes, ut est illa sagittarum, de qua Ezechiel *d. cap. 21.* cujus divinationis, sive sortis divinatoriæ modum, & ritum explicat D. Hieronymus *in comm. illius loci.* Ac illa Oseæ *cap. 4. v. 12. Populus meus in ligno interrogavit, & baculus ejus annuntiavit ei.* Etsi enim hunc locum D. Hieronymus velit intelligi de eodem divinationis modo, de quo loco citato egit Ezechiel, quod etiam sentit Theophylactus in Oseam, licet aliter D. Hieronymus explicet ipsum ritum; nihilominus apud Hebræos Rabbi Moyses *in explicatione præcepti negativi 52.* de alio modo hunc locum explicat, cujus ritum sic describit. Decorticabant bacillum ligneum uno tantùm ex latere, tum in aërem projiciebant. Si fortuito casu, primo jactu apparuisset superior pars decorticata, at secundo ictu superior pars adhuc vestita, prosperum successum augurabatur; sin è contra primum pars vestita, infelicem; si utroque jactu vestitum, vel nudatum latus superiùs fuisset, mixtum eventum sibi pollicebantur. Sunt qui de hac eadem sortis divinatoriæ specie intelligant locum Deut. *cap. 8. v. 11. Vechobler chaber.* Ubi enim vulgata nostra editio vertit *incantator*, recentiores aliqui vertunt *jungens junctionem*, ut exprimatur quendam modum, quo per frusta lignorum, iterum coeuntia divinabatur.

Mentio fit de sortilegis in jure *can. sortilegi 26. qu. 1.* qui sub nomine fictæ religionis per quasdam, quas sortes Apostolorum, vel Sanctorum vocant, divinationis scientiam profitentur aut quarumcunque Scripturarum inspectione futura promittunt, quibus inest tacitum pactum, & symbolum dæmoniacum, ut probat *can. illud 26. qu. 2.* Ideo & censura huic vanitati erroris apertionis librorum adhibita *cap. 1. de sortileg.* Vocat Cocles Literamantiam. Atque Christianis sortes vetitæ Virgilianæ, id est, quæ ex apertura voluminis Virgilii captari solitæ erant, quibus utebatur Adrianus, ut autor Ælius Spartianus in Ælio Adriano. Quem quidam eadem animi levitate cum impietate sequuti sunt, arbitrati aliquid in poëtis divinitatis latere. Sic scribit Trebellius Pollio in *Claudiano*, Claudianum Cæsarem sortes multas ex carminibus legisse. Tales & fuerunt olim sortes Musæi, quarum edisserator fuit Atheniensis Onomacritus, Athenis ejectus ab Hipparcho, Pisistrati filio, quod per Lasum Hermionis deprehensus fuisset, inter Musæi sortes hanc quoque inseruisse, fore, ut Insulæ Lemno adjacentes mari submergerentur, ut autor Herodotus *lib. 7.*

Transtulerunt hanc sortium vanitatem quidam ad Sacra Biblia, ut ex iis, quæ in illis occurrerent notionem susciperent, quem morem improbat quoque D. Augustinus *in Inquisit. ad Januarium* his verbis: *Hi, qui de paginis Evangelicis sortes legunt, etsi optandum est, ut id potiùs faciant, quàm ad dæmonia consulenda concurrant, tamen ista mihi displicet consuetudo, ad negotia secularia, & ad vitæ hujus vanitatem divina Oracula velle convertere.* Referuntur & hæc *in can. hi, qui 26. quæst. 2.* scribit Paulus Æmilius *lib. 7. hist. Franc. in D. Ludovico*, tempore Innocentii IV. Imperatorem Tartarorum, seu Scytharum, cùm statuisset ex jejuno, ac sterili solo suo in Hungariam, & proximas nationes irrumpere, cunctaretur tamen, quod suspicaretur sibi cum validissimis ducibus, & fortissimis gentibus rem fore, quæ sua egregiè tutarentur, sortes consuluisse, dataque ei dictio fertur, ne dubitaret fines egredi. Quare inde egressus cum sociis, subegit Parthos, Chorasanios, Syros, Hierosolymos, & alias nationes.

Secundus modus est Geomantia, cujus laboriosa industria mentitur artem. Nam sexdecim figurarum in solo, vel abaco nomina technica dispungit ex sexdecim, additis diversis punctorum coordinationibus, quæ nomina singulis suis astris putant respondere. De cujus vanitate vide Conradum Vvimpinam *lib. de divinat. cap. 5.* & Julium Sirenium *lib. 9. de fato cap. 38.*

Tertius modus est per Ludum, qui describitur in dodecahedros, & alter, quem vocant ludum pastorum ad cognitionem matrimonii futuri, opum, dignitatum, liberorum, &c.

Quartus Alectoromantia, quando definitus locus in partes æquales describitur, & unicuique singulæ alphabeti litteræ inscribuntur. Deinde singulis litteris granum frumenti imponitur. Posteà ad hoc enutritus Oscen gallinaceus introducitur, qui grana comedat. Tum notantur literæ, quarum primùm grana depascitur, v. g. literarum P. E. T. tunc creditur notari Petrus, Petronius, Petrucius, & quorum simili modo nomen inchoatur.

Quintus modus est Onomamantia, quæ petitur ex nomine consulentis per elementa nominis diversimodè collocata, & quasi per anagrammatismum, faustum quid, vel contrarium indicantia. Hoc fuit Pythagoricum commentum. Fortassis etiam Gentilibus in usu

in usu fuit alius Onomantiæ modus, quando ex ipsa nominis significatione omen accipiebant, vel aliquid futurum divinabant. Etsi enim expertes sint culpæ, qui sedula diligentia quædam per Angelos, vel homines sanctos prophetico spiritu imposita nomina cùm eorum, quibus imposita fuere, munere, virtutibus, aut exitu vitæ componunt, & ostendunt, illa cum rebus convenire, ad hoc enim nobis præit Angelus *Matth.* 1. *Luc* 1. & ipsemet Christus Simoni nomen Cephas imponens; nihilominus à superstitionis culpa non sunt immunes, qui ex nominibus sic parentum arbitratu impositis, fortunas hominum, & eventus futuros existimant dependere, indeque quid futurum sit ratiocinantur, prout rectè docet Joannes Brodæus *libro septimo, miscellan. capite quinto*, & Mersennius *in Genesin capite* 3. *vers.* 22.

Sextus modus est Arithmanica, quæ fuit duplex; Una Græcorum, valorem literarum considerantium, & futurum victorem augurantium, cujus nomen majores numeros contineret. Altera Chaldæorum, qui alphabetum distribuunt in tres decades, quibusdam litteris repetitis, & nomina petentium resoluta commutant in numeros, & singulos numeros suis planetis attribuunt. Huc referenda illicita recentiorum Judæorum Kabala, de qua suo loco. De hoc consuli poterit Segnius *de vero studio Christiani*, & meliùs Cirvelus *opere hispanico in parad. quæstione ultima de Kabala Judæorum.* Huic autem divinationis modo confirmando, nihil facit, quod B. Joannes *in Apocalyp. capite* 13. nomen Antichristi per 666. numerum significavit, tantùm enim numerorum involucris arithmeticis prophetiam contexit. Quod & nobis liceret, Spiritu Sancto id inspirante. Ipsis autem numeris vim aliquam divinam, vel naturalem proprietatem tribuere, erroneum est.

Septimus, quem etiam Pythagoræ tribuit Plinius, est considerare in nominibus propriis vocalium numerum. Parem esse prosperum, imparem verò, orbitatis, claudicationisque indicium. Circumfertur de his, ac similibus nugis liber Alchindinæ, quem fingunt fuisse Aristotelis discipulum, superstitiosus planè, & flammis dignissimus. Ad hunc eundem, vel etiam præcedentem modum referenda est communis illa circularis figura, in cujus medio inter semilunas area, varii numeri arithmetici ponuntur. Tum in proximo circulo inscribuntur verba: Vita, bona fortuna, mala fortuna, mors, morbus, sanitas; In sequenti nomina planetarum cum certis numeris; In tertio alphabetum latinis litteris capitalibus; In quarto denique certi rursus arithmetici numeri, prout illam describit Georgius Pictorius *in epitome de Magia.*

Octavus tandem poni potest ex Joanne Leone, diligenti rerum Africanarum scriptore *libro* 8. *hist.* Ornithomantia quædam sortiaria. In capsula, abaculi forma constructa, quædam aluntur aviculæ. Ad has veniunt, qui consilium quærunt, & obolum offerunt. Avicula stipem accipit, inque capsulam infert rostro; deinde regreditur, & responsum in chartula refert consultori.

Inter species divinationis & illa annumeranda est, quæ si vera est, physica, non improbanda erit, quam ex draconis hepate, vel corde comestis procedere dicunt, autorque est Philostratus *lib.* 3. *de vita Apollonii.*

Est aliud divinationum, vel superstitionum genus per omina, quæ è multis rebus capiebantur, veluti ex sternutatione, corrosione soricum, offensione pedum ad limina, ex singultu, saltu, sive pulsatione venarum, & ex aliis vanissimis, prohibitis *in can. illud quid est* 26. *q.* 2. de quibus nos alibi.

CONSULTATIO LXXIII.

De Conjectatione naturali, ejusque speciebus Astronomia, Astrologia medica, ruralis, prognostica, somniis, physionomia, spatulamantia, metoscopia, chiromantia, gestuum, & actionum significatione, deque aliis.

INter Prænotionem prorsus licitam, seu divinam, qualis est Prophetica, & prorsus illicitam, qualis est ope dæmonum intenta occultarum divinatio, medium veluti tenet illa, quæ aliquando licita, aliquando illicita esse potest, quam ad aliarum distinctionem plerique *Conjectationem* vocant.

Hæc vel est physica, sive naturalis, vel politica, sive civilis, quæ sortis nomen retinet. De prima nunc agimus, & ad illam reducimus quæcunque signis, & causis naturalibus innituntur, vel saltem ea non improbabiliter prætexunt, cujusmodi sunt Agricolarum, Pastorum, Physiognomorum, Chiromantarum, Astrologorum, & Oniropolarum conjectationes.

Primùm occurrit Conjectatio, sive judiciaria ex astris Mathesis, cujus duæ sunt species. Prior omnino licita; posterior aliquando licita, aliquando illicita. Prima species est Astronomia quæ nititur universalibus, veris, & incommutabilibus principiis, & scientiam consequitur futurorum artis suæ, veluti revolutionis annorum, cursus syderum, distinctionis eorum, item naturæ Solis, & Planetarum, Eclipsium, stationum, retrogradationum, aspectuum, conjunctionum, oppositionum, ac similium, de quibus infra. Unde de hac intelligitur illud Genesis *cap.* 1. de luminaribus Cœli: *Et sint in signa, & tempora, & dies & annos.* Signa videlicet, quibus ordo, ac divisio temporum notaretur, hoc est, unde meridies, ac diei, noctisque horæ signarentur, item veris, æstatis, autumni, ac hyemis diversitas.

Altera species est Astrologia ad vitæ humanæ usum potissimùm accommodata. Disquirit enim in ordine ad illam astrorum qualitates, & passiones, quosque eventus in his inferioribus decernant. Unde etiam juxta quatuor principaliora, quæ ad vitam humanam spectant dividitur in quatuor partes principales.

Prima est Astrologia medicinalis, ab aliis Iathromathematica dicta, omnino licita. Sicut enim humores nostri corporis à cœlestibus influxibus, superioribusque causis geniti, ab iisdem suscipiunt alterationem, nullus negare potest, quin eorum vires ac motus quàm maximi sint momenti in curandis corporibus. De quo vide Argolum *in lib. de diebus criticis, & ægrorum decubitu.* Unde non immeritò Alexand. de Alex. 2. *p. sum.* eos vocat Aromatarios, non Medicos, qui Astrologiæ ignari sunt.

Secunda pars continet astrologicas observationes circa agriculturam reiq; rusticæ œconomiam, quæ etiã est licita: Quia uti rebus ad eos effectus, ad quos causandos naturalem habēt facultatem, vel quovis modo naturaliter conducere possũt, licitum est. Etenim apud omnes certum est, cœlorum influxus plurimum valere in multis ad agriculturam, reiq; rusticæ œconomiam pertinentibus. Tunc ergo eos observare, non est illicitum. Sic in cædendis arboribus, vel lignis potest observari Lunæ decrementum, ne ligna cæsa in novilunio carie inficiantur. Unde Columella *lib.* 14. *Omnis materia in ædificia succidi debet luna decrescente à vigesima usque ad trigesimam, quia sic cæsa judicatur carie non infestari.* Item Agricolæ licitè observant quosdam dies propter influentiam syderum, & positionem, aptos, aut ineptos, his, vel illis effectibus. Ut ad serendum attenditur Sol in Scorpione, vel in principiis Sagittarii. Ad seminandas fabas in Tauro. Ad serendum hordeum in Libra, vel in principio Scorpionis. Idem dicito de

de pastoribus ad miscendum mares feminis, ad tondenda vellera, ad greges pascendos, ac similia: Notandum tamen, hæc nimis attendere, si non superstitiosum, saltem noxium esse posse juxta illud Ecclesiast. 5. *qui observat ventum, non seminat.*

Tertia pars, etiam licita complectitur Astrologiæ præcepta de navigatione. Observationes enim extant quamplurimæ ab antiquis experimento comprobatæ, in quibus Lunæ constitutio, cæterorumque planetarum aspectus veniunt considerandi antequam iter sumatur per aquas.

Quarta pars est illa, quæ per Antonomasiam prognostica, judiciariaque vocatur. Non solùm enim judicat de rebus insignioribus, quæ sub orbe Lunæ eveniunt, putà de legum mutatione, aut fundatione, de eversione, aut confirmatione regnorum, de bellorum eventibus, aliisque hujusmodi, sed insuper inspecto cujuslibet hominis in particulari horoscopo, id est hora nativitatis, & ea collocata ad syderum, cæterorumque corporum cœlestium posituram, judicat de constitutione corporis, de statu, fama, honoribus, dignitatibus, officiis, divitiis, paupertate, nuptiis, sobole, inimicitiis, direptionibus, furtis, morbis, morte, ac denique de omnibus ejus fortunis & infortuniis.

Hæc Astrologiæ pars partim est licita, partim illicita. Si enim ex natalitia constellatione prædicat tantùm natorum propensiones, verbi gratia, ad litterarum studia, ad tales virtutes, taliaque vitia, si, inquam, talis prædictio intra hos limites contineatur, non est illicita, & vana, sed ad Philosophiæ, & astromiæ naturalis partem reducenda est.

Nam ejusmodi propensiones, præcipuè ab astris & stellarum situ, ut à causa proficiscuntur, ut multis in locis docet Divus Thomas 2. 2. *quæstione 95. articulo quinto ad secundam, & prima parte, quæstione 115. articulo quarto, ad tertiam.* Conjectare autem sive cognitionem sumere effectuum ex suis causis, ad veram scientiam pertinet, nec in se aliquid absurdi continet, cùm hoc beneficium à Deo collatum sit hominibus, ut ex causis procedant ad cognitionem suorum effectuum, atque adeo non potest esse illicitum. Quinimo ex eodem Divo Thoma, locis citatis, effectuum actualium, maximè, purè ac merè contingentium, quales sunt fortuiti, & actus humani, levem quandam conjecturam potest desumere Astrologus ex syderum positione. Nam, ut diximus, ex astrorum, ac syderum situ diverso, diversæ dimanant propensiones, in hæc inferiora, etiam in homines. Hic ad venerea inclinatur, ille ad rixas. Sed quæ est hominum propensio ad malum, ferè omnes eam sequuntur, ac proinde Astrologus, qui propensiones semel agnoverit ex syderum positione, poterit quodammodo conjectare de futuris eventis actualibus, etiam voluntariis hominum, quæ si quicquam occasionis erit, propensiones, tam malas, quàm bonas consequuntur. Quo sensu debet intelligi locus Divi Thomæ 2. *de generat.* Qui sciret virtutes cœlorum, stellarumque in eis positarum, dum res aliqua nascitur, posset judicare de tota vita rei generatæ, licet hoc necessitatem non ponat, & possit impediri per accidens. Verùm quia raro, aut levi conjectura, desumpta ex experientia, orta etiam ex conjectura, & multis obvoluta erroribus, cognoscuntur ejusmodi virtutes, ideo etiam cognitio ab ea desumpta perexigua est, & vix nomen conjecturæ meretur, ut rectè consideravit Cajetanus 2. 2. *qu. 95. ar* 5. Quid autem in Astrologia judiciaria sit omnino vanum, & illicitum, dicemus suo loco.

Secunda veluti species conjectationis naturalis, aliquando licitæ, aliquando illicitæ, est divinatio, quæ fit per somnia. Siquis enim illis utatur ad præcognoscenda futura, secundùm quod somnia procedunt ex revelatione divina, quorum in divinis scripturis plura habemus exempla, vel ex causa naturali intrinseca, vel extrinseca, quantum potest talis virtus se extendere, tunc non erit illicita, aut superstitiosa divinatio; secùs autem si causetur ex revelatione dæmonum, cum quibus pacta habentur expressa. Nam ad hoc invocantur. Vel tacita. Quia hujusmodi divinatio extenditur ad quod se non potest extendere. Quorum major explicatio videri potest apud Raphaelem de la Torre 2. 2. *quæstione 95. articulo sexto*, ubi eruditè hanc materiam pertractat, ostenditque artem interpretandi somnia, de qua antiqui quidam, & ex recentioribus plures gloriantur, esse futilem, & hominum otiosorum.

Tertia species est divinatio, sive conjectatio Physionomica, quæ communiter accepta extenditur ad omnem conjectationem sumptam ex consideratione constitutionis omnium partium corporis humani, sed potissimè sumitur ex consideratione faciei, eò quod sensuum organis constat, & mentem valdè prodit. Deinde ex manuum inspectione manus enim humana est organum organorum, ex Aristotele, & Galeno. Unde sub hac ratione communi dividere possumus conjectationem physionomicam, *in Spatulamantiam*, quæ considerat signa, & lineas repertas in armo animalium, ad quam reducitur omnis consideratio signorum in quocumque membro corporis, excepta facie & manu, & in *Chiromantiam*, quæ considerat constitutionem, & lineas manuum, & *Physionomiam speciatim acceptam*, quæ considerat faciem, & hæc pars, quia nobilior, retinuit sibi nomen commune, quamvis alii vocent illam *Metoscopiam*.

Loquendo igitur primum de illa, certum est, esse licitam, si in prædicendis corporis, sive animæ sensitivæ affectionibus, ac propensionibus intra limites naturales contineatur, & fundamentis duntaxat naturalibus utatur. Licet enim perfectam certitudinem non habeat, probabilitate tamen aliqua non caret, ideo ea uti cum formidine aliqua veritatis, non est illicitum. Explicatur dictum adducendo fundamenta, quibus nituntur Physionomi, non superstitiosi, sed principiis naturalibus, aut moralibus inhærentes.

Primum fundamentum ducitur à quadam cum cæteris animantibus similitudine, verbi gratia, qui parvis sunt oculis invidiæ passione affici censentur. Quia simiæ invidæ sunt. Qui magnis, stupidi, sicut boves, & asini. Hujus fundamenti ratio est, quia natura dedit instrumenta cuique animantium apta, & proportionata ad exequendum suas propensiones, ferocibus, ut Leoni, apro, tauro ungues, dentes, cornua. Timidis, ut lepori, & cervo membra celeri fugæ idonea, sicque de aliis. Unde quasi ex signo, & à posteriori colligimus animalium propensiones ex ipsis corporeis instrumentis, quibus à natura ornantur, ac præcipuè hæc signa in facie elucent, ubi sunt omnia sensuum organa. Nec dicas, in animantibus brutis has propensiones magis elucere, quàm in hominibus; quia illa suas propensiones sine fræno sequuntur, hi verò sæpè occultant, illis resistentes. Nam saltem colligitur probabiliter ex similitudine & analogia instrumentorum, ac signorum, quæ reperiuntur in animalibus brutis, idem judicium proferendum esse de hominum, quod de brutorum propensionibus.

Secundum fundamentum desumitur à moribus gentium, atque provinciarum, quæ cùm differant corporis con-

constitutione, ut plurimùm differre etiam ingeniis, ac moribus experientia constat. Exempli gratia Physionomi dicunt nimis fuscos, stupidos, ac pertinaces esse, quia Æthiopes tales sunt.

Tertium fundamentum sumitur à sexu, putà quia mulieres, plerumque candidæ sunt, & molli cute, eæ denique sunt timidæ, atque inconstantes, idcirco conjecturare licet de viris candido vultu, ac molli cute timidos esse, ac leves.

Quartum fundamentum desumitur facta argumentatione ab immutatione membrorum, maximè faciei, ad animæ sensitivæ passiones, sive propensiones, ut à torvo aspectu judicamus animum crudelem, à fixo, & immoto iracundum.

Hæc sunt fundamenta, quibus secretior hæc Philosophiæ pars suas depromit conjectationes, non per certitudinem, sed per quandam probabilitatem majorem, aut minorem, qualis in eisdem fundamentis, & illatione ex ipsis reperitur. Cui feliciter comparandæ inservire possunt ex antiquis Aristoteles, Galenus, Hippocrates; ex modernis Michael Medina *libro secundo, parænes. Christian. capite secundo*, à quo laudatur quidam Petrus Moreus *lib. de multipl. temperam. & cognoscendis hominibus*, quibus adde opus correctum Joannis Baptistæ Portæ *de physionomia* & Ulyssem Aldrovandum *de animalibus*.

Atque ad hunc sensum debent intelligi, & expendi multi Sacræ Scripturæ loci, in quibus de physionomia agitur. Ecclesiast. 19. *Ex visu cognoscitur vir, & ex occursu faciei cognoscitur sensatus.* 1. Paralip. cap. 12. habetur peritia physionomiæ ex similitudine membrorum animalium: *Viri Gaddi, viri robustissimi, facies eorum, quasi facies Leonis. In Epistola ad Galat. capite tertio*, id ipsum habetur ex moribus regionum: *O insensati Galatæ*, Genes. 2. exhibetur & hoc idem ex repræsentatione feminini, vel masculini sexus: *Vocabitur virago, quia de viro sumpta est.* Et sic de aliis locis, quorum centum & quinque expendit juxta principia physiognomica Paulus Vecchi *in opusculo observationum omnigenæ eruditionis in divinam Scripturam, libro primo.*

At si loquamur de illis rebus, quæ pendent ex libero arbitrio, aut casuales, aut fortuitæ sunt. Cujusmodi sunt omnes actus humani liberi, aut permixti actibus humanis, ut ira actualis, accessus ad mulieres, &c. Dona Dei gratuita, quæ Deus distribuit singulis, prout vult, externa hominis bona, vel mala, ut opes, honores, nuptiæ, officia, vitæ status, mors violenta, & similia. Si loquamur, inquam, de his rebus, etsi ex vultu, & partibus ejus, atque ex aliis membrorum humanorum dispositionibus possit exilis aliqua, sumi illorum conjectura, quatenus suis propensionibus solent homines sæpè succumbere, nisi ratione cohibeantur, attamen peccatum est mortale ex genere suo, pertinens ad invocationem tacitam dæmonis, certa illarum prædictio. Siquidem ea signa ad talem divinationem non se valent extendere, & ideo permittente Deo, dæmon se ingerit hujusmodi divinationibus, ut veros eventus aliunde sibi notos enunciet. Etenim in potestate hominum est suis malis propensionibus resistere, duce ratione, ac præcipuè si divina adjuvetur gratia. Unde egregiè Socrates Zopiro physionomo divinanti ex lineamentis faciei, eum esse bardum, stupidum, & mulierosum, respondit, ita futurus esset, nisi me Philosophia liberasset, ut refert Tullius *lib. de fato*, & Alexander Aphrod. *libro quarto ejusdem argumenti.* Notandum est tamen, velle divinare ex vultu, aut aliis membris propensiones hominum per certitudinem aut actus alios, qui non pendent ex libero arbitrio, peccatum quidem esse judicii vani, ac temerarii, sed duntaxat veniale.

An autem & quatenus ex mala physiognomia sumi possit contra reos indicium, alibi disserui. Sed quid si indicia violenta de homicidio contra duos clamarent? Essetne licitum prius subjicere torturæ deformiorem? Respondeo licere, non quia deformior, ne Judex admisceat vanitatem suis actibus, sed quia in ejus potestate est, hunc, vel illum prius torquere. Jurisperiti verò, qui contrarium asserunt, decipiuntur in hac re, sicut in multis aliis erga reos, aviditate eos judicandi, & sibi nomen prudentiæ aucupandi, ut etiam notavit Raphael, de la Torre *cit. quæst. 95. artic. 7. disput. 3.*

Quod pertinet ad Chiromantiam, id est divinationem sumptam ex manuum dispositionibus, putà lineis, ac similibus, ea duplex est. Una, quæ de propensionibus, & affectibus conjicit. Altera, quæ de omnibus eventibus, & vita hominum. Prior licita est, eatenusque ars vera, quatenus lineæ manus, sive aliæ dispositiones ejusdem originem ducunt ab eadem temperie corporis, à qua istæ propensiones naturales. Unde huic principio innixi quidam Chiromantici religiosi ac sapientes docent, manum magnam, multis lineis descriptam, neque omnino glabram, neque pilosam, & longos digitos ad naturalem proportionem inæquales, qui facilè & adducantur, sapientiam indicare, & bonam indolem, maximè enim humana est talis manus. Curtam verò, rotundam, brevibus digitis, & æqualibus, glabram nimis, aut valdè pilosam, aut ungues habentem curvos, & longos, & multis aut paucissimis lineis distinctam, has omnes belluinas esse, & ad aliqua brutorum genera referendas. Quare pilosa manus, qualis in Scriptura dicitur fuisse Esau, significat hominem agrestem, & ferum instar ursi. Ungues curvi, rapacem more accipitris, rotunda, & brevis sine lineis, stupidum qualia quadrupedum plurima,

Hæ, ac similes conjectationes desumuntur ex primo fundamento pro divinatione physionomica naturali, superiùs allato. Item à secundo, & tertio conjici potest, eos, qui contractas semper gerunt manus, timidos, & avaros esse, contra qui extentas, audaces, & liberales, qui pendentes, aut demissas, aut aliam super aliam, desides, & ignaros; qui elatas, aut mobiles, sollicitos, & negotiosos; qui ad faciem, aut os adducunt, cogitabundos.

Annotandum tamen est, non tam certam, aut probabilem conjecturam duci posse ex manuum, sicut ex vultus dispositionibus, eo quod animæ sensitivæ passiones magis luceant in vultu; necnon & temperies unde nascuntur, quàm in lineis manuum. Ad hanc Chiromantiæ partem referri potest, quod legitur Exodi 13. *Et erit quasi signum in manu tua.* Et Job. 37. *Qui*, Deus, *in manu omnium hominum signat, ut norint singuli opera ejus*, si semel ejusmodi loci de divinatione chiromantica debeant intelligi, plures enim aliæ possent adduci explicationes, de quibus vide sacros Interpretes,

Posterior verò pars Chiromantiæ, quæ conatur ex figura, lineis, & hujusmodi, quæ ad manus pertinent, de omnibus cujusque hominis eventibus certò conjicere quid futurum sit, vana omnino & superstitiosa est, ut satis patet ex fundamentis risu potiùs, quàm refutatione dignis, quibus ars ista innititur. Dividit enim primò palmam manus in certos monticulos, sive colliculos, deinde areolas, & lineas,

suos singulis planetas, & astra præficiens, & horum vulgò creditos effectus attribuens. Pollicis tuber à Venere regitur, mons indicis à Jove, colliculus medii à Saturno, annularis mons à Sole, & auricularis à Mercurio. Pars verò protuberans, quæ est in inferiori manus parte, percussione dicta, Lunæ subjicitur; denique Triangulus manus à linea vitæ, sive cordis linea, hepatis atque capitis productus, Marti dicatur.

Lineam vitæ in centum partes dividunt Chiroscopi ea ratione, ut ex variis notis, punctis, coloribus, sectionibus, & figuris de morbis cùm præteritis, tum futuris dijudicent. Prima verò decade pueri ætatem usque ad decennium. Secunda, tertia, quarta, & reliquis decadibus sequentes annos ætatis significant, adeo ut si character chiroscopicus quartanæ, vel epitritæ febris, aut alterius morbi circa primam decadem existat, homini quindecim annorum respondeant morbum illum præteritum, si verò character ad tertiam, aut quartam decadem vergat, futurum esse, dicant. Viderint medici anatomici, num signorum illorum & characterum aliqua causa naturalis assignari possit.

Huic superstitiosæ, & vanæ Chiromantiæ parti incubuere aliquot antiqui, & ex recentioribus Joannes de Indagine Lutheranus, non quidem Carthusianus ejusdem nominis, Joannes Tataisverus Athensis, Antonius Cermisonus, Bartholomæus Cocles, Michael Savanarola, Petrus de Arca, Marcellus Saya, Andreas Tricasius, Michael Scotus, Rodulphus Goclevius filius, Joannes Rothmannus, Robertus Flud, & alii, quorum libri, utpote superstitionibus pleni, prohibitæ sunt lectionis, contra quos breviter, sed nervosè agit Mersennius *in Genesis capite tertio, vers. primo.* His etiam annumerari debent Gelotoscopia Prosperi Aldorisii, & ejusdem Ideagraphia, Epistolaris divinatio Camilli Baldi, & libri Melampi, ac Ludovici de Nævis, aliorumque de maculis unguium, & Onychomantia. Quandoquidem isthæc omnia ad ludicras potiùs, quàm verè conjecturatrices scientias referenda sint, & ipsæ vel solo nomine tales dici debeant, ut præter vigilantium somnia, nihil quicquam continere possint.

Quoniam inter signa etiam crisis physiognomicæ reponuntur gestuum, atque actionum significationes, de his multa habent, & egregia omnino Nicolaus Caussinus in parallelis eloquentiæ, & Cardanus in libris de sapientia, & de utilitate capienda ex adversis. Sed artem integram feliciter absolvit autor quidam Italus in curioso volumine in quarto, cui appellationem ipse fecit ex operis subjecto, atque materia desumptam, *Arte de' Cenni.* Sciendum tamen, id ab illis ingeni potiùs in re quadam ludicra ostentandi, quàm utilitatis gratia, aut quasi certa inde conjectatio fieri posset, fuisse xcogitatum.

CONSULTATIO LXXIV.

De Conjectatione politica, sive de Sortibus. Ubinam sortes, & quando prohibitæ? Quot earum species, ac modi? De sorte divisoria. Ut sit licita, quot conditiones servandæ? De sorte Lotheriæ. De purgatione Canonica. Quot purgationis species. Quæ purgatio Canonica? Quæ vulgaris? Provocatio ad divinum judicium. Purgatio per ignem. Per aquam vel calidam, vel frigidam. Purgatio monomachiæ, sive duelli. Juramenti. Duelli leges, ac cæremoniæ. Alia plura.

Sortium usus videtur quodammodo inter adiaphora constitui, ut & modus, ac finis, ratione cujus sortes mittuntur, distinctionem facere videantur. Nam, si absque superstitione jaciantur, & pro dirimendis dubiis rerum ejusdem privilegii, & favoris concurrentibus, interdum in jure permissæ sunt, veluti in tribus judiciis, communi dividundo, familiæ erciscundæ, finium regundorum, in quibus utriusque litigatoris par causa est, & is, qui priùs egerit, actor, vel petitor dicitur *l. in tribus ff. de judic. l. 2. ff. com. divid. l. inter cohæredes, §. qui familiæ, ff. fam. ercisc. l. judicium ff. fin. regund.* Si tamen ambo litigantium ad Judicem simul provocaverint, sorte judicium dirimendum est, quis eorum partes actoris sustinebit, *l. sed cum ambo ff. de judic.* Pari modo, si optio legato relicta fuerat rerum plurium legatario, qui ante optionem pluribus hæredibus relictis decesserit, iique convenire non possint in re eligenda, sorte electio, & optio uni ex illis adjudicatur, *l. si duobus, C. com. de leg.* Quando etiam hæredes æquis partibus instituti, non possunt inter se convenire apud quem illorum remaneant cautiones hæreditariæ, quas vulgus dicit documenta hæreditatis, sortiri ea de re eos oportere placuit, vel ex consensu, & suffragio eligere apud quem deponantur *l. si quæ sunt cautiones ff. famil. ercisc.*

Narrat Appianus *libro secundo de bello civili* post mortem Julii Cæsaris, cùm essent discrepantes sententiæ in Senatu de remunerandis interfectoribus, sortes tradendas postulatum fuisse. Scribit & in commentariis belli Gallici Cæsar *libro primo* M. Valerium captum ab Ariovisto, sortium beneficio liberatum, eò quod se præsente, ter fuerit consultatum sortibus, utrum igni statim necaretur, an in aliud tempus reservaretur, ut inde possimus etiam colligere, apud Gentiles & sorte dirempta fuisse aliquando judicia.

Consentit & Historia Hester *cap. 3.* Assyriis etiam morem hunc aliquando fuisse; siquidem inibi relatum est, Præpositum Assueri Regis Assyriorum Amanum sortes in urnam misisse, quæ illis *Phur* dicebatur pro die decernenda universalis Judæorum interitus. Distributæ partes terræ Israelitis per sortes *Num. 33. Josue 15. Josephus lib. 5. antiq. cap. 3.* Missis sortibus judicatum peccatum Jonæ, *Jonæ 1.* Sortibus quoque detectus qui ex anathemate sustulerat *Josue 7.* ut & eisdem Jonathæ prævaricatio *1. Reg. 14. & can. 1. 26. q. 2.* His electus & in Apostolum D. Matthias *Act. 1.*

Explicat P. Victorius *lib. 25. var. lect. cap. 15.* sortiendi consuetudinem, & usum antiquum ex urna, quando immittebantur situlæ, vel hydriæ cum aqua, & sortes, id est tabellæ quædam diversæ materiæ, quæ significationem certam habebant, & inde posteà quòd priùs capiebatur, judicium constituebat. Docet & Pausanias in Messenis aliquando quoque sortes ex terra fuisse factas, cùm agit de divisione agri Messenii concupiti à Ctesiphonte contra Aristodemum, fratris filium. Octavianus alio sortiendi modo usus est. Cùm enim Senatus contemneretur propter numerum nimium, eumque vellet restringere, primum delectum ex omnibus triginta optimorum Senatorum fecit, eosque jurejurando adactos jussit singulis quinque virorum nomina scribere, ita tamen, ut nec cognatos suos in hos referrent. Dehinc ex hoc quinario unum sorte delegit, & sic elegit triginta, autore Dione Cassio *lib. 54. hist.* Sic Probus Cæsar, dum adhuc dux solùm esset, teste Flavio Vopisco *in ejus vita*, sorte in urnam missa, jussit equum præstantem, centum milliaria in die conficientem, captum ex Alanis, militi, cui sors ex urna contigerat, dari. Julius Cæsar apud Dionem *lib. 1.* sorte ad mortem seditiosos dele-

delegit, audacissimos quosque, ita enim eos composuerat, ut illi sorte notarentur.

Legimus & per sortes aliud insigne judicium apud Nicephorum Calistum *lib.* 14. *hist. Eccles. cap.* 18. & apud Socratem *lib.* 11. *hist. trip. cap.* 8. cùm enim Persæ Idololatræ ignem, & elementa adorantes, animadvertissent Idigerdem Regem, Marutham Mesopotamiæ Episcopum, Legatum Romanorum honore summo venerari, veriti ne is Rex cum amicitia, unà etiam Christianorum legem amplecteretur, Magi sacerdotes fraudem commenti sunt, atque in cubiculo, ubi perpetuus igni, asservabatur, quem ibi ex consuetudine Rex adorabat, subtus terram astutè hominem infoderunt, qui veluti ignis loqueretur, Regem ut impium exire debere diceret, quòd tanto tempore Episcopum Christianum, Deo charum ratus amaret. Quo audito, Rex existimans oraculum ab igne redditum, Marutham à se reverenter rejiciendi consilium cepit. Quo admonitus Marutha, Regem etiam admonuit, ut ad ignem rediens, unde audierat vocem, fodere juberet, dolum detecturus vocis humanæ, non ignis, qui res inanimata est. Quod cùm fecisset Rex invenit ibi hominem infossum, & detecto dolo Magos pœna addecimavit, & Maruthæ, ubi vellet, Ecclesiam struendi dedit facultatem.

Ex delectis Magistratus quoque sortibus apud Venetos eligi ex urna, docet Contarenus *lib.* 1. *de Republ. Veneta*, & alibi id ipsum usurpatum ait Panormitanus *in cap. fin. de sortil.* Erant & Judices ex equitum ordine Romæ per sortes electi, Prætore urnam movente, & si qui ex illis rejiciebantur iterum subsortiebantur alii in eorum locum, ut constat ex oratione Ciceronis *in Pisonem*, & Asconio Pædiano *in divinationem Ciceronis*. Tacitus quoque *lib. de morib. German.* refert religionem Suevorum usam fuisse sacris sortibus, & ex putata frugifera virga sacerdotes divinasse.

Quibus & similibus exemplis aliqui sibi persuadent, sortibus uti non esse improbum. Falluntur tamen, dum nulla adhibita distinctione boni & mali, & sortium, & causarum in universum, & promiscuè sortes in omnibus recipiunt, cùm tamen illæ prohibeantur *can. non exemplo Matthiæ. & can. non statim* 26. *qu.* 2. *& capite fin. de sortil.* Quocirca & antequam ad sortium judicium perveniatur distinguendum est, si plures admitti velint ad idem, vel ad eundem actum gerendum, vel si circa aliud concurrat, quod nonnisi uni, vel saltem non omnibus, concedi potest, num ii, qui concurrunt, dissideant in facto, vel in jure. Si factum controvertatur, & probatione indigeat, illud sortis judicio non committetur; quia dicenti incumbit onus probandi, *l.* 2. *ff. de probat. l. act. C. eod. l. qui accusare C. de eden. & l. res C. de rei vendic.* Quod si de jure controvertatur, id est de eo, quod jure certum non est, rursum distinguunt interpretes, an quæstio controversa alterius contineat præjudicium, an eorum, qui controvertant tantùm. Atque in primo capite Judex ad tertii alterius petitionem, cujus interest, jubere potest controvertentes de eadem re convenire, vel sorti committere inter se negotium, ne tertius, qui unica actione tenetur vel experitur, cogatur pluribus respondere, vel contra plures agere *l. hujusmodi §. fin. ff. de legat.* 1. *l. cum filius §. variis de legat.* 2. *l. nemo ex iis*, *§. quoties de reg jur.* sicque intelligenda Glossa singularis *l. un. v. prohibebit in fine, C. uti possid.* In secundo autem casu si dissidentium tantum intersit, & de potiori causa inæquali jure certetur, nec intersit tertii alterius pro re, vel de facto juris ambigui, utrinque præponderante ratione; siquidem neuter sorti velit rem committere, se mutuò impediunt, ut *in l.* 2. *§. fin. ff. quibus mod. ususfruct. amit. & in l. quoties ff. de usufr.* Sin autem alter illorum velit, tunc Judex alterum coget. Et ita intelligendam putant *l. si duobus C. com. de legat.* ac similes.

Illa igitur, quæ legibus probis fuit aliquando recepta, Conjectatio, sive sors, politica dicitur, ut sors divisoria, sortium contractus, canonica purgatio. In veteri quippe Lege, Deus inter alias cæremonias, hanc quoque instituerat, qua in sortitione uterentur, eamque sorti præmitterent, quæ, etsi qualis fuerit, non satis constet, videtur tamen fuisse quædam mentis ad Deum elevatio cum oratione ad hoc instituta, ut colligitur ex Levit. *cap.* 16. *vers.* 7. ubi de capri emissarii sortitione. Et S. Lucas *Act.* 2. Primùm statuebantur sortituri coram Deo, deinde oratio fundebatur, postremò sortes singulis dabantur. Eæ miscebantur in sinu, urna, vel alio vase, cujus sors exibat, super eum cadere dicebatur. Certè missas aliquando fuisse sortes in sinum patet ex Proverb, cap. 16. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* Interdum in calicem, quem sinu continebant ex Psalm. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei*, ubi secundùm nonnullos calix significat sortem. Ad plenam quoque intelligentiam non parùm conducet legere, quæ de Gentilium sortitione cæteris plura, meliorique methodo scripserunt Junius Hornanus *lib.* 2. *animadvers. cap.* 5. Julius Cæsar Bulingerus *in opusc. de sortib.* Joannes Arboreus *lib.* 17. *Theosophiæ cap.* 13. *& in comm. capite* 1. *Proverb.*

Quod autem pertinet ad sortem divisoriam, cùm hoc totum negotium cæremoniale fuerit, meritò legis veteris cæremoniarum abrogatione, etiam hæc sortitionis cæremonia cessavit, jureque canonico prohibitum fuit, sortiri Episcopum, vel aliam quamvis dignitatem, aut beneficium Ecclesiasticum, Apostolorum exemplo. Ut enim Beda *in cap.* 1. rectè observavit, Apostoli ante Spiritum Sanctum acceptum in electione B. Mathiæ adhuc legali cæremonia usi fuere, post verò Sanctum Spiritum acceptum, non ampliùs sortem adhibuerunt, sed sola usi sunt oratione ad Deum, & jejunio adjuncto. Sic enim leguntur elegisse septem Diaconos, & Presbyteros *Act.* 6. *&* 14.

Quoniam autem adhuc in cæteris dignitatibus, & officiis, actionibus, & pœnis, rebusque aliis, divisoria sors qua quæritur quid cuique tribuendum, prohibita non est, ut patet ex *can.* 1. 26. *qu.* 2. qui canon. de hac tantùm divisoria sorte debet intelligi, ut tamen in illa nullum intercedat peccatum, quatuor conditiones servandas docet D. Thomas 2. 2. *qu.* 95. *art* 8. Primò debet eventus à Deo expectari, & non à casu, vel fortuna, vel astris. Quare & Deus invocandus juxta illud Scripturæ Psalm. 30. *in manu tua sortes meæ*, ita, ut siquis certò eventum expectaret ab astris, vel fato, sumpto ut sumunt Stoici, & Astrologi, mortaliter peccaret, si à casu, vel fortuna, fortunam non ut Gentiles, nam tunc esset etiam peccatum mortale idololatricum, sed ut Christiani sumunt Philosophi, accipiendo, in re gravi foret veniale, in re levi vix esset peccatum. Secundò debet adhiberi simplex sors sine ulla superstitione, vel abusu rerum sacrarum, aut Scripturæ sacræ. Tertiò necesse est, ut illi, qui sortiuntur, æquali jure nitantur; aliàs enim esset injusta sortitio, & quidem gravior, si de bono publico, reque gravi ageretur, ut si de officiis publicis digni & indigni sortes mitterent, Sors enim posset indigno favere cum damno Reipublicæ, & dignorum injuria. Quartò ut principalis intentio mittentium sortes non sit inquirere voluntatem Dei modo extraordinario, quia talis modus est omnino incertus, sed ut auferantur lites, discordiæ, querelæ, invidiæ,

prout nos docuit Salomon Proverb. cap. 18. v. 18. *Contradictiones*, inquit, *comprimit sors, & inter potentes quoque dijudicat.* Unde si aliter concordia posset iniri, res sorti non esset committenda; sin aliter nequit discordia sopiri, bonum pacis sortem permittit, servatis prædictis conditionibus.

Secundò ad sortem politicam spectat contractus Sortis, sive Lotheriæ, vulgò *Lotto*, qui est in usu frequentiori. Verùm cùm nullum habeamus Scripturæ locum, qui illius expressè mentionem faciat, remitto Lectorem ad ea, quæ Theologi morales de justitia & injustitia hujus contractus scripsere, Briardus *quodlib.* 5. Conradus de *contract. tract.* 3. *qu.* 71. Franciscus Garsias *eodem titulo, cap.* 20. Lopes *cap.* 23. Alcocer *de ludo cap.* 49. Molina *de just. & jur. disput.* 509. aliique plures.

Ego autem hujusmodi contractum esse licitum, assero, si fiat cum his conditionibus. Quòd res, quæ sortibus exponuntur non vendantur plus, quàm justo pretio. Quòd stipendium ministri non excedat rigorosum justum, nec adsint plures ministri, quàm necessarii, nec plus temporis in eo negotio insumant, quam oportet. Quòd hoc stipendium solvatur potiùs à contributoribus ad sortes, quàm à rerum venditoribus. Quia hujusmodi ministerium est potiùs in bonum contribuentium, quàm venditorum. Verùm si res fuerunt venditæ pretio rigoroso, debent etiam venditores pro sua parte tali stipendio concurrere. Quòd tandem nulla interveniat fraus. His positis conditionibus, ille cui sors beneficiata cadit, licitè rem illam lucratur, quia omnes contributores sunt æqualiter expositi lucro, & periculo, & omnes liberè consenserunt, ut is, in quem sors caderet, posset licitè, rem illam habere.

Tertiò ad Conjectationem, sive sortem politicam reducitur Purgatio canonica, quæ est præsumptionum, indiciorum, vel accusationum, non probatarum perfecta elisio. Vel purgare est se excusare, & innocentiam suam ostendere, ut *in l. is, qui reus ff. de publ. judic. l. fin. ff. de acq. rer. dom.* Sicuti & per torturam eliduntur indicia, si nihil fassus fuerit, qui tormenta passus est. Et videtur esse tortura species purgationis canonicæ. Hujus cùm expressam legem habeamus Num. *cap.* 5. *v.* 14. in poculo Zelotypiæ, quid ea sit, quid purgatio vulgaris, discutiamus. Præmissis jam Sacri Textus verbis, quæ longiora sunt, pro Intelligentia hujusmodi legis, quatenus est quædam purgationis species, notandum est, duplicem esse, secundùm quod ad conjectationem politicam pertinet. Una Canonica, altera Vulgaris. Canonica purgatio dicitur, quæ regulis Ecclesiastici juris consentanea est, ac recepta à sacris canonibus. Qualis fuit in veteri Testamento lex illa Zelotypiæ, sive purgatio adulterii; In statu autem novi Testamenti duplicem aliam reperio. Unam per jusjurandum, in qua nihil est sortis. Alteram per venerabilis Eucharistiæ Sacramenti sumptionem ab Ecclesiastico Judice competente injunctam, cujus etiam aliqua habemus exempla in historia Ecclesiastica Sigiberti anno 870. & Lamberti Schaffnaburgensis anno 1077. de Henrico Imperatore. Sublatam tamen aliquando fuisse hanc purgationis speciem, eò quòd suspectis non est danda Eucharistia, *cap. dilecti de purg. can. cap. tribus de consecr. d.* 2 De quo mox in peculiari disceptatione contra Delrium.

Fit utraque pro crimine illato præsumpto verisimiliter, sed non plenè probato *cap.* 1. 3. *& cap. quoties* 5. *cap. cum in juventute* 12. *de purgat. canon.* Quando infamatio grave generat scandalum, quo casu etiam invito tunc purgatio canonica imponitur, *cap. inter solitudines eodem titulo, cap. qualiter* §. 1. *de accus.* Si tamen notorium crimen esset, non esset inducenda purgatio, sed punitio, *cap.* 4. *& cap. pen. cap. cum dilectis de purg. canon.* Latè patent crimina quibus quis infamari potest, ac de illis quoque purgationis tractatio diffusa est. Sed & de surreptione rescripti fieri poterit *cap. ex parte de offic. ordin.* & de civilibus interdum non plenè probatis, ut *cap. quod ad consultationem de sent. & re jud.*

Fieri debet purgatio canonica ab eo, qui oneratur aliquo crimine, vel præsumptione, vel diffamatione, si modò non fuerit aliàs deprehensus in furto, perjurio, aut falso testimonio *cap.* 1. *de purg. can.* Adduntur & compurgatores *d. cap.* 1. *& fin. eod.*

Vulgares verò vocantur purgationes, quæ, ut nomen ipsum significat, nullo legitimo usu, sed vulgi quadam usurpatione, & observatione superstitiosa fuerunt introductæ. Unde etiam pleræque jure canonico fuerunt expresè prohibitæ, cùm soleat eis Deus tentari potiùs, quàm voluntas ejus explorari, sicque & exploratoriæ purgationes dicuntur, fueruntque diversi illarum modi. Forma & modus purgationis vulgaris erat multiplex secundùm diversos mores corruptos vulgi, & ideo prohibita, *cap. cum ex tuorum de purg. can.*

Primus, provocatio ad divinum judicium ob injuriam acceptam, quam si citra odii, aut vindictæ cupiditatem, aut aliam vitiosam affectionem per injustitiam oppressus quis faciat bono fine, putà, ut innocentia ejus appareat, nec infamia gravetur familia, vel ut liberetur mundus tali tyranno, vel ut resipiscat, & terrore perculsus pœniteat, desinatque ab oppressione, & concussione miserorum, licitam esse, plura ostendunt exempla Sanctorum hominum in divinis etiam scripturis contenta. Sic enim Sara *Genes.* 26. dixit Abrahæ; *Judicet Dominus inter me & te.* Sic David ad Saulem 1. Reg. cap. 24. *Judicet Dominus inter me, & te, & ulciscatur me Dominus ex te.* Et 1. *Paralip. cap.* 24. Zacharias filius Jojadæ cum jussu Joas Regis interficeretur similia protulit: *Videat Dominus, & requirat.* Nec alia mens septem Machabæorum martyrum fuit *lib.* 2. *cap.* 7. quorum Prophetia vim habuit imprecationis, & citationis, ut illæ priores duæ. Et in novo Testamento Apostolus 2. *ad Timotheum* 4. Alexandro ærario impunitam esse non debere censuit injustitiam ejus, cùm diceret: *Reddat illi Dominus secundùm opera sua.* Denique sancti Martyres *Apocal.* 6. clamant ad Deum: *Usquequò Domine non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum de eis, qui habitant in terra.*

Secundus modus fuit purgatio per ignem, quæ triplex fuit, per rogum, per prunas, per ferrum, hoc est, vomeres, seu lateres, seu conticulas, vel chirothecas candentes. Innocentia probabatur, si illæsus quis abiret, secus, nocens habebatur. Quorum omnium plura antiqua exempla reperiuntur apud Delrium *libro* 4. *disq. magic. cap.* 4. *qu.* 4. *sect.* 3. In Capitularibus Caroli Magni facta dicitur hæc probatio ad decem vomeres ignitos.

Tertius per aquam vel calidam, vel frigidam, cujus formulas prædictus Delrius refert, per consecratam, & benedictam bibitam, *cap. sententiam ne Cler. vel Monach.* Forsan volebant imitari aquam Zelotypiæ, quam Deus statuerat loco superiùs citato pro detegenda suspecta de adulterio, *can. in libro namque* 2. *qu.* 6. sed illæ suasu dæmonis introductæ, istud verò poculum herbarum amaricantium à Deo fuit institutum, qui solus occulta cordis novit, & indicat, & nequit, cùm ea indicat, mentiri, & sic se indicaturum veritatem promisit Moysi. Qualis sponsio, vel pactum divinum, cùm in purgatione per ignem, & aquam, aliisque ejusmodi, non habeatur, rectè sacri Canones illas omnes, tanquam quid pravo more, & præpostera imitatione per abusum introductum, stri-

ctissi-

ctissimè prohibuerunt, de quo vide Rechium *lib. de probat. aquæ frigidæ*, & jam citatum Delrium. Unde fuit & sublatum examen aquæ frigidæ in capitularibus Caroli Magni *capitular. fin. cap.* 26. *& in legibus Longobardis l. ut examen, tit. qual. quis se defend. deb. lib.* 2. Fiebat etiam per aquam ferventem, quæ etiam reprobata est *d. cap. sententiam, ne Cler. vel Monach.* de qua purgatione vide *l. siquis ex levi de homic. lib. hom.*

Erat & vulgare examen Crucis, quod etiam prohibetur citata lege Longobardica, ut meritò castigandi sunt aniles mores, ut sortilegia, dum furtum indagant, vel per astrolabii inspectionem *cap.* 1. *de sortil.* vel per immissionem brevium in aquam frigidam, vel benedictam, vel per cribrum, & forfices, invocatis perperam divis, in quibus vulgus maximè abutitur.

Refert Gregorius Turonensis *lib.* 2. *hist. Franc. cap.* 1. speciem aliam purgationis vulgaris, dum scribit B. Britium Episcopum Turonensem, calumnia impetitum à populo, mulierem impprægnasse, ad quam cubicularius ejus vestimenta deferre solitus erat abluenda, eumque innocentem, tamen ut satisfaceret populo, prunas ardentes pileo imposuisse, easque ad se proximiùs admotas ad sepulchrum S. Martini unà cum populo comitante, illæsis vestibus accessisse, ac detulisse, dicentem se ita impollutum esse à muliere. Huicque purgationi potiùs credidisse populum, quàm præcedenti miraculo, quod certè divinius. Nam, ut idem scribit, cùm Britius negaret, se scelus commisisse, jussit ad se infantem ex muliere editum, adferri, qui cùm oblatus fuisset, triginta tantùm dierum existens, adjuratus per Jesum Christum, loquutus est, non fuisse ex eo genitum.

Meminit de alia specie purgationis Dionysius Halicarnassensis *lib.* 2. *hist. Rom.* & Valerius Maximus *lib.* 8. *cap.* 1. qua Tuscia Vestalis suspecta violatæ pudicitiæ se expurgavit. Ea enim falsis testibus accusata, jussa pro se dicere, petiit Tiberim, Sacerdotum permissu, & prosequente populo hausit aquam cribro vacuo, eamque usque in forum perlatam effudit ad pedes Pontificum, & liberata est, accusatore nec vivo postea, nec mortuo comparente.

Sæpè etiam per fallax hoc iudicium vulgare, tentato Deo, ex præsumptionibus innocens damnabatur impiè, *cap. significantibus de purg. vulg.* & dæmones miracula imitabantur, & perstringebant oculos, ut vel innocenti illuderent, vel impium liberarent meritis pœnis. Sic enim etiam D. Augustinus *lib.* 12. *de Civit. cap.* 16. dæmonum præstigiis concedit factum Tusciæ. Nam etiam, ut diximus, postea nec vivus, nec mortuus comparuit accusator. Et quod scribunt Livius *lib.* 2. *de Bello Punico*, Valerius Maximus, & alii de Q. Claudia Vestali, quæ cum adverso pudicitiæ rumore laboraret, quòd cultus esset studiosior, cùm navis, qua mater, ut dicebant Idololatræ, Deûm, vehebatur ex Pessinunte Phrygiæ Romam, hæsisset in Tyberi, nec vi virûm, boumque moveri posset, discincta Zona, & navi illigata, precata est illam Deam falsam, ut si castam se nosset, illam sequeretur, navem duxit. Item quod scribunt de Actio Navio Augure, qui cotem dissecuit novacula, Cicero *de divin. lib.* 1. Livius *in* 1. Improbant ista, & similia omnia paganica, & præstigia Christiani, & expiationes per illa facta, ut expiationes, seu purgationes ejusdem Idololatriæ, quæ fiebant tribus modis, teda, ovo, sulphure. Vide Apuleium *de asino aureo lib.* 11.

Inter autem species purgationis vulgaris, Duellum, seu singulare certamen ponitur *in cap.* 2. *de purg. vulg.* quæ etiam ibi prohibita est, & in *can. monomachiam* 2. *qu.* 5. Id erat certamen duorum ad purgationem illati criminis initum, quo victor purgatus, victus pro convicto habebatur. Duplex illa pugna erat, equestris, & pedestris, talisque formæ ac modi quo conventum erat inter pugnaturos, vel ab illis, qui monomachiæ præerant.

Erat tamen monomachiæ species alia, quæ non purgationis causa, sed vel virium probandarum, & periclitandarum sponte inter aliquos fiebat, vel ut spectaculum præberent populo, ex quibus qui virtutis causa id facerent, non erant infames, ut pugiles in sacris certaminibus, aliique similes. Qui autem vel operas elocabant, ut cum bestiis singulari certamine congrederentur, vel gladiatorio munere publicum spectaculum sanguine proprio ederent, infames fiebant, *l.* 1. §. *item Senatusconsulto cum duobus* §§. *sequentibus, ff. de postul. l. athletas* 4. *ff. de iis qui not. infam. l. qua action.* 7. §. *Siquis in colluctatione ff ad leg. Aquil.* Ut & tandem cruenta spectacula sublata fuerunt, tanquam in domestica quiete, & in otio civili horrenda *l.* 1. *C. de gladiat.*

Fuerunt & aliæ monomachiæ ad ostentationem virium & audaciæ introductæ, quibus congredi soliti erant depugnantes, vulgò Torneamenta dicta, quorum torneamentorum detestabiles nundinas, ad quas milites ex conducto soliti erant concurrere, improbat, & prohibet jus Pontificium, unde mortes hominum, & pericula animarum sæpè provenirent *cap.* 1. *de torneam.* cùm tamen hasta decertare, leges Romanorum concederent, *l. solent* §. *Senatu ff. de alea lus. & aleat.* Atque morientibus in torneamentis denegatur Ecclesiastica sepultura *cap* 2. *de torneam.* Solitæ fieri maximè illæ exercitationes pugnarum ab otiosis militibus in acie, vel in honorem heroum defunctorum, quemadmodum colligere licet ex Dictys Cretensis *lib.* 3. *de Bello Trojano.*

Fuerunt & Monomachiæ, veluti ex quadam necessitate antiquorum ad sopiendas bellorum clades imminentes, & ad controversias dirimendas. Sic singulari certamine Curiatiorum, & Horatiorum diremptum bellum inter Romanos, & Albanos, victis Curiatiis, qui nomine Albanorum causam defendebant, ab Horatio, qui pro Romanis vicit, lege priùs posita, ut victis istis, aut vincentibus commilitonibus victores, vel victi haberentur illi, quorum causam defenderent, Livius *in* 1. *Valer. Maxim. lib.* 6. *cap.* 3. Duello quoque Goliæ, & Davidis, illo pro Philistæis, hoc pro Judæis decertante, bellum maximum solutum est, victo Golia per Davidem, in singulari cum suis conditionibus pacto certamine 1. *Reg.* 17. *can. monomachiam* 2. *qu.* 5.

Videtur tamen hæc monomachia pertinere ad purgationem vulgarem, per quam juris, vel injuriæ judicium eventui committitur. Quare & duellum hujusmodi improbarunt quoque jura. Et Clericum, qui duellum obtulerit, vel oblatum susceperit, deponi jubent, sive victor sit, sive victus fuerit, *cap.* 1. *de Cler. pugn. in duel.* & irregularis fit, ac homicida, sive per se, sive per campionem, ut aiunt, sive pugilem, pro eo datum, occiderit contendentem, & monomachum, *cap.* 2. *eod.* Maximè habitus reprehensibilis, quòd vel Deum remediis non humanis tentare voluerit, *d. can. monomachiam, & can. meruam* 2. *q.* 5. *can. si nulla urget necessitas* 13. *q.* 8. *& can. quæritur* 22. *q.* 2. Sed & permittit Deus plerumque in istis duellis, innocentes ab eo, quo accusantur, crimine, succumbere, & necari propter alia eorum peccata ut ait *cap.* 2. *de purg. vulg.* & ita Rhotarius Rex: *Quia incerti sumus*, inquit, *de judicio Dei*, & multos audivimus per pugnam sine justa causa suam causam perdere, sed propter consuetudinem gentis nostræ Longobardorum legem impiam vitare *non possumus*, lib. 1. leg. Longobard. tit. de monomach. Quibus rationibus etiam mores gentium plures inter Christianos castigantur.

Prævaluit tamen malitia hominum, ut necessarium aliquando fuerit permittere legibus Germanorum, Hispanorum, Longobardorum, Gallorum, ut videbis *in libro* Belisarii Neritinorum Ducis *de singulari certamine*, & in *constitutione* Phillippi Regis Gallorum anni 1306. quam explicat Guido Papa *dec.* 617. 618. *& seqq. & in tract.* Joannis de Lignano *de duello.* Quam ob rem cùm improbi mores vix omnino extrudi potuerint, necessarium leges illis aliquas, ne laberentur in pejus, pro fræno adjicere.

Primùmque definita sunt negotia, pro quibus ad certamen singulare provocare liceret tantùm, atque ex consuetudine Longobardorum de criminibus objectis licebit se purgare per pugilem, quem Campionem dicunt *lib.* 1. *leg. Longob. tit. de malef. l. fin.* sic mulieri accusatæ de occiso marito per venenum licebat se purgare, vel per juramentum, vel per pugnam, sive eundem campionem *l. fin. de conf. mort. lib.* 1. *leg. Longob.* vide Glos. §. *siquis v. duellum de pac. ten. in feud.* Qui argam id est cuculum vocasset, de eo accusatus poterat vel componere, vel per duellum cogebatur probare *l.* 1 *de convit. eod. lib.* 1. Siquis dixisset per vim venditionem prædij facere coactum *l. Siquis dixerit, tit. qual. quis se defendere deb. eod.* Belisarius ait in summa ex legibus Longobardorum permissum esse duellum ex justa causa, si rei ejus, quæ in dubium venit, veritas alio modo probari nequit. Si insimulatus criminis læsæ majestatis quis fuerit, & alio modo probare non possit accusator, armis cum accusato decernendum est, an verum sit crimen. Si obiiciatur, quòd patrem quis interemit vel alium durantibus induciis, si alienam uxorem in viri mortem criminatus sit, vel adulteram dixerit, vel adulterium alicui objiciatur, vel crimen furti, vel malè possedisse per triginta annos, vel incendium, vel siquis neget pecuniam depositam, vel soluto debito nihil debere.

In legibus Alemanorum & cum his duellum committitur, & pro controversia terræ *tit.* 85. & pro dote adlata repetenda *tit.* 77.

In Gallia Philippus Rex in provinciis, in quibus consuetudo esset duelli permittendi, noluit permitti, nisi quatuor concurrentibus *constit. an.* 1306. Primò, si liqueat crimen esse commissum *lib.* 1. §. *illud, ff. ad senat. Sylan.* Glos. *in cap.* 1. *in prin. de pac. ten. in usib. feud.* à quo tamen commissum sit non liqueret. Secundò, ut maleficium, quod obiicitur duelli causa, ex eorum genere sit, quod mortis pœnam habeat, quod ex facto proposito constabit. Ideo excipitur furtum, etiam si pro eo pœna mortis inferatur. Tertiò, quòd crimen illud proditoriè & clam commissum fuerit, & alio modo sufficienter probari non possit, quàm per duellum. Quia in notoriis, & probatis non admittitur purgatio, sed fit condemnatio *cap.* 2. *cap. cum dilectis de purg. can.* Quartò, quod is, qui duello provocatur, & de ipso delicto accusatur per indicia, & verisimiles præsumptiones habeatur suspectus, ut in tortura, & in purgationibus alibi diximus; alioquin enim, si manifestum sit crimen, ut putà quòd quis aliquem voluntariè, ac sponte, non necessario occiderit, tunc nec per duellum, neque alio modo excusabitur, quin capitalem subeat pœnam, §. *Siquis hominem intra pacem, de pac. ten. in usib. feud.*

Ex quibus constat, duellum non temerè pro omnibus, nec contra omnes sine causæ cognitione, neque ab omnibus concessum fuisse. Duellum ideo non nisi ab eo, qui habet vitæ, necisque potestatem permitti potest; neque privati, qui sibi indicunt propria autoritate, immunes sunt à crimine læsæ majestatis, & homicidij pœna, si illud commiserint in monomachia propria autoritate delata, & suscepta. Belisarius *lib. de singul. certam. cap.* 5. pugnandi facultatem duello dare tantum ait, Principem liberum nemini subditum, nec sine ejus permissu posse fieri. Refert duo exempla, quare Quintius Crispinus miles, cùm eum Badius Campanus injuria lacesseret, ut si vir esset, congrederetur, tandiù cunctatus, donec Imperatorem consuleret. Et Titius Manlius, cùm à Gallo provocaretur, Dictatorem ita est alloquutus: Iniussu tuo, Imperator, extra ordinem non pugnaverim, non si certam victoriam agnoverim. Si tu permittis, ero provocatus. Qui sine publica aliqua administratione maleficum, furem, sacrilegum, & perjurum, vel quemlibet criminosum interfecerit aut trucidaverit, aut membro debilitaverit, velut homicida judicabitur; tantò acriùs, quantò non sibi à Deo concessam potestatem abusivè, usurpare non timuit, *can. quicunque* 23. *q.* 8. *cap.* 2. *& cap. significantibus de homic.* Ut neque ultio permissa sit de eo, qui nos invadit, & occidere nititur vindicta, nisi accessisset consensus Principis, qui permittit cum ea conditione, si evadere aliter non possumus mortis periculum, *l.* 1. ibi *vestram igitur permittimus ultionem, C. quan. lic. unic. sine Judice se vind. l. scientiam §. pen. & l. itaque ff. ad leg. Aquil. lib.* 2. *C. ad leg. Cornel. de sic.*

Et iccirco judiciorum vigor, jurisque publici tutela in medio constituta, ne quisquam sibi permittere valeat ultionem, etiamsi alioquin sit aliquis sceleribus implicitus *l. nullus C. de Judæis.* prohibitum etiam generaliter, ne quis sibi jus dicat *l.* 1. *C. ne quis in sua cauf. ind. l.* 1. *ff. quæ leg. l. pen. ff. quæ in fraud. cred. l. qui jurisdictio in ff. de jurisd. omn.* Jud. nec sibi debitum armata manu repetat *in l. negantes C. action.* Nec vitabit homicidij pœnam, qui etiam salutis communis inimicum, & hostem, sceleribus inquinatum, necaverit, tum quòd severitati legum eum subtraxerit, tùm quod proprium fortassis inimicum sub hujusmodi vindictæ nomine consilio atrociore confecerit *l. fin. C. de malef. & mathem.* Bellum justum tantùm est solum, quod indicitur, ac permittitur à Principe, qui habet gladij potestatem, *can. quid culpatur* 23. *qu.* 1. *can. justum* 23. *qu.* 2. *can. igitur, can. omni, & can. seq.* 23. *qu.* 8. Et armorum usus sine Principe, capitalis est *l.* 1. *f. ut arm. usus l.* 1. *ff. ad leg. Jul. de vi publ.* Neque jus est rectoribus provinciarum, vel ducibus exercituum concedere inter suos milites duellum. Quamvis enim gladii jus acceperint à Principe, tamen illud limitatum fuit, ut in hostes hoc jure uterentur. Sicuti & miles jus necandi, sed hostem, non civem habet. Et ideo si tanta temeritate, ac superbia duces, vel exercitibus præfecti impellantur, ut monomachiam permiserint, rei fiunt majestatis. Quia cùm in hac causa privati sint, injussu Principis bellum gerere dicentur, & delictum militum habere, & pro potestate, quam non habent Principes agunt, quæ capita ad legem Juliam majestatis pertinent *l.* 1. *ff. ad leg. Jul. majest.*

Forma, quæ præscripta est Duello habito legitimo hæc, ut primum pignus detur, certaminis ineundi symbolum. Mittitur interdum per fecialem paludatum, qui Heraldus dicitur, interdum & ad provocatum litteræ indicentes monomachiam. Interdum pro pignore chirotheca, sanguinolenta sæpe, ut ait Belisarius *libro prædicto capite secundo* & citatur in jus coram Principe, vel coram eo, qui potestatem habet permittendi duellum, ad duello determinandum diem, horam, & locum. Estque ea vocatio vadimonium, cujus die dicta sistere debebit vocatus reus, & actor. Et cogitur vocatus, velit, nolit, respondere, data tamen dilatione prætextu absentiæ amicorum

corum, ut Aufrerius scripsit, se vidisse judicari per Senatum Parisiensem, *in styl. Parlam. tit. de adjornam. in can. appel. §. item fallit.* Sciendumque est, pignora, plura proiici non posse, nec ab alio, quàm ab eo, qui provocat ad duellum; alioquin si id fieret, impunè posse aliquem detrectare duellum scribit Joan. Gallus *in quæst. decision. per arrest. Parlam. quæst.* 71. Alioque placito cautum, ne liceret à Curia, pendente controversia duelli, abire sine permissione eiusdem Curiæ, Jo. Gal. *loc. cit. quæst.* 171. In Curia agitatur, num justa sit pugnæ causa, num dubia, vel certa, Belisar. *ibidem cap.* 12. num debeat permitti, num accipere pignus provocatus rectè recusaverit, num crimen illatum alio modo probari possit, quàm duello. Nam hæc est causa finalis duelli, probatio.

Sicque coram Rege, vel Curia olim dicebant monomachiam, indicentes, talem reum commisisse tale crimen in tali loco, tali hora, proditoriè, vel clam, & tamen se illud probare plenè non posse, nec aliter, quàm proprio corpore pugnando, vel per se, vel per pugilem, quem vocabant advocatum, vel Campionem: sed & discutitur in hoc judicio, num injuria, quam sibi irrogatam dicit provocans, verbalis sit, an facti. Nam pro verbali verbis repulsa, non fit pugna, ut si pro verbis, *tu es fur*, alius dicat: *Tu mentiris*, idem Belisar. *d. lib. cap.* 14. Si vocatus ad causam hanc discutiendam non aderit die illi dicta, tanquam in contumacem, & confessum de crimine, quo interpellatur, fertur sententia. Et secundum Belisarium *capit. secundo* poterit provocans imaginem renuentis, & detrectantis per loca publica ad eius ignominiam constituere, ut venire cogatur, & si adhuc contempserit, infamiæ nota dignus sit.

Postquam autem reus provocatus venerit, potest in judicio coram Principe, vel Curia, vel alio idoneo, de sua innocentia verba facere, & modestè, salvo honore Judicis, negare, & asserere, falsò se fuisse ab adversario insimulatum, & eum mentitum esse; & tunc potest vel recusare pignus justis rationibus, vel docere, quòd rectè non sit projectum, vel quòd plures male projecerint, vel quòd crimen duello non subijciatur, vel nulla sint indicia adversus eum, vel non constet delictum commissum, vel similia quædam. Aut si velit pignus accipere, dicet, salvo honote Curiæ, mentitum adversarium, idque se probaturum cum auxilio B. Virginis Mariæ, & B. Georgii militis certamine singulari, vel proprio corpore, vel pugile, quem exhibet suo periculo, & sumptibus obligatione proprii corporis, & ita se pignus capere cum reservatione consilii, & cum arbitrorum electione. Et tunc utrinque auditis contendentibus per se, vel per advocatos, Judex statuit, se, adhibito judicio, & consilio judicaturum, num quæstio pugna decidenda sit, jubetque ea de causa venire certa die litigantes. Subinde die stata fertur sententia, & qua, si pugna indicitur, constituitur locus, dies, & hora, quibus interesse pugnaturi debent. Delegatur à Principe Judex, qui certamini præsit, qui refelli non possit à provocante, juris militaris peritissimus; & si agatur de crimine læsæ majestatis eligendus, qui præsit provinciæ, & de criminibus cognoscere possit. Si militibus singulari certamine sit decertandum, dux exercitus, cui dominii jure non sit subditus provocatus, Belisar. *d. lib. cap.* 4. & 5.

Provocatus Judicem, dummodo non suspectum necessariò, locum, & arma solet eligere, solùm commune, & tempus utrique. Locus, sive arena, aut catadromus concluditur palis, & limitibus, &, ut vocant, barriera Monomachiæ locus habere debet, ut ait Claudius La Sale *in lib. de duello*, in longitudinem centum viginti passus, in latitudinem octoginta. In catadromo fiunt duo tentoria. Tentorium, quod à dextris Principis, vel certaminis præsidentis est, deputatur provocanti, Quod à sinistris, provocato. Et in quolibet tentorio habet pugnaturus suum mantile, panem, & œnophorum, quæ egressuris ad pugnam offeruntur. Potest & quilibet secum edulia deferre, quæ unius diei victui sufficiant.

Die, & hora adveniente pugnæ statæ debent ad catadromum venire armati illis armis, quibus pugnare conventum est. A domo olim non licebat etiam per alium arma, quàm per se deferre. Dispensatur tamen, ut, alio præeunte, possent per illum deferre, & jubentur, ut egredientes domo armati, & singulis ferè passibus se salutifero signo Crucis præmunirent, & vexilla deferrent, vel præferri juberent, quibus divorum, aut crucifixi essent appictæ imagines, non alia de causa, ut opinor, quàm ut Christianos se esse cogitarent, & ad mortem se pergere, utque se appararent eidem, si opus esset.

In catadromo die certaminis præco paludatus, seu fæcialis, armorum Heraldus prodit in catadromum, & silentio impetrato per triplicem vocem refert nomine Regis alta voce, diem illam esse statam certamini tali, ad probandum corpore & pugna intentionem suam. Postea recta via in catadromi duas portas veniens & provocantem & reum vocat jussus à Principe, vel à præfecto Judice. Deinde vocati ingrediuntur catadromum, & se Principi sistunt, & offerunt. Adest præfectus catadromi, quem vocant *Marescial del campo*, & præco interim nomine Regis alta voce leges dicit adstantibus, qui certamen visuri advenerunt, præfato silentio, ne quis nobilium, vel aliorum arma ferat, non enses, non pugiones, exceptis custodibus catadromi.

Secundò, ne quis inibi equum habeat, alioquin si nobilis sit, equo privetur, si servilis, aut vilis conditionis, aure truncetur.

Tertiò, ne quis ingrediatur intra duos fines catadromi, exceptis iis, qui inibi ordinantur, iminente, & indicta id attentantibus pœna mortis.

Quartò jubet omnes in terra considere, non in scanno, sub pœna abscissionis manus, vel pedis, ut faciliùs pugnantes videantur ab omnibus.

Quintò jubet, ne quis eorum, qui adsunt, tussiat, loquatur, signum faciat, spuat, indicta pœna confiscationis corporis, & bonorum.

Dum citat præco ad januam utrumque monomachum, num adsit talis, respondet citatus, vel ejus advocatus, adest vocatus, & sistit se coram suo superiore Principe, vel coram Judice competente, armatus, ut nobilis, paratus ingredi catadromum, & pugnam contra talem vocatum pro hoc, vel illo negotio, tanquam adversus proditorem, ac infidum, vel talis criminis reum, cujus rei gratia invocat testem Dominum nostrum Jesum Christum, & B. Virginem ejus genitricem Mariam, D. Georgium militem, & alios Sanctos.

Quibus dictis, præfectus catadromi, vel Magister campi ad Judicem it, relaturus quæ dixit ingressurus catadromum. Jubet autem Judex, eum armatum, uti est, vel equitem, vel peditem admitti. Is verò ingressus cum suo consilio Principi sistitur, & vel per seipsum, vel per advocatum eadem dicit,

dicit quæ præfecto Catadromi, causamque sui adventus. Protestatur autem qui admissus est ita, & provocavit ad certamen. Primò, ut posset pugnare eques, aut pedes, prout satius ei videbitur, cum armis, quæ defert, aut sine his, invadendo, aut defendendo. Secundò, quod pugnaturus sit cum armis permissis, & non vetitis in Regno, quibus, si utatur adversarius, illi adimantur, & nulla alia in eorum locum dentur. Tertiò protestatur, ut, si adversarius arma ferret vetitis artibus, aut per maleficium fabricata, aut brevia, aut incantationes Dæmonum, quæ postea manifesta fierent, non ideo lædatur, vel minuatur ejus bonum nomen, bonave fama, aut jus, sed adversarius ob ea plectatur. Quartò, ut si contigerit, Sole occidente, nondum vulneratum, vel victum esse adversarium, detur ei ex sequenti die tantundem, quantum lapsum ex præsenti esset, ad conficiendum integrum diem secundùm mores, consuetudinem, & constitutiones. Quintò, ut si contingat stata hora adversarium non comparere, ne posthac audiatur. Earumque protestationum, ac petitionum petere potest jus sibi dici. Eadem petit, & protestatur, eademque forma admissus adversarius, sive interpellatus, qui pignus duelli suscipit.

Postea autem recipiant se in sua tentoria monomachi; & rursus præco secundò vocat in singulas portas catadromi, quæ duæ sunt, conversus, primùm provocantem, qui admissus, pedes armatus quibus uti vult armis, rejecta lorica, comitatus suis consiliarijs, & catadromi custodibus, se genibus flexis coram Principe, vel Judice sistit, quem unus ex latere Principis alloquitur, & adjurat, proposita imagine Domini nostri Jesu-Christi crucifixi, ne immemor suæ sit salutis, recordeturque imminere æternam damnationem, si calumnietur, Deum, illum ut adjuvet precetur, si jure sit pugnaturus. Et statim prehensis ambabus pugilis manibus, summotis chirotecis, eas ei admovet ad imaginem, verbaque concepta juramenti, quæ ipse sequitur, præit: *Ego talis juro super memoriam passionis Domini nostri Jesu Christi, & in fide veri Christiani, & Sancti baptismatis, quod à Deo consequutus sum, me habere, utque verè arbitror, bonam, sanctam, justamque querelam, & jus, in pignoris datione facta tali pro tali quæstione, & crimine contra talem, qui falsam, & impiam vult defendere causam, prout hodie fidem, & probationem corporis mei objectione faciam cum Dei auxilio, & B. Virginis Mariæ, & B. Georgij, militis.*

Hocque præstito juramento, repetet tentorium cum illis, qui eum adduxerant. Eoque reducto custodes catadromi in aliud defensoris pergunt tentorium, & eodem modo, forma, & juramento de justa defensione devinctum ducunt ad Principem, & reducunt in tentorium. Subinde ambo pugiles, à custodibus divisis una ducuntur coram imagine Crucifixi, & Principe, vel Judice, cujus consiliarius unus vel Præfectus catadromi, seu Magister arenæ pugilibus geniculatis apprehendit manus & in utrumque latus Crucifixi, admovet, & postea jubet eosdem sibi mutuo dextras dare, & jungere, eosque ita verbis affatur.

Tu talis, qui provocasti ad certamen & Tu talis, qui suscepisti, videte, perpendite, & contemplamini Sacratissimæ passionis Dominicæ memoriam, ex qua periculum animæ & corporis imminet ei, qui juramento præstito, & præstando pejeraverit. Considerate sententiam, iramque Dei in eum, qui injustè contendit, & quòd Deus opitulatur justam causam faventibus, obsistit autem impiam defendentibus. Scitote melius, satiusque esse incidere in manus hominum, quàm in manus Dei. Adhuc superest pœnitentiæ locus. Resipiscite antequam contendatis injustè. Visne tu talis, qui jurasti antea, te justam causam fovere Sacramento idipsum confirmare? Tuve, qui pignus suscepisti, visne iterum idipsum jurare?

Hisque dictis, si nolint jurare, & dicti, factique pœniteat, relinquuntur arbitrio, ac misericordiæ Judicis, vel Principis ante pugnam, & reducuntur in tentoria propria. Quod si velint jurare, jurabunt præeunte Consiliario Principis vel Magistro, seu Mareschalco Campi, in hæc verba: *Ego talis provocans juro supra veram imaginem Domini nostri Jesu Christi, in fide baptismatis, quod consequutus sum à Deo, in spe gaudiorum Paradisi, quibus abrenuncio, & pœnas damnationis æternæ deligo in animam, vitam & honorem meum, si sciens fallo, & ni arbitrer, me justam causam fovere expugnandi talem iniquum proditorem, adversarium, quem in conspectu habeo, video, & manu teneo. Hujusce rei gratia invoco in verum Judicem, Deum, Beatam Virginem Mariam, Beatumque Georgium, Sanctum militem. Quæ, ut fideliùs exequi possim, per juramenta præstita juro, me non deferre, nec decrevisse ferre mecum, aut supra equum, verba, lapides, herbas, incantamenta, invocationes dæmonum, quæ me possent juvare, aut ei nocere, neque quicquam aliud præter jus meum, equum meum, armaque mea; & cum osculor hanc veram Crucem, & taceo.*

Eadem jurat, & eodem modo, qui defendere decrevit. Subinde se in pedes erigunt, jubetque Consiliarius, vel Magister Campi, eos sibi iterum mutuò dextras dare, & provocantem provocato dicere: *Provoco te, talis, quem ego dexterâ teneo per Sacramenta, quæ præstiti, causa, ob quam ad singulare certamen te provocavi, vera est. Ideo justè te provocavi, & hodierna die te expugnabo. Tu contra injustam foves causam, injustèque eam tueri, ac defendere vis, testesque ea de re appello, Deum, Beatam Virginem Mariam, & Beatum Georgium, bonum equitem, seu militem.* Provocato autem jubet dicere, se præeunte *Et ego, talis, quem dextera teneo, per Sacramenta jam præstita dico, causam, ob quam me provocasti, falsam esse, & iniquam, & proinde me justam, ac rationabilem habere defendendi, teque expugnandi, ac repellendi hodie adversam injustam, & falsam objectionem, & criminationem, ob quam me interpellasti, cùm benè ipse noveris te pessimè, ac impiè mentiri, ut in testes, Deum, Beatam Virginem Mariam, & Divum Georgium bonum Equitem invoco.*

Hisque dictis, genua iterum flectunt, & deosculata imagine Crucifixi, in tentoria redeunt. Has formulas vir in aliis negotiis expertissimus Claudius de la Sale præscripsit. Belisarius verò *cap. 6.* aliud juramentum per Judicem, aut Principem à pugnaturis exigendum docet; *Se non ob aliam causam pugnaturos, quàm ut veritas elucescat, nec odio, nec alia, quàm sui honoris causa, & in defectum probationum.*

His peractis in medium catadromi venit præco, & iterum nomine Principis quemque adstantium jubet suo loco considere, quietè, se temperare à signis, ne tussiat, ne excreet, ne se moveat. Adsunt pugiles ad pugnam parati, quibus omnibus in suis sedibus se continentibus, jubet iterum præco, ut certamen ineant verbis ter repetitis: *Fungimini Officio vestro.* Ipseque se subducit juxta catadromi palos. Explicatur juxta cujusque pugnaturi tentorium interim mantile, œnophorus, & panis. Prodit in medium præpositus Campi, seu Mares-

Mareschallus, & interrogat pugiles, num parati sint ad certamen, illisque se paratos respondentibus, ille progressus in medium arenæ deferens pignus certaminis, sive chirothecam alta voce clamat ter: *Sinite hos abire*, projicitque pignus in medium certaminis. Concurrunt tunc pugiles vel equites, vel pedites. Exeunt autem eorum Consiliarii vallum, seu palos catadromi, finem & exitum pugnæ expectantes, nisi Iudex certaminis, aut Princeps permittat unum, aut duos utrinque adesse catadromo, ut meliùs certamen observent, dispiciant, audiant, & postulent pro jure suæ partis.

Certamine inito, quæritur quis pignus lucretur, aut liberetur à pugna. Et dicunt in duobus casibus id accidere. Primus si alter pugnantium fateatur culpam, & se dedidit. Secundus, si alter eorum pellatur extra caradromi vallum, vel palos vivus, aut mortuus. Nam in hac pugna edicitur, ut ait Belisarius *cap.* 10. ne extra vallum, vel septum pugnetur, & extra pugnans pro victo habetur, nisi casu, vel sine culpa sua septa transiliret, puta si forsan equus ferus se subtrahat fræno non obtemperans, quo casu judicio omnium habito, & suffragiis sine culpa pugilis factum, in pugnam reducitur. Causa interim pugnandi mutanda non est. Belisar. *cap.* 11. nec semel victus iterum provocare potest.

Victo vel prostrato, vel adhuc vivente, vel mortuo adversario, ejus corpus relinquitur Præfecto catadromi, seu Mareschalco campi, ut Iudex, vel Princeps de supplicio ejus statuat, vel ejus misereatur. Victor Principi, vel Iudici geniculatus se sistit, quærens num debito functus sit officio. Quo casu Princeps à certamine eum absolvit, & ille in propria tentoria cum suis, & amicis redit. At si victus adhuc vivit, vel mortuus est, prostratus à præconibus paludatis, seu heraldis erigitur, exarmatur ligulis armaturæ ruptis, arma per catadromum sparguntur, & rursus in terram prosternitur, donec Iudex, vel Princeps quid de eo factum velit, statuerit. Obsidibus ejus victori datis, ac retentis, donec satisfecerint eidem adversario & bona victi fisco addicta fuerint Principis, & si reus vicerit, tutus in posterum ab illato crimine erit, transitque negotium in rem judicatam, ut neque de eo inquiri postea possit, nec jam inquisita noceant. Si concurrentibus duellantibus cum equis, uterque prosternatur eodem, mutuoque impetu, judicatur pro defensore, quia actor non probavit, Belisar. *cap.* 19.

Ex sententia ejusdem Belisarii *cap.* 15. videtur potestati victoris absolutæ concessus victus, & ideo ait victorem victo debere imperare honesta, non turpia, obsequendumque victori, sed non ut nobilis jubeatur agrum colere, fodere, pecora custodire, servile opus agere, nec oportere in eum crudeliter sævire. Et hæc hactenus de Forma Duelli dicta sunto.

Quod verò ad personas volunt, has pugnas fieri debere à personis idoneis tantùm, neque duellum permissum, nisi inter personas æqualis ferè dignitatis. Et ideo inferior à superiori, cui subjicitur, cogi non potest ad pugnam, Belisar *cap.* 7. & ferè omnes, qui non admittuntur in judicio, rejiciuntur à pugna, turpitudine vitæ notati, infames, desertores exercitus, quæstuariæ mulieri inservientes, emansores, cauponam exercentes, qui dimicantem in prælio dominum deseruerunt, colonus, villicus, crimine capitali damnatus, deportatus, hæreticus, idem Belisar. *cap.* 8. & quia pares debent esse commilitones, si ignobilior ad certamen superiorem provocet, potest nobilior, parem loco sui subrogare, non autem contra, si nobilior ignobiliorem provocet. Nam tunc ignobilior, vel nobilior alium non subrogat. Subrogat provocatus, si minor sit vigintiquinque annis, vel major sexaginta; mulier, quæ adulterij postulatur, si servus absens furti accusatur, & si testes sint varii. De his Belisarius *cap.* 9. extatque lex, sive titulus, qualiter quisque se defendere debeat *lib.* 2. *leg. Longobard.* Victo tamen subrogato, victus censetur subrogans, idem Belis. *cit. cap.* 9. *qui cap.* 3. meminit cujusdam legis Friderici secundi Imperatoris, per quam si provocatus aliquo corporis membro ad pugnam destitutus, mancusque sit, eodem & provocator carere debeat, nec ullo modo eo in ipsa pugna uti. Nec si eques sit provocator, provocatus verò pedes, ut reo potiùs, quàm actori iura faveant *l. actuarios ff. de act. l. favorabiliores ff. de reg. iur.*

Finis duelli est probatio occultorum, & purgatio indiciorum, ut iam diximus. Inde rationes quoque petuntur ad admittendam ex causis, & præsumptionibus urgentibus monomachiam, ne maleficia clam commissa haberent diffugium, & delinquendi tolleretur securitas, & occasio. Sed & nobiles tantum tribuerunt honestati, gloriæ, ac bonæ famæ, ut potiùs eorum, quàm vitæ rationem habendam putent, ac præstare honestè mori, quàm turpiter cum ignominia vivere. Alii etiam facile credunt, Deum veritatem manifestaturum in hoc certamine. Sed certè, ut litis & iudiciorum dicimus, exitus esse incertos ac dubios, eò magis certaminis huius trucem, & immanem congressum, aleæque dubiæ rati sunt Christiani, per rationes superiùs adductas. Sed eò maximè, quòd quis tentare Deum videatur, & nimium de sua justificatione confisus, in mortem spontaneam perveniat, inscius, an amore, vel odio Dei dignus sit, & num pro aliis peccatis, quibus omnes abundè scatemus, & constringimur, dignus quoque sit in certamine à Deo relinqui, & ejus destitui ope. Rectè D. Augustinus *lib.* 1. *de civit. cap.* 22. *&* 23. docet, non esse magnanimi animi, neque christiani mortem sibi accelerare.

Et utinam nobiles, quid esset mors, & quid post mortem expectare oporteat, animo conciperent, ac revolverent cujus sint discipuli, & cuius nomine christiani appellentur. Certè, ut arbitror, istas deponerent vanas, & tumidas jactationes, & superba & paganica bella, & Dei judicium potiùs expectarent, & vindictam ab eodem hostium, & malefactorum, ut ipse Dominus noster Iesus-Christus vivendo, ac moriendo exemplo suo nos docuit. Et si milites efferati, aut potiùs feræ, his non acquiescant, Reges ac Principes, quorum munus est salutem Reipublicæ curare, has monomachias, & gladiatoria ferina spectacula non patientur, quemadmodum etiam S. Tridentina Synodus *sess.* 9. *in decret. refor. gener.* rectè statuit, vt quicunque duellum concesserit, excommunicetur. Ex quo Concilio revocata est Extravagans Joannis XXII. *tit. de torneam.* incipiens *qui in futurorum eventibus*, per quam tollebatur sancta Constitutio Clementis V. qui prohibuerat torneamenta, quæ habent monomachiæ periculum. De quibus, & aliis circa duellum vide consultationem peculiarem *in tom.* 9. Hic tantum de illo disceptavimus quatenus est purgatio vulgaris damnata.

His igitur rejectis, Juramenti sola purgatio remanet, *cap. siquis de purg. can.* Eius forma est, ut qui infamatus est de aliquo crimine verisimilibus suspicionibus, juret super Sancta Evangelia, Romæ aliquando ad B. Petri corpus, *ut can. habet*, & *can. Mennam* 2. *quæst.* 5. se immunem esse ab eo delicto, neque illud commisisse per se, aut per interpositam

terpositam personam, si id crimen exigat, *cap. quoties de purg. can. cap. Laudabilem §. fin. de frig. & malef.* Accedunt & compurgatores, id est viri alii, qui pariter jurant, se credere, quod qui juravit, verè juravit, & quod secundùm suam conscientiam, ille sit immunis ab illato crimine, *d. cap. quoties,& cap. constitutus,& cap. de testib. de purg. can.* Compurgatores porrò debent esse honestæ personæ, ac vicinæ, quæ noverint vivendi ritum ipsius, qui se purgat, *dj. cap. constitutus, & cap. cum dilectus, cap. quanto, & cap. quibusdam de præsumpt.* honestate in illis considerata, ut sint bonæ famæ, nec sint pro aliquo crimine condemnati, *d. cap. constitutus.*

Locus purgationis faciendæ dicitur is idoneus, ubi infamatio apparet, ut si à populo infametur, coram populo fiat juramenti purgatio, & compurgatio, *arg. cap. 1. de pœn. & cap. ex tuæ de sim.* Si inter clericos tantùm, coram illis *cap. 2. in fine de purg. can. cap. qualiter §. fin. de accus.* Ut ibi pereat, sive aboleatur fama, ubi pessimè orta dicitur, & tollatur è loco scandalum, *can. Mennam 2. q. 5. can. illud d. 33. can. de crimine 15. qu. 5. can. si peccaverit 2. qu. 1. cap. postquam de Elect. cap. inter sollicitudines, § attendentes de purg. can. auth. qua in provincia ubi de crim. agi oportet.*

Compurgatorum numerus non est certus, & idem omnibus personis definitus jure. Nam interdum cum septima manu se purgare jubentur in causa matrimonii solvendi, quæ se à conjugali congressu intactas dicunt *cap. Laudabilem de frig. & malef.* mandat Lucius III. Summus Pontifex fieri purgationem septima, aut quinta manu, sicut expedire Judici videbitur, *cap. ex tuarum de purg. can. can. si legitimi, can. quoties 2. q. 5.* Innocentius III. jubet decanum purgare se ab infamia, & criminibus illatis, non probatis plenè, cum decima quarta manu, id est cum quartuordecim compurgatoribus sui ordinis, *cap. inter solicitudines eod. tit. de purg. can.* Concilium Triburiense nobili addit compurgatores duodecim *cap. 1. eod. can. nobilis 2. qu. 5.* Alibi & plures, vel pauciores inveniuntur necessarij. Ut autem rectè in hac quæstione definiamus, ex Iudicis arbitrio Compurgatorum numerum adhibendum esse. Is autem eum determinabit pro modo infamiæ, & pro gravitate criminis, & habita ratione personarum, & scandali suborti ex diffamatione *cap. ex tuarum*, ibi *: sicut expedire cognoveris.* Glos. *in cap. 1. v. duodecim*, Glos. *cap. inter solicitudines v. decima quarta manu de purg.* Canon. *in can. omnibus, can. presbyter 2. qu. 5.* ut & duorum Compurgatorum numerus interdum sufficiat, *cap. cum. in juventute de purg. canon.*

Sed & in solius se purgantis juramentum purgatorium sufficit interdum, in quibus confessio ejus, vel negatio exigitur, ut in juramento calumniæ, illudque docetur in exemplis *lib. fin. §. licentia C. de jur. delib. l. eos. qui §. fin. C. de usur. l. præsenti §. sicubi C. de ijs, qui ad Eccles. confug. l. fin. C. de fid. instrum. l. fin. §. fin. C. de bon. auth. Jud. possid. l. Fin. §. sin autem dubitatur C. de jur. dom. impet. L. 4. §. sed si inscio ff. de eod. l. properandum §. 2. C. de judic. l. siquis decurio C. ad leg. Cornel. de fals. l. si de meis §. fin. ff. de arb. l. 1. §. siquis argentum ff. depos. l. actiones §. 1. ff. de furt. l. Marcellus ff. rer. amot. auth. novo jure C. de pœn. Jud. qui male judic.* Sed & in Concilio Guarmacensi singularis purgatio servata docetur pro deprehendendo furto in monasterio facto, exhibita communione cum his verbis *Corpus Domini nostri sit tibi hodie ad probationem*; *can. sæpe contingit 2. quæst. 5.* Quæ tamen formula sublata fertur, eò quòd suspectis non est danda Eucharistia *cap. dilecti de purg. Canon. can. tribus de consecr. d. 2.*

Non est autem cujusque Iudicis purgationem infamato statuere, sed tantùm ejus, qui de negotio cognoscit, vel cognoscere debet, de quo infamatur; alioquin si ab alio statuatur ea purgatio, non relevat infamatum, *d. cap. cum dilectus in fin. de purg. Canon. cap. ad audientiam de consuetud. cap. licet de offic. leg.* cum similibus. Quia non priùs pervenitur ad purgationem, quàm cognitum sit ab eo, qui de criminibus cognoscere potest, an infamatio, vel accusatio sufficiat ad condemnationem. Nam tunc si sufficiat, condemnat, nec opus est alia probatione, sive purgatione, ut in notoriis *d. cap. cum dilectus, & cap. siquis de gradu de purg. canon. can. evidentia de accus. 1. can. de manifesta 2. quæst. 1.* An verò probata non sit, sed sit verisimilis, aut non verisimilis, ut si verisimilis statuat purgationem, *d. cap. siquis de gradu.* Si non sit verisimilis, non statuat, *cap. cum in juventute de purg. canon.*

Prius autem, quàm quis cogatur purgationem illam solennem facere, vocari debet, & examinari de fama, ne inauditus condemnetur, aut absens contra juris divini, & humani regulas *can. Deus omnipotens 2. quæst. 1. can. de illicita 24. qu. 3. l. inauditum ff. ad leg. Cornel. de sicar. l. absentem ff. de pœn. cum aliis. d. cap. cum dilectus ad fin. & cap. cum sit Romana de appel.* Sententia quoque ea de re ferenda. Quæ omnia non possunt fieri nisi ab idoneo Judice, & competente. Alioquin si fiant à non suo, nullus sequetur effectus, *cap. novit de judic.* Nam potest cogi in diffamatione, & scandalo, ut se purget infamatus *cap. 4. §. fin. & cap. 2. & cap. nos inter de purg. can. & can. si mala 2. quæst. 5.* nisi ad superiorem Iudicem appellaverit *d. cap. nos inter, & cap. licet, & cap. irrefragabili de off. ordin.* Præfigit ordinem judicialem antequam fiat purgatio, *Glos. ad cap. 2. v. suspendatur*, & *Glos. ad d. cap. inter solicitudines v. constitutio de purg. canon.*

Sequitur autem ex bene statuta purgatione per Judicem, ut si nolit se purgare, vel si in purgatione defecerit, qui jussus est se purgare, habeatur pro condemnato, & convicto *d. cap. inter solicitudines, §. quod si forsitan, & §. 2. de purg.* Canon. Quemadmodum is, qui de calumnia jurare recusat, *cap. fin. §. 1. de juram. calumn. auth. principales §. siquis autem de jurejur.* Et nolle se sacramento hoc obstringere purgatiouis, reatus indicium visum est Victorino: Is enim cum Germaniæ præesset, conatus est domi, semotis arbitris, Legato suo persuadere, ne se pecunia corrumpi sineret, cumque illud non impetraret, ad tribunal venit, juravit se nunquam ulla munera accepisse, neque quoad viveret accepturum. Mox idem præcipit Legato, ut simili Sacramento se obstringeret, is conditionem recusavit, quare eum abdicari officio jussit, ut scribit Xiphilinus in Commodo. Jurare etiam cogebantur olim lectores olivarum, neque oleum, neque oleam surripuisse, neque alium quenquam suo dolo malo. Aliter enim neque argentum, & mercedem, neque oleum, oleasve habebant, ut ait *Cato lib. de re rust. cap. 144. & seq.*

Quod si purgatione negaverit se commisisse, de quo infamabatur, & innocentiam ostenderit per compurgatores adsolvitur & dimittitur in pace *d. cap. ex tuarum in fin. & cap. fin. in fin. de purg. canon.* Explicat autem Glossa *fin. in cap. ex tuarum de purg. canon.*

Canon eum, qui legitimo modo, & coram suo Judice se purgavit, maxime præsente accusatore, non posse iterum accusari de eodem crimine, sed perinde haberi, ac si sententia absolutus fuisset, cum jusjurandum hoc videatur esse decisocium, & majoris auctoritatis quàm transactio, aut res judicata, *l.* 1. *& 3. §. fi. de jurejur.* Et saltem idem consequentur per juramentum, quod per sententiam consequeretur, *l. sed & si, §. si jum de hæreditate, ff. de jurejur.* Item quod popularis actio extinguatur jure jurando citra collusionem præstito, *l. eum, qui §. in popularibus eod.* Nec de eodem crimine bis quærendum est, *l. licet ff. nautæ, caupon. stabul. cap. de his de accus. can. si illic* 23. *q.* 3. nisi nova infamia supervenerit, quæ firmet, & probare videatur priorem abolitam juramento purgatorio. Nam ex ea causa absolutus, iterum accusari potest, *cap. veniens de accus. can. admonere* 3. *q.* 2 Et eidem iudici nova purgatio, *cap. cæterum de jur. cal. cap. cum in juventute de purg. can. cap. cæterum de test. cogend. cap. paschali de except. d. can. Menna* 1. *q.* 5. Quemadmodum alibi diximus ex novis indiciis reperi posse torturam, sive quæstionem. Et notantur etiam casus repetitionis accusationis *in l.* 3. *ff. de prævar. in l. si cui §. iisdem criminibus ff. de accus. can. multi* 2. *q.* 1. Vnde & cautius reus delatus cum per sententiam accusatione liberatur, nunquam absolvitur absolute, sed dicitur, amplius esse inquirendum, interim verò relaxari, semper enim veritati locus esse debet, & errore detecto ac probationibus factis, purgatio, quæ habet probationem tantùm præsumptam, rei veritate eliditur. *cap. significantibus de purg. vulg.* Et multò magis si purgatio sit vulgaris per quam quis absolutus sit, vel damnatus.

Nam ea absolutio non transit in rem judicatam, Inspicienda namque causa fundamentalis sententiæ, nempe dubium, num res esset, vel non esset, num crimen, vel non. Ac proinde sublata causa, & dubio certo facto, cessabit sententia, & corruet, *cap. cum cessante de appel. l. addigere §. quamvis ff. de jur. patr. can. cum Paulus* 1. *q.* 1 Neque hic verum est, quod sententia per errorem lata, transeat in rem indicatam, si nulla appellatione suspendatur, quod examinat Glossa. *ad cap.* 2. *de purg. vulg. & in summa ejus tit.* Ostiensis, quos videto.

Rationum porrò purgationis inductæ prima, ut saltem aliqua via delatum crimen, & non probatum plenè, possit aliqua certa sententia definiri, Quia sententia vel absolutionem, vel condemnationem habere debet, *l.* 1. *de re judic.* Item secunda, ut scandalum, quod ex infamia nascitur criminis impositi, aboleatur inter bonos, & graves saltem, *cap. pen. de purg. can. ecce.* 24. *q.* 3. *can. omnibus* 2. *quæst.* 5. Tertia quod non sufficit bonum esse, sed etiam exigatur, potissimum in personis dignioribus, vita, quæ aliis scandalo esse non possit, & sit sine suspicione etiam mali, *cap.* 2. *de purg. can. can. nolo* 12. *q.* 1. *& can. non sunt* 12. *q.* 11. *ad. Roman.* 12. *&* 2. *Corinth.* 8. *can. si mala fama* 2. *q.* 5. Propter nos conscientia nostra nobis necessaria est, &

hic murus aeneus esto
Nil conscire sibi, & nulla pallescere culpa;

Propter alios tamen & necessaria bona fama *d. can. nolo.* Quare & necessarium purgatorium juramentum, jam receptum etiam lege divina, ut Deuter. 21. & Exodi 22.

Prava igitur est, superstitiosa & damnabilis consuetudo, secundum quam accusatus, & accusator stringitur ad pugnandum per se, vel per alios, ut sic appareat innocentia, vel convincatur crimen illatum, quæ dicitur purgatio vulgaris. Absit enim ista abusio, ut qui vincit in causa sit in jure potior, us inquit Oldrad. *cons.* 191. *n.* 2. Nam multa continet absurda propter quæ redditur impræscriptibilis, ut idem ait. Cur autem hæc probatio sit reprobata plures adducunt rationes *in cap. Henricus de cler. pag. in duel.* Ost. *n.* 1. Jo. Andr. *n.* 3. Butr. *n.* 12. Anchar. *n.* 6. & Jo. de Anania *n.* 1. Prima est, quia per talem probationem Deus tentari videtur *can. monomachiam* 2. *q.* 4. Secunda, quia mortes hominum, & pericula animarum inde proveniunt. *cap.* 1. *vers. fin. de homic.* Tertia, quia inventa est fabricante Diabolo *can. Mennam, & can. consuluisti* 2. *q.* 4. quarum rationum meminit etiam Concilium Tridentinum. *cap.* 19. *ses.* 25. ubi dicitur: *Detestabils duellorum usus, fabricante diabolo introductus, ac cruenta corporum morte animarum etiam pernitiem lucretur.* Quarta, quia non est verisimilis probatio, imò verisimile est, ut fortior, ac potentior debiliorem conculcet, *arg. cap.* 1. *vers.* 1. *de homic.* Etenim potentioribus pares esse non possumus. *l.* 3 *resp.* 1. *ff. de alien. jud. mat. caus. fae.* Quinta, quæ ex præcedenti consequitur, quia vix, aut nunquam possunt eligi pugiles utrinque pates in omnibus. In Judiciis autem iniquitas, & inæqualitas reprobatur, ut in *cap. cum inter priorem §.* 1. *de except. & in cap.* 1. *§.* 1. *de mut. petit.*

Sexta, quia falsa probatio est, unde nec sententia hac occasione lata in rem judicatam transit, ut in *cap.* 2. *de purg. vulg.* Septima, quia nulla fortitudo sive justitia est laudanda, ut in *auth. ut omni obed. Iud. resp.* 1. *coll.* 5. Ex quibus sequitur, ut hæc species duelli purgationis vulgaris sit omni jure prohibita, prout illam de jure divino, canonico, & civili prohibitam esse pluribus probat Marian. Socin. *in d. cap. Henricus num.* 6 *& seqq.*

Atque hactenus de singulari certamine quoad purgationem vulgarem. Quoad verò reliqua vide nostram integram Consultationem *in tom.* 9. in qua de omnibus fere, quæ ad id restant dicenda, copiose disseritur.

At redeamus ad Divinationem per sortes, eamque plenius explicemus. Sors est quædam actio fortuita, qua aliquid occultum inquiritur, ut innotescat ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 95. *ar.* 8. Est triplex. Divisoria, Consultoria, Divinatoria. Divisoria est cùm aliquid fit, ut ex sortis eventu sciant sortientes, quid in electionibus, vel controversiis unicuique ipsorum tribuendum sit. Supponit enim quendam contractum, seu pactum conventionis inter sortientes, ut transferatur dominium illius rei quæ in sortem mittitur ei, cui sors ceciderit. Hoc autem pactum includit voluntatem quasi conditionatam sortientium ad talem effectum faciendum, quæ voluntas transit in absolutam, impleta per sortem conditione. Nam licet conditio illa casu impleatur, tamen ita, & non aliter posita erat in pacto, & in vimillius pacti, ac præviæ conventionis transfertur dominium rei, vel officii, aut beneficii in sortem missi. Et ita pro diversitate hujus pacti variæ possunt esse istæ sortes. Aliæ enim sunt lusoriæ, quia eveniunt in omni ludo cujus eventus pendet ex pura fortuna. Et aliæ sunt electoriæ, quia ad aliquam electionem faciendam ordinantur, ut per Suarez. *tom. prim. de relig. liber* 2. *cap.* 12. *nu.* 2.

Consultoria est, quando sors mittitur ad cognoscendum aliquid occultum. Nam omnis inquisitio veritatis occultæ, est quædam consultatio, & omnis prædictio, vel præcognitio illius, generaliter loquendo, dicitur divinatio. Unde quando in sortibus consulitur Deus, ut sciatur ejus voluntas in aliquo negotio dubio, quid agendum, vel cavendum sit, sortes dicuntur consultoriæ.

Divinatoria est, quando per illam tacite, vel ex-

presse consulitur dæmon ad investigandam cognitionem futuri eventus, vel alicujus rei occultæ. Divinatio enim in malam partem sumitur ex eodem D. Thoma *loc. cit. ar.* 1. Nam cognitio futurorum ac rerum occultarum ex Dei revelatione dicitur Prophetia, vel scientia infusa, non divinatio, ut per Castropal. *p.* 3 *tr.* 17. *pun.* 6. *n.* 1. & alios communiter.

Ex sortibus autem divisoriis, quæ fiunt prævio contractu, vel pacto, nonnullæ sunt licitæ, aliquæ prohibitæ. Nam in multis sortibus nulla superstitio invenitur. Non enim continent expresse, neque tacite aliquam dæmonis invocationem, neque in usu istarum imploratur dæmonis auxilium ad aliquid dividendum vel conferendum per se. Neque etiam talis usus habet malitiam injustitiæ, nisi aliunde ex aliqua deceptione illi adjungatur. Ex sui enim natura non sunt intrinsece malæ, neque generaliter prohibitæ; imo potius jure civili in multis casibus approbantur, ut constat *ex l. si duobus C. commun. de legat.*

Aliquæ verò sunt prohibitæ, quia in jure Canonico prohibentur sortes in electionibus ecclesiasticis faciendis, ut *ex cap. Ecclesia de sortileg.* in quo absolute ac sine restrictione id prohibetur. Indefinita enim locutio æquivalet universali.

Sunt autem licitæ sortes divisoriæ primò ad dirimendum lites de rebus secularibus ex mutuo litigantium consensu, quia est contractus æqualis, in quo unusquisque cedit juri prætenso, si sors alteri contigerit, ut per Lessium *lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 9. *n.* 58.

Secundo autoritate Judicis in divisione rerum, quæ aliter dividi non possunt, neque apparet qui in jure majorem in illis haberet rationem. Tunc enim Judex, etiam si litigantes renuant, sortes mitti, præcipere potest, ut *ex d. l. si duobus.* Nam Iudex suo ex officio compellere potest, ut in illo contractu consentiant, dum alia via non adest ad controversiam dirimendam. Quod etiam docent Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 38. *numer.* 57. & Castropal. *d. nu.* 3.

Tertio, quando inter milites diversarum nationum est contentio circa periculum invadendi oppidum, sorte decidi solet, quæ natio prior invadere debeat, Fagundez *in decal. lib.* 1. *cap.* 40. *n.* 3.

Quarto, quando tempore pestis disceptatur, quinam Parochi, vel Regulares, vel medici attendere debeant animabus, corporibusque curandis, vel quis recedere possit, licet sortibus electionem committere, D. Augustinus *epist,* 180. Sanchez *ibid. num.* 59. Et Castropal. *loc. cit.*

Quinto, quando plures rei digni sunt morte, & non expedit omnes punire, licitum est sorte decernere, quinam sint necandi; quia in hac sortitione nemini fit injuria, sed potius singulis fit favor dum eis spes datur evadendi mortem promeritam, Lessius *ubi supra n.* 5.

Sexto, quando eleemosina uni ex pluribus pauperibus, vel locis piis est eroganda, licet sortibus definire, cui eroganda sit, quia nulli fit injuria, cùm æquale jus omnibus concedatur. Singulis enim conceditur potestas, integre eleemosinam accipiendi, ut per Azorium *p.* 1. *lib.* 9 *cap.* 21. *quæst un.* estque sententia D. Augustini *lib.* 1. *de doctr. christ. cap.* 28. & tradunt Sanchez *num.* 59. ac Suarez *inibi num.* 17.

Septimo, quando tempore tempestatis, ne sequatur navis naufragium, & omnium navigantium mors, necesse sit ipsorum aliquot in mare projici, licitum est inter se sortibus statuere, quinam sint projiciendi. Nam hoc modo sperare potest unusquisque vitam consequi, alias misere periret. Imo si inter se non consentirent, potest dux navis etiam sortes mittere. Quia in eis omnium periculum vitare intendit morte aliquorum. Quod pro communi bono expedit, ut per Delrium *lib.* 4. *magic.* 4. *quæst.* 1. Additque Delbene *de offi. Inquis. p.* 2. *dub.* 225. *sect.* 1. *num.* 7. si aliqui sortitionem impedirent, possent reliqui in mare illos projicere, quia sortes impediendo vim injustam inferrent, contra quam alii licite, vitæ plurium servandæ causa, se defendere poterunt.

Octavo, quotiescumque res exteriores commode dividi, vel distribui non possunt, vel non apparet ratio, cul alter alteri in aliquo commodo, vel incommodo præferri debeat, sortes divisoriæ licitæ sunt, easque adhibere possumus, ut ex D. Augustino *lib. de doctr. Christ cap.* 28. & Delbene *loc. cit. sect.* 7. *n.* 7.

Atque ita, ut etiam inter Clericos licitum sit sorte dirimere, & componere lites, non solum in causis ac litibus de rebus secularibus, sed etiam de beneficiis, dummodo tamen id fiat autoritate Judicis Ecclesiastici. Nam *in cap. Ecclesia de sortileg.* solum prohibetur usus sortium in electionibus ad beneficia, non in dirimendis litibus beneficialibus & Ecclesiasticis. Qui enim hujusmodi lites componunt, non eligunt. Neque mens Ecclesiæ est, ut lites etiam beneficiorum diu protrahantur, neque ille, cui sors contigit, accipit beneficium ex vi sortis, sed ex vi tituli, aut ex vi juris, pro quo lis pendebat. Per sortem autem solum aufertur impedimentum.

Requiritur verò autoritas Judicis Ecclesiastici, tum quia si sortes istæ fieri possent autoritate privata ipsorum litigantium, fieri etiam posset, ut per talem sortem obtineret quis beneficium, non habens titulum justum. Nec est in potestate collitigantis jus beneficiale in alium propria autoritate transferre. Tunc etiam ad evitandam simoniam. Nam omne pactum, quo paratur via ad beneficium, simoniacum est, *cap. fin. de pact.* & *can. quam pio* 1. *q.* 1. At, si supra beneficium litigiosum partes paciscantur in manibus Judicis, ut ipse proferat juxta pactum sententiam, & admittat ad beneficium, tenet sententia, & nulla intervenit simonia, nec sacrilegium. Atque adeo idem erit, si pactum sit de sortibus emissis autoritate Judicis. Ita docent Suarez *loc. cit. cap.* 12. *n.* 12. *& seq.* Sanchez *d. lib.* 2. *in decal. cap. num.* 79 Fagundez pariter *in decal. lib.* 1. *cap.* 40. *n.* 7. *&* 8. Castropal. *cit. pun.* 6. *n.* 7.

Nec prohibitio dicti *cap. Ecclesia de sortileg.* extenditur ad electiones civiles, & sæculares. Quoniam licet enim textus absolute loquatur de electionibus, quia tamen Jus Canonicum non disponit nisi in propria materia, ideo illa prohibitio de his, quæ ad beneficia pertinent, intelligitur, & cum sit pœnalis, non extenditur ad alia. Idque confirmatur et consuetudine, quæ illum textum ita interpretata est. Nam, eo minime obstante in civilibus electionibus frequenter utimur sortibus. Sic sorte eliguntur virgines pauperes, quæ dotis eleemosinam recepturæ sunt ex multis habilibus, quæ ex urna extrahuntur. Sic etiam in Conclavi sorte eliguntur Cardinales in quo cubiculo collocari debeant. Idemque in similibus observatur, ut per Azor *d. lib.* 9. *cap.* 21. *quæst. unica §. At vero,* Suarez *d. cap.* 12. *nu.* 15. Less. *ibid. cap.* 43. *dub.* 9. *n.* 58. & Sanchez *eo cap* 38. *nu.* 50.

Aliquando tamen est illicita in civilibus electio per sortes. Quoniam sors illicita in publicis officiis conferendis, non quia esset superstitiosa, & contra religionem, sed quia esset contra justitiam distributivam, cui repugnat, ut id, quod secundum merita conferendum est, detur per sortem. Essetque etiam contra justitiam commutativam, quia hoc repugnat debitæ administrationi Reipublicæ ac ejus communi bono. Essent vero hujusmodi sortes licitæ in dictis electionibus, si adhiberentur inter eos qui ita essent illo officio digni, ut vix posset inter excessus judicari

judicari, prout tradunt Suarez, Lessius, Azor *locis allegatis.*

Porrò sortes divinatoriæ, quæ ex se licitæ sunt, possunt ob aliquam circumstantiam vitiari. Primò ratione falsæ existimationis & intentionis. Ut siquis expectaret sortem sibi felicem ex astrorum influxu. Nam astra in sortibus nihil possunt operari. Ita D. Thomas *d. quæst.* 95. *ar.* 8. ac Delrius *d. cap.* 4. *quæst.* 1. qui etiam censet, esse peccatum mortale si id expectetur certo ab astris eventurum fore. Secundo vitiantur, si expectetur eventus non à Deo, sed à fortuna, ut siquis sortem non agnosceret à divina providentia, peccaret mortaliter. Dicitur enim Prov. 16. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* Verùm siquis ita se fortunæ committit, ut non excludat divinam providentiam sortes dirigens, tantum venialiter peccaret, ut tradunt citati Doctores. Tertio vitiari possunt, si à dæmone expectetur eventus, vel si sortes eo invocato mittantur. Tunc etiam est gravissimum peccatum. Et, ut notat Sanchez *num.* 66. quando quis auxilio Dæmonis facit sibi sortes esse felices, tenetur restituere id, quod sortibus acquisivit. Quia decipit alterum sortientem. Quarto si res in sortem exposita, non sit sortientium, sed aliena, nec adesset domini consensus, vel sortes adhiberentur inter eos, qui non haberent æquale jus ad rem illam. Quinto, siquis in sortibus uteretur aliqua fraude, ut in ludo. Tunc enim adesset injustitia, & non posset quis rem obtentam retinere. Quia in hoc casu cessat æqualitas contractus, & voluntas contrahentis. Sexto fiunt illicitæ sortes, si in ipsis, quis utatur libris sacris Bibliorum aut rebus sacris, quæ non sunt ad hunc usum institutæ. Non esset tamen mortale peccatum, nisi, in aliquo casu magna irreverentia interveniret ut per Suarez ibidem Sanchez *nu.* 69. Delrium *loc. cit.*

Pone, quod in eadem Electione Ecclesiastica duo concurrentes sæpius habuerint suffragia paria. Sit ne licitum inter eos sortes adhibere? Videtur affirmative respondendum. Quia talis fuisse censetur electio Mathiæ in Apostolatum. Constituerunt enim Apostoli duos, ab ipsis electos, & approbatos, ut idoneos ad Apostolatum, & postea inter illos duos tantum miserunt sortem: *Et cecidit sors super Matthiam & annumeratus cum undecim Apostolis* Act. 1. Et quia in hoc casu uterque sufficienter judicatur idoneus per suffragiorum multitudinem, sicque cessat periculum, ne eligatur indignus. Et etiam quia non videtur sors adhiberi in electione simpliciter, quod est prohibitum. Nam illi duo præ aliis electi sunt, ut æquales inter se, & ut alter illorum dignitatem, aut officium habeat, & solum sors adhibetur, ut electio facta suum consequatur effectum in uno illorum potius, quàm in alio. Ac demum quia vix superest aliud remedium ac medium ne electio prætermittatur.

Verùm his minimè attentis, tenendum est, ex vi juris communis non esse licitum per sortem decernere talem electionem, quia revera illa esset electio per sortem, quæ omnino prohibita est jure Canonico Nam in sæpius memorato *cap. Ecclesia de sortileg.* prius dicitur *multa reprehensione dignum est, quod sors in talibus interveniat.* Et postea *sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnamus.* Ac ita etiam tenent Suar. *cit. lib.* 2. *cap.* 12 *num.* 7. Sanchez *d. cap.* 38. *num.* 73. *& seq.* Castropal. *eo pun.* 6. *nu.* 6. Filiuc *tr.* 24. *cap.* 4. *n.* 99. Azor *loc. cit.* Fagundez *in decal. lib.* 1. *cap.* 40. *num.* 9. *& seq.*

Nec obstant rationes superius adductæ. Ad primam enim respondetur, quod electio D. Mathiæ per sortem fuit ordinata, ut cum Beda notat D. Thomas 2. 2. *quæst.* 95. *ar.* 8. *ante Pentecosten, &* quando nondum erat plenitudo Spiritus sancti in Ecclesia effusa, & consequenter, ut ait Suarez *loc. cit. n.* 22. non erat Ecclesia satis instructa de iis mysteriis. Ac insuper nullo jure prohibitus erat sortium usus in electione inter æqualiter dignos. Nam hujus rei prohibitio non est juris naturalis, aut divini, sed Canonici ex adducto *cap. Ecclesia de sortileg.*

Recte igitur Petrus proposuit, providendum esse de successore in Apostolatum loco Judæ & quod electio humano modo facienda erat. Sed quoniam illi duo Mathias, & Joseph Barsabas reputati fuerunt cœteris digniores, ac inter eos judicari humano modo non potuit, quis esset dignior, facta jam prius amborum electione, cùm cognosci non posset, cujus electio futura esset, magis juxta Dei beneplacitum & ad ostendendam sinceritatem intentionis ac desiderii procedendi absque ulla privata affectione, nullus perfectior modus eligendi excogitari potuit quam committere Providentiæ divinæ electionem per sortem: *Et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus, unum accipere locum ministerii hujus, & Apostolatus. Et dederunt sortes eis, & cecidit sors super Matthiam.*

Ait autem D. Dionysius *de Eccles. hier. cap.* 5. sortem fuisse aliquod signum divinum, quo omnibus constitit, Deum elegisse Mathiam. Ejus hæc sunt verba. *Ob reverentiam tantæ dignitatis, Apostolos Deo electionem commisisse, ut non ab hominibus neque per homines, sed à Deo ipso immediate tribueretur. Et ideo Deum, exhibito aliquo mirabili signo sensibili, quem eligeret, declarasse.* Ac ita etiam sentiunt Origenes *hom.* 13. *in Josue*, Hieronymus *Jonæ* 1. Augustinus *conc.* 2. *in psal.* 30. Quale autem fuerit illud signum, à Luca declaratum non est, quia nobis id scire necessarium non erat. Fortasse fuit aliquis cœlestis radius, vel ejusmodi aliquid. Ex electione igitur Mathiæ in Apostolatum per sortem argui non potest, electiones Ecclesiasticas fieri posse per sortes. Atque ita docent Cajet. *in sum* II. *sors*, Suarez *d. cap.* 12. *num.* 23. *& seq.* Valentia 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 12. *pun.* 3. Azor *d.* §. *at vero*, ac Delbene *d. p.* 2. *dub.* 225. *sect.* 7. *nu.* 9. *ac seq.*

Ad secundam. Etsi in hoc casu cesset periculum eligendi indignum, non tamen cessat prohibitio juris canonici. Imo donec à majori parte Capituli quis electus non fuerit, non dicitur declaratus dignus ut tradunt Sanchez *d. cap.* 38. Fagundez *d. lib.* 1 40. *num.* 12. Et Castropal *d. pun.* 6. *n.* 6.

Ad tertiam. Pernegamus in hoc casu non assumi sortes ad electionem. Nam illa determinatio est vera electio, & per illam beneficium, vel Dignitas confertur.

Ad quartam similiter pernegamus, non superesse aliud remedium, ne electio prætermittatur; Nam proprium remedium est ut superior electores compellat ut intra certum tempus eligant unum ex illis, sin minus electionem ad se advocet, ut tradit Gloss. *in cap. duobus* II. *teneantur, de rescriptis in* 6.

Quare, si in aliqua Congregatione Ecclesiastica hujusmodi elegendi modus per sortes est in usu, id quidem est ex speciali privilegio Summi Pontificis, qui in suo Jure potest validè, ac licitè dispensare.

Electio verò ad Ecclesiasticum Beneficium facta per sortes divisorias, non est ipso Jure irrita sed irritanda. Nam in *citato cap. Ecclesia de sortil.* nullum est verbum irritans, sed tantum prohibens ipsam electionem per sortes. Lex autem prohibens non irritat, nisi addat verbum declarans nullitatem actus. Quia cum sit pœnalis non extenditur, nisi quantum verba

verba sonant, & quamvis *in cap quapropter de elect.* expresse dicatur *aliter electio facta non valeat*; ibi tamen loquitur de electione ad Ecclesiam sortibus factam, non autem de electione ad Beneficium. Ità Suarez *ibid n.* 9. & 10. Sanchez *c.* 38. *nu.* 83. & 84. ac Filiuc. *tr.* 24. *cap.* 5. *num.* 200.

Sortes autem Consultoriæ ad cognoscendam in rebus dubiis divinam voluntatem, & illam à Deo expetendam etsi regulariter sint illicitæ interdum tamen sunt licitæ. At primo quando urget necessitas, nec suppetit aliud humanum consilium. Nam velle absque necessitate, ut Deus peculiari modo suam voluntatem manifestet, tentare Deum est, nec Deus unquam promisit, se directurum has sortes. Secundo quando Deus alicui inspirat, ut ad agnoscendam Rei veritatem, sortibus utatur, & prudenter credi potest, quod sit divina inspiratio. Sic ex inspiratione divina Josue sortibus usus est ad cognoscendum malefactorem occultum *Jos.* 7. Electio Matthiæ ad Apostolatum *Act.* 1. Tertio quando sortes fiunt cum debita reverentia, & præmissis precibus, ut Deus eas regere dignetur juxtà illud *Proverb.* 16. superius adductum. Quarto, quando non fiunt circa electiones Ecclesiasticas. Quia hoc speciatim prohibetur, ut jam diximus. Si verò aliter adhibeantur Sortes Consultoriæ grave committitur peccatum, ut ex D. Thomas *cit. quæst.* 95. *art.* 8. Suarez *d. cap.* 112. *num.* 18 & 125. Sanchez *d. cap.* 38. *num* 87. Lessio *lib.* 12. *cap.* 43 *dub* 9. *nu.* 60. Rarò tamen sunt hujusmodi sortes adhibendæ quia Deus non vult suam voluntatem sortibus indagari, sed Ecclesiæ, Sanctorumque doctrina & prudentum virorum Concilio, ut proindè interdicuntur sub anathemate *in capit. sortes 26. quæstione quinta.*

Sortes quoque Consultoriæ prò Sacris Missionibus possunt licitè adhiberi, si, stante æqualitate ministrorum, qui mitti debent ad Regiones Infidelium dubium esset, quis eorum esset mittendus. Nam etiam Apostoli sortibus diviserunt inter se missiones suas per totum Orbem, ut notat D. Cyrillus *lib.* 5. *in Isaiam cap.* 81. Et ità in hoc casu sortes esse licitè adhibendas, docet Turrianus *lib.* 8. *constit Clementis cap.* 5. Suarez *ubi suprà num.* 17. & Fagundez *ibidem nu.* 17.

Adhiberi etiam possunt sortes consultatoriæ ad cognoscendum quisnam sanctus sit suspiciendus in Patronum Civitatis, vel in devotum alicujus personæ particularis, dummodo sortes eo fine adhibeantur ut divina voluntas exquiratur, non autem ut merus Casus expectetur. Nemo enim casum licitè potest consulere; sed Christianæ pietati non repugnat, nec superstitionem capit, ut Civitas per sortes aliquem sanctum in Patronum suscipiat, & ut aliquis in devotum sui protectorem sivè per totum vitæ suæ cursum, sive per annum, aut per mensem eligat. Ita enim observatur à pluribus religiosis vivis, & ita docent Delrius *lib.* 4. *magic. cap.* 12. *quæst.* 7. *sect.* 13. Lupus *in edict. S. Inquisit. p.* 13. *lib.* 17. *dist.* 4. *tr.* 3. Leander *tom.* 6. *tr.* 9. *disp.* 12. *quæst.* 89. & 90., ac Torrell. *lib.* 8. *jur. spirit. cap.* 7. *num.* 60. & 61.

Sortes verò Divinatoriæ, per quas inquiruntur futuri eventus, vel manifestatio Rei occultæ, semper ac omnino sunt illicitæ, ac illis uti semper est peccatum lethale, nisi magna ignorantia excuset. Quia vel expectatur sortium divinatio à Deo, vel à Cœlo vel à casu, vel à Dæmone. Expectari non potest à Deo, quia Deus nunquam promisit, se temperaturum sortes quæ ordinantur ad excogitandum futura, vel experiendum occulta, & eventus sæpè contrarium ostendit. Neque à Cœlo. Quia hoc esset actiones liberas hominum pendere à Cœlo, & subjicere fato, & sortes vi cœlorum, & astrorum temperari non possunt. Neque à casu, quia sortes casuales nihil certum præsignare possunt. Ergo temperantur à Dæmone, qui tacito quodam pacto invocatur, ut sortes regat, & effectum præsignatum procuret. Atque idcirco hujusmodi sortes divinatoriæ nominatim prohibentur *in cap.* 1. *de sortileg. in can. sortes* 26. *quæst.* 1. *cau. pervenit, can. si quis Clericus* 13. *n.* & in Conciliis Toletan. 4. *c.* 128 & Agathensi *can.* 42. à D. Gregorio *lib.* 9. *Epist.* 47 & *lib.* 7. *epist.* 66. à Leone Papa *ad Episcop. Brit. cap.* 4. & *alibi.*

Notandum autem est, quod sortes divinatoriæ aliquando sunt quasi speculativæ, ordinatæ ad cognoscendum futura vel occulta solum ob curiositatem, & sistendo in illa cognitione non autem ad aliquid operandum; Ut cum quis sortes inquirat, quisnam obtinebit officium, vel dignitatem, aut victoriam, & hujusmodi cætera, & hæ sortes tantum habent malitiam superstitionis, sicut si quis futura, vel occulta cognoscere vellet per astra, vel auguria.

Interdum verò sunt practicæ, quia ordinant ad aliquid agendum ex tali cognitione; ut quando per sortem quis inquirit, an Titius furatus fuerit, an sit malefactor occultus, ad illum infamandum, vel puniendum, vel ad simile aliquod. Et tunc præter malitiam superstitionis intervenire solet malitia injustitiæ, infamando proximum, vel innocentem, vel nocentem occultum, & exponendo innocentem periculo pœnæ, quam non meretur, si sors super illum cadat. Quod si cadat super nocentem, etiam gravis injustitia est, illum manifestare talem, & illum punire, non probato legitime delicto, quod revera non probatur per sortes quia sortes per se nullam probationem faciunt, cum sint mere casuales, & tam super nocentem, quam super innocentem cadere possint. Ideoque in hoc casu non solum committeret peccatum mortale superstitionis, sed etiam injustitiæ, ut per Suarez *eo loco n.* 29. Sanchez *d. cap.* 38. *n.* 89. & Fagundez *supra. n.* 110.

Quod si quæras, cur igitur Josue judicio sortium punivit Achan, qui erat Delinquens occultus; Nam occultè surripuerat de anathemate, ut habetur *Josue* 7?

Respondetur, quod Josue ex præcepto Dei sortibus usus fuit ad agnoscendum occultum delinquentem, ut patet ex *d. cap* 7. & notavit D. Thomas *n.* 12. *q.* 95. *art.* 8. Undè nullum aderat periculum cadendi sortem, nisi super delinquentem Achan, cui postea, cum dixit Josue: *Fili mi, da gloriam Deo, & confitere, atque indica mihi quid fecisti*, Respondit: *Verè ego peccavi Domino Deo, & sic feci.* O vis clementiæ, quæ sine cruciatu extorquet veritatem!

Sortes autem divinatoriæ sunt prohibitæ sub pœna excommunicationis à Leone IV. *in d. can. sortes n.* 6. *q.* 5. his planè verbis: *Sortes, quas Patres damnarunt, nihil aliud, quam divinationes, & maleficia esse decernimus. Quamobrem volumus omnino illas damnari, & ultra inter Christianos nolumus nominari, & ne exerceantur, anathematis interdictu prohibemus.*

CONSULTATIO LXXV.

Purgatio per Sacramentum Eucharisticum, vulgaris ne, an canonica sit?

ET quidem esse canonicam asserit Martinus Delrius *l.* 4. *Magic. c.* 4. *q.* 13. Adducit *can. sæpè contingit, & can. si Episcopo n. q.* 5. confirmatque exemplo duorum Pontificum, qui ea usi sunt. Nam A

[Adr]ianus Papa sub anno 868. ex Sigonio de Regno Italiæ, sive 860. ex aliis, absolvit à Censuris Papæ Nicolai, sui Prædecessores, Regem Lotharium, ac ejus Barones purgatione per sanctissimam Eucharistiam, & Gregorius VII. hoc modo sub anno 1077. ex eodem Sigonio *loc. cit.* se purgavit à Calumniis, sibi illatis ab Henrico Imperatore invitans eumdem Henricum, ut hoc idem quoad se ipsum faceret.

At, pace tanti viri dixerim, parum accurate id asserit Delrius, dum hanc purgationem vocat canonicam, dumque existimat, esse licitam dum modo sit injuncta à Judice competente Ecclesiastico. Nam *can. sæpè contingit*, & *can. si Episcopo* non adducuntur à Gratiano ad probandam purgationem canonicam, sed vulgarem ut inibi notat Glossa; Adde, quod illi canones sunt Concilii Vicormaciensis, quod fuit provinciale, non autem generale, ideòque nil mirum, aiunt Cajetanus & Valentia *in 3. p. D. Thomæ q. 80. art. 6. ad. 3.* si erraverit in iis decretis. Præterea id abrogatum esse docet Gloss. *in d. can. sæpè contingit*, *quia*, inquit, *suspectis non est danda Eucharistia, can. tribus de consecrat. dist. 2 & cap. cum dilectis de purg. can.* quod tamen non loquitur in hanc rem. Verum hanc abrogationem ostendit D. Thomas *loco cit*, cujus hæc sunt verba: *Decreta illa sunt abrogata per contraria documenta Romanorum Pontificum, dicit enim Stephanus Papa ferri candentis, vel aquæ ferventis examinatione confessionem extorqueri quilibet Sacri Canones non concedunt; spontanea enim confessione, vel Testium approbatione publicata delicta commissa sunt Regimini nostro, occulta vero & incognita illi sunt relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum*, & idem habetur *extra. de purgat. cap. ex tuarum*

Dixerit fortasse nonnemo, nihil, aut parum probat D. Thomas abrogationem ejusmodi decretorum, nam quicquid adducit non pertinet ad purgationem per Eucharistiam. Respondeo, quod eadem Ratio, qua concluditur in examinatione per ferrum candens & per aquam ferventem, concluditur etiam in ista per Eucharistiam, quia ita etiam tentatur Deus investigando purgatione per Eucharistiam id, quod ei, tanquam occultum, reservatum est, Ideoque si valet ratio tentationis Dei, ac Textus allegati, quod hujusmodi purgationes sunt abrogatæ, ut eas abrogant decreta, quæ adducit D. Thomas eandem Rationem dicere vult D. Thomas, irrita est omnis purgatio per Eucharistiam. Ex quo liquet, D. Thomas hanc purgationem annumerare inter vulgares. Hoc ipsum quoque convincitur ex proprio loquendi modo ipsius Delrii. Nam *eo lib. 4. quæst. 4. cap.* describens purgationes vulgares; ait, *talis purgatio est, quotiescunque petitur, ut Deus miraculum faciat, velut si quis confisus innocentiæ suæ peteret se septies percuti gladio ad innocentiam suam probandam, aut in ignem intraret.* In purgatione autem per Eucharistiam petitur, ut Deus miraculum faciat, non sine obtestationibus, execrationibusque.

Probatur id apertè ex historia Gregorii VIII. in comprobatione suæ sententiæ à Delrio adducta, quæ ut ipse refert, narratur à Lamberto Scaffnaburgensi, sed in hæc verba: *Absoluto eo,* scilicet Henrico Imperatore *ab excommunicatione, Papa missarum solemnia celebravit confectaque sacra oblatione, Regem cum cætera quæ sequens aderat multitudine, ad altare evocavit, præferensque manu corpus Dominicum: Ego, inquit, iampridem à te, tuisque fautoribus literas accepi, quibus me insimulabas Sedem Apostolicam per simoniacam hæresim occupasse, & aliis quibusdam tam ante Episcopatum, quam post acceptum Episcopatum criminibus vitam maculasse, quæ mihi secundum scita Canonum omnem ad sacros Ordines accessum obstruxerunt. Et licet multorum idoneorum certè Testium adstipulatione refellere queam, eorum scilicet; qui omnem vitæ meæ ab ineunte ætate institutionem integerrime noverunt; & eorum qui meæ ad Episcopatum promotionis Autores fuerunt; ego tamen ne humano potius quam divino niti videar testimonio, ut satisfactionis compendio omnem omnibus scandali scrupulum de medio tollam, eum Corpus Dominicum, quod sumpturus ero in experimentum mihi hodiè fiat innocentiæ meæ, ut Omnipotens Deus suo me hodiè judicio, vel absolvat objecti criminis suspicione si innocens sum, vel subitanea interimat morte, si reus.*

Hæc & alia, ut solemne est, præfatus verba terribilia, quibus Deum causæ suæ æquissimum judicem, & innocentiæ assertorem adesse precabatur, partem dominici Corporis accepit, & comedit, qua liberrime absumpta, cum Populus in laudes Dei innocentiæ ejus congratulatus aliquandiu acclamasset, tandem impetrato silentio, conversus ad Regem, fac ergo, inquit fili, si placet, quod me facere vidisti. Principes Theutonici Regni suis in dies accusationibus aures nostras obtundunt, magnam tibi molem capitalium criminum impingentes, pro quibus non modo ab omni rerum publicarum administratione, sed ab Ecclesiastica etiam communione, & ab omnimoda vitæ sæcularis conversatione usque ad extremum Spiritum te suspendi oportere existimant. Petunt etiam magnopere diem, & locum statui, audientiamque præstari canonicè discutiendis, quas adversus te adferant accusationibus. Et nosti optimè humana quandoque vacillare judicia, & in publicis discrepationibus nonnunquam falsa pro veris persuaderi, dum pro disertorum hominum ingeniis, & dicendi copia, & suavitate falsitas verborum phaleris adornata libenter auditur veritas nullis eloquentiæ nixa adminiculis contemnitur. Cum ergo tibi bene consultum cupiam pro eo, quod in calamitatibus tuis supplex Apostolicæ Sedis patrocinium expetisti fac, quod moneo, si te innocentem nosti, & existimationem tuam ab æmulis tuis per calumniam falsis criminationibus impeti, libera compendiosa, & Ecclesiam Dei scandala, & te ipsum longæ concertationis ambiguo, & sume hanc residuam partem Dominici corporis, ut comprobata à Deo teste innocentia tua, obstruatur omne os adversus te iniqua garrientium. Cum Scaffnaburgensem convenit Sigonius *lib. 9. de Regno Italiæ* Ex quibus minusquam probabilis ostenditur Delrii sententia.

Dices. Non omnes hujus purgationis formulæ petunt effectum admirandum, quià non omnes continent expressas execrationes subitaneæ mortis, alteriusque mali apparentis, siquidem in *dicto Canon.* sæpè contingit, in quo proponitur hæc purgatio, ejus formula est hujusmodi. *Corpus Domini sit ad probationem hodiè.* Et quando Adrianus Papa recepit ad hanc purgationem Regem Lotharium cum ejus Baronibus, illius formula pro Rege fuit ista, quam describit Sigonius *lib. 5. de Regno Italiæ si te, o Lothari, expertem interdicti a Nicolao adulterii sentis, ac sincera fide te imposterum à Valdradæ concubitu temperaturum promittis, Sacramentum salutis terrenæ remissionem peccatorum tuorum accipe, sin minus cave, ne ad internecionem animæ tuæ accipias* Formula verò pro Baronibus hæc fuit: *Si Regi Lothario in objecto adulterii crimine non favisti, & Valdradæ piorum communione privatæ colloquium refugisti, corpus & sanguis Domini nostri prosit tibi ad vitam æternam.*

Confirmatur, quia idem Sigonius *lib. 8. præfatæ historiæ* narrans purgationem Episcopi Spirensis, ut se liberaret per Eucharistiam à calumniis sibi imposi-

tis; *Solum*, inquit, *cum de criminibus argueretur ipse se Sacro Christi corpore in detestationem animæ sumpto, purgavit*. Atque adeo non videtur Sententia Delrii omnino explosa.

At vero id aliaque ejusmodi facilè diluimus. Nam doctiores non censent diversas purgationem Gregorii, & Adriani ab aliis, vulgaribus, nempè ferri, & aquæ, neque Delrius aliter censetur dum omnes ad unum finem adducit, probans ex illis eandem conclusionem, de quo etiam perspicuè loquitur D. Thomas *in citata quæst.* 80. & Glossa *in d. can. sapè contingit*, dùm illud non exponunt, nisi de probatione miraculosa. Quarè in formulis oppositis non excluduntur execrationes, sed intelliguntur, comprehendunturque. Ex hac insuper ratione apparet sententia Delrii parum sana: & in decretali, in quo non obiter, sed ex professo agitur de purgatione canonica *lib.* 5. 134. nullibi fit mentio de purgatione per Eucharistiam. Ad hæc, D. Thomas hanc purgationem non esse licitam, his verbis ostendit loco cit. *Et gravius videretur, si in hoc sacramento, quod est institutum ad remedium salutis, aliquis incurreret judicium mortis.* Ex quibus eruitur ratio, cur judices hanc purgationem injungere nequeant.

Sed Delrius rejicit hanc rationem, non ut allatam à D. Thoma, quem non legisse videtur, sed ut adductam a Calvinista Hotomanno. Verum,si hereticus ille ea fuit abusus, non ideo est saltem secundum mentem D.Thomæ, illi detrahendum.

Ad exempla, quæ Delrius refert, respondetur, illa nullum probationis gradum constituere, cùm non sint leges, neque decreta. Hinc Glossa *in can. monomachiam n. quæst.* 5. plures locos juris canonici allegat, quibus probat, quod ab exemplis non est arguendum. Poterit etiam responderi, quod verbum illud, *si placet*, quo usus est Gregorius, denotat, illam non esse Canonicam.

Consultatio LXXVI.

Distinctius de Divinatione dæmoniaca sivè superstitiosa. Errores de Divinatione. Solus Deus futura cognoscit & quomodo? An, & quomodo Sancti in hac, & in alia vita futura, præsentia, absentia videant? Quid de Sibyllis

PRæcipua superstitionis,ac sortilegii species Divinatio dæmoniaca est, qua dæmon utitur ad eludendum homines, futura scire cupientes. Hac ab initio tentavit protoparentes, hodieque nullum est hominum scelus frequentius, notat Pegna *p. n. direct. comm.* 67. Pertractant de ea D. Thomas *n. n. quæst.* 95. ibique Cajetanus, Porreta, Suarez, Formicarium Niderii, Malleus, Sylvester *de Strigimag.* Gerson, Grillandus, Jodocus *lib.* 4. *tom.* 1. Perius *de Mag.* Gravin. *in lapide lydio lib. n.* Moura *de Ensalm:* Torreblanea *lib.* 1. *de magia & in oper. spirit.* Nicquetius *de physiognom:* Ragnandus *in Theolog. natur. distinct.* 4. *quæst.* 1. Delatorre, Medina, aliique plures. Innumeri vero de divinatione per astra scripserunt. Sed adversus Astrologos Judiciarios egregiè scripsit duodecim Libros Joannes Picus, ex quo Pererius *in Genesim*, & 3. *lib. de Magia*, Delatorre, Catena *tit. de sortileg.* Delrius *magic. lib.* 4. Torreblanca, Moura, Salelles *de offic. inquisit.* sicut tamen ipse Picus *in suis conclusionibus*, & *in Apologia* nimis favet Astrologiæ judiciariæ, ita in præfatis libris aliqua negat cœlorum influxui contrà veritatem, D. Thomam, & Aristotelem: certè quemadmodum rejicienda est eorum sententia, qui omnia prorsus ab Astris provenire, ac necessitatem nobis imponere autumant, ideoque fatum admittunt ut Stoici, Heraclius, Empedocles, Possidonius, & complures alii, qui id circo Soli, Lunæ, ac stellis immolabant, ut tradit Philo. *lib de magia Abrahami*, quos in crimen vocat Sophonias cap. 1. ubi ait *qui adorant super tecta militiam Cœli.* Ita etiam rejiciendi sunt, qui negant, astra nihil in nos agere posse, ajuntque solum Deum per se ipsum agere, ac nos in necessitudinem adducere, ut ipse vult. Sic Aphrodisæus, Paracelsus, Porphirius, aliique Platonici post Ptolemeum *aphor.* 5. & 8. quos sequutus est Joannes Hussius, ideoque combustus à Concilio Constantiensi, eique adhæsit Lutherus *libro de servo arbitrio ar.* 36. *Tracta. de Astrologia* D. Thomas *lib.* 3. *contra Gentes* ubi, & Ferraniensis, & *in* 4. *sentent.* ubi Sotus, ac *de Regimine Principum*, & *alibi*, & præ cæteris Phavorinus Philosophus, qui omnes suo loco à nobis adducuntur.

Divinationis autem, sivè prænotionis communiter acceptæ tres species indicantur à D.Thoma *ar.* 1. *præfatæ quæst.* 95 Alia est divina, quæ hominibus aliquando impartitur. Hæc Prophetia vocatur. Alia est naturalis, quæ habetur ex signis, vel causis naturalibus, & vocatur propriè præsagium, vel conjectatio. Alia est dæmoniaca, quæ innititur pacto tacito, vel expresso cum demone. Hoc modo accipitur num. 23. *Non est augurium in Jacob, nec divinatio in Israel.* Quod ad honorem illius populi dictum fuit, in quo erat Prophetia non divinatio. Quare Origenes *hom.* 16. *in Num.* divinationem putat per antiphrasim nomen accepisse,quasi quæ per homines dæmonibus repletos,fiat, & Isidorus *Etym.lib.* 8. *cap.*9. ait,illos superstitiosos divinatores dictos este divinos, quia divinitate se plenos simulant, & astutia quadam fraudulentiæ hominibus futura conjectant Divinatio igitur est indebita prænotionis Rerum futurarum, sivè occultarum assumptio, quæ divinitatis propria est. Quarè qui à Deo Revelante notitiam accipiunt, non dicuntur propriè divinare, quia non sibi assumunt Dei cognitionem, idest, ut inquit D. Thomas, non faciunt, quod divinum est, sed suscipiunt aliquid divinum. Sancti namque Dei divina ex revelatione futura prædicunt.

Unde infertur cum D.Thoma, divinationem propriè dictam, esse peccatum. Est commune Patrum, ac Theologorum, habeturque expresse in S. Scriptura Deuter.18. *Non sit qui pythones consultat, neque divinos.* Lev.20. *Anima, quæ declinaverit ad magos, & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam, & interficiam illam de medio populi*: Rursus, *Vir sivè mulier, in quibus pythonius, vel divinationis fuerit spiritus, morte moriatur.* Idem habetur 4. *Reg.*17. ac *alibi*; In Jure item Canonico sæpè prohibentur divinationes ut 26. *q.* 6. per multos Canones. In Jure civili. *C. de melefic* ex genere suo est peccatum lethale; ad veniale autem reduci potest ex iis, quæ alibi diximus, & à Sixto V. in extravaganti contra Astrologos omnis divinatio prohibetur, de qua infra.

Nam divini sunt, qui indebito modo futuros eventus contingentes præcognoscere præsumunt ex Isidoro supracitato. Qui autem certò affirmant præcognoscere futura, quæ non cognoscuntur in suis causis jam determinatis, necessariis, vel ut plurimum producentibus effectum, quæque possunt naturaliter cognosci, ut eclipses solis, & lunæ id agunt indebito modo, nempe sibi arrogando, quod Dei proprium juxta illud Isaiæ 14. annunciate, quæ ventura sunt, & dicemus, quia dii estis; Ac proinde peccat; Utque rectè notat Cajetanus, & post eum Suarez, ac Delatorre hæc prohibitio non fuit de solo jure positivo divino in lege veteri, vel humano in lege nova, sed fuit semper de jure divino naturali, quod illis positivis legibus declaratur, additis pœnis. Nam id non ideo malum est, quia prohibitum; sed ideo prohibetur, quia malum.

Nec proinde obiicias, quod scire, futura, & occulta est per se appetibile, cum omnis homo naturaliter scire desideret, & scire sæpe desideret ex sola quadam curiositate, ideòque divinatio, ut sic non est mala. Nam Respondetur, id quidem verum est dumtaxat de fine divinationis, qui per se non est pravus, sed indifferens ex objecto, ut docet Origenes *homil. 16. in Num.* Non enim est intrinsecè malum appetere cognitionem occultorum, tum Ratione appetitus naturalis sciendi; tum quia potest peculiari modo ille appetitus honestari, si ex bono fine & cum debita mensura habeatur, ut de scientiis magicis jam diximus. Secus autem est, si attendatur medium, vel modus obtinendi talem cognitionem, in quo consideratur divinationis deformitas per se. Nam tunc divinatio est, quando illa assumitur indebito modo, scilicet per instructionē dæmonis. Posset quidem qui curiose cognitionem hanc desiderat, à Deo indebitè exposcere, & tamen, ut sic, non esset superstitiosus, nec divinus, sed tentans Deum, vel indirectè illum deprecans, patetque: ex verbis illis Christi. *Non est vestra nosce tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*, quibus refellit interrogationem illam discipulorum, tanquam inepta, ex curiositate inductam, ut omnes interpretes annotant, nominatim Chrysostomus inibi Augustinus. *cap.* 78. *&* 80. & Justinus *q.* 112.

Non itaque omnis indebitus modus ad divinationem constituendā sufficit, sed etiam requiritur modus proprius indebitus prænotionis futurorum, quo hæc superstitio constituitur, dum scilicet non à Deo, sed ab alio, & consequenter à dæmone exquiritur. Secluso namq; Deo non restat alius, ut diffusè probat Suarez. Ac præcæteris, requiritur quod hæc præcognitio procuretur à Creatura intellectuali, perfectiori homine, cum ab homine, multoque minus ab aliis Creaturis inferioribus, haberi non possit. Nam conjecturalis, & ut est in causis quæ haberi potest de aliquibus non est divinatio superstitiosa: inter Deum verò, & hominem sunt Angeli Boni, ac dæmones. Non autem ab Angelis bonis exposcitur quia sic esset idem, ac petere, ut a Deo talem cognitionem divinitus obtinerent cum subordinatione ad divinam voluntatem, & si nobis expediat, quæ non est propriè divinatio, sed ad prophetiam, sivè sacram Revelationem reducitur. Idem dicas, si expectaretur ab animabus beatis. Igitur per dæmonis instructionem id investigatur. Quod est fieri socius dæmoniorum, Reclamante Paulo 1. *Cor.* quare ab Ecclesia, & Patribus hoc præcipuè nomine damnatur hæc divinatio, & superstitiosa decernitur. Id circo in Concilio Anquirensi *cap.* 1. *Relato in can. Episcopi n.* 6. *q.* 5. de hisce divinationibus dicitur quod relicto Creatore, diaboli suffragia quærunt. Idipsum testatur Augustinus *lib.* 2. *de doctr. Christ. cap.* 22. *&* 23. Omnes igitur artes istæ, vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis ex quadam exitiosa hominum, ac dæmonum societate, quasi pacta, ex infideli, & dolosa eorum amicitia constituta, pænitus repudiandæ sunt à Christiano. De quo plura idem Augustinus *in libro de divinat. dæmon à cap.* 3. & Cyprianus *lib. de Idolor. vanit.* nequissimi, ait, spiritus afflatu suo vatum pectora inspirant, extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt, falsa veris semper involvunt, nam & falluntur, & fallunt. Concinit Origenes *cit. hom. in num.* inquiens est quædam in Ministerio præscientiæ operatio dæmonum, quæ artibus quibusdam ab his, qui se dæmonibus manciparunt, colligitur. Quod comprobat Eusebius. *l.* 6. *prepar. Evang. cap.* 7. testimoniis Gentilium, qui diis suis artes tribuebant, quos dæmones esse, ait Psaltes: *omnes dii Gentium dæmonia.*

Haud tamen defuerunt, quæ omnem divinationem [illegible]iserint, & nugas aniles eam esse dixerint, divinatores que seductores appellarint, qui se divinare fingebant, ut homines in Religionis officio continerent Ex iis fuerunt Epicurei, aliique non nulli. Et nitebatur hic error in alio pejori, cui iidem adhærebant, nempè Deum non existere, aut si existit, de rebus humanis curam non habere, aut plura fortuita non cognoscere, ut potè suapte natura penitus ignota.

Peripatetici, verò, ut testatur Tullius *apud Eusebium loc. cit.* genus omne divinationis arte aliqua commixtum, explodebant, ut auguria, auspicia, sortes, ex astris, & alia hujusmodi. Admittebant tamen illa divinationis genera, quæ omnis artis sunt experta, ut somnia, & oracula.

Contra Stoici omnium divinationum genera approbarunt, etiam judiciariam Astrologiam, quam scientiam Chaldæorum & Egyptiorum, appellabant, Deum sua providentia, ac benignitate omnia providere, ac præscire fatebantur.

Platonici autem divinationes omnes prædictas admiserunt, aliarum tamen causam dæmonibus, aliarum verò naturæ adscribebant, ut liquet ex Platonis *dialogo de convivio sive de Amore*, ac teste Laertio Pythagoras divinatione per auguria utebatur, & inter Symbola hoc monumentis reliquit: *divinationem omnem honora.*

At præter Epicureos, ac Cynicos divinationem apud omnes Philosophos receptam fuisse, constat ex dictis, nec solum sacris litteris, sed evidenti ratione naturali ostenditur, Deum omnia futura cognoscere, ac Prophetæ, eo revelante, multa prædixerint, aliique plures, de quibus infra. Unde merito Tertullianus *lib.* 2. *contra Marcionem* dixit *Præscientia Dei tot habet testes, quot fecit Prophetas.*

Et quod ad Deum negavit olim inter Gentiles Tullius, qui, ut refert Augustinus *lib.* 5. *de civit. cap.*9. cum arbitraretur, utrumque esse non posse Deum scilicet futura contingentia præscire, & hominem esse liberum; *sed si alterum confirmatur, alterum tolli. Si elegerimus præscientiam futurorum, tolli voluntatis arbitrium. Si elegerimus voluntatis arbitrium tolli præscientiam futurorum. Ipse itaque ut vir magnus & doctus, ac vita humanæ plurimum, ac peritissime consulens, ex his duobus elegit liberum voluntatis arbitrium. Quod ut confirmaret, negavit præscientiā futurorum. Atque ita dum homines vult facere liberos, fecit sacrilegos.* Eamdem præscientiam Deo ademit impius Marcio apud Tertullianum. *l.* 2. *cont. Marcionem c.* 5. suntque insuper inter Patres nonnulli, qui errorem eumdem Aristoteli tribuunt.

Vera tamen, atque Catholica sententia est, Deum contingentia absolute futura evidenterque præscire. Est certum de fide, proprium illius esse futura omnia contingentia, libera & absoluta cognoscere, non solum in suis causis, ac suis divinis decretis, sed & in seipsis intuitivè in sua æternitate, qua omnia præterita, præsentia, & futura ei coexistunt objectivè. Nam æternitas Dei non est duratio successiva, sed indivisibilis ac secundum se totam cuilibet instanti temporis coexistens. Ergo quodlibet instans, & quælibet res existens in instanti temporis coexistit realiter in tota æternitate, & ab æterno. Probatur. Exodi 3. *Ego scio, quod non dimittet vos.* Sapient. 9. *Præsciebat enim futura illorum.* Ps. 138. *Intellexisti cogitationes meas de longe* Daniel. 13. *Qui nosti omnia, antequam fiant.* Esther. 14. *Domine qui omnium habes scientiam.* Ecclesiast. 35. *Non est quidquam absconditum ab oculis tuis.* At Deus non haberet omnium scientiam, esset que aliquid ab ejus oculis absconditum, si actus liberos à voluntate creata tempore consequendi ponendos ignoratet. Deinde Joan. 6. *Ipse erat sciens omnia, quæ ventura erant super eum.* In quibus omnibus locis expresse asseritur Deum prævidere quæ futura sunt antequam fiant. Ergo præscit actus liberos humanæ voluntatis.

Eamdem veritatem tradunt consensu unanimi Sancti Patres, inter quos Augustinus, seu potius Fulgentius in libro de fide ad Petrum cap. 33. *Firmissimè*, inquit, *tene, & nullatenus dubites Deo non solum præterita, & præsentia,*

præsentia, sed etiam futura omnia, esse notissima. Atque hoc adeo certum, ac perspicuum esse Augustinus existimavit, ut citra insaniam negari non posse censeret, ut colligitur ex iis quæ tradit *d. cap.* 9. ubi hæc habet: *Confiteri esse Deum, & negare præscium futurorum, apertissima insania est.* Quod & ipse Cicero, cum videret, etiam illud tentavit asserere, quod scriptum est: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus, sed non ex sua persona. Vidit enim quam esset invidiosum, ac molestum.* Addit insuper ibidem, Deum de medio tollere, quisquis futurorum præscium negat. *Qui Deum, ait, negat præscium futurorum, nihil aliud dicit, quam quod ille dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. Qui enim non est præscius futurorum omnium, Non est utique Deus.* Et vero cum præcipuum sit divinitatis indicium futura præscire, ut dicitur apud Isaiam *cap.* 41. *Dicite quæ ventura sunt nobis, & dicemus, Dii estis.* Quisquis Deo præscientiam tollit, aufert etiam divinitatem, ut inquit Hieronymus *l.* 3. *contra Pelagianos.* De quo audiamus, non Nuperum Doctorem aliquem, sed Sylvestrum, S. Palatii Apostolici olim Magistrum *lib.* 1. *de strigimagis cap.* 13. *pun.* 11. qui sic ait: *Non cognoscunt vere Intelligentiæ in spiritualibus, primo quidem futura in se ipsis, id est, ut aliquando erunt in suis existentiis. Nam Angeli in suis causis futura longè acutius, quam nos possunt cognoscere, & ex eis necessario emergens, ut crastinus ortus Solis; conjecturaliter vero, quæ ut in pluribus; nullo vero modo, quæ raro eveniunt. In se ipsis vero futura cognoscere, Dei solius est, non solum quæ necessario, vel in pluribus, sed etiam quæ casualiter, & raro contingunt. Nam in sua æternitate, quæ toti tempori adest, illudque concludit, Deus omnia videt semper eodem modo; alioquin si futuro in esse posito, noviter illud videret, sua visio non esset tota æterna, sed cresceret. Quilibet autem intellectus creatus ab ista æternitate deficit, & consequenter ab hujusmodi cognitione, quæ æternitatem consequitur. Qui quod sub tempore est, ut aliquo modo omne æviternum in quo successio aliqua sit, oportet, non potest habere præsentia omnia, quæ toto tempore fiunt.* Hæc Sylvester, quibus nihil verius, nihil clarius. Prosequuntur omnes fere discipuli Divi Thomæ ad *ejus quæst.* 10. *art.* 2. & 4. *p.* 1. etiam Bannes, qui visus est contrarius, ut & non nulli alii. Et quidem si non cognosceret futura, etiam contingentia, vel illa cognosceret, quando actu existunt, vel non. Si primum, ergo mutaretur in cognitione, & de non cognoscente fieret cognoscens. Si secundum. Ergo ejus cognitio non esset infinita, quia non attingeret omne cognoscibile.

Cognoscit etiam illa Deus in decreto suæ voluntatis, sive in essentia determinata per tale decretum, ita ut decretum Dei liberum efficax sit prima ratio cognoscendi futura, non autem cognoscit futura contingentia, & libera immediate per suam essentiam antecedenter ad decretum suæ voluntatis etiam in comprehensione ipsarum causarum secundarum antecedenter ad liberam Dei determinationem, nec in futurorum eorumdem veritate objectiva antecedenter ad sua libera decreta.

Dixi objectivè. Nam licet sententia, quæ adstruit futura contingentia esse Deo præsentia realiter, ac Physicè ab æterno, sit probabilissima, eamque vindicare videatur D. Thomas *p.* 1. *q.* 14. *art.* 13. *ac sæpe alibi*, quem multi ejus discipuli sequuntur, ut Capreolus, Cajetanus, Ferrariensis, Zumel, Alvarez, Cornejo, & Salmanticenses, est tamen difficillima, ideo asserimus esse præsentia Deo solum objective, quatenus propter infinitum lumen, quod habet suo intuitu fertur in omne cognoscibile, & consequenter etiam in futura, quæ posito decreto Dei circâ illa, habent determinatam veritatem objectivam. Ita ex Antiquioribus Scotus, Durandus, Gabriel, Gregorius; & ex recentioribus fere omnes. Probatur ex S. Scriptura, in qua sæpius dicitur, *Deum extitisse ante Creaturas*, Psal. 89. *priusquam montes fierent, aut firmaretur terra, & orbis à sæculo, & usque in sæculum tu es Deus*, Genes. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram*, id est in principio temporum. Ergo Creaturæ non fuerunt præsentes realiter, ac Physicè Deo ab æterno. Confirmatur ex Patribus, & Conciliis asserentibus solum Deum fuisse ab æterno, Creaturas omnes in tempore. Maximè id habetur ex Concilio Nicæno, & ex Athanasio contra Arianos dicentes de Filio Dei, *erat quando non erat.* Contra quos Concilium, & Athanasius ajunt, hoc solum competere Creaturis. Ergo Nulla Creatura dicenda est præsens realiter, ac physicè in æternitate, vel ab æterno, quod intelligendum est de mensura etiam extrinseca.

Nam implicat Creaturas existere in æternitate, tanquam in duratione, sive mensura extrinseca, quin etiam existant in duratione propria intrinseca. Quod patet tum à simili de loco. Implicat enim aliquam rem esse in loco intrinseco, & esse in loco Universali, quin etiam sit in loco particulari. Ergo similiter implicabit, rem esse in æternitate, tanquam in mensura, & duratione extrinseca, quin etiam sit in propria & intrinseca duratione. Tum etiam quia quod est in alio, etiam tamquam in duratione extrinseca oportet habere esse in illo productum ab æterno; atque adeo non possunt dici esse in æternitate, etiam tamquam in mensura & duratione extrinseca. Et sanè quod ab æterno non existit realiter, non potest alteri realiter coexistere, aut illi esse præsens: Etenim præsentia & coexistentia rei supponunt ejusdem existentiam. Creaturæ autem non existunt realiter ab æterno. Quia ab æterno non sunt extra suas causas. Imo secundum probabilissimam sententiam non possunt esse. Ergo non sunt, nec possunt existere ab æterno. Mitto alias probationes.

Nec dicas quod ex his sequitur, Deum non cognoscere futura intuitivè, sed solum abstractivè eo quod cognitio intuitiva versatur circa rem, ut præsentem. Nam respondetur. Ad rationem cognitionis intuitivæ, non requiritur quod cognoscatur res, pro ut est præsens, sed solum, pro ut existens existentia sibi proportionata. Differt enim intuitiva ab abstractiva, in eo quod cognitio abstractiva est cognitio rei in sua causa, cognitio verò intuitiva est cognitio rei extra suas causas, & secundum existentiam quam habet. Undè cognitio Dei quæ vocatur scientia visionis est cognitio intuitiva, & quæ vocatur simplicis intelligentiæ, est abstractiva. Item respondetur, quod etiam si dicamus ad rationem intuitivæ cognitionis requiri, quod per illam cognoscatur res ut præsens, hoc debet intelligi pro illa duratione, quâ erit præsens, non pro illa, quâ erit futura. Et hoc ita contingit in scientia, quam habet. *v. g.* de futuro Antichristo. Quia licet cognoscat illum, ut futurum pro ista duratione, ac tempore quando non est præsens, cognoscit tamen illum, ut præsentem pro duratione, aut tempore quando præsens erit.

Imò futura secundum se præcisè, nec realiter & Physicè, neque intentionaliter, & objectivè ab æterno existunt. Non realiter, ac Physicè, ut modo diximus, non intentionaliter & objectivè; Quia vel æternitas, sive entitas Dei non esset res cognoscitiva, vel per impossibile à Deo esse in propriis differentiis temporum; secundum se præcisè igitur non dicuntur esse ab æterno intentionaliter, & objectivè.

Quod si sumantur non præcisè secundum se, sed ut subsunt æternitati Dei, sive ut respiciunt existentiam divinæ æternitatis, coexistunt æternitati ab æterno, non solum intentionaliter, & objectivè, sed etiam realiter, & Physicè, quatenus ab æterno ad ipsa transfertur non solum divinus intuitus, ratione cujus coexistunt Deo intentionaliter, & objectivè, sed etiam divina entitas, & æternitas, ratione cujus coexistunt Deo realiter, ac Physicè. Imo translatio æternitatis ad attingenda, ipsa futura physicè in propriis differentiis est ratio, cur cognitio Dei se transferat ad attingendum modo propriissimè intuitivo, & ut præsentia eadem futura.

tura. Quod pluribus in locis expressit, ac illustravit D. Thomas 1. p. q. 14. art. 9. in corp. *Cum intelligere Dei, quod est ejus esse, æternitate mensuretur, quæ sine successione existens totum tempus comprehendit, præsens intuitus Dei fertur in totum tempus, & in omnia, quæ sunt in quocunque tempore, sicut in subjecta sibi præsentialiter* & eadem 1. part. quæst. 57. art. 3. in corp. *Deus videt omnia in sua æternitate, quæ cum sit simplex toti tempori adest, & ipsum concludit, & ideo unus Dei intuitus fertur in omnia, quæ aguntur per totum tempus sicut in præsentia.* In 1. distin. 38. quæst. un. art. 5. in corp. *Omnis cognitio est secundum modum cognoscentis. Cum igitur Deus sit æternus, oportet quod cognitio ejus modum æternitatis habeat, qui est esse totum simul sine successione. Unde sicut, quamvis tempus sit successivum, tamen æternitas ejus est præsens omnibus temporibus, una, & indivisibilis, ut nunc stans; ita & cognitio sua intuetur omnia temporalia, quamvis sibi succedentia, ut præsentia sibi, nec aliquid eorum est futurorum respectu ipsius, sed unum respectu alterius. Unde secundum Boetium melius dicitur providentia, quam prævidentia, &c. sed tamen potest dici præscientia in quantum cognoscit id, quod futurum est nobis, non sibi.*

Quibus in locis vix poterat D. Thomas clarius explicare coexistentiam ab æterno inter æternitatem, & futura provenire ex perfectione æternitatis ab æterno occupantis omne tempus, ab æterno se extendentis ad omnia futura, ex quâ constituitur coexistentia Physica ab æterno inter æternitatem, & futura, esse rationem, cur divina cognitio ad eadem ab æterno modo intuitivo extendatur, & futura habeant ab æterno in divino intuitu esse intentionale, & objectivum.

Quid autem, & quotuplex sit futurorum contingens, vide apud eumdem D Thomam ac Theologos contra Lutherum, & alios hæreticos efficientes, nihil esse in mundo contingens, sed omnia evenire necessario, quorum errorem jam antea refellerat idem D. Thomas *quæst. 2. de verit. art. 2.* & post eum Driedo *de Concord. lib. cap. 2.* Medina *l. 2. de recta in Deum fide cap. 2.* Molina *disp. 1.* Palacios. *in 1. dist. 38. q. 2.* & Carthusianus, referens pro eodem errore Mahumetem. Castro *de hæres. V. fatum, & V. futurum contingens.* Coccius *tom. 1. thes.* Bellarminus, Gravina, Boverius post Patres, præsertim Augustinum *d. lib. 5. de civit. cap. 9.* ubi impugnat Tullium *l. 2. de divinat.* in quo videtur negare a Deo cognosci futura, & si aliqui eum in hoc excusent, quod *l. 3. de nat. Deor.* videtur admittere Deorum providentiam, & hujusmodi futurorum cognitionem. Sic etiam interpretes Aristotelis, illum purgant ab hoc errore, quem ei tribuunt ex Patribus aliqui, ut diximus.

Ac ita quidem proprium est Dei futura hæc cognoscere, ut nulli creaturæ, etiam possibili suapte natura competere valeat. Quod docent communiter Theologi cum D. Thoma *loc. cit.* Estque de fide, & probatur Isaiæ 41. verbis superius adductis. *Dicite quæ ventura sunt nobis, & dicemus, quia Dii estis*, & cap. 44. *Ego primus, & novissimus, & absque me non est Deus quis similis mei.* Et ut id probet, subdit: *Vocet, & annunciet, & ordinem exponat mihi, ex quo constitui populum antiquum, ventura & quæ futura sunt annuncient eis.* Joan. 13. *Dico vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis, quia ego ipse sum.* Etenim cognitio creata causatur ab objecto, aut ab aliquo supplente vicem objecti, quod est in statu cognoscibilitatis. Atque adeo non potest cognoscere futura. Quia futura nondum habent esse, per quod possint causare cognitionem. Undè neque etiam est debitum aliquod supplementum secundum ordinem causarum secundarum.

De præscientia vero Dei speciatim agunt Eusebius Cæsariensis *l. 6.* de præpar. Evang. Boetius *l. 5. de cons. philos.* Augustinus *l. 5. civit. cap. 8. & l. 3. de l. art.* Anselmus *de concordia præscientiæ cum l. art.* Joannes Picus *l. 4. Contra Astrologos*, & omnes, qui de providentia, & prædestinatione recentiores Theologi atque Philosophi disseruerunt, ac præcæteris Sixtus V. Pontifex Summus in sua Constitutione adversus Astrologos, ubi universim negat creaturæ, etiam Angelicæ, non modo liberorum, sed etiam casualium, & fortuitorum notitiam. Loquitur namque etiam de Dæmonibus. Alias non esset proprium Dei cognoscere futura omnia, de quibus ibi loquitur Pontifex, si Dæmoni competeret, qui si revelaret Magis, posset quis licitè uti illa arte vel cognitione, non amplius dependente à Dæmone.

Sancti verò adhuc in mortali corpore militantes, tantâ sæpe Spiritus Sancti luce, & gratia illustrantur, ut absentia, præterita, & futura non minus quam præsentia videant, & intelligant. Non enim ait D. Petrus 2. *cap.* 1. voluntate humana collata est prophetia, sed spiritu Sancto inspirante, cui assentit D. Paulus 1 *Cor.* 12. inquiens. *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia; primùm Apostolos, secundo Prophetas &c.* Sic Sancti Dei plura prædixerunt de Messia, & aliis futuris liberis, imò & supernaturalibus, & à divina tantùm voluntate dependentibus, ut patet ex S. Scriptura, præsertim ex Isaia, qui Hieronymo *epist. ad Paulinum* non prophetiam videtur texere, sed Evangelium. Imò etiam post Christi mortem prophetia in Ecclesia catholica jugiter continuavit in Simone, Anna, Joanne, ex Luca *cap.* 1. & 2. & post eos in Agabo, *Act. cap.* 11, & filiabus Philippi; ut per Marul. *l.* 4. *cap.* 14. & in Apocalypsi Joannis, & ab ineunte Ecclesias frequens fuit in Electis 1. *Cor.* 14. in Brigitta, in Geltrude, in Catherina Senensi, in Theresia, in aliis; & adhuc perdurat, ut probat Gravina, & Torreblanca, & ut olim, sic & hodie *cap.* 12. *ejusd. epist.* ad Cor. & ad Ephes. *cap.* 4. Undè refellitur delirus error Roggerii, & Bachonis, qui prophetiam Astrorum affectionibus tribuunt, Aristotelis, & Platonicorum, qui corporis humoribus, Avicennæ, & Algazelis, qui naturali industriæ, studioque adscribunt. Licet enim sit propria Dei futurorum cognitio, tamen communicat illam creaturis supra naturam. Sicut gratia, & gloria, quæ sunt ordinis divini, & Dei propria, modo altissimo, sed limitate, creaturis communicantur. Per illam namque efficimur divinæ consortes naturæ, ut ait D. Petrus. Atque ideo D. Thomas *q.* 12. *de verit. & 2. 2. q.* 172. Patres ac Theologi communiter fatentur, Donum prophetiæ Sanctis communicatum fuisse, ac prædicere futura, vel procul distantia, & cogitationes cordium, de quo Gravina in Lapide Lidio, & confirmatur ex Sacris Scripturis, & Patribus tum Græcis, tùm Latinis apud Coccium *tom.* 1. *fol.* 496

Sancti autem in cælo triumphantes, ac divini Spiritus lumine illustrati, nulla locorum intercapedine impediuntur, quominus absentia & futura cognoscant, & nostra vota percipiant.

Id negat Vigilantius, teste Hieronymo contra Vigilantium cap. 3. & Vigilantiani adhuc dicunt, Sanctis non esse supplicandum, quod nesciant quid hic circa pulverem ipsorum agitur.

Vualdenses inquiunt, Sanctos nec audire, nec attendere preces nostras.

Martinus quoque Lutherus *ad cap. 9. Ecclesiast.* ait: *Salomon sentire videtur, mortuos sic dormire, ut prorsus nihil sciant, & planè credo, non esse in Scriptura locum fortiorem pro mortuis dormientibus, & nihil intelligentibus rerum nostrarum contra Sanctorum invocationem, & purgatorii figmentum, &c. Nulla, subdit Salomon, est ibi cogitatio, ars, cognitio, sapientia. Sensit ergo, mortuos omnino dormire, & nihil prorsus sentire. Jacent ibi mortui, non numerantes dies, vel annos, sed excitati videbuntur sibi vix momentum dormisse.*

Prosequitur idem Lutherus in Jonam. *Ego puto mortuos sic ineffabili, ac miro somno consopitos, ut minus sentiant, aut videant, quam hi, qui alias dormiunt. Deus nos fecit similes bestiis dormiendo, vigilando, comedendo; anima enim humana dormit omnibus sensibus sepultis.*

Christiannus Rodingus contra Scholas Jesuitarum, Deiparam Virginem sic loquentem inducit: *Desine me salutare, & salu-*

& salutando venerari. Desine Sanctos, & vita defunctos adorare, stam tuam salutationem, tuasque preces execramur. Tu ubi terrarum sis, quid agas denique an mortuus sis, neque scimus, neque curamus; tantum abest, ut te precantem exaudiamus.

Asserunt id tamen Sacræ Litteræ, ac Patres, Clemens Alexandrinus *l. 6. strom.* Origenes *de princip. l. 2. c. 12. & l. 8. contra Celsum,* Athanasius *q. 11. de animabus Sanct.* Basilius *de vera virginit.* Gregorius Nazianzenus *orat. 11.* quæ est in laudem Gorgoniæ, Gregorius Nissenus *orat. de S. Theodor.* Maximus Monachus *ad c. 7.* Dionysii Areopagitæ *de Eccles. hierarch.* Germanus Constantinopolitanus *Serm. 2. de assump. Mariæ;* Simeon Metaphrastes *in martyrio* S. Anastasiæ martyris, Theodorus Ducas *de Communicatione naturali in extremo serm. 6.* Ambrosius *l. de viduis,* Hieronymus *adversus Vigilantium c. 2.* Augustinus *Carm. de gaudiis Paradisi,* Gregorius Magnus *l. 2. dialog. c. 35.* Beda *ad c. 16. Lucæ,* D. Thomas 2. 2. *q.* 95. *ar.* 2. *ad* 3 *& q.* 174 *art.* 6 *ad Cor.* 14. *& ad Rom. lect.* 2. *c.* 1. *& alibi sæpius,* Gravina in *lapide lydio,* & Turreblanca in *opere Spirituali l. 6.* & Coccius *tom. 1. l. 5.*

Sibyllas verò credit Delrius *l. 4. c. 2. q. 6.* post Joannem Franciscum Picum *de rerum prænotione l. 4.* Secundum communiorem sententiam spiritu fanatico locutas, quem impugnat Nazarius *tract. de magia q. 6. contr. 2.* Idem Picus ibidem plures asseri ex antiquis, præcipuè Gentilibus affirmantes, Sibyllas furore correptas futurorum eventuum vaticinia protulisse. Aristoteles *in 30. sect. probl.* Sibyllas atræ bilis æstu circa mentis sedem succenso exagitatas, demonstrare contendit. Cornelius verò Tacitus testatur Augustum, cum suis temporibus plura vana sub nomine Sibyllarum circumferrentur, jussisse, conquisita Samo, Erythrea, Ilio, Africa, & per Italicas colonias carmina intra certum diem ad Præfectum Urbis afferri, & censuram, ac judicium quindecim virorum adhiberi, ne haberi privatim liceret; quod jam à majoribus erat cautum.

Cajetanus autem super *art. 6. 2. 2. q. 172.* ait, D. Thomam diversè loquutum de Sybillis, cum materia sit incerta, puta de individuis non pertinentibus ad fidem, & ideo *inibi ad* 1. Sibyllas inter Dæmonum prophetas computat, & *ead.* 2. 2. *q.* 3. *art.* 7. *ad* 3. inter personas, in fide Christi explicitè salvatas, numerare videtur his verbis: *Multis Gentilium facta fuit revelatio de Christo, ut patet per ea, quæ prædixerunt.* Nam Job 19. dicitur. *Scio, quod Redemptor meus vivit.* Sibyllæ etiam prænunciaverunt quædam de Christo, ut Augustinus ait *l. 13. contra Faustum c.* 15. Invenitur etiam in historiis Romanorum, quod tempore Constantini Augusti, & Helenæ matris ejus, inventum fuit quoddam sepulchrum in quo iacebat homo, auream laminam habens in pectore, in qua scriptum erat *Christus nascetur de Virgine, & credo in eum. O sol sub Helena, & Constantini temporibus iterum me videbis.* Deinde prosequitur loqui de his qui habuerunt tantùm fidem implicitam quorum multi apud Dionysium *c. 9. cælest. hierarch.* adepti sunt salutem per ministerium Angelorum. Idemque D. Thomas *in 3. dist. 25. q. 2. art. 2. q. 2. ad 3. & de verit. q. 14. art. 11. ad 5.* ait, probabile est multis gentibus mysterium redemptionis nostræ, ante Christi adventum fuisse revelatum, ut patet ex Sibyllinis vaticiniis.

Sixtus Senensis *l. 2. bibl. V. Sibylla,* inquit Sibyllas omnes fuisse vates Deo plenas, perpetua virginitate florentes, futurarum rerum præscias.

Michael Medina *de recta in Deum fide l. 2. c. 9.* sic habet: Inter ea, quæ de Christo, & Evangelica Religione testimonia sunt lata, magnopere sunt admiranda, quæ Sibyllæ, quas divino Spiritu afflatas, uno excepto Cicerone, quod em Christianæ religionis non caperet, profani Authores, & Sancti Patres conveniunt, edidisse. Hoc idem asserit Nazarius *loco citato,* & Torreblanca *l. 1. c. 11.* eas donum prophetiæ obtinuisse, tradit, quas Augustinus *l. 18. de civit. c. 23.* inter pertinentes ad Dei civitatem connumerare non dubitat.

Eas decem fuisse, prodit Lactantius *l. 1. adversus Gent.* Hieronymus *1. advers. Jovin.* quarum cognomina, & patria hæc sunt. Cumæa, Cumana, Persica, Hellespontica, Lybica, Samia, Delphica, Phrygia, Tiburtina, Erithrea, de quibus distinctim, & de illorum miraculis idem Sixtus *loc. cit.* Vigliegas *l. de Sanctis Prophetis,* credens illas salutem consequutas, quia legem naturalem observarunt, Deum unum cognoverunt, & earum aliquas etiam mysterium Incarnationis, aliaque ad Christum spectantia crediderunt, ac prædicarunt, & monumentis perpetuis reliquerunt.

Ex his ego tenendum puto, Sibyllas, divino spiritu afflatas, mysteria supra naturam prædixisse. Depromitur ex Patribus, estque Christianæ pietati, & Ecclesiæ dictis valde consonum; & in primis D. Paulo, adhortante suos ad lectionem Sibyllanorum voluminum his verbis relatis à Clemente Alexandrino *l. 6. strom. Libros græcos sumite, & Sibyllas cognoscite, quomodo unum Deum significent, & ea quæ futura sunt; & invenietis in eis Filium Dei clarius, & apertius scriptum.* Justinus Martyr *in admon. gent. de Sibylla Cumæa* ita scribit. *Ut cultum Dei ex parte condiscatis, facile vobis præstabitur ex antiqua Sibylla Cumæa inspiratione quapiam per oracula vos edocente, quæ nimirum Prophetarum Doctrinæ proxima videtur.* Et post pauca: *De Salvatoris autem nostri Jesu Christi adventu, & de his omnibus, quæ is facturus erat, manifestè pronunciat, quorum notitia nobis necessaria quædam præexcitatio futura est ad sacrorum propheticum Virorum.* Augustinus quoque *in exposit. epist. ad Rom.* de Sibyllinis Vaticiniis hæc prodit: *Fuerunt & inter Gentiles Prophetæ, in quibus etiam aliqua inveniuntur, quæ de Christo cecinerunt, sicut etiam de Sibylla dicitur, quod non facile crederem, nisi quod Poetarum quidam in Romana lingua nobilissimus, antequam diceret ea de innovatione sæculi, quæ in Domini nostri regnum satis concinere, & convenire videntur, præposuit verbum dicens: Ultima Cumæi venit jam Carminis ætas. Cumæum autem Carmen Sibyllinum esse, nemo dubitaverit.* Idem Augustinus *l. 18. de civit. c. 15.* postquam viginti septem Erythrææ Sibyllæ Carmina attulisset, quorum litteræ capitales sic erant ordinatæ, ut hæc verba componerent: *Jesus-Christus, Dei Filius, Salvator,* Subiungit. *Hæc autem Sibylla, sive Erythrea, sive ut magis quidam credunt, Cumana, ita nihil habet in toto Carmine suo, cujus exigua ista particula est, quod ad Deorum falsorum sive fictorum cultum pertineat, quin imo ita etiam contra eos, & contra cultores eorum loquitur, ut in eorum numero deputanda videatur qui pertinent ad civitatem Dei.* Ac ibidem *& alibi* de Sibyllinis oraculis loquitur, veluti de divinitus inspiratis. Quod & ante ipsum egit Eusebius Cæsariensis, Arnobius & Lactantius Firmianus, qui Sibyllarum carminibus, quasi Vaticiniis contra Gentium infidelitatem utuntur, ac videtur approbare Ecclesia in prosamenica Nativitatis Domini, decantans si non suis Vatibus credat, vel gentibus Sibyllinis versibus. Ac ita tandem docet D. Thomas *d. q. 172. art. ult. ad 1.* ubi eas non inter Dæmonum prophetas enumerat, sed occasione prophetarum Dæmonum, qui veritatem enunciarunt divino numine instincti, ut Balaam, Sibyllas etiam commemorat, plura vera de Christo prædicentes. Quæ quoniam fuerunt supra naturam, necessario quidem dicendum est Spiritu Sancto inspiratas illa protulisse. Et quia mysteria, quæ proferebant etiam credebant, hinc est quod non absque ratione dixerit fuisse salutem assequutas per fidem Christi explicitam.

Nec deest ratio. Nam Sibyllæ mysteria gratiæ suis carminibus ita clarè ac distinctè prædixerunt, ac si ea propriis oculis jam facta inspexissent. At dæmoni hæc non innotuerunt distinctè & clarè quò ad nomen Salutiferæ passionis, resurrectionem, ascensum in cælum, & alia. Quibus addas has Sibyllas virginitatem servasse, solitudinem coluisse, virtutes exercuisse, ut liquet ex historiis Ecclesiasticis, quæ omnia abhorrent Dæmones.

Ex quibus audacter magis, quam perite dixit Delrius, & non nemo alius has Sibyllas spiritu fanatico loquutas, idque secundum communiorem sententiam.

Sed adhuc dices. Sibyllæ Deos plures colebant, ut

aliæ Gentes vel saltem ignotum Deum. Num igitur Salutem consequutæ? Respondetur, eas peculiari modo verum Deum coluisse, quem cognoscebant, imò & futurum redemptorem, idque per revelationem, Et quòad Deum Gentium ignotum probat Hieronymus *lib. 1. contra Crescon. cap.* 29. Athenientes sub nomine ignoti Dei verum Deum coluisse. Et *in epist. ad Rom. cap.* 3. ait: Nam Sapientes Gentilium, quod invenerint creatorem manifestè idem Apostolus cum Atheniensibus loqueretur, ostendit. Dixitenim *c.* 17. *Act.* Inveni Aram, in qua scriptum erat Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis. Fuit enim verus Deus Gentilibus, non tantum ignotus, sed etiam absconditus, & abstrusus non solum propter ineffabile nomen Tetragrammaton, sed etiam propter ejus naturam inperscrutabilem. Undè idem Hieronymus *lib.* 4. *in Ezech. cap.* 16. docet, Dei Majestatem obscurè saltem Gentibus istis incognitam non fuisse, ut erat Judæis utentibus Tetragrammaton ineffabili nomine. Et Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *strom. cap.* 9. tradit, quod quia Deus est invisibilis, & inscrutabilis, rectè sub nomine ignoti Dei à Gentilibus fuit adoratus: Aram, inquit, Ignoti Dei. Per hanc enim honorari quidem per circumlocutionem à Græcis opificem Deum significavit. Romani quoque Deum verum coluisse sub nomine incerti Dei, vel ignoti, Narrat Augustinus *lib.* 3. *de civit. cap.* 12. Ostenditque Torreblanca *lib.* 3. 10. *cap.* 13. *Spirit. jur.* alias nationes colentes Ignotum Deum ex Philostrato, Laertio & Pausania apud Cælium Rodig. *lib.* 22. *antiq. lect. cap.* 2. Strabon. *de situ orbis lib.* 3. S. Martiale *cap.* 3. *& aliis*, addens Cordubiæ extitisse templum magnificentissimum, in quo adorabatur verus Deus ignotus, solo deindè æquatum ab Arabis, Hispaniam invadentibus. Undè conatur ostendere Hispanos provincias plures fundasse non solum in Europa, sed etiam in Asia, & Africa Religionem hanc ignoti Dei induxisse, tueturque Hispaniam à rusticitate illi attributa ab Antiquis Autoribus. Imò ex Hispania, inquit, ab Antiquis Sapientia insignes viros evasisse, qui totum orbem illustrarunt. Imò & Aristotelem peripateticorum Principem, Hispanum prædicat, mirum quod, & non Platonem. At postea melius rectè considerans, revocavit sententiam cum ipso sepultam. Tantus est parodoxorum, & patriæ Amor. An autem peccarent homines si non cognoscerent Deum, nec aliquam legem, tractat luculenter Joannes Baptista Rossi *tom.* 2. *de potent. sit. obeditiali*, Cardinalis de Lugo, ac Cepullus *de incarnat.*

Quæ autem prædixerint de Salvatoris primo, & secundo adventu, ejusque vita, morte, ac resurrectione referunt citati autores, speciatim Sixtus Senensis, Medina *loc. alleg.* ac Torrebl. *in opere spirit. cap.* 2. *lib.* 8.

Fuerunt tamen præter has Sibyllæ Gentilium, quas congessit Strabo *l.* 14. *Geograph.* quæ idolorum cultum atque hominum cædes suaserunt, ut videre est apud Livium, Plinium, Sigonium, & Dionysium Halicarnasseum. Tales fuerunt Cassandra, Xenodea, Melissa, Lampusa, & aliæ cultrices Dæmonum, ut tenent Ambrosius 1. *ad Cor. c.* 2. Augustinus *in orat. de* 10. *hæres* D. Thomas *præfato loco* 2. 2. Delatorre *tom.* 2. *de vitiis oppos. relig. num.* 95. *art.* 3. *disp.* 3. Suarez, Carena, Torreblanca post Lactantium *lib. prim. c.* 16. Livium *lib. prim. decad.* 5. Plutarchum, Tullium & alios.

Sibyllæ autem Cumeæ tribuuntur libri fatales, quos Romani magna veneratione asservarunt, de quorum historia ita Aulus Gellius noster *l.* 1. *noct. Attic. c.* 19. à pluribus mendis, quibus hic scatebat, emendatus. *In antiquis annalibus memoria super libris Sibyllinis hæc prodita est, Anus hospita, atque incognita ad Tarquinium superbum Regem adiit, novem libros ferens, quos esse dicebat divina oracula; eos velle dixit venundare. Tarquinius pretium percunctatus est. Mulier nimium, atque immensum poposcebat. Rex, quasi Anus ætate desiperet, risit. Tunc illa foculum coram eo, cum igne apposuit, & tres libros ex novem deussit. Et ecquid reliquos sex an eodem pretio emere vellet, Regem interrogavit. Sed enim Tarquinius id multo risit magis, dixitque anum jam proculdubio delirare. Mulier itidem, statim tres libros alios exussit, atque id ipsum denuo placide rogavit, tres reliquos eodem illo pretio emat. Tarquinius ore jam serio, atque attentiore animo fit, eam constantiam, confidentiamque non insuper habendam intelligit, & libros tres reliquos mercatur nihilo minore pretio, quod erat petitum pro omnibus. Sed eam Mulierem tunc à Tarquinio digressam, postea nusquam loci visam constitit; libri tres in Sacrarium conditi, Sibyllini appellati. Ad eos, quasi ad oraculum quindecim Viri adeunt, cum Dii immortales publicè consulendi sunt.* Eadem enarrat Plius *lib.* 13. *cap.* 13. Dionysius Halicarn. *lib.* 4. Valerius Max. Livius *lib.* 7. *ab Urbe cond.* Franciscus Picus *lib.* 5. *prænot. cap.* 9. Bulengerus *lib.* 4. *divinat. cap.* Unde Libri fatales fuerunt dicti, annotante Suetonio in Julio *cap.* 79. quia fata Romana continebant.

Earum oracula foliis palmarum notabantur; Unde Virgilius Ænead. 3.

Quæcumque in foliis descripsit carmina Virgo.

Fuerunt quidem carminibus conscripta ob majorem venerationem. Nam Poësis cum dono prophetiæ conferebatur. Unde Prophetis, ac Poetis nomen commune fuit. Vates enim appellati & vaticinare idem ac prophetare *primo Regum cap.* 19. Paralip. 2. *cap.* 18. Esdra 2. *cap.* 6. Sapientiæ 14. Jeremiæ *cap.* 27. Ezechiæ *cap.* 11. Legesis Cassaneum *in catal. gloriæ mundi*, Mouram *de Ensalmis* & Torreblancam *in epit. cap.* 1. *nu.* 6. & in *addit ad cap.* 12. 1. *lib.* § 31. *& seqq.*

CONSULTATIO LXXVII.

De Campanis prodigiosis, ac Gemmis Rationalis Summi Sacerdotis Hebræorum, futura prædicentibus, ac de Oraculis terra effossis, Ubi decretum S. Officii Inquisitionis de Libris, & Laminis Granatensibus.

IN Hispaniæ Oppido Vililla, sito ad ripam Iberi haud procul Cæsaraugusta, est notitia, & Autorum memoria percelebris campana quæ nobilissimos quoque eventus, seu tristium, seu lætorum pro Christiana Republica prænunciat,

prænunciat sonitu, nullo impellente. Auriti, & oculati testes plurimi hoc serio affirmant. Vairus *lib.* 2. *de fascino cap.* 14. se ait, hujus rei testimonium per publicos tabelliones transmissum à Proregibus illius Regni sæpius legisse. Joannes Mariana *lib.* 21. *de reb. hispan. cap.* 1. pulsum eam edidisse sponte scribit, pridiè quam captus fuit Aragonum Rex Alphonsus à Genuensibus, & iterùm ac tertio sonuisse, quo tempore composito Mediolani fœdere Aragonius in libertatem est restitutus. Ante mortem Philippi secundi, atquè aliquoties ultimis hisce temporibus pulsatam audierunt testes fide digni. Undè Joannes Eusebius Nierembergius *de mirac. natur. in Europa lib.* 1. *cap.* 8. *Quid opus est*, inquit, *aggerere Autores, cum testatissima res sit, & ipse quater, aut quinquies nostris diebus audivi pulsatam, quod fide publica, & multis testibus comprobatum, Regibus nostris renunciatum fuit insigni aliquo eventu subsequente.* Sic ipse, qui apud Japones scribit in fine capitis admirationi esse campanam adsimilem, quà tumultus, ait, & simultates enunciari, ut de miraculis patratis à Vestalibus, aliisque Gentilibus ob fines Deo notos, vel à dæmone Deo permittente, plura futura vel distantia à nobis cognoscente, quæ illi sunt cognita in causis.

Salerni cænobium est Patrum Dominicanorum, cui fama est, tum ab insigni thesauro, nempe manu D. Thomæ Aquinatis, tum à notula, quæ fune nullatenus revincta sonum edit, quoties est moriturus aliquis Religiosorum ex ea familia si æger quispiam decumbit, salva res videtur; sed magnopere anceps, si omnes valent prospere, testibus Angelo Rocca, & Kircherio. Ferunt etiam ex relatione ejusdem Cœnobii, cùm noctu diriperetur argentea theca, in qua includebatur manus D. Thomæ, campanulam eandem sponte sonuisse, veraque dedisse indicia, mane fuit manifestum. Post enim diliculum, reperta est manus super aram absque argentea ejus chirotheca.

Joannes Lupus Episcopus Monopolitanus & Castillus *in centuriis Ordinis Dominicani* perhibent ejus ingenii campanulam sponte vocalem in Zamorensi cœnobio S. Dominici, ultro tinniendo, fatum semper portendere, aut alicujus Religiosi ex ea familia, aut primarii saltem viri ex Ordine Dominicanorum. Idem Episcopus, in monasterio Camorensi hujus etiam Ordinis in Hispania, pulsu suo, ait, triduo ante præmonere aliam nolulam, quando ibi ex domesticis aliquis est è vivis excessurus.

Syrius *in vita S. Meinulphi tom.* 5. scribit, esse Campanulam in Parthenio cœnobio Saxoniæ Bodkensi, seu Budicensi, cui magna est reverentia vel ideo, quia Sanctimonialibus spontaneo strepitu prædicit mortem imminentem. Quod etiam testatur Gibellinus *in vita Meinulphi.*

In Stiria est monasterium aliud sanctimonialium Ordinis S. Benedicti, quod Gossense appellatur, & in quo solum, quando ex hac vita migratura est loci Antistita, major campana duabus, aut tribus hebdomadis ante obitum nemine trahente, funebrem sonum edit.

Id verò anno 1611. Patres Societatis annuis litteris Provinciæ scripserunt contigisse, qui astiterunt Antistitæ morienti, atque eam sacra Exomologesi expiarunt.

Enimverò est quædam felicitas major Ascetarum utriusque sexus, qui in religiosis iis domiciliis degunt ut vitam in eis cum virtute ac sanctimonia exigant; quandoquidem non veniunt imparati ad momentum, quod est decretorium æternitatis, pænunciato nimirum exitu obstrepera ea parænesi funebrium metallorum.

Sic ad sepulchrum S. Jacobi Compostellæ seditiones futuras præsignificant instrumenta bellica & strepitus, sicut & collisio ossium Ferdinandi Gonzalez declarat victorias Catholicorum contra infideles. Similia leges apud theatrum vitæ humanæ *de prodigiis*, apud Ægesippum, ac Josephum *de signis præscii excidii Hierosolimitani,* & apud Cornelium Gemmam *in Cosmocriticis*, aliosque

Porro sonitus hos miraculosos, opitulantibus Angelis tutelaribus excitari, sicut & de Prophetis, ac miraculis, dicendum puto; nec tamen negandum quandoque id evenire dæmonum opera, ut in oraculis antiquis contingebat, & in locis infestis nunc sæpe contingit.

Quod verò ad Gemmas Rationalis Summi Sacerdotis, certum est, illas naturaliter non prænunciasse futura, vel abscondita, sed tantum supra naturam. Unde dicebatur Deus dare responsum in Ephod per Urim, & Thummim.

Est autem difficile id explicare, inquit Augustinus *q.* 127. *in Exod.* an scilicet sono vocali, quem Angelorum aliqui excitarent, revelaretur secretum, an interiori aliquo afflatu Sacerdotem erudierit Deus, illoque instructus Principem, vel interrogantes certiores de omnibus redderet.

Hugo credit, inscriptos fuisse characteres in gemmis, qui nutu Dei combinati Pontifici referebant divinum consilium.

Anastasius Nicenus autumat, fuisse adamantem, qui ingresso Pontifice in sancta Sanctorum, si populus peccato pollutus esset, nigresceret, si non peccasset albesceret, durasseque usque ad tempus Zachariæ, imò in nativitate Joannis, ejus filii, mirifice splenduisse.

Rabbini quidam affirmant, litteras duodecim Tribuum hisce lapidibus insculptas ita coivisse, ut sacerdos ex illis dictiones concinnare, & quæsitis respondere posset.

Majolus *tom.* 2. *dict. collog.* 2. aliique contendunt, Deum ad gemmarum præsentiam Sacerdoti spiritum prophetiæ conferre solitum, non autem in fulgore illarum; quia tot, tantaque minuta exprimere non poterat, sed in voce.

Id tamen est valde diminuere divinam omnipotentiam, quòd nisi mediis gemmis, aut quolibet alio repræsentare quælibet nequeat, ut proinde nonnulli apud Mouram *sect.* 2. *cap.* 15. teneant, revelationem illam nihili esse faciendam.

Sunt autem quidam apud Tyræum *lib.* 2. *de apparit. cap.* 21. qui arbitrantur, Sanctissimum Dei nomen Tetragrammaton lapide inscriptum, repræsentasse mysteria.

Alii existimant, quendam lapidem specialem fuisse à duodecim ipsis lapidibus distinatum, cujus color, intrante Sacerdote Summo adita interiora Tabernaculi pro rerum vel adversarum vel prosperarum varietate, immutaretur.

Flavius Josephus *lib.* 1. *antiq. cap.* 11. tradit à gemmis prosiliisse mirum quendam fulgorem quoties belli alicujus gerendi protector, & adiutor Deus consulebatur, adeo, ut ad Sacerdotis aspectum universæ statim multitudini constiterit, Deum affatum.

Refragatur tamen Tyræus, quia non de bello tantum Deus consulebatur, sed etiam de modo res quasdam agendi interrogabatur, & aliquando correspondebat interrogationi negative, ut 2. *Reg. cap.* 5. Davidi Dominum consulenti, an contra Philistæos ascensurus esset, fuit responsum, non ascendas &c. At certe non exclusit Josephus alias significationes, cum fulgor à Deo elevatus quælibet significare posset

Quod autem ita fuerit, probatur ex ipsa Scriptura *primo Reg. vigesimo tertio*, ubi sic habetur Cùm David rescisset quod præpararet illi clam malum Saul, dixit ad Abiathar Sacerdotem: *Applica Ephod. Et ait: si tradent me viri Ceila in manus ejus, & si descendet Saul, sicut audivi*

audivit servus tuus? Domine Deus Israel indica servo tuo. Et ait Dominus; descendet. Dixitque David: Si tradent me viri Ceilæ; & viros, qui sunt mecum in manus Saul? Et dixit Dominus: Tradent.

Ex quo reprobantur, qui contendunt codicillos applicari ipsis *Urim* & *Thummim*, in quibus interrogata scripta erant, sed viva oratione responderi applicata Ephod constat ex dicta sacra Scriptura. Poterat tamen etiam Deus respondere per codicillos, & per illos haberi veritas, sicut refertur, Joannem Papam quandam Epistolam contra hæreticos scripsisse, ac illam D. Petri tumulo superposuisse, expostulans, ut si aliquis defectus adesset illum apostolica manu corrigeret. Et factum est. At hoc modo non oportebat. Propter absentes enim sunt epistolæ, Deus autem est præsentissimus. Et aliàs subitò non potuisset consuli, ut opus fuit aliquando, cùm priùs tempus scribendis codicillis consumi debuisset.

Et quidem octo autem erant ornamenta Pontificis. Feminalia linea. Vestis linea. Balteus ceu cingulum. Tunica hyacinthina. Ephod, sive superhumerale. Rationale judicii. Cidaris, sive Tiara. Lamina aurea. De his agitur *Exodi* 28. Quatuor ex iis erant propria Pontifici, ut Tunica hyacinthina, Ephod, Rationale, & Lamina aurea. Reliqua communia cum aliis Sacerdotibus.

Super Tunicam hyacinthinam erat Ephod, quod tegebat humeros, & anteriorem partem usque ad cingulum. Erat autem contextum ex auro, hyacintho, purpura, cocco bis tincto, & bysso retorta, *Exod.* 28. *versu sexto.* In utroque latere versus humeros habebat duos lapides onychinos, auro inclusos; unum à dextris, alterum à sinistris, in quibus sculpta erant nomina duodecim filiorum Israel: sex nomina in uno lapide, & sex in altero juxta ordinem nativitatis eorum, *Exod. ibidem, v.* 9.

In anteriori parte superhumeralis, ad pectus Pontificis ligabatur Rationale judicii, Hebræi vocant Koscen, id est pectorale, Græci Logion, id est Rationale. Conficiebatur autem ex eadem materia, qua Ephod, nempe ex auro, hyacintho, purpura, cocco bis tincto, & bysso retorta. Figura quadrangulum. Densitate duplex ad Ephod relatum. Longitudine, & latitudine, mensura palmi. *Exod. loco citato vers.* 16. In hoc rationali erant duodecim lapides pretiosi, inclusi auro, & distincti per quatuor ordines, in quibus etiam sculpta erant duodecim nomina filiorum Israel, *inibi vers.* 17. Atque ita confectum, & exornatum catenis aureis, & fasciis tam firmiter affigebatur superhumerali, ut à se invicem non potuerint separari, *vers.* 28. Porrò in Rationali posita erat. *Doctrina & Veritas super pectus Pontificis* vers. 30. Hebraicè *Urim*, & *Thummim.*

In tribus autem casibus constat ex Scriptura solitum esse Pontificem gestare Ephod. Primò in consecratione. Quando enim mortuo Pontifice alius subrogabatur, necesse erat solenni ritu eum consecrari, quod fiebat assumptione habitus Pontificalis, & unctione capitis, *Exodi* 29. *vers.* 29. Secundò in ingressu Sanctuarii, quando sacrificabat, & deprecabatur pro populo, *ibidem.* Tertiò quando consulebat Deum in rebus dubiis.

Qua in re tres modi fuerunt consulendi Deum in rebus dubiis, & accipiendi ab eo responsa. Primus per visionem, & somnia. Secundus per Sacerdotes. Tertius per Prophetas. Hoc colligitur ex illo 1. Reg. cap. 28. v. 6. *Consuluit Saul Dominum, & non respondit illi neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas.*

Recordor jam illud Ciceronis: *Animus defessus audiendo, aut admiratione integratur, aut risu renovatur.* Renovet igitur fessum Lectoris animum multiplex modus consulendi per summos Sacerdotes, de quo nunc agimus, sic habebat. Rex, aut Princeps, aut Populus Israelitarum, si quando dubitabant, quid in rebus magni momenti agendum sibi esset, jubebantur adire Pontificem, sive Summum Sacerdotem, qui indutus Ephod consulebat pro ipsis Deum, *Num.* 27. *vers.* 21. Quæstio autem immediatè proponebatur Pontifici, & Pontifex Deo, & propositio fiebat coram Arca, si adesset, secus si abesset. Dissentiunt verò ut diximus Doctores, quomodo Deus solitus sit dare responsa Pontifici interroganti. Aliqui putant per Angelum voce humana loquentem. Alii per occultam Spiritus Sancti revelationem. Alii per schedulam. Alii, inter quos Josephus, per splendorem gemmarum, sive lapidum, qui erant in Rationali supra pectus Pontificis. Quod sic explicant. Si lapides, sive gemmæ plus solito splendescerent, signum erat feliciter successurum. Si minus solito, malè successurum. Si nec plus, nec minus, sed more naturali splendescerent, signum erat, Deum non velle respondere. Et sic putant accidisse, quando Saul consuluit Deum per Sacerdotem.

Aliter hoc pacto. Legitur apud Rabbinos in libro, cui titulus *Hen Israel*, tractatu *de expiatione cap.* 62. quòd Summus Sacerdos petebat responsa ex pectorali, & humerali, quod ita declarat Rabbi Salomon. In Urim, & Thummim erat scriptum nomen Tetragrammaton, quod ab Hebræis dicitur Scem-Ameforasch. Erat positum in plicatura pectoralis quæ erat quadrata unius palmi. Hujus nomini virtute dilucidabantur verba, id est, quando Summus Sacerdos applicabat mentem uni parti dicti nominis, quæ appellatur Urim, dilucidabantur litteræ, in quibus dabatur responsium petitioni, sed confusè sine ordine. Quando postea dirigebat mentem ad alteram partem litterarum, quæ dicitur Thummim, componebantur litteræ ordinatim ad verba. In lapidibus enim erant insculptæ omnes litteræ alphabeti, in quo pro littera Zadi, quæ deerat in nominibus Tribuum, erant exarata nomina trium Patriarcharum Abraham, Isaach, & Jacobi. Et quia etiam deerat Ted, exaratum erat Scibtè Jesciurun, hoc est Tribus Israel. Nec poterat id fieri, nisi solo jussu Regis, vel magni Tribunalis, quod dicebatur Sanedrim. Ego autem censeo id evenisse per spiritum Prophetiæ, qua in his rebus arduis sibi attinentibus donabantur Summi Sacerdotes, cujus afflatu responsa dabant interrogatis, præsertim quando deerant Prophetæ. Talibus enim ornamentis indutus Summus Sacerdos elevabatur à Deo per motionem supernaturalem ad danda responsa populo petenti in necessitatibus, quemadmodum de miraculorum operatione dicitur, & aliis gratiis gratis datis.

Quando autem cessaverit hic modus consulendi Deum per Pontificem, & accipiendi ab eo responsa, Abulensis putat, cessasse eo tempore, quod inter Alexandrum Magnum, & Machabæos intercessit. Genebrardus eo tempore, quo Joas Rex occidit optimum Pontificem Zachariam. Alii denique ab initio captivitatis Babylonicæ, quando sacrificium cessavit. Nam verisimile est, Judæos propter sua peccata uno, eodemque tempore, & oraculo, & sacrificio spoliatos fuisse. Quod contigit ad initium captivitatis Babylonicæ. Quò videtur spectare illud *Oseæ* 3. *v.*4. *Dies multi sedebunt filii Israel sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio, & sine Ephod.* At ipse puto, cessasse, cessante Summo Sacerdote.

Quid autem per *Urim*, & *Thummim* intelligatur, Rabbinus Komius fatetur, ignorari etiam ab Hebræis, & Cajetanus credit, à nemine hactenus explicatum. Verùm apud omnes constat, *Urim* illuminationem significare, *Thummim* perfectionem. Quia nimirum splendebant illæ gemmæ, splendoremque à se maximum, cùm essent nobilissimæ, diffundebant, ideoque dicuntur *Urim*. *Thummim* autem, quia integritate, perfectioneque maxima, cùm è toto genere lapidum essent selectissimæ pollebant.

Et quod ad oracula effossa, dæmon, qui Dei scimiam agit, ementitur plura prædicere, ut sibi credatur, atque ejus responsa homines venerentur. Teste namque Tullio *lib.* 1. *divinat.* Si oraculum Delphis aliqua vera non dixisset, neutiquam in tanto pretio foret. Imo aliquando dæmon conatur etiam mysteria nostræ fidei prædicere, & proclamare, ut Marci *cap.* 1. Quid nobis & tibi, Jesu Nazarene, venisti perdere nos? Scio, quod sis Sanctus Dei. Et Pythonissa apud Macedones de Paulo, & Silla prædicavit, veram esse eorum doctrinam, ut legitur *Act.* 16.

Et sanè sicuti Plato, áliique nonnulli Philosophi de divinis mysteriis instructi fuerunt ab Hebræis, ut proinde apud Eusebium Numenius cùm Mosis, atque Platonis percurrisset libros, judicavit Platonem alterum Mosem Attica lingua loquentem. Et quidem tot, tantaque sunt, quæ in Platone Sacræ Scripturæ consentanea reperiuntur, ut D. Augustinus *lib.* 2. *de doctr. Christ.* crediderit, eum in Ægyptum profectum, Hieremiæ auditorem fuisse, magno temporum errore, & in quo ipse opinionem suam retractavit *libro secundo retract.* & *libro octavo de civit.* Clemens Alexandrinus *in orat. adort. ad gentes: Undenam, ô Plato veritatem conjicis? Undenam abundè suppeditata rationum copia pietatem, & verum Dei cultum vaticinaris? His sunt sapientiora barbarorum genera. Novi tuos magistros, etsi eos celare velis. Geometriam discis ab Ægyptiis, Astronomiam à Babyloniis, rectas & sanas incantationes accipis à Thracibus. Te etiam multa docuerunt Assyrii. Leges autem quæcunque veræ sunt, & de Deo opinio suppeditata tibi sunt ab Hebræis.* Et in *libro primo stromat.* affirmat Platonis Præceptorem fuisse Sechnuphidem Heliopolitanum. Tatianus verò *contra gentes*, Justinus Martyr *in parænesi*, Eusebius *de præpar. Evang.* & Theodoretus *de curat. græc. affect.* Platonem ex Hebræorum libris multa in suos transtulisse, scribunt. Quod idem & Cyrillus *libro primo in Julian.* testatur. Aristobolus Judæus *ad Philometora*, ut ait Eusebius, ita scribit: *Legem nostram in multis Plato sequutus est. Apertè namque in multis diligenter examinasse singula videtur. Mosaica enim volumina ante Alexandrum, & ante Persarum imperium translata fuerunt. Unde plura, sicut & Pythagoras Philosophus ille accepit.* Nonnulli etiam fuere, quod horret animus dicere, dicam tamen, qui in multis doctrinæ Platonicæ cum religione nostra consensionem observantes, ausi sunt pronunciare impiam blasphemiam, nempe in Platonis lectione Christum diligenter versatum & ex eodem nobis permulta tradidisse, quam impietatem in Celso Origenes reprehendit *libro sexto disputationis contra eum instituta.* Dignum quoque observatione illud est, quod refert Nicetas, vetus Nazianzeni Scholiastes *in orat.* 2. *in Pascha*, nempe quòd cùm à quodam Christiano maledictis, & conviciis proscinderetur Plato, ut omnium hæresium pater, noctu ad conviciatorem venisse, asseruisseque, se à Limbo simul cum sanctis Patribus à Christo ereptum, & ad gloriam traductum, proinde caveret in posterum ne ampliùs sibi malediceret. At certè de hac re nihil temerè est asserendum. Non temerè enim credere, nervi & artus sunt sapientiæ, ait Tullius *ex Epicharmo.* Tanta tamen fuit pietas in Platone, ut nonnulli ejus salutem non omnino deploratam crediderint. Justinus Martyr *in orat. ad Antoninum*, Christianos esse nominandos putamus quotquot è gentibus, licet adventum Christi præcesserint, ratione tamen duce vixerunt, inter quos Platonem ipsum connumerasse videtur. Nec forsitan abhorret omnino D. Augustinus *libro decimo confess.* & *Epist. ad Deo gratias, quæ est* 49. Sed, ut dixi, de hac re nihil est temerè asserendum. De admirando autem Platonis consensu cum utroque Testamento in his, quæ ad Deum, & ad rerum ab eo emanationem, ac in his, quæ ad regressum in Deum pertinent, forsassis alibi.

Ita & dæmon, visis libris Prophetarum, illisque auditis, item & à sanctis Angelis multa cognovit. Quandoquidem etiam Deus permittit à sanctis Angelis dæmonem illuminari, & de futuris certiores reddi, ut docet Augustinus *lib. de nat. dæmon. cap.* 6. & *in Genes. ad litteram capite* 17. Quæ tamen ipsi dæmones malitiosè pro suis venditant ad gloriam divinitatis aucupandam. Unde severè examinanda sunt hujusmodi oracula, ne decipiamur à dæmone, & à cœlestibus veris ad inania & futilia seducamur, ut tradit idem Augustinus.

Sic constat, multa oracula de rebus futuris à dæmone conficta, ex sepulchris gentilium effossa, ut Patavii in sepulchro Anthenoris, quod in cœnobio Sancti Francisci inventum fuit tempore Alberti Scaligeri, hæc verba cernebantur inscripta: Dum terræ dominarentur illi, quibus prima nominis littera A, magnam cladem passi essent. Quod postea eventus comprobavit in Attila Hunno, Aguilulpho Gotho, Acciolino tyranno, Alberto Scaligero, ut refert Bernardus Scaldonius in historia Patavina.

In sepulchro quoque Dædali, quod expoliavit Darius, vitrea arca reperta fuit, olei plena qua corpus tegebatur, sed paulùm olei in arca defecerat. Erat autem in marmore inscriptum: Quisquis me videat, curet, quod defuit olei adimplere, aliàs sciat se malè habiturum. Quo inspecto, Darius decrevit arcam refici, sed eò magis dilabebatur. Quo stupefactus tristis sepulchrum clausit, & statim secuta est exercitus sui clades, & ipsius misera mors à proprio filio illata, ut tradit Ælianus *libro* 13. *de var. hist.* & Herodotus *libro* 2.

In Thracia etiam sepulchrum visum antiquissimum, quod plures autumant fuisse Platonis, in quo lamina aderat, quæ tempus indicabat suæ inventionis. Sic enim in ea Græcè erat insculptum, quod hunc sensum Latinum reddebat: Christus nasciturus est ex Virgine, & in eum credo. Tempore Constantini, & Irenæ Principum, *ô Sol, iterum me videbis*, scribente Paulo Diacono *libro vigesimo-tertio.*

Pariter in historiis Hispaniarum recensetur, ante Hispaniæ captivitatem Toleti in antro quodam repertam fuisse tabulam tantæ stragis prænunciam. Hoc autem potuit dæmon præcognoscere ex rerum longa experientia juxta Glossam *in can. pudor, v. fallere* 32. *quæst.* 2. de quo Magister sent. *in* 2. *dist.* 7. Tum magis attenta diligentia conjuratorum, socordia tutandi Regnum, ac pellendi hostem. Potuit hoc etiam à Deo provenire qui ex sua benignitate

gnitate plerumque futuras Regni mutationes vel signis, vel prodigiis, vel aliis modis, quod solet Deus exequi per Angelos tutelares, & protectores Regnorum.

De Oraculis effossis ex monte Illipolitano prope Granatam extat hoc decretum S. Congregationis supremæ S. Officii.

Feria 5. die quinta Maij 1639. in generali Congregatione Sacræ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico apud Sanctum Petrum coram Sanctissimo Domino Nostro Urbano, divina Providentia Papa VIII. ac Eminentissimis, ac Reverendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus generalibus, à S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus Dominus Noster Urbanus divina Providentia Papa VIII. attentè perpendens, quod nulla cura magis anxios, & solicitos habeat Romanos Pontifices, quàm ne lolium, & zizania adulterinæ doctrinæ pro syncero veritatis catholicæ tritico in agro Dominico succrescant; quodque ob id fel. rec. Clemens VIII. simul atque accepit in quadam vetusta turri Civitatis Granatensis Turpiana nuncupata prò commodiori novi Templi ædificatione anno 1598. dejecta, scripturam quandam sanctissimo Apostolo, & Evangelistæ Joanni adscriptam, litterisque Arabicis, Græcis, & Latinis in membrana exaratam, fuisse repertam; ac deinde in cavernis montis Illipulitani, dicti sacri, prope eandem civitatem in Regno Granatensi, quosdam libros, & laminas plumbeas Arabico sermone, & antiquis characteribus conscriptas, varia de rebus fidei pertractantes, partim B. Jacobo Apostolo, partim verò quibusdam aliis ejus, ut ferebatur discipulis, attributas, anno 1595. & 1596. effossas fuisse, iteratis litteris in forma Brevis Petro de Castro Archiepiscopo quondam Granatensi, præceperit, ut ab hujusmodi librorum, non solum judicio, sed editione etiam, & pervulgatione abstineret, ac præterea omnibus & singulis quacunque autoritate fungentibus personis in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœnis & censuris sub arbitrio imponendis, injungeret, & mandaret, ne circa eosdem libros, & ea, quæ in illis continentur aliquid affirmare, vel negare, vel aliàs de iis judicare quovis modo auderent, vel præsumerent, cùm nemini, præterquam Romano Pontifici de dictis libris, eorumque doctrina judicare, aut statuere liceret. Denique, ut omnia, ad hæc pertinentia, undique perquireret, ac ad Sedem Apostolicam simul cum ipsis genuinis exemplaribus perferenda curet, ut matura deliberatione adhibita, tandem decernere posset, quid certò statuendum esset de dictis libris, ac laminis, adeo ob linguæ antiquitatem, ac litterarum genus ab hujus seculi usu remotum, obscuris dubiis, atque implexis, ut vel ipse Archiepiscopus fateretur se magnam Interpretum varietatem, & difficultates non paucas deprehendisse. Considerans præterea alios deinceps prædecessores suos vehementi solicitudine in eam cogitationem incubuisse, ut præfati libri, ac laminæ Romam advectæ, à peritis linguarum viris, doctisque Theologis explanari, & examinari possent, probè advertentes, versiones quascunque ad examen, & judicium perfectum, ac indubitatum sine ipsis originalibus revocari non posse, Sanctitas sua eorum vestigiis insistens, in eadem pariter cura sedulò laboravit, nihilque intentatum reliquit, quatenus Romam dicti libri, ac laminæ ad præfatum finem, & effectum transmitterentur. Verum cum rei eventus minimè hactenus votis responderit, & passim jam à pluribus autoribus in libris impressis, & ab aliis in publicis concionibus, etiam ad dogmata stabilienda, honorificè citentur, & majorem venerationem tanquam divinæ cujusdam, & Canonicæ autoritatis in dies acquirant, licet gravissimi viri, & linguarum periti, magni in contrarium momenti exceptiones, atque difficultates attulerint, asserentes non pauca in quibusdam ex dictis scripturis, & laminis contineri, quæ impietatem, superstitionem, ac errores redolent. Idcirco Sanctitas sua præcavere interim volens, ne sub commentitio Apostolorum, eorumque discipulorum nomine adulterinæ fortassis doctrinæ in Ecclesiam Dei irrepant, post gravem, & maturam consultationem, auditisque super his, Eminentissimorum, ac Reverendissimorum Dominorum Cardinalium contra hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum votis, statuit, præfatos libros, scripturas, ac laminas, quocumque nomine nuncupatas, suspendendas esse, easque præsentis decreti vigore suspendit, illisque, ac illarum versionibus, sive interpretationibus fidem aliquam adhiberi, aut venerationem, sive cultum deferri omnino prohibet, donec Sedes Apostolica definiat, quid tam de laminarum qualitate, & doctrina, quam de versionum, & interpretationum veritate, ac fidelitate tenendum, & sequendum sit. Libros similiter omnes, tractatus, responsa, consulta, commentarios, glossas, additamenta, aut annotationes, & quæcunque alia, sive manu duntaxat exarata, sive typis impressa, quæ ex professo de dictis laminis, & scripturis tractant, suspendit penitus, ac prohibet, nec legi, aut teneri posse declarat; sed statim Ordinariis locorum, seu hæreticæ pravitatis Inquisitoribus consignari mandat, donec Sedi Apostolicæ aliter statuere visum fuerit. Siqui verò libri sint, tractatus, aut alia quævis manuscripta, seu typis impressa, quæ ad alias quidem materias spectant, incidenter verò, aut obiter de dictis laminis, vel earum doctrina mentionem faciunt, iis omnibus pariter quoad illam partem, omnem prorsus fidem, atque autoritatem abrogat, & abrogatam esse decernit, talesque libros, & tractatus expungi jubet, aliter inter suspensos, & prohibitos, donec expurgentur, censeantur. Præterea, quia docti nonnunquam viri tum Granatæ à præfato Archiepiscopo, tum alibi ab aliis ad dictas laminas interpretandas, vel comprobandas, vel aliter quomodolibet explanandas convocati dicuntur, Sanctitas sua eas convocationes, congressus, consessus, consultationes, sententias pariter, & judicia, si qua inde sequuta sunt, nullius prorsus ponderis, & autoritatis fuisse ac esse declarat, similiaque deinceps fieri districtè interdicit. Denique omnibus & singulis Christifidelibus cujuscunque status, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ, quantumvis Ecclesiasticæ, & quamvis eorum specialis, ac individua mentio facienda esset, præcepit, ne in posterum in ipsorum librorum, seu laminarum approbationem quicquam principaliter, vel incidenter conscribere, aut conscriptum à se, vel ab aliis imprimere, sive aliter divulgare, aut scribi, imprimi, vel divulgari facere, eosdemque libros, ac laminas ex Arabico, aliove quovis idiomate in aliud quodcunque de cœtero convertere audeant, aut in libris, concionibus, lectionibus, congregationibus, consultis, aut responsis ore tenus, vel scripto datis, quicquid de iisdem aut earum doctrina tractent, neque autores de ea tractantes, quoad illam partem, citent. Siqui verò dictarum laminarum, vel partis earum exemplum habuerint, Ordinariis locorum, aut Inquisitoribus, ut præfertur, illud tradere teneantur, neque posthac aliud conficere, aut confici facere possint. Atque ita decrevit, & ubique terrarum inviolabiliter ab omnibus observari mandavit. Transgressores autem sive Ecclesiasticos, sive laicos cujuscumque status, gradus, conditionis, dignitatis, vel præeminentiæ quantumvis speciali nota dignæ, excommunicationi, à qua nonnisi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo, absolvi

absolvi possint, eo ipso subjecit. Ac præterea Regulares in suorum officiorum, ac dignitatum, vocisque activæ & passivæ amissionis, perpetuæque ad illa inhabilitatis, Clericos verò seculares in dignitatum pariter, & officiorum privationis, atque perpetuæ eorundem incapacitatis, pœnas ipso facto incurrere voluit; laicos autem, præter excommunicationem, aliis Ordinariorum, sive dictorum Inquisitorum arbitrio pro modo culpæ infligendis, etiam pecuniariis, & corporalibus coërceri, mandavit; quibus typographi quoque plectantur, si ex supra prohibitis, vel suspensis aliquid impresserint, ac præterea impressa omnia amittant, contrariis quibuscumque non obstantibus. Et ne præmissorum ignorantia possit ab aliquo prætendi, voluit, ut decretum hujusmodi, seu illius exemplum ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixa, omnes ita artent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimata fuissent.

CONSULTATIO LXXVIII.

De Stella, quæ apparuit Magis, an fuerit supra naturam? Et an per astra possint cognosci mysteria supernaturalia futura?

AD primum. Certum omnino est de fide, stellam, quæ Magis apparuit, non significasse naturaliter Christi nativitatem, ut mox probabitur, & patet ex Patribus, & confirmat Augustinus *libro 2. contra Faustum cap. 5.* & Chrysostomus *hom. 6. in Matth.* approbante D. Thoma 3. *par. qu.* 36. *art.* 5. *ad* 3. imo & hæc referente; Ille quidem ait, nulli Astrologi ita constituerant nascentium hominum fata sub stellis, ut aliquam stellarum homine aliquo nato circuitus sui ordinem reliquisse, & ad eum, qui natus est perrexisse assererent, sicut accidit circa stellam, quæ demonstravit nativitatem Christi. Et ideo per hoc non confirmatur error eorum, qui sortem nascentium hominum astrorum ordini colligari arbitrantur, non autem credunt astrorum ordinem ad hominis nativitatem posse mutari. Atque Chrysostomus: Non est hoc Astronomiæ opus, à stellis scire eos, qui nascuntur, sed ab hora nativitatis futura prædicere. Magi autem tempus nativitatis non cognoverunt, ut hinc sumentes initium à stellarum motu futura cognoscerent, sed potiùs è converso.

Quomodo autem stella illa fuerit signum certum Magis, docet Chrysostomus *hom.* 2. in Matth. referens, in quibusdam scripturis apocryphis legi, quòd gens in extremo Orientis juxta Oceanum scripturam quandam habebat ex nomine Seth, de hac stella, & muneribus hujusmodi offerendis, quæ gens diligenter observabat hujus stellæ exortum, positis exploratoribus duodecim, qui certis temporibus noctu ascendebant in montem, in quo postmodum eam viderunt, habentem in se quasi parvuli formam, & super se similitudinem Crucis. Vel, sicut dicitur in libro de quæst. Veteris & Novi Testamenti: Magi illi traditionem Balaam sequebantur, qui dixit: Orietur stella ex Jacob. Unde videntes stellam extra ordinem mundi, hanc esse intellexerunt, quam Balaam futuram indicem Regis Judæorum prophetaverat. Vel, ut tradit Augustinus *in ser. de Epiph.* quod ab Angelis aliqua admonitione revelationis audierunt Magi, quòd stella Christum natum significaret. Et probabile videtur, quòd à bonis Angelis id factum fuerit, quando in Christo adorando salus eorum jam quærebatur. Vel, quemadmodum ait Leo Papa *in ser. de Epiphan.* præter illam speciem, quæ corporeum incitavit obtutum, fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuit, quod ad illuminationem fidei pertinebat.

Docet autem idem D. Thomas *opusc.* 11. *art.* 15. Deum miracula facere ministerio Angelorum, non tamen quòd in omnibus miraculis operatio Angelorum se possit extendere ad principales effectus, ut patet etiam in formatione corporis Christi ex Virgine. Unde liquet, non extitisse aliquam difficultatem ex parte operationis, quod non potuerint virtute divina Angeli præstare, si stella non fuit noviter creata. Et *opusc.* 12. *quæstione prima, secunda, & tertia*, quærit ex Chrysostomo, an stella, quæ Magis apparuit, habuerit figuram Crucis, vel Crucifixi, vel hominis, ut aliqui prædicarunt? Similia ex aliis narrat Chrysostomus *loco citato.* Respondet Divus Thomas, id non esse prædicandum, quia pro certo non habetur, præsertim quia non videtur probabile, quod sacri Doctores, ut Augustinus, Leo Papa, Gregorius, & alii hoc tacuissent. Et mox addit: Si autem ab aliquo sit prædicatum, non arbitror, esse necessarium, quod revocetur, nisi fortè ex hoc populo scandalum sit exortum. Et tunc non deberet, ut erroneum reprobari, sed, ut incertum, exponi.

Et quidem supernaturalia mysteria nequeunt ex signis naturalibus præcognosci. Nemo enim, etiam Angelus, teste Paulo *Epistola ad Roma.* 11. & Isaia *capite* 40. potest cognoscere sensum Domini, & quæ ipse supernaturaliter efficere decrevit, antequam fiant. Imo nec existentia mysteria supernaturalia naturaliter cognosci queunt ab aliqua creatura, nisi Deo revelante, ut probatur ex Divo Thoma *prima parte, qu.* 57. *art. ult.*

Quare stella, quæ apparuit Magis non fuit naturalis. Id Abulensis *quæstione undecima, in capite* 2. *Matth.* probat multis rationibus, & Baronius ad an. 1. Christi confirmat ex Patribus, ac sequitur Suarez *in tertia parte*, D. Thomas *quæstione* 36. *articulo septimo, sectione quinta*, ubi de hujus stellæ natura copiosè, & egregiè more suo disserit. Unde Augustinus *libro primo contra Faustum capite secundo & quinto*, non ex illis ait, erat stellis, quæ ab initio creaturæ itinerum suorum ordinem sub Creatoris lege custodiunt, sed novo Virginis partu novum sydus apparuit. Quod ostendit Chrysostomus *hom.* 6. *in Matth.* Primò, quia nulla alia stellarum hac via incedit. Hæc enim stella ferebatur è Septentrione in Meridiem. Secundò ex tempore. Non enim solùm apparebat in nocte, sed etiam in media die, quòd non est virtutis stellæ, sed nec etiam Lunæ. Tertiò, quia quandoque apparebat, & quandoque occultabatur. Cùm enim intraverunt Hierosolymam, occultavit seipsam. Deinde ubi Herodem reliquerunt, seipsam monstravit. Quartò, quia non habebat continuum motum, sed cùm oportebat ire Magos, ibat, cùm oportebat stare, stabat, sicut & de columna nubis, quæ erat in deserto. Quintò, quia non sursum manens partum Virginis demonstrabat, sed deorsum descendens, hoc faciebat. Quod non est stellæ virtus, sed virtutis & cujusdam rationalis.

Probabilius propterea videtur, quòd fuerit stella recens creata, non in cœlo, sed in aëre vicino terræ, quæ secundùm divinam voluntatem movebatur. Hæc est D. Thomæ sententia *loco citato* expressa, quam confirmat ex Leone Papa *ser.* 1. *de Epip.* his verbis: *Tribus Magis in regione Orientis stella novæ claritatis apparuit, quæ illustrior cœteris pulchriorque syderibus, in se intuentium oculos, animosque converteret, ut confestim adverteretur, non esse otiosum, quod tam insolitum videbatur.*

Sunt

Sunt tamen qui asserant, quòd sicut Spiritus Sanctus descendit super Christum, dum baptizabatur, in specie columbæ,, ita apparuit Magis in specie stellæ. Alii, quòd Angelus, qui apparuit Pastoribus in humana specie, apparuit Magis in specie stellæ. Alliacus *quæst. in Genes.* 30. & *in lib. de legibus & sectis*, disputans de stella, quæ Magis apparuit, tradit, Magos illos syderalis scientiæ peritissimos, potuisse ex contemplationibus astrologicis nativitatem Christi futuram cognoscere, licet non ea certitudine, qua post ortum Christum, demonstrante stella postmodum cognoverunt. Quod & amplectitur Calcidius Platonicus *in Comment. in Timæum Platonis* affirmans, Magos istos, & Sapientes Chaldæos ex consideratione rerum cœlestium evidenter cognovisse recentem Dei ortum. Alii verò dixerunt stellam fuisse cœlestem, quæ naturaliter Christi nativitatem præsignificavit. Sed hoc quidem genus divinationis sententia jam communis D. Thomæ, ac Patrum explosit, de quo nos etiam infra.

Lege de stella, & Magis Epiphanium *in compendio doctrinæ*, Cyrillum Alexandrinum *lib.* 4. *in Isaiam orat.* 4. Chrysostomum *in Matth. hom.* 10. Augustinum *ser.* 7. *de Epiph. & de consens. Evang.* Leonem Papam *in ser. de Epiph.* D. Thomam *locis allegatis*, Canum *de loc. theolog.* Abulensem *in Matth. cap.* 2. *q.* 7. Suarez *loco supra memorato*; Nazarium, Porrettam, & Marsilium Honorati *tom.* 1. *de vita Christi*, *lib.* 2. *cap.* 12. Cajetanum, Hugonem Cardinalem, Torreblancam *in oper. spirit. lib.* 10. *cap.* 3. Franciscum Picum *in Astrolog. lib.* 4. Baronium, qui *in apparatu ad annales* prædictiones Gentilium, & portenta, quæ nativitatem Christi indicarunt, eruditè congessit, passimque alios.

Ad secundum. Petrus Cardinalis Alliacensis, rerum ignotarum cupidus, ita graviter erravit, ut non solùm animus, sed aures quoque ab ejus commemoratione abhorreant, eòque præsertim, quòd hæc res genuit falsas opiniones, & superstitiones penè aniles. Credidit ex astris cognitam fuisse Christi nativitatem secundùm carnem, cujus figuram genethliacam edidit extatque apud Sixtum Senensem *in bibliot. lib.* 6. *annot.* 10. Ita etiam prædicabat de diluvio Noe, siccatione maris rubri, liberatione populi Israelitici, de Sole Josue, & Ezechiæ.

Huic errori adhæserunt ex Christianis Rogerius Baconius, Henricus Machiniensis, Joannes Britan, aliique nonnulli. Imo & quidam Delrius Bonatus ausus est affirmare, Christum Dominum astrologicæ scientiæ fuisse addictum, ideoque Joannis *cap.* 2. dixisse: *Nondum venit hora mea*, id est passionis tempus, nempe quàm prævideràt idoneam ex astrorum inspectione.

In eundem errorem inclinare videtur Alphonsus Mendosa *qu.* 4. *positiva.* Nam in commendationem castitatis hæc affert: *Nescio*, an vel ipsa cœli, & stellarum constitutione, quam habuit Christi nativitas, fuerit adumbratus amor vehemens, quo Christus Dominus virginitatem prosequitur. Albertus Magnus in libro, qui dicitur Speculum, referens descriptionem signi cœlestis, quòd appellatur Virgo ex Albumasare Astrologo in suo majori introductorio Astronomiæ *tract.* 6. dicit: Sub ascendente signi Virginis natum fuisse Dominum Jesum Christum. Quibus post multa tempora hæc addidit Petrus Aliacensis: Fuit in nativitate Christi horoscopus, pars Virginis octava, quæ religionis mutationem portendit, & in culmine cœli Saturnus imum cœli tenente Sole, &c. ut latiùs in Sixto Senensi *loc. cit.* de quo videatur Marsilius *in* 1. *quæstione secunda, articulo tertio in* 2. *argum. princip.* Non quia stellis subjaceat natorum desideratissimus, qui creaverat ipsas stellas, sed quia, cùm extenderet cœlum sicut pellem in initio mundi, formaretque librum universitatis, & stellis ceu litteris ipsum conscriberet, voluit, ut nova hæc Verbi nativitas sub ascendente signi Virginis contingeret, ut vel ipsum signum, quod hac nomenclatura sit insignitum, sibi gratum esse demonstraret. Nam & D. Hieronymus libro primo, adversus Jovinianum in Virginitatis honorem putat cadere, quod signorum cœlestium unum sit Virgo. Hæc Alphonsus.

Verùm, ut optimè notavit Medina, Pererius, & Delatorre post Picum *libro primo contra Astrologos*, falsò adscribitur ille liber Alberto Magno, in quo plura continentur, quæ adversantur Ecclesiæ decretis, ut quòd libri magici non sint prohibendi, imagines fieri posse, quibus non solùm unus homo, sed etiam tota civitas fiat felix, aut infelix, ut refert idem Picus. Ibique ex Albumazare dicebatur: Ascendit in prima facie illius signi Virgo pulchra, & honesta, habens in manu sua spicas, & nutrit puerum, & vocat ipsum Jesum, & ascendit cum ea stella Virginis. Adduntque qui hoc Alberto imponunt: Nos autem scimus, quòd sub ascendente ejusdem Virginis natus fuit Dominus noster Jesus-Christus. Cùm hoc, quòd æquatio motus octavæ sphæræ in tempore ejusdem fuit octo graduum, & triginta minutorum secundùm calculationem certissimam, & quòd ipsa erat tunc minuenda de locis planetarum inventis per canones, non quia subjaceat stellarum motui, aut eorum judicio qui eas creaverat, sed quia noluit litteris ejusdem deesse ex his, quæ secundùm Providentiam suam in libro æternitatis sunt scripta, etiam illud elegantissimum à natura, quod de Virgine nasceretur, ut profectò per hoc innueretur homo carnalis, & verus, qui non naturaliter nascebatur, non quòd cœli figura causa esset, quare nasceretur, sed potiùs significatio. Imò & vero veriùs ipse erat causa, quare modus admirandæ suæ nativitatis significaretur per cœlum.

Confirmant suum errorem; quia tempore Christi passionis Sol defecit, ut significaretur mortem Christi Domini, etiam Astrologiæ signis fuisse subjectam.

At verò contrarium adstruunt omnes Patres, ac Theologi nominatim Suarez, Delatorre, Cajetanus, Medina asserentes quod sit de fide, non posse ex astris prænunciari mysterium aliquod supernaturale. Nec dicas cum Nazario de magia, censuram Medinæ affirmantis, esse hæreticam opinionem, quæ asseverat, Christi navitatem ex syderibus cognosci potuisse, esse nimis rigidam, si de Christo sermo sit præcisè, quatenus homo est, sive secundùm naturales perfectiones illi competentes ratione humanitatis, abstrahendo ab unione hypostatica, & à perfectionibus omnibus supernaturalibus, & earum effectibus. Addit tamen propter periculum erroris, & incertitudinem artis astronomicæ non esse talem opinionem in Ecclesia Dei tolerandam, prout etiam Sixtus Quintus *in Bulla adversus Astrologiam judiciariam* sapienter, ac piè definivit. Si autem sententia illa loquitur de Christo, prout est persona divina in humana natura subsistens, sive ut Deus & homo est, omnem habens gratiæ, virtutum, ac donorum supernaturalium plenitudinem ad humani generis redemptionem ordinatam, vera, & legitima erit Medinæ censura ob rationem ab eo traditam. Quia mysterium nativitatis Christi superat omnem naturam creatam, & universam corporum cœlestium efficacitatem, ex sola Dei voluntate dependens.

Quare non rectè distinguit Nazarius. Tum quia non potest præcisè considerari nativitas Christi, nisi consideretur humanitas unita Verbo divino, cùm in Christo

Christo non adsit personalitas, aut subsistentia humana. Ideoque Angelus dixit Mariæ: *Quod enim ex te nascetur Sanctum, filius Dei vocabitur.* Tum quia actiones & passiones sunt suppositorum. Et tum quia humanitas Christi supernaturaliter fuit genita sine patre humano, superveniente Spiritus Sancti virtute, Virgini Matri obumbrante, quæ vera fuit Christi Mater. Unde neque ob id poterat syderibus esse obnoxium, sicuti in generatione aliorum hominum fortasse contingit, quatenus corporeæ sunt.

Sit igitur hæc assertio. Hæretica est Astrologorum opinio, nativitatem Christi, aliaque mysteria supernaturalia posse ex astris præsignificari, ac per ea præcognosci. Nam mysteria supernaturalia omnem naturam creatam & universam corporum cœlestium potestatem superant, solùmque dependent à Dei voluntate. Nemo enim hæc novit, nisi Spiritus Dei revelaverit. Unde Paulus ad Roman. 11. *Quis cognovit sensum Domini*, aut *consiliarius ejus fuit*? Et 1. Corint. 1. *Ubi Sapiens, ubi Scriba, ubi Inquisitor hujus seculi*, nempe Doctor astrologicus? Idcirco idem Paulus 1. *Corint.* 2. de incarnationis mysterio ait; *absconditum à seculis in Deo, quod nemo Principum hujus seculi*, id est sapientum mundi, *cognovit.* Neque sic esset mirandum, sed inane, Prophetas Spiritu Dei hæc futura prædixisse. Quo argumento utuntur D. Paulus, & Patres ad confirmationem mysteriorum fidei. Neque insuper esset proprium Dei futura cognoscere, neque potestas patrandi miracula esset supernaturalis, cùm in causis naturalibus, vel signis prævideretur.

Constatque Noë diluvium *ex Genes.* 6. *&* 7. supernaturaliter evenisse. Nam jubente Deo, rupti sunt omes fontes abyssi, & catarhactæ cœli apertæ sunt, & facta est pluvia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Certum autem est, astra non inclinare ad subversionem terrestris mundi, qualis in diluvio fuit. Hinc cataclysmum universæ terræ naturali ratione evenire non posse contendo. In qua sententia & Averroem, non omnino futilem autorem, naturæ, verique 3. de anima, fuisse video, idque propter stellarum diversas, & plerumque etiam contrarias potestates. Et de die judicii manifestè dixit Christus Matth. 24. *de die illa nemo scit, neque filius hominis.* At secundùm Astrologos contra Sacram Scripturam posset ex astris cognosci dies judicii, quo totus Orbis igne sit conflagraturus. Quare ineptè ad venturum Dei judicium interpres retulit illud Ovidii *ex lib.* 1. *Metamorphoseon*

Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia Cœli,
Ardeat & Mundi moles operosa laboret.

cùm ad Ecpyrosin, hoc est adustionem terrarum referendum sit. Tradunt enim Philosophi eluviones, exustionesque terrarum accidere certo tempore necesse esse. Eluviones attribuunt Planetarum humidorum conjunctioni in signis pluvialibus, conflagrationes calidorum in signis calidis. Sic vicissim renovationem mundi fieri, atque pristinum ornatum redire nunc per diluvium, nunc per exustionem. Ex his ortum, ex his & interitum rerum esse. Falsum item ac ementitum est, quod comminiscuntur Bachonus, & alii, Moysen peritissimum scientiæ syderalis observasse ex astris recessum maris rubri. Si enim sic fuerit, cur mare tam vorax Hebræos absorbere non potuerit? Cur sine astrorum affectione siccatus fuerit Jordanes, statimque inundaverit.

Signa enim, quæ apparuerunt in nativitate, ac morte Christi fuere supra naturam, ut Dionysius Areopagita probat *in epistola ad Colophonem*, & Picus *lib.* 5. *cap.* 14. ex ipsis Astrologorum principiis impugnat horoscopi positionem confictam ab Aliacensi qui falsum quoque supponit, quod valdè fides corroboratur, dum apertè cognoscitur ex horoscopo Christi colligi potuisse insignem virum nasciturum, magnam religionis mutationem adfuturam; ideoque Paulum dixisse: *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Nam fidei derogat asserere, quod mysteria supernaturalia vim sortiantur ab astris, quæ sunt creata in ministerium cunctis gentibus, & quod naturaliter cognoscantur. Sic enim mysteria omnia, potestas miraculorum, ac donum prophetiæ essent naturalia. Quæ fidei expressè repugnant. Paulus verò post verba illa subdit: *Virtus, & potentia*, de quibus ibi loquebatur, quæ possunt cognosci lumine naturæ ex effectibus, & à posteriori, ut D. Thomas exponit. Christus autem Joannis *cap.* 2. declarat se non loqui de hora astrologica, sed de illa, quam decrevit Pater cœlestis. Sed quid plura? Audiamus Picum, qui ita confutat figuram astrologicam nativitatis Christi.

His quidem, ait Picus *lib.* 5. *cap.* 14. non magnopere irascor, quoniam solent ipsi sua dogmata talibus testimoniis confirmare. Quare putant libenter nos etiam hæc recepturos, quibus dogmata nostra corroboremus; sed non eget his fabulis, somniisque veritas Christiana, apud quam etiam seria Philosophorum penè fabulæ sunt. Quis has vidit imagines, ceu sensu tacente, ratio illas occultior indicavit? Ubi de illis vel Ptolomæus, vel antiquus aliquis unquam fecit mentionem? Meracissimæ nugæ sunt, Arabumque figmenta, quanquam illa referant ad Indos, adversus quos libro sequenti latiùs disputabimus. At neque ista, Virgine, ut dicunt, ascendente, natus est Dominus Jesus, alioquin per duas fermè horas ante mediam noctem in lucem apparuisset, quem ex Ecclesiæ traditione media nocte natum accepimus. Quare nec tertia, ut quidam dicit, libræ pars, sed decima potiùs, cùm oriebatur natorum desideratissimus horoscopum occupabat; Unde illud etiam falsum ostenditur, quod blasphema voce disseminant, fuisse in ea genitura Martem in domo mortis, unde illi per Crucis supplicium fuerit moriendum. Neque enim potuit eo loco esse mors, nisi Virginem faciamus horoscopum, quod ab hora illius geniture magnoperè esse declaravimus diversum.

Sed instabit aliquis, si de ea cœli parte Martem auferimus collacaturos nos eum in Occidente, ubi etiam violentæ mortis pericula minitetur. Ego vero ab eorum decretis nihil recedens, ostendam ex ea genitura violentæ mortis exitium non præsignari. Nam, quanquam Mars septimo loco in discrimen vitæ natum adducat, scribit tamen Maternus minui id infortunium, si nocturna fuerit genitura. Item si Mars in domo, aut finibus, aut sua fuerit altitudine. Tum etiam si octavo loco fuerit inventus. Unde expressior nulla mortis significatio. Obsistere tamen Martis malignitati Jovis benignitatem sive fuerit in horoscopo, & horoscopus ipse sit in domo Jovis, aut Veneris, quæ stella prospera se Jovi radiatione conjungat.

Ex his autem non unum, aut alterum, sed planè omnia in Jesu genitura inveniuntur. Nam & noctu, nec die natus est, & Mars in Ariete, hoc est in suis laribus fuit, & horoscopus erat Libra domus Veneris, quam tamen frater particulariter Jupiter illustraret. Tum Venerem in Aquario constitutam trigoni radii amica sibi societate jungebant. Quibus illud & adiicias Lunam, quæ imperat nocti in nocturna nativitate feliciter se habentem, mortis domum tenuisse, videbis necessariò bonam mortem ex ista Syderum positione pronunciandam. Erat enim in Tauro, hoc est in sua quidem sublimitate, & luminibus

nibus aucta, & quo loco gaudet, hoc est octavo felicissimo Solis conspectu defluens ad Venerem, apud quam hospitabatur nullis vel Martis, vel Saturni radiis infestata. Sed nec discedens ab eis, nec ad eos vadens, hoc est, nullo illis societatis vinculo colligata. Adde Venerem & domus mortis, & horoscopi pariter dominam, nulla vel Martis, vel Saturni inimica radiatione percussam, fotam radijs Jovis, bonum sibi exitum promittentem. Oblatus est igitur, quia voluit, non quia eum cœli furor ad supplicia Crucis impegerit.

Sed non potest hominibus temerariis, nulliusque pudoris occasio unquam deesse aliquid garriendi. Nam finge quovis loco, Martem fuisse, ansam habebunt nihil minus aliquo modo delirandi. Si enim statuatur in horoscopo faciem hinc referri depalmatam, colaphis cæsam, & sanguine deturpatam, etiam Martium illum hominem, & in se gladios dicent attulisse interitus. Si secundo loco, ab horoscopo afferri paupertatem, & rerum omnium inopiam. Si tertio nullos fratres. Si quarto, nullum patrimonium, ut qui Davidis filius, Davidis tamen temporarium saltem regnum non obtinuerit. Si quinto, nullos filios. Si sexto, datos in necem omnes suos servos. Si septimo, & octavo loco, habes, quod dicant. Si nono, beatos Astrologos, cùm dicat Maternus, qui in nona Cœli regione Martem habuerit in sua domo, futurum hominem omnibus dæmonibus terrori, cujusque adventum pravi dæmonum spiritus fugiant, & ex eis homines laborantes non verbo, sed sola sui liberet ostensione. Quantis igitur credis ista clamationibus, & plausibus sectaturos, divulgaturos Astrologos, si ibi forte nascente Domino Martis stella constitisset? Quòd si Cœli culmina tenuisset Orbis, statim subjecti legibus ejus imperium pronunciarent, cùm præsertim primum cardinem Jupiter occuparet. Si undecimo eum locum apprehendisset, Carolos, Constantinos attulissent in medium, & quotcunque pro Christi Ecclesia Cæsares pugnaverunt. Si duodecimo de inimicis insidiis quererentur, inter quos etiam seipsos invenirent, ita insanis, ut dicitur, occasio semper inferendi.

Sed audi de Saturno etiam quid dicant, erat enim in nona Cœli regione in signo Geminorum. At, inquiunt, facit Prophetas, & sacerdotes. Quid quum retrocedit? Debet hoc omnino minuere illas promissiones. Faceret ergo Prophetam, plusquam Prophetam facere non poterit, qualis Joannes Baptista. Non igitur poterit divinum, afflatoremque omnium facere Prophetarum. Erat Saturnus eodem loco, & in eodem signo constitutus, cùm nata est Eleonora, Galeoti fratris filia, Virgo quidem illa pudica, moribus integerrimis, sed nec vel Anna, vel Debora, vel Cassandra. Sed persistite quæso Astrologi admirabiles in proposito dogmate, & videamus, quid ibi Saturnus in sua nativitate significaret. Scribit Abraham vester in libro de nativitatibus, quod si Saturnum habuerit collocatum, hoc est in nona cœli regione, eum malum fore Christianum. Videtis quàm bellè dogma vestrum confirmaverit. Quis enim audeat Christum malum dicere Christianum, qui nec fuerit Christianus? O homines ridiculos, & nunquam certè satis irrisos? Asculanus ille superstitiosus, qui fertur Magus, natus est, ait, Jesus in stabulo, quia imum Cœli tenuit Capricornus, & alius Rex, inquit, fuit Judæorum, quia horoscopus erat Libra. Hebræi enim Saturnij sunt, Saturni regnum Libra, quasi non singulis etiam mensibus multi nascantur his conditionibus, qui nec nascuntur in stabulis, nec Iudæorum Reges etiam inscribuntur. Sed jam nimis multa de istis nebulonibus. Sic Picus.

Scribit Lampridius, prædictum fuisse Heliogabalo, ipsum biothanatum futurum. Idem, si Luna, inquit applicuerit se Saturno, deficiens lumine, faciet matres biothanatas interire.

Iam antea idem Picus reprobaverat constellationes Moysis, diluvij, Christianæ legis, & *cap.* 15. Mahumetis, ac similium, tanquam fallaces. Et Tullius *lib.* 2. *de divinat.* irridet prognosticum Urbis Romæ, quæ tamen ad naturalium seriem pertinet, in hæc verba. Quidam L. Tarutius Firmanus, familiaris noster in primis Chaldæis rationibus eruditus, Urbis etiam nostræ natalem diem repetebat ab ijs parilibus; quibus eam à Romulo conditam accepimus, Romamque esse in jugo Lunæ natam dicebat, neque ejus fata canere non dubitabat. O vim maximam erroris, etiamne Urbis natalis dies ad vim stellarum & Lunæ pertinebat? Fac in puero referre, ex qua affectione Cœli primum spiritum duxerit, num hoc in latere, aut in cæmento, ex quibus Urbs effecta est potuit valere? Hæc Tullius.

CONSULTATIO LXXIX.

An Prophetia, & Divinatio harmonicis sonis fieri possint? Num prophetia sit naturalis? Quinam fuerint veri Prophetæ in veteri Testamento? Quomodo probabant se à Deo missos esse? Quinam fuerint falsi Prophetæ? Quomodo falsi Prophetæ à veris discernebantur? Quid de Pythonibus, & Pythonissis sentiendum? Et an etiam in novo Testamento sint veri, & falsi Prophetæ?

Astrologi aliquot cum Magis Colcodeam animam formarum distributricem causam assignant, à qua totius Magiæ vim provenire fabulantur. Unde credunt etiam juxta varios furoris gradus mira patrare, adeo ut animus furore musico percitus, è carcere exiens membrorum, vincula, nemine prohibente, transgrediatur, & divino spiritu concitatus omnia comprehendat, futuraque prævideat. Addunt alij, mentem melodiæ dulcedine allectam, recordata quàm admirabilis sit illa cœlestium corporum harmonia, è corporeis vinculis avolare, & tunc futura cognoscere, ac postea ad corpus rediens, illud concitat, & velut ad furorem provocat. Hoc modo credunt, Saulem factum fuisse Prophetam inter Prophetas existens, suavissimè canentes.

Et quidem constat *ex lib.* 1. *Reg. cap.* 25. Saulem unctum in Regem, missumque à Samuele ad gregem Prophetarum, ipsisque occurrentibus, tympanum, psalterium, tibiam, & cytharam ante eum psallentibus, & prophetantibus insiluisse in eum spiritum Domini, & prophetasse in medio eorum. Et Paralipomenon 1. *cap.* 25. filii Assaph, Hemen, & Idithun in ministerium à Davide segregati prophetabant in cytharis, psalterijs, & cymbalis. Ac *lib.* 3. *Reg. cap.* 4. canente Psalte, fuit super Eliseum manus Domini.

Atque ex his videtur dicendum, posse oriri ex Musicæ efficacitate Prophetiam quandam naturalem quæ futura cognoscat, & prædicat. Unde sunt nonnulli, qui comminiscuntur in aëre quandam, velut rerum omnium ideam, sive sit illa anima Platonica, sive cœlorum effluvium, sive atomorum confluxus, quibus reciproca fiat affectuum, conceptuumque communicatio, ita sanè, ut quidam contendant naturali vi longè remotissima cognoscere. Ex Platonicis verò aliqui causam præfati admirabilis effectus adscribunt animæ mundi intelligenti, existimantes animam hominis musicâ excitati esse illius veluti particulam

quandam, quæ dum à phantasmatibus corporeis absolvitur, ejusdem cognitionis particeps efficitur, quam habet illa quasi universalis anima, cui hæc partialis unitur. Hæc autem figmenta Platonica jam alibi explosimus, sicut & illud, quod alij confingunt totius mundi virtutem in anima nostra includi, ideoque aiunt, illam omnia cognoscere, seipsam contemplando, dum, omnibus extrinsecis spretis, ad centrum mentis se reducit. Unde contendunt intellectum nostrum, etiam in hac vita, non indigere conversione ad phantasmata, indeque prophetiam nasci, asseverant.

At tenendum est, à Musica non posse oriri prophetiam supernaturalem, imo nequidem naturalem in ordine ad longinqua & futura ignota nobis, licet Angelis, ac dæmonibus cognita. Fatendum tamen, musicam exteriùs solùm posse prophetiam adiuvare, quatenus animum attentum reddit, & ab omnibus aliis cogitationibus avertit; non quòd Deus illa præparatione, sicut nec somnio ad aliquid revelandum, animumque illustrandum indigeat, sed ut aliquo pacto se rerum ipsarum naturis accommodet. Ideo dicitur Psaltem regium hac sæpe usum, ut se divino influxui præpararet. Deus siquidem harmonia est totius Orbis, ut ab eo mirificè coordinatus. Unde non mirum per musicum concentum animos prophetarum sibi præparare, ut hac harmonia animus in Deum vehementiùs trahatur, sicque animi motus in notiones occultas rerum futurarum faciliùs tendant. Dum enim variis dispositionibus anima fuerit Deo similior, tantò cum Deo unitior, & consequenter majoris gratiæ chrismate ab eo perfundetur. Ideoque Sancti Dei homines non implicati rebus temporalibus, sed divinis tantùm intenti, prophetia donantur.

Prophetæ igitur in Scriptura nominati non potuerunt à musica prophetiam recipere effectivè, sed tantum dispositivè. Cùm enim illa sit donum Dei supernaturale, & per consequens Deo propria, solùm ab eo provenire potest, vel ab ejus instrumentis, virtutem illius, vel imperium deferentibus, qua ratione propheticæ revelationi Angeli divinitus cooperantur.

Esse autem prophetiam sicut & linguarum locutionem, donum divinum, est veritas Catholica, quam docent Patres, & Theologi 2. 2. & Mercur. *in prat. lib.* 1. *cap.* 16. Petrus Forestus *to.* 1. *obs. medis. lib.* 10. *obs.* 12. Petrus Garzia *ad Galenum de locis affectis*, Torreblanca *fol.* 119. *appendic. cap.* 12. aliique communiter.

Non tamen negatur, melancholia imaginatricem cœterasque cerebri potentias, principes à medicis appellatas, commoveri, ac impelli. Ideoque cùm sanguis est optimè attemperatus, hoc est, calens, lucidus, fulgoreque instar auri igniti, ac rubentis illustratus, admirabiles efficit in anima motus, sicuti tradant Ficinus *lib.* 1. *de vita proreg. cap.* 4. & Valesius *to.* 1. *lib.* 6. *enarrat.* 10. Ut iccirco Aristoteles dixerit, philosophiæ prodesse melancholiam. Ex melancholico namque sanguine calente, attenuatoque, ut instrumento, munitus animus acutè, atque profundè abditissima quæque arcana intelligit, ab externis rebus segregatus; unde philosophi illi sapientes divino esse afflati furore apparebant, ut annotavit Menard. *lib.* 7. *Epist.* 5. Negamus verò ex melancholia provenire divinationem propheticam. Nam prophetia tota pendet à divina virtute supernaturali, cùm sit gratia gratis data, & proprium sit Dei futura cognoscere, solumque dicimus melancholicos, & abstractos, sicut & in somnis facilius recipere impressiones cœlestes ad imminens aliquid prædicendum, qua ratione etiam oves imminentem pluviam præsignant, cùm sentiant impressionem cœlestem humiditatis, nunquam tamen futura absolutè prædicere poterunt. Affirmamus etiam, quod dæmon melancholia ad sua comprobandum oracula utebatur, quam à dæmone agitari, tradit Avicenna *fœn.* 2. *tr.* 4. *cap.* 18. Ideoque atræ bili dæmon insidere solet, in qua prophetiam suam ementitur, & oracula. Deum imitans, tam soluta oratione, quàm vincta carmine promit; unde maleficia carmina appellabantur, Deus enim prophetiam simul cum poesi donavit non solùm Sibyllis, ut diximus, sed etiam Psalti regio, quem carmina scripsisse, testatur Joseph *lib.* 7. *antiq. Jud. cap.* 10. de quo Mendoza *in quodlib.* Libri itidem Iobi carmine fuerunt compositi, ut prodidit Isidorus *lib.* 1. *etym. cap.* 59. & Canticum Canticorum. Imo & Propheta Ieremias in morte regis Iosiæ carmen cecinit, sicut & Nehemias, *paralip.* 2. *cap.* 35. & Moyses, antequam faciem cornutam ostenderet, carmen hexametrum modulatus fuit; Sol & Luna steterunt ad carmen Iosue, ut tradit Masius *in Josue cap.* 10. Virgo Deipara cecinit Carmen, *Magnificat* Luc. 1. ipseque Christus, priusquam moreretur, orationem hymno ad Patrem direxit *Matth.* 26. Lege de laudibus poesis Platonem *in Jove*, Aristotelem *in poët.* Gyraldum *in histor. poëtar.*

Consultatio LXXX.

De Magia Kabalistica, & An ex Kabala numeris futura prædici possint? De prophetiis Abbatis Joachimi, & Malachiæ, ac de Rota Bedæ attributa. Et quid de characteribus manuscriptis?

De Kabala, & libris Kabalisticis plura dicemus cùm de libris prohibitis erit sermo. Nunc adnotandum est, Hebræorum Rabbinos affirmare à Deo Moysi in monte Sina revelatam fuisse scientiam quandam, Kabalam appellatam, quæ gentis illius senioribus perpetuæ generationis successione futuris, ore tenus, secretòque communicanda erat. Additque Ioannes Picus, opinionem hanc esse non modò Rabbi Eliazar, Rabbi Mosis de Ægypto, Rabbi Simeon Ben Lagis, Rabbi Ismael, Rabi Iudam, & Rabbi Hachinam, aliorumque plurium ex sapientibus Hebræorum, sed etiam Origenis, & Hilarii post Esdram, præter legem, quam Deus scriptam quinque libris, seu Pentateuchum, dedit Moysi in monte, revelatam quoque fuisse eidem Moysi ab ipso Deo veram legis expositionem cum manifestatione omnium mysteriorum & secretorum, quæ sub rudi verborum cortice continerentur. Illa erat lex litteralis scripta, ex præcepto Dei populo tradita. Hæc verò spiritualis, mandatumque à Deo Moysi, ne ipsam scriberet, sed septuaginta solùm sapientibus dictis Sanedrim communicaret, quos idem Moyses ex Dei præcepto elegerat ad custodiendam legem, eisque itidem præciperet, ne eam scriberent, sed successoribus suis viva voce revelarent, illi aliis, & sic deinceps.

Hanc Kabalam non reprobant Catholici, prout à Deo per Moysem, ac Esdram postea fuit tradita, sed illam probabilem judicant inniti autoritatibus ab eodem Pico relatis, Origenis in primis, exponentis illud Apostoli *ad Rom.* 3. Quia credita sunt illis eloquia Dei. Quod expressiùs docet Hilarius *in expositione Psalmi* 2. & probatur ex textu Esdræ, qui loquens Dominus ait: *Revelans revelatus sum super rubum, & loquutus sum Moysi, quando populus meus serviebat in Ægypto, & misi eum & adduxi eum super montem Sinai, & detinebam eum apud me diebus multis, & enarravi ei mirabilia multa. Et ostendi ei tempo-*

temporum secreta & finem , & præcepi ei dicens : Hæc palam facies verba , & hæc abscondes.

At postea Rabbini addiderunt plura inverisimilia, vana, impia, blasphema & contra ipsam sacram Scripturam , & fidem Catholicam mera figmenta. In primis præfatæ scientiæ duplicem prædicant speciem. Unam, quæ sensibus sacrorum voluminum philosophicis rationibus explicandis intendit. Alteram asserunt esse Beresith, hoc est Cosmologiam , cuius tota doctrina versatur circa primum librum Moysis, qui Geneseos nuncupatur. Quia in illo universorum naturalium generatio recensetur , in quo subdunt Rabbini rerum à Deo creatarum propria nomina exprimi, illarumque naturas, ac vires. Et hanc credunt circa divinas , angelicasque virtutes , & sacrorum nominum significationes symbolicè contemplandas versari , ac officium illius esse circa litteras , numeros , figuras , res, nomina , puncta , apices , spiritus, & accentus arcana mysteria in dagare. Quam insuper in duo capita dividunt. Primum Aritmethicam appellant, quæ nomina , virtutes , proprietates , & conditiones considerat Angelorum , dæmonum, & animarum. Secundum vocant Theomantiam , cujus est divina nomina, productiones , & mysteria speculari.

Affirmant itaque Rabbini , hujus scientiæ peritos miris rerum agendarum pollere virtutibus, futura præscire , rebus omnibus , tam sublunaribus, quàm cœlestibus , tam corporeis , quàm spiritualibus imperare adeo , quòd universa veteris , & novi Testamenti miracula virtute hujus Kabalæ fuisse perpetrata, impudentissimè contendant.

Et quamvis Picus in sua Apologia præ se ferat Kabalam secundum primam tantùm originem confirmare ; quia tamen se remittit ad conclusiones , à se propositas , quæ non parum Rabbinorum ultimò citatis erroribus favere videntur, ideo implicitè illos in ea approbare censetur. Prima conclusio est : *Nulla potest esse operatio magica alicujus efficaciæ, nisi annexum habeat opus Kabalæ explicitum, vel implicitum.* Secunda : *Nulla nomina , ut significativa , & in quantum nomina sunt, singula per se sumpta in magico opere virtutem habere , nisi sint hebraica , vel inde proximè derivata* ; Tertia : *Sicut characteres sunt proprij operi magico , ita numeri sunt proprij operi Kabalæ.* Quarta: *Sicut per primi agentis influxum, si sit specialis, & immediatus, fit aliquid , quod non attingitur per mediationem causarum ; ita per opus Kabalæ , si sit pura Kabala , & immediata , fit aliquid , ad quod nulla Magia attingit.* Ultima est : *Quicquid dicant cœteri Kabalistæ , ego prima divisione scientiam Kabalæ in scientiam Sephiroth, & Scemoth , tanquam in practicam & speculativam distinguerem.* Quibus satis clarè Picus concedit Kabalæ virtutem mirabilium effectricem. Has autem Conclusiones optime refellit Cirvelus Darocensis in quæst. de Kabala, & Magia Judæorum, quæ est ultima inter ejus paradoxas.

Sunt vero Kabalistæ in plures ordines divisi , ut referunt plures autores allati à Delrio *lib.* 1. *magic. qu.* 3. Primus eorum, qui sequuntur traditionem R. Rambani super Genesim de quinquaginta portis intelligentiæ. Secundus , qui sequuntur Abraham Abeneris, qui in libro suo de Creatione Mundi ponit triginta duas semitas sapientiæ, quas amplexi R. Isaac & Jacob Choen , in quibus duobus testatur Delrius, nihil deprehendisse magicum , sed solas nugas. Tertius fuit ponentium decem enumerationes Nezer Sephiroth, testibus Josepho Castiliense *in sua Isagoge*, Josepho filio Carnicol *in libro portarum justitiæ* , & Paulo Ritio *in porta lucis* , & ij jam viam sternunt superstitioni. Quarti ordinis sunt, qui plura admittunt principia. Nam quinquaginta portis addunt litteras viginti duas alphabeti , & sic constituunt numerum septuaginta duorum , quem appellant Scemmephoras, de quo alibi , & inquiunt esse numerum septuaginta Angelorum in præsidium Orbis designarorum, quibus invocatis miracula ab hominibus efficiuntur. Et hæc est Kabala merè blasphema & magica.

His videtur adhærere Origenes *lib.* 1. & 5. *contra Celsum* , quem sequuti sunt quidam medici non parum superstitiosi. Quintus Serenus , & Aetius, quod Trallianus Galeno adscribere conatur , & consentiunt Agrippa , & Paracelsus , Plinius , & aliqui recentiores , effutientes, verbis , & incantationibus sanationes miraculosas fieri , aliaque hujusmodi. Plinius autem, quoniam atheus , solis adhæret experimentis , quibus attribuit miracula, de his verò quæ non videt, nihil cogitat. Paracelsus non curat , an opera dæmonum interveniat , nec ne. Ut autem nonnulli Kabalam faciliùs defendant , subjungunt , litteris , ac syllabis aliquam intercedere cum cœlestibus syderibus , ac intelligentiis sympathiæ connexionem. Imo Ananias *lib.* 3. *de natur. dæmon.* credit , illas voces suapte natura efficaciores evadere , quæ à lingua digniori exoriuntur , & a sanctiori dignitate instituuntur, ac res sanctiores exprimuntur , qualis est lingua hebræa.

Subdunt insuper propria nomina illius linguæ radios quosdam præseferre rerum , quas exprimunt, à quibus miram efficaciam suscipiunt. Illa namque Deus & Adam ita apertè imposuit , ut influxum à naturis significatis commodè susciperent , & ita commendant hebræam linguam , ut affirment Rabbini , puerum nulli idiomati assuetum , hebraicè loquuturum. Quod est ridiculum. Nunquam enim pueri hebraicè loquuntur, cùm voces vernaculas omnes , vel aliquas non didicerint. Præterea credunt , plus prodesse ad hanc artem linguam hebraicam , quam aliam, quia fuit omnium forma , qua Adam , ejusque filii fuerunt loquuti. Adducunt Augustinum *lib.* 6. *de civit. cap.* 11. & *lib.* 18. *cap.* 39. Hieronymum *in Sophoniæ cap.* 3. qui aiunt , linguam hebraicam omnium linguarum esse matricem , Quare Adam nominibus impositis officia distribuit , ut nominata obedirent.

At nos asserimus primò. Magia Kabalistica nullius est efficaciæ ad perpetranda miracula, vel mirabilia. Est sententia communis omnium Theologorum, profitentium contrarium esse impium , atque hæreticum figmentum . Nominarim autem est Medinæ *lib.* 2. *de recta in Deum fide cap.* 7. & *lib. de magia cap.* 10. negantis nominibus hebraicis rerum naturas, & essentias significari, licet id, ut probabile admittat Nazarius *de magia q.* 12. Sed quod negatur est, res nominibus illis expressas subjici proferentis arbitrio, ac illius mandatis obtemperare, si perfectam illorum intelligentiam habuerit. Quod vanissimum esse, ita probatur.

Nullam ex sacris scripturis, aut ex Patrum dictis, aut factis firmitatem habet hoc figmentum. Nam testimonia allata à Pico probant tantummodo Kabalam secundum primam suam originem, qua ratione communicata fuit Moysi virtutem mirabilem obtinuisse. Quod & Theologi probabile existimant. Et tanta vis quàm hebraicis vocabulis ad miracula patrandum ij tribuunt, vel illis competit ex primæva & quasi innata significatione ab Adamo indita iuxta illud Genesis 2. Omne enim, quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. Vel illis competit ex supernaturali divinæ bonitatis influxu. At neutrum dicendum est. Non primum, quia Adam dare non poterat , quod non habebat. Constat autem non habuisse Adamum potestatem patrandi miracula, & si habebat, non tamen juxta potestatem

testatem excellentiæ Christi potuit aliis illam concedere, præcipuè rebus inanimatis, aut verbis ipsis, quæ formaliter sunt entia rationis, materialiter sonus quidam quando pronunciantur. Eoque magis concedendo illis quasi perennem, ac immanentem virtutem, & qualitatem ad quodlibet miraculum, qualis nec Angelo, aut Sancto alicui, ne Christi quidem humanitati concessa fuit, ut Theologi cum D. Thoma 3. *part. qu.* 13. *art.* 2. Imò & quòd non possit concedi sic absolutè quoad omnia miracula, etiam creaturæ possibili, cùm hoc videatur arguere omnipotentiam divinam, creaturæ incommunicabilem, docet D. Thomas 2. 2. *qu.* 178. *art.* 1. *ad* 1. ubi ex eo, quod divina omnipotentia nequit creaturæ communicari, infert, impossibile esse, quod principium operandi miracula sit qualitas aliqua habitualiter permanens in creatura. Quia virtus miraculorum extenditur ad universa, quæ supernaturaliter effici queunt, quorum causa est omnipotentia Dei. At Kabalistæ prædicant virtutem faciendi miracula vocabulis illis hebraicis per modum habitus, in eis permanentis, à Deo fuisse collatam.

Asserimus secundò. Deliria sunt, quæ dicuntur de radiis nominum hebræorum, quos emittunt, quasi in ipsis vita quædam lateat. Siquidem nomina illa, ut sic imposita, sunt ad placitum hominis, nec substantiæ sunt corporeæ, aut spirituales, neque accidentia, quæ subjecto inhæreant, atque adeo carent vita. Neque à rebus significatis radii hujusmodi emanare potuerint. Nam multa nomina nihil exprimunt, pluraque aliud à rei natura significant, & ea, quæ naturam exprimunt, ut imposita ab Adamo, nullum ex hoc potuerint à naturis rerum influxum suscipere. Est quoque dæmonis figmentum, quod Kabalistæ jactant intercedere sympathiam inter voces & planetas cœlestes. Quod dæmonis tantùm testimonio comprobant. Et figmentum etiam dæmonis est quòd subdit Anania. Nec enim rei sanctæ significatio, aut linguæ dignitas, aut hominis instituentis probitas physicam qualitatem, aliquam operatricem, præsertim super omnem virtutem creatam, imprimere valent. Id enim mentitur dæmon, ut sanctissimis quibusque rebus faciliùs, ac libentiùs suos faciat abuti. Credere verò quòd Deus supernaturaliter virtutem iis infundat ad effectus magicos producendum, quos ipse prohibet, est erroneum, blasphemumque, ut etiam censuit Universitas Parisiensis *art.* 9. *&* 10. *de magia.* Vide Torreblancam *lib.* 1. *de magia cap.* 13. probantem, supposita à Kabalistis ferè omnia scatere vanitatibus; quare hanc artem meritò ipse reprehendit, tanquam stolidam, vanam, scandalosam, superstitiosam, & pacti dæmoniaci suspectam post D. Thomam 2. 2. *qu.* 96. Pererium, Delrium, Cirvelum, Suarez ac Delatorre. Et mera delirantium insomnia vocat Vualdensis *de sacramentalibus.* Nam incredibile est, Solem, Lunam, Stellas, elementa insuper, ac stirpes, ratione expertes, divinam illam virtutem universarum rerum quam latere, aiunt, in vocibus hebræis, sensibus percipere, atque sic affici, ac permoveri, ut hominis arbitrio pareant. Maximè autem quia constat ex Hieronymo *in prologo galeato*, mutatos esse characteres hebræos. Esdras namque post captam Hierosolymam, & restaurationem templi sub Zorobabele, alias litteras reperiit, quibus nunc utimur, cùm ante illud tempus iidem Samaritanorum, & Hebræorum characteres fuissent. Et, ut notavit Bellarminus *lib.* 2. *de verbo Dei cap.* 15. *tom.* 1. obliti sunt Hebræi linguæ sanctæ illis septuaginta annis, quibus fuerunt captivi inter Chaldæos, & Chaldæam, vel Syriacam didicerunt.

Sunt nihilominus nonnulli, etiam inter Christianos, qui adhuc nimiùm exaltant Artem Combinatoriam, quam adeo vehementer appetebat Picus, & ob quam dixit, Platonem, Aristotelem, & alios Philosophos Orbem peragrasse. At ipse postea meliùs id considerans, fassus est, hanc esse Dei artem, qua pondere ac mensura condidit universa. Quo sensu à D. Thoma ex D. Augustino annotatur dicta fuisse opera Dei valdè bona. Hanc combinationem, sive rerum ordinem qui plenè cognosceret, ut advertit Kircherius, plura mira penes rerum naturalem sympathiam efficeret, non tamen patraret miracula, quia hæc superant omnem naturam creatam.

Utramque verò Kabalam, operatricem, & numericam impugnant Moura *de Ensalm.* & Pererius *lib.* 1. *adversus fallaces artes*, non quidem quòd non esset Deo possibile miracula facere ac futura prædicere ad pronunciationem cujuslibet vocis, ut contigit Josue, & Moysi, aliisque Sanctis, sed quia non constat hanc nobis concessisse, nisi Sacramentis ad gratiam producendam. Nec Josue Solem stitit hisce, vel illis verbis, sed obediente Domino voci hominis, *Jos.* 10. Narrantur etiam Moysis, Aronis, Samuelis, Eliæ, aliorumque miracula, in quibus nullus usquam de his Kabalisticis mysteriis mentionem fecit. Nomina siquidem, etiam Gabrielis, Michaëlis, ac similium nulla pollent virtute operandi, nec naturali, neque artificiali, neque supernaturali ut tradunt Scaliger *in Cardanum de subtilit. cap.* 349. Langius *Epist.* 33. Valesius *de sacr. philos. cap.* 3. Cirvelus *de superstit. p.* 3. Vairus *lib.* 3. *de fascino cap.* 11. Plutarchus *in vita Periclidis*, Theophrastus *lib.* 9. *hist. plant.* Codronchius *lib.* 2. *de morb. venef. cap.* 5. Hypocrates *lib. de sac. morb.* Galenus *lib.* 6. *&* 10. *simplic.* & Theologi cum D. Thoma 2. 2. *qu.* 96. *art.* 2. *& contra gentes cap.* 104. *& seq.*

Et quidem nomina illa, si scripta sunt, quid mortuum sunt, omnis energiæ expers, & si qua virtute pollent, ab atramento, vel à chartula, in qua sunt exarata, nanciscuntur. Sicut voce prolata virtutem duntaxat habent suo contactu aërem percutiendi, ceu soni lapidum se collidentium. Sonus autem, ut sic, non magis valet immutare tactum, quàm color auditum, vel dulcedo visum, quoniam non sunt eorum objecta. Unde verba, sive scripta, sive prolata nullius efficaciæ ad id esse possunt.

Sed objectatur. Per numeros à peritis sacræ paginæ exponuntur voces, ut per majorem numerum vel minorem, quos *mispar gadol*, & *mispar katon* appellant, & ex litteris accipiuntur numeri. Abrahæ nomini Deus addidit unam litteram, Saræ alteram detraxit, *Genes.* 17. & numerum bestiæ *in Apoc.* 13. definivit 666. *Jeremiæ* quoque 25. & 51. Sesach pro Babel, commutatis litteris, ponitur. Adam item teste Augustino *tract.* 9. *in Joannem*, Cypriano *tr. de Sion*, *& Sina*, Beda *in Joann. tom.* 5. Etymologiam à characteribus quatuor quibus constat, observant, de quo etiam infra de Libris Kabalisticis. Alia hujusmodi leges apud Salmeronem *in Evangelic. hist. prolegom.* 7.

At verò genus hoc expositionis superstitiosæ, commendatum à Kabalistis, à Sapientibus, ut ludicrum, ac fortuitum omnino reprobatur. Quod pluribus probat Salmeron *loc. cit.* Hinc prodigiosa Valentinianorum, & Gnosticorum insania profecta, ut in præfatos hæreticos affirmat Irenæus *lib.* 1. ac Epiphanius *hæresi* 26. *&* 31. Estque commentum ab Hebræis confictum ad eludendum obstinatè Christi adventum. Quæ autem dicuntur de Abrahæ, Saræ, ac bestiæ Apocalypsis nominibus, ad sensum litteralem pertinent. Unde non est necessarium novum interpretationis modum adstruere. Idque solidè refellit Irenæus *lib.* 2. *adversus Valentinum cap.* 40. *in fine.* Vide tamen si placet, Hieronymum *in cap.* 13. *Matth.*

Matth. & alibi sępè, Cyprianum *lib. de habitu Virginum*, Hilarium *in præfat. psalmor.* Chrysostomum *hom.1. in epist. ad Rom.* Origenem *hom.1. in Num.* Augustinum *lib.20. de civit. cap.7.* Gregorium *lib.9. moral. cap. 1.* & alios mysteria plura observantes circa numeros relatos tam in Novo, quàm in Veteri Testamento. Vide etiam Galatinum *lib. 2. de arcan. cathol. verit. cap. 17.* & *Exodi* 14. ex Kabalistis referentem nomina septuaginta Dei.

Ex quibus asserimus tertiò. Kabala numerica nullius est efficacitatis ad divinandum. Sicuti enim verba, aut numeri nullius sunt virtutis ad operandum, ut dictum est, ita neque ad divinandum futura, quod proprium est Dei. Unde Kabala divinatrix vana est, ac superstitiosa, cui se immiscet dæmon. Primò, quoniam ars hæc secreta cordis manifestare, ac futura cognoscere contendit. Hoc autem est intrinsecè malum, ac fidei catholicæ repugnans. Deinde, quia ex D. Augustino *lib. 2. in Genes. cap.17.* sensus, qui ex hac arte per characterum calculationes & subtractiones habetur, ex occultissimo instinctu, quem nescientes humanæ mentes patiuntur, percipitur. Sed hoc operatione dæmonum fit, quibus quædam vera de temporalibus rebus cognoscere permittitur. Atque adeo ars hæc ad superstitionem, ac dæmoniacam divinationem pertinet. Ac postremò quia hujus Kabalæ professores aiunt, signum aliquod intervenire ad placandam intelligentiam. Quod sanè aliud non est, nisi pactum cum dæmone implicitum, vel explicitum, ut fit in omnibus applicationibus certorum characterum, aut figurarum, vel signorum ejusmodi, præter signum Crucis; nisi vanè certis locis, aut certo numero iteretur. Habere autem pactum cum dæmone est res intrinsecè mala. Unde Kabalæ hujus exercitium est semper peccatum mortale, sapitque hæresim manifestam, cùm dæmoni tribuatur, quod est proprium Dei, nempe rerum occultarum, ac futurorum cognitio. Per hoc enim Kabalistæ venerantur in dæmone infinitam sapientiam, ut probat Suarez *lib. 2. de relig. cap. 8. num. 10.* Quare sicut graviter peccant, qui creaturæ exhibent cultum, Deo debitum, ita & qui ea, quæ à Deo exposcenda sunt, auxilio dæmonis implorant. Imò ait Megala *in promptuar. theolog. v. Cabala*, peccarent, ac si idololatriæ cultum committerent, sicque ad dæmoniacam divinationem, & magiam pertinet. Quod tamen infra declarabimus.

Asserimus quartò. Kabalisticam artem exercentes, aut ad illam exercentibus consilium circa eam petentes ad eamque cooperantes subjiciuntur Inquisitorum judicio. Tum quia peccant, ut Idololatræ. Tum quia eorum peccatum sapit hæresim manifestam. Et tum quia sunt apostatæ a fide ex D. Thoma *in 2. sent. qu. 3. art. 2.* Apostasia autem à fide pari passu cum hæresi procedit. Et tum quia Kabala versatur circa divinationem futurorum, & cognitionem rerum occultarum, & secretorum cordis, quod est proprium Dei. Ait enim D. Thomas *2. 2. qu.95. ar. 1.* Siquis futura prænunciare, aut prænoscere quocumque modo præsumpserit, nisi Deo revelante, manifeste usurpat sibi, quod proprium Dei est, & *art. 2.* etiam docet, quòd omnis divinatio ex operatione dæmonum provenit, vel expressè, vel tacitè. Quare tam Kabalam exercentes, quàm illam fieri petentes, & cooperantes subjacent judicio Inquisitorum, & illis omnino denunciandi sunt. Pœnas autem illis deberi, ait Megala *ibidem*, si Clerici sint cujusque ordinis, depositionem & perpetuam in monasterium detrusionem, tanquam dæmoniacæ artis professores, ut *in can. siquis Episcopus 26. qu. 2.* Si Regulares, puniendi sunt pœnis privationis officiorum, dignitatum, ac vocis activæ & passivæ & aliis contentis in Constitutione Sixti V. *Cœli & Terra*, & Urbani VIII. *Inscrutabili.* Si laici sint, excommunicandi sunt *ex can. aliquanti ead. caus. & q.* aliisque pœnis, tanquam sortilegi, & magiam exercentes puniendi sunt de quibus Diaz, & Salzedus *in pr. cr. can. cap 107. & sequ.* At nunc aliæ imponuntur pœnæ ex Constitutionibus Pontificum, de quibus Carena, Suarez *de relig. lib.2. cap.19. nu.3.* & nos *suo loco.*

Quod verò ad prophetias Abbatis Joachimi ita Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis: *Joachimus Abbas Florensis Monasterii vivebat anno* 1195. *scripsit in Isaiam, & Hieremiam, & Apocalypsim & Concordiam Testamenti veteris, & novi, quæ omnia extant. Circumferuntur quædam vaticinia sub ejus nomine de futuris Pontificibus Romanis, quæ quam fidem mereantur, aliorum sit judicium. Illud mirum est, quòd cùm ea vaticinia ad solos quindecim Pontifices pertineant, tamen curiositas hominum ad nostra usque tempora extendere illa conatur.*

Antonius Possevinus *in appar. sac.* longum catalogum operum prædicti Abbatis texit, inter quæ recenset librum prophetiarum futurorum quindecim Pontificum, & eorum, qui hunc librum commentati sunt, additis rotis, & imaginibus ad alios etiam Pontifices prædicendos. Gulielmus verò Parisiensis *in lib. de virtutibus*, sic honorificè de ipso alloquitur. Debes scire, quia donum intellectus tantæ claritatis est, & acuminis in quibusdam, ut valdè assimiletur spiritui prophetiæ, qualem nonnulli crediderunt fuisse in Abbate Joachimo, & ipsemet de seipso dixisse dicitur, quia non erat ei datus spiritus prophetiæ, sed intelligentiæ. Eundem commendat S. Antoninus *3. p. hist. tit. ult.* quia prædixerit Ordines Prædicatorum, & Minorum, & etiam Eremitarum S. Augustini. Spiritu prophetiæ non caruisse, tradit Sylvester Mentius *in Epist ejusdem Abbatis ad Cardinalem Ægidium.*

Et licet Concilium Lateranense sub Innocentio III. *in cap. damnamus de sum. Trinit. & fid. Cathol.* damnaverit libellum quendam ejusdem Joachimi de unitate, sive essentia Trinitatis contra Magistrum sententiarum, appellans hæresim illius opinionem, negantem unam essentiam communem tribus Personis, non ideo ipse declaratus fuit hæreticus, quoniam omnia sua scripta subjecit censuræ Ecclesiæ. Quod confirmat idem Possevinus *epistola quadam Honorii III. ad Episcopum Lucanensem.*

Quicquid autem sit de prophetiis Pontificum, quæ supponuntur divinitus acceptæ; si verum id esset, superstitiosæ tamen sunt rotæ, ac imagines ad alios futuros Pontifices arte cognoscendos; unde his utentes subjiciuntur S. Officio Inquisitionis. Sic etiam qui ex sculpturis valvarum Basilicæ S. Petri in Vaticano contendunt, præscire futuros Pontifices. Hoc enim est sibi assumere divinum attributum, cujus est cognoscere futura, præsertim quæ dependent à libero arbitrio, & circa rem spiritualem, ac præcipuam in Ecclesia Dei, cui assistere speciali modo Spiritum Sanctum, credendum est. Et sanè qui legit prophetias ejusdem Joachimi illorum quindecim præteritorum Pontificum, clarè cognoscet scopum non attigisse, nisi aliquo concursu fortuito.

Idemque dicendum de Prophetiis futurorum Pontificum S. Malachiæ usque ad Clementem Octavum apud Arnaldum Vvion *tom.1. ligni Vitæ.* Solùm enim casu comprobantur, & juxta voluntariam applicationem. Unde credimus falsò adscriptas fuisse Sancto huic viro, nec esse veras prophetias. His deinde adjecta sunt quædam alia, quasi ænigmata, quæ non sunt ipsius Malachiæ, sed Alphonsi Ciaconis, ac ut idem Vvion testatur.

Falsò item Bedæ viro sanctissimo ab hæreticis, & sorti-

sortilegis tributa fuit Rota, quæ vulgò circumfertur, ut fideles autoritate tanti viri facilius inducerentur ad dæmoniacum illius usum. Et iccircò hæretici Basileptistæ illam intexere conati sunt operibus ejusdem venerabilis viri *tom.* 2. quam esse spuriam & suppositam constat ex Trithemio, qui *lib.* 2. *de virib. illustribus Ordinis S. Benedicti* accuratè scribens, & de operibus Bedæ tractans, de illa mentionem non facit, fecisseque dubio procul, cùm doctrina in ea tradita, singularis sit, quamvis dæmoniaca, & superstitiosa. Illius autorem credimus fuisse Apuleium Platonicum Magum, ut tradit Augustinus *epist.* 5. *ad Marcellinum.* Quod & confirmat Delrius *lib.* 2. *magic. cap.* 9.

Hanc autem Rotam de divinatione mortis, ac vitæ ad sortilegam divinationem pertinere, certum est, maximè de futuris formaliter liberis, aliisque fortuitis. Nam in ipsa quæritur de occultis futuris contingentibus per dies, per nomina, litteras, & numeros, nempe, an infirmus sit moriturus? An fugitivus sit reversurus? An gladiator sit victurus? An res aliqua felicem exitum sit habitura? hisque similibus. Quæ quidem divinatio minimè inferri potest ex ipsis diebus, nominibus, & numeris. Quia, ut supra dictum est, ad eam cognitionem inferendam nullam vim habent, nec ex sua natura, neque à Deo, cùm nullibi legatur in sacris litteris talem virtutem à Deo diebus, nominibus, ac numeris datam fuisse, ac proinde talis divinatio à dæmone efficaciam recipit, vel per pactum expressum, vel tacitum. Lege Augustinum relatum *in can. non observetis* 26. *qu.* 7. cujus verba alibi adduximus, ubi omnia, quæ in dicta Rota fiunt, expresè prohibentur. Quare usus illius illicitus est, & absque peccato mortali per se, & ex suo genere esse nequit. Nam repugnat principiis naturæ divinatio futurorum per dies, per nomina, per litteras, per numeros, quæ reipsa nullam habent virtutem ad talem cognitionem. Et si intendant, quòd hoc habeant à Deo, ii debent id probare, cùm Sacramenta solùm nobis constet, esse ad significandam, & producendam gratiam instituta. Unde intercedit vanitas, in quam se ingerit dæmon, ut mentes hominum eludat, Quoties enim applicantur certi characteres, aut figuræ, aut alia signa certis locis, aut numeris iterata, tacitum pactum cum dæmone intercedit, de quo idem Megala *v. Kabala* post D. Thomam, Delatorre, Valentiam, Delrium, & sequitur Suarez ac Torreblanca *de magia divin. cap.* 13. Atque adeo hanc Rotam exercentes, & ab exercentibus illam quærentes scire futura, vel occulta, superstitionis rei sunt, graviter peccant, & subjacent Inquisitoribus, eisque sunt denunciandi, & tanquam sortilegi puniendi, non solùm per extravagantem Sixti V. contra Astrologos, divinatores, ac superstitiosos, etiam simplices, sed etiam quia *in d. can.* non observetis ab Augustino Apostatæ à fide judicantur. Apostatæ autem à fide, sicut & hæretici judicio Inquisitorum subjiciuntur.

Neque effutias, quod utens illa Rota, non expectat notitiam ab illis litteris, & numeris, tanquam à causa, sed tanquam à signo. Nam aut hoc signum est naturale, aut divinum. Non potest autem esse naturale, quia natura per litteras, & numeros non agit. Neque divinum, cùm non constet in sacris Bibliis Deum hujusmodi signa dedisse hominibus. Erit ergo dæmoniacum per expressum pactum primi inventoris hujus Rotæ, aut per implicitum eorum, qui nunc illam exercent. Sortium siquidem divinatio est illicita, damnata, & anathematis interdicto prohibita à Leone Papa IV. *in cap. sortes* 26. *qu.* 5. sortesque propriè affirmantur cùm aliquid fit, ut eius eventu considerato, aliquid occultum pateafit. Talis autem est usus prædictæ Rotæ. Rotatur namque, ut aliquid occultum manifestetur. Atque adeo talis divinatio sortilega est.

Divinare autem per characteres manuscriptos prosperam, vel adversam fortunam, aut futura contingentia, vel quæ pendent ex libera hominis voluntate, ac similia, illicitum quoque est ac superstitiosum, & qui ex his characteribus hæc certò prædiceret, mortaliter peccaret, ac præsumendus esset, quod societatem, sive pactum expressum, vel tacitum cum dæmone habeat, quia hujusmodi divinationes, sicuti neque ex astris, neque ex aliis signis naturaliter argui possunt, ita neque ex his manuscriptis characteribus. Quoad corporis verò constitutionem, & alia quæ ex illa conjectari possunt, qui ex ipsis manuscriptis, tanquam ex levissima conjectura prædiceret, nec mortaliter peccaret, neque superstitiosus esset, ut per Delbenem *de offic. Inquis. p.* 2. *dub.* 223. *sect.* 1. *num.* 1. & 2. Hæc enim conjectatio licitè fieri potest, ut tradunt Delrius *lib.* 4. *magic.* 4. *cap.* 3. *qu.* 4. Lessius *lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 7. *num.* 45. & Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 38. *nu.* 44.

CONSULTATIO LXXXI.

De Oraculis antiquis, & simulacris fatalibus: Quomodo potuerint præsagire futura? Ubi de oraculis ex hominibus, ex statuis ex antris. De eorum defectu post adventum Christi. Quid apud Indos? Torreblancæ inconstantia quoad prædictiones ex antris, vel exhalationibus.

DÆmon, qui semper conatus est Deum imitari, præsertim quoad prophetias, dando interrogantibus responsa, ex hominibus respondet intus existens, illosque possidens, ut in energumenis, vel dementando homines intra specus existentes herba, vel pharmaco assumpto. Quod agit vel commovendo phantasiam, vel interna suggestione, vel locutione externa, vel ipse dæmon efformat voces immediatè humanis similes instar ejus, qui tibia, vel fistula, aliove instrumento organico sonum vocis humanæ similem exprimit, vel cavæ valles exceptam ac repercussam vocem articulant, vel hominis linguam movet, ut non quod velit homo, sed quod dæmon intendit, loquatur, ut de Apolline testatur Porphyrius. Sicut enim, teste Davide *Psalm.* 44. Deus verba in ore Prophetæ loquitur, vel ejus linguam, seu calamum scribentis, movet, ut ad suum nutum mysteria revelata manifestet, ita & dæmon, licet phanatici mira proferant quæ non intelligunt, quia dæmon animam illustrare nequit, quemadmodum Deus illuminat suos Prophetas, ut cognoscant, & cum certitudine ac virtute proferant mysteria sibi revelata. Unde cum furore oracula dæmonis fundebantur, ex Platone *in Phædro*, traditque Arnobius *lib.* 1. *contra Gentiles*, quod insanire, & bacchari est veluti quiddam promptum ex oraculo fundere. Imò narrat Brisonius *lib.* 2. *select. cap.* 3. quod solebant sic à dæmone occupati sibimet mala inferre. Ita Sacerdotes Cybelis, qui furentes sibi virilia secta amputabant, Prophetæ Baal novaculis sibi brachia abscindebant 3. *Reg.* Thesari, aliique cultris id exequebantur apud Apuleium *Miles.* 8. Lactantium *lib.* 1. *cap.* 21. Strabonem *lib.* 10. Lucianum *lib.* 8. *de Dea Syriæ.* Tales fuisse aiunt Orpheum, Thyresiam, Sosipatrem, Musæum. Tales Colophoni, Trophonii, Soractini, Paredri apud Pausaniam *in Archad.*

Ex statuis etiam loquebatur dæmon non propriè. Simulachra enim Gentium os habent, & non loquuntur. Siquidem potest dæmon facere, ut non

modò

modò Statuæ, sed etiam arbores, & animalia more humano loquantur, dæmone voces articulatas, & humanis similes in aëre formante juxta, vel intra illa corpora, eo modo, quo Angelus *Num.* 22. fecit, ut asina loqueretur, & quo periti artifices organa, & alia instrumenta musica temperant, ut pulsata hominum cantus videantur æmulari. Quo pacto etiam more humano referente Valerio Maximo *lib.*1.*cap.ult* loquutum fuisse Simulacrum Fortunæ, ac Junonis Monetæ dum dixit. *Ritè me matronæ vidistis, ritè me consecrastis.* Hoc modo respondebat dæmon oraculo Themidis, de quo Ammianus *lib.* 2. Euripides *in Iphigenia.* Ita quoque & dabant responsa oracula Jovis Dodonæi; de quo Herodotus *lib.* 2. Strabo *lib.* 7. Tullius *de divin. lib.* 1. aliaque hujusmodi apud Iustinum *lib.* 34. Pausaniam *in Phoc.* de quibus & nos *alibi.* Sicque intelligendum est, quod Caio Volumnio, & Servio Sulpicio Consulibus memoriæ traditur, Bos humano sermone loquutus. Bello quoque Punico secundo narratur Cneo Domitio bovem dixisse: *Cave tibi Roma.* Huc etiam spectat, quod prodit Philostratus arborem ulmum humana voce Apollonium salutasse coram Gymnosophistis Æthiopum, quorum princeps erat Trapecion; & quod dicitur de quercu Dodonæa interrogantibus respondente, vel artificio quodã pelvis æreæ dodonææ ad radios solis jactæ, aut bacillo, manu, lapillo impulsæ sonum formabant, oraculaque fundebant, narrante Ausonio *epist.* 25.

Inter oracula ex statuis recensetur illud de Tabar, ac illud metallicum Marchionis de Villena, quod res longè dissitas ubique terrarum manifestabat, confractum tandem jussu Regis Joannis II. Inter hæc etiam Tostatus apud Torreblancam *lib.* 12. *cap.* 7. alijque nonnulli enumerant caput æneum Magno Alberto impositum, articulatè loquens, & à D. Thoma, ejus discipulo confractum. Quod planè commentum est, ac dedecens sanctitatem, & Sapientiam tanti viri, ideoque ad magicas artes confugisse haud est credendum, ut præter cœteros tradunt Trithemius, ac bene multi apud Bozium *tom.* 1. *de loc. Ecclesiast. lib.* 9. *cap.* 11. *sign.* 36. Eusebius *pag.* 2. *philosoph. nat.* 72.

Hæc autem cessarunt ad Christi adventum, ut prædixerat Isaias *cap.* 2. Zacharias 13. non quidem ob cessationem vaporis dementantis, ut Plutarchus contendit, sed ex sola Christi potentia & virtute, ideoque dæmones proclamabant Marci *cap.* 1. Quid nobis, & tibi, Jesu Nazarene, venisti perdere nos? Scio, quod sis Sanctus Dei Idem habetur *Lucæ* 8. Unde Chrysostomus *hom.* 26. *in Matth.* hanc ejectionem, & oraculorum silentium signum prædicat veræ fidei, concinitque Lactantius *lib.* 3. *divin. instit. cap.* 23. Nicephorus *lib.* 1. *hist. Eccles. cap.* 17. Bozius *de signis Eccl. lib.* 14. *cap.* 3. *& seq.* & Majolus *to.* 3. *colloq.* 1.

Et prædicato Evangelio apud Antipodas oracula ex statuis omnino defecisse, referunt idem Bozius *lib.* 2. *cap.* 1. Gomara *lib.* 3. *cap.* 6. Torquemada *in monarchia Indorum lib.* 18. *cap.* 7. Petrus Cieza *tom.* 2. *de reb. Indiar. cap.* 23. Antonius Herrera *in hist. generali Indor. decad.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. Petrus Gregorius *lib.* 21. *de republ. cap.* 3. *&* Hieronymus Benzon. *lib.* 1. *hist. novi Orbis cap.* 8. Imo Solorzanus *lib.* 2. *de jure Indiar. cap.* 13. congerit plura oracula, quibus Idola fatebantur ob prædicationem Evangelii sedes reliquisse.

Ex antris quoque dat responsa dæmon, sonum formando in aëre humanæ voci simillimum, de quo Isaias *cap.* 24. ait; *De humo audietur eloquium tuum, & erit quasi Pythonis de terra vox tua.* Vel ex terra vaporem exhalare faciebat, quibus lymphatici ex numine in antro latente oracula fundere videbantur, ut notavit Maiolus *tom.* 2. *colloq.* 2. Oraculum Apollinis Delphici tradunt Diodorus Siculus *lib.* 16. Iustinus *lib.* 54. alijque originem traxisse ex antri halitu. Idque confirmat Tullius *lib.* 1. *de divinat.* his verbis: *Terræ vis Pythiam Delphis incitabat,* & mox: *Credo etiam anhelitus quosdam fuisse terrarum, quibus afflatæ mentes oracula funderent.* Sequiturque Plinius *lib.* 2. Virgilius *Æneid.* 1. *&* 6. & Lucretius *lib.* 2.

Salmanticæ antrum quoddam olim extitit. Pegna Clemensi appellatum, in quo magica præcepta & oracula dabantur. De illo Bernardus Basin *de artib. magicis conclusione* 10. Boëtius *de discipl. Scholast. cap. primo.* De alio antro apud Iberos sic ait: *Magia autem delusionis de Iberia multos vidimus magistrari.* Quem locum ita interpretatur D. Thomas: In quadam caverna Hispaniæ in Christi blasphemiam humani generis seductoris ministerio attentare conati sunt. Referunt quoque Toleti extitisse antrum ob dæmonum responsa celebre, quod ingrediens Rodericus, ultimus Rex Gothorum, arcam reperit cum linteo depicto, in quo misera Hispaniæ clades descripta visebatur, ut narrat Rodericus Archiepiscopus Toletanus *lib.* 3. *cap.* 17.

Admittimus tamen machinas ita compactas, & suis libramentis impensas, ut aura intus inclusa per tenues rimulas exitum procurans, sonitum edat humanæ voci persimilem, ut etiam Aulus Gellius *lib.* 11. *cap.* 12. Cassiodorus *lib.* 1. *epist. penul.* testantur. Et Majolus *tom.* 1. *colloq.* 23. ait *Vidimus Romæ organa, quæ tubas, tympana, hominumque choros referebant adeo, ut quisque pueriles, fœmineas, similesque voces simul se audire non dubitaret.*

Quod verò ad simulacra fatalia, certum est plura signa reperta, quæ divinitus præsignificabant futuram cladem, vel aliud quidpiam. Canit enim regius Vates *psal.* 59. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus.* Cui concinit Manilius.

Sive Deus instantis Fati miseratus in Orbem
Signa per effectus, cœlique incendia mittit.

Non tamen est negandum, plura ex dæmonis arte conficta, ut de capite metallico Marchionis de Villena diximus. Quare Abulensis *in Numer. cap.* 21. *quæst.* 19. Fortalitium fidei *lib.* 3. *consid.* 10. Iepes *in hist. Innocent.* Delaguard *cap.* 4. tale existimant caput metallicum Tabarense, quod adveniente Iudæo proclamabat. *Iudæus adest.* Quod tamen Moura *de ensalm. sect.* 2. *cap.* 15. & alij plures miraculosè proclamasse credunt, ut Christiani ab Hebræis caverent, cùm ibi nullum signum in veste, quo à Christianis discernerentur, deferrent.

Optime namque scit dæmon quantùm homines appetant cognoscere futura, quia divinum est; unde ad eorum voluntates miserè captandum, tot Idolorum delubra, ac divinationis oracula instituit. Ante Urbem conditam Carmenta, Arcadis Evandri mater, quia fatiloqua putaretur, Latium audiebat, & Romæ, quasi domicilium hujusmodi falsi vates sibi delegerunt, cujus conditor Romulus, auguriis deditus, traditur. Numa conditam regebat auguriis, & Ægeriæ colloquiis frui gloriabatur ad divinandum. Auguribus & cœteri Reges Romanorum usi, & Respublica sine auspiciis nihil agebat, teste Tullio *lib.* 1. *de divinat.*

Ideoque Romani Sibillinis versibus interpretandis diligenter operam & studium navarunt. Eadem Hetruscorum disciplina, libri, ac religio præsertim in somniorum conjectationibus.

Apud veteres, scribente Livio *dec.* 1. fatalia dicebantur simulacra, quæ Regni fata, & exitus præsignabant, ideoque in cunctis nationibus, veluti divina numina venerata. Tale fuit Palladium, ab Ænea evectum quod alii Apollinis, alii Neptuni fuisse simulacrum existimant, alii Troianam Palladem Romæ, Lavinii, aliisque in locis ostensum re-

referunt, quo Regni fatum portendebatur. Pyrrhus paratum se Græcis obtulit cum Ulysse ad abripiendum Palladium, clam noctu, quo à Trojanis ablato, fatale erat perire Trojam. Palladium autem statua fuit lignea, cœlitus delapsa in templum Minervæ, quod Ilus Rex Troianus in arce in honorem Minervæ ædificavit, Dictys *libro quinto*, Ovid. 5. *fast. & lib.* 13. *metamorph.* Virgil. *Æneid.* 2. Et Maiolus *tomo secundo, canicul. libro secundo*, post alios memorat Deos Penates adductos in Italiam ab Ænea, recenſetque simul scutum fatidicum è cœlo delapsum, Solis simulacrum Rhodium, aliaque plura Regnorum fata.

Nec Amorrhæi ab hac superstitione abstinuerunt. Prodit namque Philo *lib. antiq. Bibl.* quod habebant aurea simulacra lapidibus pretiosis imposita, quæ singulis horis eventus futuros illis designabant. Idem narrat Nicetas *in annal.* de Græcis, quos ideo reprehendit Zonaras. Alias non absimiles statuas fatales in Cyrco Byzaceno magicis artibus confectas, quæ Constantinopolitani Imperii casus præsignare putabantur, ut scribit Bullinger. *de magia libro secundo, capite* 16. Talis fortasse fuit statua Titi Sempronii marmorea, quæ à Romanis servabatur in antiqua Julia Celsa, de qua Marcus Xavier *in Pontificali parte quarta, libro decimo, capite quinto.* Similis etiam fuit statua illa ænea Cataphracti Militis, quæ simul cum viris belligeris in muro depictis inventa fuit Toleti in antro ante miseram Hispaniæ cladem, ut recenset Rasis *in hist. cap.* 12.

Hæc enim omnia simulacra fuerunt signa ad dæmonis placitum, quibus dæmon decrevit Regnum, vel Civitatem, aut oppidum funditus evertere. Unde divinationes hujusmodi sunt dæmoniacæ, ac damnatæ etiam ab Ethnicis, à Platone in Timæo, à Plutarcho *libro quinto de placit. philosoph. capite* 1. *& libro de defectu oracul.* & à Tullio *libro primo de divinat.* & à Catholicis, ut à Lactantio *libro primo divin. instit.* Eusebio *contra Hierocl.* Nazianseno *contra Julian.* Rabbano *libro primo pœnit. capite vigesimo tertio*, Simancha *de cathol. instit. libro primo cap.* 62. Julio Claro *in pract.* §. *hæresis*, Navarro *in man. capite undecimo*, Perez *in l.* 9. *titulo primo, libro octavo*, Damhauderio *in pr. crim. cap.* 61. Avendagno *de exeq. mand. libro secundo, cap.* 32. Medices *in summ. omnium hæresium parte tertia, v. divinatio*, Sylvester *eodem v.* aliisque Summistis, & à Theologis cum Divo Thoma 2. 2. *quæst.* 95. Suarez *libro secundo de relig. capite quarto, & sequ.* Autore mallei, Directorio Inquisit. ibique Pegna, Lessio *libro secundo de just. capite* 43. Sayro *in clau. reg. libro quarto, capite quinto*, Azor *parte prima instit. mor. libro nono, capite* 18. Sanchez *libro* 2. *in decal. capite quarto*, Delrio *libro tertio magic. qu.* 1. Castro *de justa hæret. punit. libro primo, capite* 13. Cirvelo *de superstit. parte secunda, capite quarto*, Cassanæo *in catal. glor. mund. parte decima, consid.* 52. Campegio *in Zanchinum de hæret. capite vigesimo secundo*, Petro Navarro *de restit. lib.* 2. *cap.* 2. ab aliis, ab omnibus.

Restat, ut testatam faciamus Torreblancæ inconstantiam quoad prædictiones ex antris, vel exhalationibus. Is etenim *in epit. sæpius, signatè capite undecimo, libro primo & in addit. ad illud in fine ejusdem libri*, postquam meritò impugnavit placitum Laurentii, quod in Hispania sint populi natura divini, Levini, Lemnii, Julii, Syrenii, asserentium phanaticos futura prædicere, atra bile eos exagitante, cùm, teste Tullio *libro primo de divinat.* nemo natura nascatur divinus. Et licet naturaliter ex humore melancholico, ita humores attenuentur, ut homo ex forti imaginatione valeat linguam effingere, & quasi propriam loqui, ut maniaci; rectè tamen concludit nullo modo posse hos divinare nec ab arte, neque à natura, neque à dæmone mente attonita, abscondita, absentia, & futura manifestare, variisque linguis loqui. Nam ad divinationem potentiam supernaturalem necessariam esse admittit, & ad linguarum locutionem earum notitiam, quæ ex sola melancholia comparari non possunt, ut etiam Mercurialis *in practic. libro primo, capite decimo sexto*, Forestus *tomo primo, obser. med. libro decimo, obser.* 12. Petrus Garzias *ad Galenum de loc. affect.* fatentur. Non enim quispiam potest depromere voces articulatas, distinctè ac ordinatè ad placitum diversorum hominum significativas, nisi earum species acceperit antea. Ideo probatur cum Divo Thoma contra Pomponatium, Erasmum, Aponensem, Syrenum, Lemnium, & Cardanum ratione naturali à posteriori, Angelos existere ex locutione variarum linguarum energumenorum, cùm hæc solùm intelligentiis competant.

Idem tamen Torreblanca *capite sexto, libro sexto jur. spirit.* non sibi cohærens, contrarium videtur adstruere. Ita enim arguit. Quoniam natura humana suis septa limitibus, sicut aliis fruitur prærogativis, sic & divinandi, sive futura prænoscendi, antequam eveniant, cùm homo sit divinæ essentiæ simulacrum, creatus ad imaginem Dei, paulò minùs ab Angelis minoratus. At bruta animantia ex solo instinctu naturali futura quamplurima præsentiunt, ut dictum est de Alcionibus & aliis animantibus. Unde Jeremiæ 8. *milvus in cœlo cognovit tempus suum, turtur, & hirundo, & ciconia tempus adventus sui.* Ergo credendum est, naturam hominibus præstantioribus non esse novercam, tum magis cùm homo omnium sub cœlo existentium sit epilogus, ideo à Græcis vocatus microcosmos, tradente Platone in Cratylo.

Idque confirmat primò. Quia humores naturales melancholici hominem faciunt divinare futuraque præsentire. Quod his verbis testatur Aristoteles *in probl.* 1. multi enim propterea quod ille calor sedi mentis in vicinia est morbis vesaniæ implicantur, & lymphatici fiunt, unde sibyllæ, & bacchantes, & divino Spiritu afflantur, qui non morbo, sed temperie naturali fiunt.

Secundò, quia Plato *in Phædro, sive de pulchro dial.* 1. hos effectus atræ bili, ac vesaniæ morbo tribuit his verbis: Quod autem dementiæ humanæ Deus divinandi vim dederit, illud argumentum esse potest, quod nemo diù sanæ mentis est divinus & vates, vaticinium nullum assequitur, sed cùm vel somno prudentis vis prædita est, vel oppressa morbo, vel divino aliquo raptu à sua sede dimota, fieri divinatio solet.

Tertiò. Nam idem Aristoteles *lib. de mundo* divinationem prædictam assignat terræ, inquiens: atque etiam per multa spiritualium genera plerisque in locis terræ ostia patefacta sunt, quorum quidem spirituum alii adventantes investigant, alii inediam tolerare faciunt, & alii vaticinantur, ut Delphis.

Quartò. Quia Ptolemæus pluries præcipuè *libro quarto, textu decimosexto* cœlesti virtuti eosdem effectus adscribit. Mixtio, ait, Saturni cum Venere facit divinatores. *Et libro tertio de act. judic. textu vigesimo.* Mercurius oraculorum, & somniorum interpretes creat. *Et libro quarto, textu* 18. Rursus si Luna positum locum gubernat à congressu cum Sole, properans cum Mercurio in Tauro, & Scorpione vates facit.

Quintò. Nam homines atræ bilis calore inflammati solent quasi extra se prorumpere, & multa callere,

lere, ex quibus videntur divinare. Prout ex Tullio *citato libro primo de divinat.* his verbis. Ergo & & ii, quorum animi spretis corporibus evolant, atque excurrunt foras, ardore aliquo inflammati, & exusti, cernunt illa profectò, quæ vaticinantes prænunciant. Confirmatque Galeno *lib. quòd animi motus capite quinto.* Nam calor sanguinis humores desiccat, bilemque accendit, quibus melancholia excitatur, ac subinde cerebri potentiæ ad discurrendum aptissimæ evadunt. Ex calore enim & siccitate ingenium evadit acutissimum. Atque Ecclesiastes: *Splendor siccus animus sapientissimus.* Unde fit, ut admirabiles excitentur in animo motus. Ergo infert, anima velociter discurrit, ex quo contingit futura callere, linguas loqui, poëtas effici, ut docent Azor *prima parte inst. moral. libro nono, capite vigesimo-quarto*, Syren. *libro nono de fato*, Joannes Huarte *lib. de exam. ingen. capite* 4. Lemnius *libro secundo de occult. natur. capite secundo.* Quod comprobat, quia futurorum necessariorum cognitionem ex mente & ratiocinio assequimur; ideo ad imaginatricem accommodata, quæ futura sunt ex præexistentibus investigat. Est enim, ait Cicero *ibidem*, vis, & natura quædam, quæ futura prænunciat, quorum vim, atque naturam, ratione neque explicuit. Homo enim, docente Augustino *libro quarto de quant. animæ capite* 17. Francisco Pico *libro primo prænot. capite* 3. ex ratiocinio quodammodo Deo assimilatur. Unde Dionysius Areopagita *lib.1. de divin. nomin.* omnia videntem, & contemplantem docet.

Sextò. Quoniam hæc divinatio est necessaria hominis providentiæ, ut notat idem Picus *loco memorato capite primo & secundo*, Chrysippus *de divinat. libro secundo*, Laërtius *libro* 7. *in Zenobium*, Cicero *de divinat. lib.* 1.

Septimò. Quia plures homines morti proximi divinant, ut docent Plato *in apolog. Socratis*, Cicero *ibidem*, Tertullianus *lib. de anima*, idem Picus *libro secundo, capite septimo*, Covarruvias *de vera & falsa prophetia libro secundo, capite tertio.* Idque confirmant multa morientium de futuris prognostica, ut ex Patribus tradit Cajetanus *prima parte, quæstione duodecima, articulo undecimo, & 2. 2. quæstione* 172. post Divum Thomam. Quod sequitur Delatorre ibibem, Covarruvias, & Azor, ac Picus, & Eusebius Nicremberg. *parte secunda curios. philosoph. libro primo, capite* 71. de qua re nos etiam *alibi.* Unde concludit, negari nequit, hanc divinationem hominibus naturalem esse, etiamsi unus, vel alter ea præditus non fuisset, nec semper, sed semel experiretur. Nam, ut ait Chrysippus citatus à Valesio *de sacr. philosoph. capite trigesimo.* Quodcunque animal vel semel in vita vidit cœlum, aut omnino colorem, vel fulgorem aliquem, etiamsi centies, aut millies videre nequiverit, aut videndo deerraverit, necesse est habere vim facultatemque cernendi.

Octavò. Nam ex humorum prædicta desiccatione contingit aliquando, pueros loqui statim ac nascuntur, & aliquos in utero matris verba proferre, quod ignari miraculo solent tribuere, cùm ex hoc temperamento facilè nanciscantur, ut docet Aristoteles *in problemate* 27. *sectione, undecima*, & Augustinus *citato loco.* Et hæc est ratio, subdit, cur pueri nati ex parentibus senibus citiùs, quàm alii loquantur. Nam generantur ex semine sicco cujus temperamentum reddit aptas animæ potentias, ex quibus sermo comparatur, & ita multi in infirmitate, hoc nati temperamento, linguas, quas non noverunt, loquuntur, ut probat Aristoteles, & Huarte *locis allegatis.*

Et tandem id confirmat, quia homines hoc temperamento abalienati meliora oracula fundunt, testa Platone *ibidem* his verbis. Qui in Delphi futura prædicit vates, & qui in Dodona sacerdos, furentes quidem multa, ac magna commoda privatim & publicè Græcis hominibus attulerunt; sanæ verò mentis exigua & nulla. Etiam meliora poëmata componunt, ut per hæc verba Aristoteles docet *dicta sect.* 30. *probl.* 1. Marcus civis Syracusanus poëta etiam præstantior erat, dum mente alienabatur, & quibus minùs ille calor remissius ad mediocritatem fit, ij prorsus melancholici quidem, sed longe prudentiores. Quoniam melancholici humores ingenio sunt aptissimi, & eorum agitatione cerebrum incalescit, quo intellectus, & imaginatio illustratur, & ad discursum meliores evadunt.

Hanc Torreblancæ profanam doctrinam pluries confutavimus. Et sanè tam absurda est, ut operosiori confutatione non egeat. Non enim homo habet species congenitas, sed ab objectis acceptas, quicquid dixerit Plato, quem *alibi* refellimus Unde cùm à futuris non potuerit accipere species, ac idiomatum extraneorum speciebus careat, neque futura præcognoscere poterit, aut linguas antea ignotas. Fatemur tamen humorem melancholicum aptissimum esse ad inhabitationem Dæmonum in corporibus humanis, quæ ipsi commovent ad loquendum varias linguas & futura prædicendum, quæ possunt dæmones cognoscere, vel præsagire, non illa, quæ sunt propria Dei, ut esse de fide iam diximus, & comprobat pluribus testimoniis Sixtus V. *in citata sua Constitutione.* Certe Aristotele teste in *perierm.* de futuris contigentibus non est determinata veritas. Cùm enim adhuc futura non existant quantumvis mens agitetur, nequaquam in illorum cognitionem deveniet. Nulla namque est in mente divinandi vis. Quare idem est dicere hominem divinare futura per humorum concitationem, ac cœcum luminis accessione posse videre, ut notavit Valesius *de Sacr. philosoph.* Unde si energumeni, aut in furorem à dæmone agitati futura, & varia idiomata depromunt, ad dæmones assistentes id referendum est, sicut eveniebat phanaticis, qui in delubris, & antris idolorum, à dæmone correpti, non solum carmina, & poëmata pandebant, sed linguis loquebantur novis, ac futura prædicebant, ut de oraculo Delphico, & aliis referunt Philostratus *lib.* 9. *vitæ Apollonii*, Plutarchus *lib. de tacente Pythia*, Lemnius, Syrenus *locis adductis*, & Picus *libro septimo prænot.* Nec animalia cognoscunt futura, sed naturali instinctu illa indicant, ut *alibi* declaravimus.

Ad primam confirmationem respondetur. Explicat Aristoteles dispositionem majorem ad futura prædicendum modo jam dicto ex melancholia, qua utitur dæmon in suis Vatibus, & si aliqui respondeant, non esse adhærendum in hac re Aristoteli, quia negat existentiam dæmonum & effectus energumenorum mirabiles attribuit humori lymphatico, & atræ bili vel terræ ipsi exhalanti humorem, qui phanaticum reddit, ac disponit ad futura fundendum. Ex quibus patet responsio ad secundam, tertiam, & quartam confirmationem. Ac de præfata dipositione loquitur Plato, & Prolemæus. Patet etiam ad quintam & sextam, nec septima aliud probat, ut liquet ex alibi dictis.

Octava supponit plane falsum. Nam Joannes Baptista supra naturæ vim, atque ordinem exultavit in utero matris, cùm adhuc non esset rationis capax. Christo tantùm tribuitur à principio conceptionis perfectè usus rationis, & facialis Dei visio.

visio. Nec quidem opera dæmonis potest infans statim ac oritur uti ratione, atque adeo nec loqui, imo nec verè ambulare. Potest tamen juxta diversas dispositiones ocyùs, vel seriùs loqui, aut ratione uti.

Ultima facit, ut propositum nos assequamur. Probat enim atram bilem, benè dispositam, esse rationem cur homines aptiores evadant ad conjiciendum ex causis vel conjecturis, etiamsi abalienentur, ut illis dæmon commodiùs ad suam prophetiam utatur. Imò aliquas dari dispositiones supernaturales ad prophetiam supernaturalem, Deumque accommodare se quandoque etiam naturalibus cum Hieronymo & aliis Patribus alibi quoque annotavimus.

Dæmoniacam itaque Divinationem vocamus omnia vaticinia, quæ non sunt vel expresso Dei mandato sancita, vel cœlestibus testimoniis aut exemplis sacræ Scripturæ approbata, imò quæ sunt verbis expressis à Dei Spiritu per sanctos Prophetas, & Apostolos severè damnata, quæ vel nullas in natura causas habent, sive immediatè à dæmone profecta, & cum manifesta impietate conjuncta, sive ex mera superstitione nata, errore recepta, approbata, usuque temporis confirmata sunt. Tales divinationes omnes cujuscumque generis generalibus primæ Tabulæ mandatis prohibentur. Singularum ferè differentiarum peculiares prohibitiones extant *Deuter.* 18. *& aliis locis*, quorum nonnulli supra citati sunt.

Ex aliis Scriptoribus autem Oracula dæmoniaca varia hæc sunt. Jovis Hammonis, Dodonæum, Delphicum, Trophonijs, Amphiarai, Branchidarum in Milesia, Sabæum in Phocide, Antiochenum, Palicense, Sebenniticum, Serapidis, Mercurii Pharensis, Bacchi Thracii, Mantis, aliaque penè innumera, quæ data sunt sciscitantibus in locis certis, & à dæmone obsessis, vel à dæmonibus ipsis, voce, somniis, gestu, nutuve aliquo simulachrorum, sonitu, tinnitu, vel aliis hujusmodi, vel ab hominibus dæmoniaco spiritu afflatis, qui tunc cùm de proposita quæstione respondendum erat, cum vehementi impetu, & horribili sonitu ex specubus eliso in vates suos irruebat, impletosque & in furorem actos ita incutiebat, ut præ timore, palpitationeque artuum omnium nec consistere, nec sese continere possent. Ita dæmon sarcasticè illusit apparitionibus, somniis, & visionibus illustribus, de quibus multa in historiis sacris mentio.

CONSULTATIO LXXXII.

De Imaginibus astronomicis variæ sententiæ. An præsignent futura? Quatenus superstitiosæ, necromanticæ, suspectæ? De his Torreblancæ judicium confutatur, diluuntur ejus leves rationes vi imaginationis. Quid de Inauguratione armorum, vexillorumque militum Catholicorum?

Existimant nonnulli antiqui Philosophi, omnem cœlestem machinam unum esse animal, illudque aptissimum constituerunt instar Dei ad proprias virtutes, omnium effectuum effectrices cunctis rebus sublunaribus communicandum, dummodo inferiora corpora se ad illas participandum disposuerint. Adduntque spiritum humanum rectè præparatum posse omnes proprietates cœlestes haurire mediis stellarum radiis opportunè susceptis. Præparatio autem aiunt aliqui, fit primò, dum homo generatur sub certis constellationibus. Deinde utendo rebus sympathiam naturalem habentibus cum cœlis, stellis, & astris, ut imaginibus, non absimilibus eis, quæ in cœlis sunt. Ac præterea per medicinas quadam concordia temperatas per vapores, & odores simili concinnitate confectos, per cantus musicos, sonos, ac tripudia, per imaginationis operationes, imò & per desideria, & voluntatis affectiones. Quod sequuti sunt Zoroaster, Synesius, Aphrodiseus, Porphyrius, Artephius, ac Thebith Venthorat, Petrus Apponensis, Pomponatius, & Antonius Mizaldus *in centur. memorab.* ac Ludovicus Dulcius, aliique vani, ac futiles recentiores.

Imò, quod mirum est, Cajetanus 2. 2. *qu.* 96. *articulo* 2. asserit primò. Imagines astronomicæ non ut corpora artificialia sunt, sed ut effectus cœlestis syderis, & ut constituunt in specie cœlestis conformitatis ratione talis figuræ, licet ministerio humano, possunt cœlestes influxus suscipere, vimque obtinere ad operandum. Secundò. Figura, etsi nullius appareat actionis naturaliter principium, est tamen actionis naturalis comprincipium, & dispositio ad formam, quæ est actionis naturalis principium, non prout est figura, sed prout est terminatio quædam corporis naturalis. Tertiò. Figura, quæ humano ministerio terminare dicitur tale corpus sub tali sydere, est veluti quædam secunda stella propter conformitatem ad tale sydus. Ad id adducit autoritatem D. Thomæ *ibidem, ac libro tertio, contra gentes capite* 105. sed immeritò. Nam in his locis, ac alibi contrarium adstruit. Quare communiter Cajetanus reprobatur à Thomistis, & ab aliis Theologis, nominatim à Victoria *relect. de mag. qu.* 3. Delrio *libro tertio, magic. capite quarto, qu.* 1. Delatorre & Valentia *in d. qu.* 96. D. Thomæ, Joanne Pico *lib.* 8. *in astrolog. cap.* 3. & ab ejus nepote Joanne Francisco *de rer. prænot. libro* 7. *capite* 10. à Suarez *libro secundo de superst. capite* 15. *numero* 16. *&* 17. à Sylvestro *in sum. v. superstitio qu.* 10. à Sibyllano *in spec. peregr. quæst. dec.* 1. *cap.* 9. *qu.* 3. Torreblanca *de mag. lib.* 2. à Moura *de ensalm. sect.* 20. nec dissentiunt Hippocrates, Galenus, aliique Medici nobilissimi.

Ferrariensis verò, quem sequitur Nazarius, tenet imagines non habere virtutem ex figuræ constitutione, ut figuræ constitutio est, sed quatenus cum mutatione, & alteratione fiunt materiæ naturalis, quæ per figuram illam in specie constituitur artificiati. Hunc modum dicendi reprobant Suarez, Delatorre. Aiunt tamen Autor Mallei, ac Pererius *de magia*, ratione fortassis materiæ aliquid speciale obtinere imagines ex constellatione.

Victoria ibidem inquit, non esse dubitandum, quòd aliquid insigne, ac singulare, & præter consuetum ordinem naturæ, sive rerum contingere possit ad certum situm, & ordinem stellarum adhibitis quibusdam rebus naturalibus, quale opus etiam nullis causis inferioribus confici possit, addens; qui hujusmodi artem, & facultatem haberet, sive à majoribus inditam, sive experimento, & casu repertam, sive etiam à substantia separata revelatam, meritò magus dici posset, & hujus magiæ maximè Philosophos fuisse studiosos, ut Democritus, Pythagoras, Empedocles, Plato, & Albertus.

Vviclephus etiam *de stat. innoc. cap.* 4. referente Vvaldensi *de sacramental.* affirmat, ex eo, quod Adam habuit notitiam ad nominandum juxta proprietates naturales creaturas sibi subjectas, sub quibus nominibus homini naturaliter obedirent, eidem homini reservari reliquias potestatis innocentiæ in vocibus exorcistæ, & naturaliter incantantis, ad quod credit, voces hebræas majori pollere efficacia.

Marsilius Ficinus medicamenta naturalia juxta prædictas figuras applicat. Et quidem Andreas Cordubensis ad Gregorium Decimumquintum, ut refert

refert Delatorre, misit laminam auri purissimi in qua insculpta erat figura Leonis, Sole versante in Leone, non aperiente sextam domum, nec Dominum ascendentis Saturnum, vel Martem, Lunaque ab illis recedente, & audacter affirmabat, sigillum hujusmodi circa renes gestatum ad sævissimos illorum dolores mitigandum valde conducere. Etsi componerentur trochisci ex pulvere selecti olybani cum hircino sanguine, & imprimantur in dicta lamina, & siccati solvantur in vino albo, quod à jejuno bibatur, mirabilem effectum sortientur contra calculos renum, & vesicæ lapidem. Quod si hoc remedium valeret à veris Theologis diceretur sortiri effectum ex vi naturæ, non autem figuræ alicujus.

Multas præterea constituunt imagines per signorum facies, ut Virgo pulchra sedens, geminas in manu spicas habens, puerumque nutriens, quàm Petrus Aliacensis dixit adfuisse in nativitate Christi Salvatoris. Similes habentur in Albumazare, & aliis, de quibus Joannes Picus & nos alibi. Notatque Conradus Vvimpina, quod Magi triplex genus imaginum sive figurarum habent. Primùm dæmonicarum expressè, quibus adhibentur suffumigationes, & incantationes, & per quinquaginta quatuor Angelorum nomina, exorcizationes, & alia, quæ manifestè idololatriam exprimunt. Tum quia nomina à dæmone accepta, ut Cardanus ipse fatetur. Tum quia certum est in fide tales fumigationes displacere Deo, nec illum, sed dæmonem sacrificio coli. Quod ideo damnatur *art.* 10. *&* 11. *Parisiensi*, à Theologis, & Patribus. Secundum est, quod characteribus, & scripturis barbaris, ac peregrinis fulcitur, in quibus reponuntur novem Caldariæ, & arrepta nomina ex Mahometicis deliriis Arabum excepta, quas figuras aiunt provenisse à Germone Babylonico, Hermete Ægyptio, & Thoro Græco. Et addunt, quod unus dæmon sit Rex Orientis, alius Occidentis. Quare superstitione, & erroribus scatent. Tertium constituitur ex axiomate Ptolemæi, quod effigies inferiorum sunt subjectæ vultibus cœlestibus. Hinc inferunt, scorpios omnes terrestres regi à scorpione cœlesti, pisces omnes fluviales à cœlestibus piscibus, subdunt ritus quosdam superstitiosos, ut, si talem expectas effectum in tergo figuræ debes illum inscribere, & aliquando dicunt in fronte, interdum in manu dextera, nonnunquam in læva. Quæ Gerson, & Vvimpina ad superstitionem damnatam referunt, quibus adstipulantur Delatorre, aliique.

Tales sunt imagines, in quibus dæmones, & animas includi vi incantationum, credebat Trismegistus, & animam avi sui Mercurii induxisse, & animas Phœbi cujusdam, & Isidis, Osyridisque sic in statuas descendisse, profuturas hominibus, aut nocituras, & tales, quibus Zoroastris sectatores utebantur ad evocandum ab Hecate spiritum, aurea videlicet quadam pila characteribus insignita cœlestibus, cui & sapphyrus erat insertus, & scutica quadam facta è tauri corio vertebatur, atque interim excantabant. Similes fuere statuæ, quas commemorat Samuel hebræus effictas, ut futura prænunciarent. Hinc à superstitione haud est immunis Joannes Baptista Porta *lib.* 4. *magiæ naturalis cap.* 24. *&* 25. magiam astronomicam ad praxim deducens, assignando cuilibet generi lapidum inscriptionem, & cœlestibus imaginibus, quibusdam temporibus opportunis proprias virtutes ex antiquorum documentis.

Pro hujus rei explicatione annotandum est ex D. Thoma Theologorum, ac Philosophorum Phosphoro, *opusc.* 34. *de mirandis Naturæ*, nullas alias virtutes naturales reperiri in corporibus sublunaribus ex impressione corporum cœlestium, nisi illas, quæ consequuntur ad eorum formas substantiales. Hoc idem docet *citato loco* 2. 2. Reperiuntur autem plerumque in illis scilicet corporalibus, habentibus unam causam per se, quidam effectus, sive actiones, quæ reduci debent ad principia elementatorum corporum, quæ principia in natura elementi fundantur, & ab ea originem ducunt. Hujusmodi principia sunt primæ qualitates elementares, & secundæ, quæ ex earum mixtione procedunt, ut lapis propter dominium terræ movetur ad centrum, & metalla ob dominium aquæ algifica sunt.

Sunt tamen alii effectus, qui nequeunt attribui virtutibus elementaribus, ut quod magnes trahat ad se ferrum. Si enim ad frigiditatem referas, frigidior est aqua. Si ad calorem, calidior est ignis. Ad superiora igitur agentia, nempe ad corpora cœlestia referri debent hujusmodi actiones, cùm sint purè corporales. Idipsum dicendum est de sapphiro sanguinis fluxum cohibente; de corallio, & de calcedonio contra omnia atræ bilis symptomata, hoc est tristitiam, timorem, dæmonumque insultus; de Achate, quam venenis pestiferis, viperarum, atque scorpionum ictibus adversari tradunt complures. Cor enim recreat, & adversus omne genus contagii tuetur; de hyacintho, cujus præcipuus usus est ad pestem arcendam, si pro amuleto collo appensus, aut annulo inclusus gestetur. Sic de cæteris. Idem dicas de herbis; de pavonia, contra morbum caducum; de mirabolanis, qui visum acuunt, & juventutem conservant; de dyctamo, quòd venenosis obsistit, ac ferrum è vulnere trahit; de zinzibere expellente syncopem; de gentiana sedante canis rabiem; de salvia paralysim expellente.

Insuper notandum est ex eodem D. Thoma *loco citato*, posse inferiùs agens moveri, vel operari juxta superioris agentis virtutem Uno modo quatenus actio procedit ab eo secundùm formam, vel virtutem sibi impressam à superiori agente, sicut Luna illuminat per lumen à Sole receptum. Alio modo agit per solam virtutem agentis, nulla forma recepta ad agendum, sed per solum motum à superiori agente movetur ad eum planè modum quo carpentator utitur serra ad secandum, quæ quidem sectio est princeps actio artificis, secundaria verò est serræ, prout ab artifice movetur, non quod talis actio sequatur aliquam formam, vel virtutem, quæ in serra maneat post motionem artificis, ut fluxus, refluxusque maris, qui nullam sequitur proprietatem elementi aquæ, nec aliquam habet virtutem à stellis innatam, non enim omnis aqua fluit, ac refluit, sed ex Lunæ motione.

Est autem, subdit D. Thomas, inter operationes primi & secundi generis maximum discrimen. Illæ namque reperiuntur in omnibus individuis ejusdem speciei, sicut omnis magnes trahit ferrum. Quia consequuntur principium intrinsecum, commune omnibus habentibus talem speciem. At operationes secundi generis non in omnibus reperiuntur, ut de aqua dictum est, nec semper, sed solùm agente superiore; sicut non semper serra secat lignum, sed solùm quando ad id movetur ab artifice. Operationes autem primi generis reperiuntur quotiescumque corpora inferiora adhibentur suis passivis, sicut rhabarbarum semper purgat atram bilem. Ex quibus infertur, actiones secundi generis non esse naturales, cùm non proveniant à forma, & quia sunt præter naturam, non sunt diuturnæ, sicut quod aqua calefacta calefaciat. Actiones autem consequentes virtutes naturales, vel juxta cœlos, vel juxta elementa, eodem modo se habent semper, aut plerumque; nam procedunt à forma, secundum quod in tali materia existit, Atque ita impossibile naturaliter est, individuum unius speciei habere principium intrinsecum naturale ad aliquam operationem naturalem quod non

non conveniat omnibus illius speciei individuis.

His itaque notatis aptè & conclusè dicamus primò. Falsa, & erronea est opinio, quæ asserit, Cœlos esse animatos. Id Delatorre, ac Delrius *ubi supra*, & Bubalus 1. *par. qu.* 51. aliique supponunt, esse condemnatum in Concilio Constantinopolitano atque ideo fidei expresse repugnare; & sanè licet D. Thomas qui multo tempore post dictum Concilium scripsit, hanc opinionem non culpaverit, quam indecisam reliquerit Augustinus; hisce tamen temporibus potest affici censura propositionis erroneæ, vel proximæ errori, ac fore occasionem scandali, & Idololatriæ.

Dicamus secundò. Imagines astronomicæ cœlestes, sunt à Magis, vel ab Astrologis confictæ, præcipuè sunt Arabum commenta & scripta. Sunt enim plures fermè invisibiles, quas unquam nec lyncæi oculi inspexerint, nec antiquiores Astronomi de illis tractaverint. Imagines verò, quas dicunt visibiles, componunt ex aggregatione stellarum quarundam, & sicut illas, ita etiam possent & alias adjungere absque numero, arbitratu confingentium. Unde ipsimet aiunt, non esse veram imaginum compositionem in cœlo, sed nomina fuisse imposita ad exprimendum proprietates temporis, dissimiles in diversis anni partibus, accepta similitudine ab animalibus terrestribus, & propter aliquas causas, à Sibyllano relatas *d. decad.* 1. *cap.* 9. *qu.* 5. Ex quo convincuntur, excogitatas esse omnes illas imagines, atque adeo mera esse rationis entia, sicut & nomina ad hominum placitum imposita. Quod confirmat Picus *concl.* 5.

Dicamus tertiò. Imagines prædictæ cœlestes, etsi reales essent, adhuc tamen artificiata sublunaria, ut artificiata sunt, nulla pollent efficacitate ad corpora transmutanda. Nam ratione materiæ, ex qua componuntur imagines, & figuræ, adhuc retinent connaturales proprietates, quas ante artificium habebant, ut si imago ex sapphiro est constructa, sanguinem cohibebit ratione sapphiri, ex quo conflatur, nullo modo ratione figuræ. Id docet expresse D. Thomas *dicto loco* 2. 2. *ad* 2. cujus hæc sunt non verba, sed oracula: *Artificialia, ut artificialia sunt, neque secundùm se, neque ex aliqua virtute à Cœlo impressa, possunt esse propria ad operandum. Quoniam artificialia, ut sic, consistunt in compositione, ordine, & figura ex illis duobus consurgente, teste Aristotele* 1. physic. *Sed figura nequit esse naturalis operationis principium effectivum. Probatur. Nam principium effectivum cujuslibet naturalis operationis ad secundam speciem qualitatis pertinet, quæ est naturalis potentia, qualis figura non est, ut patet, cùm ad libidinem artificis varietur; & fingatur virtute naturali rei immutata, sicut nec immutatur natura specifica.*

Multi multa adducunt ad eludendum rationes D. Thomæ, & præcipuè Pomponatius *lib.* 4. *de incantat.* illas conatur evadere, admittendo figuram non esse principium operationis, valde tamen conducere ad illam. Sæpè enim experimur, ut figuræ deformes pavorem, ac tristitiam afferant, & consequenter sanitati noceant. Contra figuræ speciosæ. Sed hæc non evasio, sed frustratio est. Tum quia imagines astronomicæ ferè omnes sunt deformes, utpote animalium ferocium, aut confictorum, atque adeo magis obessent sanitati, quàm prodessent. Tum quia characteres magici nihil pulchritudinis præseferunt. Et tum quia, hoc dato, non idcirco inferretur, imagines, aut figuras agere per propriam operationem quòd ipsi contendunt, sed sua pulchritudine, aut deformitate partem intellectivam, vel imaginativam moraliter movere ad amorem, aut odium, & consequenter ad aliquas corporales immutationes.

Dicamus quartò. Multa opera mira non possunt fieri ex causis tantùm naturalibus, & cœlestibus corporibus, sed requiritur potestas aliqua operans immaterialis, & intellectualis. Et ideo cùm talia opera ex cœlis supponantur, credendum est ibi misceri dæmones. Id pariter docet D. Thomas 3. *contra gent, cap.* 100. ex quo etiam probatur evidenti ratione naturali à posteriori, dæmones existere contra Vasquez. Non enim possibile est ex aliquibus corporeis principiis intellectum causari, ut probavit jam idem D. Thomas *ibidem cap.* 44. Ideoque est impossibile, ut effectus, qui sunt proprii intellectualis naturæ, ex virtute cœlestis corporis causentur. In hujusmodi autem operationibus Magorum apparent quædam, quæ sunt opera propria rationalis Creaturæ. Nam reddunt responsa de rebus ablatis, de thesauris occultis, docent scientias, & artes liberales, loquuntur variis linguis antea ignotis, respondent quæsitis, quæ & id genus alia, licet rara, manifestum tamen est, non posse proficisci, nisi à natura intellectuali.

Nec dici potest, quod tales actiones proveniant ex virtute corporum cœlestium. Quia naturaliter agunt in ista inferiora. At ex eo, quod aliquod corpus sic, aut sic figuretur nullam idoneitatem majorem, vel minorem assequitur ad recipiendam impressionem naturalis agentis. Unde non est possibile, quod imagines, vel sculpturæ, quæ fiunt ad aliquos effectus singulares producendum, efficaciam habeant ex corporibus cœlestibus, licet sub certis constellationibus fieri videantur, sed solùm ab aliquibus superioribus agentibus, qui per imagines & sculpturas operantur. Idemque ait D. Thomas de verbis humanis. Quare ad superstitionem subdit pertinere, dum ad effectus peculiares prædictos inducuntur. Denique D. Thomas 2. 2. *dicta qu.* 96. *art.* 2. *ad* 2. ibique expositores probant, quantitatem se tenere ex parte materiæ, qualitatem ex parte formæ. Et ideo quantitatem non agere, nisi mediante qualitate, quæ est per se actionis principium. Et loco citato contra gentes inquit, per figuras non disponi materiam ad aliquam formam, quia figura abstrahit secundùm suam rationem ab omni ratione, & forma sensibili. Et 2. *contra gentes cap.* 41. idem confirmat ex Aristotele 1. *metaph. cap.* 5. *lect.* 8. ex quibus refellitur Joannes Picus *concl.* 23. *& in apologia ad illam*, affirmans imagines, & characteres in operibus magicis plus posse, quam quæcunque qualitas materialis. Quia mathematica sunt formaliora, & consequenter actualiora. Sed hoc præter dicta, comprobatur de illis in abstracto, qua ratione non causant.

At inquit Cajetanus. Imagines astronomicæ, non ut imagines, aut figuræ sunt activæ, vel ut sunt corpora artificiata, sed quatenus sunt effectus cœlestis syderis, & ut constituunt in specie cœlestis conformi ratione figuræ talis: Sed contra Cajetanum.

Dicamus quintò. Imagines astronomicæ, etiam ut effectus sunt cœlestis syderis, & ut in specie talis artificiati, non valent cœlestes influxus percipere, ac virtute activa pollere. Est sententia communis Theologorum, & probatur. Nam idem est loqui de figura, ac de figura in tali specie constituta, dummodo rationem figuræ non excedat. Quia si consideretur materialiter, figuræ rationem formaliter non exprimit, sed subjectum figuræ. At figura, etiam apud Cajetanum non est activa. Alioquin dicerent hæretici, imagines Sanctorum, mira operantes, id agere, ut constitutæ in tali specie artificiati conformis syderibus, dispositique ad cœlestes influxus suscipiendum. Et multò magis poterit dici, substantiales naturas intellectuales, cœlos moventes, esse operatrices mirabilium, ut plures delirarunt, dicentes, Christum ex sympathia ad cœlestia sydera miracula patrasse

patrasse. Sed parcamus Cajetano, cujus acuto, ac peracri ingenio ingenio id Delrius attribuit.

Quare infertur cum Tatiano Syro, si aliquid his figuris efficitur, dæmonibus esse tribuendum, qui hæc signa sibi constituerunt, ut inquit D. Thomas, juxta pacta inita. Unde erit superstitiosum talibus imaginibus artificiatis uti, cùm nullam ex syderibus efficaciam, aut influxum nanciscantur ad effectus miros, quos jactitant earum effectores. Quòd si addantur suffumigationes, exorcismi, aliique ritus erga dæmones, ipsique invocentur, sunt imagines negromanticæ. Adde: Si quis imaginibus astronomicis uteretur, putans materiam, ex qua constant, utilem esse ob aliquas innatas proprietates, non esset, ut verè superstitiosus damnandus, adhuc tamen esset aliqualiter suspectus de superstitione, nec expediret illis uti propter scandalum. Putaretur enim deferri ob earum efficaciam. Videndus Moura *sect.* 2. *cap.* 4. cum Sanchez & Medina, & Suarez, qui illas acriter impugnant.

Dicamus sextò. Per sympathiam Cœlorum non fiunt actiones miræ ac præternaturales, vel verè miraculosæ. Quare frustra è Cœlo, aut astris Christus, aliique miraculorum patratores, ut sic, possunt cognosci, sicut neque diluvium universale, aut dies judicii. Hæc assertio est contra hæreticos, ac eos, qui temerè affirmant, cœlestibus radiis, & per dictas imagines fieri, quæ naturæ facultatem excedunt. Nulla enim major excogitari potest insania, quàm ut factum aliquod supra naturam naturæ viribus tribuatur. Miracula autem omnia supra omnem naturam sunt. Et Cataclysmus universalis repugnat naturæ. Non enim naturaliter illa sibi sibi excidium molitur. Idem dicendum de aquis quæ omnium montium cacumina quindecim cubitis superarunt. De Noë in arca sine naufragio. De miraculis Mosis, Ezechiæ, de partu Virginis, de aliis: idcirco à cœlis non potuerunt præsignificari, quia ab illis fieri non possunt. Nam quæ Cœlum non facit, illa non significat. Cœlum enim significat ea tantùm, quæ secundùm naturam eveniunt, non super naturam ipsam, ut egregiè probat Picus *contra Astrol. lib.* 4. *cap.* 14. *ac seqq.* de quo & nos aliqua contra Aliacum, & alios.

Dicamus septimò. Imagines astronomicæ ratione materiæ naturalis, ac præviæ alterationis subjecti, in quo suscipiuntur, virtutem aliquam ex syderum influxu susceptam, obtinent ad agendum. Est D. Thomæ *locis allegatis*, præcipuè contra gentes, qui sic illam exponit. Non videtur omnino negandum, quin in prædictis ex virtute cœlestium corporum aliquid virtutis esse possit ad illos tamen solos effectus, quos virtute cœlestium corporum aliqua inferiora corpora producere possunt. Et 2.2. *cit. qu.* 96. *ad* 2. sic eam illustrat: Virtutes naturales corporum naturalium consequuntur eorum formas substantiales, quas sortiuntur ex impressione cœlestium corporum, & ideo ex eorundem impressione sortiuntur quasdam virtutes activas; sed corporum artificialium formæ procedunt ex conceptione artificis, & ideo ex impressione cœlestium corporum nullam virtutem sortiuntur, in quantum sunt artificialia, sed solùm secundùm materiam naturalem, id est secundùm quod fuerunt producta sub tali constellatione. Sic enim unum aurum est perfectiùs alio. Unus etiam homo est major alio quantitate molis, vel virtutis. Una planta citiùs alia crescit, & plures fructus gustui magis gratos emittit. Vel secundùm quod alteratur materia ad formam imaginis. Sed his vel nihil addere experimur, vel percipi non potest. Non enim aurum unius annuli cor lætificat magis, quàm aliud ex eadem materia exceptum. Secus est de quibusdam unguentis, ut de theriaca, quæ alia perfectior est alia, quia sub meliori constitutione cœli, etiamsi ex eisdem rebus sit composita. Ita hanc sententiam defendunt Victoria, Delatorre, Nazarius, aliique recentiores.

Dicamus octavò. Nullæ aliæ virtutes naturales in corporibus sublunaribus admittuntur ex impressione cœlestium corporum, nisi illæ, quæ consequuntur ad illorum formas substantiales, atque adeo quæ reperiuntur in omnibus individuis ejusdem speciei. Est pariter D. Thomæ *dicto loco* 2. 2. *ad* 2. *& contra gentes.* & clarissimè *cit. opusculo* 34. Quia, inquit, tales virtutes, ac operationes, transcendentes videlicet virtutem elementarem à forma specifica derivantur, quæ est communis omnibus individuis ejusdem speciei, non est possibile, quòd aliquod individuum alicujus speciei aliquam talem virtutem obtineat, præter alia individua ejusdem speciei, ex hoc scilicet, quod est sub determinato corporum cœlestium situ. Quod est contra Ferrariensem *ibidem*, ubi mentem D. Thomæ variè detorquet.

Et hanc doctrinam approbat Universitas Parisiensis per hæc verba: Quòd imagines ex metallo, vel alia materia ad certas constellationes fabricatæ, quæ sunt imagines astronomicæ, vel certo charactere, vel figura efformatæ, quæ sunt imagines negromanticæ, sicut etiam baptizatæ, exorcisatæ, aut consecratæ, seu potiùs execratæ secundùm prædictas artes, & sub certis diebus habeant virtutes mirabiles, est error in fide, & Philosophia naturali, & astronomia vera. Quare non est admittendum, ut naturale, quod refert Franciscus Diaz *lib.* 2. *cap.* 6. nobilem militem Joannem de Valcazar fabricasse annulos quinque ad certos morbos ex omnibus metallis, observatis suo quoque tempore planetis, quorum unum Joanni Austriaco, alterum magno Duci Florentiæ, tertium Philippo Secundo, quartum Duci Joanni de Castilla præbuerit, quintum sibi reservaverit. Sunt enim hæ res saltem suspectæ.

Verùm his minimè attentis Torreblanca *lib.* 7. *cap.* 4. sine discrimine hanc imaginum constitutionem pluribus reprobat, & condemnat, tanquam hæreticam, scandalosam, & superstitiosam, cùm tamen theologicè cum D. Thoma distinctè sit procedendum, & quod verum est, ac probabile approbandum, quod autem falsum explodendum, & justa censura afficiendum, ut 2. 2. *qu.* 95. docent communiter theologi. Sicque si contendant autores imaginum astronomicarum, illis vera miracula facere, aut futura, præcipuè libera, prædicere, sunt omnino condemnandæ, sicut & quæ important pacta expressa cum dæmone, vel implicita per characteres, & figuras ab ipso dæmone adinventas, ad quorum characterum effictionem dæmon suffragatur. De his loquutus est Aristoteles, Universitas Parisiensis, D. Chrysostomus relatus à Suarez *lib.* 2. *de superstit. cap.* 15. D. Thomas, Patres, ac Doctores citati à Torreblanca *ibidem*, imò & S. Scriptura *Exodi* 20. non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & in terra deorsum, non adorabis ea, neque coles. Quo pacto Cajetanus se excusat à superstitione; quoniam causam naturalem cœlos assignat, characteres verò pertinentes ad superstitionem excludit, licet Suarez *loco citato* contendat superstitionem hæc adhuc redolére ex Chrysostomi, Augustini, & D. Thomæ autoritate.

Quod verò ad inaugurationem armorum, Summi Pontifices non precibus modò, ac indictis quà jejuniis, quà publicis supplicationibus, collatisque indulgentiis piacularibus ad conscientiarum expiationem consueverunt munire exercitus Christianorum, quando in aciem prodeunt adversus Religionis communes hostes, verùm etiam vexilla eorum, & arma ritu

ritu peculiari, sacrisque cœremoniis inaugurant, & iisdem est mira quædam sanè cum militia cœli societas, ac veluti confœderatio ad victoriam consequendam.

Sic B. Pius V. Albano Duci copiarum Hispanicarum Summo apud Belgas Præfecto, quò is contra Batavos sectarios, & eorum Ducem Auriacum depugnaret, misit galerum & gladium à se benedictos. Carolo nono, Regi Galliarum dedit vexillum, cui benè precatus fuerat, quò vix explicato in acie, cum Hugonottæ fusi, cæsique sunt, ac deleti ad bissena peditum, millia equites verò mille quingentos. Ideo religiosissimus Pontifex spolia de his hostibus Religionis allata in Urbem, Deo dicavit, eumque victoriæ autorem est unicè veneratus. Signa enim eis erepta proposuit, suspenditque in Lateranensi Basilica, eratque adscriptum hoc programma.

Pius V. Pont. Max.
Signa de Caroli IX. Christianissimi
Galliæ Regis perduellibus,
Iisdemque Ecclesiæ Hostibus
A Sfortia Comite Sanctæ Floræ
Pontificii auxiliarii Exercitus Duce
Capta, relataque
In Principe Ecclesiarum Basilica
Suspendit, & omnipotenti Deo
Tantæ victoriæ autori dicavit
Anno M. D. LXX.

Sed mirabiliora obvenere, quando adversus Turcas dimicatum est in mari ad Echinades Insulas, prælio ab hominum recordatione difficillimo, acerrimo, & maximo. Vix autem in conspectu classes ambæ fuerunt, cùm in Prætoria triremi Joannis Austriaci explicatum est Pontificium vexillum, sacra icone Christi Domini crucifixi, & sanctissimorum Apostolorum Petri & Pauli venerabile, quod Romæ Pius Pontifex precatione consueta in eum finem initiaverat, & momento ventus cecidit, qui Turcis erat propitius, potuisserque Christianorum castris plurimùm incommodare. Atque adeo paulò post perflare secundissima nostris aura cœpit, fumi nebulam injiciens oculis Turcarum, & veluti noctis illius imaginem eisdem inferens, quàm cæsi mox magno numero subiverunt.

Nimirum ut in vexillo scriptum erat: *In hoc signo vinces*, ita prorsus evenit. Supremum Ducem in Turcica Prætoria nostri obtruncarunt, & caput ex hasta suspenderunt, victoriamque proclamarunt, quàm spatio duntaxat horarum quatuor sunt indepti, nempe auspicati prælium post meridiem, & deleta hostili classe ante Solis occasum. Tunc plurimi dein hoc deprædicarunt, Christum Dominum, Apostolorum Principes, & militiam cœlestem è nubibus pugnare visos, ac vibrare fulmina in hostes Christianorum, cujus rei monumentum extat in aula Regia Pontificii Palatii Vaticani, nec pictura modò id innuere videtur, sed adscripta insuper hæc epigraphe.

Hostes perpetui Christianæ Religionis Turcæ
Diuturno victoriarum successu exultantes
Sibique temere præfidentes
Militibus, Ducibus, tormentis omni denique
Belli apparatu instructi,
Ad Echinadas Insulas à communi Classe
Prælio post hominum memoriam maximo
Perspicua divini Spiritus ope profligantur
Anno M. D. LXXI.

Sed enim quemadmodum fateri debemus Sanctitatem Summi Pontificis conducere plurimum, ut hæc mira à Deo patrentur, ita etiam fateri oportet, ipsam vim inaugurationis potissimùm eam esse, cui effecta hæc admiranda tribuantur. Sic autem esse, id suadet imprimis, quòd nostra ætas, uti experiri meruit, ita etiam testari potest. Nempe in oræ Septentrionatiæ ultimis aut certè nuperis præliis, in quibus colluvies hæreticorum Deo, Cæsari, Regique Catholico perduellium, in acie steterunt, adversus omnia humana, divinaque jura, multi sunt reperti, qui dæmonis præstigiis muniti, excussis è ferrea fistula plumbeis glandibus minimè penetrari poterant. Ferebant verò in tenui syngrapha descriptas nescio quas magicas notas, quas appellant idiomate Regionis *Alta nomina*. Remedium fuit, eosdem plumbeos globulos priùs lustrali aqua irrorare, & inaugurare precibus Ecclesiæ quo statim ritu vim suam pristinam retinuerunt, & in hostibus amuletum illud Acherontis planè irritum reddidere. Sic pluries evenisse narratur in historiis Ecclesiasticis, ac divinis, præcipuè in libro Machabæorum precibus victoriam partam præter expectationem humanam viribus imparibus, clarè ideo Dei adjutorio, qui Deus exercituum etiam appellatur.

Pontifices itaque Summi soliti sunt absque aliquo superstitionis vitio inaugurare arma militum Catholicorum, non quidem quasi instituentes aliquem ensalmum constitutivum, & effectivum, sed deprecativum, juxta ea, quæ diximus de ensalmis. Inaugurare autem arma idem est, ac benedicere, ac felicem eventum deprecari à Deo, sicut benedicuntur Campanæ, Templa, cereæ imagines, quas Agnus Dei dicimus.

Consultatio LXXXIII.

An Prophetia, & Divinatio possit esse alicui naturalis? sive, an vi naturali intellectus creatus queat futura, vel occulta cognoscere, atque prædicere, vel ex vi melancholiæ, sive imaginationis, vel ex habitu corporis naturali, aut ex cœlorum peculiari influxu, sive sydere? Quinam fuerint veri Prophetæ in veteri Testamento? Quot modis nomen Prophetæ sumatur? Quomodo Prophetæ probabant se à Deo missos? Quomodo intelligendum sit illud Christi: Omnes Prophetæ usque ad Joannem? Quomodo falsi Prophetæ à veris discernebantur? Quid verè de Pythonibus, & Pythonissis sentiendum? Et an etiam in novo Testamento sint veri, & falsi Prophetæ?

Mira sunt, quæ de humore melancholico asserunt nonnulli Philosophi. Nos de illo sæpè, sed parcè egimus. Ex eo enim aiunt, aliquos adeptos fuisse prophetias, & similia dona. Aristoteles omnes cujusque artis, & facultatis peritos corporis constitutionem melancholicam habuisse, & sive ex natura, sive ex accidente tales evasisse, tradit. Ficinus *lib. 13. cap. 2. de immortalit. anim.* notat ex Platone Philosophos mentes aptas habere, quibus ad divina volant, & semper divinis incumbunt. Nam humor melancholicus terræ instar, qua prædominatur, animam intra seipsam colligit propter continuam agitationem, partibus humorum subtilibus resolutis. Mercurii quoque & Saturni sydera, quoad naturales causas pertinet, concurrunt. Narratque Porphyrius, Platonis discipulus, suum magistrum solitum à corpore solvi, vultum mutare, mira tunc invenire, quæ scriberet, non divino afflatu tribuendum, sed forti imaginationi ex corporis habitu, ac studiorum consuetudine. Eadem ferè scribit Mansus de Torquato Tasso *in ejus vita*.

Haud dissimilia proferunt Medici, præcipuè quod cùm hujusmodi humor sit velut fex sanguinis, unde

& atra bilis appellatur, adeo est nocens humano corpori, ut si ad caput ascendat, statim phantasiam depravet, cogitationem, & memoriam turbet, varias, corruptasque formas imprimat juxta rerum diversarum species, ac phantasmata ab illo excitata, à quo vitales spiritus ac ingeniti, inde objecta imaginationi sub horrifica specie, vel obscura, & opaca repræsentantur, non secus ac radii solares transeuntes per crystallum viride, vel obscurum, virides, aut obscuri apparere solent. Quo humore valdè utuntur dæmones ad homines opprimendum, possidendumque. Solent enim hi esse tristes solitarii, cogitabundi, abstracti, ac penè exstatici videntur. Quandoque in phrenitidem, & insaniam decidunt, ante oculos illis obversantur dæmonum turbæ, inferorum supplicia, & in ipsa vigilia somniant.

Melancholia siquidem est delirium sine febre cum timore & mœstitia. A phrenitide distinguitur per absentiam febris, & à mania per timorem ac mœstitiam, quia hæc est cum furore, & audacia. Alii tamen assiduè rident, alii canunt, alii se Reges, & Monarchas esse putant. Unde hoc? Varii sunt melancholiæ gradus, & variæ humoris melancholici cum aliis humoribus permixtiones, indeque maximam deliriorum varietatem emergere ita, ut qui multum sanguinis cum humore melancholico permixtum habent, gaudio, & lætitia affici possint, ast tunc ille affectus non est vera melancholia, sed potiùs ad fatuitatem accedit. Nam ex diversa humoris melancholici dispositione maxima deliriorum diversitas emergit. Unde alii se Reges, Principes, Vates. Alii se vitreos, testas fragiles, grana tritici à gallinis devoranda; alii ceram igni liquabilem; alii se canes, feles, lupos, cuculos, luscinias, gallos esse putant, quorum animalium voces imitantur. Alii se mortuos, nec quicquam edendum, aut bibendum esse imaginantur. Alii mingere non audent, ne diluvium inde oriatur. Alii se capite, vel membris truncatos esse, vel Orbem digito sustinere, vel passeres in capite, aut serpentes, ranas, mures, aliaque animalia in ventre habere arbitrantur. Quorum nonnulla exempla, ut veritas antedictorum magis elucescat ex Autoribus fide dignis proponemus.

Alexander Trallianus *lib.* 1. *cap.* 17. mulierem vidit, quæ tali imaginatione vexabatur, ut medium manus suæ digitum constringeret, quasi in ipso totum orbem gestaret, simulque plorans verebatur, ne quando digitum inflecteret, totus Orbis corrueret, & universa statim interirent.

Vir illustris apud Lemnium *lib.* 2. *de complex. cap.* 6. in talem melancholiam incidit, ut mortem animo conciperet, ac jam à vivis excessisse sibi persuasum haberet. Hinc cùm illum amici ad instaurandas vires collapsas precibus, blandimentis, objurgationibus adhortarentur, omnia respuit. Dum autem fame enecandus videretur septimo instante die, familiares rationem aliquam excogitare cœperunt, qua hic mentis error eximi posset. Itaque inducti sunt in conclave obscuratum personati histriones fascibus sepulchralibus cincti, qui instructa ferculorum apparatu mensa liberaliùs se cibo, ac potu reficiunt. Æger hæc conspicatus sciscitatur, quid moliantur & quod sint hominem genus? Responsum est, mortuos se esse. Tum is: Mortui-ne edunt? Illi, maximè, si libeat accumbere, id non vanum experietur. Confestim melancholicus lecto exiliit, atque unà cum mortuis commentitiis cibo fruitur. Peracta autem cœna somnus illi obrepit ex porrecto liquamine, & convaluit.

Alium ridiculum melancholicum Horatius *lib.* 2. *epist.* 2. proponit:

Fuit haud ignobilis Argis
Qui se credebat miros audire tragœdos,
In vacuo lætus sessor, plausorque theatro.
Hic ubi cognatorum opibus, curisque refectus
Expulit helleboro morbum; bilemque meraco,
Et redit ad sese: Pol, me occidistis amici,
Nec servastis, ait, cui sic extorta voluptas,
Et demptus per vim mentis gratissimus error.

Thomas Bartholinus *cent.* 1. *hist. anatom.* 79. lectu, & annotatione dignas melancholicorum observationes recenset. Plebeius apud nos vir sanguine melancholico turgens, nasum sibi in eam magnitudinem excrevisse imaginabatur, ut publico abstineret, ne nasus à transeuntibus conculcaretur. Insignis Amstelodamensium Poëta nates credidit sibi vitreas, timuitque rupturam, si consideret. Alius ibidem primæ dignitatis senior clavum credebat se deglutivisse, cùm amissum nusquam reperiret, valdeque infixo se torqueri, ad mentem rediit sanam vomitorio exhibito, cui eructato clam medicus clavum immisit. In Anglia quidam meiere noluit, ne sanguinem universum corporis cum urina excerneret. Hinc penem arctè per dies aliquot constrinxit, hoc remedio parùm à morte absfuisset, nisi à fratre vi vinculum fuisset solutum. Vidit istum, & familiarem novit Samuel Collinus Anglus medicus. De Philodote veteri Medico notum, quod capiti ejus, qui caput amputatum sibi credebat, pileum imposuerit plumbeum, cujus gravitatem sentiens melancholicus, caput se recepisse putavit. Qui plura exempla cupit, consulat Galenum *lib.* 3. *de loc. affect. cap.* 6. Aëtium *tetrab.* 2. *serm.* 2. *cap.* 9. Trallianum, & Lemnium *dictis locis*, Marcellum Donatum *lib.* 2. *de histor. medic. mirab. cap.* 1. Quercetanum *diætet. polyhistor. sect.* 1. *cap.* 6. Henricum ab Heer *observat. oppido rar.* 22. Tulpium *lib.* 1. *observat. cap.* 18. & 19. ac alios.

Causa autem melancholiæ proxima est spiritus tenebricosus colore nigro infectus. Spiritus enim animales, quando puri, tenues, lucidi, ac perspicui sunt, actiones cerebri alacriter exercent, lætitiamque generant; Sin autem ab ea constitutione deflectant, & tenebricosi fiant, mœstitiam, timoremque inducunt. Unde Galenus *lib.* 2. *de sympt. caus. cap.* 6. mutuato ab exterioribus tenebris exemplo, in hæc verba erupit: *Videmus extra corpus nihil ita nobis terribilius, quàm tenebras. Ergo cùm tenebræ rationi offusæ sunt, necesse est semper hominem timere, ut qui semper causam timoris unà cum corpore circumfert.* Consule commentarium Bartholini de luce animalium *lib.* 1. *cap.* 14. Causa hujus pravæ spirituum dispositionis est humor melancholicus, qui crassitie, & colore nigro præditus, animales spiritus inficit, ac tenebricosos reddit. Et cùm humor melancholicus frigida atque sicca temperie donatus sit, ad figendos, & densandos spiritus maximè conducit; unde mœror, ac tristitia inducitur. Ergo causa proxima melancholiæ est spiritus animalis tenebricosus, conditio autem necessaria, vel causa est frigida & sicca intemperies. Plato in dialogo 6. *de Republica sive de justo*, censet, quod animæ habent omnium rerum cognitionem, ac participationem idearum. Sed obnubilatur in eis per conjunctionem corporis secundùm ejus diversam puritatem. Sicque voluit, quòd anima humana non multùm obtenebrata ex corporum unione, possit talia futura cognoscere secundùm propriam scientiam. Avicenna autem in 6. admittit tantùm prophetiam, vel divinationem naturalem, quatenus natura ad talem dispositionem potest hominem perducere, quod erit in necessitate ad recipiendum per actionem alicujus superioris causæ præscientiam futurorum. Traditque idem Plato *in apolog. Socrat.* morti vicinos sæpè divinasse. Quod confirmat Gregorius *lib.* 4. *dialog. cap.* 26. & 27. ubi aliquot casus recenset febricitantium,

tantium, ac furentium, qui futura prædixerunt.

Nos pro responsione, adnotandum est primò cum Angelico Magistro, qui sua perspicuitate in omnibus scientiis distinguit à luce tenebras. Is *qu.* 12. *de verit. art.* 3. *in corp.* ait, aliquid bifariam dici naturale. Uno modo quia illius principium activum est natura. Sicut naturale est igni ferri sursum. Alio modo, quia natura est principium dispositionum ipsius, non quarumlibet, sed earum, quæ sunt necessariæ ad talem perfectionem. Sicut dicitur, quòd infusio animæ rationalis, quatenus per operationem naturæ corpus efficitur dispositum dispositione, quæ est necessaria ad animæ susceptionem.

Deinde adnotandum est ex eodem D. Thoma, futura contingentia in duobus præexistere, antequam sint. In essentia divina, & in causis, quarum virtute futura illa educuntur in esse. At diversimodè quoad duo. Primum quod omnia, quæ præexistunt in causis creatis præexistunt etiam in divina præscientia, non autem contra; cùm quorundam futurorum rationes Deus in se retinuerit, rebus creatis eas non infundendo, sicut eorum, quæ miraculosè fiunt sola divina virtute, ut inquit Augustinus *super Genes. ad litt.* Secundò, quòd futura quædam quæ præexistunt in causis creatis, possunt amoveri. Quia virtus causæ, quæ est ordinata ad talem effectum inducendum, potest aliquo eventu impediri, ut libera, & contingens. Secus in divina præscientia. Quia futura illi subduntur non solùm secundùm ordinem causarum ad ipsa, sed etiam secundùm exitum ordinis, vel eventus.

Postremò adnotandum etiam est ex eodem D. Thoma *loc. cit.* præcognitionem futurorum posse causari in mente humana dupliciter. Altero modo ex eo, quod futura præexistunt in mente divina, secundum quod prophetia, Spiritus Sancti donum, in ea ponitur. Altero ex virtute causarum creatarum, prout in virtute imaginativa humana possunt aliqui motus fieri ex virtute cœlestium corporum, in quibus præexistunt quædam signa futurorum quorundam, & secundùm quod intellectus humanus ex illuminatione intellectuum superiorum utpote inferior, natus est instrui, & ad alia cognoscenda elevari. Quam prophetiam naturalem appellauit D. Thomas 2. 2. *qu.* 12. & propriè prophetiam secundùm quid. Nam sola illa, quæ ex divina est revelatione, simpliciter est prophetia ex illo 2. Petri 1. *non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirante loquuti sunt Sancti Dei homines.* Quia prophetia simpliciter dicta debet esse secundùm immobilem veritatem, ac de excedentibus humanam cognitionem naturalem, quæ non potest competere naturaliter homini circa futura contingentia. Et ideo nequit appellari simpliciter prophetia, sed secundùm quid, annotante Cajetano ad dictum locum D. Thomæ.

His prænotatis, asserimus primò. Prophetia secundùm quid potest esse naturalis homini secundo modo, quatenus dispositionem habet naturalem ad cognitionem futurorum in suis causis per experimentum, in quo juvatur per naturalem dispositionem. Nam in homine reperitur perfectio virtutis imaginativæ, & claritas intelligentiæ, per quas suscipere potest motus virtutum cœlestium, in quibus quædam signa quorundam futurorum præexistunt, ac de illis aliquo modo judicare. Idque multò magis si cognoscat astrorum virtutem, & effectus necessarios, & utplurimùm ex illis provenientes. Sic enim poterit certò de primis, & incertè de secundis judicium ferre.

Secundò asserimus. Prophetia simpliciter non est naturalis alicui creaturæ, etiam secundo modo. Quia cognoscere futura omnia absolutè est proprium divini intellectus, qui est infinitus, cujus æternitati sunt omnia præsentia, ut probat D. Thomas *parte* 1. *qu.* 14. *art.* 13. Hæc autem non possunt naturaliter homini competere. Nam si talis prophetia esset naturalis modo jam dicto, posset per virtutem naturalem reduci ad executionem. Hoc autem est falsum. Tantùm enim à Deo, autore supernaturali possunt omnia futura hominibus revelari. Prophetia namque simpliciter, qualis est absolutè omnium futurorum, est donum Spiritus Sancti, ut etiam probat D. Thomas *ibidem, ex cit.* 2. *Petri* 1.

Asserimus tertiò. Multò minùs prophetia simpliciter est naturalis primo modo, ut voluit Plato. Quia si talis prophetia esset naturalis primo modo, haberet anima in sua potestate, quandocunque vellet futura cognoscere. Hoc autem est perspicuè mendacium. Quia natura mentis humanæ nullius cognitionis naturaliter potest esse principium, in quam non possit pervenire per principia per se nota, quæ sunt prima instrumenta intellectus agentis. Ex principiis autem per se notis in cognitionem futurorum contingentium perveniri non potest. Si verò per inspectionem quorundam signorum naturalium Medicus præcognoscit sanitatem, vel mortem futuram, & Astrologus tempestatem, vel serenitatem, non dicitur divinatio, vel prophetia, sed potiùs cognitio per artem, & per causam, & conjecturalis.

Asserimus quartò. Prophetia naturalis, quam diximus tantùm secundùm quid, non est propriè prævisiva futurorum, etiam dum homo dormiens, aut anima morti proxima, vel per melancholiam, aut alio modo distracta, aliquid futurum cognoscit. Hanc docet Cajetanus ex D. Thoma *ad* 1. *art.* 1. *qu.* 171. *& d. qu.* 12. *artic.* 3. ubi hanc cognitionem ad vim perceptivam præsentium reducit ita, quòd nec per novam, nec per antiquam subtilitatem anima obtineat vim futurorum prævisivam, sed dum magis est abstracta à corpore proprio, vel ab exterioribus sensibus naturali sua virtute expeditior est ad recipiendum interiores motus, utpote ab exterioribus, & corpore proprio magis remota, percipit vel superiorum intellectuum juxta naturæ ordinem revelationes, vel quod magis consonat, percipit subtiles motus imaginativæ ex impressione causarum naturalium. Ex quibus motibus imaginativæ lucentibus lumine intellectus agentis, & alicujus fortè superioris intellectus, movetur intellectus noster possibilis ad cognoscendum futurum in præsenti signo repræsentatum, ut scilicet ille morti proximus, quem ex D. Gregorio refert D. Thomas prævidit se sepeliendum apud S. Sixtum. Quomodo autem ex his impressionibus possit aliquid præcognosci, ostendetur infra.

Veri autem Prophetæ in veteri Testamento hi fuerunt præcipui. Moyses *Num.* 12. 6. *& Deuter.* 34. 10. Josue *Ecclesiastici* 46. 1. Samuel 1. *Reg.* 9. 6. David, Gad 1. *Reg.* 22. 7. Nathan 2. *Reg.* 7. 2. *&* 2. *Paralip.* 9. 29. Achias Salonites 3. *Reg.* 11. 29. *&* 2. *Paral.* 9. 29. Addo 2. *Paral.* 9. 29 Michæas, filius Jemla 3. *Reg.* 22. 8. Elias Thesbites 3. *Reg.* 17. 1. Helisæus 3. *Reg.* 19. 16.

Deinde quatuor illi, qui vocantur majores Prophetæ, quorum nomina sunt hæc. Isaias, filius Amos; Jeremias, filius Helciæ de Sacerdotibus, qui fuerunt in Anathod; Ezechiel, filius Buzi, Sacerdos; Daniel, qui & Balthasar. Et alii duodecim, qui vocantur minores Prophetæ, ut Ose, Joël, Amos, Abdias, Jonas, Michæas Morascites, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Quibus addi possunt tres alii, qui vixerunt sub finem veteris, & initium novi Testamenti. Primus Joannes Baptista, de quo dictum est Lucæ 1.76. *Et tu puer Propheta altissimi vocaberis.* Secundus Zacharias pater Joannis Baptistæ, de quo ibidem v. 67. *Et Zacharias pater illius*

lius repletus est Spiritu Sancto, & prophetavit, dicens: Benedictus &c. Tertius Simeon, de quo Lucas 2. 26. *Responsum acceperat à Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini.*

Præter hos fuerunt etiam aliquot fœminæ Prophetissæ, ut Maria soror Moysis *Exod.* 15. 20. & Debora uxor Lapidoth *Judic.* 4. 4. Et Holda, uxor Sellum filii Thecuæ 4. *Reg.* 22. 14. & Elizabeth, mater Joannis Baptistæ *Luc.* 1. 41. & Anna, filia Phanuel de tribu Aser *Luc* 2. 36. & quatuor filiæ Philippi Diaconi Act. 21. 9. Quibus omnibus præferenda est beatissima Dei Genitrix Maria, quæ prophetavit, dicens: *Beatam me dicent omnes generationes*, non Gentilium, Turcarum, Judæorum, sed verè fidelium.

Observandum tamen est. Nomen Prophetæ variis modis sumitur in Scriptura. Primò pro iis, qui futura prædicunt. Et hoc sensu nos hîc agimus de Prophetis. Secundò pro iis, qui ex peculiari motione Spiritus Sancti Deum laudant in cytharis, psalteriis, & cymbalis. Sic sumitur 1. *Reg.* 10. 5. ubi Samuel ait ad Saulem: *Obviam habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & cytharam, ipsosque prophetantes*, id est Deum laudantes, *& insiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis*, id est Deum pariter laudabis. Sic etiam sumitur *Num.* 11. 25. ubi de septuaginta senioribus, qui Moysi adjuncti erant ita legimus: *Cumque requievisset in eis spiritus, prophetaverunt*, id est, Dei laudes celebrarunt. Et 1. Reg. 19. 20. *Qui cum vidissent cuneum Prophetarum vaticinantium, & Samuelem stantem super eos, factus est etiam Spiritus Domini in illis, & prophetare cœperunt & ipsi.* Ita Emanuel Sa *ibidem*, Abulensis, & Cornelius à Lapide *Num.* 11. 13. Tertiò pro iis, qui divino Spiritu vel Scripturam explicant, vel ad pietatem exhortantur. Sic sumitur 1. Cor. 14. 3. *Qui prophetat hominibus, loquitur ad ædificationem, & exhortationem & consolationem.*

Necesse tamen erat, ut Prophetæ, qui dicebant se immediatè à Deo missos esse ad reformandum, & arguendum populum certis, ac evidentibus signis confirmarent suam missionem, alioqui populus non credidisset ipsis, sed pro impostoribus habuisset. Quod fatetur Moyses de seipso. Cùm enim Deus dixisset illi Exodi 3. 10. *Veni, & mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum filios Israel de Æ ypto*, respondit Moyses cap. 4. 1. *Non credent mihi, neque audient vocem meam, sed dicent. Non apparuit tibi Dominus.*

Dupliciter autem probabant, se à Deo missos esse. Primò per miracula. Sic probavit Moyses, quando virgam in serpentem mutavit, aquas Ægypti in sanguinem convertit, & alia prodigia patravit, quæ plagæ Ægypti appellari solent. Sic Samuel, sic Helisæus, sic alii Prophetæ plures. Luculentum habemus exemplum in Helia 3. *Reg.* 18. 20.

Secundò probabant suam missionem per veracem prædictionem eorum, quæ brevi erant eventura. Sic Helias prædixit tribus proximis annis non fore rorem, & pluviam 3. *Reg.* 17. 1. Sic Michæas Regem Achab infeliciter pugnaturum in Ramoth Galaad 3. *Reg.* 22. 17. Sic Helisæus post unum diem fore tantam annonæ vilitatem, ut duo modii hordei emantur uno statere 4. *Reg.* 7. 1. Sic Isaias proximo anno fore abundantiam frugum, sequenti pomorum copiam, tertiò plenam messem, & vindemiam *cap.* 37. 30. Sic Hieremias brevi futurum, ut Nabuchodonosor Rex vastaturus sit terram Ægypti *cap.* 46. 13. Et quia hæc omnia evenerunt eo modo, quo ab illis Prophetis dicta sunt, ideo magnam autoritatem sibi conciliarunt. Sicut è contra, quia non eveniebant ea, quæ à falsis Prophetis prædicabantur, nulla illis fides habebatur. Et hoc signo discernendum esse inter veros & falsos Prophetas, constat ex *Deuter.* 18. 21. Vide D. Hieronymum *in cap.* 37. *Isaiæ* super illud: *Tibi autem hoc erit signum.* Et Rapertum in Prologo ad Oseam.

Illud autem Christi Matth. 11. 13. *Omnes Prophetæ & Lex usque ad Joannem prophetaverunt*, quorum verborum varia est explicatio, intelligitur de omnibus Prophetis veteris Testamenti, qui Joannem, & Christum præcesserunt, ut hic sit sensus: Omnes Prophetæ veteris Testamenti prædixerunt Christum venturum. Joannes fuit primus, qui præsentem annuntiavit. Ita Chrysostomus, Hieronymus, Beda, Euthymius.

Falsi autem Prophetæ à veris discernebantur duobus modis ut colligitur ex iis, quæ dicta sunt. Primò per virtutem miraculorum. Nam veri Prophetæ, ut probarent se missos esse à Deo, suam missionem miraculis confirmabant. At falsi non poterant id præstare, ut patet exemplo Prophetarum Baal, qui non poterant ignem de Cœlo impetrare ad comburendum Sacrificium, quod offerebant, Helias autem impetravit. Secundò per veraces prædictiones. Nam veri Prophetæ prædicebant aliqua, quæ statim fiebant, & sic fidem, & autoritatem sibi adstruebant apud populum. At falsi falsas habebant prædictiones. Et ex hoc capite populus jubebatur discernere an quivis, qui Prophetam se dicebat, missus esset à Deo necne, ut etiam dictum est. Quod confirmari potest variis exemplis. Nam Prophetæ Baal prædixerunt Regi Israel: *Ascende in Ramoth Galaad, & vade prospere & tradet Dominus in manu Regis* &c. 3. Reg. 22. 12. Non est factum. Similiter Hananias prædixit: *Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Contrivi jugum Regis Babylonis. Adhuc duo anni dierum, & ego referre faciam ad locum istum omnia vasa domini, quæ tulit Nabuchodonosor Rex Babylonis de loco isto, & transtulit ea in Babylonem* Jerem. 28. vers. 2. Neque hoc factum. Idem dici potest dè Achab, Sedecia, Semeia, & aliis, quorum prædictiones constat fuisse falsas.

De Pythonibus verò, ac Pythonissis extant aliqua Scripturæ testimonia. Primum est *Deuter.* 18. 9. Secundum 1. *Reg.* 28. 3. Tertium est 4. *Reg.* 21. 6. Quartum est 4. *Reg.* 23. 24. Quintum *Isaiæ* 6. 19. Sextum *Isaiæ* 19. 3. Septimum *Isaiæ* 29. 4. Octavum *Act.* 16. 16.

Circa hæc testimonia solent multa disputari. Primum, quid sit lustrare filium, vel filiam per ignem. Secundum, qui dicantur Arioli, Aruspices, Pythones, Divini, Incantatores. Tertium, quid sit somnium, & augurium? Quartum, quid sit quærere veritatem à mortuis, & quæ similia sunt. De his omnibus suis locis jam actum est; nunc nobis sufficiat explicare, qui sint Pythones, & Pythonissæ, nihil dicam de etymologia nominis, sed de usu. Usus obtinuit, ut illi dicantur Pythones, qui ex instinctu dæmonis divinant de rebus futuris. Et quidem si viri sunt vocantur Pythones, Pythonici, Pythii. Si fœminæ, Pythonissæ, Pythiæ, Pythonem, aut spiritum Pythonis habentes. Quod, ut melius intelligatur, notanda sunt quæ breviter sequuntur.

Prædictio futurorum, quatenus excedit captum humanum, duplex est. Una fit ex instinctu Dei. Altera ex instinctu dæmonis. Prior ordinariè vocatur Prophetia, à qua Prophetæ. Posterior divinatio, à qua divini dicti sunt, Divus Magister 2. 2. *qu.* 95. *artic.* 1. & 2.

Rursus divinatio duplex est. Una per explicitam, Altera per implicitam dæmonis invocationem. Tunc ali-

aliquis censetur explicitè invocare dæmonem, quando vel expressis verbi, illum invocat; vel cum eo pactum init; vel aliquid reipsa facit ex pacto jam inito; vel sciens, & volens aliquid usurpat, quo dæmon solet futura prædicere. Tunc implicitè, sive tacitè, quando id, quod occultum est, conatur investigare per media vana, & indebita, quæ per se nihil prosunt ad certam futurorum cognitionem. Tametsi enim in tali casu non petat expressè subsidium à dæmone, tamen dæmon sponte se ingerit, & homini curioso persuader, eventurum id, quod per hujusmodi vana, & indebita media futurum esse significatur.

Prior divinatio, quæ est per explicitam dæmonis invocationem variis modis fieri solet, prout variis modis dæmon consulitur, aut respondet, de quibus etiam suis locis. Inter cæteros consulitur per suos Prophetas, & Pythonissas de quibus nunc agimus. Et tunc per eosdem respondet. Quomodo autem respondeat, quæstio est. Quamvis enim certum sit, dæmonem præsentem esse in ventre Pythonicorum, & Pythonissarum, tamen non satis constat inter autores, an loquatur per os eorum, more humano, an verò per umbilicum, aut vicinas partes. Aliqui hoc, aliqui illud asserunt. Nec obstat, quod veteres ventriloquum appellent. Hoc enim potest utroque sensu accipi, vel quod loquatur per umbilicum, aut vicinas partes, quæ circa ventrem sunt; vel quod vox illius, tametsi exeat per os humano more, tamen ex imo ventre prodire videatur. Vide Lorinum *in capite* 16. *Act. vers.* 66.

Cæterum in novo Testamento, quod incipit à Christo, & Apostolis, sunt etiam veri Prophetæ. Veri sunt hi. Primò Christus ipse, qui prædixit suam mortem, & passionem, *Matth.* 10. 19. Crucifixionem *Joann.* 3. 14. *& cap.* 8. 28. *& cap.* 12. 23. Ascensionem *Joann.* 3. 13. *& cap.* 6. 63. Spiritus Sancti missionem *Joann.* 7. 39. *& cap.* 14. 16. *& cap.* 15. 26. Et multa alia.

Secundò, Joannes Evangelista, qui prædixit multa in sua Apocalypsi, quæ, teste Hieronymo in Epist. ad Paulinum *tot habet Sacramenta, quot verba.*

Tertiò, Paulus Apostolus, qui duo potissimum prædixit. Primò sua vincula *Act.* 10. 25. Deinde suam, & sociorum navigantium liberationem ex tempestate maris *Act.* 27. 22.

Quartò, Agabus, qui etiam duo legitur prædixisse. Primo futuram famem *Act.* 11. 27. Secundò, Paulum à Judæis vinciendum *Act.* 21. 10.

Quintò, Filiæ Philippi Diaconi, de quibus *Act.* 21. *v.* 9. Quid prophetaverint non constat. Nec audiendus Lutherus, qui *in lib. de abroganda Missa privata*, inquit, fuisse prophetantes, id est, prædicantes, sive docentes verbum Dei, ut inde convincat, etiam mulieres posse docere, & concionari. Quod est contra Apostolum 1. Timoth. 2. v. 11. *mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto.* Et 1. ad Cor. 14. v. 34. *Mulieres in Ecclesia taceant. Non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse.*

Præter hos Prophetas novi Testamenti, quorum fit mentio in Scripturis, fuerunt multi alii post tempora Apostolorum, qui etiam prophetiæ donum consecuti sunt, de quibus videri possunt Vitæ Sanctorum, & Martyrologia. Porrò Prophetæ novi Testamenti partim conveniunt cum Prophetis veteris Testamenti, partim ab eis discrepant. In duobus conveniunt. Primò, quod utrique vel per miracula, vel per veracem prædictionem probaverint, se à Deo missos esse. Secundò, quod aliquando verbis, aliquando externis signis futura prædixerint. Hoc posteriori modo multa prædixerunt Isaias, Jeremias, Ezechiel, Oseas, Agabus, & alii. Isaias quidem dum nudus, & discalceatus ambularet per plateas *capite vigesimo,* 2. Jeremias, dum indueret lumbare lineum, & postea absconderet illud juxta Euphratem in foramine petræ, & putrefactum inde extraheret *capite primo, versu secundo*, Ezechiel, dum in latere describeret obsidionem civitatis Hierusalem, & panem stercore conspersum comederet *capite* 4. *versu primo, & sequent.* Oseas, dum acciperet uxorem fornicariam, & ex ea prolem generaret *capite primo, versu secundo*, Agabus, dum alligaret manus, & pedes suos zona Pauli Apostoli *Act.* 21. *v.* 11.

In eo discrepant, quod Prophetæ veteris Testamenti prophetaverint de Christo venturo; Prophetæ verò novi Testamenti de aliis rebus, quæ post Christum futuræ erant. Unde illud, quod initio objiciebatur. Omnes Prophetæ usque ad Joannem prophetaverunt, sic debet intelligi, omnes usque ad Joannem prophetaverunt de venturo Christo, Joannes Christum præsentem demonstravit, dicens: *Ecce Agnus Dei. Ecce qui tollit peccata mundi.*

Hæc de veris Prophetis. De falsis autem generatim loquitur Christus Matth. 7. 15. *Atendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos.* Et Matth. 24. 11. *Multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos.* Et Joan. epist. 1. 4. 1. *Nolite omni spiritui credere, sed probate Spiritus, si ex Deo sint. Quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.* Talis fuit Elymas Magus, quærens Sergium Proconsulem avertere à fide, *Act.* 13. 6. Tales Hymenæus, & Philetus, qui docebant resurrectionem esse jam factam, & subvertebant quorundam fidem 2. *Timoth.* 2. 18. Tales illi, de quibus Apostolus ad *Galat. capite primo, versu septimo. Sunt aliqui, qui vos conturbant.* Tales Marcus, Montanus, Marcianus apud Baronium *tomo secundo annal.* Tales denique, ut uno verbo dicam omnes hæretici, non modò veteris, sed etiam moderni simillimi sunt falsis Prophetis in veteri Testamento. Primò, quia falsi Prophetæ dicebant, se missos esse à Deo. Secundò, quia non poterant probare, se missos esse. Tertiò, quia semper fausta, & quæ populo grata erant vaticinabantur, ut pacem, victoriam, fertilitatem, & rerum omnium abundantiam. *Jerem.* 4. 13. Et ideo à plerisque libenter audiebantur.

Similiter faciunt moderni nostri Prophetæ. Primò aiunt, se à Deo missos esse ad reformandam Ecclesiam. Secundò, non possunt probare se missos esse, nec ullo miraculo, aut veraci prædictione id hactenus probarunt. Prædixit quidem Lutherus: *Pestis eram vivus, moriens ero mors tua, Papa*, sed fuit mendax prædictio. Mortuus est Lutherus, vivit adhuc Papa. Tertiò, semper fausta, & quæ populo grata sunt, vaticinantur. Eorum vox est, per fidem salvabimini. Bona opera nihil proderunt. Non opus est jejuniis, & castigatione corporis. Crescite, & multiplicamini. Si non vult uxor, veniat ancilla. Hanc vocem plerique libentiùs audiunt, quàm illam Christi & Apostolorum: *Pœnitentiam agite. Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram. Abstinete à carnalibus desideriis. Sobrii estote, & vigilate.*

CONSUL-

Consultatio. LXXXIV.

An Divinatio possit esse naturalis saltem Angelo, ac dæmoni? An, & cur Magi, divini, sortilegi, qui sunt Prophetæ dæmonum, aliquando vera proferant? Num saltem Angelus, sive dæmon possit præscire futura pro aliquo brevi tempore congruente instanti Angelico, quod respondet aliquibus horis, vel diebus nostri temporis? Num saltem possit Deus condere creaturam, cui sit connaturale cognoscere futura, & dari species, illa repræsentans?

Certum est de fide ex 1. p. q. 57. D. Thomæ Angelum, sive dæmonem naturaliter non posse cognoscere mysteria supernaturalia, nec cogitationes cordis, nisi per signa; multo minus potest dæmon præcognoscere quæ sunt libere futura, quæ à divina, vel creata voluntate dependent, imo nec propriè casualia, & futura contingentia. Potest tamen per conjecturas, cognitis cujuspiam animi propensione, statu, & circumstantiis, conijcere aliqua libera incertè, ac cooperati ad comprobandum aliqua futura, ut sibi fides adhibeatur.

Quomodo autem anima humana, cùm à sensibus alienatur, suapte natura suscipiat impressiones spiritualium causarum, quia per id propinquior fit substantiis spiritualibus, & magis libera ab exterioribus molestiis, explicat mirificè idem D. Thomas *p. 1. q. 86. ar. 4. ad* 2. Non est autem secundum naturam animæ, quod futura cognoscat, cùm à sensibus alienetur, sed magis per impressionem aliquarum causarum superiorum spiritualium, & corporalium. Spiritualium quidem, cùm virtute divina ministerio Angelorum, intellectus humanus illuminatur, & phantasmata ordinantur ad futura aliqua cognoscenda. Vel cum operatione dæmonum fit aliqua commotio in phantasia ad præsignandum aliqua futura, quæ dæmones cognoscunt. Corporalium verò, cùm corpora superiora imprimunt in inferiora. Unde cùm vires sensitivæ sint actus corporalium organorum, consequens est, quod ex impressione cœlestium corporum, immutetur quodammodo phantasia; cùmque cœlestia corpora sint causa multorum futurorum, fiunt in imaginatione aliqua signa quorundam futurorum, quæ magis percipiuntur per noctem à dormientibus, quàm per diem, à vigilantibus, quia, ut dicitur *lib. de somn. & vigil.* quæ deferuntur interdiu dissolvuntur magis. Purior enim est aër noctis, ideoque nox silentior propter somnum, & quia pauci motus interiores, qui magis sentiuntur à dormientibus, quàm à vigilantibus. Hi autem motus inducunt phantasmata, ex quibus prævidentur futura.

Hinc dicendum est. Prophetia proprie, sive divinatio non potest esse naturalis dæmoni, vel Angelo. Quia per solam divinam revelationem possunt cognosci quæ absolute, ac simpliciter sunt futura. Est verò Angelo vel dæmoni aliqua divinatio naturalis in ordine ad ea, quæ procul existunt à cognitione humana, ut quia longe distant, sed existentia tamen in rerum natura, & ad illa, quæ possunt ex causis, vel effectibus, aut signis certè, vel incertè cognosci. Nam intellectus superioris ordinis aliqua cognoscere potest, quæ sunt remota à cognitione intellectus inferioris. Supra autem intellectum humanum est non solum intellectus Divinus, sed etiam intellectus Angelicus juxta ordinem naturæ. Atque adeo quædam cognoscunt dæmones etiam sua naturali cognitione, quæ sunt remota à cognitione humana, quæ possunt hominibus revelare, ac ii, quibus per dæmones ea revelantur, dicuntur in scripturis Prophetæ falsi, vel Idolorum. Quare Augustinus 12. *super Genes. ad lit. cap.* 19. ait, cum malus spiritus arripit hominem, in hæc scilicet visa, aut dæmoniacos facit, aut arreptitios, aut falsos Prophetas. Unde 3. *Reg.* 18. habetur de dæmonum cultoribus; *congrega ad me universum Israel in monte Carmeli, & Prophetas Baal trecentos quinquaginta, Prophetasque lucorum quadringentos, qui comedunt de mensa Iezabel.* Quæ autem possint Angeli, ac dæmones naturaliter divinare etiam per astra, vel alio modo, infra dicetur.

Magi verò, divini, ac sortilegi aliquando vera pronunciant ex revelatione bonorum spirituum, docente Augustino 2. *super Genes. ad lit. capit.* 12. Nonnunquam ex revelatione dæmonum, qui vera admiscent falsis, ut credibiliores eorum prophetæ reddantur. Atque Chrysostomus in Matth. hom. 19. *Concessum est diabolo interdum vera dicere, ut mendacium suum rara veritate commendet.* Sicut enim bonum se habet in rebus, ita verum in cognitione. Impossibile autem est, aliquid in rebus inveniri, bono penitus expers. Unde inquit Beda Nulla falsa est doctrina, quæ non aliquando aliqua vera falsis intermisceat, ut receptibilis reddatur.

Hinc autem Magi, divini, sortilegi possunt aliqua vera prædicere, vel quorum dæmon habet notitiam conjecturalem, vel quorum habet notitiam certam in causis naturalibus necessariis non impedibilibus, ut motus cœlorum, eclipses, conjunctiones astrorum, præsentia omnia naturalia, etiam libera, actu aliqua exteriori, quovis modo jam prodita, præterita quoque omnia, quæ novit. Pollet enim memoria. De fortuitis dicetur postea. Cùm igitur dæmones omnia hæc cognoscere possint, possunt etiam suis Magis ea revelare eo modo, quo illa cognoscunt. Imo & illos docere Astrologiam cujus dæmon est peritissimus, sicque multa poterint prædicere sine speciali afflatu dæmoniaco eo modo, quo se extendit dæmonis cognitio, qui scientiarum omnium est scientissimus, cujus scientia multum juvatur diuturna experientia ac melius, quàm hominis, cujus vita brevis.

Certum verò est, dæmonem, plerumque confusè, & cum aliqua generalitate, ac æquivocatione ita aliquid prædicere, ut uno, vel altero sensu comprobetur, sicque dicatur verum prædixisse, ne apud cultores suos pondus aliquod autoritatis amittat, si se deceptos cognoverint, neve possit mendacii, aut ignorantiæ argui. Exempla referunt Grillandus, Psellus, Eusebius, alii, de quo Cicero *de divinat.* Socrates *lib. 4. histor. Eccles.* ut illud, quod Crœso responsum fuit: *Perdet Crœsus Halym transgressus maxima regna.* Et illud: *ibis redibis non morieris in bello.* Præcipuè videndus Niceta *lib. 3. chron.* de Basilacio fanatico, exactè narrante, quomodo æquivoce responderet. Cœterum, inquit Nicetas, nihil veri, aut perspicacitatis de rebus futuris loquebatur, sed verba confusa, & perplexa fundebat, & quamvis sæpe ridicula quædam misceret, tamen turbam pastorum, agricolarum, & remigum attrahebat, & mulierum ad se venientium mammis contrectatis, aliisque, obscura promebat oracula, & ad plerasque quæstiones non respondebat, suasque divinationes discursationibus, ac insanis gestibus peragebat; sed stabant cognatæ aniculæ vecordes & insanæ, quæ consultoribus explicabant quid illi Basilacii gestus rerum futurarum designarent, & taciturnitatem, ut sapientem electionem interpretabantur.

Noscit & dæmon hominum propensiones ex ingenii subtilitate, ac medio appetitu sensitivo; ut docet Augustinus *de divinat. dæmon. capit.* 5. *&* 6. Suarez *de relig. tom.* 1. *lib.* 2. *capit.* 8. & alii cum D. Thoma. Imo sæpe dæmones, vel eorum Magi futura conjiciunt ex longa experientia morum alicujus, cujus & aliquando excitant affectiones partis sensitivæ, cognitisque aliis circumstantiis personarum. Exemplum affert idem Nicetas de eodem Basilacio prope Rhadestem habitante, per hæc verba: Imperatorem ad se venientem, neque ut tanta potentia præditum excepit, neque salutationi ejus, quæ erat, *Salve Basilaci*, respondit, neque tacito nutu capitis gratias egit; sed huc atque illuc instar pulli equini, vel hominis furiosi, saltans, præsentibus male dixit, nec ipsi quidem Imperatori parcens, vix tandem inquietis illis agitationibus omissis, scipione, quem manibus gestabat, imaginis Imperatoris, quæ in ejus cellæ pariete depicta erat oculis erasis, pileum de capite illius auferre studebat, quæ cùm fecisset, Imperator, eo ut deliro despecto, discessit. Vaticinium mox eventus comprobavit, quem poterat quicunque sagaci prudentia prævidere, nedum dæmon, cum & Alexius diligentissime fratris ruinam meditaretur, & Isaacius inepta severitate omnes delatores repelleret, hoc certè agnovit dæmon, & suum clientulum Basilacium extimulavit, ut illo insano facto insinuaret imperii deperditionem, & sic videtur vaticinari futuros eventus.

Mutationes namque regnorum, morbos, damna, & alia plura prædicit, vel quia ipse, permittente Deo, est cooperaturus, notante Augustino *de divinat. dæmon. capit.* 6. vel tantum probabiliter conjectat, ut advertit Eusebius *de præpar. Evang. capit.* 19. Damascenus *lib.* 2. *de fide capit.* 1. Et hoc modo prædicit destructiones populorum gladio, fame, peste, aut quod Princeps de solio sit exturbandus, cognoscens artes conjuratorum, socordiam custodum. Si hoc enim conjectant homines prudentes, multo magis dæmon, iis & sapientia, & experimento longe excellentior ut notavit Augustinus *ibidem capit.* 3. *&* *lib.* 10. *de civit.* relatus *in can. Nec mirum* 26. *q.* 5. & D. Thomas *q.* 16. *de dæmon. ar.* 5.

Præterea cum anima sit adeo corpori connexa, tantque inter illa actionum reciproca motio, atque communicatio, vix potest reperiri aliqua mentis cogitatio, quin per aliqua signa corporea ab Angelis sagacissimis colligatur. Eoque magis, quia dæmon potest phantasiam variè, ac vehementer turbare, ac operari, ut suo libitu objecta ita repræsententur, ut vix homo ad aliud advertere possit. Hoc modo Scotus Parmensis magus anno salutis 1549. in aula Caroli V. gloriabatur se arte præditum cognoscendi cogitationes secretissimas. Aiebat enim, cogita quod volueris, & cogitationem divinabo. Nam illico dæmon importunissimam aliquam cogitationem de re nota Mago immittebat, & cum inter intellectum, & phantasiam adeo arcta sit colligatio, ut homine intento alicui objecto, phantasia etiam circa illud tendat; ideo dæmon videns, quæ in phantasia versabantur, conijciebat, quæ intellectus cogitabat, saltem quando importunè circa utranque præfatam potentiam revolvitur, atque volutatur. Quod prævidens non nemo vir doctus, derisit Magum coram Imperatore, divertendo suas cogitationes à suggestis, quæ in imaginativa tractabantur. Cognoscebat namque hic vir, intellectum, atque voluntatem non posse cogi à qualibet suggestione sensuum ex quacunque arte dæmoniaca; ideo ad species, seu phantasmata præexistentia se convertebat. Non enim absolutè potest quis mentis compos cogi à dæmone, ut ad hæc phantasmata determinate se convertat, ut falso videtur asserere Torreblanca *lib.* 9. *capit.* 14. *numer.* 48. falsoque supponere dæmonem phantasmata immittere, falsoque item ad hæc adducit S. Augustinum, D. Thomam, alios.

Nec refragatur, quod dæmones sunt inimici Dei, & Angelorum, unde eos dedecet manifestare arcana divina, quæ pertinent ad gratiam, à qua ob peccatum exciderunt, ut docet D. Thomas *p.* 1. *q.* 64. *ar.* 1. Nam, ut notat Sylvius 2. 2. *quæst.* 95. mirabilis Dei sapientia per inimicos etiam vult impleri voluntatem suam. Sic per revelationem bonorum Angelorum divinitus prophetarunt impii Baal *Num.* 22. Saul. 1. *Reg.* 16. Caïphas *Ioan.* 11. Nec autem revelatio iis fit cum mentis illustratione, ut Sanctis Prophetis evenit, sed tantùm per modum locutionis, sicut homo alteri manifestat suam voluntatem. Unde non pertinet ad gratiam; & hoc modo non dedecet dæmones accipere cognitionem à bonis Angelis, ut docte D. Bonaventura 2. *sent. d.* 7. *p.* 2. Bincfeld. *in rubr. C. de malef. &* *mathem. not.* 10. rejecta sententia Paracelsi, asserentis, hæc assequi dæmones supernaturaliter ac miraculose, cùm hæc omnia ipse ordinet ad malum, cui Deus supernaturaliter non cooperatur, neque ut causa particularis. Haud tamen negandum est, posse Deum dæmonibus ad aliquem bonum finem, & effectum sua mysteria revelare. Sic ex D. Thoma probabiliter habetur, dæmones à Deo elevatos, supernaturaliter convertisse uxorem Loth in statuam salis, quicquid dicat Torreblanca, putans hoc esse hæreticum, adducendo Patres, & Theologos, qui tamen in primo sensu loquuntur.

Tradunt autem Sylvester *lib.* 2. *de strigimac. cap.* 13. & autores Mallei ex Augustino *lib. de natura dæmon.* causas, unde dæmones probabiliter conjectant futura contingentia, non quod illa certò scire valeant. Prima est, quia vigent subtilitate naturali quoad operationem intellectus ipsorum; unde etiam sine discursu, qui nobis necessarius est, intelligunt. Secunda, quia propter rerum ac temporum experientiam, & revelationem supernorum spirituum, plura sciunt, quàm homines. Tertia est propter celeritatem motus. Quarta, quia sicut sua potentia possunt, Deo permittente, morbos inducere, aerem inficere, ita possunt & illa prædicere. Quinta quia per signa possunt subtilius prædicere mortem, quàm medicus. Sexta quia ex signis, quæ proficiscuntur ab animo hominis conjectant ea, quæ sunt, vel erunt in anima. Sciunt enim qui instinctus sint verisimiliter secuturi, atque adeo cujusmodi opera. Septima, quoniam habent intelligentiam, vel notionem Prophetarum, ex quibus multa futura dependent, quæ prædicere possunt. Non possunt tamen dæmones certò internoscere naturalem hominis periodum, cùm hæc, ut distinguitur à casuali, etiam dependeat à liberis, ut modo vivendi, ac operandi, cumque Deus sit autor vitæ ac mortis.

Cur autem dæmon conetur, quoad fieri potest, prædicere futura, triplex causa est. Prima, ut sibi arroget divinitatem. Sic enim esse Dei proprium prædicere futura. Secunda, ut minuat testimonium fidei christianæ, quæ est prædictio futurorum in Prophetis. Tertia est, ut secus homines & faciles decipiant. Sciunt enim, esse homines perpensos ad futura cognoscendum.

Neque

Neque igitur, quod aliquando Magi, divini, sortilegi vera proferant oracula, scientia illorum probanda venit. Siquidem multæ sunt artes inescandi homines, quæ oculis latent, & detectæ prorsus vel pœna dignæ sunt, vel admirationem amittunt. Idcirco detegam præter alias superius adductas, præcipuas divinorum fraudes, quarum Prior in oraculis idolorum frequens fuit, ut ambigua responderent, certa, & in varia flexibilia. Altera, quod conjecturas rerum, personarum, & factorum curiose observarent, & rumores per delatores, ut olim Cæsares, undecunque colligerent. Ex quibus sacerdotes, & sacrificuli idolorum astute effata componebant, ut abierit in adagium: *Bonus vates, qui bene conjectat*, ut scribit Gregorius Nazianzenus *invect.* 2. *in Julianum*, & Nicephorus Callistus *lib.* 10. *cap.* 37.

Adjiciebant fraudibus, subtili ingenio, etiam speciè divinitatis, dum lignea, fictilia, vel metallica idola proloqui fingebant, quæ tamen per abditos meatus, & cuniculos secretè adibant, illisque vocem dabant, sicut detectum est, cùm dirutum fuit Serapidis Alexandriæ templum, in quo reperta sunt simulachra omnia sive lignea, sive ærea, cava, ita elaborata, ut cava pars, & terga templorum parietibus adaptarentur, occultis quibusdam meatibus in templo relictis, quibus conjuncta alia quædam cava arcana adita, per quæ simulachrorum cava subirent, & inde ea, quæ eis visa fuissent, responsa darent, ut narrat idem Nicephorus *lib.* 12. *capit.* 26. Simile quippiam apud Danielem *capit. fin.* de Belo idolo, & ejus sacerdotibus narratur.

Dein permittit Deus ea, quæ isti pseudomantes dicunt evenire, ut tentet suos, palamque fiat, utrum diligant eum, an ne ex toto corde, & ex tota anima, *Deuter.* 13. Verum quidem, quod est, per se amplectendum est; sed non omne, quod dicitur ab hominibus, quorum natura est, ut sint mendaces Isaiæ *capit.* 9. perpetuò recipiendum, ut verum tale est, etsi verum esse possit. Quia dubium est, num tale, & quia peccatur in modo inquirendi verum, & ab iis etiam, à quibus non solet haberi, & per media, quæ Deo displicent, nefas est, verum petere. Et norunt quidem dæmones, quæ vera sunt, & facta aliquando & aliqua futura; nec ea scire malum est. Verùm ab illis scientiam exquirere, hos consulere, non solum temerarium, impium, sed & ultra indignatione Dei, & damnatione æterna dignum. Dominum enim Deum solum adorare debemus, ut Deum; dæmonem, ut hostem, & æternæ caliginis principem, malorum omnium fomitem, abominari, *Matth.* 4. *Exod.* 23.

Quomodo autem vera enuntient, & multa possint mirabilia dæmones, paucis D. Augustinus explicat *de natur. dæmon.* cujus verba referuntur à Gratiano *in can. sciendum*, & *can. fin.* 26. *quæst.* 4. Prænunciant quoque quæ ipsi facturi sunt, potestate à Deo accepta, quæve persuadere facturis se posse arbitrantur. D. Basilius constanter tuetur, dæmones admirabilia docuisse Ethnicos, quæ expiscati, & furati essent à Prophetis Dei, additque: *Fur namque est diabolus, & nostra nuncians per suos hypophetas*, idest per suos vates, *aliunde accipientes.* Coguntur & sæpe dæmones consulti ab improbis, in consulentium perniciem, ac pœnam, atque confusionem vera dicere, ut in exemplo videre possumus Balaami *Num.* 22. 23. 24. Saulis, & Pythonissæ 1. *Reg.* 28.

Itaque nec probi Christiani, etiam vera, & bona & sancta à tali impostore pythonico audire volunt exemplo Domini nostri Jesu Christi, qui dæmonia confitentia publicè ejus divinitatem, silere jussit, nec sinebat ea loqui *Matth.* 8. *Lucæ* 8. *Marci* 5. Etenim inimici etiam oscula, & verba vera, & benigna, semper dolosa putanda sunt, ac proditoria, si cautum nobis esse velimus. Nec potest veritas per os immundum & abominandum prolata, sine aliqua spurcitia, & pollutione prodire, non secus quam aqua limpida fœces, ac tetrum odorem contrahit, si per canales, alveosque immundos, ac fœtidos fluat. Et ventriloquam vera dicentem D. Paulus jussit silere; *Act.* 16. Possunt etiam dæmones oculos hominum perstringere, ac mentem turbare, ut quæ non sint, esse persuadeant, & falsa obumbrent. Sicque innuit Horatius *lib.* 2. *epist.* 1. *ad Augustum.*

Ille per extentum funem mihi posse videtur
Ire poeta, meum qui pectus inaniter angit,
Irritat, mulcet, falsis terroribus implet,
Ut magus, & modo me Thebis, modo ponit Athenis.

Denique de fide est, vel proximum fidei. Nulla creatura, quantumvis elevata, potest naturaliter cognoscere aliquod futurum contingens respondens tempori, vel instanti Angelico; futurum tamen in tempore nostro. Alias enim dæmon posset cognoscere secreta cordium antequam de facto manifestarentur; nam manifestabuntur in illo instanti Angelico post aliquod tempus nostrum, illi respondens.

Præter testimonia S. Scripturæ, præcipuè Isaiæ *cap.* 41. probatur ratione. Æternitas, quæ divinum esse, ac operationes mensurat, eminenter continet omnem mensuram, sicut Esse divinum omne esse, & cognitio divina omnem cognitionem comprehendit. Et propterea universa futura ei coexistunt, illaque cognoscit. Atqui mensura operationis Angelicæ, & cujuscunque creaturæ, quantumvis elevatæ, non comprehendit eminenter omnem aliam mensuram. Atque adeo futura, & imminentia non coëxistunt tali mensuræ, ac proinde non potest illa cognoscere. Quia nulla creatura, quantumvis elevata, potest eminenter continere aliam perfecte ac complete quod ad universa, quæ in illa reperiuntur, nec notitia unius creaturæ comprehendit motum inferiorem complete ac perfecte. Ergo nec mensuram, quâ notitia cujuslibet creaturæ mensuratur. Nam mensura debet esse ejusdem rationis cum re mensurata. Ideoque Deus futura cognoscit, quia ejus notitia mensuratur æternitate, quæ omnem mensuram comprehendit, & ex hac eminentia æternitatis colligit D. Thomas, solum Deum futura contingentia cognoscere. Intellectus autem creatus quantumvis perfectus deficit ab æternitate; ideoque nulla futura contingentia cognoscit. Vide Sylvestrum *de strygimac. lib.* 2. & Ledesmam *in tr. de Esse Dei art.* 5. *quæst.* 9. qui docte contrariis argumentis respondent.

Ac ita quidem, ut Deus non possit producere creaturam, cui connaturaliter competeret futura contingentia cognoscere, non solum in seipsis, sed ne quidem in causis contingentibus. Nam cum creatura illa, ejusque operationes æternitate non mensurarentur, non posset cognoscere quid ex caussis foret eventurum, cum supponantur indeterminatæ, ac contingentes, & tantùm illarum determina-

minatio cognoscatur à Deo non solum ratione æternitatis, sed quia decrevit illas tali tempore, ac modo determinare. Quod infallibile eveniet. Sequeretur item, quod talis creatura esset infinita & infinitæ immaterialitatis, quæ requiritur ad infinitam cognitionem futurorum contingentium. Talis autem creatura dari non potest. Itidem sequeretur, talem creaturam comprehendere Dei omnipotentiam, & voluntatem, cum ex his futura dependeant. Quod est absurdum.

Ac ita etiam quod ne Deus quidem de potentia sua absoluta potest producere speciem, quæ repræsentet futurum contingens, ut præsens. Non enim est intelligibile, aliquam speciem creatam ita elevari, ut mensuretur æternitate. Nam species illa in essendo, & in repræsentando elongaretur à divina infinitate, atque adeò à divina æternitate. Futura enim non existunt, nisi respectu æternitatis divinæ. Imo percipi non potest, quod existant respectu cujuslibet alterius mensuræ. Et quæ sunt propria Deo implicantia modum infinitum, non possunt creaturæ competere, ne participative quidem, ut esse actum purum. Ita autem se habet repræsentatio futurorum in seipsis.

Potest tamen Deus de potentia sua absoluta producere speciem, per quam Angelus, sive dæmon cognoscat futurum contingens certò, ac infallibiliter prout existit in suis causis determinatis, & completis per divinam voluntatem, ac scientiam, & ut subsunt illi. In hoc sensu declarat seipsum Cajetanus *in* 3. *p. q.* 11. *ar.* 1. & probat Ledesima *ibidem*. Quoniam ad talem notitiam non prærequiritur rerum existentia respectu mensuræ speciei, & cognitionis. Nam Deus certissimè futura intelligeret, & in causis à se determinatis, & completis, etsi non existerent respectu æternitatis. Sic etiam, præter Verbum, Beati certò, ac infallibiliter cognoscunt futura contingentia virtute divina, non in seipsis, sed in suis causis determinatis. Quare Prophetæ, ac fideles cognoscentes aliquod futurum per divinam revelationem, non cognoscunt illud prout præsens est, & prout existit à parte rei, sed prout subest divinæ revelationi infallibili. Quod tantummodo probant adversariorum argumenta.

Consultatio LXXXV.

An Angeli, sive dæmones suapte natura cognoscere possint futura contingentia, etiam per astra? Vbi diligenter ad id expenditur Constitutio Sixti V. adversus Astrologos.

Sunt qui affirmant. Nam censent respectu Angelorum, ac dæmonum, non dari alia futura contingentia præter ea, quæ immediate, vel mediate ex libero arbitrio dependent. Ita Suarez *disput.* 35. *metaph. sect.* 8. *& lib.* 2. *de Angel. cap.* 9. Vasquez, & Fonseca 6. *metaph. cap.* 2. *quæst.* 1. *sect.* 2. *& quæst.* 2. *sect.* 3. Referuntur etiam pro hac sententia Alensis 2. 6. *quæst.* 26. *membr.* 4. Durandus *in* 2. *d.* 3. *quæst.* 3. & Molina *ar.* 3. *quæst.* 57. 1. *p.* qui tamen excipit effectus quarundam causarum naturalium, quas, ait, non esse determinatas ad unum, sed indifferentes ad plura, qualem esse ait, appetitum brutorum, cui tribuit quoddam vestigium libertatis. Prosequuntur Moranda, Alarcon, Præpositus, Arriaga *in dictum locum D. Thomæ*, Ruiz *de scientia Dei disp.* 22. *sect.* 5. ac videtur affirmare Aversa *sect.* 4. *ejusdem quæst.* 57. Granadus *vero p.* 1. *tract.* 5. *disp.* 1. tenet, Angelum cognoscere hujusmodi futura casualia, licet non tam certò, sicut & alia, quæ semper eveniunt. Salelles autem *lib.* 1. *capit.* 14. *reg.* 114. tradit cum D. Augustino, Delrio, ac Lessio, quod, licet dæmon nequeat certo cognoscere futura, à libero arbitrio alterius dependentia, potest tamen multò plura de rebus futuris, & occultis cognoscere quàm homo, non tamen affirmat, dæmones casualia, & fortuita cognoscere.

Moventur. Quia existimant respectu totius Cœli non dari casualia, & fortuita. Et quia Angeli cœlos omnes, atque astra comprehendunt, ac omnia inferiora. Hincque fit, quod futura contingentia non libera, vel ex libertate dependentia cognoscunt certò in ipsis cœlis, vel aliis causis sublunaribus. Ideoque respectu illorum non sunt futura contingentia. Atque ita comprobantur Scripturæ, quæ Dei proprium esse docent futura contingentia prædicere.

Negant verò cum D. Thoma 1. *p. quæst.* 14. & 57. ac 2. 2. *quæst.* 95. Caietanus, Zumel, Javellus, Sylvester, Porrecta, Delatorre, Ripa, Gonzalez, Navarrete, Montagnolus, Serra, Vigliar, Joannes à S. Thoma, Arauxo, Valentia, Pesantius, Malleus, Victoria, Directorium Inquisitionis, ibique Scholiastes, Ferrariensis 3. *contra Gentes capit.* 154. Nazarius, Salmanticenses, D. Bonaventura *in* 2. *d.* 7. *p.* 2. *ar.* 1. *quæst.* 7. Ægidius *quæst.* 2. *ar.* 1. Hervæus *ead. d. ar.* 2. Carthulianus *quæst.* 4. Malovius *d.* 3. *disp.* 15. Bannes *q.* 115. *ar.* 6. licet aliquando hac in re nutare visus sit, Flandria 6. *metaph. quæst.* 10. *ar.* 1. *ad* 2. Castro, Grillandus, Farinacius quos adducit ac sequitur Torreblanca *lib.* 9. *spirit. capit.* 14. perperam afferens pro hac sententia Suarez, ac præ omnibus eum tradunt D. Augustinus. *lib. de divinat. dæmon. capit.* 3. & *lib.* 3. *de Trinit. capit.* 5. & 7. D. Thomas *multis in locis mox citandis*, ac Patres communiter, estque conformior S. Scripturæ ac Constitutionibus summorum Pontificum Sixti V. & Urbani VIII. contra Astrologos.

Hanc difficillimam quæstionem ex D. Thoma definimus, cum quo, si unquam is errare potest, errare volumus, quàm cum aliis sapere: Quis melius de Angelis scripsit, quàm Doctor Angelicus? Ipsum igitur audire oportet. Docet itaque D. Thomas, *d. quæst.* 57. *ar.* 3. Angelos non cognoscere certò, quæ in paucioribus eveniunt. Ait enim, Angelis penitus esse ignota casualia & fortuita, subdit tamen, ea subtilius Angelum cognoscere, quàm hominem. Loquitur ibi non solum de liberis sed etiam de casualibus & fortuitis. Nam de effectibus, ut in paucioribus evenientibus respectu causarum naturalium loquitur. Idem docet *dict. ar.* 1. *quæst.* 95. & clarius *dict. par.* 1. *quæst.* 115. *ar.* 6. *in corp.* his verbis: Respondeo dicendum, quod futurum dupliciter potest cognosci. Uno modo in causa sua. Et sic futura, quæ ex necessitate ex suis causis proveniunt, per certam scientiam cognoscuntur, ut Solem cras oriri. Quæ verò ex suis causis proveniunt, ut in pluribus cognoscuntur, non per certitudinem, sed per conjecturam, sicut Medicus præcognoscit sanitatem infirmi. Et iste modus cognoscendi futura inest Angelis, & tanto magis, quàm nobis, quanto magis rerùm causas, & universalius, & perfectius cognoscunt, sicut medici, qui acutius vident causas, & melius de futuro statu

ægri-

æquitudinis præcognoscunt. Quæ verò proveniunt ex causis suis, ut in gravioribus, omnino sunt ignota, sicut casualia, & fortuita. Alio modo cognoscuntur futura in seipsis. Et sic solius Dei est futura cognoscere, non solum quæ ex necessitate proveniunt, velut in pluribus, sed etiam casualia & fortuita. Quia Deus videt omnia in sua æternitate, quæ cùm sit simplex, toti tempori adest, & ipsum concludit. Et ideo unus Dei intuitus fertur in omnia, quæ aguntur per totum tempus, sicut in præsentia, & videt omnia, ut in seipsis sunt. Angelicus autem intellectus, & quilibet alius intellectus creatus deficit ab æternitate divina. Unde non potest ab aliquo intellectu creato cognosci futurum, ut est in suo esse.

Hoc ipsum confirmat *d. q. 95. ar. 5. in corp.* Divinationi, inquit, quæ ex opinione falsa, vel vana procedit, ingerit se operatio dæmonis, ut hominum animos implicet vanitati, aut falsitati. Vana autem, aut falsa opinione utitur, siquis ex consideratione stellarum futura velit præcognoscere, quæ per ea præcognosci non possunt. Est ergo considerandum, quid per cœlestium corporum inspectionem de futuris possit præcognosci. Et de his quidem, quæ ex necessitate eveniunt, manifestum est, quod per considerationem stellarum possunt præcognosci, sicut Astrologi prænunciant eclipses futuras. Circa præcognitionem verò futurorum eventuum ex consideratione stellarum diversi diversa dixerunt. Fuerunt enim qui dicerent, quod stellæ potius significant, quàm faciant ea. Omne enim corporale signum vel est effectus ejus, cujus est signum, sicut fumus significat ignem à quo causatur; vel procedit ab eadem causa. Et sic dum designat causam, per consequens significat effectum, sicut iris quandoque significat serenitatem, in quantum causa ejus causa est serenitatis. Non potest autem dici, quod dispositiones cœlestium corporum, & motus sint effectus futurorum eventuum, nec iterum possunt reduci in aliquam superiorem causam communem, quæ sit corporalis. Possunt autem reduci in unam causam communem, quæ est Providentia. Sed alia ratione disponuntur à divina Providentia motus, & situs cœlestium corporum, & alia ratione eventus contingentium futurorum. Quia illa disponuntur secundum rationem necessitatis, ut semper, & eodem modo proveniant. Hæc autem secundum rationem contingentiæ, & variabiliter contingunt. Unde non potest esse, quod ex inspatione syderum accipiatur præcognitio futurorum, nisi sicut ex causis præcognoscuntur effectus. Duplices autem effectus subtrahuntur causalitati cœlestium corporum. Primo quidem omnes effectus per accidens contingentes, sive in rebus humanis, sive in rebus naturalibus; quia, ut probatur in *6. metaphisices*, ens per accidens non habet causam, & præcipuè naturalem.

Dicet fortasse aliquis, D. Thomam loqui tantum de effectibus liberis. At contra est. Nam loquitur etiam de effectibus in paucioribus ex causis naturalibus provenientibus. Imo *d. ar. 6. & aliis locis jam citatis*, de liberis eventibus supponit, & probat distinctim de naturalibus, ut in paucioribus, additque de hujusmodi effectibus causarum naturalium per considerationem ipsarum præcognosci non posse, & siquis hujusmodi futura, quæ sunt etiam effectus in paucioribus ex causis naturalibus, prænunciare, aut præcognoscere, quocunque modo præsumpserit, nisi Deo revelante, manifestè usurpat sibi, quod Dei est, ac per consequens excludit etiam Angelos.

Unde non immerito Zumel, Carthusianus, aliique nonnulli censuram erroris protulerunt contra asserentes Angelos præcognoscere futura etsi non libera, cùm Sacræ Litteræ, ac Patres & Theologi de futuris absolute loquantur, & signum divinitatis ab Isaia pronunciatur, futura cognoscere. Inquit enim capit. 20. *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis.*

Respondent adversarii, scripturas, & Patres loqui vel generaliter de omnibus futuris, vel in ordine ad futura, dependentia quodammodo à libero arbitrio: speciatim verò Morandus respondet, intelligi etiam in ordine ad contingentia naturalia, quatenus involvunt divinum concursum. Cum enim, ait, possit Deus hunc negare de potentia absoluta, non possunt Angeli cognoscere aliquod futurum adeo certe, cùm semper sit cum tali conditione, si Deus voluerit concurrere.

Verum hæc prima responsio eliditur. Nam scriptura & Patres relati à Zumel, Carthusiano, & Coccio, loquuntur de futuris, etiam non liberis, ut de monstris, de peste, fulgure, & hujusmodi aliis, attribuentes Deo, ut ejus proprium, hæc futura prædicere, ut de his omnibus prædixit per suos Prophetas. Domino namque Prophetiæ non tantum pro liberis, ac secretis cordium confertur, sed etiam pro futuris naturalibus contingentibus, per accidens, casualibus, & fortuitis. Patet etenim oracula dæmonum apud Gentiles plerumque fallacia fuisse de eventibus futuris, etiam non liberis, ut nunc quoque sunt in eorum Magis. Neque putandum est, eos ex industria mentiri. Nam divinitatis æmuli, potius credulitatem hominum sibi conciliare nimis ambitiose affectant. Et Christus prohibuit discipulis scire tempora & dies decretos, ut omnium fidelium suorum curiositatem coërceret, ita interpretante Sixto V. §. 3. & §. 14. ut illos merito Apostolus arguat, atque increpet illis verbis: *Dies observatis, & menses, & tempora, & annos, timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis.* Dies autem, & anni non sunt nobis liberi. Si autem loquatur de potentia divina, omnia futura, etiam necessaria, sunt ei libera.

Minus autem appositè recurrit Moranda ad potentiam divinam, dum ait, quod Deus possit negare concursum de potentia sua absoluta. Sic namque affirmaremus nec Angelos, neque homines certò cognoscere futura necessaria, ideoque non haberetur vera scientia. Nam quilibet effectus, quantumlibet necessarius poterit à Deo impediri potentia absoluta. Imo nec affirmaremus, Beatos lætari de perpetuitate suæ gloriæ; quoniam de potentia Dei absoluta deficere potest. Non enim Deus potest absolute cogi ab aliqua creatura. Unde posset de potentia sua absoluta ordinem mundi evertere, elementa perturbare, damnatos ab inferis eripere, beatos gloria privare. Voluntati enim ejus quis resistere potest?

Hanc porrò sententiam comprobavit Sixtus V. Nam in sua Constitutione, cujus initium, Cœli & terræ conditor, partem negativam decernit, Scripturis, Patribus, & rationibus corroborat. Unde videtur favere censuræ Carthusiani, & Zumelis. Supponit quippe §. 1. proprium Dei cognoscere ventura omnia, loquens in generali, tam de effectibus naturalibus, quam liberis, In §. 2. subdit: quæ futura non modò humanæ mentis imbecillitas ignorat, sed nec dæmones ipsi præsentire possunt. In §. 3. probat ex falsitate, & imbecillitate dæmo-

num circa futura prædicta nuncianda mediis simulachris, & comprobat ex testimonio præfato Isaiæ ac Christi Domini, semper persistendo in generali negativa.

Et quod ita sit, probatur amplius ex §. 4. ubi aperte quoque negat de casualibus, & fortuitis, dum asserit, *ad futuros eventus, & fortuitos casus præcognoscendos (futuris eventibus ex naturalibus causis necessariò, vel frequenter provenientibus, quæ ad divinationem non pertinent, duntaxat exceptis) nullæ sunt veræ artes, aut disciplinæ, sed fallaces, & vanæ improborum hominum astutia, & dæmonum fraudibus introductæ*, &c. Videsis quomodo negat, posse etiam arte dæmonis præcognosci, quæ eveniunt, ut in paucioribus, quæ sunt fortuita, & casualia. Imo ait, nullas esse artes, aut disciplinas, sed fallaces, & vanas. At si revera dæmones naturali lumine cognoscere possent futura casualia & fortuita, effectusque per accidens, de illis haberent veram scientiam, & non fallacem. Quinetiam homines possent ea uti, non ut dependente à dæmone, sed ut edocta ab antiquis. Talis namque ars non esset prohibita, cùm cognitioni naturali inniteretur, non amplius dependens à dæmone. Unde recte Suarez ait *lib. 2. de superstit. capit.* 15. possunt posteriores licite uti herba medica, ostensa antecessoribus à dæmone. Quia ille usus non fundatur in potestate dæmonis, sed in virtute herbæ connaturaliter illi à Deo indita, & experimento cognita. Quod autem illa notitia sumpserit originem à doctrina dæmonis, per accidens est, ut scite notavit Victoria *relect. de mag. num.* 15. Unde præcluditur evasio, quæ posset afferri, quod nimirum Pontifex loquitur de notitia hominum. Tum quia expresse loquitur etiam de dæmonibus, ut liquet. Et tum quia si talis veræ scientiæ dæmon esset peritus, possent homines tempore procedente licite illa uti, nec illa tunc esset scientia fallax formaliter.

Quod autem Pontifex §. 8. fateatur contingentia esse cognita ipsis dæmonibus naturæ subtilioris acumine, non obstat. Quia loquitur de iis contingentibus, quæ possunt ipsi dæmones cognoscere quæ hominum obtusior intelligentia ignorat, quæ plura supponimus certò cognosci ab illis cum D. Thoma, cùm ipsi comprehendunt causas superiores; & inferiores. Imo Pontifex addit, cognoscere aliis quibusdam modis, præter ingenii acumen. Cognita namque phantasia alicujus, & appetitu sensitivo, & affectibus, aliisque inditiis perpensis, facile etiam potest secreta cordium aliquo modo percipere, licet non infallibiliter, imo & futuros eventus liberos.

Hinc prosequitur Pontifex errorem Astrologorum §. 10. & 11. sic enim ait: *Dæmone se fallaciter immiscente, qui vanam, falsamque syderum, & astrorum scientiam profitentes, (tantum enim vera est Astronomia & Astrologia circa futuros eventus ex naturalibus causis necessario vel frequenter provenientes, ut prædixerat) divinæque dispositionis rationem suo tempore revelandam, cùm videlicet fuerit præsens, & extra causas à Deo producta. Tunc enim non solum ab Angelis, sed ab hominibus cognosci potest, hominum nativitates, seu genituras ex motu syderum, & astrorum cursu mentiuntur; & judicant de uniuscujusque hominis statu, conditione, vitæ cursu, &c. variis discriminibus, aliisque prosperis, & adversis casibus, & eventibus. Quæ quidem etiam naturales eventus contingentes, casuales, fortuitos ac per accidens comprehendunt.*

Confirmatque §. 13. & *seq.* autoritate Apostoli, verbis superius adductis de mensibus, & annis. Et §. 15. conqueritur, quod futuros rerum eventus, & quæcunque prospere, vel adverse obventura sunt, astris, syderibusque adscribunt. Eo quod Sixtus loquitur de naturalibus eventibus. Unde statim subdit, ac actus humanos, ea denique, quæ ex libera hominum voluntate proficiscuntur. Nec momentorum, & temporum naturalisque nomine diei possunt intelligi liberæ hominum actiones, quæ, ut sic, neque isto tempore mensurantur.

Tandem rem hanc expedit §. 16. ubi reprobat eos, qui facultatem astris, ac syderibus adscribunt, & efficaciam tribuunt significandi futura, & loquitur de futuris ab se relatis, licet de liberis præcipuè tradat rationem, ut libertatem hominis tutaretur, quod est unum ex firmissimis nostræ fidei fundamentum. Si ergo astra, syderaque non habent efficaciam significandi futura prædicta, quomodo dæmones possunt ex iis illa cognoscere? Additque §. 29. futuros eventus in se ipsis cognoscere, esse Dei proprium. Unde necessariò consequitur, ut astrologi, aliique divini, qui hujusmodi futura pronunciare quocunque modo, nisi Deo revelante, præsumunt, injuste, atque impudenter quod Dei est, sibi assumant, & usurpant. Idque confirmatur §. 30. & §. *seq.* in quibus prohibentur libri tractantes de futuris contingentibus. Et, ut perspicue pateat, quod ibi sermo est de naturalibus, subjungit disjunctivam: Aut his actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, permissis tamen semper observationibus, quæ navigationis, agriculturæ, sive medicæ artis juvandæ gratia conscripta sunt. Hæc enim, licet dicantur de hominibus, semper tamen sunt annexa præsuppositis de ignorantia dæmonum circa fortuita & casualia, ut ordinatè, & consentaneè tota Constitutio procedat.

Superest, ut hæc omnia verbis D. Thomæ confirmemus, qui *in 2. d. 7. q. 2. ar. 2.* sic ait: *Futurorum quædam sunt determinata in suis causis. Quædam vero non habent causas determinatas, sicut quæ sunt ad utrumlibet. Quilibet autem effectus secundum quod in causa sua determinatur, in ea potest cognosci. Si enim determinatur in ea, ut ex qua necessariò contingat, certitudinariè cognoscitur, sicut sunt ea, quæ circa motum cœli accidunt, ut ortus, & occasus, & eclipses, & conjunctiones luminarium. Quæ omnia multo melius dæmones sciunt per species causarum innatas, quam Astrologus per artem. Si autem determinatur in causis, ut ex quibus frequenter contingat cum potestate tamen deficiendi in minori parte propter impedimentum ex parte agentis, vel ex parte recipientis, actionum eorum præcognitio non certitudinalis, sed conjecturalis haberi potest. Et hoc modo Astrologus prædicit quædam futura, quæ consequuntur ex motibus cœli istis in inferioribus, quæ tamen impediri possunt propter impedimentum inferiorum causarum. Et hæc præcognitio tantò magis ad certitudinem accedit, quanto ad unum effectum plures causæ concurrentes cognoscuntur, & quanto virtus causæ melius scitur. Unde dæmones subtilissimi sunt in talium futurorum præcognitione; sed ea, quæ non habent causas determinatas, ut quæ sunt ad utrumlibet, vel in minori parte, non possunt cognosci in causis suis, sed in seipsis tantum, ut præsentia sunt. Unde eorum præcognitio solius Dei est, cui ab æterno præsentia sunt, ut in primo dictum est d. 38. & cui Deus revelare voluerit. Et talium futurorum cognitionem nec homines, nec dæmones habere possunt, nisi revelatione supernorum spirituum.* Hæc D. Thomas graviter, diserte, luculenter.

CON-

CONSULTATIO LXXXVI.

De Divinatione naturali & artificiosa. An dentur? Earum mira.

DEus, Mundi Opifex, eadem virtute, qua illum mirifice condidit, singulis rebus propriam contulit facultatem, qua pervenire possent ad finem statutum. Id Sapientiæ *cap.* 1. exprimitur, dum spiritus Domini replevit Orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis. Non quod Deus Mundi sit Mundi anima, ut arbitrati sunt Jamblicus, Apulejus, aliique, sed ut rerum omnium Opifex, gubernator, ac moderator. Quo sensu Virgilius 6. *Ænead* canit.

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Quem ideo Christianum sive Christi appellat D. Hieronymus *ad Paulinum.*

Quare sicut Deus contulit sapientibus ad pluviæ ac tempestatis causas cognoscendas, virtutem cognoscendi tetragonos, diametros, & congressus Solis, ac Lunæ, aliorumque errantiam, & fixorum sydeium, pluviarum, & aëris mutationis effectores, ita imperitis signa exhibuit in circumferentiis Solis, ac Lunæ, pastoribus in concussione vellerum ovium, agricolis in motu aurium animalium, nautis in maris tumore.

Hæc autem naturalis divinatio per avium motus præsertim attenditur. Cùm enim istæ in aëris regione vivant, & plurimum retineant aëris naturæ propius cœlestium influxus, qui per aërem ad inferiora descendunt, præsentiunt; ac licet præsagii sui sint ignaræ, naturali tamen instinctu, movente phantasia, excitantur ad fugiendum incommoda futura. In quo sensu pariter Ierem. *cap.* 8. inquit.: Milvus in cœlo cognovit tempus suum; turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus adventus sui. Musculus namque domum ruituram, & aliæ aves aëris contagionem præsentientes, fugam arripiunt instinctu quodam naturali, ut explicat Augustinus *lib.* 1. *divinat.* Ex quo refellitur error Plutarchi, Galeni, Plinii, ac Porphirii putantium, animalia prædita esse ratione. Ex alcionis incubatione super ova maris serenitas coniicitur, quia non nisi tranquillo mari incubat, ut docet Aristoteles *lib.* 2. *hist. animal. cap.* 8. & *lib.* 9. *cap.* 14. Franciscus Picus *lib. prænot.* & Uvimpina *lib. de signis.* Ex delphini etiam ebullientis saltationibus tempestas futura dignoscitur, annotante Seneca *in trag. Agamemn.* & Lucano *lib.* 5. *pharsal.*

Ex plantis etiam, ut eis florescentibus, verem adventantem cognoscimus. Rosæ, aut violæ sub autumno repullulantes pestis sunt signa ex naturæ contrariæ temperie, ut scribit Plinius *lib.* 3. *cap.* 26. Lanugines, & pappi populuci volitantes per aërem, tempestatem pronunciant, ut tradit Vuimpina. *loc. cit.* Lentiscus cultum terræ, & coloni officia indicat. Nam tres fruges fundens tria tempora monstrat arandi. Terræ motus quoque, mare tumens, alluviones insuetæ luem significant, ex Ammiano, & Procopio. Quod exemplis pluribus confirmat Majolus *lib. de admirandis naturæ colloq.* 1. & *seq.* Terræ motus namque ille provenit ab exhalationibus subterraneis, quæ exitum conatæ terram impellunt, indeque tumor, ac tremor, ut docet. Seneca *lib.* 6. *natur. quæst. cap.* 12. Ideoque non mirum, quod proximum inficiat aerem ex opaca terræ intemperie, in pluribus Italiæ locis per quædam foramina pestilens exhalatur vapor, qui non hominem vitam ducere, non feram permittit. Aves quoque si in illum incidunt, antequam cœlo meliore leniantur, in ipso volotu cadunt, de quo Balliartus *libel. de peste.* Non absimilis fuit ille hiatus, qui Romæ in medio fori apparuit, unde lues per civitatem grassata, & deprecato oraculo, respondit, non cessaturum malum, nisi res pretiosa quædam intus eiiceretur. Marcus Curtius ideo phalerato equo insiliens pro salute publica se in illum præcipitavit.

Constat etiam experimento id, quod Aristoteles tradit *lib.* 1. *meteor.* eclipses Solis, aut Lunæ naturales prænunciare bella, fames, & alias ærumnas. Nam defectu lucis vitiatur aër & ejus partes contiguæ ex ipso contaminatæ ad nos usque perveniunt.

Quoniam autem hæc omnia naturales causas præ se ferunt, hinc fit, quod non est divinatio superstitiosa, sed licita ex eis futura prædicere, ut tradit D. Thomas 2. 2. 9. 95. *ar.* 7. ibique Cajetanus, Delatorre, Suarez, Azor *p.* 1. *lib.* 9. *cap.* 15. Lessius *lib.* 2. *de just. cap.* 43. *dub.* 7. Torrebl. *de mag. cap* 2. Non est tamen negandum, posse dæmonem ad decipiendum homines eadem applicare, unde illa non debent observari præter suas causas naturales. Minusque negandum est, præter divinationem verè divinam, cui assentire tenemur juxta illud D. Petri ep. 2. cap. 1. *habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes*, dari etiam naturalem. Nam ex iis, quæ sensibus percipiuntur, alia cognosci possunt, quæ immediatè sint subsecutura, ex quibus vir prudens naturaliter divinat res ipsas naturæ auxilio illas cognoscens antequam extra causas suas emergant, eas in suis causis præsentiendo, ac prævidendo, ut tradit Franciscus Picus *lib.* 1. *prænot. cap.* 5.

Tales sunt Astronomi, cœlestium motuum investigatores, qui arithmetica supputatione, observationibus, & experentiis concludunt venturæ in ipsis cœlestibus orbibus, ex quibus prænunciant quid futurum sit ex cœlorum motu, & usu revolutionis Orbium. Quemadmodum enim Medici ex pulsu, ac inspectione excrementorum de infirmitatum terminis, additis observationibus præsagiunt, & tunc proportione medicamenta adhibent, ita & nautæ, pastores, agricolæ præsagiunt futuram aëris serenitatem, pluviam, æstum, siccitatem, & viri prudentes experentia docti sæpenumero quid futurum sit in Regno, in Republica, in familia, imo & in persona ex rationabili conjectura cognoscunt. Unde, licet proprium sit Dei cognoscere certò futura omnia, etiam libera, casualia & fortuita in seipsis, tamen in causis determinatis possunt cognosci ab homine eo modo, quo causæ dispositæ sunt.

Divinatio autem artificiosa spectat etiam ad naturalem, sicut magia operatrix artificiosa ad naturalem pertinet. Acquiritur ad rei occultæ investigationem, vel futuri prænotionem ex naturæ arcanis, aut signi alicujus patefactione. Sic interdum ex antecedentibus & subsequentibus eruitur, juxta illud Prov. 16 *divinatio in labiis Regis*; *in judicio non erravit os ejus.*

Hac Salomon veræ matri filium tradidit 3. *Reg. c.* 3. & Daniel *cap.* 13. Senum perfidiam detegit, unde Susannæ bonam existimationem, ac dignitatem restituit. Acquiritur etiam ex naturali causa, & congrua rei dispositione. Sic Christophorus Columbus novum Orbem invenit. Videns enim, quod totius Orbis gyrum nondum tellus habitata compleverat, conjecit alteram illius partem fore inveniendam. Quod antea indicarat Seneca *in Medea choro, act.* 2.

Venient annis
Secula seris, quibus Oceanus

Vincula rerum laxet , & ingens
Pateat tellus , Tiphysque novos
Detegat orbes , nec sit terris
Ultima Thule.

Quod non tam acceptum hoc Platoni in *Phædone* de Orbe incognito differenti , refert Abrahamus Ortelius , quam Poëtæ Hispani de America à suis inventa Vaticinio.

Subjiciam in hanc rem Epistolam Ramnusii, scriptam Carolo Bruno , cujus hæc sunt verba. *Ho ricevuto lettere dal Signor Oviedo , che scrive la storia delle cose del Mondo nuovo nell' Isola Spagnuola, nella quale mi ha dichiarato un passo di Dante , che forte non è stato finora inteso , e io l'ho scritto subito a Monsignor Reverendissimo Bembo à Roma , che ne ha havuto infinito piacere , sì come mi scrive il Signor Flaminio Tomarozzi , e gli pare , che Dante fosse huomo divino afflatus furore poëtico. Il Signor Oviedo mi scrive , che io sappia , come tutti quelli, che navigano oltre all' Equinottiale verso l' Antartico, si governano con quattro stelle , le quali perche stanno in quadro , le chiamano il Crucero , e sono lontano dal detto polo gradi venti primæ magnitudinis, per esser lucentissime , e sono più belle che non sono quelle del nostro carro. Coloro , che stanno nell' Isola Spagnuola , la quale è lontana dall' Equinottiale verso il nostro polo gradi dieci nove , le veggano circolari. Detto Signor Oviedo mi scrive , ch' essendo studioso della poesia di Dante ha letto nel cante del Purgatorio , ch' essendo Dante sotto la linea dell' Equinottiale , dice queste parole.*

Io mi volsi a man destra , e posi mente
All' altro Polo , & vidi quatro stelle
Non viste mai , fuor ch' ella prima gente.
Goder mi parea il Ciel di lor fianimelle ,
O Settentrional vedovo sito,
Poiche privato sei di veder quelle.

E che questo sono revera il Crucero , e non sa come Dante havesse questa cognitione , perche Tolomeo non passò mai tanto avanti , e pena che come Poëta in quel furore divinamente le manifestasse al mondo. Che questo sia vero, che questo Crucero governi tutti li naviganti Spagnuoli , che passano l'equinottiale , l'ho sentito dire da infiniti marinari , & è cosa volgare a ciascheduno di essi. Si che V. S. haverà imparato un bellissimo passo , perche il Landino Commentatore di Dante interpreta queste quattro stelle per le quattro virtù.

Hinc in jure civili argumenta appellantur præsumptiones , & conjecturæ , *l.* 1. *l. milites* § *oportet ff. de quest.* Illarum enim termini convertuntur, ut per Mantic. *de conject. lib.* 1. *tit.* 2. de quibus Alciatus , & Menochius *de præsumpt* Mascardus *de probat.* & Farinac. *tom.* 1. *p. tit. de indit. q.* 36.

Nec aliud sunt præsumptiones , & inditia , quàm divinationes in rebus dubiis ex argumentis, & inditiis per circunstantias frequenter collectæ. Sicut enim Medicina suas habet in morbis judicandis divinationes artificiosas , quas appellant prognostica, ita Jurisprudentia ex artificiali quandoque divinatione rationabiliter procedit. Et Aristoteles *lib.* 2. *Rhetor.* ac Cicero *in topic* de hoc etiam modo arguendi pertractant, easque vocant probationes artificiales , quæ testibus , ac tabulis rem probant. Artificiales autem vel sunt necessariæ , aut verisimiles, aut non repugnantes , de quibus vide apud citatos Doctores.

Non asserimus tamen , posse aliquem ex præsumptionibus, & inditiis quibuscunque in pœnam ordinariam damnari. Quod tamen sua constitutione concedit Gregorius XV. supremis Inquisitoribus in materia sollicitationis in pura confessione , concurrentibus evidentissimis inditiis , ac præsumptionibus , quas dicunt juris , & de jure , de quo Carena , & nos *suo loco.* Imo & Menochius *de arbitr. lib.* 3. *q.* 121. extendit ad alios casus , quod sequuntur alii Doctores *in l. si hi , qui C. de adult. cap. de hoc , de Simon.* Glos. *in l. scient C. de probat.* Bartol. *in l. quod Nerva ff. depositi* , Abb. *in cap. tertio loco n.* 10. *de probat* Bald. *in l. sciant cuncti de probat.* aliique relati à Torreblanca reprobante , & afferente pro se Doctores *in cap. afferte de præsump.* cum aliis per Farinac. *tom.* 1. *q.* 36. *num.* 52. Sarmiento *lib.* 1. *Select. cap.* 1. Tiraquel. *de pœn. temper. cas.* 27. Clar. *lib.* 5. *sent.* §. *fin* 9. 20. Gomes *var.* 3. *cap.* 12. Simanch. *de cath. instit. tit.* 50. Menoch. *de præsumpt. lib.* 1. *q.* 97 & seqq.

Sed mitior pœna imponenda est , puta exilii, vel pecuniaria. Quia Judex procedens ex præsumptionibus debet sententiam suam temperare. Nec enim certo judicant Medici per artificiosam divinationem ; neque Astrologi de iis, quæ plerunque eveniunt , & multo minus Jurisperiti , cùm non naturalibus signis , & causis innitantur , sed liberis, quæ ideo certitudinem inferre non possunt in rebus dubiis, ut per Marsil. *in d. rubr. de probat. ex num.* 241. Gomes *d. cap.* 12. Mascard. *de probat. lib.* 1. *concl.* 1221. Clar. *d. q.* 20. Adhuc tamen in causis læsæ Majestatis , præcipuè divinæ , qualis est sollicitatio in confessione cum abusu sacramenti adeo necessarii, Emin. Cardinales , Generales Inquisitores , possunt ex testibus etiam singularibus , concurrentibus præsumptionibus , inditiis aliisque adminiculis , judicare delictum probatum & reum Curiæ seculari tradere ob circunstantias turpissimas, ut in aliis similibus , & multo magis majoribus criminibus ex præfata Constitutione Gregoriana in jure fundata. Quid autem sint inditia , & conjecturæ , ex quibus oriuntur præsumptiones juxta *cap. Accusatus* § *licet verò de hæret. in* 6. Baldum, Manticam , & alios , & in quo distinguatur præsumptio juris & hominis , vide apud ipsos.

Consultatio LXXXVII

An , & quatenus ex Animalibus licite prædici queant futura ? Quatenus ex monstris humanis , vel aliis portentis ? Ex Hermaphroditis , sive Androginis ? Ex monstris aquaticis , & aëreis ? Ex meteoris ?

Plura sunt animalia , quibus usi sunt antiqui ad præsignificanda futura , quæ idcirco maximo honore illis erant, ut Crocodilus apud Ægyptios , qui est elinguis , ideoque credebant naturam Dei incomprehensibilem ac ineffabilem significare, teste Valeriano ex mente Hori , qui per Crocodili picturam in specu latitantis , cujus cauda tantum conspiciatur , Dei caput , & substantiam ejus incompertam, per caudam verò apparentem Deum nonnisi à posteriori , hoc est ex operibus cognosci posse, significabat.

Sed præcipue præstantissima omnium apud Ægyptios consideratio super Accipitre fuit , ut patet ex omnibus eorum obeliscis , in quibus multiplicis figuræ ejusdem imaginis , ac hierogrammatismi repræsentantur. Accipitre enim picto, semper Osirum, Deum illum suum , & sacro sanctum Regem omni gloriæ , ac honoris genere decoratum , proponebant, ut testatur Porphirius *lib.* 4. *de abstinentia* . Cum solis imaginem putant , cujus totam substantiam ajunt ex

ex ſanguine & ſpiritu conſtare, & hominis miſericordia affici, ac mortuum lugere, atque in oculos terram ingerere. Unde iis ſolitum fuit, Iſidis ſtatuam pennis accipitrinis ornare in ſignum excellentiæ. Ælianus quoque tradit, in uſu fuiſſe apud Reges Perſarum veſtem purpuream accipitris penna ſpectabilem deferre. Plinius etiam ſic de illo ſcribit. Apud Arabes quoque ex oſſibus accipitris ignem elici, aurumque attrahi, ſcriptum inveni. Quod confirmat Ælianus *lib* 10. *de animal. cap.* 10. inquiens: os tibiæ accipitrum, ſi ad aurum admoveatur, hoc ipſum illecebra quadam mirabili, non ſecus ac magnes ferrum, ita hoc quaſi præſtigiis, & captionibus quibuſdam aurum ad ſe trahere.

Peculiariter autem Mercurio ſacri putabantur Accipitres, maxime palumbares, teſte Plinio *lib.* 12. *cap* 4. ob inſignem, qua pollent, rerum futurarum præſcientiam. Unde maximus eorum in auguriis capeſſendis erat uſus, ut proinde certos miniſtros in curam accipitrum deſignabant; ut narrat Diodorus Siculus *lib.* 2. *cap.* 4. Mortuos etiam accipitres colebant, quod eorum animas vaticinandi vi præditas autumarent. Hincque tantum opinio invaluit apud omnes, ut ab auguriis nomen traxiſſe contendant, quaſi quod terra, & nuncio lætiſſima dicatur in auguriis avis. Tantum verò hanc prædicendium in accipitre valere exiſtimabant, ut etiam illa moriente, non ſolum non mori, ſed & in alios etiam devoratis ejus extis transferri arbitrarentur. Quod impius Porphirius his verbis confirmare auſus eſt. *Qui animalium vaticiniis pollentium animas in ſe recipere volunt, devoratis principalibus corporis eorum partibus, ut cordibus corvorum, aut talparum, aut accipitrum, animam quoque ſingulorum præſentem, & ingredientem in ipſis accipiunt, & Dei inſtar futura præſentientem.* Illum antiqui Ægyptiaca lingua *Thauſtum* appellabant, quod idem eſt ac *Thoth*, ſive Mercurius. Mercuriales autem prædicabant accipitres. Quia ſicut Mercurius aliger Deorum nuncius, ſive Sol lucis beneficio ſecreta omnia & ignota patefacit, ſic & accipiter divinæ voluntatis nuncius, ac interpres putaretur, illique præclaram rerum inventionem, ut Mercurio adſcribebant.

Tandem accipitris figura loco amuleti utebantur adverſus malignos Typhonis inſultus, ut videre licet in hieroglyphica deſcriptione, quæ adhuc hodie Romæ inviſitur in baſibus Sphyngis, ſive leonis ad fontem aquæ Felicis juxta Thermas Diocletianas, ſicuti ponebantur in ripa Nili, ut eſſent quaſi philacterium quoddam contra ariditatem, ac igneam vim Nili exiccativam, quam, autore Plutarco, Typhonem appellabant.

Noctuam pariter legimus apud omnes ferè populos inauſpicatiſſiman avem, dum bubulat, horrendam creditam humano generi. Ægyptii autem non tantum per noctuam adverſis Numinis operationes ſignificabant, ſed illam quaſi nuncium univerſalis providentiæ apud homines fuiſſe, & per eam futura ſignificari, & de ſiniſtris eventibus commoneri, ac quid inſtante quavis calamitate prudenter ſit agendum, ſuo exemplo docere. Id quod tradit Porphyrius *lib.* 4. *de abſtinentia* in hæc verba: *Inter omnes aves noctua una eſt, quæ Minervæ, quam eandem cum Iſide lib.* 3. *aſſervimus, de rebus eventuris ſententiam denunciare.* Quæ clarius Plutarchus *in Themiſtocle* proſequitur, hanc ſubnectens fabellam. Cùm Neptunus, à Minerva victus, non poſſet Attica regione potiri, iratus levia, ſtolidaque conſilia illi immiſit. Cùm autem Palladis ales mentem ejus hominibus aperire crederetur, hinc proverbium natum eſſe: *Noctua volavit.* Quod rebus feliciter, atque ex animi ſententia geſtis ſuccedentibus, dici conſuevit. Unde & ipſe Plutarchus ait, natum eſſe, ut in ſymbolum victoriæ noctua aſſumeretur. Explicat hæc omnia ſane Porphyrius ibidem, inquiens: Sicut Dii quidem, qui tacendo res indicant, & eorum ſignificationes aves celerius, quàm homines percipiunt & percipientes nobis eo, quo poſſunt modo denunciant, & aliquæ aliorum Deorum nunciæ hominibus ſunt, Jovis aquila, Apollinis accipiter, Minervæ noctua; Cereris grus, ac cæterorum aliæ. Erant quidem Ægyptii mortalium ſuperſtitioſſimi, dum omnia in omina, quæ viderent, vel audirent vel ſomniarunt, traherent.

Adeo profecto exiſtimabat Plutarchus auguria ex animalibus, ut crediderit præſignificare futura ex vera prudentia, & ratione, unde capacia rationis ea prædicat *lib. peculiari quod brutis ratio inſit.* Quod etiam tradiderunt pauci alii. Hoc errore deceptus Mahumetes in Alcorano ſcribit, Reginam Saba ex avium confabulatione Solomonis Sapientiam percepiſſe. De garritu paſſerum intellecto à Religioſo Minorita dixi alibi. Conceditur quidem ex Ariſtotele *lib.* 3. *de animali* rationem, & prudentiam analogice imitari bruta. Quod & D. Thomas docet *p.* 2. *q.* 13. *art.* 3. Albertus ſæpe, Auguſtinus *lib.* 4. *Civit.* & aſſerunt Patres ac Doctores communiter. Et ſic intelligenda quæ Plinius, & Ariſtoteles tradunt de Leone, & Rhinocerote de mergis, de ſerpentibus, crocodilo ac delphino. Unde bruta non percipiunt futura, licet inſtinctu naturali hoc, vel illa ſigna præſeferant, impetum naturalem ſentientes, movente phantaſia, unde homines imminentia futura præſagiant, ut apud eundem Plutarchum *in præcept. ſalub.* corvorum crocitationes præſagia venturorum, ac imbrium prædicunt, haud diſſentiente Ambroſio *lib. de Noe cap.* 17 Chryſoſtomo *in Act. Apoſt. cap.* 2. *hom.* 5. Ariſtotele *lib.* 9. *hiſt. animal. cap* 31. Cornix præterea ex naturali aëris humidi præſentione dicitur apud Varronem præſaga tempeſtatis, apud Æginum vates pluviæ. Quantum ſit prudens analogicè formica, coniice ex *Proverb.* 6.

Neque negandum eſt, quod ſicut metaphoricè mare dicitur videre, ac fugere, terram Dei aſpectum timere, cœlos enarrare gloriam Dei, ita volucres cœli, beſtiæ, & univerſa pecora, ſerpentes, & volucres pennatæ benedicere Domino, Daniel 3. & pſalm. 148. Divina enim Sapientia ita omnia ordinate componit, ut ſimul opera ejus annuncient divinam omnipotentiam.

Ex quibus aſſerimus cum D. Thomas 2. 2. *q.* 95. ac Theologis communiter, licitum eſſe ex animalium motu, garritu, aut concentu præſagire futura, quæ naturaliter ſignificant. In hoc enim ſuperſtitio, aut vanitas nulla, cùm naturaliter præſignificent.

Quod verò ad Monſtra, præter Gigantes, & pygmeos, qui naturaliter, ac etiam ope dæmonis produci poſſunt, ut poſt Malvendam tradit. Torrebl. *epit. de mag. lib* 2. *cap.* 31. *& lib.* 5. *jur. ſpirit. cap.* 6. & nos *alibi*, pauca de aliis nunc dicemus, omiſſo S. Scripturæ ſenſu, quæ Eccleſiaſt. 48. omne quod naturæ terminos excedit, etiam miraculum, monſtrum appellat; ubi de Eliſeo ſic ait: *In vita ſua fecit monſtra, & in morte miracula operatus, eſt.*

Monſtrum dicitur ab Ariſtotele *lib.* 2. *phyſic. cap.* 8. *& lib* 4. *de gener. animal. cap.* 3. *&* 4. omne id, quod in natura deficit, ſive in homine, ſive in bruto vel volatili, aut in plantis. Quod proſequuntur. Plinius *lib.* 17. *cap.* 22. Theophraſtus *de cauſ. plant. cap.* 2. Bonavent *de octimeſtr. lib.* 3. *cap.* 64. Carrer. *de loc. affect. diſp.* 73. *cap.* 1. Natura igitur, etſi ſemper intendat perfectum efficere, quandoque tamen aberrat, & producit monſtra, quæ tamen neceſ-

necessaria censetur ad varietatem, & pulchritudinem Universi.

Causæ autem plures afferuntur ab Aristotele, Averroe, Themistio, Simplicio, Galeno, aliis. Præcipuæ sunt materia, uterus, tunica & generans. Ex materia. Nam notavit Galenus *lib. de hist. philos.* monstra nascuntur, si multum fuerit semen, si parum, si divulsum, si evanidum, si inordinatum. Aristoteles sane præcipuam causam monstrorum, seminis defectum facit. Ex redundantia siquidem seminis nascuntur homines cum membris multiplicatis, ut docet Augustinus *lib. 16. de civit. cap.* 8. Lemnius *de occult. natur. lib.* 1. *cap.* 8. *&* §. Paræus *de monstr. lib.* 24. *cap.* 1. *& seqq.* Schenchius *observat. medic. lib.* 9. & Bahuinus *lib.* 1. *cap.* 8. Ex defectu autem seminis proveniunt pygmæi, nani, pumiliones. Ex morbido semine, præsertim cum menstruo retento monstra etiam oriuntur. Unde ait Aristoteles *sect.* 10. *probl.* 60. quod mulieres menstrua patientes, si coierint, multoties pariant bufones, lacertas, aliaque hujusmodi, quæ etiam referunt perfectorum animalium similitudinem, de quibus Jurisconsulti *in l. non sunt liberi ff. de stat. homin.* Hos partus idem Aristoteles locis allegatis nullo modo vitales judicat.

Ex utero. Nam, teste Alberto Magno, cui adscribitur *lib. de secret. mulier cap.* 6. ex defectu fœminei vasculi oritur monstrositas. Sicut enim in opere fusili, si vasculum, aut receptaculum sit obliquum, fractuosum, distortum, rimosum, similes imagines efformat, ut notavit Hippocrates *lib. de genitur.* & Mercat. *de affect. mulier lib.* 4.

Ex tunica, qua fœtus involvitur, monstrosus evadere potest. Ex ovis namque, duo vitella habentibus, si deficiat membrana determinans, nascitur pullus biceps, & quadrupes, ut testatur Aristoteles, & Hippocrates *ibidem*, ac Porta *in sua magia naturali.*

Ex defectu agentis principalis, vel instrumentalis, ut si vitium facultatis formatricis adsit. Etsi enim à cunctis corporis partibus semen exitetur, ut simile corpus efficiat, cùm tamen læsa fuerit virtus, in partes oberrat, ut notat Mercurial *lib. de homin. procreat.* An autem læsi semper ex læsis, cœci ex cœcis generentur, ut contendit Torreblanca, non est hujus loci. Testatur Albertus *ibidem* ex inordinata coeuntium libidine monstrositatem consequi. Si enim, ait, masculus inordinate jaceat cum femella, monstrum facit in natura.

Si etiam fœmina sit corporis constitutione male affecta, ex pravis humoribus orientur quandoque sues, mures, serpentes, & animalium plura commixta, & monstra, ut tradunt Codronch. *de morb. venef. lib.* 2. *cap.* 4. Gemma *de divinat. natur. lib.* 2. & Euseb. Nierembergius *p.* 1. *philos. nat. lib.* 3. *cap.* 27. Ex nimio quoque libininis exercitio monstrat proveniunt. Deficiente namque seminis debita copia, conceptus mancus, atque monstruostus evadit. Si autem misceatur semen humanum cum ferino, coëunte homine cum bruto, monstra consueverunt progigni, autore Plinio *lib* 7. *cap.* 2. Æliano *lib.* 1. *cap.* 6. & Huarte *de exam. ingenior. cap.* 21. Ex imaginatione quoque parentum monstra prodeunt, ut per Aristotelem, Plinium, Galenum, Plutarchum, Avicennam, & D. Thomam *p.* 1. *q.* 82. *ar.* 4. Medinam, 1. 2. *q.* 9. *ar.* 1. Quidquid in contrarium proferat Torreblanca, credens, à mulierculis hoc esse inventum, ut credulis maritis alienos obtrudant hæredes. At omnium temporum id testatur experientia. Vis enim formatrix immediate concurrit, a phantasia excitata. Sicut & genitale per actiones virtualiter transeuntes, aut præcise per sympathiam.

Adscribitur etiam causa externa Cœlum ipsum ex Ptolemeo *lib.* 3. *astron. cap.* 8. *tex.* 20. quicquid etiam in contrarium dicat Torreblanca. Licet enim teste Platone *in Timeo*, hoc est de rerum creatione, omnes stellæ divinæ sint, ac bonæ, juxta tamen diversam dispositionem influunt. Unde varii effectus perfecti, ac imperfecti ex earum conjunctione, ac dispositione inferiorum proveniunt. Negare autem, ut negat Torreblanca, stellas nullam vim habere in hæc inferiora est contra Aristotelem. D. Thomam, cœterosque philosophos de quo infra. Omittimus causas supernaturales, cum scilicet in vindictam scelerum parentum, proles monstrosæ nascuntur, ut ob incestum Roberti Regis affirmat Petrus Damiani *lib. de mirac.* Et Eusebius *ibidem cap.* 10. voluit enim Deus, ut filium ex consanguinea susciperet anserino collo, & capite.

Hermaphroditos verò ait Plinius *lib.* 7. *cap.* 3. reperiri, & suffragatur Augustinus 16. *de civit. cap.* 8. Sic dicti à Mercurio, qui Hermes, & à Venere, quæ Aphrodites appellatur. Referunt idem Plinius *capit.* 2. & D. Isidorus *lib.* 11. *capit.* 3. apud Nasamones, illisque nationes vicinas, Androgynos reperiri alternis vicibus inter se coëuntes. In aliis verò nationibus Hermaphroditi nascuntur ex superfluitate materiæ. Vide Baldum *lib.* 3. *cons.* 137. & alios, à quibus diversi hermaphroditi recensentur respectu membri virilis, ac vulvæ diverso modo constitutæ. Prodit Aristoteles *lib. de admir. audit.* aliquos utriusque sexus officia potenter obire, quoniam utraque genitalia perfecta, & distincta habent, adeo ut etiam illis dextera mamma viri, sinistra mulieris sit. Refert quoque Livius *decad.* 1. *lib.* 3. quod Romani inter monstra illos enumerabant, ac ita odio proquesebantur, ut in mare dejicerint. Postea tamen illos, qui virili sexu prævalebant, dignitates, & honores consequi permiserunt. Glossa & Doctores *in l. quæritur ff. de Stat. homin.* ad matrimonium admittunt. Coguntur tamen ab Episcopo, ut sexum eligant quo tantum utantur, juramento præstito. Si autem sexu altero abutantur capitali pœna puniuntur, ut notat Sanchez *lib.* 7. *de matr. disp.* 106. Gutierez *eod. tr. cap.* 119. Nam contra naturam committunt. Unde nequidem, mortua uxore, ac de licentia Episcopi possunt variare sexum, ut per Poncium pariter *de matr. tr.* 7. *cap.* 65.

Neque credendum est Huarti *loc. cit. cap.* 15. quem sequitur Torreblanca, inquiens: *Si acabondo la naturaleza de formar a un ombre perfecto, lo quisiesse convertir en muger, no tendria otro trabajo, masque tornarle dentro los instrumentos de la generation, y hecha muger, si quisiesse bolverla en varon con arojarle el utero, y los instrumentos fuera, no havia mas que hazer.* Ac ita credit ab anatomistis observatum. Quod tamen à veritate abhorret, ut constat ex quotidiano experimento & docet Andreas Laurentius *lib.* 7. *hist. anatom. cap.* 8. & nos *alibi* de mulieribus, quæ in viros eruperunt. Divus etiam Augustinus 3. *de Civit. cap.* 31. & Isidorus *d. lib.* 2. *cap.* 7. tradunt, aves quoque reperiri utroque sexu coeuntes, ut vultures, gallinas, pavos. Nos de Hermaphoditis, tanquam de monstris hic agimus.

In-

Inter etiam Pisces, & aves reperiri monstra, tradit Festus *lib. de lingua Latina.* Non tamen omnes pisces, & aves non retinentes consuetam formam sunt statim monstra appellanda. Ut enim refert Ælianus *lib.* 10. *cap.* 18. in aquis varia genera piscium perfectorum reperiuntur, quæ monstra non sunt. In mare Trapobano reperiuntur pisces, viri ac feminæ faciem præseferentes, illi Tritones dicuntur, hæ Syrenæ, ac Nereidæ, quorum plures in Nilo Ægyti repertos, testatur Fulgosius *lib* 1. *cap.* 6. Vide etiam Julium Cæsarem Saricet *in hortu genial. fol.* 409.

Indubium est etiam habere aves sua monstra, quæ nec homines sunt, tametsi humanam vocem imitentur. Syrenæ autem, si reperiuntur, de quibus Fulgentius, mulieres quoad partem superiorem repræsentantes, aves sunt non pisces Theophrasto, Albritio, Bocatio apud Torreblancam. Nam cantus suavis eis attributus, avium est non piscium. Gryphi etiam monstra existimantur à Phallopio, licet fabulosos esse, multi, affirment. Habent commixtam simul naturam avis & feræ. De illis fit mentio Levitici *cap* 11. *&* Deutoron. *cap* 14. 14. Proque eodem accipitur griphus, ac struthiocamelus ex natura avis & bruti coalescens. Constat enim plumis & rostro, ac quoniam habet caput, & pedes ferinos, Plinius negat, esse avem *lib.* 10. *cap* 1. Quod autem sit avis, plumæ ostendunt, quibus tegitur, & ova, quæ parit. Majolus quoque *tom.* 1. *colloq.* 6. alias refert aves diversarum formarum, ac sine pedibus & cum quatuor alis, quas ideo monstrosas credit Mela *lib.* 3. *cap.* 4.

Sed quid de Phœnice? Varias aves commenti sunt Græci, quorum autoritas tantum valuit apud posteros, ut de mirandis illis, quæ tradidere, fidem invenerint, etsi aves ipsæ ne in rerum quidem fuerint natura. Nam quis cordatus credat, Phœnicem esse avem singularem, quæ se ipsa igne, cùm solaribus radiis, tùm ventilatione alarum, accenso, comburat, ex ea in cineres versa vel saltem medulla, aut sanguine ejus effuso, nasci vermem, qui postea, alis adsumtis, & avis fiat, eaque unica, sed sua refecta morte, quia periit, ut viveret, atque ita simul sit parens, & proles. Unde & ubi par oneri prima ei cura sit, ut, si non ex cineribus, sed medula, vel sanguine sit reformata, patrium cadaver Heliopolin in Solis aram deferat atque adleat. Hæc retulisse, prope sit refutasse.

Multa adeo incredibilia in iis se offerunt. Quid, quod illi, qui ista tradiderunt in variis ipsi dissentiant? Inter alia de vitæ spatio, ubi mira scriptorum inconstantia. Rex Æthiopiæ in sua ad Pontificem Romanum epistola, annos ei tribuit trecentos. Herodotus, Ælianus, Philostratus, Horus, Æneas Platonicus; ex Latinis Ovidius, Tacitus, Victor annos dant quingentos quadraginta. Plinius *ex Manilio* sexcentos sexaginta. Martialis, & Lactantius millenos. Alii, ut est apud Tacitum 1461. Chæremon Ægyptius, ut relatum Tzetzi sexennium, & septies millenos. Hæc enim satis arguunt, qui de ave ea sit sentiendum. Tantopere tamen esse hujusmodi alitem obtinuit, ut Tacitus quoque *in* 14. *annal.* licet quædam eorum, quæ superius adduximus, fabulosa arbitretur, ipsam tamen avem aliquando in Ægypto conspici non ambigat. Imo Tertullianns putavit, etiam Scripturas Phœnicis meminisse. Nam libro de resurrectione illud Psalmi 91. *sive* 92. vertit: *Justus, ut phœnix florebit, cum debuerit, ut palma.* Simili plane errore, ac alias in Plutarcho, sicut Mureto in variis *lib.* 3. *tom.* 12 observatum. Sane à Davide plantam signari, luculenter arguit quod ibidem subiicitur de cedro, & platano. Patres autem in concilio Aquisgranensi sub Ludovico Pio *anno* 830. *cap.* 112. *ac. seq.* veritatem Resurrectionis Nostri Jesus Christi huic avi assimilant, de qua etiam Cyprianus *in exposit. Symboli*, Augustinus *ad fratres in eremo ser.* 18.

Sed verè hujus Avis meminit Apostolorum coætaneus Clemens Romanus *epistola ad Corinthios priori*, quæ pauculos ante annos prodiit in lucem Patricii Junii cura. Sunt tamen qui hanc epistolam adjudicent Clementi, quia natura avis, quæ nusquam sit, illustrare ea studeat, quæ ad cælestem pertinent veritatem. Sed ex iis, quæ de Plinio, ac Tacito superius dicebamus, satis videmus, illis quibus Clemens vixit temporibus, communem fuisse eam de Phœnice opinionem.

Atqui hoc sufficit in Scripto Ecclesiastico quidem, attamen ad regulam fidei ac vitæ neutiquam pertinente. Nec enim necesse est, credamus, Clementem scisse omnia quæ facerent ad arcana naturæ. Nec id quidem credere est opus de Apostolis, licet Christus promiserat *Joan* 16. 13. missurum se Spiritum Sanctum, qui in omnem eos duceret veritatem. Quippe hoc restringendum ad veritatem earum, quæ ad salutis pertineant negotium. Imo ne harum quidem omnium quia Apostoli ipsi 1. *Cor.* 9. ex parte viderunt, ac prophetarunt sed omnium, quas scire et opus alteram ad vitam consequendam Nec credendum est, Concilium definisse de fide Phœnicem veram alitem esse, cum hoc ad fidem non pertineat, sed exemplum adduxit ad Gentilibus comprobandam possibilem resurrectionem, quemadmodum Apostolus *Act.* 17. *&* 18. ex Aræ titulo, & Poëtæ carmine fidei veritatem persuadet.

Utcunque verò Phœnix sit commentitius, ajunt tamen aliam esse alitem, in qua plerque eorum, quæ de Phœnice referuntur, habeant locum., Sane Cardanus *in* 10. *de subtil.* cum de phœnice dixisser, esse fabulæ, quàm veritati propriorem, scribit hunc in modum: *Referunt tamen quidam in interiore India avem esse, nomine Semendam, quæ rostrum habeat triplici ordine, atque ut in ellychniis undique perforatum, quæ moritura dulce canat, cygnorum exemplo, inde collectis sarmentis motu alarum accendat illa, uraturque, ex cujus cinere vermis, tum ex verme avis denuo renascatur. Quæ his malui addere subtilem ob historiæ sensum, quam ob rei ipsius descriptæ incredibilem narrationem prætermittere.* Postrema verba non obscure indicant, etiam de Semenda Cardano parum credibile videri. At non prorsus fidem abrogat Julius Cæsar Scaliger *exercit.* 233. ubi ait: *Phœnicem haud esse penitus fabulosum. Legimus in commentariis navigationum, in mediterraneis Indiæ reperiri. Semenda vocatur ab incolis.*

Quomodo autem liceat ex monstris, vel potentis futura præsagire, non immeritò dubitatur. Nam reperiuntur plurima naturalia præsignificativa futurorum, quorum plura enumerat D. Augustinus *lib.* 3. *de civit. cap* 31. ex historias Gentilium. Et Valerius Maximus *lib.* 1. *tit. integro de prodigiis* plura refert, præcipue *cap.* 6. ut infantem semestrem in foro boario truimphum proclamasse. Xerxi quoque admirabile prodigium inter cœnam incidisse. Infusum nempe pateræ ejus

ejus vinum, nec ſemel, ſed iterum ac tertio in ſanguinem verſum eſſe. Qua de re conſulti Magi decreverunt, ut ab incepto bello contra Lacœdemones abſtinerent.

At verò ſupponendum eſt, ex monſtris, & portentis alias eſſe naturalia, alia dæmoniaca, alia divina. Naturalia à cauſis naturalibus, præter modum ſolitum proveniunt, ut cùm ante direptionem Borbonicam, Romæ peperit mula. In bello Marſico fæmina Alcipe peperit elephantem referente Alexandro ab Alex. *dier genial lib.* 2. Alia ſub anno 1278. apud Helvetios leonem. Alia Papiæ catum; Narrat Saxus, Gothicos Reges ex urſo & virgine nobili originem ducere, & Joannes de Barros Peguſianos, & Sianitas, Indiæ gentes, à cane, qui cum muliere concubuerat, de quo Turriſcremata *dialog.* 1. *horti floridi.* Non tamen omnia credenda, quæ à longinquo referuntur.

De Nactanabo, patre Alexandri Magni, aiunt in ferarum effigie concubuiſſe cum fœminis quibuſdam, & ex ſemine humano revera tales fœtus prodiiſſe. At non ex fera aliqua, ſed dæmones in illarum forma, aſſumpto ſemine virili, tales homines genuiſſe, vel feras, aſſumpto ferarum ſemine; licet etiam difficile ſit, è fœmina naturaliter procreari feras, etiam emiſſo ſemine ferarum, ſed ſuppoſitii ſunt partus, dæmonis opera aliunde exportati. Faciliores ſunt creditu alii monſtroſi partus, ut feminæ bicipites, aut mares duplices conjuncti.

Tandem portenta divina plura narrantur in Sacra Scriptura, ut *Daniel* 5. viſio illa manus, ſcribentis in pariete *Mane*, *Thecel*, *Phares.* Et Chriſto moriente, viſus trium horarum ſpatio totus terrarum orbis tenebris offuſus, velum Templi ſciſſum, lapides colliſi.

Ex his recte inferimus, à monſtris, quæ à cauſis naturalibus proveniunt, nulla plerunque accipitur legitima divinatio. Quia nullam obtinent ſignificationem futurorum eventuum. Nam cauſæ naturales hujuſmodi monſtrorum non ſunt effectivæ futurorum eventuum, maxime dum fortuiti, & caſuales ſunt, aut à libero arbitrio dependentes, nec ſunt coeffectus. Quare vana judicanda eſt conſuetudo Gentilium qui à monſtris naturalibus futura prædicebant, ut ſi fœmina oriebatur biceps, ſeditionem futuram in populo, adulterium in domo, ubi nata eſſet. Si Leonem peperiſſet, ſignificaret, ut ab exteris gentibus debellaretur illa civitas, in qua id eveniſſet.

Quod ſi aliquando juxta divinationem evenerit, non præſignificationi monſtrorum attribuendum eſt, ſed caſui, aut dæmoni, qui eventus, quos jam futuros ex cauſis præcognoſcebat, aut conjiciebat, monſtrorum ſignificationi adſcribebantur. Servio Tullio dormienti caput arſiſſe, prodit Valerius *loc. cit.* Solinus *cap.* 2. Dionyſius *lib.* 4. Livius *lib.* 1. Quod fieri poſſe naturaliter ab igne, quem fatuum appellant, autumant Metheoriſtæ. Unde vane ac falsò à divinatoribus denuntiarum fuit, fulmine interiturum

Aliquando tamen Philoſophi ex rebus naturalibus inſolitis aliqua futura præſentiunt, ac prædicunt, Pherecides, Pythagoræ magiſter, cùm vidiſſet hauſtam aquam de jugi puteo, terræ motus dixit inſtare, fuitque divinus. Sic quoque inſolitus ranarum, murium, ac reptilium ortus peſtem futuram præſagire ſolet.

Monſtra verò, aut prodigia dæmoniaca nullam habent ſignificationem naturalem, præcipue circa fortuita, caſualia, & libera. Nam circa fortuita, caſualia, & libera nulla rerum corporalium efficacitas reperitur, à qua dependeat naturalis ſignificatio, Minime tamen negandum eſt, plura ex dæmonis ſignificatione Magis, & Ariolis manifeſtata ſignificare futura, ideoque ſuperſtitioſe, cumque invocatione dæmonum ſaltem implicita.

Ex jam dictis palam fit, aliqua prodigia, & portenta à Deo eſſe perpetrata ad ſignificandum aliqua futura, quæ tamen debent tantum juxta Dei manifeſtationem, quoad futuros eventus, interpretationem accipere, ne in vanitates, & ſuperſtitione incidatur. Quæ prodigiorum certa interpretatio pertinet ad Eccleſiam, vel ad Dei Prophetas. Unde non licet cuilibet curiosè futuros eventus citra Dei revelationem prædicere ob periculum vanitatis, ac temeritatis prædictionum. Licet tamen ex his concionatoribus populum fidelem corrigere iram Dei imminentem propoponendo ob ejus peccata. Oſtenta enim, & prodigia iram Dei manifeſtant juxta illud Pſalmi. 59. *Dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant à facie arcus* & Joëlis 2. *Dabo prodigia in cœlo*, ut ſæpe eveniſſe referunt Livius *lib.* 1. *decad.* 2. Dionyſ. Halicarn. *lib.* 4. Solinus *cap.* 10. Joſephus *lib.* 7. *de bel. Jud. cap.* 7. Plinius *lib.* 7. *cap.* 18. D. Auguſtinus *lib.* 21. *de civit. cap.* 14. Medina *lib.* 2. *de recta in Deum fide cap.* 2. Franciſcus Picus *lib.* 6. *prænot. cap.* 6. Valer. Maximus *lib.* 6. *cap.* 6. Sic ante excidium Hieroſolymitanum armorum ſonitus in aëre auditus, equites inter ſe præliantes viſi, voce auditæ, umbræ inſpectæ, quæ ruinam prædixerunt, ut refert Joſephus *ibidem lib.* 6. Apollonius *lib.* 6. *de excid. Hieroſol.* Joannes Saliſberienſis *lib.* 2. Polycrates *cap.* 4. Belenger *lib.* 5. *de prodig. cap.* 23. Machabæorum item 3. *cap.* 5. habetur per aëra equites viſos diſcurrere, auratas ſtolas habentes, & haſtis quaſi cohortes armatas, & curſus equorum, de quo idem Joſephus, & Ægeſippus *de eodem excidio lib.* 5. Quod & ſæpe alias evenit, ut ante bellum civile Auguſti & Antonii, teſte Virgilio *Georgic.* Vide alia in Diodoro Siculo *lib.* 3. *biblioth.* Delatorre *in prælud. diſp.* 3. *tom.* 2. 9. 95. Auguſtinum Niphum *lib.* 1. *meteor. cap.* 84.

Neque eſt diſſentanea hæc doctrina à ſuperius dictis. Sicut enim ſolent prædicta diſponi à Deo ad etiam atque etiam homines docendum, & commonefaciendum, ita à dæmone ad illos decipiendum. Imo & naturaliter aliqua eveniunt, ut dictum eſt, abſque ulla ſignificatione. Narrat Ælianus *lib.* 10. *cap.* 18. Leonum, arietum, pantherarum, equorum effigies in piſcibus in Tapobranæ mari conſpici. Quod recte declarat Majolus *colloquio* 4. his verbis: Ego verò pleraque vel à Deo ipſo, vel à Sanctis Angelis confici, conformarique exiſtimo, qui amore generis humani, quam ex æterno Deo didicerunt ideam, & faciem

ciem eventorum, his imaginibus delineatam nobis contuendam proponunt, non ut prævideamus, quod subterfugere, aut elabi nullo modo possimus, sed ut his admoniti, & de nostris cogitemus peccatis, & magnitudinem periculorum metiamur animis, & admonitiones, ac consolationes editas divinitus recogitemus memoria.

Idem dicendum de simulacris sudantibus, quemadmodum ante Leuctricam cladem, referente Tullio *lib.* 1. *de divinat.* Herculis simulacrum multo sudore manavit. Quod evenire solitum, cùm quid mali imminet, tradit Apollonius *lib.* 4. Imo quandoque non tantum sudare sed & lacrymare, ac gemere visa sunt in alicuius mali signum, etsi, docente Plutarcho *in vita Coriolani*, & Eusebio *p.* 2. *curiosæ Philosoph. lib.* 4. *cap.* 57. ex aere ambiente, vel alia causa naturali, non solùm lacrymas, sed etiam sudorem sanguineum simulacra emittere possint; Semper tamen, aut plerunque id provenit à causa spirituali, divina nempe, vel dæmoniaca in alicuius ingentis mali indicium, ut ante bellum Actiacum statua Marci Antonij, & ante bellum Mutinense simulacrum Minervæ sanguinem exsudasse scribunt Dio Cassius *lib.* 7. & Appianus *lib.* 4. *Civil.* Vnde ebur lacrymare inter dira prodigia numerabatur. Aliquando etiam phantasmata sunt ostensa, quæ cladem, vel sortem prædixere, ut ante Cæsaris obitum Ovidius *lib.* 15. *metamorph.*

Vmbrasque silentum
Erravisse ferunt.

Ante bellum civile Lucanus *lib.* 1. *Pharsal.*

Venientes cominus umbræ.

Quæ squalida, & pallentia apparuisse ait, Lucretius. *Sed quædam simulacra modis pallentia miris,* quem imitatus est Virgilius

Simulachra modis pallentiamiris.

Possunt etiam evenire meteorologicè, ac etiam divinitus, apparitiones multiplicati Solis. Meteorologicè quidem apud Titelmanum *in compendio naturalis philosophiæ cap.* 11. idque absque ulla miraculi ratione. Et testatur Plinius *lib.* 2. *cap.* 31. ac Surius anno 1514. aliique plures. Imo Torreblanca *lib.* 1. *epit. cap.* 5. refert, in Hispania eadem Sacratissima nocte Nativitatis Salvatoris tres soles apparuisse, quod ipse miraculo adscribit. Quoniam, ait, Hispania fuit melior portio hæreditatis datæ Christo Domino à Patre æterno psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Hispania, inquit, terrarum terminus est appellata, eo quòd in ea Orbis termini constituti essent. Hæc Torreblanca, nescio, an ambitiosè, an magnificè, an temerè. Contenditque ex eodem Titelmano fuisse meteorologicos ex naturali ad parelii meteorologici impressionem potestate. Ad Lunam etiam per parelia dari, licet Aristoteles id non dixerit, probavit Plinius *lib.* 2. *cap.* 32. refragatur Niphus, Pontanus tamen in suis meteor. Parelia prope solem fieri dicit, quando plures nubes ita collocantur, ut imago Solis ad Lunam perducta, aliam imaginem in aliam nubem imprimat & hæc rursus in aliam, & sic plures soles simul videntur, & dicuntur, signa tempestatis, de quo Aristoteles, Averroes, Amodæus Philoponus, & Conimbricenses *in meteor.* Testaturque Zonaras *tom.* 2. *cap.* 31. tres conspectos Romæ, de quibusdam aliis in Bosphoro Dionysius *lib.* 47. docetque Seneca *lib.* 1. *natural. quæst. cap.* 11. tot posse apparere soles, quot nubes fuerint aptæ ad exhibendam illius imaginem.

Divinitus etiam, ut legitur evenisse in vita B. Ambrosij Sansalonij ad ejus ortum, D. Thomæ, & B. Jacobi de Bevania. Sicut & dum idem Ambrosius concionaretur, flammei ex oculis splendores visi, & luminis divini radij ex ejus capite cœlitus affulgentes, ut habetur in ejus lectionibus. Et tamen etiam ad Marci Tullij pueri præsentiam ignis apparuit, qui forsan fuit ignis lambens. Pariter & terræmotus aliquando divini sunt, ut in morte Christi; nonnunquam naturales, plerunque verò iræ divinæ signa prædicantur, saltem minacia, ut tradit Hieronymus super Jsaiæ *cap.* 7. Vnde Evagrius *lib.* 2. *cap.* 12. ait sub Leone Jmperatore terræmotus mirum in modum Antiochiam concussit, quo tempore multi è populo insanierunt qui omnem belluinam feritatem induentes, præsagium futuræ calamitatis præbuerunt. Sic & maris exundatio divinam iram denunciat, cùm Deus mari posuit terminus suos. Ps. 31. & 103.

Prodit Paulus Diaconus *lib.* 10. *cap.* 1. maris inundatio in Sicilia, qua plures insulæ sunt absorptæ ob populorum peccata. In Juliani morte tot sceleribus fœdata, egressa sunt maria terminos suos apud Epidaurios, de quo Hieronymus in vita S. Hilarionis. Teste correblanca mare vomuit ignem, gelu duravit in vindictam peccatorum. Mons Vesuvius iram Dei denuncians, populorum pœnitentia placatur.

Magni terræ hiatus, quibus aliquando absorbentur urbes, plerunque in ultionem persequentium viros Ecclesiasticos, & inobedientium Ecclesiasticis Prælatis, decreto, ac imperio divino eveniunt. Id accidit Antiochiæ sub Theodosio, & Romæ sub Alarico, ut refert Nicephorus *lib.* 13. *cap.* 46. Sicut ad Dei vindicationem terra deglutivit Dathan, & Abiron ob denegatam Moysi potestatem *Num.* 6. Jeroboamo manus arida reddita fuit 3. *Reg.* 13. & Valentinianus Imperator Martinum Episcopum ad se adventantem dedignatus honorificè excipere, coactus tandem ad ejus pedes humiliter, ac reverenter accurrit, veniamque deprecatur, ab igne divinitus ex sella, in qua sedebat, excusso.

Romæ sub eodem Alarico maritimi fluctus perinde ac campi plurimum igne exardescere visi sunt, in signum, notante Nicephoro *lib.* 17. *cap.* 36. indignati Numinis ob Joannem Chrysostomum tyrannica potestate in exilium dejectum. Ob nefarium scelus divinus ignis absumsit Sodomam & Gomorram *Genes* 19. Inter signa quoque ac portenta divinæ ultionis enumerantur aquæ maris, fluminis, putei sanguineæ, ut obstinato Pharaoni *Exod. cap.* 7. simile tradit Livius *lib.* 27. Claudianus *lib.* 1. *in Eutrop.* & Ovidius 5. *metamorph.*

Quando etiam mare præter consuetum fervet præsertim cùm sonitu, aut fragore, divinam iram indicat. Unde id à Christo affertur, ut signum universalis judici, Lucæ 21. Et si enim maris accessus, ac recessus ex Lunæ motu simul cum primo mobili divina providentia circumvectis proveniant, docente Ptolemæo *lib.* 2. *cap.* 22. Strabone *de sit. orbis lib.* 3. D. Ambrosio *lib.* 4. *Examer. cap.* 7. *& D.* Thoma 2. *sent. qu.* 1. *ar.* 5. si tamen in excessu contingit tumor marium, quo extra tempus solitum fremant, Dei vindicta portenditur, cùm id ex ordine non accidat, sed ex ventorum insultibus in mare latentium. Unde Lucanus *lib.* 6. & Fracastorius *lib.* 1. inter prodigia id commemorat, licet non semper, sed minus sæpe miraculo sit adscribendum. Suapte natura enim evenire solet absque miraculo.

Eclipsis item Solis, & Lunæ nuturalis est, ut probant Astronomi, & tamen in morte Christi accidit apud omnes in signum calamitatis Judæorum, ut notavit Chrysostomus, Theophylactus & Hieronymus *in Matth.* 27. ac D. Thomas 3. *p. q.* 44. *ar.* 2. Eclipsis

etenim universalis naturaliter evenire non potest. Cùm nempe eveniat ex interpositione Lunaris globi qui longè minor est Sole, nequit universim ejus lux impediri, sed tantùm prodigiosè, ac virtute Dei, ut probant Conimbricenses *libro 2. capite 6.* Unde cùm in Christi morte tenebræ factæ sint super universam terram, id miraculo accidit, ut observavit Dionysius Areopagita epistol. ad Polycarpum. Idemque dicendum, cùm ante Augusti mortem totus Sol defecerit, & cœlum latè ardere visum, ut scribit Nicephorus *libro primo*, *capite* 17. Sic & sub Pharaone, Moyse operante divinitus, ut habetur Exodi *capite decimo*, & sub Alarico ita ingens extitit Solis deliquium, ut media die stellæ clarè inspicerentur, eodem Nicephoro scribente *lib.* 13. *capite* 36. Idipsum accidit Scipione adversus Annibalem propè Carthaginem pugnante, ac vincente, ut prodit Zonaras *tomo secundo*. Sicque inter prodigia id enumerari debet, quibus Deus homines ad commovendum utitur. Pestis quoque ex subterraneis exhalationibus sæpè exoritur, cujus contagio inficitur aër proximus, indeque tota regio, de qua Seneca *libro sexto natur. quæst. cap.* 28. Eadem à Deo, regnante Davide, in pœnam peccati immissa.

De Cometa autem, sive de sydere crinito, raro mundi spectaculo, variæ sunt sententiæ; eas leges apud Conimbricenses, Claramontium, Keplerum, Albertum, Plinium, Senecam, Aristotelem, Ptolemæum, Albumazarem, alios. Sunt ex Astrologis, suppresso nomine relatis à D. Bonaventura *in 2. d.* 14. *quæstione ultima* qui asserant, cometas physicè exitium summis Potestatibus portendere, quod derisit Vespasianus. Dum enim graviter infirmaretur, quibusdam de Comete inter se colloquentibus dixit, non mihi, sed Regi Parthorum mortem portendit. Ille namque comatus est, ego sum calvus.

Dicendum tamen est. Cometæ naturaliter sunt signa sterilitatis, famis, pestis. Nam exhalationum copia producit magnos, & parvos ignes diversimodè configuratos secundùm ipsarum diversam formam, ut modò conspiciantur flammæ, modò columnæ, modò lanceæ, modò stellæ palantes. Ex quo sequuntur siccitates, venti, sterilitates, fames, quia ex magna Solis, ac stellarum calefactione multa exhalationum copia ascendit, succus terræ consumitur, sicque sterilescit. Solentque bella significare ob multitudinem siccæ & calidæ exhalationis, quæ coleram excitat, nutritque, & ad iram, atque vindictam concitat. Exhalatio quoque illa crassa, ac viscosa, nimiumque calida reddit aërem venenatum, qui attractus humores corrumpit, ac intemperiem, vel epidemiam, aut alios morbos generat. Si verò hæc exhalatio liberè è terra ad aërem ascendat, magna illius pars relinquitur in media, & infima regione aëris à qua gignuntur venti. Si autem liberùm exitum è terra non habet illam concutit, terræ motusque excitantur. Ob siccitatem & calorem mortem minatur iis, qui biliosa & ardentiori sunt corporis constitutione, ut plerumque sunt Principes propter choleram non coërcitam.

Sæpè verò Cometæ supernaturaliter eveniunt ad præsignificandum mortem Principum, vel imminentem Reipublicæ calamitatem, ut resipiscant. Ideoque inspicitur versus illam partem comam diffunfundere, cui minantur, ut notat D. Bonaventura loco citato ex Damasceno *libro tertio de fide orthodoxa capite septimo*. Et profectò si Cometæ visuntur in octava sphæra, credendum est, divinicus accidere. Anno, quo Philippus Secundus Hispaniarum Rex supremum diem obiit, Cometes effulsit in Septentrione propè plaustrum, splendida, densaque cauda. Anno 1490. Cometes circa initium Arietis visus, & proximo anno Innocentius Pontifex Maximus moritur, & Alphonsus Lusitaniæ Rex, equo delapsus in florenti ætate absque liberis mortalitatem explevit. Anno 1558. die 17. Augusti Cometes apparuit in parte occidentali ad secundam Virginis faciem lugubri vultu, nempe Saturniæ naturæ, & proximo Septembri die 19. Augustissimus Carolus Quintus extremum vitæ spiritum edidit. Anno 1618. duo Cometæ visi in Hispania, quos sequuta est magna pestis in illa regione, & anno 1621. Philippus Tertius, Hispaniarum Monarcha, Paulus Quintus Pontifex Summus, Dux magnus Hetruriæ, aliique Principes vitam finiere. Belli, fuerunt ac pacis vicissitudines, mutationes, damna Rerumpublicarum. Contra. Plinius lib. 2. *Cometes in uno*, inquit, *totius Orbis loco colitur in templo Romæ, admodum faustus Divo Augusto judicatus ab ipso, qui incipiente eo apparuit ludis, quos faciebat Veneri genitrici non multò post obitum patris Cæsaris, in collegio ab eo instituto.* Hæc Plinius. Cometes hic natalem Christi Salvatoris prænunciasse creditur. Verè Tacitus annal. 14. *Cometes effulsit, de quo vulgò opinio est, tanquam mutationem Regni portendat.*

De Iride, sive de Arcu cœlesti, hic Genes. 9. à Deo constitutus fuit in signum fœderis cum humano genere, ad certiores faciendum homines, quod in posterum non erit ampliùs terrarum omnium eluvio. Non tamen defuerunt postea peculiares Cataclysmi. Unde quidam crediderunt esse opus divinæ potentiæ. Chrysostomus *homil.* 28. *in Genesim* diluvium appellat miraculum, refertque Carthusianus hoc ipsum sensisse Alcuinum, dicentem, nunquam fuisse Arcum ante diluvium, sed postea, dicente Scriptura: Ponam arcum meum in nubibus Cœli.

Communiter igitur asserunt Philosophi, ac Theologi, Iridem esse opus naturale à Deo institutum in signum suæ misericordiæ quod scilicet mundus universus non sit obruendus diluvio, sicut tempore Noë. Addimusque cum D. Thoma *quodlib.* 3. *art.* 30. Cajetano *in d. cap.* 9. Genesis ac Delatorre *in citata disp.* 95. *articulo quinto*, *disputatione tertia contra Pererium*, *Aversam*, *& nonnullos alios*, Iridem esse signum naturale diluvii universalis in propinquo non futuri. Nam Iris non generatur, quando Cœlum est densissimis nubibus obductum, sed dum Sol irradiat nubes minùs densas, & humidas, quas roridas appellamus. Diluvium autem importat pluviæ ac imbrium copiam. Ideoque docent Philosophi Iridem significare serenitatem. Illa autem evanescente, potest in aere congregari materia diluvii, sed quia naturaliter id brevi tempore fieri nequit, ideo, licet Iris, absolutè loquendo, non significet naturaliter, nunquam diluvium futurum, est tamen signum naturale non futuri in propinquo, ac proinde supernaturaliter tantùm significat; non amplius futurum diluvium universale ex institutione Dei, ex cujus potentia potest fieri permanente Iride, ejusque causa. Unde, supposita Dei promissione, quod nempe Iris apparitura sit crebro in omnibus futuris generationibus, illa erit signum naturale, nunquam futuri diluvii per causas naturales.

CON-

Consultatio LXXXVIII.

An & quatenus licita sit Prænotio agricolarum, pastorum, nautarum? Ubi fusiùs de prænotione decretoria Medicorum, Chirurgorum, aliorumve, ac Torreblancæ judicium exploditur.

Sixtus V. *in sua Constitutione adversus Astrologos* approbat Præsagia nautarum, agricolarum, ac medicorum, utpote naturalia: Hæc autem prænotio attenditur secundùm causas naturales, tum cœlestes prout sub tali cursu, vel situ existunt, tum sublunares, ut tradunt Aristoteles, Seneca, & alij. Rustica dicitur prænotio, quæ nulla arte, sed experientijs tantùm constat, quæ omnium sunt certissimæ, & ad præsagiendum apprimè idoneæ, ut docet Franciscus Picus *lib.* 1. *prænot. cap.* 3. *& alibi.* Unde Columella monet agricolas, & pastores attendere peculiariter syderum cursus, ac mutationes, quæ tempestatem ac serenitatem inducunt. Pensanda est etiam ex Plinio *lib.* 18. *cap.* 27. sympathia quædam quæ inferiora habent cum Sole, Luna, & stellis, quemadmodum heliotropium, ac lupinum cum Sole, magnes erga Septentrionem, quò ideo utuntur nautæ, qui ex eo didicerunt per Oceanum navigare, teste Solorzano *de jure Indiar. lib.* 1. *cap.* 11.

Præterea nautæ ex maris tumore, atque agitatione, præcipuè in fretis, tempestatem proximam præsagiunt. Cùm enim aquis minus liber remaneat fluxus, vehementius concitantur. Ideoque dictum est fretum à similitudine ferventis aquæ quòd in fretum sæpe concurrat æstus, atque effervescat. Quare effervescente, tumenteque statim unda, tempestas imminet, signum quòd venti latent, ut tradit Plinius *eodem libro cap.* 35. confirmatque Tullius *lib.* 1. *de natur. Deor.* Sunt & illic, ait Seneca *lib.* 3. *natur. quæst. cap.* 16. specus vasti, ingentes recessus, ac spatia, suspensis hinc inde montibus, Saxa sunt, abrupti in infinitum hiatus, qui sæpe illapsas urbes receperunt, & ingentem in alto ruinam condidere. Hæc spiritu plena sunt, qui modò huc collisus, modò illuc repercussus mare exagitat. Lege Aratum in prognostic.

Agricolæ autem ex ipsis arboribus & plantis temporum mutationes præsagiunt, ut ex fici ac mori foliis, & ex floribus amygdalinis, atque similium, proximum verem. Amygdalarum copia indicat fertilitatem anni, affluentiam annonæ ex Virgilio I. *Georg.* Rosæ, aut violæ sub autumno iterum pullulantes luem pronunciant apud Plinium *lib.* 3. *cap.* 26. Fructus quoque arborum præcoces apud eundem *lib.* 15. *cap.* 12. anni fertilitatem significant, serotini temporis calamitatem.

Experimentis etiam ac usu rerum comprobatur, inferiora ex naturali cœli cursu dependere, docemurque ex divino oraculo *Matth.* 16. facies cœli, solis, Lunæ, ac Syderum certissima esse signa serenitatis, ac tempestatis. *Vespere*, ait, *facto dicitis, serenum erit. Rubicundum est enim cœlum. Hodie tempestas erit; rutilat enim triste cœlum.* Rationem reddunt *Meteorici*, & Barrada *in concord. evangel. to.* 3. *cap.* 6. Bulenger. *lib.* 1. *divinat. cap.* 4. quia, dum nubes sole obliquo, & in occidente sito, non sunt opacæ, ac densæ, penetrantur lumine, ex quo rubent; estque signum deesse apparatum tempestatis. Contra, si sint densæ, à Solis radijs percussæ nigredinem præseferunt, ideoque tempestatem portendunt. Cùm autem sole Oriente aër est nebulosus, plerumque ad primum Orientis solis occursum dispergu[n]tur nubes, quæ tamen si sunt densæ, non dissipantur, sed excepti per eas radij solis videntur rutilare; quod est signum tempestatis.

Lunæ quoque sua non desunt prognostica. Si enim, quando renascitur, fuerit cornu obscuro, imbres indicat; si rubro ventos; si puro serenitatem. Si nigra, pallida, crassa, index est hyemis, ac pluviæ de quibus Varro, Aratus, Vegetius, Columella, Plutarchus, Plinius, Ptolemæus, Seneca, Virgilius 1. *ibidem.* Si autem Luna pura fuerit quarta die à suo coitu, cornibus obtusis, sed clarè micantibus, non tantum illa die quarta, sed omnibus aliis usque ad finem expers erit imbrium, qui per obscuritatem indicantur.

Verùm Astrologi observant potius quintam diem quia Luna cum Sole congressa in Cancro signo qui est eius domus, per cœlum evecta, quinto die accedit ad Leonem, qui est magni mœroris inter cœtera signa Zodiaci. Hispani etiam quintum diem observant. Aratus ex quarto & quinto prognosticon facit, juxta illud: quarta & quinta qualis, tota Luna talis. Quartum & octavum, ac plenilunium signum credit Theophrastus. Sextum ex vulgi opinione. Quartum Ægyptij. Lunæ autem nitor indicare serenitatem, ait Virgilius loc cit.

Nam neque tunc stellis acies obtusa videtur,
Nec fratris radijs obnoxiam surgere lunam.

Id est, dum talis cœli splendor præfulget, à nulla impeditur nubecula, & idcirco serenitas indicatur.

Nec mirum. Nam, ut docet Aristoteles 1. *meteor. cap.* 2. necesse est, mundum hunc inferiorem superioribus lationibus esse contiguum, ut omnis ejus virtus inde gubernetur. Omnia siquidem sublunaria à celestibus de fluviis pendent, ut à causa communi universali ex eodem Aristotele *lib.* 2. *de gener. tex.* 15. Unde possunt ex illis prænosci terræ fertilitates, aëris temperies, morbi, salus, annonæ pretium, anni eventus, & similia, nisi supputatio, vel instrumentum fallat, & non necessariò, sed contingenter etiam de ijs prædicant, cùm ex indispositione inferiorum impediri possint cœlestes constitutiones. Vnde hanc Astrologiam naturalem, ac divinam apertè commendat D. Thomas 1. *p. q.* 115. *&* 3. *contra. Gent. cap.* 80. *&* 2. *sent. d.* 15. *q.* 1. *ar.* 2. Averroes *lib.* 2. *de Cœlo com.* 42. Albertus *lib.* 1. *meteor. cap.* 12. Paulus Venetus *in compend. mund. cap* 22. Amadeus *lib.* 2. *de Cœlo q.* 1. *art.* 2. Philopon. *lib.* 1. *meteor. cap.* 4. Ioannes Picus *lib.* 3. *in astrol. cap.* 3. Franciscus Picus *lib.* 3. *prænot. cap.* 2. Anton. Mirandulanus *lib.* 22. *singul. certam.* Scaliger *in Cardanum exerc.* 18. *&* 75.

Rustica fœminarum prognostica sunt, cum scintillat oleum in lucerna, & fungos lumen eius excitat. Scintillat quidem, ut ait Aristoteles, non tamen ut favilla cum fumo egrediens. Causam affert Victorius *lib.* 33. *var. cap.* 21. Plutarchus *lib. de caus. cap.* 18. Bulengerus *de divinat. lib.* 1. *cap.* 5. quia scilicet ex aëris humidi crassitudine resident excrementa ista in lucernis. Qui plura de hisce ac similibus desiderat, adeat Autores citatos, & Vvimpinam *lib. de signis.*

Quod verò ad prænotionem decretoriam medicorum præter pauca antea dicta, tenendum est contra Galenum, Rofenum, alios. Luna non est totalis causa criticorum dierum. Id tradunt Joannes Picus, Aponensis, Cardanus, Manardus, Fracastorius Laurentius & communiter Astrologi, reclamantibus, Hermeticis omnibus, ac ipso Torreblanca, qui alios refert. Probatur. Quia crisis est motus humorum, natura secernente humores noxios à salutaribus, illosque ad excretionem

præparante. Luna autem id ex se sola præstare nequit. Nam vel motum hunc faceret ex se, vel ex alio. Neutrum autem dicendum est. Quoniam si ex se, non magis septima die moveret quàm octava. Quæ enim primò, ac per se insunt, semper insunt. Neque ex alio, ut oppositione, & quadratura. Quia tunc solùm moveret, cùm in illo aspectu, aut loco reperiretur. At contrarium experimur. Hodie namque incipit infirmari Petrus, cras Ioannes, uterque septimo judicabitur, cum tamen in eodem aspectu Luna non reperiatur. Confirmatur ex eodem Galeno *cap. 7. de diebus decretoriis*, testante se quadringentos homines acuto morbo oppressos æstate unico septimo die perfectè judicari inspexisse, cùm tamen in diversis diebus, & aspectibus cœperint decumbere.

Neque à numeris oritur distinctio dierum criticorum. Est contra Pythagoricos. Quantitas siquidem apud Philosophos nullam agendi vim habet. Numerus autem est quantitas discreta. Ipseque *loc. cit.* ait, *omnia, quæ de numerorum viribus Arithmetici nugantur, tam facilè absurda esse deprehenduntur, ut mirari mihi sæpe subeat, an sic Pythagoras ille simul & prudens fuerit, & simul numeros tanta posse existimaverit.*

Si etenim numerus per se vim obtineret decernendi, acuti morbi semper diebus imparibus judicarentur, nunquam paribus; Omnis enim par numerus fœmina est, impar verò masculus; acutorum ideo crises in imparibus fierent. At sæpe paribus judicantur & tum quia crisis motus est. Definitur enim mutatio subita ad salutem, vel ad mortem. Sed mutationes non à numeris proveniunt. Accidit quidem certis numeris, aut in numeratis dierum intervallis mutatio, quia motus omnis tempore perficitur. Definitur autem tempus ab Aristotele 4. *physic.* numerus, motus secundum prius, & posterius. Atqui numerus, quatenus numerus, nec agit in naturalia corpora, nec illa immutat. Ideo rectè Plinius *lib. 7. hist. nat. cap.* 40. contra numerorum vanitatem exclamat: Heu vana, & imprudens diligentia! Numerus dierum computatur, ubi quæritur pondus, alius de alio judicat dies, & tamen supremus de omnibus; ideoque nullis credendum est. Quid, quòd bona malis paria non sunt etiam pari numero?

Et tum quia quod est multa simpliciter, non est unum simpliciter, & communiter, nec unum est per se. Numerus autem est plura simpliciter apud Aristotelem *lib.* 1. *physic. cap.* 7. ubi ait, numerum esse una plura, & 10. *metaph.* numerum inquit, esse multa una. Ex duobus enim nunquam fit unum per se, nisi illa ad invicem uniantur unitate continuitatis, vel intensionis, aut unum sit forma alterius. Sed unitates, ex quibus coalescit numerus, neque adunantur inter se in aliquo uno continuo, neque vna unitas vere forma est aliarum. Non ergo est ens per se. Etenim si ex substantiarum unitatibus non fit unum per se, neque ex unitatibus quantitatum unum per se resultabit. Denique numerus, ut sic, ex unitatibus constat, quæ sunt negationes, seu privationes, atque adeo ens rationis; vel non entia. Unitas quippe omnis est quædam indivisio.

Falsa itidem est Astrologorum opinio, qui causas salutaris, & lethalis criseos adscribunt beneficis, & maleficis Planetis. Non ideo negamus, ab astris, præcipuè sole, omnia sublunaria dependere, tanquam à causa universali medijs causis particularibus efficientibus, materialibus, & juxta illarum dispositionem oriri effectum, ut ex D. Thoma 1. *p. quæst.* 115. *ar.* 3. & Aristotele, atque ex aliis dictum est.

Et licet dissentire videantur Picus *adversus Astrologos*, Torreblanca *lib. 7. cap.* 2. & Andreas Laurentius *de crisib. lib.* 3. *cap.* 6. dicens, nunquam è cœlo, sed à materia elementari cum vitio proprio, nunquam inferiorum corporum tumultus à cœlo sunt, sed à materiæ motibus inordinatis, cœlestis harmoniæ non obsequentibus. Et rursus. Quæcunque in sublunari regione contingunt mala, tumultuantis potiùs, & deficientis materiæ opera sunt, quàm benigni Cœli. In cœlesti illa harmonia, quæ ex luminum omnium conspiratione resultat, omnia perpetuo consonant per eam nihil in sublunari mundo unquam dissonat. Quod si asperum, & discors quidpiam audiatur, id ad cœli tactum referri non debet, sed ad quatuor istas sublunaris cytharæ chordas. Ideo ex Hippocrate *in epit.* furor est, benignam cœli virtutem maleficii accusare, nec defectu naturæ morborum medicatrice apud Hippocratem hæc eveniunt. Non fiunt, ait Philosophus, monstra facultatis informantis errore, sed materiæ solius, quæ qualitate, aut quantitate peccat vitio.

Attamen idem Laurentius *in fine cap.* 8. *ejusdem libri* ipseque Torreblanca, experientia tum edocti, tum victi consensum præbent doctrinæ communi de influxu cœlesti in hæc inferiora, dum Lunæ maximas in hæc inferiora vires non negat, sed quicquid præstat, id lumini tantum, & motui referendum putat. Etsi nec videatur in subsequentibus attribuere virtutem per se cœlis, dum ait, quod crescentis Lunæ tempus plantationis sit opportunum, hoc ideo contingit, quia largiora semina humore cibata velociùs adolescunt, decrescentis verò lunæ tempus cædendis arboribus ideo est commodum, quia tunc luna siccior. Et *citato cap.* 6. ait: Astra quidem omnia lucida sunt, & ideo calefacere, necesse est. Lux quippe omnis apud Philosophos calefacit. Syderum omnium una est, eademque lucis origo. Nam ex D. Thoma *dec.* 4. secundum constellationes, ac Lunæ mutationem sublunaria eveniunt; ideo dæmones possunt effectus præstantissimos agere sub certis constellationibus, etiam gigantes generando. Quinimo dicimus particulares virtutes inesse stellis, & planetis, ut Saturno refrigerandi. Neque est inconveniens, ut causet Laurentius, multiplicem virtutem in eodem subjecto homogeneo reperiri, ut sol indurat lutum, liquefacit ceram.

Neque hoc est favere Astrologiæ judiciariæ, ut existimat Picus, sed causam adæquatam stellas statuere ita, quod per illas tantum Genethliaci contendunt judicare de singulis futuris. Quod reprobamus. Credunt enim quemlibet Planetam esse autorem alicujus infirmitatis, ut Saturnum quartanarum febrium, lepræ, cancri, strumarum, melancholiæ, hœmorrhoidis. Iovem cephalalgiæ sanguineæ, apoplexiæ, febris ephemeris. Venerem morbi gallici, priapismi, gonorrheæ. Et sic de alijs. Imo non tantum Planetis, sed & signis singulis Zodiaci, quibus Græcia numeros, & nomina fecit, morbos diversos adscribunt, & cum Abrahamo Abenazar septem esse mundi gubernatores, per cœlos, tanquam per instrumenta oberrantes, coacervatis stellarum omnium influentijs comminiscuntur. Nam videmus quotidie diversos exitus in morbis simul inceptis, & sub eadem constellatione ob diversum humorem, ac diversam dispositionem, & constitutionem subiecti, ut alij sint senes, alij juvenes. Sanguinei alij, alij melancholici in aliquibus abundat humor, in alijs minimè. Quare narrat Cornarius *libel. de diæta*, quod confirmat

Lessius

Lessius in libello ejusdem argumenti, multos ex suis consanguineis pluries morbo correptos ob aëris intemperiem, nunquam ipsum, quia non abundabat humoribus ob dictam continuam duodecim unciarum cibi, & quatuordecim potus. Unde ambo fermè ad centenarium pervenerunt, cùm tamen trigesimo quinto, postquam inceperunt diætam observare, malam corporis constitutionem haberent.

Minùs etiam humori melancholico tantùm, eo quod moveatur quarta qualibet die, Crisis adscribenda est, ut adstruit Fracastorius. Nam illius dicendi modus, experimento, ac rationi, quibus dies critici inventi fuerunt, adversatur. Non enim Heraclides, Hippocrates, Archigenes, Philotimus, Galenus, aliique medici unquam observarunt decimum diem, decimum-sextum, & decimum-nonum inter verè decretorios, ac primi ordinis reperiri; neque octavum, & decimum-quartum, nec ejusdem esse ordinis quisquam expertus est. Nec quisquam veterum vigesimum-secundum, & vigesimum-octavum decernere unquam voluit. Enimverò in tertiana febre sola bilis putrescit; in quotidiana sola pituita; in quartana solus melancholicus humor. Accenduntur quidem omnes, si eorum alter flammam conceperit, sed solus humor qui paroxysmum generat, putrescit; alioquin spuriæ essent omnes intermittentes, nulla unquam exquisita tertiana. Non unus igitur humor putrescere potest, quin & alii omnes eandem statim contrahant labem, ut censet Fracastorius, sic omnium intermittentium, & paroxysmorum naturam funditus evertens. Quòd si humoris melancholici coctio semper requireretur, nunquam die tertio crisis accideret. Quia melancholicus humor quarto duntaxat die agitatur. At sæpè tertio die judicantur infirmitates extremæ peracutæ & tertius dies primus intercidentium recensetur à Medicis universis.

Dicendum itaque est. Criticorum dierum causa materialis sunt humores, efficiens universalis cœlum, præcipuè Luna, particularis natura, vel virtus, aut calor insitus. Id docet Rostenus agens de climactericis in hæc verba: *Præterea quemadmodum dies decretorii naturam hominis, insitumque calorem pro agente causa interna habent, pro materiali humores, qui morbos progignunt, pro externa agente causa ambientis temperiem, ac mutationem, ad principium morbi relatam, ac demum Lunam, illius mutationis causam, ita & climacterici anni, & mutationes, quæ in illis fiunt easdem quoque causas habent. Item sicut septenarii dies maximè potentes sunt in morbis judicandis, ita & septimi quique anni in judicanda hominis vita, maximam vim habent. Insuper sicut dies decretorii per quaterniones progrediuntur, ut meritò scripsit Hippocrates, auctos morbos per quatuor, aut viginti terminari, ita & anni climacterici. In climactericis fit tantùm progressus in primis septenariis. Quia in his natura magis valens, potens, ac mobilis est, & semper per septenarios sejunctos, ac integros fit computatio. In diebus verò criticis aliquando septimanæ integræ non accipiuntur.*

Id autem patet, quia quod tardior sit, aut celerior crisis, hoc partim humori, partim naturæ patientis, vel calori efficienti causæ tribuendum est; sicut quòd nunc pari, nunc impari die eveniat crisis, ad humorem tantum peculiariter refertur. Quod autem septenariis duntaxat perfectæ & salutares crises complectatur, id efficienti, non materiali tantùm concedimus. Nam celeritas, & tarditas criseos materiæ dispositionem, & efficientis efficaciam comitantur. Humor siquidem si temperamento est calidus, substantia tenuis, & qualitate benignus, facilius à natura domatur, citius coquitur, & excernitur. Si crassus, frigidus, & contumax, difficilius.

At hisce sic probè constitutis objicit Torreblanca, quod sit absurdum Planetas maleficos existimare. Ut enim ait Plato in Timæo, omnes stellæ divinæ sunt ac bonæ, nec quicquam faciunt mali, nec ulla malefica est. Cumque omnia sydera plena sint cœlestis sapientiæ, malitia ex dementia oriatur, quomodo convenit dicere maleficas esse stellas? Nam si in corporibus cœlestibus aliqua esset malitia, vel astra aliqua maligna qualitate essent prædita, necessariò corrumperentur. Quod erroneum est ex Aristotele *libro nono metaph. capite decimo.* Non igitur quidquam in his, quæ perpetua sunt, malum est, neque error, neque corruptio. Etenim corruptio de malis est. Unde Averroës *in com.* 19. impossibile, ait, est creditu, quod Astronomi dicunt stellas quasdam fortunatas esse, quasdam infortunatas. Nam cùm Astra, sive sydera cœlestia sint corpora simplicissima, malum neque illis esse, neque ab eis emanare contendunt idem Aristoteles *lib.1. de Cœlo, c.9.* & ipse Averroes ejus interpres *com.* 19. *&* 21. *& lib.* 3. *com.* 25. Gaspar. de Villalpando *to.2.* & Joannes Heutherus *in prognostic. med. cap.2.*

Quare Valeriola *in appendic. ad librum tertium de loc. com. capite secundo,* desinant, inquit, Astronomi, & qui eos sequuntur parum cordati medici, nobis suis fallaciis, technisque imponere, graveque facinus arbitrentur malum Cœlo, ac astris tribuere, unde bona ad nos omnia, ceu à fonte purissimo manant, illudque cogitent, veras non esse, quæ de hisce rebus traduntur Astronomorum regulas, prorsusque fallaces. Nam neque dierum criticorum ratio à Luna, aut ab astris pendet, sed à corporis temperamento, ac morbi symptomatibus, ut non uno in loco docet Hippocrates *libro primo epidemiar. & libro secundo, sectione secunda, & prognost.* 8. *sectione secunda*, Galenus *de crisib.* S. Bonaventura, & alii relati à Codronchio *libro secundo, de morb. venef. capite sexto,* Joannes Langius *epist.* 35. Petrus Forestus *tomo primo enarrat. medic. libro primo, observat.* 22. Andreas Laurentius *libro* 3. *de crisibus capite sexto.* Joannes Heurnius *in prax. medic. libro tertio, capite nono.* Quapropter non astrorum in morbis seriem, sed ipsam morborum speciem vim, atque hominis naturam inspicere medicum jubet Hippocrates *lib.* 2. *de ratione vict. acut. tex.* 38. & apertiùs *lib.* 4. *præsag. tex.* 39. Nihil ex astris in morborum curationibus, & dignitatibus petendum, sed magis ex his, quæ natura constant theorematibus medendum. Nam si Luna, aut astra criticorum dierum causæ essent, proculdubio omnes, qui eo die in morbum inciderent vel salute adepta liberarentur, vel morte rapti succumberent, quod cùm falsum experiamur, crises, nec à Luna, neque ab astris pendere, docet Joannes Picus adversus Astrologos *cap.* 16.

His tamen minimè attentis, asserendum omnino est contra Torreblancam, aliosque, cœlos influere in hæc inferiora corpora. Unde cessante motu cœlorum post supremum judicium, cessabit omnis motus inferiorum. Fateturque D. Thomas *lib.*3. *contra Gent. cap.*84. post Augustinum, & Damascenum constitutiones humanorum corporum ex constellatione cœli haberi, dispositione etiam supposita in materia. Quare aliquos benè natos, aliquos malè natos dicit. Ejusdem sententiæ fuit Augustinus *lib.*5. *de civit.* quod scilicet dispositio corporis humani subjaceat cœlestibus motibus, quodque non usquequaque absurdè dici potest, ad solas corporum differentias afflatus quosdam valere sydereos. Idipsum pariter docet Damascenus *lib.*2. quòd nempe alii, & alii planetæ diversas dispositiones, diversosque habitus in nobis constituunt. Adstipulatur Avicenna *lib.*1. *fœn.*1. *doctr.*3. *cap.*1. *& fœn.*2. *doctr.*2. *cap.* 8. ubi secundùm diversitatem climatum diversas, sortiri

sortiri homines complexiones, quæ à Solis, ac stellarum causa proveniunt, tradit. Quod planè experientia constat.

Pergamus nostra confirmare rationibus, & argumentis, imò & autoritate D. Thomæ, quem omnibus antepono, quique si rationem non redderet, autoritate tamen vinceret; at nunquam sine ratione pugnat. *Loco citato contra Gentes cap. 69.* docet, omne agens in his inferioribus, ad formam agere in virtute cœli. Comprobat *qu. 5. de verit. art. 9. ad 3. & qu. 3. de potentia art. 7.* sæpeque *alibi*, *& 2. 2. qu. 96. art. 2. ad 2.* tradit, quod omnis virtus generalis, vel specialis inferiorum reducitur ad virtutes cœlorum generales, vel speciales. Idipsum ait, *in 2. d. 15. qu. 1. art. 1. & d. 1. qu. 3. art. 1. & 3. & in eodem lib. 2. d. 2. qu. 1. art. 3.* asserit, quòd eadem virtus cœli disponit ad formam elementi, misti animæ vegetabilis, sensibilis, & rationabilis. *Et opusc. de mirand. nat.* multas rerum miras proprietates astris adscribit. Ideoque cœlum in Universo, ait esse sicuti cor in animali, solumque subtrahit à causalitate cœlorum effectus per accidens contingentes in humanis, & naturalibus, & actus liberi arbitrii *2. 2. qu. 95. art. 5. in corp.* Eadem repetit pluribus in locis.

Respondendum restat Torreblancæ objectionibus. Piper, & vinum calefaciunt stomachum, & tamen aliquando frigida sunt formaliter. Sufficit ergo tantùm virtualiter continere calorem. Basilicus occidit alios veneno, non seipsum. Vetulæ pueros inficiunt, non seipsas, quoniam ad id non sunt aptæ, sicut pueri. Deus ipse mortes, infirmitates, fulmina, mala omnia pœnæ permittit, ex quibus non sequitur Deum malum esse, sed infinitè bonum. Futilis ergo est illatio, quod si sydera essent malefica virtualiter, essent in se, ac formaliter malefica & corruptioni subjecta. Quod solùm negant Plato, Aristoteles, aliique allegati à Torreblanca. Ideoque mediam sententiam amplexi sumus, crisim non tantùm astris, sed etiam ægri dispositioni, aliisque circumstantiis adscribendo. Cætera, quæ subdit pugnant cum sensu communi.

Consultatio LXXXIX.

An & quatenus licitum sit prognosticon Medicorum ex signis circa ægritudines? Et an origo morbi Venerei ab astris proveniat?

AD primum. Hippocrates ille Cous, totius Orbis protomedicus, rectè admodum scripsit, si sufficiat Medicis ad cognoscendum, sufficiet ad curandum. Futuros enim morborum eventus prævidere, admirabile est, & quasi divinationi proximum, maximam & longiorem prærequirens contemplationem, & praxim. Hujus rei doctrina tres continet partes, agnostica, diagnostica, prognostica, de quibus idem Hippocrates sparsim. Hinc Medicinam & vaticinationem plurimùm inter se cohærere, tradit epist. ad Philopen, & prosequitur Galenus *lib. 1. de arte med. cap. 18.* Unde Huarte *lib. de exam. ingen.* ita describit medicorum conditiones: *La qual conbida al hombre à ser hechizero, superstICIoso, mago, embaidor, chiromantico, y adivinador, porque las enfermedades de los hombres son tan occultas,, y hazen sus movimientos con tanto secreto, que es menester andar siempre adivinando.* Ideoque medici olim quasi mortales Dii & crediti & habiti sunt, teste Valeriola *lib. 1. locor. commun. cap. 1.* Nos hîc tantùm agemus de prognosticis, de quibus Andreas Laurentius, ex quo Torreblanca *lib. 6. jur. spirit. cap. 8. & 9.*

Prognostica omnia è duobus, veluti fontibus medici venantur. Ex morbi, in quo eventus quæritur, & ex ægrotantis natura. Prognostica ex morbi natura indigent exacta cognitione omnium morborum, quoad speciem, magnitudinem, morem, & motum. Prognostica ex ægrotantis natura sunt ex qualitate corporis, ex actionibus, ex excrementis. Qualitatem, habitumve contemplatur Hippocrates in colore, in figura, in mole totius, præsertim faciei, quæ primum sese offert medico. Apud Galenum laudabilis est naturalis color cum decore. Lividus color perpetuo lethalis judicatur. Oculorum venæ liventes pessimæ. Palpebra livescens lethalis. Quæ livent in febribus mortem in propinquo esse significant. Lingua livida, mortale. Niger color idem ferè periculum comminatur. Pejus tamen est, partes livere, quàm nigrescere; quia nigredo interdum accidit ob decubitum humoris atri. Sic sæpè urinæ nigræ emittuntur. At livor nativi coloris extinctionem perpetuò arguit.

Considerant deinde Medici actiones omnes, explorata jam corporis qualitate, tam animales, quàm vitales, aut naturales, quas Medici distinguunt, & describunt. Actuales aliæ dicuntur à Galeno motrices. Aliæ sensitivæ. Aliæ principes. Sensus autem alii interni, externi alii. Quæ omnia percurrendo signa prognostica considerant.

De pulsu, ac respiratione hæc observantur. Ex pulsu quidem salutis, & mortis certissima petuntur indcia. Pulsu nanque constante, nemo obire potest. Solus hic vitæ, & cordis fidelis est nuncius. Pulsus ergo magnus, vehemens, validus securitatem perpetuò promittit. Languidus verò, debilis, & parvus imbecillæ facultatis est index. Inæqualitas pulsus, si perseveret, est malum signum. Intermissio juvenibus periculosissima. Repentinum siquidem illis obitum comminatur, nisi ex arteriarum obstructione & oppressione oriatur. Minùs pueris, minimè senibus.

Respiratio autem, cùm ad vitalis facultatis subsidium subministretur, illius quoque robur, necnon constantiam demonstrat. Hippocrates *in prognost. & in epist. aphor. 24. sect. 1.* multa huic instituto tradit, præcipuè, quod respiratio facilis, & libera in cunctis morbis acutis præclarè semper ad salutem apparet, sicut & respiratio frequens, & parva aut dolorem, aut inflammationem partium diaphragmate superiorem indicat. Respiratio autem magna, & ex longis intervallis delirium annuntiat. Interitus autem jam adstantis signum est respiratio parva, minutula, & rara.

Prognostica ex excrementis expostulanda sunt universim ex sudore, ex urinis, ex dejectionibus, & vomitionibus. In sudore consideratur quantitas, qualitas, tempus, excernendi modus, & locus. Quoad quantitatem, nullus, & paucus est criticus, sicut quod nimius est damnatur. Quod enim paucus excernitur, aut malignos, aut plures humoris naturæ dominatu regi non posse, aut summam naturæ fatiscentis resolutionem significat. Item qui ex rigore perfrigidi exiguo sudore madenr, ut se collegerint, moriuntur. Qui leviter exsudant in febre, malignè habentur. Qualitas sudoris consideratur in calore, & frigore. Debet salutaris, & criticus sudor calidus esse, non frigidus. Frigidi sudores cum acuta febre mortem, cum mitiori, morbi longitudinem significant. Tempus sudoris est dies criticus. Qui enim aliis diebus erumpunt, suspecti esse solent. Sudores febricitantibus boni qui manare cœperint die tertio, quinto, nono, undecimo, decimoquarto. Qui verò non ita fiunt laborem & morbi longitudinem, & recidivas ostendunt. Excernendi modus maximè etiam spectandus est. Debet confertim, non sensim & paulatim erumpere sudor. Qui enim sensim stillat ab exsolutione est. Qui confertim ab excretione. Postremò locus sudoris consideratur. Bonus ille est, qui

per

per totum corpus effluit. Pravus, quo caput tantum, cervix, & claviculæ roris instar exsudant.

Ex urinis etiam certissima coctionis, aut cruditatis, salutis, aut mortis petuntur prognostica. Coctionis, & cruditatis primò & per se. Quia urina hepatis, & venarum est excrementum, salutis, & mortis per accidens. In urinis duo considerantur. Liquor, & contenta. In liquore tria sunt spectanda. Substantia, quantitas, qualitas. Substantia, aut tenuis est, aut crassa, aut mediocris, eaque vel perspicua, vel turbulenta. Urina tenuis, vel est cum febre, vel sine febre. Quæ sine febre, meatuum tantùm urinæ dicatorum, aut hepatis, lienis, & viscerum obstructionem arguit, nonnunquam etiam paroxysmum epilepticum minatur iis, qui morbo obnoxii sunt. Quæ est cum febre, cruditatem in universum arguit, & si summa adsit virium imbecillitas, mortem, aut periculum ingens minatur; si autem constent vires, morbi longitudinem, aut abscessum imis in partibus prænuntiat. Crassa urina talis est, aut moderata, aut in excessu. Quæ moderatè crassa est, laudatur. Arguit enim caloris nativi robur, cujus imperio congregatur. Quæ crassissima est, dolores, abscessus pravos, morbi longitudinem, recidivas prænunciat, quia vel propter nimium calorem, vel propter immodicum frigus, vel ob partium diversæ naturæ confusionem, talis evasit. Urinæ perturbatæ in febre acuta cum virium robore diuturnitatem, cum imbecillitate mortem denunciant. Quod si perturbatæ mingantur, & tales remaneant, sintque jumentorum similes, dolorem capitis, delirium, convulsionemque præsagiunt.

Prognostica ex urinarum quantitate hæc sunto. Copiosa urina si ab evidenti causa non fiat, vel à naturæ motu, ut in perirrhœa critica contingit, semper prava est, & ut signum, & ut causa. Ut signum, quia vel humoris crudi abundantiam, vel renum calidiorem intemperiem, aut eorundem exsolutionem, aut denique totius corporis colliquationem indicat. Ut causa, quia vires dejicit, spiritus, nativumque calorem dissolvit. Pauca urina sine febre, aut meatuum urinariorum obstructionem, aut excretricis, aut secretricis renum facultatis imbecillitatem arguit. Cum febre acuta, si nulla sit excussio sudoris critici, mox erupturi, aut maximum indicat incendium, serum exhauriens, aut serosi humoris translationem symptomaticam ad superiores partes. Utraque causa lethalis est.

Qualitas urinarum in colore potissimùm, & odore spectanda est. Colores aut extremi sunt, aut medii. Extremi duo. Albus & niger. Intermedii quamplures. Albus color sine febre nihil lethale præsefert. Cum febre periculosus est. Quia vel summam nativi coloris imbecillitatem ostendit, vel universæ bilis translationem ad caput, vel magnum hepatis incendium, quo sanguis unà cum bile absorbetur. Urinæ nigræ si tales sint generatione, perpetuò sunt lethales. Quia vel nativi caloris exstinctionem denotant, vel maximum incendium omnia torrefaciens. Si tales sint permistione humoris atri, salutares aliquando, & criticæ esse possunt. Urina prærubra, si talis sit ab inflammatione seri, initio morbi longitudinem arguit, in statu mortem. Si rubra sit, bilis permistionem, aut hepatis inflammationem denotat, aut ductuum vesiculæ felleæ obstructionem. Si talis sit permistione sanguinis, cruentam vocant, aut est ab universo corpore, aut à renibus, & vesica. Ab universo corpore ob plethoram, vel suppressionem solemnis vacuationis, aut mensium, hæmorrhoidum. Si à renibus, id per anastomosim, diapedesim, & diæresim contingere potest, ab erosione, & ruptione, periculosa est.

Quoad dejectiones, & vomitiones quinque observantur. Substantia, qualitas, quantitas, tempus, & excernendi modus. Quoad substantiam, optimum est excrementum alvi molle, cohærens, & moderatè crassum. Aquosum autem valdè, & liquidum, pravum. Album, aut viride, aut vehementer rufum, aut spumosum, pravum est. His verò magis lethalia fuerint nigra, aut pinguia, aut livida, aut æruginosa. Copia cibo ingesto proportione respondere debet. Quin & pro copia ingestorum excernere oportet bis, aut ter in die, noctu verò semel, sed plura manè, quemadmodum consuetum est homini. Frequens etiam, & plurima vacuatio est periculosa. Vomitus autem ille commendatur, qui pituitam promet accuratè mistam cum bile, qui neque multum crassus, neque multus. Vomitus porracius, niger, ac lividus pessimus. Est quoque lethalis rubor vomitus, maximèque si ægrè vomatur. Si autem omnes colores idem homo vomit, valdè perniciosum existimatur. Hæc de excrementis communibus quibuslibet morbis. Particularia cerebri, oculorum, aurium, thoracis, ventriculi, intestinorum, renum, & uteri legetis apud medicos, præsertim, Hippocratem, Galenum, & Laurentium.

Ex his omnibus assero. Licitum est prognosticon de exitu morbi ex dictis signis prudenter considerantis. Sunt enim experimento comprobata, rationi consona, à sapientibus edocta, qui rationes naturales illorum afferunt; unde vanitatem aut superstitionem nullo modo redolent. Secus esset si Medici per vanitates astrologicas illud inquirant.

Nec abnuimus, scientiam, vel artem medicam, etsi habeat physicas rationes, ex quibus conclusiones suas demonstrat, in applicatione tamen, & praxi esse valde conjecturalem, cùm intra corpus non inspiciant medici. Quare D. Thomas qui diligenter acumine suo omnia vidit, inquisivit, scrutatus est, *in 2. dist 15. qu. 2. art. 3. ad 4. & lib. 3. contra Gentes cap. 84:* docet, quod medici judicant, aliquem esse invidum, vel tristem, vel lascivum. Quorum judicia frequenter vera sunt, quia plerumque ratio passionibus succumbit, & ab illis deducitur, quamvis non necessariò, quia ratio passionibus imperat. Non tamen medici ita conjectant ex astris, sed ex humoribus, temperamento, urina, pulsu, physiognomia naturali. Neque possunt judicare de actibus liberis, sed de propensione, vel dispositione generali. Nam idem D. Thomas *locis alibi adductis ac præcipuè art. 36. opusc.* 11. docet, posse dæmonem cognoscere cogitationes hominum, quas comitantur aliqui motus corporales. Ideoque Augustinus *lib. de divinat. dæmon.* ait, hominum dispositiones dæmones non solùm voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas conjicint, quæ dum ex animo exprimuntur, in corpore tota facilitate perdiscunt. Et *lib. retractionum* inquit: Dixi hoc audaciori asseveratione, quam debui. Nam pervenire ista ad notitiam dæmonum per nonnulla, etiam experientia compertum est. Sed utrum signa quædam dentur ex corpore cogitantium illis sensibilia, nos autem latentia, aut alia vi speciali cognoscant, hoc difficillimè potest ab hominibus, aut omnino non potest inveniri. At si spirituali vi cogitationes cognoscant, multò magis motus corporales, ex quibus etiam homines interdum interiores dispositiones cognoscunt: Unde secundùm non excludit primum, sed ampliùs dicit. Solas autem species quæ in phantasia existunt, non reputo sufficientes ad hoc, quod dæmon humanas cogitationes cognoscere possit. Quia homo vi rationis, ac liberi arbitrii potest una specie in imaginatione conservata, multipliciter uti ad diversas cogitationes, vel omnino actu non uti.

Ex his D. Thomas *art. 38. opusc.* 10. curiosè quærit, an homo possit videre oculo mentis omnia, quæ

aguntur in corde hominis, habentia impressionem exterius in corpore, si haberet visum acutum, ut dæmon? Respondet affirmativè, si signa quædam darentur ex corpore cogitantium, illi sensibilia. Neque hoc est mirum, subdit ad rem nostram, cùm etiam subtiles medici per pulsum deprehendant interiores animæ passiones. Et hac ratione Erasistratus excellentissimus Medicus cognovit Antigonum, filium Seleuci amore captum vehementi erga Stratonicam, suam novercam. Verùm, ut docet idem D. Thomas, incertius est judicium, vel conjectatio Astrologorum. Quia ex remotioribus, quàm Medici. Utrique non discursu vero, & syllogismo. Opponuntur enim conjectatio, & syllogismus propriè dictus.

Ad secundum. Astrologi originem morbi venerei referunt ad astra. Nam, inquiunt, anno 1484. certa constellatio, & conjunctio fuit Martis, Jovis, & Saturni, quæ præsagium fuit futuræ luis venereæ, quæ à Medicis vocatur Variola magna quòd instar variolarum passim pustulæ, & tubercula erumpant; ab Hispanis, & Italis morbus Gallicus, quia Galli primum eo morbo affecti fuerunt in obsidione Urbis Neapolitanæ, regnante Carolo VIII. Francorum Rege, ideoque à Gallis appellatur morbus Neapolitanus, vel magnus variolus, ab aliquibus morbus Indicus, quia contendunt Galli, nominatim Andreas Laurentius *tract. de hoc morbo*, originem traxisse ab Indis Occidentalibus, quem Hispani suis navigationibus acquisitum, ad nos attulerint. In illis enim partibus morbus hic non minùs frequens est, ac usitatus, quam apud nos scabies.

Rerum Indicarum scriptores referunt in ea Americæ parte, quæ longitudine in Septentrionem desinit, & quam Floridam appellant, morbum hunc multis retrò seculis epidemicum fuisse, & plurimos repente absque evidenti causa sine contagione, ac siquis saltem cum muliere, cùm menses fluunt, concubuerit, populariter invadere, ac corripere, scribunt. Fracastorius etiam Syphilidem appellat. Nonnulli Pudendagram. Plerique hodie sine ullius nationis injuria, & infamia Luem Veneream nominant, quod ex Venere, & concubitu cum impuris per contagium imprimis contrahatur.

An autem morbus iste novus circa annum 1494. ad Neapolim exortus, an verò antiquis etiam cognitus fuerit? Franciscus Vallesius 1. *epid. com.* 1. & Hieronymus Reusnerus *de scorbuto exercit.* 1. & alii quidam recentiores, luem hanc antiquis non fuisse ignotam existimant, eamque Hippocratem 3. *epid. sect.* 3. (verba sunt Reusneri) non penicillo adumbrasse, sed vivis coloribus depinxisse putant, cùm varia ibi recenseat symptomata, quæ in lue Venerea conspiciuntur. At ne somniavit quidem Hippocrates eò loci de lue Venerea, sed pestilentiam longè gravissimam describit, Galeni, & omnium Interpretum judicio, & ipsa historiæ evidentia teste.

Annotavit etiam Dodonæus *in Benivenium de abdit. morborum caus. cap.* 1. ab immundis, & sordidis mulieribus jam olim nonnullos vitia quædam contraxisse, testari Gulielmum Salicetum, Gordonium, & Vallesium de Taranta, quorum hic vixit anno 1418. Salicetus verò claruit anno 1270. Gordonius medio tempore. Imò Sacræ litteræ testantur, eum, qui scortis adhæret, vermes, & tineas pro mercede reportare. Verùm non puto, quod illi morbi iidem cum lue Venerea hodierna fuerint, quæ dicto tempore in Italia in castris Gallorum primò innotuit. Ideo etiamsi Paracelsus *lib. de tumoribus & ulceribus morb. Gallic. cap.* 3. anno 1478. *& lib.* 1. *de caus. Luis Gall. cap.* 3. anno 1480. accidisse hoc scribit, tamen ab omnium aliorum relationibus discrepat, cùm in eo omnes conveniant, hunc morbum ante annum Christi 1493. Europæ notum non fuisse, etsi in India occidentali jamdiu ante endemius fuerit, atque ab Hispanis ex India in Italiam illatus sit.

Cùm enim Christophorus Columbus anno 1492. mense Septembri primam navigationem in Indiam occidentalem suscepisset, atque biennium ferè in eo itinere consumpsisset, rediit in Hispaniam anno 1494. cujus milites cum morbo illo in India infecti essent, & postea in Italica expeditione stipendia facerent, morbum hunc disseminarunt. Nam, ut de hac re Gabriel Fallopius *de morb. Gall. cap.* 1. scribit, qui patrem suum in eo bello fuisse refert, cùm ob annonæ caritatem Hispani multitudinem inutilem propellerent, Galli scorta eorum pulchritudine allecti, jam exceperunt, & ita eorum contagio infecti, hunc morbum contraxerunt, qui postea primum per eorum castra, & hinc per Europam disseminatus est.

In aliis verò regionibus frequentiùs grassatus est, & adhuc grassatur in aliis rarius, cujus rei causam, cùm odiosum sit inquirere, supersedemus. Narrat Gabriel Fallopius *loc. cit. cap.* 76. Jacobum Carpum, qui primus ferè curationem per unctionem Mercurii usurpavit, ex sola hac curatione ita divitem factum fuisse, ut quadraginta scutorum aureorum millia, præter argentum, reliquerit. Refertque Capivaccius *in cap. de lue Vener. cap.* 12. *in fine*, se è solius Gallicæ luis curatione ultra centum octuaginta coronatorum lucratum esse. Et L. Septal. *lib.* 7. *animad. n.*186. scribit, Mediolani in hospitali Brolii sæpenumero vere solo septingentos, reliquo verò tempore semper ducentos curari.

Alii tamen etiam de origine dissentiunt, & non solùm contagione ab Hispanis disseminatum hunc morbum esse putant, sed Epidemiorum morborum modo ex aëris vitio contractum existimant, cùm multi passim in diversis regionibus sine ullo contagio hoc morbo laborare cœperint.

Atque ex his apparet, quàm falsò Astrologi ex astris omnia contingentia sublunaria judicent.

CONSULTATIO XC.

An & quatenus omnis divinatio sit superstitiosa? Ex qua superstitione imponatur abjuratio? Ex quibus modis accidat divinatio? Et qua futura dæmon cognoscere possit?

Divinatio per se, atque natura sua est improba. Quod intellige de Divinatione propriè dicta futurorum, vel in seipsis, vel in causis secundùm se. Qua ratione, ait Cajetanus *in* 1. *par. qu.* 95. *art.*2. sunt neutræ, ut potentiæ rationales, vel sunt ad opposita casualium, ut causæ naturales. Unde nullam habent determinationem ad hujusmodi effectus. Cognoscere autem per causas præparatas, sive dispositivas, non est malum secundùm se, ait Cajetanus. Consideranda est ergo causa, ad quam referatur effectus futurus, cùm præcognoscendus ex causa dicitur. Si enim media revelatione, aut virtute naturalis luminis, non est indebita usurpatio prænunciationis futurorum eventuum, secus si dæmoniaca vanitate implicitè, vel explicitè, in quo consistit formalis ratio divinationis. In naturalibus siquidem divinationibus est multa ambiguitas propter incertitudinem nostræ scientiæ, & occultationem causarum respectu hominis, non dæmonis, qui omnes superiores, & inferiores causas perlustrat, ut notavit Suarez, non rectè infert, omnia futura casualia, & fortuita cognoscere.

Probatur hoc, ita explicatum; Nam hæc divinatio est

est studium futura vel occulta cognoscendi per medium inordinatum. Id autem est rationi ac voluntati Dei adversum. Quia medium illud habet annexam societatem, & familiaritatem cum dæmone explicitè, vel implicitè. Hoc autem est improbum. Quare Paulus 1. *Corint.* 10. non vult nos fieri socios dæmoniorum, & Origenes *homil.* 16. *in Num.* ait, non vult Deus auditores nos fieri, & discipulos dæmonis, neque vult, ut si quid volumus discere, discamus à dæmone. Melius est enim ignorare, quàm à dæmone discere. Nam si expedit nobis scire futura, dicentur à Deo per Spiritum suum. Si verò non dicitur, scito, quia non nobis expedit futura prænoscere. Ut nato in sylva Deus inspiraret fidem, mittendo prædicatorem, vel Angelum, si facit quod potest, ut docet D. Thomas *in* 2. *d.* 28. *art.* 4. *ad* 4. *&* *d.* 29. *qu.* 1. *art.* 2. *ad* 4. *& in* 3. *d.* 25. *qu.* 2. *art.* 1. *quæstione* 1. *ad* 1. *&* 2. *& art.* 2. *qu.* 2. *in corp. de verit.* *qu.*14. *art.* 11. *ad* 1. *&* 2. *ad Roman.* 11. *lect.* 3. Quòd si ideo non dicuntur, quia ea scire nobis non expedit, qui variis artibus, ac dæmonum invocationibus gestiunt futura cognoscere, nihil aliud faciunt, nisi quod ea cupiunt, quæ sibi scire non expedit.

Idque confirmat Augustinus *lib.* 2. *de doctr. christian. cap.* 22. inquiens: *Istæ opiniones quibusdam rerum signis humana præsumptione institutis ad eadem illa, quasi quædam cum dæmonibus pacta, & conventa referenda sunt: Hinc enim fit, ut occulto quodam judicio divino, cupidi malarum rerum homines tradantur illudendi, & decipiendi pro meritis voluptatum suarum illudentibus, ac decipientibus eos Angelis utique malis.* Et infra: *Omnes igitur artes istæ nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis ex quadam pestifera societate hominum & dæmonum, quasi pacta infidelis, & dolosa amicitiæ sunt penitus repudianda, & fugienda à Christiano.* Ac Cyprianus lib. de Idolor. vanit. *Nequissimi*, ait, *Spiritus elata suorum vatum pectora inspirant, extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt, falsa veris semper involvunt. Nam & falluntur, & fallunt.* Origenes item *loc. cit.* Idipsum ostendit Eusebius *de præp. Evangel. cap.* 7. testimoniis Gentilium, qui Diis suis has artes tribuebant, quos dæmones esse constat. Omnes enim Dii Gentium dæmonia. Ideoque rectè Suarez *tom.* 1. *de relig. lib* 2. *cap.* 7. *v.* 11. ex D. Augustino, D Thoma, & Cajetano probat hujusmodi divinationem per se intrinsecè ac semper pravam esse ac detestabilem natura sua, & non tantùm propter positivam prohibitionem.

Quare hæc divinatio est verè species superstitionis. Probat hoc D. Thomas *ibidem art.* 2. ex Origene dicente in periarch. *Est quædam operatio dæmonum in ministerio præscientiæ, quæ artibus quibusdam ab iis, quæ se dæmonibus mancipaverant, nunc per sortes, nunc per auguria, & nunc per contemplationem umbrarum comprehendi videtur. Hæc autem operatione dæmonum omnia fieri non dubito.* Atque Augustinus ait, *in* 2. *de doctr. Christ. cap.* 20. quicquid procedit ex societate dæmonum, & hominum superstitiosum est. Est itaque divinatio species superstitionis. Ratione id quoque probatur ex D. Thoma *ibidem*, *qu.* 92. *ar.*1. *& q.*94. *ar.*1. *item* 1. quia superstitio importat indebitum cultum divinitatis. Hunc autem importat divinatio tum ex parte medii. Quia omnis divinatio ex dæmonum operatione provenit, vel quia expresè dæmones invocantur ad futura manifestanda; vel quia dæmones se ingerunt vanis inquisitionibus futurorum, ut hominum mentes vanitate implicent, de quo *in Psalmo* 39. dicitur, non respexit in vanitates, & insanias falsas. Vana autem inquisitio futurorum est, quando aliquis futurum ex eo cognoscere tentat, unde cognosci non potest. Pertinet enim ad superstitionem, non solùm cùm sacrificium dæmoni offertur per idololatriam, sed etiam dum quis assumit auxilium dæmonum ad aliquid faciendum, vel cognoscendum, sicut ad divinum cultum pertinet & sacrificium, vel oblatio, vel hujusmodi aliquid, ac etiam cùm aliquid divinum assumitur, ut de juramento tradit D. Thomas *eadem* 2. 2. *qu.* 89. *art.*3.

Hinc omnis divinatio futurorum per dæmonum invocationem tacitam est superstitiosa. Probatur ex dictis suo loco de invocatione dæmonum, de qua D. Thomas *d. qu.* 95. *art.*5. ibique Cajetanus, distinguens opera divinationum, & observationum, & universim invocationes dæmonum in materiales, & formales, quod explicat, & comprobat Suarez *art.* 8. ac Delatorre *inibi*.

Inquisitio verò futurorum per vanas observationes, si contineatur intra terminos vanæ inquisitionis, non spectat ad societatem dæmoniacam, neque ad vitium superstitionis. Nam, ut ait Cajetanus ibidem, quem sequuntur Medina, Suarez, ac Delatorre, vacare vanis, ut vana sunt hoc est non expectando ex ipsis notitiam futurorum eventuum, pertinet tantùm ad vanitatis vitium, estque peccatum vanitatis veniale; mortale verò si adsit periculum vacandi superstitiosis observationibus, quas institutas novit à dæmone, aut à magis ex pacto. Exponeret enim se periculo immistionis dæmoniacæ.

Siquis autem utatur vanis observationibus existimans eas fore utiles ad cognitionem occultorum, aut futurorum eventuum, peccatum superstitiosi cultus, & societatis dæmoniacæ committit. Quia talis inquisitor implicitè saltem, sperat, & à dæmone inquirit futurorum cognitionem. Nam hæ vanæ observationes secundùm se, nullius sunt momenti, aut utilitatis ad cognoscendum futuros eventus, atque adeo quicquid existimatur illas habere, aut habent, evenit ex immistione ac virtute dæmonis. Ac proinde utens illis, sperans fore utiles, à dæmoniaca virtute illum effectum expectat; & consequenter socius dæmonis, ac superstitiosus efficitur, sicut ille, qui per invocationem explicitam, aut implicitam illorum expostulat auxilium.

Et quamvis hujusmodi vani inquisitores se excusent, non invocare, neque invocare intendere dæmones, sed uti talibus vanitatibus, quia experiuntur esse utiles ad occultorum notitiam, non tamen id eis prodest. Sic enim ipse dæmon se ingerit, ibique verè ejus virtus reperitur. Hoc enim ipso, quod illis utuntur, ut utilibus, dæmoniacæ societati se immiscent, saltem tacitè, ac implicitè implorando, nisi ignorantia excusentur, nempe quia volunt opus facere, ut utile ad notitiam occultorum, quod nullius foret utilitatis, nisi propter admistionem dæmonis, ac ejus virtutem ibi operantem. Debet enim quisque attendere non solùm quid expresè in suis operibus contineatur, sed etiam quid tacitè.

Quod autem dæmon se ingerat de facto, vel ne, per accidens se habet, cùm homines ipso usu talium vanitatum ut utilium, protestentur se à dæmone implorare, ut se ingerat. Sicut etiam per accidens est, quod dæmon expresè invocatus præstò sit, vel ne. Credendum tamen est, dæmonem, qui nocere semper affectat, non esse oscitantem, dormitantem, socordem, vecordemve, sed maxima ex parte his vanis se ingerere, ut honor divinitatis, quem ab initio cupidè appetivit, per occultorum notitiam ab hominibus exhibeatur. Quomodo autem rectè sub protestatione expertus fuerit Cajetanus sortilegium annuli alibi declaramus.

Invocantes verò dæmonem expresè, aut tacitè ad cognoscendum occulta, vel futura, quæ dæmones

lumine

lumine naturali præscire possunt, sunt etiam superstitiosi. Est contra Valentiam *in 2. 2. qu. 12. disp. 6. pun. 3.* Delrium *lib. 4. cap. 2. qu. 4.* qui afferunt Pegnam *in Direct. par. 3. com. 65.* qui tamen duntaxat contendit, non esse superstitionem qualificatam, & sapientem hæresim, quando dæmon implicitè invocatur; secus autem quando explicitum inest pactum. Atque ita docent Cajetanus, Delatorre, Salelles, Sylvester, ac Suarez. Probatur primò ratione à D. Thoma *d. qu. 95. art. 4.* desumpta ex parte principii divinationis, pacti scilicet cum dæmone initi per ipsam dæmonis invocationem, quod est illicitum, ac omnino superstitiosum, ac magis improbum, si sacrificium, vel reverentia dæmoni invocato exhiberetur. Deinde quia in qualibet dæmonis invocatione ipse responsurus ambit divinam excellentiam, illiusque honorem, illique cooperatur homo exposcendo ab eo etiam ea, quæ illius naturalem vim cognoscitivam non excedunt, sicut petendo ab eo quæ potentia operatrice innata operari potest.

Ideoque D. Thomas *qu. 47. art. 2.* generatim ait, ad superstitionem pertinere cùm aliquis assumit auxilium dæmonis ad aliquid faciendum vel cognoscendum, ubi nihil distinguit inter cognitionem propriam Dei, vel non propriam, sed absolutè de medio ad cognoscendum loquitur, adducitque ad id Augustinum *lib. 2. de doctr. Christ.* universaliter dicentem, quicquid spectat ad consultationes, & pacta quædam significationum cum dæmonibus placita, atque fœderata, spectare ad superstitionem. Idipsum tradit Cajetanus, affirmans, quòd ratione affectatæ excellentiæ divinæ à dæmone, implorare illius auxilium, vel consilium, superstitionis est. Habetur enim ex communi hominum existimatione, tanquam signum recognitionis, & confessionis alicujus divinitatis in eo, qui consulitur de futuris, maximè quia consulitur, ut per se responsurus sine conjunctione ad alium. Dæmon autem non potest consuli per conjunctionem ad Deum.

Quamvis enim dæmon in principio consulatur, non tanquam infallibilis veritas, vel tanquam certò sciens omnia, etiam per se occulta, quatenus tamen est in se, intendit deducere hominem in eam existimationem, vel saltem, ut eam fateatur, vel signis ostendat. Et ideo qui quocumque modo dæmonem consulit, societatem, vel quodcunque pactum cum illo contrahendo, in magno periculo est incidendi in aliud barathrum apostatandi à Deo. Nam affectus dæmonis inordinatissimus est per summam superbiam, & odium, artesque ad decipiendum, industria, & experientia sunt ei maximæ, idemque, si Deus permittat, facilè decipiet quoscunque, qui societatem cum illo ineunt, qui merentur etiam à Deo destitui, & labi permitti propter summam audaciam, & ingratitudinem. Igitur qui talem inchoat societatem, statim incipit declinare à vera religione, & superstitiosus esse. Quia moraliter ejusdem vitii est committere aliquid, & morali periculo, atque occasioni committendi illud se exponere. Sicut qui vanam societatem contraheret cum muliere infami fornicationibus, & adulteriis dedita, & maximè si de illa constaret, mentem, & usum ejus esse, amicos suos ad libidinem turpissimam inducere, eo ipso ex vi talis societatis censetur jam malitiam libidinis contraxisse, etiamsi nondum actu ipso formali in eam lapsus esset.

Advertendum autem hîc est, quòd nunquam potest induci abjuratio, nisi constet, non solùm factum esse commissum, ob quod reus fit suspectus de aliqua hæresi ab illo importata, sed quod certò importetur, & sit hæresis manifesta, aliàs suspicio hæresis nullum haberet fundamentum certum, si non constaret de facto, aut hæresi manifesta. Si enim esset tantùm suspicio hæresis, vel temerarium judicaretur, vel quid simile, suspicio caderet super suspicionem. Unde non justè imponeretur abjuratio, quicquid secus putet Torreblanca *lib. 9. c. 3. §. 10.* afferens falsò Suarez & Mouram qui tamen *c. 15. n. 9. sect. 2.* non solùm id temerarium, sed etiam erroneum censet. Unde nunquam superstitio qualificata esset super quam caderet abjuratio, quicquid etiam dicat idē Torreblanca *in epit.*

Neque objicias, quòd si divinatio, & hujusmodi invocationes necessariò exercerentur cum cultu dæmonis, sequeretur, quod essent manifestè actus infidelitatis protestativi, atque adeo hæc exercentes incurrerent pœnas apostatarum, sive hæreticorum. Hoc autem adversatur *capitulo Accusatus de hæret. in 6.* ubi ne fidei negotium impediatur, ita decernitur: *Inquisitores hæresium non se ingerant de divinationibus, & sortilegiis, nisi hæresim sapiant manifestè. Aliæ namque sunt in jure pœnæ hæreticorum, & aliæ sortilegorum. Ac proinde hujusmodi invocationes, ac divinationes non sunt necessariò cum cultu dæmonum.*

Respondetur enim cum distinctione. Essent quidem manifestè actus infidelitatis protestativi, si invocetur dæmon formaliter, & expressè, conceditur. Si materialiter tantùm & implicitè, negatur. Sicque interpretamur *d. cap Accusatus.* Dum enim expressè, ac formaliter imploratur dæmon, jam factum illud sapit hæresim ex hac parte. Unde hæreses abjurare tenetur etiamsi judicialiter interrogatus respondeat non esse licitum invocare dæmones. Ex facto enim ipso suspectus evadit per se de vehementi, quod scilicet crediderit, licitum esse dæmones expressè invocare, quo pacto distinguuntur in jure pœnæ hæreticorum & sortilegorum. Præsertim quia nunc ex Constitutione Sixti V. quæ incipit, *Cœli & Terra conditor,* sortilegia, & divinationes simplices, & non qualificatæ, quæ videlicet non implicant hæresim manifestè, non puniuntur cum abjuratione hæresis, nec pœnis hæreticorum, quicquid perperam dicat Torreblanca in utroque opere. Quia non important pactum explicitum, neque cultum dæmonum formaliter, sed tantùm materialiter. Imò semper protestantur se nolle adhærere dæmoni, sed uti ejus ope ad proprium commodum.

Ex magia verò superstitiosa, & dæmoniaca redditur magus suspectus de hæresi manifesta, si experimentum sit hæreticale. Si autem adderentur aliæ circumstantiæ, sicut abnegatio fidei coram dæmone, & aliis sociis, ut faciunt striges, ut hæreticus formalis deberet hæreses abjurare, & si mortem inferunt, tradi brachio seculari juxta Constitutionem Gregorii XV. & antiquos Canones.

Quod autem Salelles *tom. 1. fol. 220. nu* 84. post Mouram *de Ensalmis sect.* 3. tradit, in qualibet divinatione, & superstitione importari pactum, saltem implicitum, quia semper est aliqua præsumptio apostasiæ à fide, intelligendum est de apostasia remotè, si divinatio, aut superstitio est simplex, non qualificata, quatenus videlicet implicitè importat pactum cum dæmone contra professionem fidei emissam in baptismo. Unde non oritur suspicio, ne levis quidem ad abjurandum. Alioquin non daretur superstitio minima, in qua non caderet abjuratio. Quod falsum est, ac nimis grave onus, & contra praxim Tribunalis S. Officii, præcipuè supremi.

Potest insuper exorari dæmon, ut solùm doceat expostulantem absque ulla promissione vel pacto, ita quod petens se obliget ad ejus obsequium, si res occultas doceat. Imò quandoque addit sacrificia, suffitus, aliasque cœremonias ad illius honorem. Interdum etiam adjunguntur adjurationes, figuræ, unctiones, & id genus alia juxta pactum initum, quo etiam

imp-

imperativè advocatur, & quasi cogitur respondere. Qui, licet sit mendax, non tamen id propter fidelitatem, sed ut hominibus noceat, sæpè implet promissum, fidemque solvit.

Nonnunquam etiam ex parte dæmonis potest esse responsio simplex absque pacto, aliquando cum pacto, obligando se ad revelandum occulta, ipso homine etiam se obligante. Potest autem accidere, ut homine postulante, oblato etiam pacto, dæmon nullo modo respondeat; vel quia Deus id non permittit, aut ob alias causas nobis ignotas. Tunc autem dubio procul jam commissa est propria culpa divinationis, etiam effectu non subsequuto. Solet autem respondere dæmon vel apparendo visibiliter, vel aliis modis loquendo, deferendo quoque suos asseclas ad conventus, etiam longinquos, ut præ cæteris affirmat Cajetanus *in d. qu. 95. art.* 4. addens tamen sæpè decipi per imaginationem; quod fatetur, experimento se didicisse, in quo concordant Abulensis, Turrecremata, Sylvester, Suarez *lib.* 2. *cap.* 15. *to.* 1. *de relig.* & Salelles *loc. cit. nu.* 28. de quo plura Torreblanca *tom.* 2. *lib.* 11. *cap.* 8. qui tamen falsò adducit Ponzinibium *lib. de lamiis*, nec verè asserit ex saltationibus & choreis lamiarum, morem emanasse apud nos choreas ducere, cùm tamen etiam antiquitus apud Ægyptios, & alios Gentiles hæc consuetudo servabatur, teste Solino *lib.* 5. *cap.* 37. & de Gaditanis Martialis *lib.* 5. *epigram.* 79. de aliis Juvenalis *lib.* 4. *satyr.* 11.

De fide autem est, ut sæpè diximus, non posse Angelos virtute naturali cognoscere certo, & infallibiliter futura contingentia, quæ à libera voluntate pendent, sive Divina, sive Angelica, sive humana. Quod verò ad futura casualia & fortuita, licet communis ferè sit D. Thomæ sententia, quod ea nequeat naturaliter Angelus cognoscere; attamen Suarez contendit illa posse ab Angelis naturaliter cognosci, causis omnibus inter se collatis, tam cœlestibus, quàm inferioribus, tam efficientibus, quàm materialibus, nisi à causa libera impediantur, vel transmutentur. Subdit tamen, quod quia hæc omnia subjecta sunt divinæ providentiæ, ac liberæ dispositioni, idcirco nequit habere dæmon omnimodam certitudinem. Quia nequit Dei dispositionem cognoscere. Concedit verò illi notitiam certam, saltem naturali certitudine. Quod nos etiam ex Constitutione Sixti V. reprobamus, & videntur Patres nobiscum congruere, cùm proprium Dei esse doceant futura contingentia cognoscere, speciatim Hieronymus super illa verba Isaiæ 46. *Ego Deus & non est ultra me Deus, nec similis mei enuncians ab exordio novissima, & ab initio, quæ nondum facta sunt*, quasi dicat, inquit Hieronymus, considerate, quod præter me nullus sit, qui potuerit scire ventura, nisi ego, qui per Prophetas nuncio. Et in Daniel 2. Confitentur, ait, magi, & arioli, & omnis scientia secularis litteraturæ præscientiam non esse hominum, sed Dei. Ex quo probatur, Prophetas Spiritu Dei loquutos. Pariter Origenes contra Celsum inquit, certam prædictionem futurorum esse characterem proprium divini sermonis, & de eventibus judicare. Unde *lib.* 7. *contra eundem* ostendit, oracula gentium, non fuisse Dei, sed dæmonum, prophetias autem Judæorum fuisse divinas. Tertullianus item *responsione ad qu:* 146. ait, à Deo rerum futurarum & prædictio, & eventus proficiscuntur. Dii autem gentium, sicut absunt à vera divinitate, ita etiam à prænotione rerum futurarum. Idem tradit *in apolog. cap.* 21. Concinitque Chrysostomus *hom.* 18. *in Joannem*, certa, inquit prædictio futurorum immortalis duntaxat Dei opus est. Damascenus *lib.* 2. *de fide cap.* 4. aliique Patres, Anselmus *de casu Diaboli cap.* 21. Augustinus *lib. de divinat. dæmon. cap.* 3. & *lib.* 3. *retract. cap.* 30. Eusebius *lib.* 5. *præparat Evangel. cap.* 10. D. Thomas *qu.* 16. *de dæmon. art.* 3. & 2. 2. *d. qu.* 95. *art.* 2. aliisque locis, quibus adstipulantur Simanchas *de cathol. instit. cap.* 21. Directorium Inquis. ibique Pegna, Farinac. *de hæret. punit. cap.* 14. Grilland. *de sortil. qu.* 10. & Torreblanca *lib.* 9. *cap.* 14. falsò citans Suarez *lib.* 9. *de relig. cap.* 8. *tom.* 1.

Mirumque est, Suarez *ibidem* tradere, dæmonem non certè cognoscere omnia præterita naturalia, & non libera, si nullum vestigium perseveret, sed tantùm conjecturis, & indiciis. Quia non semper actu omnia cognoscit, & considerat, quæ in mundo accidunt. Et quomodo poterit simul cogitare omnes connexiones per accidens, & casuales causarum oppositarum, quæ ex Aristotele, & D. Thoma sunt innumeræ? Ideo de eventibus per accidens non datur certa scientia.

CONSULTATIO XCI.

De Divinationis divisione, ejusque speciebus fusior dissertatio, deque invocatione dæmonis expressa & tacita. Et an divinatio secundùm pactum explicitum, & implicitum distinguatur essentialiter? Et quo pacto distinguantur?

DIviditur Divinatio in eam, quæ fit expresso pacto cum dæmone, & in eam, quæ implicito. Ita D. Thomas, & communiter Doctores. Nam omnis divinatio utitur ad cognitionem futuri eventus aliquo dæmonum consilio, vel auxilio. Hoc autem vel imploratur expressè, vel præter intentionem hominis se occultè ingerit dæmon ad prænunciandum futura quædam, quæ hominibus sunt ignota, ei tamen cognita modo jam declarato. Et ita etiam docent cum eodem D. Thoma 2. 2. *qu.* 95. *art.* 2. & 3. Azor *par.* 1. *lib* 9. *cap.* 13. Lessius *lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 5. Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 38, *nu.* 13. Suarez *de relig. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 7. Valentia *in d.* 2. 2. *disp.* 6. *qu.* 22. *pun.* 2. & 3. Sayrus *in clavi reg. lib.* 4. *cap.* 5. Filiuc. *tract.* 24. *cap.* 3. *num.* 55. & 70. aliique communiter.

Invocatio autem expressa dæmonis distinguitur à tacita secundùm hominis intentionem, quæ tamen dupliciter haberi potest pro expressa. Primò cùm quis invocat dæmonem. Secundò cùm quis facit aliquod opus, quod fit ex dæmonis virtute, ut faciunt incantatores. Uterque enim expressè dæmonem invocat ex intentione verbo, vel facto. Tunc namque intervenit pactum, etsi non cum illo homine, initum tamen cum alio aliquo, qui assistit illi operi ostendendo vel operando, vel instituendo, ut dicitur de sortilegio Ampullæ plenæ aqua, dicendo *Angele Sancte*, &c. sub his enim verbis confictis dæmones invocantur. Unde id facientes coguntur abjurare, etiam de vehementi. Quod est notandum contra Torreblancam, Salelles, Delrium, & nonnullos alios in materia qualificationis sortilegiorum, de qua suo loco. Tacita verò invocatio dæmonum tunc solummodo est, quando aliquis talibus se implicat, ut dignum sit dæmonem se illis immiscere, quamvis hoc sit præter intentionem talis hominis. Unde non requiritur, ut dicat ordinem ad pactum explicitum, ut censet Suarez. Satis enim est talibus se implicare, ut dignum sit dæmonem se illis immiscere, quæ sunt innumera, etsi pactum expressum non intercesserit.

Triplex autem divinationis genus est. Primum per manifestam dæmonum invocationem. Secundum per solam considerationem dispositionis, vel motus alterius rei. Tertium dum facimus aliquid, ut nobis manifestetur

nifeſtetur aliquid occultum, quod pertinet ad ſortes. Dicuntur autem genera, quoniam habent ſub ſe ſpecies. Sunt tamen genera intermedia, quoniam habent ſupra ſe genus & ſpecies ſubjectas, nec affirmamus eſſe omnia propriè genera & ſpecies, ſed forſan analoga. Nam unum videtur ab alio dependere, & ad illud ordinem dicere, divinatio ſcilicet quæ fit pacto implicito ad illam quæ fit explicito, ſaltem apud Suarez, & Salelles, qui tenent, pactum ſemper fuiſſe explicitè initum cum aliquo primo homine, qui aſſiſtit illi operi, oſtendendo, vel operando. Quod Cajetanus de pacto explicito opere affirmat.

Sub quolibet autem horum generum plures continentur ſpecies, quas enumerat D. Thomas *art.* 3. *dictæ qu.* 95. Sub primo clauditur præſtigium, quando videlicet dæmones præſtigioſis quibuſdam apparitionibus ſe aſpectui, & auditui hominum ingerunt ad prænunciandum futura, quæ ſpecies vocatur præſtigium ex eo, quòd oculi hominum perſtringuntur. Alia ſpecies eſt divinatio per ſomnium, alia necromantia per mortuorum ſcilicet apparitionem, vel locutionem, quia quibuſdam præcantationibus, adhibito ſanguine videntur reſuſcitari mortui, divinare, & ad interrogata reſpondere. Quandoque autem futura denunciant per homines vivos, ſicut patet in arreptitiis, & hæc eſt divinatio per Pythones, qui à Pythone Apolline ſunt appellati, qui credebatur autor divinationis. Alia ſpecies eſt Geomantia, quæ eſt divinatio per aliquas figuras, vel ſigna, quæ in rebus inanimatis apparent. Quod ſi appareant in aqua dicitur hydromantia; ſi in aëre aeromantia; ſi in igne pyromantia; ſi in aliquo corpore terreſtri, ut in ligno, ferro, lapide polito appellatur Geomantia; ſi in viſceribus animalium immolatorum in aris dæmonum, vocatur aruſpicium.

In ſecundo autem genere divinationis abſque expreſſa dæmonum invocatione duæ quoque aſſignantur ſpecies. Prima eſt, quando ad cognoſcendum futura aliquid conſideramus in diſpoſitionibus aliquarum rerum. Ut ſi quis conetur futura cognoſcere ex conſideratione ſitus, & motus ſyderum, Aſtrologus dicitur, & Genethliacus ob natalium dierum conſiderationem. Si per motus veloces avium, ſive quorumcunque animalium, ſive per ſternutationes hominum, vel per membrorum ſaltus, pertinet ad augurium, quod dicitur à Garritu avium, ſicut auſpicium ab inſpectione avium, quorum primum pertinet ad aures, ſecundum ad oculos. Si talis conſideratio fiat per verba hominum abſque intentione prolata, omen dicitur, dum quis retorquet ad futurum, quod vult prænoſcere. Quare Valerius Maximus *lib.* 2. *cap.* 5. ait, omnium obſervatio aliquo contractu religioni annexa eſt, quia non fortuito motu, ſed divina providentia conſtare creditur, quæ fecit, ut Romanis deliberantibus, utrum ad alium locum migrarent, fortè eo tempore Centurio quidam exclamavit Signifer, ſtatue ſignum, hìc optimè manebimus. Quam vocem auditam pro omine acceperunt, tranſeundi conſilium omittendi.

Aliæ ſpecies divinationis diſtinguuntur ſecundùm diſpoſitiones aliquarum figurarum in aliquibus corporibus viſui occurrentes; E lineamentis namque manus ſumitur divinatio, quæ chiromantia vocatur, ex fronte metopomantia, ex ſpatula alicujus animalis ſpatulamantia, ex totius hominis aſpectu Phyſionomia.

Ad hoc genus divinationis ſine expreſſa dæmonum invocatione reducuntur aliæ divinationes, ut aliquid occultum inquirere per protractionem punctorum, quod ſpectat ad artem Geomantiæ; vel per conſiderationem figurarum, quæ proveniunt ex plumbo liquefacto, in aquam projecto, ſive ex quibuſdam ſchedulis ſcriptis, vel non ſcriptis in occulto repoſitis, dum conſideratur quis quam accipiat, vel etiam ex feſtucis inæqualibus propoſitis, quis majorem, vel minorem apprehendat, vel taxillorum projectione, quis plura puncta projiciat. Vel etiam dum conſideratur quid aperienti librum occurrat; quæ omnia ſortium nomen habent. Hæc hiſce ferè verbis docet D. Thomas, & confirmat Sixtus V. in ſua Conſtitutione, ac communiter Doctores.

Advertendum tamen eſt, quod ſpeciebus ſingulis horum trium generum poteſt intervenire invocatio expreſſa dæmonis, ſed non ſemper per ſe. At pluribus ſpeciebus primi generis per ſe, ut necromantiæ, pythonicæ divinationi. Aliquando etiam per ſomnia, cùm plerumque dæmones loquantur in ſomniis, ut docet D. Thomas *ibidem in corpore art.* 6. Interdum autem, inquit operatione dæmonum aliquæ phantaſiæ præſtigio dormientibus apparent, quibus quandoque aliqua revelant iis, cum quibus habent pacta illicita. Sed Cajetanus *in fine illius articuli* rectè advertit duobus modis ſuperſtitionem eſſe in ſomniis. Quando ſcilicet eſt expreſſa invocatio dæmonum, vel quando ſomnia extenduntur ad ea, ad quæ ſe non poſſunt extendere, ut habere certitudinem de contingentibus, & aliis, quæ non ſubjiciuntur aſtris. Tunc enim eſt tacita cum dæmone ſocietas.

Quod verò ad pactum explicitum, & implicitum, an diſtinguantur eſſentialiter, videtur affirmare D. Thomas *loc. cit. art.* 3. *ad* 1. ac ibi Caëtanus, Moura *ſect.* 3. *de enſalm. cap.* 5. cum aliis. Nam D. Thomas licet admittit in prædictis eſſe eandem generalem rationem peccandi, non autem ſpecialem, gravitas tamen major, quam ibidem ſubjungit, deberet eſſe diverſæ rationis, ut conſentanea loquatur.

At verò Suarez *loc. cit. cap.* 10. quem ſequitur Salelles, in rigore loquendo, probabile ait, non diſtingui eſſentialiter, ſed ſolùm, ut actus perfectus, & imperfectus, completus, & incompletus intra eandem ſpeciem. Non enim voluntas expreſſa, aut tacita ſpecies actuum moralium diſtinguunt. Sic namque profeſſio tacita & expreſſa ejuſdem ſpeciei ſunt. Quia idem juris eſt taciti, & expreſſi *l. de quibus ff. de legib.* & *l. cum quid ff. ſi cert. petat.* Idemque tradunt Diana *p.* 1. *tr.* 7. *reſol.* 66. Caſtropal. *p.* 3. *tit.* 17. *diſp.* 1. *pun.* 3. *n.* 10. & Eſcobar. *to.* 4. *lib.* 28. *cap.* 17. *n.* 168. Unde Diana *loc. cit.* ac Victoria *in ſum. tit. de confeſſione n.* 176. *in fine* opinantur, non teneri delinquentem exprimere in confeſſione pactum expreſſum cum dæmone, ſed ſatisfacere, ſi dicat, ſe divinando ſuperſtitioſè, mortaliter peccaſſe. Quia circumſtantiæ aggravantes, quæ non mutant ſpeciem, non ſunt neceſſariò in confeſſione aperiendæ.

Nihilominus tamen quoad praxim, præſertim quoad confeſſionem, ac præſumptionem de hæreſi, & alias pœnas, ac cenſuras, dicendum eſt, hujuſmodi pacta diſtingui ſpecie. Eſt enim ſortilegium qualificatum invocare expreſsè dæmonem, ſicque invocanti imponuntur abjuratio, pœnæ graviſſimæ, ac cenſuræ apud aliquos, non implicitè invocanti, niſi aliunde id eveniat. Hinc D. Thomas *d. qu.* 95. *art.* 3. *ad* 1. Suarez *ibidem*, Sanchez *loc. cit. num.* 14. Caſtropal. *ſupra num.* 11. Eſcobar *eodem in loco*, Leſſius *inibi*, Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 3. *numero* 4. Filiuc. *dict. tract.* 23. *numero* 72. ac Reginaldus *lib.* 17. *numero* 174. Tum quia longè diverſum judicium faciendum eſt de illo peccato à Confeſſario, quam ex divinatione ex pacto implicito. Tum quia manifeſtanda eſt in confeſſione non ſolùm diſtinctio ſpecifica peccatorum, ſed etiam numerica. Habere autem voluntatem expreſſam invocandi dæmonem eſt peccatum diſtinctum ab illo quod committitur ex tacita invocatione. Quia in tacita invocatione ſolùm adeſt hæc

voluntas virtualiter, non formaliter, ut est in invocatione explicita. Voluntas autem formalis à virtuali est numero distincta. Et tum etiam quia expressa divinatio sæpe alia gravissima peccata involvit, nempe abnegationem baptismi, apostasiam à fide, idololatriam per sacrificia, adorationem, ac similia. Quæ in divinatione per pactum implicitum, aut nunquam aut rarò accidere solent.

Nec illa duo genera divinationis se habent sicut actus perfectus, & imperfectus, & sicut professio tacita, & expressa, sed sicut duo actus diversa ratione eidem virtuti oppositi. Neque invocatio implicita dicit ordinem per se ad expressam, sicut professio implicita ad expressam, ut ait Suarez; Nam potest dari pactum implicitum absque ordine ad explicitum non solum in operante, sed etiam in ordine ad dæmonem, vel magum quemlibet. Potest enim quis uti vanitatibus ac divinandum circa ea, respectu quorum nunquam pactum aliquod est expressè initum inter dæmonem & magum.

Dicimus ergo, explicitum, & implicitum non variare speciem, sicut neque actum, & potentiam. Eiusdem enim speciei est homo in potentia, & homo in actu. Similiter veritas una & eadem explicita & implicita. Si tamen referatur ad ipsos modos, sive res, quæ tales modos sibi vindicant, variatur species, ut in principijs, & conclusionibus, eorumque habitibus. Hinc etiam apud multos & gravissimos Autores fides catholica, sive universalis distinguitur specie à fide speciali, qua quis credit Deo sibi revelanti mysteria in ordine ad bonum particulare. Sic enim ex Cano, Soto, Bannes & Arauxo obiectum motivum fidei catholicæ formale non est divina revelatio utcunque, sed universalis, toti scilicet Ecclesiæ facta & ab ipsa Ecclesia proposita in commune bonum ipsius, à qua ratione formali longè sunt veritates particularibus revelatæ. Quare non mirum si fidem theologicam non attingunt. Unde ait Arauxo, quod fides istæ diversificantur secundum diversa instrumenta, per quæ fit revelatio, quæ refunduntur in rationem formalem. Fides enim theologica, ut docet D.Thomas *p. q. ar.* 8. *ad* 2. innititur revelationi Apostolis, & Prophetis factæ, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, siquæ fuit alijs Doctoribus facta, quæ est fides particularis. Neque ita se habent respectu revelationis divinæ universalis verba, & res atque actiones humanæ; sed materialiter tantùm, cùm sit eadem ratio formalis revelationis, media Ecclesia, ut instrumento extendente se etiam ad traditiones veras, & approbatas. At in re nostra est diversitas formalis principij assumpti à dæmone ad investigationem futurorum. Distinguuntur enim genera superstitionum per id, quod dæmoni sacrificium offeratur per idololatriam, vel per id, quod assumatur auxilium illius ad aliquid faciendum, vel cognoscendum, licet sit idem dæmon, quia diverso modo in illum tenditur, sicut & secundùm diversos modos tendendi contra fidem distinguuntur infidelitatis species, etiam per explicitum, & implicitum, vel in figura, etsi eadem sit fides explicita & in figura. Licet enim unica sit fides specie, explicita in Christianis, implicita in Hebræis, distinguuntur tamen in eis species infidelitatis, quia diverso modo deviant à fide. Christianus enim renititur fidei iam susceptæ. Hebræus in figura, Paganus fidei nondum susceptæ. Hoc plane modo accidit in hoc casu.

Dicimus etiam, quod modi peculiares, superius. *n.* 5. §. In secundo autem genere numerati, & sub duobus generalibus comprehensi, sunt diversæ species divinationis quasi speculativo modo. Patet ex D. Thoma in eodem articulo, ubi statuit diversitatem specificam. Quia diversitas formalis specierum attendenda est secundùm principia formalia. Hæc autem sunt diversa. Non tamen videtur necessarium, has diversas species in confessione explicare, nisi diversam per accidens deformitatem importarent. Quia nulla specialis deformitas reperitur in divinatione per ignem, quæ non reperiatur in divinatione per aquam, astra, aërem, Nec in divinatione per avium cantus, quæ non sit in hominum verbis.

CONSULTATIO XCII.

Utrum ad superstitiosam divinationem sufficiat pactum implicitum cum dæmone, an requiratur explicitum? Ubi respondetur frivolis argumentis Torreblancæ, cujus varij errores; & disceptatur, an divinatio semper sit peccatum mortale. Et an divinatio, ejusque species sint per se malæ anve malæ, quia prohibitæ? Ubi de signis pacti expliciti, & impliciti.

RAbbi David Kimchi apud Abulensem 1. *Reg.* 14. *quæst.* 4. putat, auguria, quæ observantur ex animalibus, ac similibus aliis esse semper illicita; omina verò, quæ attenduntur secundùm verba humana, non semper esse illicita.

Notandum est cum D. Thoma, cœterisque Theologis, quod si futurorum cognitio inquiratur non per res vanas, sed solidas, non erit superstitiosa, nec propriè divinatio. Si enim innitatur Dei autoritati, vel auxilio, per se mala esse nequit, cùm Deus sit fons omnis veritatis, ac scientiæ. Ut si Eclipsis prænunciaretur ex vera, & naturali astrorum causa. Si medici divinarent, sive conijcerent ex signis.

Ut autem hæc inquisitio vana non sit, duo requiruntur. Primum, ut medium cognitionis sit objectum proportionatum cognitioni humanæ, hoc est, ut sit objectum quod à sensibus percipi queat. Secundum, ut etiam medium sit proportionatum veritati per ipsum inquirendæ, ut scilicet naturalem aliquam connexionem cum illa habeat, ratione cujus rectè possit hæc ex illo colligi, ita ut medium illud aliquo modo in se veritatem illam contineat, vel ut medium continet conclusionem vel tanquam causa effectum, vel tanquam effectus causam, vel secundùm connexionem duorum effectuum in una causa. Tunc enim unus effectus per alium significatur. Non quia unus sit causa alterius, sed quia causa unius effectus producit etiam alterum, ut serenitas cognoscitur per iridem. Quare prima, & præcipua conditio vanæ inquisitionis est, quando fit per medium inutile, ac futile, quod scilicet non habeat sufficientem connexionem causæ vel effectus cum re, quæ inquiritur, aliàs inquisitio non erit vana.

Nec si aliquod signum habeat impositionem à Deo, qui non potest mentiri. Unde rectè divinat, qui inspecta iride, credit non esse futuram eluvionem, cùm Deus *Genes. nono* in hujus rei signum posuerit arcum in Cœlo, sufficitque solum Dei verbum, sive talis significatio divina habeatur ex Sacra Scriptura, sive ex revelatione privatim expressa, sive

sive ex interno Spiritus Sancti instinctu. In quibus casibus probari debent spiritus, an à Deo sint. Quo pacto interdum Sancti ex uno verbo fortè audito, aut lecto, signum divinæ voluntatis, aut specialis providentiæ satis attendunt, & aucupantur ad regimen propriarum actionum, non quidem secundum vanum omen, sed secundum divinum instinctum vel prudentiam, vel probabilem conjecturam, ut declarat D. Augustinus *lib.* 8. *confes. cap.* 12. & Gregorius Turonensis *libro secundo historiæ Francor. cap.* 27.

Ad Peccatum itaque superstitiosæ divinationis requiritur ac sufficit pactum implicitum cum dæmone, atque ita, ut committi possit absque pacto expresso. Est communis sententia cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 95. 7. ubi late Cajet. Suarez, ac Delatorre post Augustinum *lib.* 2. *de doctr. christ. cap.* 20. *& seqq.* addentes, quod hoc pacto etiam per se est mortale.

Probatur, quoniam ad superstitionem falsi cultus oportet, ut aliquis cultus divinus in aliquam personam, vel rem extra Deum transferatur. Non potest autem alio modo id evenire in divinatione, nisi ex pacto implicito cum dæmone. Nam non potest inquiri notitia alicujus rei occultæ per aliquod signum, quod illam ex rei natura non significat, nisi quia significare creditur ex imperio, & præscripto, sive formula alicuius habentis autoritatem. In hoc autem casu jam supponimus signa non esse naturalia. Ideoque qui illis utitur, tanquam utilibus ad futura cognoscendum, tenet esse imposita ad significandum ab aliquo habente autoritatem, cui credendum sit. Constat autem non esse imposita à Deo, neque à sanctis Angelis. Ergo à dæmone, cùm ab homine certum sit non posse provenire. Ac proinde qui utitur illis signis, à demone implicitè instruitur, illique fidem adhibet, quæ est societas, sive pactum implicitum cum illo. Nec requiritur, ut expressè postulet à dæmone. Sic enim esset expressa invocatio, sed sufficit, ut quis vanis inquisitionibus intendat spe cognoscendi futura. Quoniam, ut ait D. Thomas, statim dæmon se ingerit. Unde virtualiter hoc est, quod homo affectat.

Dicitur autem hic pactum non solum stabilis quædam connexio ex mutua promissione, & obligatione, sed quælibet societas, & deprecatio, sive petitio auxilii ad aliquid cognoscendum. Alterutra enim satis est ad superstitionem falsi cultus. Intervenit namque saltem tacita deprecatio, & postulatio auxilij à dæmone, quandoquidem sub illa spe fit vana inquisitio.

Idque comprobatur. Quia tota notitia acquirenda per talia signa, reducitur ad autoritatem illius, qui signa imposuit, & approbavit, ut hoc, vel illud indicarent, cùm hoc virtute humani discursus, ac luminis naturalis ex rebus ipsis colligi nequeat. Eoque magis quia in hisce vanis inquisitionibus proceditur per modum disciplinæ, non per modum inventionis. Solus autem dæmon est, qui talia signa imponit, ac edocet. Nam à Deo constat non provenire, nec homo creditur posse per se talem tradere doctrinam, in qua consistit pactum implicitum, quod reducitur ad explicitum quotiescunque cum aliquo primo enunciatore illius doctrinæ præcessit. Quod tamen non est simpliciter necessarium. Et licet in aliquibus experimentis accidat, quibus constat dæmonem adesse operantem ex vi pacti expliciti primi institutoris, hoc tamen non ita semper accidit, sed sufficit vana inquisitio ad futura cognoscendum. Idemque dicendum est de alijs superstitionibus simplicibus.

Unde ex pacto implicito non infertur suspicio manifesta hæresis, nisi sit abusus Sacramentorum, aut sacramentalium, non tamen ratione alicujus rei sacræ præcisè ut aquæ, vel candelæ benedictæ ac similium, quicquid dicat Moura *sect.* 3. *cap.* 5. Torreblanca, & Delrius. Esset enim durum condemnare aliquem, ut suspectum de hæresi manifestè, qui vanè, ac superstitiosè deferret schedulam cum septem Crucibus, vel orationem S. Leonis, aut Evangelium S. Joannis, certò credens non posse offendi ab armis inimici. Quod tamen est superstitio. Secus esset, si quis abuteretur SacraScriptura, velalia re Sacra ad mæchiam, furtum vel alium pravum finem. Tunc enim rectè interrogatur in judicio, an crediderit licitum esse abuti Sacra Scriptura ad malum finem, de quibus suo loco.

Ex his autem deducitur in quo consistat pactum explicitum, vel implicitum cum dæmone, & quo modo sit distinguendum. Unde quamvis Torreblanca *cap.* 7. *&* 8. & cum eo Salelles *num.*7. asserant pactum expressum cum dæmone fieri posse vel mediate per magum nomine paciscentis, eo quod paciscens dæmonis aspectum nimis male timeat, vel immediate cum apparitione aliqua ipsius dæmonis, existimantes verè ac reipsa signa & pacta conventa circa omnes species divinationis fuisse à dæmone inducta & manifestata suis magis, qui cum eo pactum inierunt; hæc tamen doctrina non est absolutè vera, cùm nova institui possint quotidie signa ad divinandum non edocta prius à dæmone, quæ plane superstitiosa erunt; adeoque pactum implicitum dæmonis. Quare idem Salelles, melius rem hanc considerans dicto *tom.*1. *fol.* 220. *num.* 74. ait ex Suarez, Cajetano, & aliis, satis esse si utatur illis ad talem finem; imo etiamsi dicat explicitè, se nolle inire pactum cum dæmone, dum vana adhibendo, vult eorum effectus experiri, recteque addit ex Sanchez, esse innumera fere signa, & in infinitum multiplicabilia & nunquam audita. Falso tamen asserit, semper nova afferri, nunquam antea experta, vel audita. Id enim experientia reprobatur. Nam sicut hæreses antiquæ in dies renovantur ita & sortilegia,

Recte autem distinguitur pactum expressum, & tacitum ex D. Thoma *qu.* 13. *de malo art* 4. *ad* 13. *opusc.* 21. *qu.* 4. Et utrumque docet prohiberi primo præcepto decalogi 2. 2. *q.* 122. *ar.* 2. *ad.* 3. *& art.* 3. *&* 4. *in corp. & d. q.* 95. *ar.* 6. docet, explicitum esse, quando dæmon invocatur ad paciscendum cum eo. Tacitum autem quando opus se extendit ad id, ad quod se extendere non potest. Et *art.* 2. *in corp.* clarius ait, pactum expressum esse, quando dæmones expressè invocantur ad aliquem effectum. Tacitum autem, quando dæmones se ingerunt operibus vanis, id est quando fiunt opera vana, ac digna, quibus dæmon se ingerat. Et *art.* 3. *pariter in corp.* primum pactum est, inquit, quando expressè imploratur auxilium dæmonis. Secundum, quando fit opus, cui dæmon se ingerit præter intentionem hominis. Interpretatur directam Moura *ibidem* nos indirectam, quantum sufficit ad consensum aliquem peccaminosum, ut statim explicat D. Thomas in solutione ad primum, inquiens, in utroque casu eandem esse peccati rationem generalem, non autem specialem, quia gravius ait, est, dæmonem invocare, quam aliqua facere, quibus dignum sit ut se dæmones ingerant. Idemque docet *Opusc.* 25. *de sortibus cap. ult.* & ad illud Job 4. Divident illum negotiatores, *lect.* 3. ac præiverat Magnus Albertus *in d. decis.* 7. *art. ult.* & sequitur Cajetanus *in d. quæst.* 95. *art.* 3. & 4. *& in sum. v. divinatio.* & *v. incantatio*, Delatorre, Valentia, Granados, Serra, Sylvius, Medina, *in sum.*

in ſum. Navar. item *in ſum. cap.* 2. Sylveſter *de Strygimag.* ubi diligenter deſcribit pactum ſolenne explicitum ſtrigum inſtar profeſſionis regularis, de quo Torreblanca *lib.* 2. *epit. capite* 7. Remig. *libro* 1. *cap.* 5. Nider *libro* 11. *formicar.* Locatus *in judicial.* Malleus *in arſenali*, Bodinus *lib.* 1. *dæmonolatr. cap.* 4. & 5. Bisfeldius *in confeſ. malefic.* Grillandus *de ſortileg. qu.* 3. *nu.* 2. Victoria *de magia qu.* 6. *nu.* 28. Malleus *malefic. par.*1. *qu.*16. Delrius *lib.*2. *qu.* 4. & *lib.*4. *cap.* 2. Simanchas *de cathol. inſtit. tit.*67. *n.* 13. & 33. & ex eo Farinac. *qu.* 181. *nu.* 38. *de hæreſ.* Squillacen. *de fide cap.*7. *nu.* 4. & *cap.*13. *nu.* 1. abdens, quod per pacta fœdere inita, & expreſſa cum dæmone, quis dicatur ſtricto modo hæreticus. Quod quidem eſſe per ſe falſum, dicemus ſuo loco, ſed ſuſpectus tantùm de hæreſi, de quo Eymericus, Pegna, Toletus, Graſſius, Carena, Moura, Cenedo, Correa, præcipuè Trullench. aliique communiter.

Caſtrius tamen *libro primo de juſt. hæret. punit. capite decimo-quarto* tenet, pactum explicitum eſſe, quando operans ſcit, dæmonem ſe ingerere tali operi, quamvis cum eo homine à dæmone non initum. Tacitum autem, quando ſcit opus eſſe dignum, cui dæmon ſe immiſceat, licet præter ſuam intentionem.

At Ciruelos *par.* 2. *cap.* 2. vult, eſſe pactum tacitum, quando divinatores utuntur verbis, vel vanitatibus à dæmone inventis ad cognoſcendum ſecreta. Quia licet non paciſcantur expreſsè, nec loquantur cum dæmone, in prædictis tamen dicendis, vel faciendis, dæmoni, ut domino, obſequuntur, ſuntque proinde apoſtatæ à fide, ſicuti ſunt necromantici habentes pactum expreſſum, pariterque a Judicibus fidei puniendi. Concluditque quod eo ipſo, quod quis utitur mediis ex ſe inefficacibus ad ſcientiam infundendam, init pactum tacitum cum dæmone. Quia convincitur velle, ab eo edoceri. Denique *in cap. ult. reſponſ.* 5. & 6. inquit, certum eſſe per Sanctos Eccleſiæ Doctores decretum eſſe Enſalmos regulariter continere vanitatem, eumque qui eis utitur conſentire in pactum dæmonis ex vi operis, id eſt implicitum, quamvis illud verbis neget.

Jure autem Torreblanca ex D. Thoma, Cajetano & Navarro tradit, pactum expreſſum poſſe contrahi expreſſis, & conceptis verbis a dæmone inſtitutis, aut ipſo facto, & actione, quando quis facit id, quod novit expreſsè dæmonem per ſigna, vel teſſeras ſui operis, & efficaciæ conſtituiſſe. Additque *cap.* 14. *lib.* 11. *jur. ſpirit.* ex Farinacio, Grillando, Caſtro, Suarez, Sanchez, Moura, & cum communi, pactum implicitum ſive tacitum conſtrui quoties quis ſuperſtitioſis utitur rebus, verbis, formulis, orationibus, nominibus, characteribus, ſignis, annulis, phylacteriis, vel aliis rebus a mago inſtitutis. Imò, & nos ſubdimus, etiam ſi inſtituta non ſint, dummodo his vanis, tanquam utilibus utatur. Quia pactum implicitum non dicit per ſe ordinem ad explicitum. Unde poteſt contrahi ab ignorante, & nulli pacto ſtare volente. Nam D. Thomas docet *articulo* 2. *dicta qu.* 95. divinationem ex operatione dæmonum provenire, vel quia expreſsè dæmones invocantur ad futura manifeſtanda, vel quia dæmones ſe ingerunt vanis inquiſitionibus futurorum, ut mentes hominum implicent vanitatibus, quando ſcilicet aliquis futurum prænoſcere tentat, unde prænoſci non poteſt. Unde tradit Torreblanca ibidem ex Caſtro, & Suarez, quos ſequitur Salelles, & antea Sanchez, & Moura, iniri pactum implicitum, etiamſi his utens, proteſtetur, ſe nolle pactum cum dæmone contrahere. Poteſt namque dari formula, quæ ex parte miniſtri tantùm expoſcat applicationem ad hoc, dæmone cætera operante, ita quòd poſitis rebus ſecundùm pacta non remaneat in poteſtate utentis dæmonem impedire operantem. Quæ tamen interpretationem accipere debent ex à nobis dictis.

Sanchez autem *libro ſecundo in decal. capite* 38. quem ſequitur Moura cum aliis, tradit, pactum implicitum eſſe quoties quis etiam contra expreſſam voluntatem concurrendi cum dæmone utitur mediis vanis ad aliquem effectum obtinendum, & quod in his terminis fieri poteſt, ut de eodem objecto habeat voluntatem expreſſam contrariam tacitæ; ſi nimirum habeat de eo ignorantiam culpabilem. Idemque videtur ſupponere Leſſius *libro ſecundo, capite* 44. *dub.* 14. *numero vigeſimo-ſexto*, ubi ſimul affirmat, ſibi videri in hac materia, non dari peccatum veniale ex parvitate illius. Quod tamen improbamus, de pacto implicito loquendo quod ſimplicem ſuperſtitionem tantùm importat, quæ ex ſe non implicat manifeſtam præſumptionem hæreſis, ut etiam notavit Moura ex Suarez. Per accidens enim ex parte ignorantiæ, vel inadvertentiæ, ut mox dicemus, accidit, quòd à malitia lethali diſtrahatur.

Suarez verò *tomo primo, libro ſecundo, de relig. capite nono, numero item nono*, teſtatur pactum dæmonis implicitum intercedere quoties homo ſeriò utitur his ſignis ad veritatem occultam per illa ſignificata inquirendam, illamque credit, quando ſecundùm regulas alicujus artis divinatoriæ per illa media inveſtigat, vel accedit cum animo adhibendi fidem talibus ſignis, quando illa obſervat. Hoc enim damnatur ab Eccleſia, à D. Thoma, & à Patribus, qui referuntur *in decreto cauſa* 26. *quæſtione prima & ſequent.* ut ſuperſtitio falſi cultus religioni contraria. Ideoque per illam transfertur divinus cultus ad dæmonem. Quia non poteſt in alio conſiſtere falſitas illius cultus. Ut autem cultus Dei tribuatur dæmoni, neceſſaria eſt aliqua ſocietas vel pactum cum illo, non explicitum, ut jam diximus. Ergo ſaltem implicitum. Et licet videatur ipſe Suarez *num.* 11. reprobare modum dicendi D. Thomæ, & Cajetani, non tamen reipſa eſt, ſed per modum arguentis loquitur.

Signa verò dignoſcendi pacta implicita leges apud Suarez, Delatorre, Mouram de Enſalmis, ac Torreblancam *lib.*11. *cap.*15 Carenam, & alios. Nos tamen nonnulla ſubjicere, atque explicare opportunum cenſemus.

Primum itaque ſignum eſt, quando effectus excedit naturæ, atque artis vires. Unde quia non conſtat de cauſa divina, judicatur dæmoniaca, ideoque cum pacto dæmonis, ſaltem implicito. Ita docent expoſitores *d. qu* 96. *ar.*2. præſertim Valentia, & Sylvius, ac Medina *in ſum.* Graff. *lib.* 2. *deciſ. cap.* 3. Zerola *in prax.* Epiſcop. *p.* 1. *v. ſuperſtitio*, Gabriel, aliique *in* 3. *ſent. d.* 8. *qu.*2. Cajetanus *in ſum. v. incantatio*, Campanil. *in diverſ. jur. rubr.* 2. *cap.*26. Toſtat. *in Levit.*19. Navar. *in man. cap.*11. Majol. *tom.*2. *canicul. colloq.* 3. Cirvel. *de ſuperſtit. p.*3. *cap* 3. Simanch. *d. tit.*63. Sylveſter, Ledeſma, cæterique ſummiſtæ, Moura *loc. alleg.* Salmeron *Act.*19. poſt D. Thomam *ibid.* & 4. *contra Gent. cap.*104. & *ſeq.* D. Auguſtinum *lib.*21. *de Civit. cap.*6. & Origenem *in* Jeſu Nave *c.*15. *hom.*20 & *alibi.*

Quare egregiè Victoria *in relect. de mag. numero vigeſimo-ſexto* concludit, pactum intercedere ubi nec miraculum, nec naturæ vis, neque artificis ſolertia ad effectum expectatum intervenit. Unde Divus Thomas ait *ibidem ad primum.* Si adhibeantur ſimpliciter res naturales ad aliquos effectus producendum ad quos putantur naturalem habere virtutem, non eſt ſuperſtitioſum, aut illicitum. Si verò adjungantur vel characteres aliqui,

vel aliqua nomina, vel aliæ quæcunque vanæ observationes, quæ manifestum est, naturaliter efficaciam non habere, erit superstitiosum, & illicitum. Ita D. Thomas. Platonici contendunt characteres, signa, & imagines virtutem sortiri mirabilem, quando fabricantur ex cœlesti quadam constellatione, quæ ipsis imprimitur. Fundantur in magico illo Ptolemæi aphorismo: Vultus inferiores subjecti sunt vultibus cœlestibus. Quod refellit D. Thomas 3. *contra Gentes cap.* 75. docens figuram nullius actionis nec passionis principium esse, alioquin mathematica essent activa.

Secundum signum affert Torreblanca *loc. cit.* si ad vulnera sananda, & quaslibet infirmitates ac dæmones arcendos, locustas expellendas, sanguinem sistendum, ordinentur à privatis personis orationes, formulæ, nomina, vel similia recitanda, vel deferenda. Nulla enim verba physicè id operari possunt, nec ratione talis institutionis hos sortiuntur effectus ex vi operis. Quod declaro valere deprecativè secundùm regulas rectæ orationis, non constitutivæ & efficacis ad hujusmodi effectus, etiamsi instituantur ab Episcopo, vel à Summo Pontifice, ut jam dictum. Id autem, quod addit Torreblanca, quemlibet quantacunque sanctitate præditum, non posse instituere similes orationes, ac cœremonias, etiam fallibiliter efficaces, sive natura sua, sive modo miraculoso, falsum est, si de gratia gratis à Deo data, & ut instrumentum divinum, loquatur, aliàs negaretur divina omnipotentia. Quare potest Sanctus virtute divina instituere baculum proprium, vel cingulum, aut vestes ad sanandum ut narratur de baculo S. Bernardi, de cingulo S. Pauli, de vestibus S. Vincentii Ferrerii. Debet tamen hujusmodi instrumentum toties quoties elevari à Deo ad operandum hæc miracula.

Et licet Suarez se opponat *eo cap.* §. *n.* 27. Cajetano, excusanti salutatores, dicentes sanare per gratiam peculiarem sibi à Deo concessam. Quia Deus non consuevit conferre has gratias quasi permanentes, & affixas ipsis verbis, vel periaptis. Inde enim possunt infinitæ fraudes magorum occultari. Nec, subdit, verisimilis aliqua ratio est ad id præsumendum. Unde non posse id in foro poli dissimulari, in foro autem fori fortasse interdum conniveri. Quia non apparent sufficientia indicia ad pactum tacitum præsumendum. Nos tamen non affirmamus gratias istas gratis datas, esse permanentes & per modum habitus, sed quando Deo placet. Si autem hi sanitatum largitores operenentur, non impetrando à Deo, sed cum quadam certitudine effectus, quasi illis proprium sit, & nihil faciant, quod pietatem redoleat, sed vacent semper fraudibus, ac mendaciis, & lucro, dicendum est operari cum pacto superstitioso; & tunc prohibendi etiam in foro fori, nullo modo connivendum, quamvis non probetur evidenter pactum tacitum. Sufficit enim ex his præsumere, ac bono communi providere. Periculosum quippe est, ac superstitiosum inducere in Ecclesiam absque ipsius autoritate verba virtuosa vel res miraculosas ad sanandum, atque hæreticus absque dubio reputaretur, qui crederet se habere propria quædam verba, quibus infallibiliter conferretur animæ sanctitas ex promissione divina, præter Sacramenta. Idemque dicendum de quolibet supernaturali effectu verbis ipsis affixo.

Non ideo tamen negandum est, quædam ex his naturalibus remediis occultis, ac inusitatis curationes efficere ita, ut vulgò existimentur mirabiles. Quod certè superstitiosum non est, sed potiùs ad magiam naturalem pertinet. Potest verò ex fine esse peccatum vanitatis, vel avaritiæ, non quidem mortale, nisi vel injustitia aliqua committatur, vel scandalum aliquod grave inde oriatur, alliciendo homines, ut existiment illa fieri auxilio dæmonis, vel sub illa specie majora promittendo supra virtutem naturalium causarum, unde præberetur occasio ad experimenta magiæ superstitiosæ. Nam in his hominibus semper est morale periculum, ideoque non sunt publicè permittendi nisi clarè demonstrent, saltem Magistratibus, quales herbas applicent, & aliquam probabilitatem ostendant, eas tali virtute pollere.

Tertium signum est si orationibus, sive formulis promittatur effectus determinatus, à Deo impetrandus infallibiliter. Nulla enim possunt verba institui directè ac physicè efficacia ad Deum trahendum, ut miraculosè operetur, vel solùm indirectè ac moraliter objectivè, scilicet instituendo objectum, ad cujus præsentiam Deus cogatur ad talia faciendum. Non enim supponitur pactum initum inter Deum, & talem institutorem. Quare, si naturaliter non videantur posse tales effectus producere, non possunt adhiberi ad eos causandum; tanquam causæ, sed solùm ut signa, & sic pertinent ad pactum cum dæmone initum.

Quartum signum est, si hujusmodi orationes aliquid contineant otiosum, vel extraneum, vel nomina incognita, obscura, barbara, aut peregrina. Sic enim pacta suspiciosa sunt, ut de litteris Ephesinis narrat Rhodiginus *antiq. lect. cap.* 14. Fuerunt enim nimis curiosi Ephesini, teste D. Luca *Act.* 19. utpote ab Apollonio Thyanæo magicis artibus instructi, ut scribit Philostratus *in ejus vita libro quarto.* Unde meritò combusti fuerunt libri jussu Apostolorum. Verba autem erant *Asci, quotasci, ex, damnameus, exion.* Quæ ita interpretatur Rhodiginus: *tenebræ, lumen, ipse, sol, verum.* Similia refert Reginaldus *libro decimo-septimo, capite* 159. & Petrus Gregorius *in syntagmat. parte tertia, libro trigesimo-quarto, capite decimo-nono* contra nocturnas infestationes instituta. Jamblicus quoque apud Rhodiginum loco allegato his vocibus barbaris, & extraneis vim tribuit mirabilem. At ridiculè. Nam nomina, licet instituta à Deo, non valent, nisi ad miracula determinata, atque à Deo elevantur.

Quintum signum est, si divinis nominibus alia superstitiosa misceantur, ut diximus de nominibus trium Angelorum immistis ab Aldaberto, qui ideo in Concilio Romano damnatus fuit sub Zacharia.

Sextum signum adducitur à D. Thoma, & ab ejus expositoribus 2. 2. *q.* 3. *& d. q.* 96. *ar.* 2. *& opusc.* 25. *ar. ult.* & à Sylvestro, Armilla, Cajetano, Astense, Rosella, Tabiena, Toleto, aliisque Summistis *v. sortilegium, incantatio, divinatio, maleficium, & superstitio,* à Victoria *relect. de magia n.* 34. si nimirum aliquid falsitatis, aut vanitatis tales orationes contineant. Non enim Deus *respexit ad vanitates, & insanias falsas,* ubi Hieronymus legit ad incantationes, & maleficas artes, ut *alibi* annotavimus.

Septimum signum est, si in orationibus, ac verbis etiam sanctissimis nomina divina inseruntur incognitæ significationis, vel cognitæ, sed impertinentis ad quod applicantur, ut Tetragrammaton, Jehova, Adonai, Eloim, quibus Paracelsus *lib. de cœlest. medic.* determinato modo adhibitis opinatur se universos morbos sanare. Sic & nomina trium Regum, aut Machabæorum, vel aliorum cum certis quibusdam sigillis, & vanis characteribus, magos illos supponentes. Sic etiam deferre Evangelium S. Joannis aut Psalmos, vel alia verba Sacræ Scripturæ cum spe ac fiducia, quod deferentes immunes sint ab igne, à tormentis, à periculis ex eo, quod à tali viro conscripta, vel cum talibus characteribus, & figuris, ut per Navarram *in man. cap.* 11. *nu.* 34. Id enim est superstitio superflui cultus, si non falsi, poteritque inter-

intervenire tentatio Dei, si ob nimiam fiduciam temerè se homo periculis exponat, aut in periculis omittat consueta media, quibus se tueatur. Nam postulare à Deo miraculosum defensionem, aut protectionem sine causa, vel speciali instinctu, est tentare Deum. Unde oratio, vel alius cultus ad id oblatus, superfluus, & vanus est. Quia revera per talem actionem ipse non honoratur.

Ad hoc signum reducitur, si spes ponatur in modo scribendi, aut recitandi, vel talibus litteris, tali charta, vel sono, aut rythmo, sique in tali persona, puero, virgine, vel tali hora debeant fieri, aut in tali cœli positura vana, & fallaci per textum *in can. non licet 26. qu. 5.* Quo sensu D. Paulus Galatas reprehendit illis verbis cap. 4. *Dies observatis & menses, & annos, &c.* Quod tamen locum non habet in experimentis naturalibus agricolarum, nautarum, medicorum, de quibus supra.

Octavum signum suspectæ pactionis sunt orationes omnes ex verbis sanctissimis coalescentes, in quibus à Deo petuntur Sanctorum apparitiones, ac revelationes, aut si in eis petatur aliqua gratia gratis data, ut futura cognoscere, scientias sine studio obtinere, diem mortis præscire, aliaque hujusmodi. Non enim voluntate humana allata est prophetia 2. *Petri c.*1. & 1. *Cor.*12. Est enim hæc magna temeritas,& periculis exponitur. Unde Judith 8. *Non est iste sermo, qui misericordiam provocet, sed potiùs ut iram excitet, & furorem accendat. Nam posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis.*

Præter verba, vel sine verbis consuescunt applicari etiam actiones, aut cœremoniæ, circa quæ generalem regulam tradunt Theologi, quamlibet actionem, vel signum, præter signum crucis semper, aut plerumque ac generatim esse superstitiosum, ac sæpè importare expressè idololatriam; in quibus actionibus, & aliis ejusmodi, præciso expresso cultu dæmonis, reperitur semper inutilitas in ratione causæ. Quia nulla virtute naturali pollent ad effectum intentum. Sunt quidem tantùm cœremoniæ quædam, quæ levibus manuum motibus, aliorumve membrorum corporis exercentur, per se non activis in ordine ad alia, ad quorum commodum ferè semper diriguntur. Neque in ipso operante, si in eo effectus desideretur, valent per se efficere, nisi hoc, vel illud, ubi & per accidens calorem aliquem, si motus sit ad illum sufficiens, ut rectè notavit Suarez *d. lib.* 2 *cap.* 11. Quod in hoc casu non solet accidere, neque ad id ordinantur, atque adeò certum est, ritus istos solùm applicari in ratione signi, cùm nulla alia supersit ratio, præcisa ratione causæ. Unde cùm tale signum à Deo non proveniat, tantùm ex pacto dæmonis haberi potest. Nec ipse moveretur signis ab alio traditis, ut de signis divinationum tradit Eusebius 5. *de præpar. cap.* 7.

Si autem res permanentes applicantur ad inferendam salutem, & naturalem ad id virtutem non habent, sequitur, quod adhibeantur signa dæmoniaca. Non enim sunt instrumenta Dei, qui potest, lutum oculis imponendo, visum restituere. Nihil enim talium promisit Deus se facturum per tales res. Unde superstitiosè applicantur. Sicut & si effectus tanta celeritate fiat, vel fieri credatur, ac speretur, ut excedat naturalem virtutem illarum rerum naturalium. Et tunc quoad hoc assumitur, ut signum juxta regulam Aristotelis: Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita secundùm quid ad secundum quid. Idem dicas si in distantem locum contendant actiones operari præter ordinem naturæ, ut cum adhibita certa unctione brevissimo tempore in locum distantissimum ducitur, & effectum operatur sanitatis.

Denique pactum involvitur implicitum quando res naturales adhibentur ad effectum aliquem producendum, non ex vi naturali, sed ex aliqua circumstanti vana, ut quod sint herbæ collectæ tali die, vel tali hora, à tali persona, vel in tali numero. Ideò prohibentur *in can. non licet 26. qu.*5. hisce verbis. *Neque in collectionibus herbarum, quæ medicinales sunt, aliquas observationes liceat attendere, etiamsi aliàs virtutem aliquam habeant.* Ita Augustinus *lib.*2 *de doctr. Christ. cap.* 18. Qua de re nos alibi.

Ad hæc reducuntur qui res applicant ad effectus non naturales, nec secundùm divinam institutionem, veluti hostiam consecratam ad amorem conciliandum, oleum sanctum, vel hujusmodi rem aliam, ut per Delatorre, Suarez, Valentiam, & Sylvium *locis allegatis* 2. 2. Cajetanus *in sum. v. superstitio*, Navar. *in man. cap.*11. Cirvel. *de superstit. p.* 3. *c.* 3. Toletus *in sum. lib.*4. *cap.*16. Castrius *de just. hæret. punit. lib.*13. *cap.*1. Malleus *p.*2. *qu.*1. *cap.* 5. Moura *sect.*2. Torreblanca *ibid.* Delrius *lib.*3. *magic. p.*1. *q.*3. Carena, Maiolus Salelles, Pegna *in Eymer. q.*43. Bozius *de sign. Eccles. lib.* 14. *c.*7. Sayrus *in clav. reg. lib.*4. *c.*6. aliique. Verbo. Quoties quis utitur vanis, ut utilibus, adest pactum implicitum. Dæmon enim se ingerit his vanitatibus.

Neque objicias, quod possit aliquis velle uti his vanis inquisitionibus, expressè intendendo, non velle habere pactum cum dæmone, sed tantùm ob experimenta aliqua, quæ demonstrant, futura ita evenire, sicut signa illa indicant secundùm regulas talis artis vel traditionem in ea peritorum. Imò iste sic illa utens, non curat quomodo fuerint manifestata hominibus talia signa, sed ab hoc abstrahit, & à quolibet pacto cum dæmone per expressam intentionem; Potest item quispiam opinari, talia signa non fuisse ostensa à dæmone, sed vel à Deo ita fuisse ad significandũ imposita, quemadmodum Origenes credidit de signis cœlestibus. Vel quòd casu sint reperta, & longo usu comprobata, & proinde non intercedit in his casib. pactum implicitum.

Nam respondetur, posse quidem accidere per ignorantiam crassam, vel incogitantiam aliquem velle contraria, unum scilicet explicitè in se ac formaliter, aliud implicitè virtualiter & in alio. Ita cõtingit in hoc casu. Etsi enim voluntariè utens talibus inquisitionibus vanis, ut talibus, explicitè affirmet, se nolle pactum cum dæmone, implicitè tamen vult illud. Et licet id contradicere videatur explicito pacto, de facto tamen implicitum admittit. Nam intendit uti his mediis, ut utilibus, cùm probatum sit, nullam utilitatem importare posse, nisi ope dæmonis. Aliàs veræ essent causæ naturales, vel divinæ, non vanitates. Existimare autem illa esse utilia ob experimentum præcisè, & absque consortio dæmonis, vanum est. Sunt etiam ipsa experimenta à dæmone procurata, ut credunt homines, illa esse utilia, unde ait Augustinus *loc. cit.* vera quandoque dæmones prædicere, ut famam divinitatis occupent. Experimento insuper comprobatur, experimenta illa sæpius esse fallacia, tametsi, notante Phavorino apud Aulum Gellium *lib.*14. *noct. Attic. c.*1. ac Cicerone *lib.*2. *de divin.* vera tantùm enumerentur, quia pauca sunt, innumera autem falsa, ut advertit Augustin. *lib.*7. *confes. c.*6. Plura casu eveniunt inter multa, quæ prædicuntur, ut de carminibus Nostradami, & aliis oraculis. Unde si creditur absolutè prædictis signis, ut verè adhibent fidem ariolis, hoc est manifestum signum pacti taciti, & concursus dæmonis. Neque excusantur ij, protestando se non curare, unde id proveniat. Tenentur namque id curare. Ideo non curantes, nullamque habentes probabilitatem, quòd sit à Deo, voluntariè se ignorare fingunt per ignorantiam affectatam id, quod à dæmone procedit, ac virtualiter, & tacitè intendunt illo uti, etsi à dæmone proveniat, si tamen verè adesset ignorantia invincibilis, quod possibile judicamus, licet regulariter nimis crassa videatur, potest excusari, vel à toto, vel à tanto juxta gradus, & regulas ignorantiæ.

Cæterum omnia omina sunt illicita. Est contra Rabbi Davidem Kimki. Quoniam universim damnantur, ac prohibentur in Sacra Scriptura, neque est ulla probabilis ratio excipiendi ea, quæ ex verbis hominum attenduntur. Unde illius sententiam falsam, & erroneam esse pluribus comprobat Abulensis *loco supra citato*. In utrisque enim est eadem ratio malitiæ, cum utraque æquè sint incerta, & vana, ideo æquè damnantur à Patribus, tanquam ea, quæ pertinent ad reliquias idololatriæ.

Quare generaliter tenendum est, omne genus divinandi esse intrinsecè malum, ideoque nunquam cohonestari posse, si rationem divinationis jam explicitam retineat. Unde rectè Cajetanus *in d. qu.* 95. *art.* 2. post D. Thomam tradit, hoc vitium esse prohibitum, quia malum, non contra, quem omnes sequuntur, teste Suarez. Quoniam non aliunde, quàm ex propria materia, & conditione deformitatem importat. Unde si aliqua actio materialiter similis videtur admissa, vel approbata, signum est, non fuisse acceptam cum conditionibus requisitis ad formalitatem divinationis, & consequenter nullum pactum implicitum cum dæmone intercessisse.

Ad ea verò, quæ opponi possunt *ex Genesis* 24. de Abrahamo, *ex* 1. *Reg.* 14. de Jonatha, & ex Davide *ibi cap.* 20. & de Josepho *Genes.* 44. respondet D. Thomas *d. qu.* 95. *art.* 7. *& seqq.* D. Augustinus *lib.* 1. *in Genes.* Chrysostomus *hom.* 48. *in Genes.* Abulensis *ibidem*, Theodoretus *qu.* 104. Pererius *disp.* 2. *in d. cap.* 44. *Genesis*.

Tenendum etiam est quod, licet inquiratur expresè per dæmonem notitia futurorum, quæ illi nota sunt ex lumine naturæ certò, vel conjecturaliter, est tamen superstitio qualificata. Quia non sola futura sunt nobis ignota, sed etiam multa præsentia, & præterita, hinc factum est, ut nomen divinationis extenderetur ad illicitam prædictionem rerum præteritarum & præsentium, & occultarum etiam ea ratione qua humana industria sciri nequeunt. Qua ratione divinationis crimen incurrunt, qui ope dæmonum (nec enim aliter possunt) occultum furem produnt, aut patefaciunt occultas causas morborum, vel mortis humano studio non vestigabiles. Imò potest hoc crimen incurri, etiam in prædicendis his, quæ certissimè ex suis causis prænosci queunt, si non ex earum causarum consideratione, sed per auxilium dæmonis prænuncientur. Atque adeò generaliter peccatum divinationis est, cum quis auxilio dæmonum, sive expresè, sive tacitè invocato, tentat prænoscere, vel prædicere res quaslibet, ipsi naturaliter ignotas.

Neque dubitandum est, gravissimum esse peccatum inquirere abscondita cum expressa dæmonis invocatione, non solùm ob manifestam societatem cum irreconciliabili hoste Dei, redundante in magnam ipsius Dei injuriam, & contemptum, peculiariter quia dæmonis studium totum tendit ad obscurandum ejus honorem quantum potuerit, sed etiam propter periculum apostasiæ à Deo, cui talis divinator se exponit, sæpissimèque justa Dei permissione cadunt in apostasiam, vel hæresim expressi dæmonis invocatores. Tandem ob cultum divinum, qui dæmoni per hujusmodi invocationem conceditur, etiamsi inquiratur notitia possibilis naturaliter dæmoni, verè enim etiam tunc, illi tribuitur cultus divinus, ideo superstitio incurritur. Etsi namque non recurratur ad dæmonem pro cognitione Deo propria; quia tamen per hanc ipsam societatem dæmon affectat aliquid excellentiæ divinæ, intendens, quod homo, Deo relicto, ad ipsum confugiat, in illoque adversus divinam voluntatem confidat; ideo sic confugiens cooperatur dæmoni in ea divini honoris usurpatione, atque adeo peccat contra religionem. Quod expresè docet D. Thomas 1. *par. qu.* 57. *art.* 3. etiam de cognitis à dæmone lumine naturali, & *ar.* 2. *d. q.* 95. ubi generaliter docet, pertinere ad superstitionem, cùm aliquis assumit auxilium dæmonis ad aliquid faciendum, vel cognoscendum. Imò dicimus, si est expressa invocatio, sortilegium esse qualificatum, etiam ad sciendum nota dæmoni virtute naturali.

Adversus hanc doctrinam ita arguit Torreblanca *loco citat.* Invocans dæmonem ad quodcunque opus naturæ, non ut dæmonem, sed ut spiritum scientem, & valentem ex divina permissione ordinaria, non est hæreticus, quia nullum errorem in mente fovet, in quo hæresis consistit *can. hæreticus* 24. *qu.* 3. Neque, subdit, in contrarium facit Nicolaus Eymericus *in direct. Inquisit. par.* 2. *qu.* 43. dum enumeratis multis casibus, in quibus hæresis intervenit, hoc subnectit ex D. Thoma: In alijs operibus magicis complementum operis ex virtute dæmonis expectatur. In omnibus enim est apostasia à fide propter pactum initum cum dæmone, vel verbo tenus, si invocatio intersit, vel facto aliquo, etiamsi sacrificia desint. Quia ibi D. Thomas, ex quo prædicta verba refert *ex sent.* 2. *dist.* 7. *art. fin.* agit de sortilegijs hæreticalibus, in quibus à dæmone quæritur aliquid, quod est extra ejus naturam per meram invocationem, virtute præcedentis pacti. Quod satis est ad hæresim, ipso Eymerico docente, ac Pegna *in com.* 68.

Nec minus ait, obstat Albertus Magnus *in* 3. *sent. d.* 7. *art. fin.* dum inquit: Si autem non sit, (de invocatione agit) nisi opere simplici, tunc est apostasia. Non enim addit Torreblanca, apostasia semper hæresim continet. Quandoque enim transgressionem præcepti exprimit, *cap. siquis venerit*, *cap. illud de major. & obed.* Glos. *in cap.* 1. *de apost.* quæ in quolibet magiæ opere intercedit, ut annotavit Petrus Binsfeldius *in confes. malef. par.* 1. Nec semper invocatio exhibet actum latriæ, ut docet D. Augustinus *tom.* 3. *lib.* 1. & in jure invocare accipitur pro implorare auxilium, sive gladium Magistratus *l. Episcopale C. de episcopal. aud. cap.* 1. *de offic. Ordin.* Bald. *in l.* 1. *ff. si quis jus dicenti non obtemper.*

Eadem objicit *in oper. spir. lib.* 13. *cap.* 7. At, quod mirum est, statim sibi contradicit §. 22. sic inquiens: In expressa invocatione dæmonis semper intervenit hæresis. Deinde §. 35 ita etiam ait: Sortilegium ad tentandam alicujus pudicitiam, non est hæreticum, quamvis regulariter fiat cum dæmonis invocatione, dum non interveniat error in fide, nec sacrarum rerum abusus, etiamsi faciat ad placendum dæmoni, ut opem illi ferat. Ad id falsò, more suo, affert autores benè multos. Imò & antea *cap.* 4. veritatem coactus fatetur. Nam sic asserit *num.* 9. Superstitiones, quæ ex dæmonis fœdere emanarunt, hæresis suspectæ sunt, ut de vanis observationibus dierum & temporum crediderunt plures autores. Sic de sortibus subdit illicitis, quæ ad pacta cum dæmone pertinent, & auspiciis, & auguriis. Quæ tamen limitanda sunt, dum adsit dicto, vel facto, invocatio expressa dæmonis. His tamen contraria plurima tradit *capite proximo*.

Malum id quidem, sed alia pejora sunt, Nam negat esse factum hæreticale conculcare, comburere imagines Sanctorum, eisque convicium facere, quia non contra latriæ cultum faciunt. Ad id comprobandum etiam affert plures autores. Subjicitque: Etsi per se hæc non sapiant hæresim, possunt tamen ea facientes ab Inquisitoribus capi, & torqueri super credulitate fidei, at non potest tortura imponi super credulitate, nisi emergat suspicio hæresis. Ubi confundit aliquid esse hæreticum, quod importat errorem intellectus cum pertinacia, cum facto hæreticali, quod

quod per se tantùm reddit operantem de hæresi suspectum, quodque potest esse cum vera fide, ut habetur de Marcellino Papa *in can. nunc autem d.* 21. & de Hosio Episcopo Cordubensi quem Sanctum absolutè appellat Torreblanca. Sed quo jure? Forsitan, quia Hispanus? At lis est inter Doctores de ejus salute, sicuti & de Origene, de quo Vigliegas *de Prophetis in vita Salomonis*, & alii allegati à Bernardo Alderate *lib.* 1. *antiq. hisp.an. cap.* 4. Qua ratione excusatur etiam ab errore circa reiterationem baptismi D. Cyprianus. Mox addit, hæreticum censeri, qui utitur vulgaribus benedictionibus, orationibus, verbis, &c. ad effectum, ad quem non sunt instituta ab Ecclesia, quia deservirent in signa pacti latentis. Quod tamen falsum est. Si enim pactum tantùm est implicitum, non solùm non censetur hæreticus, sed ne suspectus quidem de hæresi, cùm sint superstitiones simplices, & absque abusu Sacramentorum; Præter alia plura contradictoria, & improbabilia hujus Autoris, quæ nunc omitto, hæreticalia vocat omnia opera magica, quæ exercentur ad nocendum hominibus, animalibus, & segetibus, quia ex pacto cum dæmone. Idem ait de salutatoribus, de incantationibus ad evitandum grandinem, vel ad aliud bonum hominum. Quæ tamen cùm tantùm pacto implicito exercentur non important hæresis suspicionem.

Postea verò *lib.* 15. *cap.* 3. *num.* 3. melius considerans vocat sortilegia hæreticalia, quæ cum aliquo dicto, vel facto hæreticali committuntur, quæ prima fronte præ se ferunt odorem, & saporem hæresis ex Repertorio, Simancha, Zanchino, Zechio, Azorio, Farinacio, Sylvestro, Rolella, Rojas, Moura, Eymerico, Pegna, Squillaccuse, & Carena. Iterum *n.* 20. inquit, omnia sortilegia, apostasiam à fide, & manifestam hæresis suspicionem involvere. Quod comprobatur de pacto expresso tantùm, ut ipse videtur se declarare *nu.* 23. & firmant Doctores ab ipso allegati. Et quidem, quando dæmon concurrit aut visibiliter, aut præstando effectum, tale pactum resolvitur in expressum, ac formale, ut per Valentiam *to.* 3. *disp.* 6. *qu.* 12. Delatorre, Suarez *loco citato*, Saynum *in clavi reg. lib.* 4. *cap.* 6. Mouram *sect.* 3. *cap.* 5. & nos annotavimus ex Cajetano, pactum expressum esse idem ac invocationem expressam dicto, vel facto. Excusandus tamen hic autor, vel quia non erat Theologia imbutus; vel quia rebus S. Officii non instructus; vel quia sermonibus ferè æquivocis ex arbitrio, non secundùm institutionem communem, præcipuè Sapientum, usus est.

Respondemus igitur, nullum peculiarem errorem importari ex parte objecti in invocatione dæmonis ad ei possibilia naturaliter. At invocatio ipsa ex parte facti, præciso quolibet alio, involvit errorem manifestum, in quem cadit, qui credit licitum esse quolibet modo invocare dæmones contra Sacras Scripturas, & rationes jam dictas, cujus saltem est suspectus, qui illum invocat. Et hanc vocat apostasiam fidei expressis verbis Eymericus, D. Thomas, & Albertus, ac Doctores communiter, imò & Patres, Augustinus, Cyprianus, Cyrillus, alii, qui tamen loquuntur per se, non de hæretico formali, sed suspecto, ut præter alios tradit Suarez *d. lib.* 2. *cap.* 14. *nu.* 8. Patetque ex doctrina D. Thomæ, quæ communis est 2. 2. *qu.* 12. *art.* 1. contingere aliquem apostatare à Deo, retrocedendo à Religione regulari, quam professus est, vel ab ordine, quem suscepit, ac etiam per mentem adversantem divinis mandatis: At verò apostatare à fide, subjungit D. Thomas, est omnino retrocedere, quod vocatur simpliciter, & absolutè apostasia, ad infidelitatem pertinens, & de hac expressè ipse, aliique Doctores locis allegatis loquuntur. Verum autem est, Albertum, & non neminem alium loqui de simplici superstitione, & pacto implicito, neque affirmare proximam importari suspicionem hæresis, sed tantùm remotissimam, quæ non est sufficiens fundamentum abjurationis, ne levis quidem. Et in hoc sensu interpretationem accipiunt plerique Patres.

Nos autem asserimus cum eodem D. Thoma ipsas invocationes, aliaque experimenta magica & opera infidelitatis non importare formaliter hæresim, aut infidelitatem, sed horum signa. Unde ad infidelitatem per se spectant per modum, quo signum sanitatis sanum dicitur. Quare non declaratur per se, & formaliter ex his factis quisquam hæreticus, sed de hæresi suspectus; sicut qui sepulchrum Mahumeti adoraret, apostata reputaretur à fide præsumptivè, quatenus ex facto illo vehementer redderetur suspectus hæreticæ apostasiæ. Et quamvis, annotante ibidem Cajetano, talis aliquando non peccet peccato infidelitatis interiori, ut de Marcellino Papa diximus, qui ex timore gravissimo, pravè tamen, quia nullus timor excusat à per se malis, ut est sacrificium Idolorum, thus Idolis obtulit, peccat tamen per se peccato infidelitatis exteriori, non opposito fidei, sed fidei confessioni. Sicque licet hic non sit hæreticus, apostata, aut idololatra secundùm mentem, est tamen in exteriori, & subjectus juribus Dei, ac fidei Quæsitoribus contra hæreticos, idololatras, & apostatas. Nam homo judicat ea, quæ extra sunt, Deus voluntatem consentientem in exterius sacrificium, vel invocationem dæmonis Mitius tamen, inquit Cajetanus, exercenda sunt jura contra reum, idque propter timorem, cùm tantùm reddatur suspectus de hæresi ex magicis experimentis, ut est expressè invocare dæmones ad sciendum futura. Ideò per se non abjurat formaliter, neque pœnis hæreticorum subjicitur, sed ad cautelam solùm à censuris absolvitur, interdum tamen adduntur alia, quæ per accidens Suarez *d. lib.* 2. *cap.* 19. appellat, ex quibus brachio seculari reus traditur. Quod non fit in hæretico non relapso, neque negativo, ut patet ex Constitutione Gregorii XV. contra strigimagos, profitentes dæmoni, abortus, infanticidia, & mortes hominibus maleficiis inferentes. Nec requiritur ad superstitionem falsi cultus secundi, & tertii generis necessario latriæ adoratio erga dæmones quæ constituit idololatriam explicitè, sed sufficit cultus duliæ, quæ videlicet exhibetur cuilibet Sancto. Est enim hæreticum affirmare, quod istud liceat, imò neque amicabiliter cum dæmone tractare, ut cum homine quolibet, nil insigne habente sanctitatis, aut virtutis. Licet autem Sanctos invocare, ut Dei amicos, & apud Deum intercessores. Nec solùm est blasphemia hæreticalis convicium Deo factum, ejusque attributis, sed etiam factum Beatis, eorumque sanctitati, ac venerationi.

Tandem horreo, ac reformido dicere, quæ idem Torreblanca *num.* 16. subjungit. Dicam tamen. Ait non esse hæreticale miscere reliquias Sanctorum, aut eas dissolvere ad maleficia. Quia non est contra latriam, sed duliæ venerationem. Affert suos Autores. Pariter ait, non est hæreticale, imagines B. Virginis, vel aliorum Sanctorum terra prosternere, aut ausu temerario compungere, vel conviciari, licet gravissimum sit peccatum. Alia ejusdem furfuris effutit, quæ nulla alia indigent confutatione. Ea enim retulisse, vel legisse apud bonos & doctos refellere est.

Porrò etsi divinatio ex genere suo sit peccatum lethale, interdum tamen divinatores excusantur ab hoc peccato juxta regulas communes ignorantiæ. At qui expressè invocant dæmonem sive verbo, sive facto, nunquam excusantur à mortali. Verbo quidem invocant, qui voce à dæmonibus exposcunt occultorum notitiam. Facto qui aliqua efficiunt, quæ sciunt conventa inter dæmonem & hominem.

Non tamen excusat à peccato lethali divinationis ignorantia crassa, & supina, illa scilicet, quæ, pensatis omnibus circumstantiis, facilè superari potest. Neque affectata, illorum nempe, qui renuunt instrui. Nam hic ignorare vult malitiosè. Ideò jure merito Alexander Tertius *in cap. ex tuarum de sortileg.* noluit excusare, sed pactum gravissimum dixit commisisse presbyterum, qui cum quodam infami de arte magica ad privatum locum accessit, non ea intentione, ut vocaret dæmonem, sed ut inspectione astrolabii furtum cujusdam Ecclesiæ posset recuperari, quamvis dæmonem non invocaverit, atque ex zelo bonorum Ecclesiæ, & ex simplicitate motus videatur. Nam illa ignorantia fuit supina, & affectata. Et quia in loco secreto & cum homine infami se inclusit ad talem perquisitionem. Et quia presbyter. Sic & Cajetanus non excusat ob ignorantiam eos, qui utuntur quodam versiculo Psalmistæ, ut annulus filo appensus moveatur. Nam constat ex Deo non esse inditam virtutem sacris verbis ad hujusmodi vanitates, nec suaptè natura inesse illis hanc virtutem. Ergo ex dæmone. Quoniam verò aliqui credunt hoc accidere naturaliter, excusantur, si ignorantia verè sit invincibilis, juxta ea, quæ idem Cajetanus *in ea qu.* 95. 2. 2. *ars.* 3 tradit.

Si igitur ignorantia fuerit tanta, ut difficile sit illam superare, vana inquisitio, existimata utilis, evadet venialis, quæ ex genere suo esset mortalis. Ut si quis non satis doctus crederet uti quibusdam vanis juvare ad notitiam occultorum ex vi quadam secreta, quæ ipsum latet, talis usus erit peccatum veniale, imo nullum peccatum, si divinatio innitatur mediis proportionatis ad conjiciendum aliqua futura secundùm consilium sapientum timoratæ conscientiæ, ac proinde nec subjecta pœnis canonicis. Nam hæc præsagium potiùs debet appellari, quàm divinatio. Imò Cajetanus *d. art.* 3. ac *in sum. v. superstitio*, quem sequitur Suarez censet, plerumque esse venialem vanam observationem, quia ex quadam simplicitate fit absque præsumptione mali, aut pacti cum dæmone. Immò addit, posse fieri absque aliquo peccato, quando ex præsenti occursu concipitur suspicio alterius mali eventus ex causa utraque communi, cùm scilicet illa conjunctio in communi causa fundatur in aliqua ratione probabili, non aliter. Ideo, ut annotat idem Cajetanus, & communiter Doctores, præcipuè Suarez, Sylvius, Delatorre, & Salelles maxima attentione pensandum, an illa media, quibus utimur ad cognoscendum occulta, sufficientia sint, ut ex illis notitia occultorum accipi queat, an non sufficientia, ne perperam condemnentur, ut superstitiosa, quæ talia non sunt, neve Theologi ludibrio habeantur à Philosophis, qui plura occulta conjiciunt ex causis vulgò ignotis.

Utens autem vanis animo non faciendi, si certus, vel ambiguus sit in illis adesse vim dæmoniacam, à lethali excusatur: Nam iste videtur laborare ignorantia invincibili. In quo tamen distinguit Sylvius *in d. qu.* 95. *art.* 2. post Cajetanum, & Suarez. Si enim intercedit pactum explicitum cum dæmone, ignorantia, saltem inter fideles, non potest excusare à mortali. Nam involvit malitiam nimis evidentem, secus dicendum de invocatione implicita. Licer namque ipsa grave sit peccatum, minùs tamen, nec ita clarè. Unde faciliùs excusabilis, quàm invocatio expressa, ut docet D. Thomas *ibidem d. art.* 3. *ad* 1. Per ignorantiam tamen non nimis crassam, & supinam, ac per bonam fidem, & simplicitatem operantis, potest esse peccatum duntaxat veniale. Quia ejus malitia non est tam evidens, ut de dante operam alicui divinationi, tanquam vanæ, & inutili, & tantùm ex joco, vel levitate, aut de nesciente, quod in illa subsit aliqua dæmonis invocatio, docent iidem Autores. Imò neque de ea dubitans, non sanè facturus, si putaret subesse, sicut ex somnio, augurio, & similibus, quis concipit aliquem timorem de malis futuris, fidem tamen eis non adhibendo, aut si semel, ac iterum faciat vel omittat aliquid ex tali timore, ad quod non est obligatus sub lethali, dummodo ad hujusmodi divinationis præscriptum actiones suas non dirigat, ut per Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 38. *nu.*19. *& seqq.* & antea Cajetanum *loco citato.*

Quando autem vanæ inquisitiones non excedunt limites vanitatis, quia scilicet illis utentes, existimant eas inutiles, & potiùs intendunt animi causa illis uti, quàm occultorum notitiam adipisci, erit veniale peccatum vanitatis, nisi, qui ita delectatur, periculo superstitionis se exponat. Facilè enim vanis incumbens deducitur ex vanis ad credendum, esse utilia, & consequenter ad superstitionem incidit. Non desunt tamen qui censeant, esse actum virtutis Eutrapeliæ hisce vanis inquisitionibus aliquando vacare. At perperam quidem. Actus enim virtutis vacant vanitatibus, neque exponuntur periculis superstitionis.

Ex levitate quoque materiæ peccatum divinationis evadit veniale, non quidem ex rebus levibus divinatis, sed ex levi societate cum dæmone inita, in qua continetur malitia divinationis. Etsi enim invocans dæmonem, sive tacitè, sive expressè ad occultorum, etiam levissimorum notitiam adipiscendam per se mortaliter peccat, ut tradit ex communi sententia Sanchez *loc. cit. num.* 9. Sousa *lib.* 1. *aphor. cap.* 38. Lessius *lib.* 2. *dub.* 5. Suarez ac Delatorre *post Cajetanum*, quos sequitur Carena, & Salelles; quia talis invocatio pertinet ad perfectam rationem vitæ socialis, imo, addit Sylvius, etiamsi ad cognitionem futurorum, vel præsentium, vel scitorum ab operante; potest tamen esse, subjungit Suarez *cap.* 10. *d. lib.*2. quòd aliquis non præbeat definitum assensum de futuro eventu ominato, sed solùm, quod ex vano quodam timore concepto, vel alia levi voluntate, cesset ab actione, vel aliam inchoet. Tunc, ait, facilè potest credi solùm committi culpam venialem, per se loquendo, & secluso scandalo, aliisque circumstantiis: Si verò definitè credat futurum tristem eventum, quem præsagit solùm propter vanam observationem, non potest peccatum illud à malitia gravi excusari, nisi maxima sit ignorantia, & ruditas personæ. Idque confirmat Torreblanca *lib.* 11. *cap.* 14. & D. Thomas 2. 2. *qu.*74. *art.* 5. ibique Medina *disp.*1. *& qu.* 76. *art.* 2. Secus autem in pastoribus Ecclesiæ, Doctoribus, Confessariis, Concionatoribus, Judicibus. Supponitur enim crassa, supina & invincibilis ignorantia, ideò non excusans, ut tradit Pegna ad Eymer. *in direct. p.* 1. *qu.* 7. *num.* 21. Farinac. *de hæret. qu.*181. Simanch. *de catholic. instit. tit.* 27. *num.* 13. Decian. *lib.* 5. *cap.* 33. Unde isti graviter peccant, etiamsi pactum nullum cum dæmone, aut mago inierint, neque intendant illi consentire. Eo enim ipso, quod faciunt id, quod ab illis est institutum, tacitè consentiunt in pacto, saltem inito cum primo institutore, ut annotavit Remig. *lib.* 1. *dæmonolatr. cap.*1. *&* 3. nec protestatio liberat, quando non est dubium, quin dæmon se ingerat, ut per Sanchez *d. lib.* 2. *cap.* 38. *& lib.* 7. *de matrim. disp.* 95. subditque Lessius *de just. cap.* 44. *num.* 4. quod, etsi per protestationem excludat dæmonem quantum est ex se, si tamen ipse occurrit, non excusatur. Quia eo ipso quod facit à mago instituta, tacitè consentit pacto, & malitiæ. Hoc ipsum docet Castr. *de just. hæret. punit. lib.* 1. *cap.* 14. Suarez *tom.* 1. *d. lib.* 2. *de relig. cap.* 40. & Moura *de ensalm. sect.* 2. *cap.* 18.

CON-

Consultatio XCIII.

De Invocatione dæmonis. Quando sit actus superstitiosus, & hæreticalis, subjectus Inquisitoribus. Quotuplex dæmon invocari possit. De invocatione dæmonis per modum adjutorii, deprecativa, imperativa, ad finem bonum assequendum. Quodnam peccatum committat credens responsum hominis esse certum & infallibile? Num dæmones bona consulentes sint audiendi?

DÆmon tripliciter invocari potest. Primò per modum indignationis, iræ, desperationis, cùm quis illum invocat in suum, vel alterius damnum. Vel cùm alteri dicit: Si non vis facere amore Dei, vel alicujus Sancti, fac illud amore dæmonis. Hæc invocatio est quidem peccatum lethale, sed non est actus superstitiosus hæreticalis, neque casus Inquisitionis. Nam in tali invocatione nulla apparet hæresis, aut hæresis suspicio, neque cultum, & honorem erga dæmonem importat. Neque ex illis verbis, si non vis facere amore Dei, fac amore dæmonis aliquis cultus, aut reverentia dæmoni exhibetur, cùm sint verba indignationis, & per iram, & exaggerationem dicta.

Secundo modo invocatur Dæmon per adjurationem, quando exorcista illi imperat, ut exeat è corpore obsessi, vel damnum non inferat hominum bonis. Hæc invocatio est licita, justa, & à Deo instituta. Si verò fieret non imperativè, sed deprecativè, dæmonem rogando tunc esset superstitiosa, & hæreticalis. Quia talis deprecatio ex natura rei includit cultum, & honorem dæmoni per propriam subjectionem deprecantis. Ideoque esset hoc peccatum mortale superstitionis, & casus Inquisitionis.

Tertio modo dæmon invocatur per modum adjutorii ad consequendum aliquid, sive bonum, sive malum. Ut siquis petat thesaurum, sanitatem, scientiam, cognitionem rerum occultarum, mortem proximi, similia. Tunc, sive talis invocatio fiat imperativè, sive deprecativè, semper est actus superstitiosus, sacrilegus, & hæreticalis, de quo Inquisitores cognoscunt, quia importat amicitiam, & societatem cum dæmone, quæ contingere non potest, nisi cum cultu, reverentia sacrilega dæmonis, ut per Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 42. *nu.* 19. Carenam *par.* 2. *tit.* 11. §. 13. Bordonum *tom.* 1. *cap.* 17. *à nu.* 8. aliosque.

Invocans autem dæmonem per modum adjutorii est hæreticus, vel de hæresi suspectus. Quia, vel quis invocando dæmonem, illum adorat, sive adoratione latriæ, quæ soli Deo debetur, sive adoratione duliæ, qua Angeli Sancti, & Beati adorantur, & certum est, vel esse hæreticum, vel de hæresi vehementer suspectum, ut latissimè probant Eymer. *par.* 2. *qu.* 43. *num.* 5. *& sequ.* & alii, quos refert, ac sequitur Carena *d. par.* 2. *tit.* 12. §. 10. *num.* 56. Vel dæmonem invocat, ab eo petendo, quæ solus Deus operari potest, ut notitiam futurorum quæ naturaliter sciri non possunt, vel quæ pendent à libera hominum voluntate, & arbitrio, vel ea, quæ determinatam non habent causam, & similiter sortilegium committit hæreticale, ut per Pegnam *in com.* 68. *par.* 2. *direct.* Delrium *lib.* 4. *magic. cap.* 2. *qu.* 2. Azor. *part.* 1. *lib.* 9. *cap.* 24. *qu.* 1. *&* 2.

Invocatio quoque deprecativa dæmonis ad faciendum, vel sciendum, ea, quæ non excedunt naturalem ejus facultatem est pariter hæreticalis. Quia deprecatio, sive oratio pertinet ad cultum latriæ, qui soli Deo tribuendus est. Deprecatio enim est actus religionis, per quam Deo reverentia, & honor exhibetur, & homo ei subjicitur, & profitetur orando, se eo indigere, sicut autore suorum bonorum, ut docet noster Magister 2. 2. *qu.* 83. *ar.* 3. Ideoque oratio ad solum Deum dirigi potest juxta illud Psalmi 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*, & Psal. 98. *Invocabis me, & ego exaudiam*, & Psal. 49. *Invoca me, in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Porrigimus autem deprecationes Angelis, & Beatis, ac etiam hominibus, ut ait idem D. Thomas *art.* 4. non ut per eos Deus nostras petitiones cognoscat, sed ut eorum precibus ac meritis orationes nostræ sortiantur effectum. Invocans igitur, ac deprecans dæmonem ad sciendum, vel faciendum quæ naturaliter ipse dæmon scire & facere potest, illi præstat obsequium, & honorem, soli Deo debitum. Quia verba deprecativa adorationem includunt. Et iccircò dæmonis invocatio deprecativa est sacrilega, & hæreticalis, ut præ cæteris firmant Eymer. *loc. cit.* ibique Pegna, Carena *supra num.* 60. Repertor. Inquis. *v. dæmon* §. *si enim*, Locatus *in judicial. v. Apostasia num.* 7. §. *si verò.*

Putant Eymericus, Pegna, Carena *locis allegatis* Suarez *tomo* 1. *de relig. libro* 2. *capite* 19. *num.* 10. invocantem dæmonem non verbis deprecativis, sed imperativis ad sciendum, vel faciendum ea, quæ naturaliter ipse dæmon scire, vel facere potest, peccare quidem mortaliter, sed non committere sortilegium hæreticale, dummodo in tali invocatione non misceantur res sacræ, neque aliquis cultus reverentialis, neque dæmon invocetur, ut Dei amicus, vel ad faciendum, quæ facere nequit, neque existimet, id non esse peccatum, vel dæmonem posse operari; etiam Deo non permittente.

At Simanchas *de cathol. instit. titulo* 30. *num.* 17. Farinac. *quæst.* 181. *numero* 88. Homobon. *in exam. Eccles. parte* 1. *tract.* 7. *capite* 3. *quæst.* 16. Bordon. *tomo* 1. *capite* 17. *quæst.* 5. *numero* 16. Diana *par.* 4. *tract.* 7. *resol.* 10. docent, dæmonis invocationem, etiam per modum imperii, sapere hæresim manifestam. Quia D. Augustinus *libro* 10. *de Civit. cap.* 11. ridiculum esse ait, invocare dæmones per modum imperii, aut eis comminando præcipere. Quia non est potestas in terra, quæ comparetur eis, ut inquit Job *cap.* 41. Cùm ergo imperium hominis nil possit in dæmonem, ideo dicta invocatio coincidit cum invocatione deprecativa, estque deprecativa invocatio palliata, & proinde includit cultum & honorem. Quia cùm dæmon ad hujusmodi imperium nullatenus ab homine cogi possit, saltem ex pacto tacito hominis voluntati se accommodat. Nam etiam ex hac invocatione imperativa cultum & honorem accipit, & invocantem lucratur, magisque decipit. Et quia imperare, ac præcipere ei, qui non tenetur jussis obtemperare, arguit intrinsecam amicitiam inter imperantem, & imperatum; atque adeò qui imperat dæmoni, ostendit magnam cum eo habere familiaritatem, & majorem, quàm ille, qui tantùm deprecatur.

Quare dicendum, ad hæresim pertinere, siquis sive deprecando, sive imperando dæmonem invocaret ut thesaurum ostenderet inveniendum, ut partum futurum in utero matris formatum significet, an sit nasciturus masculus, an fœmina, ut notificet dictum, vel factum præteritum occultum, ut res in ignem projecta non comburatur, ut hominem è loco ad locum transferat, ut sponsos liget, ut ægritudines inferat, ut corpus mortuum, tanquam vivum per aliquod tempus apparere faciat, ut cœcum non

à natura, sed ob aliquod impedimentum illuminet, ut nebulas, & tempestates inducat, & similia faciat. Unde notat Simanchas *loco citato, titulo* 21. *num.* 13. *&* *titulo* 30. *numero* 13. contra tales invocantes inquiri potest à Tribunali S. Inquisitionis, tanquam vehementer de hæresi suspectos. Idemque sentiunt Diana *ibidem*, Delatorre *in* 2. 2. *qu.* 95. *ar.* 4. *disp.* 1. *asser.* 4. Spina *in apolog.* 4. *contra Ponsinibium*, Zanardus *in director. cap.* 64. Bordonus *d. n.* 16.

Quinimo invocatio dæmonis non ad malum, sed ad bonum finem assequendum est mortale peccatum hæresim sapiens. Quia etiam hujusmodi invocatio non fit absque amicitia dæmonis, nec absque illius servitute, ac subjectione, quæ directè, ac immediatè opponitur servituti, ac reverentiæ Deo debitæ, ita, ut qui dæmoni subjiciatur per illius invocationem, necessariò sit manifestus Dei inimicus juxta illud *Matth.* 6. Nemo potest duobus Dominis servire. Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget; aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Apostolus etiam 1. *Cor. cap.* 10. expressè prohibet: Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Impossibile quippe est, habere amicitiam simul & servitutem duorum invicem inimicorum. Sive ergo quis invocet dæmonem ad bonum finem, sive ad malum, semper illi subjicitur, illumque veneratur, & ideò semper peccat mortaliter. & gravissimum sacrilegium committit, & ut diximus, ac notat Bordonus *ubi supra nu.* 16. est suspectus de hæresi, quia invocatio simpliciter est cultus latriæ.

Qui autem responsum dæmonis credit esse certum, & infallibile, committit peccatum idololatriæ ac hæresis. Quia sic credendo, dæmonem existimat, ut Numen infallibile, in cujus obsequium captivat, vel submittit intellectum, quod pertinet ad idololatriam. Sic etiam credens censetur credere, dæmonem non esse malum, non esse fallacem, neque talem, qui falli, & fallere possit. Utrumque autem est contra fidem Ac proinde est hæresis. Quòd si ex hac credulitate sequatur exterior divinatio, ac prædictio alicujus rei cum inductione aliorum ad illam credendam vel ad aliquid agendum ratione illius cognitionis, tunc adjungitur etiam malitia scandali secundùm materiæ proportionem. Si verò quis crederet, assertionem dæmonis esse valde probabilem, & magnæ autoritatis, sed fallibilem, non committeret peccatum hæresis, dummodo materia dæmoniaci oraculi non contineret errorem contra fidem catholicam, ut docet Suarez *loc. alleg. cap.* 8. *n.* 23.

Neque dæmones in suis apparitionibus bona consulentes audiendi sunt. Nam id malitiosè efficiunt, & transfigurant se in Angelos lucis, ut faciliùs homines decipiant. Etenim aliquando apparent fingentes se esse animas defunctorum, & petunt suffragia sibi fieri, bona malè acquisita restitui, ut ipsos videntes sic postulantes in aliquem errorem inducant, vel mortuos infament, ut docent D. Augustinus *lib.* 10. *de civit. cap.* 11. D. Chrysostomus *hom.* 29. *in Matth.* D. Thomas 1. *p. q.* 117. *art.* 4. *ad* 2. Sylvest. *v. Maleficium q.* 4. *dict.* 2. Victoria *de magia q.* 4. *n.* 17. Sotus *lib.* 8. *de just. qu.* 3. *ar.* 2. Sanchez *d. lib.* 2. *in decal. cap.* 38. *n.* 23. *&* 24. Hinc Delrius *post lib.* 6. *magic. monit.* 10. rectè advertit, non esse faciendum, quod dæmon præscribit, sed si id suadeat, quod ex aliquo præcepto Dei, vel Ecclesiæ sit servandum, faciendum est ratione præcepti obligantis. Si verò sit sub Consilio, licere exequi, non quia dæmon dixit, sed quia est in se bonum. Tutiùs tamen est quandoque illud consilium prætermittere, aut in aliud commutare, ne quid fraudis eo consilio dæmon moliatur. Quare Thyreus *de apparit. spirit. cap.* 15. *n.* 20. ait, dæmonibus, ne bona quidem consulentibus esse credendum. Quia omnia bona, quæ consulunt, tendunt ad nostram perniciem. Quod confirmant Sanchez *loco citato*, Fagundez *in* 1. *præcept. decal. cap.* 36. *n.* 9. *&* 13. aliique omnes.

Si autem divinatio involvat suspicionem hæresis pertinet tantùm ad Tribunal S. Officii, ut constat ex *cap. causam de hæret. in* 6. Si verò sit absque suspicione hæresis, est mixti fori, & à Judice præveniente, sive Ecclesiastico, sive laico judicatur, ut in citato capite decernitur, nisi delinquens sit clericus. Tunc enim ratione personæ ad solum Judicem Ecclesiasticum pertinet, ut per Abb. *in cap.* 1. *de sortileg. nu.* 3. *&* 4. Alberic. *in rubr. de hæret. n.* 13. Clar. *lib.* 5. *v. hæresis n.* 25. Suarez *de Relig. tom.* 1. *cap. ult. n.* 11. ac Delben. *p.* 2. *dub.* 195. *sect.* 70. *n.* 4.

Divinationem autem, sive dæmonis invocationem exercentes cum hæresi incurrunt ipso facto excommunicationem Bullæ Cœnæ, etiamsi interna hæresis occultissimè manifestetur exteriùs, & sufficit ipsa invocatio cum falsa credulitate. Si verò exerceant divinationem exteriùs sine animo hæretico, sed expressè invocent dæmonem, postulando aliquid, quod à solo Deo cognosci, revelari, & fieri potest, tunc si in invocatione dæmonis intervenit ejus adoratio, aut exterior fidei abnegatio, vel renunciatio Christi, & Sacramentorum, aut in usu divinationis miscentur Sacramenta, vel res sacræ, in foro exteriori ipso facto præsumuntur hæretici, & excommunicati in Bulla Cœnæ, quamvis in foro interiori non sint excommunicati. Quia interiùs nec dæmoni, nec divinationi crediderunt. Si verò nihil supradictarum rerum intervenit & pactum cum dæmone non est expressum, sed tacitum tantùm, cessat suspicio hæresis, & ille non incurrit ipso facto excommunicationem. Ita Eymericus *p.* 2. *q.* 42. *&* 43. ibique Pegna *com.* 67. *& seqq.* Simanch. *de cathol. instit. tit.* 21. *n.* 10. *& tit.* 62. *n.* 2. *ac* 3. *& tit.* 63. *n.* 29. *&* 34. Clarus *ibidem, n.* 24. *&* 25. Filiuc. *tom.* 2. *tr.* 34. *cap.* 8. *nu.* 197. *&* 198. At de his latiùs infra.

Quare Confessarius debet attendere, si pœnitens in ipso facto promiserit dæmoni, se Christi fidem abnegare, vel crediderit dæmonem esse honore dignum, vel habere aliquam divinitatem, vel potestatem supra hominum voluntatem, vel posse prænunciare hominum cogitationes, & futuros eventus, qui à libera hominum pendent voluntate. Nam si ista crediderit, utique commisit, non solùm peccatum mortale ob dæmonis invocationem, sed etiam peccatum hæresis: Similiter debet pœnitentem interrogare an orationibus sacris dæmonem invocaverit, vel adoraverit, vel sacrificium obtulerit. Quia tunc fuit etiam Idololatra. An si à dæmone petierit, ut aliquo modo damnum proximo inferret, an res sacras in maleficio immiscuerit, an crediderit, dæmonem sine Dei permissione habere virtutem ad producendum illos nefarios effectus. Nam si hoc crediderit, fuit etiam hæreticus, & si proximo damnum intulerit, tenetur illum obstringere ad damni restitutionem.

Et quamvis Valentia *to.* 3. *disp.* 1. *q.* 10. *pun.* 3. opinetur quod tres species generales divinationis distinguantur specie in genere moris, illæ verò species, in quas illæ tres generales subdistinguuntur, solùm distinguantur in genere entis, non autem in genere moris, & sic in genere moris três tantùm species divinationis, nempe Necromantia, Augurium, Divinatio per sortes. Unde ait esse in confessione exprimendas. Et quamvis Reginaldus *in prax. to.* 1. *lib.* 6. *cap.* 4. *n.* 214. Sotus *in* 4 *sent. disp.* 18. *q.* 2. *ar.* 4. *concl.* 6. Diana *p.* 1. *tr.* 7. *resol.* 46. *&* 66. Rodriq. *to.* 1. *sum. cap.* 53. *n.* 5. Suarez *d. lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 5. *& cap.* 50. *n.* 5. Azor *p.* 1. *lib.* 9. *cap.* 12. *q.* 3. Salelles *lib.* 2. *cap.* 2. Delbene *loc. cit. dub.* 221. *sect.* 3. *num.* 3. & ante omnes Cajetan. *opusc.* 1. *tract.* 5. *de confes. num.* 176. doceant,

non

non esse in confessione necessariò exprimendas. Quia non sunt species omnino diversæ in genere moris. Et Sanchez satis est, si quis confiteatur: Toties peccavi peccato divinationis; neque necesse est addere semel per Astrologiam, iterum per chiromantiam, aut per necromantiam. Nihilominus circumstantiam invocationis dæmonis ex pacto explicito esse in confessione explicandum, tradunt Suarez, & Salelles *locis allegatis*. Hac ego in re id certum censeo, quod cùm divinationi sæpiùs adjungantur circumstantiæ variantes speciem, scilicet hæresis, idololatriæ, & specialia pacta apostasiæ à Deo, ejusque obedientia injustitiæ, aliorumque vitiorum, icciro exprimendæ sunt in confessione. Spectata verò sola malitia divinationis, quia hæc consistit in supplicatione dæmonis, attribuendo illi, quod divinum est, nimirum casualium, & liberorum prævisionem, & in his, aut aliis magisterium, & oraculum in contemptum magisterii divini, & in hanc formalitatem convenit omnis divinatio, licet sit longè gravior malitia hæc in divinatione, quæ fit per expressam invocationem, ut docet D. Thomas 2. 2. *qu.* 95. *art.* 3. *ad*. tota hæc quæstio reducitur ad antiquam illam, & hactenus non decisam quæstionem, An circumstantiæ, non mutantes speciem moralem, sint exprimendæ in confessione si notabiliter aggravent? Ego censeo magis expedire, ac tutius esse, ut exprimantur.

An autem specie distinguatur Divinatio, per quam à dæmone petitur id, quod superat ejus virtutem, & solius Dei est proprium, ab illa, in qua à dæmone petitur id, quod ille ex propria virtute scire potest? Videtur, quod hujusmodi superstitiones, ac divinationes specie distinguantur. Nam in superstitione, aut divinatione, in qua invocatur dæmon ad ea, quæ Dei sunt propria, quod Dei est assumitur, ac dæmoni exhibetur, atque ita ex vi talis invocationis tribuitur dæmoni cultus, qui ex objecto est divinus, ac soli Deo debitus. At ubi à dæmone petitur solùm id, quod ipse potest facere, nullus cultus illi tribuitur qui per se, & ex objecto, atque intrinsecè sit divinus, sed malitia talis superstitionis consistit in eo, quod colitur Dei hostis, qui affectatione divinitatis quærit sibi adhiberi talem cultum, & ex illo sibi adhibito, aliquid sibi divinitatis putat competere in Dei contemptum. Unde ille cultus solum avide est divinus. Neque enim invocare creaturam ad id, quod facere potest, est tribuere illi cultum divinum, neque est per se illicitum.

In genere verò mali specie distinguitur cultus, qui ideo est malus, quia cùm soli Deo ex natura sit debitus creaturæ tribuitur; non verò cultus, qui est malus, non quia ex sua natura sit debitus Deo, & tribuitur creaturæ, sed quia est cultus inimici Dei, divinitatem affectantis Et licet tribuere hunc cultum dæmoni sit contra virtutem Religionis, & propterea sit superstitio, videtur tamen, quod hæc superstitio sit alterius rationis ab illa, in qua cultus soli Deo debitus, dæmoni tribuitur. Nihilominus existimo, quod ad distinguendum specie superstitiones parum interest, an cultus, qui dæmoni exhibetur sit divinus ex sua substantia, vel ex circumstantia. Cultus enim qui dæmoni exhibetur in sortilegio, vel explicitè, vel implicitè, tribuitur illi secundum intentionem illius affectantis, esse similem Deo, & quod illi etiam in Dei contemptum homines subijciantur, illumque colant, quod est exhibere dæmoni cultum indebitum, ac virtuti Religionis contrarium, divinunque cultum tollere, ac dæmoni exhibere.

Consultatio XCIV.

De prima Divinationis specie explicatior Disquisitio, nempe de Præstigio, de Necromantia sive de arte magica emortuali, de Divinatione Pythonica, de Ariolatione, de Hydromantia, Geomantia, Aëromantia, Dactylomantia, alijsque speciebus Geomantiæ, de Aruspicina, ejusque partibus, de divinatione per somnia divina, naturalia, dæmoniaca, deque eorum interpretatione, ac de Divinatione ex somno divino, sive raptu, vel extasi, de apparitione ac revelatione Dei per somnia. Per quos Deus loquatur? An per Angelos? Et quo idiomate Angeli loquantur cum hominibus? deque alijs graviter quidem, doctè, ac eruditè.

Præstigium

PRima Divinationis species præstigium est. Hac implicati fuerunt Apollonius Thyaneus, Simon Magus, alij, qui à dæmone familiari in forma canis instruebantur. Lamiæ item, quæ comedunt, bibunt, loquuntur, concumbunt cum dæmone, ac illum in forma hirci adorant, eique sacrificia offerunt. Id autem est divinatio, sive operatio, quæ promanat ex præstigiosis apparitionibus dæmonum, occulta docentium, vel aliud exercentium opus ad invocantis voluntatem ac petitionem, Has multipliciter fieri advertit Cajetanus 2. 2. *qu.* 95. *ar.* 2. Gabriel *in* 2. *dist.* 8. *quæst.* 2. Sylvester *de strigimag. lib.* 2 Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. Delatorre *in præamb disput. ad d. q.* 95. Thyræus *de apparit dæmon.* ac Isidor. *lib.* 7. *cap.* 8. triplicem apparitionem spirituum enumerans, nos duplicem admittimus. Unam corporalem, ut cum corpore assumpto visibiliter apparent, sive corpus illud ante assumptionem præexistat quomodo creditur dæmonem apparuisse. Quæ in figura Serpentis *Genes.* 3. & per ulmum salutasse Apollonium, quod narrat Philostratus *in ejus vita*. Sive ab ipsis sit formatum applicando activa passivis, aut illud efformando ex aëre, sive immutando sensus ac si à corpore præsente moverentur. Sive assumpto corpore alieno, efformando voces. Quomodo autem dæmones possint corpora assumere, ac in illis apparere doceat Theologi *ad* 1. *p. D. Thomæ qu.* 50. & tradit Delrius *lib.* 2. *magic. qu.* 28. & nos inferiùs pauca.

Non fuit tamen præstigium, cùm Moyses audiebat vocem Dei sibi loquentis è propitiatorio *Num.* 7. & *Samuel* 1. *Reg.* 3. Sic enim & dæmones sine præstigio operantur, ut voces audiantur, nemoque loquens videatur, ut in simulacris Gentium. Plura enim opera dæmonum sunt solida, de quibus Sylvester *loc. cit.*

Procurare autem hujusmodi apparitiones, est procul dubio illicitum, etiamsi procurentur, ut dæmones revelent quæ naturaliter sciunt, vel faciant quod possunt, ut habetur ex D. Thoma *ibidem. art.* 4. ubi Cajetanus & Delatorre. Sicuti & illicitum est procurare etiam per modum imperij ut dæmones defunctorum animas nobis repræsentent, aliudve faciant. Præsertim quia hujusmodi apparitiones magna ex parte non habentur ab illas petentibus ex sola dæmonis invocatione, sed præcedentibus sacrificiis, oblationibus, precibus, cultu ad intentionem directo, ac divino, & ex pacto aliquo expresso. Unde invocare dæmones ad hujusmodi præstigia, hæresim sapit, & saltem suspicionem vehementem hæresis involvit.

Dæmon verò nedum invocatus, sed etiam sponte sæpius apparet, ac semper in specie proportionata fini à se intento; præcipuè, si vult specie boni ad malum inducere, apparet in forma Christi, ut S. Martino, in forma Dei, ut Theodoræ viduæ, in forma Angeli, ut S. Julianæ. Quoniam verò ad decipiendum magis idonea est for-

est forma humana, hanc plerunque effingit, sed non eodem modo.

Cognoscuntur autem apparitiones dæmoniacæ vel ex parte rei revelatæ, vel ex parte circumstantiarum, vel ex parte personæ, cui fit revelatio. Ex parte rei revelatæ, si ea sit contra rectam rationem, ut si suadeat falsum cōtra fidem, Sacram Scripturam, Sacras traditiones, sacros Canones, leges divinas, aut Ecclesiasticas, aut contra aliquam virtutem: vel si suadeat bonum cum circumstantia mala, ut si excitet ad opus bonum cùm est impeditivum majoris boni, aut illud bonum non est congruum professioni, Officio, & conditioni personæ, cui fit revelatio; vel si moveat ad singularia, & extraordinaria jejunia, orationes, ac cæremonias singulares, quæ reddant personam aversam à Christi & Sanctorum imitatione, ut gaudeat ex novis, & singularibus suis inventis; vel si excitet ita ad bona, ut simul excitet ad aliqua prava & impia, vel excitet ad illa bona, ex quibus mala & impia sequantur.

Ex parte verò circumstantiarum visionis probabiliter cognosci potest, an visio sit dæmoniaca, primò si attendantur cogitationes, quæ in eo, cui fit apparitio antecedunt, aut subsequuntur. Nam ex præcedentium imaginatione posset sequi phantastica illusio. Si verò apparitionem sequantur prava desideria, signum est, dæmonem fuisse, qui apparuit, ut illa excitaret, præcipuè si in ipsa pugna cum pravis tentationibus non apparet perfecta victoria. Secundò si lætitia, quæ in principio apparitionis mentem demulserat, vertitur in horrorem, ac mœrorem; vel si horror, qui ab initio cœpit sensim, non cessaverit, sed perseverat. Nam si homo ab initio concipit horrorem, ac tristitiam, sed postea, fugata mœstitia, mens dulcedine perfunditur, signum est divinæ apparitionis. Tertiò si revelata, præsertim utilia, suum non sortiantur eventum, indicium est, ea fuisse à dæmone. Quartò ab effectu etiam aliqualis conjectura colligitur, si is, cui facta fuit revelatio, & apparitio illam publicat non quidem ob necessitatem aliquam, ac bonum spirituale, sed ex causa temporali, & propria. Quintò ex forma apparitionis, ut si non in forma humana, sed bestiæ monstrosæ, vel si in forma humana, aliquid in ea deforme ac insolens inspiciatur, ut si corpus sit atrum fœtens, pilosum, oculi flammantes, ac hujusmodi.

Ex parte autem personæ cui fit apparitio, suspecta redditur, si sit hæretica, vel apostata à fide, vel infidelis; si sit energumena, phrenetica, furiosa: si abundet atra bili; si vigiliis attenuata; si nimis apprehensiva, si puer, si senex, si fœmina, si alias falsas revelationes audiverit, illasque manifestaverit, si mores perfectioni Evangelicæ non congruant, & id genus alia, de quibus Delrius *lib.* 4. *magic. cap.* 2. *qu.* 3. Delatorre in *d. qu.* 95. *ar.* 3. *disp.* 3. Gravina *de vision. lib.* 2. *cap.* 5. Sousa *lib.* 1. *aphor. cap.* 34. Caspar Scortus *in physica curios. in append. ad lib.* 1. §. 5. Thyreus *loc. alleg. cap.* 16. *& alij.*

Multis item modis exerceri potest Necromantia. Per sacrificium, & per solam incantationem, qua utebatur Tiresias. Sacrificio adjungebantur functiones, ritus, ossa, fibræque mortuorum ac res aliæ planè ferales ut apud Lucanum *lib.* 6. Hoc utebatur Thessalicus, ut notat Delrius *lib.* 4. *magic. sect.* 2. ubi latè refert singulos ritus, & cæremonias Necromantiæ, non sine imperitæ plebis periculo. Herbas etiam diversas applicant, & post herbas incantationes cum ululatu, solenni carmine, murmure. Carmina aliqua sunt deprecatoria, in quibus invocantur Eumenides, Pluto, aliique dæmones. Alia comminatoria. Umbrasque dicunt apparere in signum, quod mortuus suscitatus est, vel quod anima apparuit. Sed non umbræ defunctorum sunt illæ, ait Tertullianus *lib.* 3. sed dæmones ita operantes, ut decipiant asseclas, mentitas apparitiones dæmonum animas fingentes. Plura describit Cresperus *lib. de odio Satanæ, discursu* 12. At Delatorre, *d. qu.* 95. *ar.* 3. *disp.* 3. & post eum Sousa *lib.* 1. *aphor. cap.* 41. *nu.* 2. tradunt Necromantiam fieri tribus modis. Primò cùm Necromantici certa verborum forma aut quibusdam carminibus, ac circulis descriptis cum figuris, & characteribus à dæmone præscriptis, plerunque applicato sanguine, mortuos suscitare conantur, & ab eis addiscere futuros eventus, aut res omninò occultas, sed præcipuè suscitare eos jactitant, qui flagitiosè vixerunt, aut violenta morte è vita deturbati sunt, quos multa manifestare docet Porphyrius *lib.* 2. *de abstin. animal.* Cùm enim de pravis, & fallacibus dæmonibus sermonem instituisset, mox hæc de animabus nugatoriè subjicit; *Tales sunt & animæ mortuorum, quæ vitiis oppletæ, è corpore migrarunt. Conflictantur etiam tunc iræ, & concupiscentiæ perturbationibus, & in naturam conversæ dæmonum, similes illorum redduntur noxiæ, ac turbulentæ in varias se vertunt formas, ac modò conspicuas se oculis præbent, modò recedunt, & ita eludunt aciem, tum intuentium, tum etiam cogitantium.* Et alibi ita etiam inter eos, qui ipsi quoque insaniunt, insanissimus affatur, *Prava anima, quæ corpus suum violenter reliquit, expoliata, ad hoc ipsum deinde se admovet, ibique moras trahit. Unde nonnunquam visæ sunt animæ lamentari. Nam animæ carentium sepultura, circa corpora immorantur, quibus malefici sæpius abutuntur ad ministerium suum explendum, compellentes animos à positione corporis, vel partis cujusdam assumptione. Quo circa qui vaticinantium animalium insinuari sibi animas optant, præcipua illorum membra deglutientes, veluti cervorum, vel talparum, vel aliorum accipiunt, & ita præsentes sibi faciunt animam, Dei ritu vaticinantem. Talis enim anima una cum sui corporis integra sumptione, in corpus humanum se penitus ingerit.* Hæc Porphyrius, qui tantis delectatus est nugis.

Ciccus Asculanus in Commentariis, quos in Sphæram edidit, nominat librum, qui olim extabat, & inscribebatur, *Scripta Cham*, opus magicæ atque maleficæ impietatis plenum, continens elementa, & praxim necromantiæ. Apud Plinium *l.* 30. *cap.* 2. legitur Osthanes hujus artis præcipuus Professor, qui promittebat quorumlibet mortuorum excitationes, & colloquia cum vivis. Et ab antiquis plura numerantur loca, ubi à defunctis oracula, & responsa exposcebantur, ut Cymericum Oraculum ad Avernum Căpaniæ lacum, Thesprotiū, & alia, quæ alibi attulimus. Phigaria, civitas Arcadiæ copiosa planè & locuples fuit hujusmodi Magis emortualibus, à quibus occulta & futura siscitari erat consuetum. Et Augustinus *l.* 9. *de civit. c.* 11. *ex Apuleio* & aliis multos necromanticos recenset ac refutat, Tertullianus quoque, lib. de anima ex Nicandro alios commemorat.

Cur autem dæmon assiduè necromantiæ vacet, rationem reddit D. Thomas, ut scilicet faciliùs hominibus quicquid vult persuadeat. Libentiùs enim, ac promptius credunt vel amicorum animabus quàm dæmoni, quem animo etiam horrent. Hoc autem modo docere conatur versutus, callidus, veterator, inferorum carcerem non esse perpetuum, ex quo non liceat aliquando ad nos transmeare, sicque non esse adeò graves illius pœnas, quemadmodum vulgò narratur, animas, etiam post mortem, habere corpora, vel posse quælibet corpora induere, aut in alia migrare ex Pythagoricis, & consequenter non habeatur fides, ac spes Christianæ resurrectionis. Hoc etiam modo quamplures inducit superstitiones, quibus mortuos, tanquam terrificos repræsentatos, placare, sibique conciliare studeant, vel animas quorumdam sapientia, vel fortitudine, vel potestate inter viventes clarissimorum, non humanis modo, sed etiam divinis honoribus prosequantur, venerenturque.

Secundo modo cùm quis animas jam defunctorum conatur carminibus, aut cæremonijs evocare, ut occulta re-

ta revelent, quæ divinatio appellatur Scyomantia.

Tertio modò ex præscriptis lineis, quibusdam figuris, & signis, aut eorumdem cadaverum contactu in defunctorum corporibus, fortuita futura vel abscondita percipiunt, quorum plura temere ac imprudenter describit Torreblanca *to. 2. l. 8. c. 8.* quæ nos consulto relinquimus. Sat enim est indicare horrenda & nefanda scelera hujus artis, ut fideles agnoscant quàm juste jure divino, ac humano sit prohibita. Levitici *c.* 10. Deut. *c.* 18. Judic. *c.* 12. Isaiæ *c.* 8. 1. Reg. *c.* 9. & 4. Reg. *c.* 1. *can. qui sine salvatore 26. q. 5. l. Prætor ait*, §. *adversus C. de sepulchr. violat. l. multi C. de malef. & mathem. l. 2. tit.* 23. Stultus etenim judicari debet, qui Dæmonis responsa expetit, cùm munus ejus solitum sit mentiri, atque decipere, ut notat Hieronymus in Isaiam *c.* 41. Augustinus *l.* 10. *de civi. c.* 10. & Franciscus Picus *l.* 4. *prænot. c.* 9. Undè consultori, & consulenti pœna mortis naturalis à Deo imponitur Levit. *c.* 20. & post hanc vitam mors æterna Apocal. 20. Jure humano spoliationis pœna in nobiles, mortis in viliores statuitur. *d. l. Prætor ait*, *l. qui sepulchram C. eod.* & à Constantino etiam lethale supplicium imponitur in *l. mult. C. de malefic. & mathem.* Jure autem Canonico recentiori Sixti V. hanc artem exercentes, tanquam hæretici condemnantur, de quo infra, cùm id expressè ibi non habeatur, Imo, ut observat Picus *ibidem*, Dæmon ipse tandem aliquando ipsis Necromanticis vitam aufert, vel saltem mentem; ideo Lymphatos ac Cerritos, & imaginosos eos appellat Lavater. *l. de spectris*, ac Remigius *l. 2. de Dæmonolatr. c.* 3. Et male perire, expertus est Saul 1. *Reg.* 28. Zoroaster apud Plinium *l.* 30. *c.* 1. Numa Pompilius apud Plutarchum *in Numa*, quod & de Tullio Ostilio prodit Livius *l.* 1. de Valeriano Nicephorus *l.* 10. *c.* 26. de Heliogabalo Xiphilinus in ejus vita, de Orpheo, Mopso, Amphiarao Ovidius, & Statius, de Phyagna Samio Laertius *in ejus vita*.

Tenendum autem omnino est. Suscitationes mortuorum arte necromantica, ut occulta cognoscantur, sunt impossibiles, ideoque fallaces. Nam suscitatio mortuorum est miraculum. Dæmones autem non possunt patrare vera miracula, ut jam dictum *tom.* 9. Simulant quidem Dæmones, vel eorum Magi, aliquos esse mortuos, qui laborant quibusdam morbis, quibus immobiles, ac insensibiles redduntur ac si vere defuncti essent. Quod docent medici sæpè ex infirmitate accidisse. Sic puella, quam finxit suscitare Appollonius, teste Philostrato, & ille, de quo Plutarchus *l.* 10. *de Republ.* Potest & Dæmon, permittente Deo, sumere cadavera defunctorum, alia aerea substituere, quæ ipse movet, & apparent ac si ex se ipsis moverentur, sicut de corpore Romuli, testatur Livius *l.* 2. Ingreditur etiam Dæmon cadavera mortuorum, & instar viventium corporum movet. Insigne exemplum illud, quod narratur à Phlegetonte *l. de mirabil. & longæv.* Nec minus mirum, quod accidit mago illi Cornelio Agrippæ, de quo *alibi*. In Thessalia quoque, referente Apuleio *l.* 1. *Asini c.* 2. Aristomenes à Meroe vetula decollatur, & spongia in vulnus intromissa, fingit vivere, qui cùm ad fluminis ripam approximaretur, curvans, ut biberet, spongia decidit, & mox in fætida ossa resolvitur. Cæsarius quoque *l.* 12. *miracul. c.* 13. refert cadaver cujusdam Principis defuncti, schedula appensa à Dæmone, gestata integro anno antequam sepulturæ traderetur, actiones humanas ita exacte ementitum, ut in arduis discurreret, cum amicis, formante voces Dæmone, confabularetur, comederet, biberet, cum uxore concuberet, nusquam tamen dignosceretur.

Non est autem difficile Dæmoni, cadavera diù servare incorrupta, balsamo atque aliis unguentis. Et servantur quidem incorrupta corpora fulmine percussa ex ipsa corporum constitutione, ex victus parsimonia, ex loci conditione, aliisque de quibus *tom.* 4. & 9. Undè, licet quandoque divinitus conserventur incorrupta Sanctorum corpora non tamen credendum est, ideo non esse corpora Sanctorum quia corrupta inveniuntur. David namque, Jacob, aliique Sancti viri mortui sunt, eorumque corpora pulvis, ac cinis. *Omnis enim caro fænum*, Isaiæ *cap.* 40. Hisce autem, aliisque modis potest Dæmon pravorum hominum corpora, Deo permittente, conservare incorrupta, ut imperito vulgo eorum affectatam Sanctitatem persuadeat, vel motu locali noxia pellendo, vel applicando juvantia. Sic & in igne projecta corpora efficit, ne fiant cinis, vel illa ungendo frigdissimis, vel se ipsum inter ignem, & corpus ingerens, ut impediat ignis virtutem, vel in Aera sublevet, ut de Guidone de Lasia hæretico, combusto iccirco ab Inquisitoribus, refert Castillus *in chron. Prædicat.* & Bernardus Lutzeburgensis *in catal. hæret. litt. G.* vel per celerem, ac violentum motum, vel aliquo Medicamento, aliave arte vim ignis coercendo.

Omnes item animarum apparitiones, quas Necromantici omni ope fieri contendunt, falsæ sunt ac ementitæ. Confirmat hoc Isidorus *l.* 8. *etymol.* Chrysostomus *hom.* 9. *in Matth.* Augustinus *l.* 10. *de civ. c.* 11. cœterique Patres, & Scholastici cum D. Thoma *q.* 117 *art.* 4. *ad.* 2. Gulielm. Parisiens. *de univers. p. ult. cap.* 28. Victoria *de Magia n.* 12. Anania *l.* 3. *de nat. Dæm.* Pererius *eod. tr. l.* 1. *cap.* 11. Delatorre *d. q.* 95. *disp.* 1. Delrius, Autor mallei Nider, Remigius, Directorium, ibique Pegna, Torreblanca, Picus *loc. cit. c.* 9. qui necromantiam in Chaldæa ortam tradit ex Augustino.

Et sane D. Thomas *p.* 1. *q.* 89. *ar.* 8. *ad* 2. non minus miraculum censet apparitionem animarum, quam cœci illuminationem. Quod antea dixerat Augustinus *l. de cur. pro mort.* Verum ista divinitus fiunt longè aliter quàm se habet usitatus ordo singulis creaturarum generibus tributus. Non enim ideo putandum est vivorum rebus quoslibet interesse posse defunctos. Nam quibusdam sanandis vel adiuvandis Martyres adsunt. Sed iccirco potius intelligendum est per divinam potentiam Martyres vivorum rebus interesse, quoniam defuncti per naturam propriam vivorum rebus interesse nequeunt. Quod si veræ essent animarum apparitiones, quæ narrantur, & non ministerio Angelorum, innumera fere miracula sine prorsus necessitate contingerent, cum Angelorum repræsentationes in assumptis corporibus sufficiant. Undè credendum est, animas ipsas raro comparuisse, sæpe Angelorum ministerio. Quare D. Thomas 3. *p. q.* 45. *ar.* 3. & *in Matth. c.* 17. non vult admittere Moysem in monte Thabor apparuisse in proprio corpore assumpto, sed in aereo, & Tertulianus *l. de anima c. ult.* notat, quod cum dives Epulo *Luca* 16. in inferno sepultus, Abraham rogasset, ut aliquem ex inferis mitteret, suos moniturum, ut bene viverent, Deus id ei non concessit, quia nunquam, aut raro id faciendum est.

Certumque autem est, non posse animas virtute naturali vivis apparere, ut tradit D. Thomas *q.* 117. *ar.* 4. & *q.* 89. *ar.* 8. *ad* 2. & *in* 4. *d.* 45. *q.* 2. *art.* 1. & *quæstiunc.* 3. post D. Augustinum. Quare autem à Deo animæ evocentur, ut vivis appareant, ostendunt Justinus Martyr, aliique Patres apud Coccium *tom.* 1. *l.* 5. ac Delatorre *disp.* 1. *de necromant.* Quare D. Augustinus *l. de cur. pro mort. c.* 7. ac sæpe alibi, animas defunctorum, quas Magi ostendunt, fictas esse, & phantasmata, non veras, Sotus *in* 4. *d.* 34. *q.* 1. Gulielm. Paris. *loc. cit. c.* 24. post D. Thomam, quem sequuntur Theologi omnes, dixitque etiam Ulpianus *in l. ostentum ff. de verb. signif.* ac tradit Tertullianus his verbis: *Necromantia secunda est idololatria, in qua*

qua se Dæmones perinde mortuos fingunt, quemadmodum in illa Deos. Quidni, cum & Dii mortui sint? Itaque invocantur quidem defuncti, sed Dæmones operantur sub eorum obtentu. Hanc autem fallaciam Dæmonis sub personis defunctorum delitescentis, etiam rebus probamus, cum in exorcismis nostris interdum Dæmon aliquem se ex hominibus affirmat, sicut & alibi Deum, nihil magis curans, quàm hoc ipsum excludere, quod prædicamus, ne credamus animas omnes malorum ad infernos redigi, & ut judicii, ac resurrectionis fidem turbet. Et tamen iste Dæmon postquam circumstantes circumvenire tentavit, instantia Divinæ gratiæ victus id, quod erat in verò invitus confitetur. Sic etiam in necromantia, quæ jam quiescentes animas evellere ab inferis creditur, & conspectui exhibere, fallax est operatio plane, quia & phantasma præstatur & corpus effingitur. Nec magnum illi exteriores oculos circumvenire, cum interiorem mentis aciem excæcare facile est. Sed etsi quosdam evocavit Dei virtus in documentum juris sui, non iccirco communicavit fidei & audaciæ Magorum, fallaciæ somniorum, licentiæ Poëtarum. Plinius quoque hanc artem animos evocandi irrisit l. 30. c. 2. *referens etiam Neronem illam spernentem.*

Talesque fuerunt apparitiones, quas plerique narrant Autores. Glicas *p.* 4. *annal.* memoriæ tradidit quendam Sanctabarenum, fictum monachum, sed verè necromanticum Basilio Imperatori Filium defunctum deploranti demonstrare promisisse, & adimplevisse. Imperatori namque per sylvam gradienti fecit, ut Constantinus patri obviam fieret. Quem cùm vidisset Imperator, complexus, & deosculatus fuit, sed mox evanuit ex oculis. Pariter duobus invenibus nobilibus Hispanis vane jactantibus se Achillem superaturos, si adesset, quem necromanticus quidam obtulit visendum, à cujus feroci aspectu perterrefacti alter aufugit, alter immobilis remansit. Aliud non absimile narratur in Theatro vitæ humanæ. Pleton mirabil. *lib.* 1. prodit, cadaver Polycrisi voces articulatas emisisse. Quod & Plinius *lib.* 7. *cap.* 5. scribit de cadavere Gabinii. Non est tamen negandum loquutiones defunctorum interdum fieri vel ab anima ex divina permissione, corpori redeunti, vel ab Angelis. Narrat enim Socrates *lib.* 1. *hist. cap.* 8. & 9. Ruffinus *lib.* 1. *hist. Eccles. cap.* 5. de Spiridionis filia Ivene defuncta, quæ, cùm quoddam pecuniæ depositum abscondisset, pecuniæ domino instante, pater ejus ad sepulchrum accessit, & vocata filia, apparens locum, ubi depositum vivens collocarat, patefecit. Et in historia Patrum *p.* 2. *cap.* 37. ac in Fulgosio *lib.* 1. *exemplor. cap.* 6. Divus Macarius dum viveret homicidii testis fuit, quod post ejus obitum alteri imputabatur. Hic ad sepulchrum Macharii accessit, & coram culumniatoribus cadaver interrogat, an ipse fuerit homicidii reus. Ex cadavere vox proxiliit, ipsum non fuisse occisorem. Undè liber evasit.

A Dæmonibus tamen aliquando id evenire, constat, voces hujusmodi efformantibus, sive in corpore, sive juxta corpus, ut dum quis tibia, vel fistula voces humanas fingit, notante Abulense in Exod. *c.* 7. *q.* 11. sic etiam referunt Pleton *loc. cit.* & alii, calvaria, defunctorum voces emisisse. Exempla leges apud Marullum *l.* 6. *c.* 14. Francisc. Picum *l.* 7. *prænot. c.* 10. & Melchiorem Flavinum *l. de statu animarum.*

Cùm igitur Necromantici invocantes Dæmonem habeant expressum pactum cum Dæmone, & utantur Sacrificiis, ac cœremoniis quæ divinum cultum significant, & ad idololatriam pertinent, ac insuper, ut habetur *can. Episcopi* 26. *q.* 51. vel credant, creaturas ab alio, quam à Deo posse in melius, aut deterius immutari, aut transformari in aliam speciem, vel credant Dæmonem sua virtute posse vel mortuos suscitare, vel animas ad libitum evocare, & ad corpus deducere; vel has incantationes, & carmina sive ceremonias vim habere ad animas evocandum; vel etiam credant, alium, quam Deum posse ea, quæ per se occulta sunt, cognoscere ac revelare; vel etiam credant animabus majorem, quam cùm in terris versabantur, virtutem, atque efficacitatem inesse, certum est, quod plerumque vel infideles sunt, aut apostatæ à fide, aut hæretici, aut de fide vehementer suspecti. De anima Samuelis alibi fuse.

Divinatio Pythonica.

Sub hac generali appellatione Pythonum, universale divinandi genus comprehenditur, ut patet ex Deutor. *cap.* 11. Levit. *cap.* 2. & lib. 4. Reg. *cap.* 21. *ac* 23. & Isaiæ *cap.* 8. At nos cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 3. cumque aliis accipimus hanc divinationem pro illa, qua Dæmon occulta prædicit per homines vivos. Consuevit enim Dæmon per viros, aut mulieres responsa dare. Tales fuere Dodonides Columbæ, Vates Colophonii, Trophonii, Seractini, Francica Pythonissa, quæ Merovæum decepit, Pythonissa Saulis 1. *Reg.* 2. 8. Tales omnes Pythonici, dicti etiam Ventriloqui, quòd ex imo ventre vox prodire videbatur de quibus, atque aliis alibi fusius. Præcipuum autem oraculum apud Gentiles fuit. Delphicum Apollinis, cujus originem ita describit Diodorus in vita Philippi. Eo in loco, quo templi aditum Delphis fuit, specus erat recessu magno, & obscuro, ad quem, cùm capra pascens ascendisset, afflata est subterraneo illa spiritu, exultarequæ cœpit modo insolito. Quod admiratus pastor, cum ipse ad ostium specus venisset, correptus est furore, cœpitque futura quædam prædicere. Hoc & alii tentarunt, affectique sunt eodem modo. Res huc est progressa, ut qui futura vellet cognoscere, adduceretur, qui capite in antrum immisso vaticinaretur. Quod cum non sine periculo fieret, neque etiam sine exitio multorum, templum Delphici ibi erexerunt Deo vati Apollini, statueruntque virginem, quæ in machina consistens, tuto posset afflari divino illo Spiritu, responsaque consulentibus reddere. Quam machinam de tribus fulcris Tripodem nominarunt, quasi trium pedum eadem forma, qua postea ænei tripodes. Sacerdos Pythia dicebatur, quæ initio virgo fuit, Dianæ similis. Postea violata Pythia quadam ab Hechecrate, Delphici mulierem non minorem natu annis quinquaginta Pythiam statuerunt, relictis in perpetuum virginibus, modò illa virginali uteretur cultu, ne in totum mos vetus interiret. Undè ad hanc divinationem pertinet etiam divinatio oraculorum, nimirum responsa data à Dæmone certis in locis. Nobiliora Oracula Jovis Dodonei, Ammonii, Patii, Delii, Sminthæi, de quibus etiam *alibi*, & multa Torreblanca *l.* 7. *pluribus in utroque opere.*

Divinatores etiam isti Dæmone afflati, dicti sunt fanatici, differentes ab arreptitiis, & obsessis à Dæmone, talesque fuere Orpheus, Incessæus, Atticus, Tyresias, Sosipatra, ut refert Eunapius *in vita Aldesii*, non autem Sibyllæ, ut falsò credidit Delrius *l.* 4. *c.* 2. *q.* 6. apud quem multa erudita, sed nonne & multa anilia? De Sibyllis jam dictum. Tales quoque sunt Exstatici, qui à Dæmone extra se rapi, motu sensuque privati, ac interim putantes mira se addiscere, post modum futura prænunciat. Sæpe autem id in arreptitiis accidit. Exemplum suppeditat *cap.* 6. *Act.* ubi describitur quædam puella Pythonissa, quæ divinando magnum quæstum suis dominis faciebat, & sic

& simul à Dæmone arripiebatur, quæ liberata fuit à Divo Paulo, & statim cessavit Divinatio.

Cur autem Dæmones illis in locis tantùm responsa redderent. Jamblicus *l. de mysteriis*, & Plutarchus *lib. de defectu oracul.* quos sequitur Pomponatius *in lib. de incantat.* Aponensis *sect. 3. problem.* Levinus Lemnius *lib. 2. de occult. cap. 2.* Contendunt rationem reddere physicam, terræ illius exhalationem, quæ fanaticos efficit, illuc advenrantes. Et sicut qui atra bili agitantur, solent futura prædicere, variis linguis loqui, ita & delubrorum subterraneorum incolæ ab exhalatione illinc enascente sic arripiebantur, ut fatidici evaderent, & occulta aperirent.

At hujusmodi effectus adscribendos esse Dæmoni assistenti, non autem loco, vel exhalationi tradunt Theologi. Sic etiam linguarum locutionem non posse adscribi a trabili, tanquam causæ efficienti, quia dependet à consideratione diximus cum Psellio, Codroncho, ac Fernelio. Quod autem ii desinant loqui, in quibus non reperit Dæmon amplius amicas dispositiones, per accidens est. Atque ex eo etiam evincitur quod Sacerdos illa Pythia fatidicum Spiritum sedens super tripodem æneum accipiebat, sique exurgebat, vel sedebat alibi, spiritum illum amittebat. Neque mirum est, Dæmones, qui sunt principes tenebrarum, obscura cavernas habitare, credendumque, exhalationem illam reddidisse homines aptiores Dæmonum operationi, ut de melancholicis diximus contra Torreblancam.

Quare autem hujusmodi oracula cessaverint, aiunt, quia defecerat illa terræ exhalatio. At hos lepidè, & falsè irridet Cicero *lib. 2. de divinat.* his verbis. *Sed quod caput est, cur isto modo nostra ætate, sed jam diu, ut nihil possit esse contemptius, hoc loco cum urgentur, evanuisse aiunt vetustate jam loci, unde anhelitus ille terræ fieret, quo Pythia mente incitata, oracula ederet, de Vino, aut Salsamento putas loqui, quæ evanescunt vetustate?* Vera causa fuit Jesu Christi virtus, qui superveniens fortior, fortem armatum ejecit, sicque Dæmones, audientes prædictiones Prophetarum & oracula Sibyllina de Christo cito venturo, obmutuere.

Distingui verò hic debent Pythones, Fanatici, & Exstatici ab iis, qui illos consulunt. Nam Pythones, Pythonistæ, Exstatici pænà mortis mulctantur *Levitic. cap. 20. Deuter. 18.* executioni tradita *1. Reg. 28.* Undè constat à Sacra Scriptura hoc genus divinationis esse condemnatum, artemque Pythonicam exercentes, habent pactum expressum cum Dæmone, non sine illius adoratione, undè ii maxima ex parte infideles sunt, vel saltem valdè suspecti de fide. Idem dicimus, si ex pacto aliquo expresso Dæmonem adorent, vel aliud factum hæreticale commiserint. Ex sola tamen consultatione Pythonum non semper videntur suspecti vehementer de fide, si non petunt, nisi id, quod est in Dæmonis potestate. An autem, & quomodo possint isti dici suspecti, tamquam familiares, sivè etiam fautores hæreticorum, & quia excitant eos ad facta hæreticalia, & cum illis in eisdem communicant, alibi explicatum. In arreptitiis quoque Dæmon sæpe revelat occulta, etiam non vocatus. Sed ei non est credendum. Est enim pater mendacii. In hujusmodi autem arreptitiis quos Dæmon invitos occupat, & torquet, non est pactum aliquod cum Dæmone, nec ii obsessi suspecti sunt de fide. Undè si quis interroget Dæmonem obsidentem hominem sine aliquo speciali cultu de illis, quæ ipse Dæmon scire potest, non idcirco censetur hæreticus. Si tamen deprecando illum interroget est de hæresi suspectus.

Ariolatio.

Et hæc quoque generaliter accipitur in Sacra Scriptura pro omni Divinatione, ut Levit. 19. *neque ab Ariolis sciscitemini*, & Deuter. 18. *ne qui Ariolos sciscitetur.* 1. Reg. 28. *Saul abstulit magos, & Ariolos* Isaiæ 44. *& Ariolos in furorem vertens.* A nobis tamen hic ponitur Ariolatio species primi generis, estque illa, quæ circa Aras Idolorum versabatur. Apud enim Isidorum *lib. 8. etym c. 9.* relatum *in can. igitur 20. q. 3.* Arioli dicuntur, qui circà aras Idolorum nefarias preces emittunt, & funesta Sacrificia offerunt, hisque celebrantibus, Dæmonum responsa accipiunt. Exercetur igitur Ariolatio cum expressa invocatione Dæmonũ, immo cum Idololatria formali.

Hinc reprehenditur Gratianus *in can. quicumque Sacerdotum 26. quæst. 5.* hanc divinationem Sacerdotibus novæ legis attribuens, qui cujuslibet doloris causa commoti, altaria divina vestibus sacris exuere, aut alia qualibet veste lugubri accingere præsumebant. Quare jure, meritoque Gregorius XIII. *in correctione decretorum* jussit illa verba è textu deleri, quæ post Concilii Toletani textum Gratianus compilator collocarat. Hos namque Sacerdotum ritus ad divinationis speciem spectare valdè superstitiosam, probat Joannes Filesac *l. de mag. Idololatr. §. 6. & 7.* Quare, ut notat Eusebius *l. 4. praparat. Evang. cap. 1.* Sacerdotes Idolorum sæpissimè magi fuerunt, & ut refert Hyeronimus *in epist. ad Ephes.* Sacra plerumque apud Ethnicos Magiæ erant commixta, & liquet ex iis, quæ Apulejus Melesiar. *l. 11.* narrat de Serapidis, & Isidis sacris *Accessi, ait, confinium mortis, & calcavi Proserpina limina, per omnia vectus elementa remeavi nocte media, Vidi solem candido coruscantem lumine, Deos inferos, & Deos superos, accessi coram, & adoravi de proximo.* Ut enim affirmat Augustinus epist. 5. ad Marcellinum *Apulejus ipse Magus fuit Sacerdos.* Apud Græcos si quidem magia sacerdotio unita erat teste Psello *lib. de Dæmmib.* quod & de Telete probat idem Augustinus *l. 10. civit. c. 9. & seqq.* ac de Persis Nicephorus *lib. 8. hist. Eccles. cap. 36.* & Filesac *ibidem.* Undè ab ara dicti Arioli, quoniam in ara magiæ nefariæ periti sacrificia, & oblationes Dæmonibus offerebant, ab eis responsa expectantes. Hinc Macrobius *l. 3. saturnal. c. 11.* ait *Multifariam legimus, quod litare sola non possit oratio, nisi is, qui Deos precatur, etiam aras manibus apprehendat.*

Antiquitus autem ad Deorum cultum erigebantur aræ absque imaginibus. Immò Licurgus lacedæmoniis simulacra Deorum prohibuit. Persæ, ac Lybes à principio nec statuas, neque templa habuisse produnt Historiæ, & D. Augustinus *l. 4. civit. c. 31.* scribit. *Romanos plusquam 170. annos sine simulacro Deos suos veneratos, postea simulacra inventa, ad quæ accurrebant etiam ex longinquis partibus voti causa peregrini ex toto Orbe, ut de templis Apollinis, & Hesperidum circumfertur.* Sic Moabitæ idolum Baal sibi fecerunt *N. 22.* & Beelphegor *N. 25.* & *psal. 105.* Chamos *N. 21.* Amalecitæ Moloch. *1. Reg. 15.* & Beelzebuch *2. Reg. 1.* Madianitæ Barberith. *Judic. 8.* Sidonii Astaroth. *Judic. 2. & 16.* Philistini Dagon, Babyloni Belem *Daniel 3. & 4.* Undè liquet idolis, & imaginibus antiquiorem esse Idololatriam; quoniam lapides ipsos in ruinosis locis, arbores in nemoribus pro Diis adorabant, illisque putabant sua numina adesse, quia iis grata erant, ut Quercus Jovi, Laurus Apollini, Oliva Minervæ, Myrtus Veneri, Hedera, & Vitis Baccho, Cupressus Plutoni, Pinus Cybeli, Populus Herculi; Immo, & flores, legumina, poma, cæpas pro Diis coluerunt; Quare Ægyptiorum superstitionem irridet Juvenalis *Satyra 15.*

Hoc igitur facinus ad primum genus Divinationis spectat, & damnatur Levit. 19. & 20. n. 22. Deut. 19.

Josue 13. 1. *Reg*. 28. *Isaiæ* 3. *Daniel*. 2. *& alibi*. Adversus autem Ariolos, & Idololatras clamant Cyprian. *de idolor. vanit. & lib. exhortat. ad Martyres*, Chrysosthom. *lib. contra gentes*. Lactantius *lib*. 3. *divin. instit*. Cyrill. *contra Julianum*, Justinus martyr *in apolog*. 2. *pro Christianis*, Augustinus *lib*. 10. *civit. cap*. 9. D. Thomas *d. q*. 95. ibique Theologi. Caveturque *in l. nemo Cod. de pagan. & Sacrif. cor*. ubi Valentinianus, & Marcianus, Augusti sic sanciuntur, *Nemo venerandi, adorandique animo delubra, quæ jam clausa sunt, reseret. Absit à sæculo nostro infandis, execrandisque simulachris honorem pristinum reddi, redimi sertis templorum impios postes, profanos aris accendi ignes, adoleri in hisdem thura, victimas cædi, pateris vina libari, & religionis loco existimari sacrilegium. Quisquis autem contra hanc serenitatis nostræ Sanctionem, & contra indicta Sanctissimarum veterum constitutionum sacrificia exercere tentaverit, apud publicum Judicem reus tanti facinoris legitimè accusatur, & convictus, proscriptionem omnium bonorum suorum, & ultimum supplicium subeat. Conscii criminis, ac Ministri Sacrificiorum eamdem pœnam, quæ in illum fuerat irrogata, sustineant, & hac legis nostræ severitate perterriti, metu pœnæ desinant sacrificia interdicta celebrare*. Hujusmodi statuas, aras, locos destrui, ac subverti præcipit Deus *Exod*. 23. *Deuter*. 7. & 11. quod executus est David, comburens Philistinorum Idola 2. *Paralip*. 14. Josias, Jonathas, Ezechias, & alii.

Ex quibus colligitur in hoc crimine includi idololatriam, quæ est gravior omnibus peccatis. Imo ex glossa apud D. Thomam 2. 2. *q*. 94. *art*. 3. est maximum peccatorum, præcipuè inter Christianos; Undè id patrantes non solum sunt Idololatræ, sed etiam hæretici, Apostatæ, ac divinatores superstitiosi; ac proinde subduntur Inquisitorum judicio, quemadmodum probat Paramus *de orig. Inquis. lib*. 1. *tit*. 3. *sum. c*. 3. *n*. 103. Simanchas de Cathol. *instit. tit*. 32. *n*. Toletus *in sum. cap*. 14. *n*. 4. Zechius *in sum. part*. 1. *tit. de fid. cap*. 14. Lessius *de justit. lib*. 2. *cap*. 43. Sanchez *lib*. 2. *in decal. c*. 37. Azor. *p*. 1. *lib*. 9. *c*. 11. De la torre *in d. q*. 95. *D. Thomæ* ibique Sylvius, Torreblanca *l*. 8. *cap*. 9. aliique innumeri.

Hydromantia.

Est superstitio divinatrix, in qua Dæmonum industriâ manifestantur occulta per aquam, vel in aqua, *can. igitur* 26. *q*. 3. *can. nec mirum, ead. q*. 5. Prohibetur, ut hæreticalis, & pacto suspecta *in extravag*. Joannis XXII. quæ incipit *super specula*. & Sixt. V. cujus initium, *Cæli, & terræ*. Orta est ex idololatria Gentilium, qui aquam in Deum venerabantur, & divino quidem honore culta, teste etiam eo qui Salomonis Sapientiam scripsit *cap*. 13. *n*. 2. ubi scriptor is appellat *violentam aquam*, sive quia magna vis cuivis aquæ insit, sive non omnem aquam, illam etiam residem, ac Cisternis conclusam respexerit, sed dumtaxat vasti maris, aut præterea fluminum Magnorum. Quò enim major in corpore aliquo se vis excreret, eò judicabant illi plus inesse divini.

Porrò cunctarum gentium præcipuè Aquam esse venerati videntur Ægyptii, ac Persæ. De Prioribus ita Plutarch. *lib. de Iside & Osiride*: Nihil in majore est Ægyptiis honore, quam Nilus. Et è nostris Athanasius qui Ægyptius ipse fuit, *orat. contra gent*. Alii fluvii, & fontes, & omnium maxime Ægyptii aquam præcipuè venerati, Deosque appellant. Similiter Julius Firmicus *de err. prof. Relig*. Ægyptii incolæ aquarum beneficia percipientes, aquam colunt, aquis supplicant, aquas superstitiosa continuatione venerantur. Vide & Vitruvium *in præfat lib*. 8. De posterioribus, testantur inter alios Laertius *in proemio operis sui*, Clemens Alexandrinus *admonit. ad Gent*. Arnobius *lib*. 6. Sydonius Appollinaris *panegyr*. Leon. Agathias *lib*. 2. Imo Herodotus *in* 1. & Strabo *in* 15. referunt usque adeo flumina veneratos, ut religio iis esset in ea meiere, vel alvum exonerare, vel inspuere, vel cadaver, aut sordidum quid conjicere, vel manus vivo flumine abluere. Itaque, & in expeditione Xerxis, Magi, ubi ad Strymonem deventum, albis ei equis litaverunt ut refert idem Herodotus *in* 7. Tyridates quoque Euphratem cum Vitellio, & copiis transmissurus, equum immolavit, ut flumen hoc haberet placatum, quemadmodum apud Tacitum est *in* 6. *Annal*. Idem Tyridates, de Armenis ad Neronem iturus, eo noluit navigare, quoniam, Plinii verba sunt, *lib*. 30. *cap*. 2. expuere in maria, aliisque mortalium necessitatibus violare eam naturam, *fas non putaret*. Meritò autem Magi, & Persæ Herodotum malæ fidei arguunt super eo, quod scripserit Xerxem expeditione adversus Græcos susceptа, & sagittis impetiisse Solem, & Mari injecisse compedes. Nec enim ullo pacto verisimile est, tam irreligiosè Regem eum se gessisse erga Solem, & Aquam, qui more gentis pro summis ea Numinibus haberet.

Fontibus quoque, & aquis hostiæ datæ, Athanas. *orat. contra Gent*. Vuibaldus *de Catis*: *Alii etiam lignis, & fontibus clanculo, alii autem apertè sacrificabant cap*. 8. Causam ejus rei profert Lipsius, quia nempè opinio prisca erat fluvios, & fontes minores esse Deos, sive Genios *not. ad c*. 26. *paneg. Plinii*. Imò habere, & continere Genios, qui aquis, & fluviis præsideant. Vide Gruterum *in inscript, pag*. 94. Ex eo legitur in inscriptione Nesconiæ in Hispania *Fonti Divino*. Et Poetæ fluvios appellant *Sacros*. Seneca *epist*. 41. *Magnorum fluminum capita veneramur, subita ex abdito vasti amnis eruptio aras habet. Coluntur aquarum calentium fontes, & quædam stagna, vel opacitas, vel immensa altitudo sacravit*. Aliam rationem in illud Virgilii Eclog. 1. *Et fontes sacros*, subnectit Servius: *Nam omnibus* inquit, *aquis Nymphæ præsident*. Nervosius quidem quam Lipsius frequenter enim ad fontes, & fluvios Nymphæ dormientes reperiuntur innixæ amphoris suis. Probant id aliquæ inscriptiones, qualis est illa Romæ in hortulo Colotii, & alibi in fontis margine *Nymphæ loci, Bibe, lava, tace*. Vide Fabricium *in Rom. cap*. 16. *&* 17.

Hinc Hydromantiæ superstitio, quæ ex aquæ inspectione umbras Dæmonum observabat, futurosque eventus, & absconditos divinabat ex figuris in aquis à Dæmone demonstratis, attendebat, ut declaret idem textus *in d. can. nec mirum*.

Hujus præcipuus usus est in fontibus, ubi repræsentantur imagines in vase amplo aqua pleno, injectis laminis auri, vel argenti, aut lapidibus pretiosis, & submurmuratis quibusdam magicis verbis, audiuntur responsa è fundo vasis. Scribitque Macrobius *lib*. 5. *saturnal. cap*. 19. quod apud antiquos stagna, fontes, & paludes Sacræ ad id conservabantur. Ejusmodi Cisternam commemorat Zozimus *in vita Aureliani* extitisse in Ægypto in templo Appatneno, & Pausanias *in Achaicis* meminit Junonis paludis apud Laconiæ Epidamnum, Apollinisque Thyxei oraculum propè Cyrneas ad Licinium. Quò referre videtur Claudianus superstitionem veterum Getharum, & Germanorum recenter natos Rheno commendantium, ut si spurii essent, ab aquis absorberentur, si autem legitimi, supernatarent.

Tradunt etiam Almader, Arabs, Gerardus Cremonensis

monensis, & Barthol. Parmensis *de divinat.* quod hæc divinatio exercebatur in aqua æstiva immissis lapillis, & illorum observatis gyris, vel in vasculo aqua pleno & annulo filo suspenso, vel in oleo guttula aquæ infusa à Dæmone futuri eventus repræsentabantur. Fit etiam in vase aqua pleno, & puero, aut puella virgine, injectis in aqua paleis, pronunciatisque quibusdam verbis, & tunc pueri, vel puellæ in d. vase repræsentantur figuræ, ex quibus cognoscitur quod quisque scire vult. Hujusmodi divinatio sæpè cum cultu Dæmonis, & pacto exerceri solet. Inspicitur item in aqua ejus motus, & in pelvim, vel in aliud vas aqua plenum pix, cera, vel resina liquefacta infunditur, & ex figuris, quæ in ea prolatis verbis apparent, futura prædicuntur ex pacto Dæmonis. Committit etiam hanc divinationem, qui ad furtorum authores detegendum trium suspectorum nomina totidem pillulis inscribit, & eas in aquas conjicit.

Non est autem superstitiosus mos ille Serenissimæ Reipublicæ Venetæ projiciendi annulum in mare Adriaticum, quia, non ad cognoscendum futura quotannis die Ascensionis id facit, sed ad significandum illius Maris Dominium sibi ab Alexandro III. concessum in memoriam navalis victoriæ, qua Duce Sebastiano Ziano Veneti debellarunt Othonem filium Friderici Ænobarbi, captumque Pontifici obtulerunt, qui Venetias profugerat, licet alii refragentur. Tunc enim Ziano Pontifex annulum è manu sua detractum porrexit, inquiens: Autoritate mea hoc annulo fretus Oceanum tibi subjicias, & quotannis tibi, posterisque eo die, quo hanc victoriam pro Ecclesiæ defensione obtinuisti, despondebis mare, ut sciant omnes maris tibi dominium concessum, quia Sedis Apostolicæ tuendi curam, & studium fideliter suscepisti. Sit hoc tibi quasi pignus benedictionis, & secundæ sortis in futurum, ita Villamontius *lib.* 1. *peregrinationis suæ cap.* 23. Superstitiosi verò hæreticales appellandi sunt quotannis, velut animatum baptizant, & qui antiquitus ex varia pelagi agitatione lapillis ter injectis in mare, futura credebant cognoscere.

Hæc autem divinatio, quatenus est necromantia, non exercetur sine invocatione ex pacto expresso, & cultu speciali, soli Deo debito. Undè non fit, nisi saltem cum vehementi hæresis suspicione.

Geomantia.

Hæc etiam est superstitio divinatrix, in qua Dæmonis industriâ revelantur occulta ex signis factis in corpore terrestri. Hujus speciei fuerunt oracula, & responsa quæ Dæmon dabat ex antris, vel statuis de quibus jam dictum. Ad hanc speciem divinationis pertinet etiam illa divinatio, quæ fit per specula, per ensem levigatum, crystallum, aut lapidem politum, per puncta descripta in terra, in pulvere, in tabula, vel in charta, per Ungues quæ dicitur Onicramantia, per annulos, & post illorum inscriptionem, mutationemque, & transpositionem prædivinatur id, quod quisque animo intendit. Prohibetur *in d. can. igitur* 26. *q.* 3. & *cit. Constit. Sixti V.* ut hæreticalis, falsa, scandalosa, & pacto Dæmoniaco suspecta. Magus Olivet. & Gaspar Peuzer. *in libris de ipsa publicatis* tradunt, quod fiebat in terra styli punctuatione, nunc autem in abaco, vel tabula sexdecim figurarum, & totidem punctorum, cum aliis vanitatibus, quam tandem ipsi contemnunt, etsi Lutheri sequaces. Et Pictonius *in epitom. de magia c.* 9. affirmet in hac divinatione laboriosâ industriâ mentiri artem, & ab idololatria irrepsisse apud antiquos adorantes terram, sicut Numen.

Immò ex elementis ante alia, Tellus divinos obtinuit honores, & sub variis Deorum, ac Dearum nominibus culta. Ita est sub Phrygibus culta sub nomine Rheæ, Cybeles, Dindymenes, Idææ matris, Berencynthiæ, Pessinuntiæ, Mygdoniæ, sub nominibus culta aliis. Ad hæc Syris sub nomine Deæ Syriæ, Assyriis verò Atergatis; Ægyptiis Isidos nomine, Samothracibus sub nomine Dei Magni, & Cabirorum, Thracibus nomine Bendis, Græcis & Romanis nomine Cereris, Junonis, Vestæ, Rheæ, Opis, Proserpinæ, Plutonis, ac telluris ædes Romæ non una. Hic culta, & sub nomine Maiæ, Bonæ Deæ, & aliis. Item culta Gallis nomine Ditis, Germanis nomine Hertæ, Scythis nomine Apiæ, Kyrgettis quoque in Tartaria pro Dea est habita, Et cur non aliquid alterius Orbis addam. Ubi Peruanis terram esse cultam, atque ab iis dici *Pachamama,* refert Josephus à Costa *l.* 5. *c.* 4. Telluris quoque partibus divinus est honor attributus, & nominatim Carmelo, de quo sic Tacitus in 2. hist. *Est Judæam inter, Syriamque Carmelus, ita vocant montem, Deumque, nec similacrum Deo, aut templum. Sic tradidere majores, aram tantum, & reverentiam.* Suetonius in Vespasiano *c.* 5. *Apud Judæam Carmeli Dei oraculum consulentem.* Et longè his antiquior Scylas Caryandensis, *Carmelinons,* Jovis *Delubrum,* significat montem, & Deum esse, & Dei sedem, ac fanum; Nullum enim in ea templum erat Numinis, immo, & corpus ejus. Nam Carmelus Deus constabat genio loci, & vasto montis corpore. Verisimile autem est hanc opinionem paulatim irrepsisse ex eo, quod Elias Thisbites hic habitavit, Scholamque habuerit, ut quidem prodidit Joannes Patriarcha Hierosolymitanus *de instit. primor. monach. sub veteri lege.* Prope finè eum sacerdotes Baal ab Elia occisos legimus 1. *sive* 3. *Reg.* 18. Ac Eliæ discipulum Elisæum hic aliquandiù sedem fixisse cognoscimus ex 4. *Reg.* 2. & 4. Quia igitur Prophetæ tanti hunc locum eligere ad incolendum, sacraque præstanda, eò diù ille pro Sancto habitus est, gratioremque in eo fore numini cultum, judicatum. Quam altè autem opinio hæc de montium cultu radices in animis egerit humanis, argumento illud erit, quod etiam montes pro Diis culti sint Peruanis quemadmodum refert idem Acosta *l.* 5. *c.* 2.

Hæc autem divinatio dupliciter exerceri potest. Primo, Dæmone invocato, dante responsa per corpus terrestre. Secundo, Dæmone, responsi loco, ostendente figuras, & signa in corpore terrestri. In hac autem Geomantia necromantica, quando per Dæmonem dantur responsa, semper præcedit expressa invocatio cum aliquo speciali cultu Dæmoni exhibito, qui vel continet expressum pactum cum Dæmone, vel illud supponit. Undè hujusmodi divinationi insistentes, sicque Dæmonem invocantes expresè, sunt sine dubio de fide vehementer suspecti, si non sunt hæretici.

Aeromantia.

Hæc est superstitiosa divinatio quæ per Dæmonum industriam occulta prædicuntur per apparationes, quæ ex Aere, vel in Aere fiunt. Hinc non vulgares solum animæ, sed etiam maximi nominis Philosophi Aerem pro Numine habuerunt. Inter alios Anaximenes Milesius, & Diogenes Apolloniates. De priori sic Tullius 1. de natur. Deor. *Anaximenes Aera Deum statuit, eumque gigni, esseque immensum, & infinitum, & semper in motu, quasi aut Aer sine ulla forma Deus esse possit, cum præsertim Deum non modo aliqua, sed pulcherrima specie, esse deceat, aut non omne, quod ortum sit, mortalitas consequatur.* Quibus non solum Anaximenis sententiam clarè proponit, sed solide etiam refellit. Atque ex hoc Tullii loco eamdem Anaximeni opinionem tribuit B. Augustinus *ep.* 56. *quæ est ad Dioscorum.* Ac scitè idem *c.* 6. quo tractat, Deus quid sit & quomodo cognoscatur. *Interrogavi,* ait, *auras flabiles, & inquit universus Aer cum incolis suis: Fallitur Anaximenes: Non sum Deus.* De Diogene sic post superiora Tullius. *Quid Aer quo Diogenes Apolloniates utitur Deo, quem sensum habere potest, aut quam formam Dei?* Item Augustinus *l.* 8. *civ. c.* 2. *Diogenes Anaximenis alter auditor, verum quidem dixit esse materiam, de qua omnia fierent, sed eum esse compotem divinæ rationis,*

rationis, sine qua nihil ex eo fieri posset. Sed missis Philosophis de totis potius gentibus videamus.

De Assyriis, & Arabibus testis est Herodotus *lib.* 1. qui & author est, vocatam iis Venerem cœlestem, & Pausanias *in Atticis.* Aperteque in primis Julius Firmicus *lib. prophanar. relig. Assyrii, & pars Afrorum aerem Ducatum habere elementorum volunt, & hunc imaginata veneratione venerantur. Nam hunc eumdem nomine Junonis, vel Veneris Virginis, si tamen Veneri placuit aliquando virginitas, consecrarunt.* Virginem Venerem orientales dixere, ut Romani, & Græci, Virginem Dianam. Nempe hic signatur non terrestris Venus, sed cælestis, quæ partim est Luna, partim Aer pro Lunæ ratione mutationibus obnoxius. Ægyptii autem intellexere Aera per Minervam, teste Eusebio *lib. 3. præpar. Evang. cap.* 2. Græcis, & Romanis Aer partim considératur ratione potentiæ activæ, ac Jupiter dicitur, partim passivæ, & vocatur Juno, Seneca *lib. 3. q. nat. c.* 14. & Athanagoras *legat. pro Christianis.*

Ex Aere autem incantato mediis spectris repræsentantibus, vel loquentibus, vel voce, vel signo aliquo futura venari consuevit, ut fatentur Petrus Pictorius *ibidem cap.* 12. Quia credebatur, ut revera est, dæmonibus aerem esse plenum, id est in illo habitare. Per hanc divinationem vani, & divinatores observant etiam aeris mutationem, sonitum arborum, venti flabra per fenestras, & ex his futura pronunciant. Hujusmodi quoque divinationis species, sicut includit invocationem expressam, & cultum soli Deo debitum Dæmoni tributum, ita continet infidelitatem, sive hæresim, aut saltem vehementem hæresis suspicionem. Ideoque prohibetur à Sixto V. *in cit. Constit. & in d. can. illud.* 26. *q.* 5. Quia per se, aut plerumque spectat ad expressam dæmonis invocationem, cum ita sit instituta ab initio, cui pacto consentiunt, illam scienter exercentes. In quo tamen advertendum, quod si ad Divinationem attenduntur tonitrua, vel fulgura, pertinet ad augurium. Si cœli aspectus, ad Astrologiam de quibus suo loco.

Pyromantia.

Primus autem, ut ajunt, ignem colere Nemrod jussit, quem aliqui Ninum arbitrantur Chronici Alexandrini scriptor pag 64. *Nemrodo autem cognomen Nini imposuerunt. Hic pro Deo ignem colere docuit. Unde primum eum post Diluvium Assyrii Regem fecere, Nini cognomine imposito.* Credibile verò est ab eo cultu *Ur* vocatam Babyloniæ urbem, quæ aliter *Urie*, & *Camarina*, ut ex Eupolemi opere *de Judæis Assyriis* traditum est Eusebio. *lib. 9. præpar. Evang. cap.* 17. Eòque spectat, quod sacerdotes Chaldæorum Græcis dicerentur Chaldæi. Chaldæis autem *Cumerin* ut Hebræis *Cemarin.* Undè & quartus ex Diis Samothraciis. At eadem civitas *Ur*, & *Uroe* nuncupata, quia, ut dixi, Ignis in ea coleretur, sive cultus is proprius fuerit, sive symbolicus. Sanè, & regio tota ab eadem causa *Orchon* dicta Ptolæmæo.

In civitate *Ur* natum Abraham, est verisimile, quando ex ea dicitur profectus *Genes. cap.* 2. 32. Et Haran fratrem ubi mortuum *ibidem num.* 28. constat. Imo, & de eo fabellam hanc apud Beatum Hieronymũ reperias quæstionibus, sive traditionibus in Genesim ibidem: *Pro eo quod legimus* in Regione Chaldæorum *in Hebræo habetur* Ur Chasdim, *id est* in igne Chaldæorum. *Tradunt autem Hebræi, ex hac occasione istiusmodi fabulam, quod Abraham in ignem missus sit, quia ignem adorare noluerit, quem Chaldæi colunt, & Dei auxilio liberatus, de idololatria igne profugerit. Quod in sequentibus scribitur, egressum esse Tharam cum sobole sua de Regione Chaldæorum pro eo quod in Hebræo habetur, de incendio Chaldæorum, quod videlicet ignem noluit adorare; igne consumptus sit.* Habes fabulam eam *in Misdras Haggada,* ac *referunt etiam Salomon Jarchi, & Moses Gerundensis.*

Sed quidquid de Chaldæis sit, illud constat, Persis ignem pro Numine fuisse. Causam refert Julius Firmicus. *lib. de error. prophanar. Religion. Persæ, & Magi omnes qui Persicæ Regionum incolunt fines, ignem præferunt, & omnibus elementis putant debere præponi. Ac primo quidem Ignem coluere & Dei Symbolum, sed sic, ut paulatim penè apud omnes, vulgum saltem, Symbolicus ille in proprium transiret. Ad proprium hunc cultum retuleris, quod Lucianus in Jove tragœdo ait, Persas igni sacrificare.* At ut Symbolicum interpretabatur Maximus Tyrius *dissert.* 38. Ex Scriptoribus Ecclesiasticis cultum hunc fuisse apud Persas, tradunt etiam B. Ambrosius; sive potius Hilarius Diaconus Romanus *in 1. ad Corin. cap.* 9. & Isidorus *origin. lib.* 14. *cap.* 3. E Græcis Theodoretus *lib. 5. hist. Ecclesi. cap.* 38. & Socrat. *historiæ suæ lib. 7. cap.* 8. quo loco pulchrè narrat, qua fraude Magi in specu, ubi ignem colerent, hominem occultarint ad decipiendum Regem Ildegirdem, atque ut dolum hunc detexerit Maruthas, Mesopotamiæ Episcopus. Sed ante cultum illum prodidere etiam Clementes duo, unus, qui dicitur Romanus *in 4. recognit. libro*, alter autem Alexandrinus *in admonit. ad Gentes*, ubi non modò Persas Ignem veneratos testatur, sed etiam Medos, atque alias Gentes, quæ Asiam incolerent, imò & Sauromatas, *de quibus postea*, atque adeo Macedonas quoque secundum Diogenem. *in 1. Persicorum.* Qua ratione autem Persæ sacra fecerint igni, exponit Strabo. *in* 15. ubi eadem ostendit, diversum fuisse modum, quo aquæ sacrificaretur. Ignis hic etiam præferebatur Regibus Persarum, idque sacrariis quibusdam, quæ Pyræa Græci vocant. Ammianus Marcellinus *lib.* 23. *de Magis: Feruntque etiam, si justum est credi, ignem cœlitus lapsum, apud se sempiternis foculis custodiri, cujus portionem exiguam, ut faustam prædivisse quondam Asiaticis Regibus dicunt.* Extinguere tamen hunc ignem solebant, si Rex moreretur, ut est apud Diodorum Siculum *l.*17.

A Persis hunc ignem sacrum accepere Cappadoces, de quo sic Strabo *lib.* 15. *In Cappadocia est maxima magorum multitudo, qui Pyræthi vocantur, & multa Persicorum Deorum templa.* Ab his Pyræthis dicta Pyræthea, de quibus Strabo *ibidem* sic ait: *Sunt & Pyræthea septa quædam ingentia, in quorum medio ara est. In ea Magi & cinerem multum, & ignem perennem servant.* Narrat deinde, quomodo in Pyrætheis sacra faciant.

Quantopere verò in Asia radices egerit insana hæc Religio documento erunt, quæ *in itinerario suo* prodidit Rabbi Benjaminus, qui ab Abrahamo Zachuto in Chronico vixisse dicitur anno Mundi quater millesimo nongentesimo nonagesimo tertio, is à Christi fuerit natali 1174. ac ab Aria quidem Montano, viro summo, latinè redditus. Is Benjaminus *pag.* 108. narrat, ut in Chenerag, Insulis Asiaticis, ad quas se ex Haaulam hoc est Zeilam, navigasse scribit; incolas repererit ignis cultores, vocarique *Dubijim*, ac sacerdotes ejus numinis sic præstigiis cœteros orbis exsuperare, ut æquiparari hac parte possit nemo. De modo etiam cultus complura adiungit, quæ apud illum legi nolo.

Videamus nunc de vicina Asiæ Ægypto. Vulcanus, per quem partim ignis, partim ejus artificium intelligebatur in Diis erat Ægyptiorum, qui duos solum habuere Deos Masculofœminas, Vulcanum & Minervam, quemadmòdum prodit Orus Apollo *l.* 1. *c.* 13. Dicunt autem Ægyptii, Vulcanum esse patrem Solis, quia sidera sunt ignita.

Apud Græcos verò, & Romanos quid mirum, si ignis à vulgo haberetur Deus, quando & eum pro Deo coluere Hippasus

Hyppasus Metapontinus, & Heraclitus Ephesius, ut apud Clementem legimus *admonit. ad Gentes?* De Religione autem publica tum Græcorum, tum Romanorum, utriusque Ignis nunc erat Vesta, nunc Vulcanus. Est hæc Vesta junior, soror Ceteris, & Junonis, filia autem senioris illius Vestæ, quæ aliter Rhea, vel Ops dicebatur. Vesta autem focus, sed cujus pro Dea sumitur, intelligitur focus Urbis publicus, ut vocat Dionysius *lib.* 2. *antiq.* Unde Cicero *in* 2. *de legib. Virgines in Urbe custodiunto ignem foci publici sempiternum.* Romani hunc Vestæ cultum accepere ab Albanis *ex Livio lib.* 1. Albani autem habuere illum à Lavinienſibus quorum urbs, Dionysio teste, triginta annis extructa fuit, priusquam ab Ascanio Alba Longa conderetur, Lavinienses cum accepisse traduntur ab Ænea Phryge. Atque hasce tres civitates Albam, Lavinium, ac Ilium in animo habuit Augustinus, quando ait *lib.* 3. *de civit cap.* 18. *Sacra illa fatalia Vestæ, quæ jam tres, in quibus fuerant, presserunt civitates.* Ambigit tamen Prudentius, an non ea Romani acceperint sacra ab Athenienſibus. Verba ejus leges *in* 2 *adversus Symmachum*; nempe, ut hausevint ea Romani à Legatis suis anno Urbis trecentesimo in Græciam missis, quò de Draconis, ac Solonis legibus cognoscerent.

Hunc ignem custodiebant Romæ Virgines, ex eo dictæ Vestales. Eo id factum, quia ut purus ignis, sic pura Virgo, atque ut nihil generat ignis extra mixtionem, ita nec Virgo. Unde Plutarchus in Numa *Numa Vestalium Virginum conservationem, omnemque æterni ignis, quem adservant hæ, cultum, ac honorem adsignant, sive puram & incorruptam Ignis naturam integris, & inviolatis indidit corporibus sive sterilem & infecundam Virginitati quasi contubernio conjunxit* Adde, quod Virgines sine immunes à rei domesticæ curis, eòque facilius, & certius advigilent ad sacri Ignis custodiam, qui si extingueretur, Urbi grave credebatur periculum portendi. Quam rationem etiam Tullius adducit *in* 2. *de legib.* Et eadem de causa viduæ in Græcia præfectæ & quidem ætate provectæ, nempe quia nuptæ non possunt satis advigilare ignis custodiæ quia sint mariti, ac rei domesticæ cura districtæ, uti neque nupturientes, quippe aliò applicantes animum. Qua de re Plutarchus *in Numa.* Hujusmodi viduæ vocabantur Prytanitides de quibus scholiastes Pindari *ode* 11. Cœtera, quæ ad Vestam, & Vestales pertinent, veterum nemo fusius ac diligentius est persecutus Dionysio Halicarn. *antiquit. Roman. lib.* 2. operæque iis jungere, quæ habet Aulus Gellius *lib.* 1. *cap.* 12. Juniorum autem, ut aspernanda non est erudita opera Lilii Gyraldi, ita nullus ea melius illustravit Justo Lipsio peculiari de Vesta & Vestalibus syntagmate. Hæc adduxi, ut animadversa cœcitate Gentilium, gratiores erga Deum simus, Christumque ejus, qui Evangelii lux tenebras de mentibus dispulit nostris.

Pyromantia igitur est & ipsa reliquia Gentium, quæ Vulcanum Ignem appellabant, adorabantque in Deum ex cujus observatione varias dixerunt divinationis species existimantes Deos voluntatem suam sibi revelare Ea fit ex igne privato, vel publico, quæ etiam prohibetur *in d. can. igitur & in d. constit.* Sixti. refertque Bulinger *lib.* 3. *de divinat. cap.* 11. quod præcipuè ad hanc divinationem pix trita in ignem spargebatur, & alioquin tædæ pice illinitæ accendebantur, & quibusdam characteribus determinatis signabantur. Usus autem hujus divinationis est, cum divinatores eâ utentes considerant ignem, flammam, fumum, an conglobatim flammæ igne emittantur, an splendidè, an celeriter, an tenues, an crassæ sint, quem colorem efficiant, quem sonitum edant, in modum Pyramidum.

In hoc genere divinationis ait Delrius *lib.* 4. *magic. cap.* 2. *q.* 7. *sect.* 1. peccare Germanos, qui in succensione pyrarum, quas piè in honorem S. Joannis accendunt, ad crepitum, fumum, flammæ modum, ac similia, attendunt. Item dùm definitis vicibus circuire, vel transilire debere putant. Quia ista reliquiæ sunt veteris paganicæ Lustrationis, ac traductionis per ignem, ut rectè censuit Conradus Vuimpina *lib. de divinat. cap.* 2. Canones autem Pyromantiæ quo ad prosperum eventum describit Peucerus. Si flamma tranquilla, pura, perspicua, & nitida, nullis infecta coloribus alienis, & nigro, rutilante, aut pallido, nec permixta vel sordibus vel caligine, fumisve, sineque strepitu, vel sine egestione, atque jaculatione favillarum turbulenta, ac crepidante recto ductu turbinatæ Pyramidis instar, attolleretur & insurgeret. Sicque non nisi tota victima depasta atque exusta moreretur, placidè numen hostiam acceptare, hanc complecti, annuereque quæ requirebantur conjiciebant. Ferè diverso modo recenset canones adversi ominis. Gerardus autem Cremonensis, & alii, brevibus describunt eventum prosperum ominari, si flamma in unum coibat, si tricuspis insurgebat. Infortunium autem, si lambens, & divisa ascendebat, & si variè dispersa, in ægro mortem indicabat, in sano morbum. Si subito extincta, ingens periculum ominabatur. Reliqua reticeo.

Per hanc etiam, aliquando fiunt apparitiones in igne, vel audiuntur voces. Interdum ex sola figura flammæ, additis certis herbis, & lignis, & certis characteribus, ac verbis fit conjectatio. In primo modo regulariter adest invocatio, & pactum expressum cum cultu. In secundo sæpius intervenit pactum implicitum, & tunc hujusmodi divinatio non pertinet ad necromantiam sive sortilegium cum expressa invocatione, & cultu. Quando vero hæc interveniunt, intervenit etiam vel infidelitas, vel hæresis, vel vehemens illius suspicio.

Radomantia, Arithmantia, Dactylomantia aliaque species Geomantiæ.

Divinatio ex Radomantia fiebat duobus lignis æqualibus, quæ certo ritu excantabantur, projiciebanturque in aërem. De hac conqueritur Deus Oseæ cap. 4. *Populus* meus de ligno interrogavit, & baculus ejus annunciavit ei. Talis extitit sagittarum emissio quam indicare videtur Ezechiel *cap.* 21. inquiens *Stetit* enim Rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum divinationem quærens commiscuit sagittas, interrogavit Idola, exta consuluit, ad dexteram ejus facta est *divinatio.* Nam divinationis speciem in usu fuisse apud Indos Occidentales, & Chinenses, prodit Mendoza lib. hist. Chinen. cap. 4. Scribuntque Tacitus lib. de morib. German. & Herodotus lib. 4. exerceri apud eos hanc divinationem ex virga arboris fructiferæ partim sine cortice & in surculos dissecta, ac subinde notis quibusdam magicis insignita, movente dæmone ad imitationem virgæ Mosaicæ, sicque operatur, ut lignum pro Idolo adorent Hierem 2. *Veh illi, qui dicit ligno; pater meus es tu.* Et Sapient. 14. *Incommunicabile nomen lignis imposuerunt.*

Arithmantia videtur idem atque Kabala numeralis de qua nos alibi. Attenditur enim per supputationem arithmeticam, quam Plato *lib. de Repupl. cap.* 99. Arithmeticum vaticinium appellat. Alia est Græcorum, quæ valorem literarum considerat ex illisque futurum victorem conjectat, cujus nomen majores numeros includit, ut ex quodam Raymundo tradit Torrebl. *lib.* 8. *cap.* 20. Alia Chaldæorum fuit, alphabetum distribuentium in tres decades, quibusdam litteris repetitis, ac nominibus consulentium

iulentium resolutis, commutatas deinde in numeros, singulos numeros suis planetis attribuendo. Neque iccirco videtur approbata in Apocalypsi 13. ubi Antichristi nomen per numerum *666.* exprimitur Nam D. Joannes nullo modo ad hanc divinationem arithmeticam allusit, sed numerorum involucris illam prophetiam contexit, per quam aliqui, teste Malvenda *de Antichisto* credunt nomen illius invenire.

Ad Arihmantiam reduci videtur Plectromantia, quæ alphabetum æqualibus partibus dividit illisque granum frumenti assignat, & gallinaceus ad hoc enutritus introducitur, qui grana devoret, ac subinde attenduntur litteræ quarum primùm grana depastus fuit. Tradit Nicephorus *lib.* 11. *cap.* 45. Valentem Imperatorem hoc modo divinandi successorem investigare conatum fuisse, & quia grana notata erant *Th. e. o. d.* omnes Theodoros, Theodosos, Theodosios, & Theodolos interfici mandavit.

Dactilomantia ex annulis ad determinatum Cœli situm contextis, vel certis characteribus, & ritibus excantatis, & super tripodem ad certa verba motis captabatur ex Joannis XXII. Extravaganti. His demones alligabantur, & tanquam pacti signum custodiebantur. Huc pertinet quod refert Philostratus *l.* 23. *cap.* 23. de septem illis annulis, à Jarcha datis Apollonio Thyaneo, septem stellarum nominibus insignitis, quorum singulos singulis diebus gestaret, qui ad morbos sanandos juvabant, teste Augustino *lib.* 22. *de civit. cap.* 8. ex pacto quidem dæmonis. Quo etiam spectat annulus Gygis, qui eum reddebat invisibilem, ut scribit Herodotus *lib* 2.

Onomantia attendebatur secundum ipsam nominis etymologiam ad aliquid lætum, vel triste præsagiendum, nominibus significantibus consulto applicatis ceu tradit Isidorus *lib.* 7. *origin. cap.* 6. cui arti vacarunt Augustus, ut scribit Glycas *annal. p.* 3. & Athenienses, quos ideo Paulus, ut ad Evangelii veritatem traderet, ab Aræ titulo ac nomine aggressus est Act. 17. ut sic vana vanis confunderet. Huic namque vanitati ita ii erant addicti, ut ex nominum significatione cunctas fere suas actiones dirigerent. Quam vanam divinationem merito irridet Brodæus *lib.* 7. *miscel. cap.* 5. Eamque pluribus rationidus impugnat Azor *p.* 1. *lib.* 9. *cap.* 22. *q. fin.* Et Sanchez *in decal. lib.* 2. *cap.* 38.

Caphaleomantia fiebat ex capite hominis, vel apri, vel asini, vel alterius animalis, super prunas asso ac certis ritibus incantato, per quod dæmon oracula exhibebat. Refert autem Majolus *tom.* 2. *canicul. dier. collog.* 3. apud Ægyptios ex asselli capite oracula hujusmodi attendi. Ad hanc quippe dementiam devenerunt, ut asini caput pro Deo venerarentur, notatque Picus *lib.* 7. *prænot. cap.* 10. per capita mortuorum gentilium sæpe dæmones oracula edidisse, ut de Polycrito ait Pleton. *lib. mirab.* & de Gattino Plin. *lib.* 7. *cap.* 5.

Stoirheomantia attendebat ea, quæ primò se offerebant in libris Homeri, Virgilii, aliorum, de qua etiam nos alibi. Hoc modo Socrates suæ mortis diem prædixisse, & alios Imperatores Regni vel salutis propriæ eventa divinasse, scribit Lipsius *lib.* 2. *elect. cap.* 12. Suetonius *in Tiberio.* Hanc exercuerunt Heraclius Imperator apud Cedrenum, Diogenes apud Cuspinianum, Andronius apud Gregoram *lib.* 8. Hebræi huic superstitioni vacabant aperiendo casu Pentateucon, ut ex primùm se offerentibus futura pronunciarent, ut refert Josephus *lib.* 1. *antiq.* Hæc etiam subrepsit inter Christianos per aperitionem novi vel antiqui testamenti, blaspheme asserentes Apostolos usos fuisse hac arte in electione S. Mathiæ, quam ideo vocabant sortem Apostolorum. Hæc superstitio, tanquam reliquia ethnicæ superstitionis prohibetur *inc.* 1. *de pagan.* & *in can. non exemp.* 26. *q.* 2

Coscinomantia exercebatur cribro excantato forcipiti imposito, ac funibus alligato, quod duobus digitis comprehendebatur, ac recitatis quibusdam verbis magicis, elevabatur cùm suspecta nomina pronunciabantur. In cujus autem nominis pronunciatione cribrum movebatur, reputabatur convictus, ut notavit Bulenger. *lib.* 3. *divinat. cap.* 31. & Covar *de falsa prophet.* 26. *quæst.* Testantur Moura *sect.* 2. *c.* 15. & Torrebla, aliique, Jurisconsultos usos fuisse divinatione per lancem, & licium, quibus patefacta furta tanquam manifesta condemnabantur §. *furturum instit. de oblig. quæ ex quasi delict.* Similis alia divinatio ad furta domestica investiganda appellata fuit Cratomantia, in qua servi coram Sacerdote sistebantur, qui crustum panis suspectis exhibebat, & cui adhærebat gutturi, pro reo judicabatur, ut tradunt Moura *loc. cit. cap.* 13. & alii apud Torreblancam.

Cledomantia est, per quam clavus æneus cupressino malleo infigitur circulo, barbaris litteris insculpto & certis quibusdam immurmuratis verbis cum litania, & psalmis, formidabilis ad Deum oratio funditur. Quo completo, fur oculos deperdebat. Quæ sine dubio dæmonis opera eveniebant, qui ex pacto inito invocabatur.

Omphalomantia exercebatur ab obstetricibus per nodulos umbilico, & secundis adhærentibus, ut prædicant quot puerpera sit filias paritura contendentes hac arte in partu Rebeccæ obstetricem cognovisse post Esau proditurum Jacob, atque iccirco alligavit ei filum coccineum, *Genesis* 26.

Amniomantia. Hæc non multum differt ab Omphalomantia. Fit ex membranula, quâ infantis caput nascitur involutum, per cujus colorem rubicundum vel lividum obstetrices aniculæ infantis fortunam prænunciant. De qua idem Bulengerus, & Lemnius *l.* 2. *de occult. nat. mirac. cap.* 8.

Parthenomantia, per quam virginitas explorabatur. Fiebat vel tenuem achatem redactum in pollinem potu exhibendo, quem sumens statim cogitur evomere, si virgo non sit. De quod idem Bulenger. *loc. cit.* & Guliel. Paris. *p. fin. de univ. c.* 32. vel funiculo collum circumdante.

Catoptromantia est rerum quæsitarum investigatio in speculis politis, ac Dæmoni consecratis, figuras exhibentibus, aut accensis candelis in amphora sub nomine Angeli Sancti investigat, ut habes in citata Bulla Joannis XXII. & in Constit. Sixti V. Cœlius tamen Rhodiginus *antiq. lect. c.* 23. Aliam Catoptromátiæ speciem affert, quam Pythagoras consueverat exercere, speculo concavo inscribendo litteras humano sanguine temperatas, & subinde speculum Lunæ apponendo, divinabat. Alio item modo hanc artem exercebat Julianus, referente Spartiano in ipso Juliano. Per Magos enim è speculis futuros eventus observabat, præmissis certis incantationibus, in quibus pueri præligatis oculis vertice respicere dicebantur, quale existimat Torreblanca fuisse speculum olim ab Hercule in alta turri suspensum quæ prominebat e portu Corumnæ in Galecia, in quo naves longe distantes, quasi proximæ inspiciebantur. Quod tamen ex artificio miro provenire potuit ex Delatorre in *q.* 95. 2. 2. *ar.* 3. & comprobatur ex speculo non absimili, donato à Belgis Philippo Tertio, Hispaniarum Regi, teste eodem Autore.

Crystallomantia fiebat ex crystalli frustulis annulo inclusis, vel etiam nudis in cylindrum aut obolum conformatis in quibus dæmon fingit inhabitare, ut traditur in dicta Extravag. Joannis, & Constit. Sixti. His dæmon figuras repræsentabat, & futura prædicebat, ex Delrio *lib.* 4. *magic. cap.* 2. *q.* 6. *sect.* 4. & Azorio *p.* 1. *lib.* 9. *cap.* 14. Alia similis exercebatur stricto gladio, variis ritibus excantato.

Asciomantia, quæ in ascia, vel securi scrutabantur futura, de quo Plinius *lib.* 36. *cap.* 19. & Covar. *lib.* 2. *de*

2. *de fals. prophet. cap.* 5. ac Bulenger *lib.* 3. *de divinat. cap.* 27. Hac utebantur Urbes ex securi & ascia suam prosperitatem auspicantes. Ad hanc fertur allusisse David psal. 73. *In securi, & ascia dejecerunt eam.*

Gastromantia per phialam, aqua plenam exercebatur. Ante vero phialam statuebatur puer, vel virgo, aut mulier prægnans cum candela, seu cereo accenso, respiciens aquam, ac dicens certa verba. Gravida autem loquitur nomine prolis absque dubio virginis. Plures bona fide hoc utuntur sortilegio. Sed, ut diximus in hac nomine Angeli sancti intelligitur dæmon, ut etiam notavit Torreblanca *lib.* 1. *epit cap.* 14. & *lib.* 8 *jur. spir. cap.* 29. Ideo sortilegium hoc supponimus qualificatum & ut tale per se reputatur in supremo Tribunali S. Officii, consideratis tamen circumstantiis minuentibus mitius agitur, præcipue dum processus de eo formantur in quo prope innumeri quandoque sunt complices, & magna ex parte personæ simplices.

Dæmonem autem autorem extitisse hujus experimenti ac ritus, qui in eo observatur, tradit Pegna ad Cymericum *in direct. p.* 2. *q.* 43. *com.* 66. Carena, & Torreblanca post Barbatiam *cons.* 5. *l.* 1. Locatum *in judicili Inquisit. v. divinatio v.* 4. Decianum *tr. cr. l.* 5. *c.* 17. Unde est de experimentis qualificatis per invocationem dæmonis facto ipso, ut ex Cajetano *act.* 5. *d. q.* 95. Delrius vero *lib* 3. *magic. p.* 2. *sect. quæst.* tradit alias inscriptiones, ac cæremonias ex oleo olivæ, & cruce ac titulo S. Helenæ, & nonnullis aliis, mox exhibent puero casto, ac legitimo tenendum phialam ad certum tempus, deinde post ejus tergum flexis genibus dicunt certas orationes quorumdam Sanctorum, & cum puer videt in phiala Angelum nomine Magorum interrogat, quæ vult. Nec mirum si dæmon compareat in his experimentis, cùm ipse maxime cupiat adhiberi res sacras, & castas personas, ut sibi arroget honores divinitatis, quos maximopere ambit, utque Deo majorem injuriam irroget, de quo speciative Sixtus V. *loc. cit.*

Onychomantia fiebat ex unguium virginis, vel pueri impolluti inspectione quæ oleo perungebatur, incantabanturque certo ritu, ac dæmones in unguibus figuras præscribebant, quibus futura pronunciarentur. Majolus *tom.* 2. *collog.* 3. hæc prodit de quodam Hispano milite huic Goetiæ addictissimo: Bedus quidam, miles Hispanus, bello & armis quam pietate clarior, quo tempore Dux Medinæ Cœli ex Gallecia solvebat, Belgium petens, Bruxellis non uni in ungue suo classem e portu Corunnæ solventem, & paulo post procellis vehementer afflictam, veluti in speculo clare ostendebat. Refertque Suidas *in Aristoph.* milites non modo ungues, sed & scuta oleo infuso certis ritibus excantare, ut dæmon imagines rei interrogatæ exhibeat, illis de futuris respondens, cujus meminit & Sixtus *ibidem.*

Addit Pistorius *lib. de mag. cap.* 13. consuevisse magos palmam manus impolluti pueri, vel fœminæ incorruptæ oleo, vel fuligine pertingere, & manum Solem versus obversam, certum quid submurmurantes, statuebant, ut inspicerent optata. Ita namque fingit luxuriæ autor castitatem adamare, ut facilius incautos decipiat. Ideo in hujusmodi divinationibus exercendis Virginibus Vestalibus utebantur ad responsa Apollinis audienda. Quoniam ait D. Thomas *q.* 6. *de miracul. ar.* 1. *ad* 4. apparere cupiunt dæmones castitatis amatores, ut Deo similes credantur, & eorum dictis major adhibeatur fides. Siquidem, ut ait Augustinus *lib.* 2. *de civit. cap.* 26. tanta vis est probitatis, & castitatis, ut omnis, vel pene omnis humana natura, nec usque adeo sit turpitudine vitiosa, ut totum amittat sensum honestatis. Proinde malignitas dæmonum, nisi alicubi se transfiguret in Angelum lucis, non implet negotium deceptionis Unde Cybelis Sacerdotes emasculabantur, existimantes hoc modo Numinibus suis esse gratos.

Aruspicina, ejusque species.

Hæc quandoque accipitur pro Ariolatione strictim accepta. Sed Isidorus *lib.* 8. *etym. cap.* 9. & habetur *in can. igitur* 26. *q.* 3. aruspicinam prodit attendi ab extis, fibris, & alii partibus mactatæ hostiæ ab Ara sic appellata. Primo enim mos erat arietes Sacrificare. Quod aliqui colligunt ab historia Abrahami *Genes.* 22. qui arietem pro filio Isaac obtulit. Quare Joannes Stuchius *lib. de Sacrif. q.* 56. annotat *aram* sic *ab ariete* dictam juxta illud *Aries mactatur ad aram.* Id tamen non certe. Nam Aræ vox quibusdam orta videtur, quod incensæ ibi victimæ ardeant. Aliis ab aiiditate, ob ignem ibi sæpius incensum. Aliis ab vrendo. Eidem Stuchio nimis alienè ab aromatibus. Aliis ab *airen*, quod ara sit ædificium exaltatum. Aliis ab *arais*, id est precationibus ad aras factis. Aliis quasi *ariva* per synæresin ab *aroo.* Aliis aliter.

Deinde tauri, vaccæ, capræ, hædi, vituli, equi, apri, porci, aliæque pecudes sacrificabantur, singulis Numinibus, quibus grata existimabantur. Apud Hebræos etiam fuit in usu aves sacrificare *Levit.* 15. in sanguine passeris immolari.

Postremo homines sacrificati, quod fecit Heliogabalus scribente Lampridio, testanturque Eusebius *lib.* 6. *hist. Eccles. cap.* 9. ac Theodoretus *lib.* 3. *cap.* 21. & 22. quod Julianus apostata ad sacrificandum gravidarum alvos exsecabat. Romani etiam ex ex Isidoro *lib.* 6. *etym. cap.* 19. cœperunt sacrificare hostes captos, ex quo hostiam aliqui dictam arbitrantur, ac cives immolabant, Sueton. *in Claudio cap.* 24. & *in Octavio, cap.* 15. Quinimo pro malis averruncandis, vel bonis conciliandis filios proprios sacrificarunt, ut egisse Achaz Hebræorum Regem, narratur 4. *Reg.* 16. & 2. *Paralip.* 28. *Ezechiel* 16. ubi habetur, Hebræos Idola colentes propriosfilios sacrificasse. Et Africani suos infantes Saturno immolabant, existimantes humana victima delectari. Et docente Proserpina, inferorum Præside in ipsius gratiam immolabantur nondum nati, execto matris utero. Traduntque Alciatus *lib.* 4. *parerg. cap.* 4. ac Lipsius *lib.* 2. *Saturnal. cap.* 5. Thebanos, aliasque gentes consuevisse seipsos mactare, ac dovovere, occidendosque vendere, quod & ad gloriam agebant. Hoc insuper Italiæ, ac Siciliæ, aliisque nationibus fuisse usitatissimum, commemorat Plinius *l.* 7. *c.* 2. Idipsum refert Theodoretus de Lacedemoniis, Marti homines immolantibus, ac de Græcis antequam ad bella accederent, ac de Turcis, Sardis, Leucadibus, Scytis, Thessalis, Albanis, Laodicensibus, Gallis, Germanis, Britannis, Lithuanis, Northmannis, Danis, aliisque innumeris. Quod prosequuntur Strabo *l.* 15. Augustinus *l.* 18. *de civit. c.* 52. Majolus *colloq.* 1. Lorinus *in Sapient.* 12. Neque ab hac immanitate immunes fuerunt. Hispani, Phœnices, Carthaginenses, aliique Græci, ut annotavit Florian. Ocampo *de reb. Hispan. l.* 2. *c.* 18. Morales *l.* 6. *c.* 10. Joannes Delapurte in Monarch. *l.* 3. *c.* 16. Hanc demum immanem barbariem Senatus Romanus delevit, teste Plinio *l.* 30. *c.* 1. jussitque tantum animalia cuique suo Numini grata offerre.

Populi inter superstitiosos superstitiosissimi Ægyptiorum sexcenta sexaginta sex Sacrificiorum genera recensentur. Romanorum pleraque & Græcorum impius Cornelius Agrippa *l.* 3. *de occul. philos. l.* 59. hæc collegit. Agonalia, Papsa, Farreationes, Hecatombæ, Hostia, Hiacynthia, Armilustria Janualia, Lucalia, Lupercalia, Munychia, Novendinalia, Nyctiluca, Palatialia, Pastillaria, Popularia, Protervia, Sceno-

pegia.

pegia, Solitaurilia, Stata, Rubigalia, Fontanalia, Ornia, Parentalia, Inferiæ, Consualia, Lapteria, Amburlia, Ambarvalia, Vivalia, Thyia, Holocaustomata, Orgia, Latialia, Dianetaurica, Bacchanalia, Trieterica, Liberalia, Cocytia, Cerealia, Thesmophoria, Adonia, Teonia, Laurentalia, Opalia, Palilia, Quirinalia, Vertumnulia, Gynæcia, Panathenæa, Quinquatria, Diapalia, Diasia, Horma, Hormea, Nemea, Mytriaca, Palogygia. Nec nisi ridicula est ejusdem Sacerrimi Agrippæ distinctio, qua sacra appellari perhibet, vel quæ ab ipsis diis, aut dæmonibus assistentiis suis sunt sacrata, quanquam à diis ipsis nobis dedicata, quo modo dæmones, mysteria, & preces quædam sacra nuncupentur; vel quæ ab hominibus Deo dedicata, & consecrata sunt, quemadmodum vota, & sacrificia, simulacra, delubra Idola, statuæ, imagines &c. ritus, observationes, gestus devoti &c. Sacerdotes &c. tempora &c. *loc. cit. cap.* 63. Quomodo autem fierent hæc sacrificia, describit Angelus Politianus *centur.* 1. *cap.* 26. Arnobius *lib.* 7. *adversus Gentes* Alexander ab Alexandro *lib.* 3. *genial. dier cap.* 12.

Quantò oculatiùs & acutiùs inter Gentiles ipsos Aristoteles hæc rejicit *lib.* 3. *Rhet.* quod sapientissimus quoque Annæus confirmat *lib.* 1. *de benef. cap.* 6. *Primus est Deorum cultus, Deos credere, deinde reddere illis majestatem suam, reddere bonitatem sine qua nulla majestas est. Scire, illos esse, qui præsident mundo, qui Universa vi sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt. Vis Deos propitiare? Bonus esto. Satis illos coluit, quisquis imitatus est.* Varro etiam, mentis tandem suæ compos, resipuit, si fidem habere velimus, Arnobio, qui Gentes ita suo jugulat gladio *lib.* 7. *adversis Gentes. Quid ergo, dixerit quispiam, sacrificia censetis nulla esse omnino facienda? Ut vobis non nostra, sed Varronis vestri sententia respondeamus, nulla. Quid ita? Quia, inquit. Dei veri neque desiderant ea, neque deposcunt. Ex ære autem facti testa, gypso, vel marmore, multò minus hæc curant.* Idque à Propheta immorigeratus Israelitarum Rex audire coactus fuit. Nunquid vult Dominus holocausta, & victimas, & non potius, ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia, quam victimæ & auscultare magis, quam offerre adipem arietum; 1. *Samuel* 15. *v.* 22. Pluribus hoc ipsum locis asseritur, *Eccles.* 4. 17. *Oseæ* 6. *v.* 6. *Psalm.* 69. *v.* 31. 32. *Matth.* 9. 13. quod repetitur 1. 2. 7. & ad *Hebr.* 11. 4. Abel per fidem sacrificium majoris pretii obtulisse perhibetur, quam Cain.

Neque verò nobis animus est Ethnicorum, ac Poparum immanes victimationes, quas vix auricula tenuis, casta, humana admittat, hic aperire, sed ea tantum quæ ad Aruspicinam pertinent. Porro exta vitalia septem fuerunt. Lingua, Cor, Hepar, Lien, Pulmo, & duo Renes, singula inspiciebant Aruspices, ut ex unoquoque non minus atque de omnibus prædicerent; In dissectis jam victimis & signis salubribus, noxiisque ex halitu, coloreque extorum, & fibrarum defectu aliquarum particularium in præcipuis Organis, aut præter naturam adunatis, collective ex humorum ab cessibus sumebant conjecturas de eventu, conditione, & in qua parte Numen, cui fiebat sacrificium se inclinaret.

Victimæ consultatoriæ nuncupatæ sunt, quarum viscera vel Aruspex ipse, vel Victimarius educebat cultro, quia manibus ea tangere nefas habebatur, Aruspicique in anelabrem mensam tradebat, ubi in ea contemplabatur, ac inspiciebat quod peculiari vocabulo erat *consulere* exta, & exindè aut bona designari, aut mala portendi asseverabat, sacrificiumque aut piaculare esse, aut litationem. Tacitus *lib.* 2. *hist.* Hostiæ, ut quisque voyisset, Mares deliguntur certissimis fides hædorum fibris Lampridius *in Heliogabalo cap.* 3. Cum inspiceret exta puerilia, & excuteret hostias ritu gentili, quam etiam Iulianus permittit, Marcelin *lib.* 22. *cap.* 30.

Hujus Ieroscopiæ author, ac inventor extitit Tages, filius Genii, ac Nepos Jovis, teste Tullio *de divinat.* In ea extorum nomine veniebant Præcordia, perhibente Plinio *lib.* 30. Ejusque palmarium aliis erat Epar, sive jecur quod ubi vitio careret, læta ominabatur. Vide Lubinum in illud Juvenalis *sat.* 13. *Ponimus, & sectum Vituli jecur.* Ita veteres Urbes structuros, jecinora pecorum ibi pascentium inspexisse, & si fuissent livida, ac vitiosa, aliò secessisse, scribit Vitruvius *lib.* 1. *cap.* 4. In sacro Codice apud Prophetam *Ezech.* 21. Rex Babel dicitur interrogaturus Teraphim, inspecturusque jecur, fontem nempe extispicii, ac præcipuam partem. Et Sacratissimus Imperator Theodosius, impietatem istam prohibet, sic loquitur. *Nequis mortalium faciendi sacrificii sumat audaciam, ut inspectione jecorum extorumque præsagio vanæ spem promissionis accipiat, vel, quod est deterius, futura sub execrabili consultatione cognoscat. Acerbioris etenim imminebit supplicii cruciatus ei, qui contrà vetitum præsentium, vel futurarum rerum explorare tentaverit veritatem, l.* 2. *cod. de pagan. & sacrif.* Syllæ apud Laurentum sacrificanti similitudo coronæ in capite jecoris apparuit, quod Posthumius Aruspex illi victoriam cum regno portendere interpretatus est. Ituri enim in prælium & cum hoste pugnaturi consultatoriam mactabant victimam, in cujus epate Aruspex duo constituebat capita, quorum alterum civi, alterum hosti dicabat, collatisque capitibus hujus, aut alterius partis pronunciabat victoriam. C. Claudius, & L. Petellius Consules, cum immolassent victimas, jecur subito tabuit, nec multo post hic morbo, alter Ligurum armis interiit, extis ita prædicentibus.

Interdum planè deerat jecur signo piaculari; oppido horrendo, veluti Cajo Principi, Mario Marcello. Item Cajo Mario Uticæ immolanti simile aliquando evenire solebat in Cordis inquisitione, quod secundum, post jecoris considerationem locum obtinebat. Julio Cæsari quo die veste purpurea processit, & in sella aurea sedit, sacrificanti cor in extis bis defuisse, refert Suetonius. Pertinace, qua die occisus fuit, sacrificante, cor in victima inventum non est, & cum propterea quærendo laboraret Epar quoque de fuisse compererunt. Vide Fulgosium *lib.* 1. *cap.* 4. Hoc autem quod exta sine corde reperirentur, & epate à Dæmone procurari credebant.

Inspiciebant & Lienem, pulmones, ac membranas viscera ambientes, nec non observabant fel, sivè bilem, quomodo humorem ejacularetur, eadem ratione vesicam, ore lana colligato igni imponebant & quo illa pacto disrumperetur, & quam in partem lotium fudisset, attenbebant. Colligebantur quoque ex hostiarum caudis vaticinia. Igni quippe inflexæ difficultatem rei indicabant, vel belli. Extensæ, ac deorsum corruentes, cladem futuram. Si vero altum erectæ fuissent victoriæ indicia præseferebant. Ad hæc consideratè extorum colorem circumspiciebant, qui si maculis nigro, aut cruentis esset infectus, si pallidus, si lividus tanquam diri Ominis respuebatur. Hinc Seneca in Oedipo *act.* 2. cor marcidum, venas lividas, fibrarum defectus, jecoris tabem ad mala Omina refert Vide plura apud Suetonium *in Augusto cap* 1. Ciceronem *de divinat.* Lucianum *de Sacrific.* Plinium *lib.* 10. *cap.* 22. Apuleium *l.* 1. *metaph.* cum notis Colvii. Porphyrium *lib.* 2. §. 51 *& seqq.* Nenium, Festum, Catonem de re rustica *cap.* 133. Brissonium *lib.* 2. *formul.* Scaligerum *not. ad*

not. ad Festum, Casparem Peucerum *de divinat. Extispicum*, Ludovicum Lavaterum *com. in Ezech.* Turnebum *adversar. lib.* 15. *cap.* 7. Joan. Gram. in Homerum *de genere Auspiciorum*, Janum Parrhasium *epist.* 18. Gruterum *opin. lib.* 5. *cap.* 3. Stuchium *cap.* 117. *& seqq.*

At in Ditis sacrificio contraria exta potiora erat. Lege Suetonium *in Othone cap.* 8. Exta ubi fausta dedissent signa, litasse se iis dicebant Cicero *de divinat. libro. primo & secundo & lib. primo de nat. Deor.* Valer. Maximus *lib.* 1. *cap. quinto* Suidas *V. Calliero* Brissonius *lib.* 1. *formul.* Erat etiam signum quoddam quod vocabatur *Deus* de quo Lactantius Grammat. *in lib.* 5. *Theb. Statii.* Fuit quoddam in extis signum, quod Deus appellabatur. Quod si integrum apparuisset, propitium numen ostendebat, si verò dimidium, iratum significabat numen, aut certè *non præsens.* Ad hoc sanè signum collimare videtur Porphyrius *lib.* 2. §. 51. Extaque felicia vocabantur læta: Tacitus *lib.* 2. *hist. Sostratus, Sacerdotis id nomen erat, ubi læta, & congruentia exta videt.* Tristia verò ea, quæ infelicia portendebant. Idem *lib.* 1. *hist. Decimo octavo* Kal. Febr. sacrificanti pro æde Appollinis Galbæ, Aruspex Umbricius tristia exta, & instantes insidias ac domesticum hostem prædicit. In specie ea, in quibus nulla erant signa, appellabantur *muta*, quæ conspicuas exhibebant notas *argula* quæ potentibus pollicebantur honorem, humilioribus hæreditatem, filio familias dominationem, *regalia*, *propinguia*, *lustralia*, quæ aliquid prohibebant, *Clivia*, in quibus cor, aut caput in jecore defuisset *pestifera.*

Ex his autem asserimus, quod hæc divinatio fiebat ex pacto Dæmonis expresso, quia, cum sacrificio illi exhibito prædicebantur futura ex extis animalium. Viscera enim, ait Martianus Capella *lib.* 1. loquebantur, & Apuleius *de Deo Socratis* exta fisciculari solebant, quia motibus, tanquam vocibus futura ex arte indicabant, dæmone formante voces ex dictis de Simulacris.

Neque obiicias ex Lindano, quod solebat à Cœlo descendere ignis ad comprobationem Sacrificii, & Seleucus sacrificans Jovi spontè flamma oblata rapuit, ac in ara Egeriæ Nymphæ, quæ in Apulia colebatur simile accidisse prodit Plinius *lib.* 2. Hoc autem est miraculum, quod nequit fieri à Dæmone, præcipuè ad comprobandum divinationes. Atque adeo revelationes erant istæ de futuro, non divinationes sicut de holocausto Eliæ legitur 3. *Reg.* 18. Quod cecidit ignis Domini, ut voraret holocaustum & ligna, & lapides, pulverem quoque & aquam, quæ erat in aquæductu lambens.

Nam respondetur, posse dæmonem naturaliter permittente Deo, immittere ignem, & comburere sacrificia, & alia cætera, quemadmodum ejus ope cecidit ignis à Cœlo. & Oves puerosque consumpsit *Iob.* & alias sæpe Sacerdotum Magorum incantationibus invocatus, ex aere ignem in sacrificia Gentilium induxit. Potuit etiam ex præstigio id evenire ut in Serapidis templo accidisse dicit Virgilius *Æneid* 7.

Species, autem hujus divinationis plures sunt, ut tradit Delrius *in Senecæ traged.* Prima appellatur Thumatium, quæ rimabatur futuros eventus ex victima adhuc viva, dum trahebatur ad aram, dum in illa sistebat, dum attrectabatur, & dum illi infundebatur vinum.

Secunda species dicta est Chiromantia, quæ attendebatur per molam Salsam, ejusque materiam qua victima conspergebatur, ut annotant Tostatus, Vatablus, & alii ad illud Num. 11. *Frangebat molam* Theocritus enim pharmaceutr. Delrius, & alii observant, quod in sacrificiis observabant molas, & libamina, præcipuè triticum, hordeum, far, & ex eo tosto, fixoque egestam farinam, & subinde victimæ conspersionem.

Tertia species fuit Oinomantia, quæ inspiciebat colorem utriusque laticis in sacrificio fusi, ob quod vini divinatio vocabatur. Unde Val. Maximus *lib.* 1. *cap.* 7. inter varia prodigia Xerxis, Persarum Regis hoc annumerat. Infusum namque patere vinum, in sanguine tertiò conversum est. Quod & Virgilius de Didone Æneæ amore capta in malum omen refert *Æneid.* 4.

Quarta species dicitur Extispicinia, per quam considerantur motus & singula mactatæ victimæ membra, maximè jecur. Quarè à Græcis vocatur Epatoscopia, de qua dictum. Credebant namque jecur esse vitam animalis, cum sine eo vivere nequeat, quod ideo venerabantur, ut dæmonem vitæ auctorem profiterentur.

Quinta species appellatur Anthropomantia ex hominum immolatorum visceribus divinans, ut annotat Camesaines *in meditat. hist. cap.* 59. Hac divinare consueverunt Massagetæ, teste Stuchio de Sacrif. & hic mos etiam invaluit apud Hebræos, Chaldæos, Romanos, & alias nationes.

Sexta species recensetur Pyroscopia, quæ flammæ modum inspiciebat, de qua supra.

Septima species est Capnomantia, hoc est fumi divinatrix. Quæ divinatio duplici modo fiebat. Vel enim grana papaveris nigri in ardentes prunas immittebant, & insurgentem fumum considerabant, vel absque his granis sacrificii fumum observabant, ut scribit Cardanus lib. de vera Sapientia. Refertque Dio Cassius *lib.* 41. *hist.* ex thuris quoque fumo hanc aruspicinæ partem considerabant, quam ideo Litranomantiam appellabant. Hac arte usos Hebræos, observantes an fumus ex victimarum Sacrificio ascenderet recto, vel obliquo motu, ait Theophilactus *in Oseam cap.* 4. & Delrius *in Genes.* 4. credit, originem traxisse ex sacrificiis Abel, & cum discrimine, quod illud rectum, hoc in obliquum tenderet. At certè Cain credidit sacrificium Abelis dumtaxat Deo placuisse, quia illud solùm cælestis ignis absumpserit.

Octava species vocatur Spodonomantia, quæ attendebatur ex cinere sacrificii; si namque peracto sacrificio flamma apparebat in cinere, bonum Omen, ut de Cinere Alphæi scribit Delrius *in Senecæ tragæd.* sic accidit in ara Apollinis, Ismenii, & aliorum apud Valerium Maximum *lib.* 1. *cap.* 6. Vide plura apud citatos Autores. Satis nobis est fugienda indicasse.

Cum igitur hæc Aruspicina fiat ab Aruspicibus, qui preces emittunt circà aras Idolorum, sive Dæmonum, illisque sacrificia offerunt ut sic habeantur Dæmonum responsa, manifestum est quod supponit infidelitatem, & ex illa proficiscatur, habeatque adjunctam Idololatriam. Quod si Aruspicina fiat à Baptizato, non est sine Apostasia à fide, vel hæresim, vel saltem continet vehementem hæresis suspicionem. An vero ille, qui jubet fieri Aruspicinam vel Aruspicem consulit sit hæreticus, vel saltem de fide vehementer suspectus? Certum est, talem esse, si postulet cognitionem quæ vires naturæ superat, vel si etiam ipse preces effundat, & Dæmonem adoret. De illo autem qui solum mandat fieri sortilegium, sive propriè sortilegum consulit de illis, quæ non superant vires naturæ nulla invocatione, & cultu, vel alio facto hæreticali intercedente, dicemus suo loco.

Notandum autem est cum Sousa *lib.* 1. *aph. cap. cap.* 45. *num.* 4. in speciebus Necromantiæ non semper

per intervenire pactum expressum cum Dæmone ab illo, qui eas exercet, etiamsi expressè Dæmon invocetur, aut ei Sacrificium offeratur, semper tamen alius, qui præcessit fecit hoc pactum, in illis saltem in quibus dantur apparitiones & responsa. Et id quoque adverti debet, quod sivè detur pactum, sive non detur ex sola invocatione vestita cultu soli Deo debito, vel colligitur infidelitas, vel Apostasia à fide, vel hæresis, vel saltem secundum casuum qualitatem insurgit vehemens hæresis suspicio. Et ideo in omnibus Necromantiæ speciebus, illas exercentes saltem sunt de fide vehementer suspecti.

Ex omnibus verò speciebus illæ sunt pejores, quæ fiunt cum pejoribus circumstantiis, & cum pacto iniquiori, & inter omnes nefanda, & horribilia sunt facta Lauriarum tam Virorum quam mulierum, quando re vera conveniunt coram Dæmone, quia tunc & apostatant à fide, & renunciant Christo, & scelera infanda committunt, ac ineunt pacta iniquissima.

Quando autem hæc fiunt in somno, quia ab illis approbantur, & creduntur facta re ipsa, ideo adhuc pessima sunt, & plusquam hæreticalia. Undè sint iniqua, sint prestigium, & necromantia propriè dicta, ex circumstantiis tamen una species potest valdè excedere aliam, & evidentius esse contra fidem.

Somnia naturalia, dæmoniaca, Divina.

Inter primi generis Divinationes cum expressa dæmonum invocatione numerat D. Thomas Divinationem per Somnia, de qua quærit, an sit illicita *art.* 6. *q.* 95. 12. de Somnio autem tractat 1. *p. q.* 84. *art.* 8. ibique Doctores & 1. 2. *quæst.* 71. *art.* ubi Cajetanus & Medina, & *in* 4. *d. quæst.* 1. *art.* 4. *quæst.* 2. ab ibi Sotus, & *de verit. quæst.* 28. *art.* 3. & *quæst.* 12. *art.* itidem 3, *ac.* 3. *contra Gent. cap.* 54. ibique Ferrariensis, & *in opusc.* 25. *cap.* 4. De quo etiam Bannes, Silvius, Delatorre, aliique expositores, Directorium Inquis. *p.* 3. ibique Pegna, Turrecremata *in can. non observetis* 26. *q.* 7. Delrius *lib.* 4. *magic.* Michael Medina *lib.* 3. *cap.* 7. Valerius *de sacra philosoph. c.* 22. Jul. C. Scaliger, Joannes Nidor, & Mallæus, D. Antoninus 2. *p. tit.* 12. *cap.* 1. & 7. Sylvester, Tabiena aliique Summistæ *v. somnium*, Azor *p.* 1. *lib.* 9. *cap* 17. Nazarius *de Magia*, Pererius *eodem tract. lib.* 2. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. uterque Picus Sibyllanus *decad* 1. *q.* 2. Carena Moura, Torreblanca, Salelles. Ex Patribus Gregorius *lib.* 8. *moral cap.* 13. & *lib.* 4. *dialog. cap.* 28. Isidorus *lib.* 3. *sentent. cap.* 62. Nyssenus *lib. de opific. homin. cap.* 13. 33. & *seq.* Augustinus *lib.* 11. *in Genes. ad litt.* & 8. *de civit cap.* 56. & *seq.* Tertullianus *de Anima cap.* 46. & 47. ac *de Opific. Dei cap.* 12 Philo, *lib. de somn.* aliique plures.

Et quidem sicut diligens somniorum tractatio pulcherrimam per se, ac jucundissimam parit cognitionem, ita gravissima est, utilis, sed obscura, ac perdifficilis. Non enim unum est genus, nec una eorum ratio. Quo circa nec par est omnium causa, ut æque omnia vel approbari vel improbari debeant. Multa quidem somnia derident SacræLitteræ, alia etiam damnant, quædam verò commendant, ac venerantur. Sunt enim pleraque inania, nec pauca sunt naturalia ex certis naturæ causis profecta. Sunt item alia dæmonis calliditate, ac malitia mortalibus injecta; denique nonnulla divinitus hominibus data sunt.

Somnium porrò appellatur ab Aristotele *lib. de somn.* imaginaria visio, sive apprehensio, quæ in sensu interiori fit tempore somni, quando exteriores sensus sopiti sunt. Quod varie vocatur, nempe somnium, insomnium, visum, phantasma, & quandoque oraculum, quamvis hoc propriè adaptetur divinis insomniis. Oraculum est, quando Deus per Angelum, vel per Sanctum aliquem in somnis alicui denunciat quod futurum, vel non futurum, aut quod faciendum, vel non faciendum sit. Tale fuit Somnium Abimelech *Genes.* 20. Somnium Jacobi *Genes.* 28. Somnium Samuelis 1. *Reg.* 3. Somnium Josephi *Matth.* 1. & 2. Visio est, in qua quis dormiendo id, quod videt eodem modo postea evenit. Hujusmodi fuerunt somnia Josephi *Genes.* 37. somnium Jacobi *Genes.* 42. somnium Gedeonis *Indic. c.* 7. Somnium est illud, quod non clarè indicat aliquid futurum, sed sub abconditis figuris, & non notis ænigmatibus, nec intelligi potest absque interpretatione. Quale fuit somnium Nabuchodonosor, *Danielis.* 2. somnium Pincernæ, & Pistoris Regis Ægypti *Genes.* 40. & Pharaonis, *Genes.* 41. Insomnium dicitur, quando quis dormiens quæ vigilans cogitaverat vel operatus erat sibi repræsentantur juxta illud Ecclesiastici: multas curas sequuntur somnia, de quo Augustinus *lib. de spir. & anim. cap.* 25. Abulensis *in cap.* 40. *Genes.* Phantasma est, ut ait D. Augustinus *loc. cit.* & Macrobius *lib.* 1. *in somn. Scip.* quando quis dormiens, se vigilare existimat, & aspicere videtur ad irruentes ad se, vel passim vagantes, vel formas discrepantes, & varias, vel res lætas, aut turbulentas, ac similia. Quod aliud non est, nisi quædam fumositas à stomacho vel à corde ascendens ad cerebrum, ibique vim animarum comprimens. Qua in re advertendum cum D. Thomas *d. q.* 84. *in corp.* quod cum divinatio, falsæ opinioni innixa, superstitiosa, & illicita sit, ideo considerari oportet, quid sit verum circà cognitionem futurorum de somniis. Hoc enim non est illicitum, neque superstitiosum, ut per Cajet. *d. q.* 95.

Sunt igitur Somnia ex D. Thoma, quem omnes sequuntur, futurorum eventuum quandoque causa, cum scilicet mens alicujus sollicita ex iis, quæ videt in somniis, inducitur ad aliquod faciendum, vel vitandum. Interdum verò somnia sunt signa quorumdam futurorum eventuum, quatenus reducuntur ad aliquam causam communem somniis, & futuris eventibus, & secundum hoc sæpius cognitiones futurorum in somniis fiunt, præcipuè per impressiones cæleſtes, de quo modo latè agit Cajetanus. Ex hoc tamen difficillimè, & cum maxima incertitudine pervenitur ad intentum. Ideoque non mirum, quod videantur obscura Suaresio, quæ hac de re tradit Cajectanus.

Quare subdit D. Thomas considerandum est, quæ sit causa somniorum, & an possit esse causa futurorum eventuum, anvè ea possit cognosci. Atque diversas esse somniorum causas. Interiorem alteram, alteram exteriorem. Interior somniorum causa est una quidem animalis, quatenus occurrunt hominis phantasiæ in dormiendo, circa quæ ejus cogitatio & affectio fuit immorata in vigilando, & talis causa somniorum non est causa futurorum eventuum. Unde hujusmodi somnia per accidens se habent ad futuros eventus. Sicque si aliquando simul concurrunt, erit per accidens. Nonnunquam vero causa intrinseca somniorum est corporalis. Nam ex interiori corporis constitutione formatur aliquis motus in phantasia, conveniens tali constitutioni, & propterea medici observant somnia ad cognoscendum interiores dispositiones. Sic Gedenus in *lib. de præsagiis quæ ducuntur ex somniis*, narrat quemdam

quemdam somniasse alterum crus factum esse sibi lapideam, mox autem cœpisse illum ea parte corporis fieri paralyticum. Præterea qui instante crisi sudaturi sunt, sæpe somniant se sudare, aut in balneo calidis aspergi aquis, aut in flumine natare. Illud quoque nonnunquam usu venit, ut quod dormientes agimus, aut patimur, etiam somniemus, ut qui in somno sudant, aut febri corripiuntur, itidem se affici somnient. Proditum est à Plinio *lib.7. cap.50.* P. Cornelium Ruffinum dormientem amisisse visum, idque cum sibi accideret, etiam ipsum somniasse.

Causa verò somniorum exterior duplex etiam est corporalis, & spiritualis. Corporalis quatenus imaginatio dormientis immutatur, vel ab aëre continenti, vel ex impressione cœlestis corporis, ut sic dormienti aliquæ phantasiæ appareant conformes cœlestium dispositioni. Spiritualis autem causa est interdùm à Deo, qui ministerio Angelorum aliqua hominibus revelat in somniis, Aliquandò vero Dæmonum operatione aliquæ phantasiæ dormientibus apparent, ex quibus aliqua futura revelant iis qui cum eis habent pacta illicita.

Sunt qui somniorum causas quinque esse volunt. Ex Dei providentia. Ex dæmonum procuratione. Ex constitutione cœli, vel aëris. Ex dispositione corporis humani. Ex præviis cogitationibus. Ita D.Thomas 2.2. q.95. art.6. Lessius *lib.2. c 43 dub.* 8.*n.*1. Castropal. *p 3. tr.17. disp.*1. *pun.*5 *n.* 1.Suarez 1.*de relig. lib.*2.*c.*13.*n.*4. At D.Gregorius *lib* 4. *dialog. c.*48. sex causas colligit: *Aut enim, inquit, ex plenitudine, vel inanitate corporis somnia existunt; aut ex antecedentibus diurnis cogitationibus, & curis; aut ex illusione Dæmonis, aut ex revelatione Dei; aut denique ex cogitatione hominis simul, & revelatione Dei.* Easdem sex causas idem Gregorius commemorans *lib. 8. moralium cap.*13. mox eas aptis divinæ Scripturæ sententiis, & exemplis illustrat, atque confirmat.

Ego vero somniorum causas, quæ ad significandum aliquid valent, & dignæ sunt observatione, ad quatuor præcipuas revocari posse existimo. Prima causa continet aliquam corporis affectionem, quæ in ipso corpore præpollet, ac prævalet, ut si flava vel atra bilis, vel pituitus tumor, aut Sanguis redundet, aliudve aliquid vitiatum & corruptum immoderatè jactetur in corpore.

Altera spectat ad aliquem vehementem concitatumque animi affectum, & perturbationem, amorem, spem, metum, odium. Nam qui ardenter amant, frequenter amores suos somniant. Qui timent, minacibus, ac terrificis in somno visis sæpe turbantur. Huc etiam pertinet vetus consuetudo, & vitæ, quam agimus, exercitatio. Lepidè quidam apud Theocritum Piscator: *Omnis*, inquit, *Canis panes somniat, ego pisces.* In hoc genere somniorum reponendum est somnium illud Annibalis, & proditum, & creditum à multis. Ardebat Annibal insatiabili odio Romani nominis, omnique cupiditate perdendi funditùs imperium Romanum flagrabat. Cum igitur variis super ea re cogitationibus æstuaret, visum habuit in somno mirè proposito suo, votoque respondens. Visus ipsi est juvenis, specie supra humanam, qui se diceret à Jove missum Ducem ei ad invadendum Italiam, jussitque nè respiceret, quid retrò, & à tergo fieret. Pavidus primò Annibal, non est ausus oculos ab illo quoquam deflectere. Sed prout est humanum ingenium ad vetita pronum, diu temperare oculis non quivit, respiciensque vidit horrendum, non visu modo, sed etiam dictu ostentum, belluam vastam, & immanem, multis circumplicatam serpentibus quocumque incedebat proterentem atque pervertentem. Cœlum item nigerrimis undequaque occæcatum nubibus, densosque ac fulguribus mixtos præcipitare nimbos. Attonito Annibali, percunctantique ex illo suo Duce, quid illud monstri, & portenti esset, respondit ille, vastitatem esse Italiæ, pergeret ipse porro ire, quò parabat, nec præterea quicquam inquireret, sineretque in occulto esse fata. Atque hoc quidem somnium ex antegressis in vigilia Annibalis cogitationibus, & curis extitit. Sed ejus tamen somnii veritatem rei eventus satis superque comprobavit. Plus enim mali Annibal Italiæ intulit, quam illo fuerat viso præmonstratum.

Tertiam causam potestati, & calliditati Dæmonis adjudico. Is enim multa dormientibus inspirat, & suggerit somnia semper insidiosè, quò videlicet quacumque possit ratione incommodet, ac noceat homini. Esse autem quorumdam Somniorum Dæmonem architectum, eò liquet quod ex Sacris litteris planè intelligitur, observationem somniorum adeo exosam esse Deo, ut ea Magorum, Augurum, & Incantatorum maleficiis aggregata, extremis damnetur suppliciis, nimirum non aliam ob causam, ut interpretatur D. Gregorius *lib.4. dialog. cap.* 48. nisi quia Dæmon plerumque se somniis immiscet, implens noxia superstitione hominum animos, eosque non tantùm vanè deludens, sed etiam perniciosè decipiens. Hoc genere somniorum solitum esse olim dæmonem gentibus impietate cæcis multifariam illudere, constat argumento Æsculapii, Serapidis, & Amphiaxar. Nam, ut apud Philostratum, Pausaniam, & Strabonem scriptum est, templa eorum adeuntibus qui variis morborum generibus afflictabantur, fama erat tres illos vulgo existimatos, quasi Deos singulorum morborum, curationes per somnia præscribere consuevisse, ex hoc genere fuit somnium illud Alexandri magni. Cum enim in quodam prælio Ptolemæus, qui primus post Alexandrum Ægypti Rex fuit, venenato telo ictus, summo cum dolore, ex eo vulnere moreretur, assidens ei Alexander, somnoque sopitus, vidit in quiete draconem radiculam ore ferentem, simulque commonstrantem quò illa loci nasceretur, quæ scilicet præsentissimam vim haberet Ptolemæum multosque milites eodem teli genere vulneratos, protinus sanandi. Quæsita est herba, inventa adhibita, mox consecuto, qui promissus fuerat, effectu.

Sunt autem duo somniorum Dæmonis præcipua genera; Alterum pertinens ad occultarum rerum demonstrationem, & significationem. Potest enim Dæmon naturales effectus ex certis causis aliquandò necessario proventuros, potest quæcumque ipsemet postea facturus est, potest tam præsentia, quam præterita, quæ hominibus occulta sunt, cognoscere, & hominibus per somnium indicare. Alterum somnii genus vim habet concitandi perturbationes animi, agitatis turbatisque, qui sunt in corpore, humoribus, & spiritibus quò nimirùm inflammantur homines, vel ad libidinem, vel ad odium, & vindictam, vel alios pravos animi affectus.

Quarta causa somniorum ritè nominari potest divina. Horum exempla passim in divinis libris sunt obvia. Nos aliquot mox proferemus.

Si quis igitur ad cognoscendum futura utatur somniis, quæ proveniunt ex revelatione divina, vel ex causa naturali intrinseca, vel extrinseca, non erit illicita divinatio. Si autem hujusmodi divinatio proveniat ex revelatione Dæmonis, cum quo habetur pactum expressum, quia ad hoc invocatur, vel tacitum, quia hæc divinatio extenditur ad quod per se non potest extendi, erit divinatio illicita, & superstitiosa.

Notandum autem, somnia imaginatricis facultatis esse operationes quæ etiam phantasia dicitur, qua phantasmata in ipsa retenta, speculatur, animali dormiente;

dormiente; certum siquidem est, à nulla creatura posse novas species phantasiæ immediatè imprimi, nec ab Angelo quidem naturaliter. Hoc enim solius Dei proprium est. Undè somnia alia dicuntur naturalia quæ proveniunt ex intrinseca corporis causa, vel etiam ab extrinseca corporali; nam omnes illæ causæ sunt naturales, naturaliter operantes: Alia dicuntur animalia, vel moralia, quia in moribus, & cognitionis actibus habent fundamentum. Proveniunt enim ex præcedenti cognitione. Alia dicuntur divina, quia mittuntur à Deo, vel à Sanctis Angelis. Alia dæmoniaca, quia dæmone excitantur.

Modus autem, quo fiunt somnia naturalia, est dum phantasia à causa naturali à excitatur ut existentibus innumeris ferè speciebus sensibilibus, quibusdam utatur, per alterationem organi phantasiæ, per quam illa magis disponitur ad usum talis phantasmatis, quàm alterius. Præcipuè autem fit per agitationem Spirituum animalium, qui magis similes sunt motioni causæ agitantis, in quibus imagines earumdem rerum sensatarum resident, & phantasiæ applicantur, sicque ad operandum per similia phantasmata excitant, ut in somno causato ex cogitatione continua, & sæpiùs repetita, cogitatio præcedens continua relinquit phantasmata recentia, phantasiæ affixa, ideoque faciliùs quàm reliqua in somno commoventur, sicque facilè quis somniat, quæ appetit.

Quò verò ad causas somniorum, præter dicta, Sinesius *lib. de insomniis* omnium somniorum causam putat esse Spiritum quemdam phantasticum animæ quasi vehiculum, & fabrum omnium somniorum. Porphyrius verò unitatem somniorum partim refert ad intelligentias, sivè bonas, sive malas, partim ad notiones quasdam, quas anima ex alia vita secùm in corpus attulit. Sinesii opinio Pythagoricorum, ac Platonicorum est figmentum. Inventio Porphyrij à veritate ac fide discrepat, quæ docet, animas corporibus præparatis infundi à Deo, nec secum aliquas species deferre, ut docet Aristoteles, qui *in lib. de divinat. per somnia* negat à Deo somnia unquam immitti, neque à Dæmonibus, cum illos neget. Peripatetici attribuunt virtuti cœlestium corporum, quæ solent Dæmonibus attribui secundum artem necromanticam. Plato autem in symposio tribuit dæmonibus, quos vult esse Dei nuncios, & ut Apulei verbo utar, salutigerulos; Hypocrates Deo, & causis naturalibus. Ad D. Thomas, Philosophos, & Patres sequutus, præcipuè Gregorium, somnia alia ab intrinseco, alia ab extrinseco, enumerat de quo mox.

Sed quò ad significationem futurorum eventuum docet ibidem D. Thomas aliquibus somniis convenire non omnibus. Imo aliqua somnia reperiuntur claræ significationis, alia obscuræ. Clara sunt quæ à quolibet percipiuntur audito somnio. Ista sunt plura divina, ut Sancti Josephi de deferendo puero Jesu in Ægyptum. Obscura sunt plura divina, quæ interpretatione indiguerunt, ut somnia Pincernæ, & Pistoris Pharaonis *Genes.* 4. & plura somnia naturalia, præcipuèque à causa naturali extrinseca promanant. Plura sunt somnia non significantia, quæ à causis proficiscuntur in ulteriorem eventum non directis aliquandò ex superfluo cibo, ac potu, interdùm ex nimia cibi abstinentia. Cum enim à causa inordinata oriantur, evadunt turbulenta, distorta, vana, & nullius prorsùs significationis.

Protagoras omnibus somniis fidem abrogat, magna autoritate decernens veritatem & falsitatem, non ipsâ naturâ rerum, sed sola existimatione hominum constare, hominem esse mensuram omnium & tale unumquodque esse quale videtur homini, sive sobrio, sive vinolento, sive sano, sive insano sive vigilanti, sive dormienti. Affines huic errori fuere quidam Stoici, nimio plus superstitiosi, ac penè fanatici, qui nulla rejiciunt somnia, in omnibus esse rati vim significandi, ac denotandi aliquid. Existimati tamen aiunt quædam somnia inania & falsa.

Ex adversò his contraria sentientes Xenophanes Colophonius, mollis item, ac delicatæ Epicureæ disciplinæ Sectatores, omnium somniorum fidem & authoritatem sustulerunt. Non esse autem illis credendum somniis, sic illi argumentabantur. Una vis est, eademque natura omnium somniorum, par igitur credendi aut omnibus, aut nullis ratio esse debet. Sed plerisque somniis non esse credendum, confessio est omnium. Nihil ergo causæ est cur plerisque rejectis, aliquibus præcipuè credere debeamus. Adjice quod si quædam somnia vera, & certa sunt, aliquas esse certas ipsorum effectrices causas necesse est. At quas? Naturam, inquiunt, & Deum. Sed natura quidem amica est ordinis & constantiæ, in somniis nullus ordo inest; sed plena temeritatis inconstantia. Dei autem majestate alienum, & indignum videtur, obire Deum lectos dormientium, concursare grabatos, & stertentibus injicere somnia, quæ illi expergiscentes, vel non recordentur, vel non intelligant, vel etiam contemnant, vel si curanda sibi putent, stulta impleti superstitione, dies noctesque animi pendeant, aut inani impendentium malorum metu perterriti, aut fallaci futurorum expectation beonorum elati.

Sed vera sententia varia facit somniorum genera, quorum plurima tanquam inania, nec ulla fide digna planè abjudicat, ac rejicit. Quædam vera, & certa. Nam si nullis insomniis quidquam veri, ac certi esset, inscientèr profectò, ac superstitiosè Clarissimi Medicorum somnia, quæ frequenter ægris contingunt, ad eorum morbos dijudicandos curandosque tam subtiliter, & curiosè observarent. Stulto item labore Physiologi se fatigarent, somniorum causas, vires, significationes tanto studio, ac diligentia, venando, ac speculando. Mendaces præterea essent tot superiorum temporum historiæ, clarissimis testatæ consignatæque monumentis, refertaque exemplis verorum somniorum, quæ ad verbum cum rerum eventis mirificè convenerunt. Cyrus major, qui Monarchiam Persarum condidit, dormiens vidit Solem ad suos pedes, & cum ter illum manibus contrectare vellet, totidem secum volvens elapsus est. Quo somnio Magi Persarum significari responderunt, triginta annis illum Imperio potiturum, ut accidit. Quid in Sacris litteris quot memorantur somnia non vera & certa modò, sed etiam divinorum mysteriorum plenissima?

Ex his autem asserimus primò. Plurima somnia à Deo proveniunt ad hominum instructionem, ut in veteri Testamento, somnia Abrahami, Abimalechi, Jacobi, Labani, Josephi, Pharaonis, Salomonis, Nabuchodonosoris, Danielis. In novo, Josephi, Magorum, Uxoris Pilati, Pauli. Imo consueverat Deus antiquis temporibus Spiritum prophetiæ in somno aliquibus communicare. Unde *Num.* 12. habetur, si quis fuerit inter vos propheta Domini, apparebo illi in visione, aut per somnium loquar ad ipsum. Ideoque Jobi *cap.* 33. dicitur: Quando homines dormiunt in lecto, tunc aperit Deus aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina. Docetque D. Thomas 2. 2. *quæst.* 174 *art.* 3. visionem imaginariam exhiberi posse vigilando, & dormiendo; cum enim veritas supernaturalis manifestatur per imaginariam visionem, attenditur diversificatio secundùm diffinitionem somnii, quod fit in dormiendo, & visionis, quæ fit in vigilando, maximè cum utroque modo videt aliquem sibi alloquentem, aut aliquid demonstrantem sub specie hominis, vel Angeli, vel Dei.

Addimus cum eodem D. Thoma *in Iob. cap.* 4. *lect.* 3. qui id declarat 2. 2. *d. q.* 95. quod veriora & certiora somnia soleant esse, cum vigilantibus apparent, quàm cum dormientibus, quia in vigilando est ratio magis libera, & quia in somno speciales visiones minus discerni possunt à somniis vanis. Unde Job. *cap.* 4. ut ostenderet quamdam revelationem, non tantum sibi dormienti, sed vigilanti factam esse; sic ait. Stetit quidam, cujus non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis, &c. tempusque nocturnum propter quietem est magis congruum divinis revelationibus percipiendis. Uxor Pilati ex somnio innocentiam Christi agnovit. Vir Macedo Paulo apparuit. S. Martinus fuit admonitus per soporem, ut patriam & parentes religiosa sollicitudine visitaret. Lucina à S. Sebastiano in somnis admonita, ut ejusdem corpus ad catacumbas sepeliret. Josephus somniavit de manipulis cadentibus ante manipulum suum. Pharao de septem bobus. Joseph sponsus Deiparæ; ter in somnis monetur ab Angelis. Sctus Moses per visionem intellectualem illuminatus fuit, cum non per ænigmata, & figuras illi locutus sit Deus, sed sicut amicus ad amicum. Non enim est ligata virtus Dei, die aut nocte Job. 33. Tuncque maximè ordinata, & significativa sunt somnia, quando quietè dormiunt, quamvis, & vigilantibus interdùm appareant hujusmodi visus. Bruta etiam somniant: Id enim ad naturales causas pertinet, quæ excitant quoque species repertas in phantasia. Verùm hæc non in Deum ipsum somnia referuntur.

Quare de fide est, & in S. Scriptura manifestè expressum, dari divina somnia divinis mysteriis plenissima, ut patet *num.* 11. & Job. 33. & exemplis allatis. Quod & cognoverunt Gentiles, Hippocrates *lib. de insomniis*, alterum nominans divinum, alterum naturale. Cur autem Deus per somnia revelet sua mysteria, tradunt præ cæteris Peterius *quæst.* 4. *lib.* 1. *in Daniel.* Hippocrates *loc. cit.* Aristoteles *lib. de divinat. quæ fit in somn.* D. Thomas, D. Augustinus, aliique Patres, & Caietanus in 1. *p. quæst.* 12. *art.* 11. aliique expositores D. Thomæ.

Ex divinis autem somniis alia sunt clara & aperta, alia involuta, & obscura per varias similitudines. Clarum fuit factum Abrahæ, quo cognovit posteros suos servituros in Ægypto *Genes.* 15. Quo Isaac intellexit multiplicandum semen suum propter patrem suum Abraham *Genes.* 26. Illud Gedeoni repræsentatum, ut destrueret aras Baal, & ex adverso ædificaret altare Deo Israëlis *Iud.* 6. obscurum autem fuit in Pharaone *Genes.* 41. & in Nabuchodonosore *Daniel.* 2. Ideoque ille habuit interpretem Josephum, hic Danielem. Quare autem Deus sæpè obscurè & sub ænigmate sua secreta hominibus in somno revelet, præcipuè infidelibus, tradunt Dorotheus in Synopsi, Epiphanius in vita Danielis, Hieronymus *epist. ad* Lætam, Augustinus *ep.* 122. ad Victorium Thyreus, alij. Ut inquit Theodoretus, Deum verum agnoscerent, & admirarentur, ut contigit Nabuchodonosori, ejusque servi honorarentur, ut accidit Josepho in carcerem conjecto, & Danieli exuli, qui à Pharaone, & Nabuchodonosore exaltati fuerunt ob revelationem somnii.

Secundò asserimus. Non potest certò sciri ex qua causa somnia proveniant, potest tamen ex conjectura cognosci. Quia somnium potest ex multiplici causa provenire. Non constat autem à qua proveniat, nisi manifestetur à Deo, vel ab Angelis. Quod enim plures potest habere causas, nullam determinatè significat. Somnia verò quæ à causa naturali oriuntur, possunt à Deo vel à dæmone proficisci, & contra, quæ à Deo, vel dæmone proveniunt circa naturalia, & habentia connexionem cum cœlis, oriri possunt à causa naturali. Additque Suarez *loc. cit. cap.* 3. *n* 6. post D. Thomam, & Caietanum non esse per se malum investigare causas insomniorum, imo potest esse utile, ac interdùm necessarium. Sic Medici ex somniis investigant dispositionem corporis, & statum infirmitatis secundùm Aristotelem *lib. de divinat. per somnia.* Hippocratem *lib.* 6. *epidemiar.* Galenum *lib. de præsag. ex insomn.* Et Patres, ac Theologi solent perscrutari, an somnium sit à Deo, an à Dæmone ex conditione somnii, ac illius causis.

Discernere autem quæ somnia sint divina, non est facile. Dupliciter tamen deprehendi potest quodnam à Deo sit missum somnium. Primò quidem ex præstantia rerum, quæ per somnium significantur, nimirum si ea per somnium innotescant homini, quorum certa cognitio solius Dei concessu, ac munere potest homini contingere. Hujusmodi sunt quæ vocantur futura contingentia, arcana item cordium, quæque intimis animorum inclusa recessibus, ab omni penitus mortalium intelligentia oblitescunt. Denique præcipua fidei mysteria, nulli, nisi Deo docente, manifesta. Somnium igitur quod ejusmodi rerum cognitionem, & denominationem continebit, divinum esse existimari poterit.

Deindè hoc ipsum maximè declaratur interiori quadam animarum illuminatione, atque commotione, qua Deus sic mentem illustrat, sic voluntatem afficit, sic hominem de fide, & autoritate ejus somnii certiorem facit, ut Deum esse ipsius autorem, ita perspicuè agnoscat, & liquidò judicet, ut id sine dubitatione ulla credere, & velit, & debeat. Quò spectat memorabilis illa *in lib.* 4. *dialog. cap.* 48. D. Gregorii sententia, de qua pleniùs & luculentiùs *lib.* 8. *moral. cap.* 13.

Hæc autem Dei per somnia visitatio multis, ac diversis modis fieri solebat. Nonnunquam enim Deus per somnia turbabat, & terrebat hominem, sicut de Abimelech, & Laban narratur *Genes.* 20. & 31. *ac Iob.* 47. Aliquandò in somno hortatur, & excitat hominem Deus ad magnum quidpiam, & arduum subeundum, certam spem prosperi exitus præsignificando, velut in Gedeonis, & Judæ Machabæi somniis evenit *Iud.* 7. & 2. *Machab.* sæpe monet, ac docet quid hominem agere, aut fugere opporteat. Talia fuere beati Josephi, & Magorum somnia Matth. 12. Quinetiam solebat olim Deus Spiritum Propheticum nonnullis in somno largiri, ut *Numer. cap.* 12. & *Ioëlis cap.* 2. inter alia Spiritus Sancti dona numerantur somnia; & 3. *Reg.* 3. Salomoni fuit à Deo promissum in somno prudentiæ & sapientiæ donum de quo alibi. Interdùm quoque futura alicujus viri excellentia dignitatis, & gloriæ præmonstrata est per somnium, id quod adolescenti Josepho, & Mardochæo accidisse legimus *Genes.* 17. *Esther.* 11. Quibusdam præterea in somno patefacta sunt divina Mysteria, cujusmodi fuit somnium Jacob de illa mystica scala *Genes.* 28. *Danielis* 7. de regno Christi. Denique præsignificavit aliquando Deus, ac prædocuit futuros rerum humanarum eventus, cujus generis fuere somnia Abrahæ *Genes.* 15. Pharaonis *Genes.* 41. & Nabuchodonosor *Daniel.* 2. & 3.

Averroes quidem *super libello Aristotelis de divinatione per somnia* in commentario suo non audet inficiari Prophetiam posse homini accidere vel in somnio, vel per revelationem; negat tamen ea ratione vel artes, vel scientias speculativas posse ulli contingere: *Una*, inquit, *est natura hominis, unus igitur dumtaxat erit intelligendi*

& discendi modus, scilicet internunciis sensibus, variis item praeceptis, experimentis, diligentique ratiocinatione. Nam si praeter communem & usitatum discendi modum esset hic alter per somnia vel revelationem, cum is multò sit facilior, atque praestantior, ille alter, quo difficilior, & laboriosior est, eò magis fuisset supervacaneus. Non igitur datus esset homini. Deus namque, & natura nec frustrà quicquam faciunt, & de iis quae possunt fieri, quod melius, & praestabilius est, nunquam non faciunt, sic ille. Quae sane argumentatio non esset planè infirma, si quisquam diceret (nemo tamen nostrûm id dicit) modum illum discendi per somnia, vel per revelationem, aut esse homini naturalem, aut esse frequentem & usitatum. Verùm haec Averrois Commenta, ut alia ejusdem, de Scientia, Potentia, & Providentia Dei, ac humani animi natura ex inscitiae divinarum rerum, & impietatis fonte redundantia, quàm sint inerudita, obtusa, falsaque satis liquet, vel solis exemplis, quae memorantur in Sacris litteris Adami, Salomonis, Danielis, multorumque Prophetarum, quibus multarum rerum scientia subitò data est à Deo, quinetiam Beseleel, & Oliab, quos *in libro Exodi* 3. proditum est, subitò divinitùs edoctos, Mosaicum tabernaculum simul cum omnibus ejus instrumentis, atque ornamentis summa arte perfecisse.

Contrà verò haec erit conjectura quod somnia quae citò evanescunt, suggerunt falsa, vel mala, vel levia ad ambitionem aut superstitionem, sunt daemoniaca. Nam somnia Daemoniaca sunt per commotionem spiritum variam, & transeuntem. At Deus, & bonus Spiritus non operatur ad falsitatem, aut malum. Saepè autem Deus ex Gregorio *d. lib.* 4. *dialog. cap.* 48. certiorem reddit dormientem, Somnium à Deo provenire: Sancti viri, ait, inter revelationes, & visiones ipsas, visionum voces, ac imagines quodam intimo corpore discernunt, ut sciant quid à bono Spiritu percipiant, & quid ab illusore patiantur.

Somnia verò naturalia solent esse turbulenta, inordinata, incomposita, utpote quae saepè proveniunt, vel ex immoderato pastu, potuque, vel ex nimia abstinentia. Unde Nyssenus *loc. cit.* inquit, unicuique pro humorum varietate formantur somnia. Nam alia sunt hominis fortis, alia timidi. Imaginationes nocturnae, aliae intemperanti, aliae continenti, aliae avaro, aliae liberali per somnium obiiciuntur. Fateturque Caietanus ibidem, multa se habuisse somnia vera, sed incertus de causa eorum, judicium suspendebat, ne fortè illusio daemoniaca se illis immisceret.

Asserimus tertiò. Nulla fides absolutè ac certò adhibenda est somniis. Quia nescitur à quo proveniant, nec quid significent. Si enim cognitâ coelesti causâ, inquit ibidem Caietanus, in aliis generibus conjecturatum, per astra tantùm sumitur conjectura dubia, & cum formidine, quid dicendum est quando etiam ignoratur, quod somnium est à causa coelesti? Neque idcircò negandum est, somniis, quae à Deo proveniunt, esse credendum secundum illam certitudinem, quam habemus, quòd à Deo proveniant mediatè, vel immediatè, sicut si certò constet, aut probabiliter colligatur, somnia esse daemoniaca, nullo pacto est illis credendum, ne exponamur periculo deceptionis. Somniis autem naturalibus secundum causae cognitionem, & reductionem ad illam, fides adhibenda est.

Quartò asserimus. Quando causa est tantùm occasio naturalis, id est praevia cogitatio, in vigilia repetita, cognitâ causâ somnii, poterit quis conjicere ex levi probabilitate futurum eventum. At quando causa somniorum est communis ipsis, & futuris eventibus, ut in somniis provenientibus à causa naturali per reductionem somniorum, & eventuum ad causam communem accipitur significatio somniorum.

Quò verò ad somnium, tanquam causam, cum aliquis movetur in vigilia ad agendum, vel vitandum quod somniavit, rectè annotavit Suarez, vix ex illo aliquid colligi posse, neque esse in usu, nisi adjunctis aliis superstitionibus, vel conjecturis. Quia somnium, vel quod in eo repraesentatur, praeter speciem, & memoriam sui, quam relinquit, non potest in homine sortiri aliquem effectum necessariò, sed ad summum apprehensio illius, sive recordatio in vigilia potest esse occasio, vel ratio operandi aliquid, quod ab homine non necessariò, sed liberè fit, si rationis usus adsit. Estque id, quod ait D. Thomas, somnia interdùm esse futurorum eventuum causam, cùm mens alicujus sollicita ex his, quae videt in somniis, inducitur ad aliquid faciendum, vel vitandum. Unde talis effectus nequit cognosci in somnio, tanquam in causa; quoniam non est efficax ad talem effectum, neque determinat somniantem, nec sequitur effectus, nisi per aliquam aliam credulitatem de re significata per somnium, quae credulitas voluntaria est, non necessaria, & adhuc, illa supposita, liberè decernitur de alio faciendo vel vitando; Ex somniis itaque, tanquam ex causa, nequit accipi probabilis conjectura effectus.

Circà autem hanc divinationem potest contingere defectus, sive error, ut si quis certò ferat judicium de futuro eventu, vel reducat illum ad aliquod sydus, vel ad aliquam occultam significationem. Qua ratione non est investigatio ex somnio, tanquam ex causa, sed tanquam ex effectu, vel signo, & pertinet ad errorem Astrologiae judiciariae, vel Daemoniacae. Quod si ex solo somnio fieret conjectura, esset vana & ridicula, posset tamen absque peccato fieri, si, praeter somnium, attendatur dispositio, sive constitutio personae, ac vehemens illius apprehensio, & facilitas in credendo, vel timendo, aut deliberando. Si enim probabilis redderetur conjectura, & rationabilis, praecipuè si ordinaretur ad praeveniendum, ne talis effectus, homini noxius, sequeretur, ut notavit Suarez *loc. cit.*

Docet autem D. Thomas *contra Gent. cap.* 154. de somniis, ac similibus, quod adscribere illa corporibus coelestibus non est ratio constans, & ideo existimandum est, quod ab aliquo cognoscente fiant. Quae Caietanus *art.* 8. *quaest.* 95. ait, esse dicta pro tutiori parte ad consulendum quae sanioris doctrinae sunt, non ad damnandum defendentes, haec fieri nonnunquam à coelo. Et haec dixerim, subdit, ut qui legunt, aut docent, non sint praecipites, sed caveant sibi, & aliis, non tamen damnent eos, qui servatis superius dictis, tantum sibi de coelo promittunt.

Quintò asserimus. Stultorum est, fidem omnibus somniis adhibere. Constat ex Levit. 10. Deuter. 13. ac Jerem. 17. quibus in locis videtur prohiberi omnis credulitas somniorum. Nam innumera sunt somnia inordinata, turbulenta, incomposita, plena significationibus insanis. Licet namque somnia interdum sint

naturalia,

naturalia, ac verè significativa, ea tamen reducere ad causam suam, & cumfuturis eventibus comparare, difficillimum est, ac penè dixerim impossibile; maximè si proveniant à corpore cælesti. Fateturque ibidem Caietanus, multa se habuisse somnia vera, paucorum tamen, aut nullorum interpretationem determinatam novisse ante eventum. Nam incerta est omnis conjectura somnii per causam extrinsecam, & si quis in certa causa, tanquam certa uteretur, proculdubiò vanè inquireret quò ad modum quatenus supponeret certum quod est dubium, & consequenter acciperet conjecturam certam, quæ est dubia.

Asserimus Sextò. Periculosè quis erraret, si conjectura incerta, certò crederet somniis, non tamen perniciosè, si intrà latitudinem conjecturæ maneret. Id docet Caietanus, Suarez, Sylvius, Delatorre, aliique. Nam facilè posset decipi à Dæmone, ex quo indicia, quæ, incertum est, esse à cælo, exempli causa, accipit, ut certa à Deo. Et quia intrà latitudinem conjecturæ ex cælo haberi possibile est. Hinc D. Thomas *loc. cit.* duobus modis superstitionem reperiri in somniis tradit, quando scilicet intervenit expressa invocatio Dæmonis, vel quando somnia extenduntur ad quæ non possunt se extendere, ut habere certitudinem de contingentibus, & aliis, quæ etiam excedunt cælestia corpora. Tunc enim tacita est cum Dæmone Societas. Quodnam sit peccatum leviter de Somniis judicare, vide Caietanum in summula, & alios Summistas, ac Suarez *loc. citat. n.* 25.

Si quis autem ita esset deditus somniorum observationibus, ut per eas plerumque regatur in suis actibus, esset superstitiosus, nec à mortali excusaretur, ut per Suarez *d. lib.* 2. *de relig. cap.* 13. *num.* 24. Hæc enim observatio auguriis comparatur *levit.* 19. Non augurabimini, neque observabitis somnia. Idemque habetur *Deuter.* 18. ac 2. *Paralip.* 33. quemadmodum ergo fidem præbere auguriis, ac per illa proprios actus dirigere gravis superstitio est, ita & somnia observare.

Conjectatio verò ex somniis adeo est tenuis, ac difficilis, ut vix possit probabilis notitia causæ acquiri ex tali effectu, nisi aliæ addantur circumstantiæ vel morales, vel supernaturales, ut tradit Gregorius *lib.* 4. *Dialog. cap.* 48. Cum enim somnia tot rerum qualitatibus alternent, tantò eis credi difficiliùs debet, quantò ex quo impulsu veniant, facilius non elucet. Hoc ipsum docet Isidorus *lib.* 3. *sent. cap.* 6. diversæ namque sunt causæ somniorum, nullumque est somnium quod ab una causa ita proficiscatur, quod eam necessario exposcat. Saltem etenim Dæmon potest se ingerere, & applicare activa passivis ut excitentur somnia, quæ ab humoribus, vel aliundè possunt oriri. Et licet Deus possit in somnio immediatè immittere speciem aliquam in intellectum, undè somnium excitetur; cum tamen plerùmque id eveniat cum conversione ad phantasmata, nunquam ex solo somnio cognosci poterit sufficienter, Deum illius causam extitisse, cum ejusmodi phantasmata possent à Dæmone excitari. Hinc Medici secundùm morborum discrimina somniorum etiam species diversas ægris accidere affirmant, aliter enim his, qui stomachi vitio laborant, aliter, quibus cerebri membranæ sunt læsæ, alitèr febre correptis, aliter his qui bili, aliter qui pituitâ molestantur. Unde jucunda somnia significant sanguinis copiam, tristia melancholiæ, timida pituitæ, bellicosa bilis; qui sitiunt ad fontem se esse somniant, qui esuriunt in conviviis, adolescens, per ætatem lasciviens, consentanea libidini suæ imaginatur. Adhuc tamen, etsi indicium probabile sit, semper est incertum, cum aliunde possint oriri similia somnia, nempe ex aliqua præcedenti cogitatione, ut si flores, vel musicam quis in vigilia appetat, facilè de his somniat. Undè hæc, aliaque attendi debent, quod difficile est, cum sint valdè interna, vel aliàs occulta, & sæpè ignota, ex quibus non certa notitia, sed conjectura probabilis, si omnia rectè conferantur haberi potest conjectura, ex solo autem somnio tenuissima.

Neque sydera possunt causare immediatè somnia, cum enim phantasia sit corporea, & organis corporeis immensa, possunt Astra in eam influere, ut docet Galenus *lib.* 1. *epidem. comm.* 3. ac D. Thomas *d. articul.* 6. *ex Aristotele*, non quod imprimant species in phantasia; à sensibus enim hæ debent provenire. Undè astra non sunt causa immediata somnii, sed solum perturbant humores, ac potentias, organa, & ex variatione materiæ ac dispositionis varia oriuntur somnia, ut notat Bulengerus *lib.* 5. *divinat. cap.* 1. Torreblanca *cap.* 6. *lib.* 8. *oper. spir.* post Suarez. Delatorre, & Caietanum *eod. articul.* 6. *quæst.* 95. 2. 2. Bernardum Basin. *de artib. magic. conclus.* 7. Quod etiam annotant Turrecremat. *in can. non observetis* 26. *quæst.* 7. Franciscus Picus *libro* 2. *præcognit. capitulo octavo* Simanch. *de cath. instit. titulo* 63. *numero quinto* Pererius *libro* 2. *adversus fallaces artes*, Zechius *in sum. p.* 1. *tit. de fide cap.* 15. Delrius *lib.* 4. *Magic. cap.* 3. *quæst.* 6. Lessius *lib.* 2. *de justit. capitul.* 43. Binsfeldius *lib.* 3. *C. de malef. quæst.* 2. Valentia *tom.* 3. *quæst.* 12. *disp.* 6. Azor. *p.* 1. *lib.* 9. *cap.* 17. Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 38. Graffius *lib.* 2. *decis. cap.* 3. Neque hæc perturbatio semper provenit ab eodem aspectu astrorum, & adhuc variat secundùm varietatem humorum, & corporum constitutionem. Undè ad conjiciendam causam cælestem somnii ex ipsomet somnio, necessarium est cognoscere corporis somniantis constitutionem, humorumque qualitatem, & copiam, atque alia quæ non facile à nobis cognosci possunt. Quare conjectatio hujus causæ tenuissima est, vixque ad probabilitatem accedit. Eoque magis, quia virtutes astrorum non cognoscuntur. Licet namque de una vel altera sit observatum influere in Sanguinem, vel bilem, tamen potest ab aliis impediri.

Præterea, licet tempore somnii suas vires exeruerit tale Astrum, variat tamen statim, & oriuntur nova, quæ possint alium effectum inducere, primumque impedire. Quod si talis conjectatio sit de effectibus liberis, aut mere casualibus, vel aliàs omninò occultis, non solùm est incerta, sed etiam prorsus vana, & inutilis, cum ex hactenùs dictis pateat ejus indeterminatio, & occultatio à causis proximis. Insuper tales sunt hi effectus, ut illas influxus per se non attingat, sicque hujusmodi somnia non sunt attendenda. Ideoque *Ierem.* 29. de omnibus somniis sic admonemur: Nec attendatis ad somnia vestra, quæ vos somniatis. Et Manasses Rex Israël irritavit Deum quia observabat somnia, *Paralip.* 2. solumque observanda sunt somnia divina, præcedente revelatione *Ecclesiastici* 34. Nisi ab Altissimo missa fuerit

visitatio, non des insomniis cor tuum. Testaturque Tertullianus *de anima cap. 46.* somnia quæ à Deo non sunt, vanitatibus scatere. Ideo Ecclesiasticus *ibidem* ait: somnia extollunt imprudentes, & errare faciunt stultos. Hujusmodi fuit somnium Xerxis, Assyriorum Regis, videntis vitem, & folia enata, cujus palmes omnem Asiam obumbrabat, ut narrant Herodotus *lib. 7.* Valer. Maximus *lib. 1. cap. 7.* Justinus *lib. 2.* qui etiam referunt Darium per somnium se inspexisse duas alas habentem, quarum altera Asiam, altera Europam tegebat. Eventus autem vana indicarunt. Similia referunt Alex. ab Alex. *lib. 3. genial. cap. 26.* Majol. *tom. 2. canic. colloq. 4.* Fulgos. *lib. 1. de Somniis.* Quemadmodum etiam de Cyro Persarum Rege scribit Sabellic. *lib. 6.* de Onomacho Diodorus Siculus *lib. 16.* de Antigono, & Pompeio Plutarchus *in Demetrio.*

Somnia verò Dæmoniaca fuerunt olim Entheorum, & quæ jactabant Anabaptistæ, & admiranda quædam Gentilium, ut Ædesii apud Eunapium *in ejus vita,* Ptolemæi apud Tacitum *lib. 4. annal.* Nestoris apud Zosimum *annal. 4.* & Zaradri apud Athenæum *lib. 13. cap. 13.* & aliorum apud V. Maximum *loc. cit.* Talia fuerunt lectisternia in Phano, Æsculapii, Serapidis, Pasiphaes, Padarylis, ac similium, in quibus Dæmones dormientibus responsa dare consueverant, ut prodit Rhodiginus *lib. 27. antiq. lect. cap. 14.* cujus artis inventorem Pausanias prædicat Amphiareum. Et inter Hebræos etiam reperiri hanc superstitionem conqueritur Isaias *cap. 65.* ac in delubris Idolorum dormiunt, ut scilicet ait ibi Hieronymus, Dæmonis responsa accipiant, & solebant incumbere pellibus stratis victimarum, ut de Rege Latino canit Virgilius *7. Æneados.* Est autem peccatum infidelitatis, si accepto somnio recurritur pro explicatione ad Magum, vel Dæmonem, ut fecit Nabuchodonosor *Daniel. 2. & 4.* Aut si peculiaribus cæremoniis, se præparet, dum somnum petit, vel in modo ipso dormiendi, ut sibi per somnia occulta manifestentur. Pertinet namque ad Gentilium mores, ideò important infidelitatem, ut tradit Torreblanca *ibid.* ex Rhodigino *lib. 27.* & pactum intercedit ex Suarez *d. lib. 2. cap. 17.* dum quis somniis fidem adhibet, nihil de Deo cogitans. Cum enim talia signa non sint naturalia, sed ad placitum instituentis, qui illis adhæret, vel dæmonem habet magistrum, vel illi fidem adhibet, saltem implicitam.

Cæterum, præter somniorum observationem vanam est divinatio Necromantica, quæ provenit à dæmone invocato, & per somnia occulta revelante. Et hæc est Necromantia sagarum, sivè Lamiarum, aut Strigum. Licet enim aliquando lamiæ revera corporaliter deferantur à dæmone ad conventus dæmoniacos, in quibus contra fidem, & Religionem, aliasque virtutes nefanda plurima committunt, ut legere est apud Delrium *lib. 2. magic. q. 16.* Nihilominus plerunque hæc fiunt per somnia, de quo D. Thomas *n. 2. q. 95. ar. 5.* ibique Caiet. *ar. 3.* D. Bonaventura *in 3. sent. dist. 19.* Abulensis *in Matth. 4. q. 4.* Turrecrem. aliique Canonistæ *in can. Episcopi 26. q. 9.* Sylvester *in sum.* n. *hæresis 3. n. 6. & de strig. lib. 1. cap. 14. & lib. 2. cap. 1. & 4.* Simanch. *de cathol. instit. tit. 37. n. 8.* Valentia 2. 2. *disp. 6. q. 12. p. 2.* Suarez *d. lib. 2. cap. 16. n. 24.* Farinac. *q. 187. n. 45. & seq.* Delrius *loc. cit. & lib. 5. sect. 16.* Sanchez *lib. 2. in decal. cap. 40. n. 6.*

Quoniam verò hujusmodi somnia, quæ à Lamiis vera esse putantur, non autem imaginaria, non solent haberi, nisi Dæmone invocato per sacrificium, orationes, & cultum soli Deo debitum, neque ab eis habentur, nisi vere approbantibus nefanda illa, quæ in Conventibus peraguntur opera plusquam hæreticalia, ideo qui habent hanc familiaritatem cum Dæmone sunt sine dubio, vel manifeste hæretici, vel de hæresi vehementer suspecti, sed plerunque Lamias esse apostatas à fide, sentit Simanchas *loc. cit. n. 13.* Royas *sing. 98. n. 6.* Locatus *V. Lamiæ,* Sousa *lib. 1. cap. 39. n. 3.* & Delrius *d. lib. 5. sect. & 16.* Atque ideo jure, meritoque Innocentius VIII. Julius II. Adrianus VI. & Clemens VII. Lamiarum causas Inquisitoribus commiserunt. Quare ad illos istarum causæ pertinent, Eymer. *p. 2. q. 43. n. 8.* ibique Pegna *tom. 68.* aliique plures, quos refert, ac sequitur Facinac. *q. 181. n. 46. & seq.*

Interpretatio Somniorum.

Quod autem Interpretationem Somniorum attinet, necesse est fateamur, in hac quarumdam Nationum supra mortales cœteros industriam, solertiamque & acumen omnino majus fuisse. Chaldei jactabant se universa somnia interpretari. Sunt qui falso adscribunt Danieli, Samueli, & Abrahamo libros de somniorum prædictione. Artemidorus Aldianus quinque libros somniales edidit, & Jnnianum Maggium in Italia floruisse hac arte, refert Alexander ab Alexandro *lib. 1. cap. 12.* Prodierunt elapso jam seculo ex Bibliotheca Joannis Sambuci, Joanne Leunclavio interprete Apomasaris apotelesmata, sive de significatis, & eventis insomniorum ex Indorum, Persarum, Ægyptiorumque disciplina, licet Arabum quoque mentionem nonnunquam faciat. Persarum quæ sapientia fuerit, cujus erant quasi custodes, quos ipsi Magos appellabant, ex Herodoto patet, de cujus narrationibus licet cognoscere consultos à Regibus, & aliis fuisse Magos, si quando somnia semet obtulissent, quæ alicujus esse momenti viderentur, & dexteritatem horum in explicando magnam fuisse, res ipsæ probarunt. De Indorum Philosophia, qui Gymnosophistæ dicebantur, apud Plutarchum in Alexandri Macedonum Regis vita, pleraque memoria prodita legimus. Ægyptiorum denique disciplinæ cùm aliæ, tum etiam hæc, quæ somniorum interpretationes complectitur, ne sacrarum quidem litterarum testimonia desiderant, nobis omnia recensere non lubet, cùm pleraque vulgo quoque notissima sint.

Cœterum Apomasaris commentatio longo post se intervallo libros Artemidori, qui ejusdem sunt argumenti, relinquit. Accurate judiciorum sive interpretationum discrimina constituit in personis Regum, magnatum, plebejorum, divitum, pauperum, Regionum, mediocrium fœminarum, nuptarum, innuptarum, item senum, virorum, infantum. Monet anni quoque diversa tempora consideranda, quasique momenta horarum, quibus ipsa se visa offerunt, examinanda.

At non iccirco inficiamur, ut in aliis, rebus; ita in hac etiam observatione quemdum esse abusum posse cum superstitione, curiositate nimia, vanitateque conjunctum, adeo ut totum hoc genus sciptionis suspectum reddatur. Undè nihil observatione Somniorum vanius, atque futilius esse clamitant, eamdem ne superstitione quidem carere posse dicunt. Græcorum quoque voces adjiciunt, quibus illi vulgo perhibebant homines stolidos à somniis, quasi pennis quibusdam extolli. Præterea morem hominum opponunt, qui somnium appellare consueverunt quidquid falsum, & fictum est.

Sed prorsus istorum explodendam sententiam dicimus, qui omnem propterea rationem sumendorum è visis nocturnis præsagiorum evertunt, quippe nequaquam dubium est, somnia quædam esse, quæ plane divinitus hominibus immittantur. Horum exempla sacris è litteris, & omnium temporum historia, plurima

plurima modo tradidimus. Quod si etiam certiori res autoritate confirmanda est, scimus in libro Vatis Sacri perscriptum esse futurum extremis temporibus ut in populo, verum Cœli Numen colente, juvenibus visa quædam, & somnia senibus offerantur. Atque hoc ipsum Oraculum etiam Sacris iterum in litteris est repetitum. Et quis adeo perfrictæ frontis fuerit, ut hujusmodi visa, divinitus oblata, vel esse rejicienda, vel non observanda, dicere audeat?

Sunt item somnia, quæ temperamentis humorum in singulis hominibus congruunt, nec illa quidem negligenda, si Medicis parere volumus. Nam colligi de his quasi præsagia quædam morborum imminentium ex abundantia vel atræ, vel flavæ bilis, vel purioris etiam sanguinis possunt, ut jam diximus.

Iisdem natura quibusdam offerri visa directe rem ipsam monstrantia, nec aliqua cum obscuritate, sed absque ambagibus, constat. Et quis illa mente prædi tus neglexerit? Imo quod majorem meretur admirationem nonnullis offeruntur somnia, quæ species veras exhibent, & res intellectu facillimas ostendunt. Ita M. Tullij de Octavio, qui deinde C. Cæsaris Augusti nomen habuit, illustre somnium fuit. Nam per quietem videre visus est, aurea catena puerum de cœlo in Capitolium demitti, acceptis à Jove flagris. De eodem Catulus somnium habuit, in cœtu patriciorum puerum quendam accedentem in Capitolio ad Jovem, recondere in sinu imaginem Romæ, à Jove traditam. Cumque neutri tunc notus adhuc esset Octavius, uterque postea de forma, quam in somnis conspexissent, illum fertur agnovisse. Mitto de Cambyse, mitto de Xerxis, aliorumque somniis apud Herodotum, cœterosque scriptores historiarum, expositis, loqui, ex quibus pauca supra retulimus.

Somniorum tamen, quæ vim habent ad aliquid significandum, & observatione, atque interpretatione digna sunt, non cujusvis hominis est interpretari. Tria enim hujusmodi somniorum genera nunc distinguimus. Naturalia, humana, divina. Naturalium somniorum interpretatio non est dubium, quin solertium, & doctorum Physicorum, ac Medicorum sit propria, eorum maximè, qui norunt similitudines in somniis ostensas comparare inter se, & quarum rerum similitudines esse, & ex quibus causis proficisci soleant, discernere, similiter ut qui figuras aliquas, & imagines dilaceratas sumens in manus, earumque partes dissipatas, benè componens invicem, apteque conformans, cujus rei fuerint similitudines, hominisne, an equi, an aliarum rerum acutè dispicit, vereque judicat.

Humanorum autem Somniorum, ita erit quisque sagacissimus conjector, & idoneus, ac veridicus interpres, ut fuerit rerum humanarum peritissimus, & callidissimus. Ingeniorum item, studiorum, morum, & propensionum, quæ in variis hominibus magnam quoque varietatem habent, exquisitam, multisque confirmatam experimentis notitiam sit adeptus, quasi venas omnes rerum civilium, & humanarum tenens.

Cujus autem sit exponere divina somnia, in promptu est intelligere. Patet enim, neminem interpretari ea posse, nisi divinitus afflatum, & eruditum. *Nemo enim novit*, inquit Paulus 1. *Cor.* 2. *quæ Dei sunt, nisi Spiritus* Dei. Præsertim verò cum divinorum somniorum significationes ex solius Dei revelatione notæ hominibus esse possint. Quo circa Regem Nabuchodonosor somnij sui, quo maximè territus fuerat, sollicitum, & anxium, quod ejus somnii rationem ex nullo suorum Sapientum cognoscere potuisset, sic affatus Dan. 2. *Mysterium, quod Rex interrogat, magi, arioli, aruspices, & sapientes nequeunt indicare Regi; sed est Deus in cælis revelans mysteria.*

Quæ divina interpretatio appellatur à Josepho *Genes.* 4. dicente: Nunquid non Dei est interpretatio? Quod donum esse Dei, ad prophetiam pertinens, vel esse prophetiam ipsam, tradunt communiter Doctores. Ideoque judicandum est sicut de prophetia, vel de aliis gratiis, gratis datis. Divinorum itaque somniorum interpretatio potest tantum haberi à Deo. Confirmat id Moyses *Genes.* 41. Et probatur ratione. Nam homines ignorant cogitationes, & consilia, quorum somnia divina sunt signa. Id confessus est Joseph & Daniel *loc. alleg.*

Hoc autem donum, sive gratia gratis data interpretandi somnia non datur per modum habitus, sed motionis divinæ. Nam divina Scriptura significat Spiritum prophetiæ conferri Prophetis per modum cujusdam motionis, & inspirationis divinæ. Quod his verbis exprimere solet: Factum est super Oseam, aut Isaiam verbum, sive manus Domini, vel dixit, sive loquutus est ad eum Dominus; vel suscitavit Spiritum pueri Danielis Dominus. Ideo Gregorius homil. 1. in Ezechielem; *aliquando*, inquit, *Spiritus prophetiæ deest prophetis, nec semper eorum animis præsto est, ut videlicet cum ipsum non habent, agnoscant se Dei dono habere, vim habent.* Sancti aliqui leguntur prius jejunasse, & orasse per multos dies antequam miraculum aggrederentur. Quare sicut Prophetia, & aliæ gratiæ gratis datæ fuerunt aliquando concessæ improbis hominibus, ut Cayphæ, ita non repugnat somnia interpretandi donum peccatoribus concedi. Quare Daniel petiit à Rege tempus somnii, quod ei propositum fuerat, interpretationem à Deo postulandi. Idque confirmat Gregorius exemplo Elisei, qui, ut habetur 4. *Reg.* 3. consultus à Regibus Juda & Israël de successu belli, jussit adduci ad se psaltem, quo psallente, arripuit eum Spiritus Propheticus, & pronunciavit Regibus prosperum belli successum. Et *cap.* 4. *ejusdem libri* dixit Eliseus puero suo de Sunamitide: *Dimitte eam, quia anima ejus in amaritudine est, & Dominus celavit à me, & non indicavit mihi.* Favet exemplum Nathan 2. *Reg.* 7. & quod memoratur 3. *Reg.* 3. illius Prophetæ, qui cum Regi Joroboam multa post secula eventura prædixisset, mox à quodam pseudo-Propheta deceptus est.

Angeli autem executores sunt eorum, quæ aguntur in apparitionibus imaginariis, quæ in somno, vel in vigilia fiunt, Deus enim semper apparuit per Angelos suos administros. Ideò verè dicebat Deus: Ego sum, de quo plura Thyræus *lib.* 1. *de apparit. cap.* 26. *& seq.* Aliter dicendum est de intellectuali apparitione, præcipue dum per species supernaturales, aut à lumine divini Ordinis exercetur. Tunc enim à Deo hæc debent fieri immediate tanquam causa principali. At in apparitione imaginaria, & per somnum id non requiritur, nec nova phantasmata attinguntur, sed veterum solum novus est usus, exercitium, & accommodatio, ut docet D. Thomas 1. *p. q.* 111. *ar.* 3. *in corp.* ubi docet, quod Angeli transmutant phantasiam non imprimendo aliquam formam imaginariam, de quo alibi.

Hoc autem multis modis potest accidere. Primo, quod Phantasmata ita vicissim misceantur ope Angelica, ut repræsentent aliquid, quod nunquam fuit in sensibus exterioribus, ut in somnis accidere docet Aristoteles, commotis phantasmatibus: Quod posse fieri ab Angelo, vel à dæmone virtute naturæ, tradit *ibidem* D. Thomas. Interdum autem ab Angelis imaginationi objiciuntur phantasmata simpliciter, prout

prout in ea reperiuntur. Hoc modo fuerunt repræsentatæ vaccæ Pharaoni, & Nabuchodosor vidit statuam. Secundò per externum susurrum, & secretam quasi locutionem, ab Angelo productam, & tunc nova producunt phantasmata mediis objectis, & ad imaginationem transmittuntur.

Evenire autem posse hunc susurrum in apparitionibus somniorum inde verisimile judicat Thyræus, quod hic modus nedum spiritibus non sit impossibilis, sed etiam ab ipsis sæpe in divinis apparitionibus usurpatus, maximéque conveniens, hominum quoque conditioni accommodatus, & sibi admodum favere Scripturæ loquendi modus, quando harum apparitionum meminerunt, ut taceam hominibus simile quidpiam sæpissime accidere. Possunt namque spiritus insinuare se in sensus hominum exteriores dum corpora sumunt in visibili, atque oculari apparitione. Unde in voce etiam externa, atque leviori susurro queant agere cum dormientibus.

Videtur etiam hic modus accommodatus hominum conditioni. Ad imaginationes namque res non transeunt, nisi antea sensibus exterioribus fuerint objectæ, ut docet D.Thomas *d. q.* 111. *ar.*3. *ad* 1. Non possumus enim imaginari quæ nullo modo sentimus. Cœcus quippe non potest imaginari colorem. Hoc modo accidisse videntur apparitio Abrahæ, qua iterum proprio nomine fuit vocatus. Et Samuelis à Deo tertium appellatus. Hic tamen modus dicendi videtur difficilis. Quia dormientes habent sensus omnes consopitos. Ideo intellectus tunc commodè non intelligit, quia non potest ad objecta sensuum exteriorum species intelligibiles comparare, unde initium sumpserunt eo modo, quo declarat D. Thomas. Non tamen semper profundus est somnus dormientium. Aliquando enim ita est remissus, ut aliquam saltem imperfectam operationem ipsi exercere possint, unde interdum leviter dormientes vigilantium interrogatis respondent. Censeo tamen plura, quæ narrantur visa in somnis, apparuisse phantasiæ, non quidem nova specie immissa in potentiam visivam, ut in exemplo exhibito à V. Maximo *lib.* 1. *cap.* 7. quidquid contendat Thyræus *memorat. lib.* 3. *cap.* 16.

Quod verò ad idioma, quo Angeli loquuntur cum hominibus, dicendum est, Deum, & Angelos externa voce loquentes ea lingua usos quæ est propria iis, cum quibus loquuntur. Unde primis 1788, annis ab Orbe condito loquebantur Hebraice, ut probat D. Augustinus *lib.* 16. *de civit. cap.* 1. *& lib.* 18. *cap.* 39. Hieronymus *in* 3. *Sophoniæ*, & sequitur Pererius *lib.* 16. *in Genesim*, & antea Origenes *hom.* 11. *in Num.* & tradit Genebrardus *ad an. mundi* 1778. & Abulensis *in cap.* 11. *Genes. q.* 1. *&* 2. At de his satis.

Porrò Jamblicus existimat divina somnia ferè non contingere hominibus, nisi aut primo, aut extremo somni tempore, videlicet quia tunc animus hominis aut nondum est cibi, potusque vaporibus occupatus, & oppressus, aut jam evanescente somno, vaporumque discussa caligine, ex illis sordibus emersus animus purior, & acrior est ad divinas illustrationes accipiendum. Quapropter vates, ac somniorum interpretes in more habebant, ex deferentibus ad ipsos somnia sciscitari, quo ea tempore ipsis contigissent. Nam si profundo somno accidissent, ea plane abiiciebant, rati non esse consentaneum, animo tunc obruto, ac demerso, dari cœlitus somnia. Sin autem somnia illis accidissent, exeunte somno, & animo ad suas functiones propè jam expergiscente, tunc ea somnia divinitus missa, Deoque autore digna judicantes, ponderanda sibi, & interpretanda suscipiebant. Legendus etiam est Philostratus *in cap.* 14. *lib.* 2. *Vitæ Apollonii.*

Veruntamen Jamblici documenta ex superstitiosis Ægyptiorum observationibus, vel ut dicam verius, figmentis, quorum fuit ille studiosissimus, exprompta sunt. Deus nempe istiusmodi temporum legibus non est alligatus, nec opportunitate temporum eget ad operandum. Ubicunque enim vult, sua inspirat somnia. Potest enim quovis tempore, imo etiam sine tempore, sedare subito agitationem humorum, tranquillare spirituum animalium jactationem, purgare phantasiam, mentem illustrare, animumque ad percipienda divina somnia idoneè comparare.

Id tamen hac in re certum est, non reperiri inter homines facultas naturalis certè somnia interpretandi, sed hoc fit sæpe ex dæmone, cujus magisterio usi sunt Gentiles somniorum interpretes. Nam somnia naturalia plerumque carent significatione. Quod si sunt significativa, raro ante eventum cognosci possunt eorum causæ, & quam analogiam habeant cum eventibus futuris. Aliqua tamen conjectura tenuissima potest haberi de illorum significatione. Quia nescimus eorum causam determinatam. Si autem sciremus à cœlo provenire, adhuc difficultas est, quid significet tale somnium. Difficile siquidem est comparare similitudines inter se in somniis ostensas, quarumque sint rerum similitudines cognoscere, & ex quibus causis proficisci soleant distinguere. Quare probabilius procedunt medici ex causis corporalibus intrinsecis & proximis somniorum de morbis futuris, aut aliis conjectantes. Minus probabiliter Astrologi, qui ab astris pronunciant, & Physici qui è corporibus. Probabiliter verò qui multa significant ex longa experientia, magnaque rerum peritia.

At certe somniorum interpretes plerumque falsa proferunt. Quod si aliquando divinant, id aut casu fit aut dæmone suggerente *lib.* 2. *de divinat.* Astiages, Assyriorum Rex in somniis vidit ex filia vitem enatam, cujus palmite omnis Asia inumbrabatur. Arioli consulti responderunt nepotem futurum toti Asiæ imperantem, qui fuit Cyrus, quemadmodum tradunt Herodotus *lib.* 1. Justinus *lib. item* 1. & Valesius *lib. pariter* 1. *cap.* 7. Refertque Cicero loco citato quod quidam somniavit se videre ovum pendens ex fascia lecti. Detulit somnium ad Conjectorem, respondit, defossum esse sub lecto thesaurum. Fodit, invenit auri aliquantum, idque circumdatum argento. Ex vitello ovi aurum declaravit Conjector, ex reliquo argentum. Valerius quoque Maximus *lib.* 1. *cap.* 7. duo familiares Arcades, ait, iter unà facientes, Megaram venerunt, quorum alter ad hospitem se contulit, alter in tabernam meritoriam divertit. Is autem, qui in hospitio erat, vidit in somniis comitem suum orantem, ut sibi cauponis insidiis circumvento subveniret, posse enim celeri ejus accursu se imminenti periculo subtrahi. Quo viso excitatus prosiliit, tabernamque, in qua is diversabatur, petere conatus est. Pestifero deinde fato ejus, humanissimum propositum tanquam supervacuum damnavit, & lectum ac somnum repetiit. Tunc idem ei saucius oblatus obsecravit, utqui vitæ suæ auxilium ferre neglexisset, necis saltem ultionem non negaret. Corpus enim suum à caupone trucidatum, tum maximè plaustro ferri ad portam stercore coopertum. Tum constantibus familiaris precibus compulsus, protinus ad portam cucurrit, & plaustrum, quod in quiete demonstratum erat, comprehendit, cauponemque ad capitale supplicium perduxit. Somnium autem istud dæmoniacum fuit, quia res indicata nullius utilitatis extitit, licet aliquando etiam dæmon justa, & pia suggerat, ut ad perniciosa inducat. Ejusmodi etiam

fuit

fuit Annibalis somnium, & Alexandri Magni, quo radix ei salubris per quietem est oblata, quam draco decerpserat, de quibus supra. Nec desunt qui hujusmodi somnia judicent divina ex Tertulliano *de anim. cap. 46.* tradente multa somnia significativa collata esse Ethnicis ex Dei munere, ut Pharaoni, Nabuchodonosori in utilitatem populi sui, & exaltationem Josephi, & Danielis. Quare superstitiose ac inepte vani somniorum investigatores, nominatim Artemidorus, conantur ea interpretari ex similitudine proportionis, ex significatione nominis, ex hieroglificis, ex more, aut consuetudine.

De Somniorum Divinatione lege D. Thomam *in 2. dist. 7. quæst. 2. art. 2. ad 6.* ubi ea, quæ *citata quæst. 95.* acutissimè tradit Caietanus, & Suarez obscura judicat, Sol iste noster perspicua reddit, illustratque. Ex iis enim habetur, à nullo somnio, exceptis divinis posse accipi certam cognitionem futurorum, sed quandam interdum suspicionem fallacem. Difficilè enim potest cognosci causa somnii, qua etiam cognita, futurus eventus adhuc necessariò non sequitur. Quia impediri potest in naturalibus, multoque magis in liberis. Cumque somnia tot rerum qualitatibus alternent, tanto eis difficilius credi debet, quanto & ex quo impulsu veniunt, facilius non elucet. Ideo *Deuter. 18.* habetur: *Non inveniatur in te, qui observet somnia.* Ex quo Carpocratis, Suensfeldii & Adelphii error diluitur, dicentium, somniorum Phantasias esse procurandas.

Tradit Duardus *in Bul. Cœna lib. 2. cap. 1. quæst. 22. §. 51.* vanam somniorum observationem esse quando aperte quis invocat dæmonem, ut manifestet in somnio, vel vigilia aliquos effectus, quos ipse principaliter operatur. Secus si nesciat dæmonem operari per media hujusmodi vana. Si autem sciat, media adhibendo ad effectus illos dicitur expresse invocare dæmonem, non verbo, sed facto. Et sanè D. Thomas divinationem somniorum ad primum genus, in quo intervenit expressa dæmonis invocatio, redacit *d. q. 95. 2. 2. & opusc. 25. cap. 23.*

Quærit autem Megala *tom. 2. resol. 196.* an peccet ille, qui noctu somniat videre, aut comedere pisces, solet in die recipere aliquam pecuniæ summam, si iterum adveniente somnio, credat firmiter se illam recepturum. Respondet, posse credere rationabiliter ob experientiam, licet credat provenire à dæmone, remoto pacto, etiam tacito. Credit enim id, quod dæmon facere potest. Non autem si credat provenire à Natura, cùm ab ea naturaliter provenire nequeat; neque à Deo, qui vana non operatur.

At nec dæmoni credere licet, neque ab eo certò expectare futura contingentia, quæ ab aliena voluntate pendent, ut est delatio pecuniæ, quam nec ipse dæmon potest præscire. Unde certè in his se ingerit dæmon. Neque licet ab eo sponte offerente aliquid accipere, vel inquirere, ut docet D. Thomas *ea quæst. 95. articulo quarto.* Unde qui hisce attenderet, ab implicito saltem pacto cum dæmone excusari non posset. Neque potest à dæmone expectare, quod illius virtutem non excedit. Majus enim est petere ab eo, quod proprium Dei est, ut futura cognoscere. Implicat quippe hoc hæresim, ut sæpe diximus. Vel est factum hæreticale, atque adeo hæreticus esset, siquis crediderit, dæmonem hujusmodi cognitionem habere. Nullo namque modo licet habere commercium cum dæmone. Posset autem vane credere naturaliter id accidere, neque non esset superstitiosus, neque peccaret mortaliter; vel posset credere à Deo provenire in sui, suorumque subsidium. Quod nullum esset peccatum.

Denique notandum est, nemini licere petere somnum, ut somniet futura. Quia somnia naturalia, vel illorum causæ extrinsecæ, aut intrinsecæ non dependent à dormientium desiderio. Unde periculo se exponit, ut dæmon se immisceat, & per somnium decipiat. Quare damnandus est ludus ille sortitionis Januensis in quo vane somniis attenditur, ut cognoscatur qui in Senatores sortito capiantur. In his enim præcipuè comprobatur quod ait Apostolus: Qui volunt divites fieri, in desideria incidunt vana, & inutilia, & in laqueos diaboli. Quàm autem facile dæmon per somnia decipiat, liquet ex Gentilium historiis apud Tullium *lib. 1. & 2. de divinat.* V. Maximum *lib. 1. cap. 7.* Pausaniam *in Messenia,* Tacitum *lib. 4. hist.* Bonfinium *rerum Hungar. lib. 3. decad. 1.* ac Tertullianum *dicto cap. 46.* Unde plures credunt peccare mortaliter, etsi Delatorre censeat esse tantum peccatum veniale, quia supponit, non inquirere somnia dæmoniaca, nec illorum periculo se exponi. In lege autem veteri mos erat, præmissa oratione, ac jejuniis à Deo per somnia oracula expetere. *Sic Saul 1. Reg. 28.* consuluit Dominum per somnium, neque ideo reprehenditur à Sacra Scriptura. Hoc idem egit Rebecca. Imò quidam Hebræi, ut refert Abulensis, falsò illi imposuerunt subtus caput suum dormitura folia lauri collocasse, ut veritatem assequeretur. Erat enim usus foliis laurinis suppositis loco cervicalium dormire, ut somniis veritas manifestaretur. Quæ omnia cessarunt in lege gratiæ, sicut & aliæ divinationes, quæ habebantur per Ephod summi Sacerdotis.

Divinatio ex Somnio divino, vel Raptu, vel Extasi.

Extasis est mentis abstractio à sensibus. Idemque fere est raptus, qui à D. Thoma *quæst. 13. de verit. art. 1.* definitur ab eo, quod est secundum naturam in id, quod est supra naturam, vi superioris naturæ elevatio. De quibus nos fuse *tom. 8.* Divinatio autem per raptum, vel extasim ad divinationem per somnia pertinere videtur, ac ita, ut quemadmodum dantur somnia divina, & dæmoniaca, ita & raptus, vel extases. Sunt autem extases dæmoniacæ, quæ ad impudicitiam ordinantur, ad ambitionem, ad superbiam, ad aliquid pravum ac inutile, vel ad falsitatem pronunciandam. Tales enim divinæ esse nequeunt. Quia Deus nequit ad malum cooperari, & est dominus docens nos utilia, *Isaïa 48.* & quia extases ad gratias gratis datas pertineant. Hæ autem semper in utilitatem spiritualem, nunquam ad malum conferuntur. Ac etiam quia extases quæ ad cujuspiam voluntatem fiunt, non sunt divinæ. Quia gratiæ gratis datæ non dantur ad arbitrium recipientium, ut non datur donum Prophetiæ, ad quod reducitur extasis.

Extases etiam, quæ reddunt homines sensus omnis fere expertes, nullatenus exercentes actus intellectus & voluntatis, non sunt à Deo. Quia per extasim intendit Deus homines magis sibi unire modo nobilissimo, qualis est intellectualis, & maxima contemplationis dulcedine suos afficere, ac rebus altissimis instruere omnino sopitis sensibus interioribus. Nec potest dæmon alloqui cum extatico, quia naturaliter tantum potest alloqui cum homine se

convertente

convertente ad phantasmata, illiusque uti speciebus. Secus autem Deus, & Angeli, ejusque virtus supernaturalis, ut recte declarat Joannes à S. Thoma *quæst.* 12. *de anima, articulo septimo* post D. Thomam docentem, quod in hac vita divinitus aliquando communicatur raptus, quo intellectualis cognitio independenter à Phantasmate fiat. Et tunc anima elevat secum corpus virtute motiva, non organica, quæ ad illam cognitionem sequi potest. Quæ non competunt extasi dæmoniacæ, tametsi corpus extatici à dæmone extolli queat, & deferri quocumque voluerit. Unde rejiciendus est Cardinus, existimans homines quotiescumque voluerint posse naturali, & propria virtute in exstasim rapi. Et quod pejus est, Bodinus *lib. 2. dæmonol. capitulo tertio* censet, in extasi animam à corpore separari, & secundum errores Kabalistarum à corpore avulsam, in aliis terræ locis demorari, ac iterum, cessante extasi redire, sicque contra fidem Catholicam & Philosophiam à Gentilibus Atheniensibus etiam cognitam, ut legitur *in Act. Apostol.* resurrectionem mortuorum, quæ est animæ cum corpore reconjunctio, naturalem præsupponit.

Extases autem Sagarum sunt voluntariæ, virtute dæmonis ex pacto cum illo inito, applicante activa soporifera, vel impediente transitum specierum sensibilium. Ideo se jactitant rapi quando voluerint. Quæ somnia potius dæmoniaci raptus judicari debent, cùm hujusmodi extasim patientes ad insusurratam auribus certam vocem ita commoveantur, ut à somno videantur excitari. Cur enim magis per hanc, quàm per illam vocem expergefiant? Nec apparet quomodo vox illa percipi possit ab auditu penitus soporato. Quare credendum est, à virtute superiori procedere, quæ ab extasi, etiam pertinaci, extaticum avocare potest, non autem à Deo; cùm interveniat illa vanitas vocis determinatæ, quæ non potest deservire, nisi ad vanam vulgi admirationem, atque adeo à dæmone, qui vanitatibus summopere vacat. Posset tamen judicari à Deo provenire, si ad vocem sui superioris quispiam ab extasi excitaretur, essetque Christianis virtutibus excultus. Secus si esset inobediens, hypocrita, deceptor populi, qui ad hunc perveniret errorem, ut linteola quæ ille imponebat suo ulceri, quod à Christo sibi divinitus inflictum gloriabatur, inter reliquias reponeret Hic enim esset damnandus à S. Officio ad triremes per quinquennium, & ob ejus infirmitatem poterit commutari pœna in carcerem ad idem tempus.

Siquis autem per extasim elevaretur, non est signum infallibile, quod à Deo sit extasis. Potest namque dæmon suos extaticos etiam elevare. Constat tamen experimento in sagis, magis, & arreptitiis contrarium evenire. Etsi enim à sensibus alienentur, illorum tamen corpora, tanquam mortua, & graviora, quàm in vigilia redduntur.

Extases autem esse divinas primum signum est, si cogitationes cordium, ac mysteria fidei, futura mere contingentia, præcipue libera extatici manifestent, licet in hac re omnis habenda ratio & diligentia est, quia etiam dæmon futura conatur prædicere cum certitudine, etsi illa tantum cognoscat ex conjecturis, ea verò, quæ ipse operaturus est, certò cognoscat, Mysteria fidei ex Sacris Scripturis conjectat, vel per revelationem Angelorum, aut per prædictionem alicujus viri Sancti, ut docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 171. *articul.* 6. ad primum, & D. Augustinus *lib.* 12. *de Genes. ad lit. cap.* 19.

Secundum signum est, motio quædam interior mentis extatici, qua illustratur, & voluntas afficitur, & ipsa extasis certior redditur, à Deo promanare. Quod pertinet ad gratiam gratis datam, quæ dicitur discretio spirituum. Quare Gregorius *lib.* 4. *dialog. cap.* 48. ait. *Sancti viri inter illusiones, & revelationes ipsas visionum voces, & imagines quodam intimo sopore discernunt, ut sciant quid a bono Spiritu percipiant, & quid illusore patiantur.*

Extases verò, quæ ab infirmitate proveniunt, hæ numerantur à Medicis: furor, mania, lethargum, quæ ex variis causis proficiscuntur, sed sunt omnes alienationes à sensibus. Ex alienatione autem nulla contemplatio gignitur, sed perturbatio intellectionum, ac inordinatio motuum phantasiæ. Quare non extasis, aut raptus, ut tradit D. Thomas *cit. quæst.* 13. *de ver.* Non enim est elevatio, sed potius depressio. Divina autem extasis est elevatio in aliquid altius, quàm sit naturale homini. Unde ex eodem D. Thoma *eadem* 2. 2. *quæst.* 175. *art.* 1. abstractio dormientium naturalis ac voluntaria, nullo modo dici potest raptus; de quo ac de extasi vide D. Thomam *ibidem art.* 1. & 2. ibique Caietanum, ac Theologos mysticos, Delatorre, Ludovicum Granatensem, Gersonem, Alvarez, Lanfrancum, S. Bonaventuram, S. Theresiam, S. Catharinam Senensem, Torreblancam *lib.* 2. *cap.* 7. ubi refert, Porphyrium à dæmone per extasim raptum, Socratem Philosophia instructum à dæmone. Sic Marcum magum, Montanum, & alios, Magdalenam de la Cruz Cordubensem, & aliam monialem Ulysipponensem, de quo Covar. *lib.* 1. *de vera & falsa prophet. cap.* 24. Moura *sect.* 2. *cap.* 2. Simanch. *de Cathol. instit. cap.* 21. Ribader. *in vita S. Ignatii lib.* 5 *cap.* 10.

Ait autem Torreblanca *ibidem num.* 25. raptus divini instrumentalem Dei causam esse intellectum agentem, principalem verò Deum. Licet namque Deus per se solus sit causa efficiens, solet tamen causas secundas, ut instrumenta adhibere, sicque intellectus agens erit causa instrumentalis, quo se Deus ingerens, ea, quæ vult nos tunc videre, divina quadam repræsentatione ostendit. Affert ad id D. Thomam *p.* 1. *quæst.* 12. *articulo nono*, inde prosequitur: formalis, inquit, causa raptus est ipsa illa actio, qua quis elevatur, & cœlestibus illis rebus quasi unitur; Finalis autem, conjunctio animi cum Deo.

At quidem non propriè creaturæ dicuntur Dei instrumenta, neque intellectus agens proprie instrumentum est animæ, qui nihil operatur, dum raptus fit. Tunc enim lumen, ac species supernaturales infunduntur à Deo. In aliis autem solum antecedenter imprimit species ex Phantasmatibus in intellectum possibilem, qui concipit, & contemplatur, & per contemplationem ad Deum ascendit, illique unitur. Actio autem non dicitur formalis causa raptus, sed efficiens.

Ex his autem omnibus hæc deducuntur. Si raptus provenit à causa naturali, nempe ægritudine, ut in furiosis, maniacis, epilepticis, phreneticis, stultum esset eorum dictis credere. Nam istæ ægritudines phantasiam vehementer lædunt, perturbantque

bantque Phantasmata, unde intellectiones inordinatæ, atque incompositæ proveniunt, ut tradit Galenus *lib.* 12. *temper. & lib.* 4. *de loc. affect.* Ægineta, & Aetius, qui ait, maniam insaniæ genus esse sine febri in caput irruente absque signis putrefactionis proveniens.

Si extasis certo aut probabiliter cognoscatur dæmoniaca, non est adhibenda fides ejusmodi extaticorum dictis. Quia dæmon mendax est, cui sive verum loquatur, sive falsum non est credendum ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 65. *art.* 6. Talis namque credulitas pertinet ad societatem dæmoniacam, saltem tacite initam, talesque fuerunt extases Sacerdotum, & Oraculi Delphici, aliorumque Fanorum Gentilium. Tales Sagæ, Magi, Mahumetes, alii.

Si autem constiterit, extasim esse divinam, credendum est conceptionibus, ac prædictionibus ex illa profectis. Quia Deo revelanti credendum est eo modo eoque gradu, quo creditur Deum revelare. Sic enim loquutus est per Prophetas, ut Ezechiel. 8. Elevavit me in visione Dei. Unde D. Thomas 2. 2. *quæst.* 173. *art.* 3. & *quæst.* 165. *art.* item 3. *ad* 1. docet mentem humanam tripliciter à Deo elevari per extasim. Primo per species imaginarias, ut contigit Petro *Act.* 10. & affirmat Augustinus *lib.* 8 *de Genes. ad lit. cap.* 2. de revelationibus Apocalypsis, & Isaiæ 6. Secundo per intelligibiles effectus, ut in Davide, qui ideo dicebat in Psal. 112. *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.* Tertiò per claram visionem. Hinc Augustinus existimat soporem Adæ atque Isaac fuisse extasim. Sic enim lectio græca, verba illa *Genes.* 27. exponit *stupore vehementi*, vertit *extasi*. De raptu Pauli vide D. Thomam *ibidem art.* 3. ac de *veritate quæst.* 10. *art.* 15. *in corp. & ad* 1. & *quæst.* 13. *art.* 2. & 2. *Corinth.* 12 *lect.* 1. ubi asserit, Paulum, sicut & Moysem, divinam essentiam vidisse alienatum à sensibus, sive demortuum. Quo autem modo accideret idem Paulus fatetur, se nescire.

Consultatio XCV.

An, & quatenus Divinatio per somnia, quæ non est necromantica, sed cum pacto implicito cum dæmone, sapiat hæresim manifestè?

Sit regula. Divinatio, quæ innititur falsæ opinioni, est superstitiosa & illicita. Est D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 91. *art.* 6. Eam sic explico. Opinio falsa in hac re potest esse duplex. Vel circa eventum futurum, quia divinans scit, quod ea, quibus utitur ad divinationem non habent ad illam proportionatam virtutem, & tamen ex illis, sive illorum usu expectat certè effectum. Et in hoc casu opinio falsa simul cum usu talium rerum continet dæmonis invocationem, quia ille est qui his falsis, & vanis se ingerit. Vel opinio falsa est circa causam, vel virtutem ejus, ex qua divinans vult divinare, quia credit, illam causam habere virtutem proportionatam ad effectum intentum. Et tunc aut hæc falsa opinio non excedit limites scientiæ naturalis, quia divinans ex principiis naturalis disciplinæ credit, illam esse causam proportionatam ad effectum intentum, quamvis erret. Aut excedit limites naturalis scientiæ, aut artis, estque contra fidem, aut fidei doctrinam, ut quia divinans credit, quod astra, vel dæmon, aliave res possit virtute sua, id, quod doctrina fidei docet esse proprium Dei, & quod dæmon certò cognoscere ac prædicere possit futura contingentia, vel quod astra sint causæ inferentes necessitatem libertati, sive quod ex illis futura contingentia certò præsciri possint. Et in hoc casu, si opinio falsa est de dæmonis virtute, qui ex hac opinione divinat, vel alium effectum expectat, virtuti dæmonis expresse, vel implicite innititur, illumque invocat. Et ideo qui ex hac opinione divinat, vel futura expectat, est superstitiosus, & sacrilegus. Quia invocat dæmonem, ejusque auxilio innititur, atque in eo sperat, estque vere simul hæreticus, vel in foro exteriori saltem erit de fide vehementer suspectus.

Si verò hæc opinio falsa non respicit virtutem dæmonis, sed alterius rei, virtutem nempe Cœlorum, utens talibus causis est hæreticus, & in foro exteriori est saltem de hæresi manifeste suspectus vehementer. Et si credat illam causam, scilicet astra esse creaturas rationales, aut Deos, qui invocari possint est superstitiosus. Quia invocat creaturam in illis, quæ solius Dei sunt, & ex falsa opinione contra fidem. Sed si hic divinans existimat illam aliam causam esse causam naturalem, simulque credit illam habere virtutem, quam non habere docet fides catholica, ipse est vere hæreticus, & in foro exteriori est saltem de hæresi manifeste ac vehementer suspectus. Estque etiam superstitiosus, & sacrilegus, quia superstitio est assumere quod est divinum, & illud tribuere creaturæ. Hic autem quod certum est de fide competere soli Deo tribuit creaturæ. Neqùe obstat, quod id faciat ex ignorantia & errore. Quia, si hæc ignorantia est crassa, est plane voluntaria, ideoque culpabilis, & non excusat. Quia voluntarie tribuitur creaturæ quod divinum est.

Sic igitur universim opinio falsa, & hæretica circa virtutem rerum, quæ adhibentur pro divinatione, vel alio effectu, per quam agens judicat illas res habere virtutem Dei propriam, nec ab hæresi, neque à superstitione excusat, & tamen excusatur à pacto implicito cum dæmone, si innititur causæ naturali, ut naturali, non autem virtuti dæmonis. Quia quoad se non divinaret ex illa, si sciret, illam non esse causam ad effectum proportionatum. At si falsa opinio non egreditur limites naturalis scientiæ, neque est contra fidei doctrinam, hic divinans ex falsa opinione non est hæreticus, neque superstitiosus aut sortilegus ex D. Thoma 2. 2. *q.* 96. *art.* 2. *ad* 1.

Nec refragatur, quod iste tribuit creaturæ quod ei non convenit. Quia res naturalis verè non habet illam virtutem, quam illi tribuit. Quia non est certum ex doctrina fidei, quod hujusmodi virtus illi rei non competat, nec iste tribuit illi, quod fides docet esse Dei proprium. Et si dæmon velit se in his immiscere, id facit non invocatus, sed ex malitia sua. Nec, qui sic agit, expectat effectum, nisi quodammodo sub conditione futurum, si nimirum ex virtute naturali expectari possit. Nec fidei, aut religionis præceptum prohibet, ne in merè naturalibus unusquisque sentiat, quod sibi verum esse visum fuerit, licet aliunde sit prohibitum falsum voluntariè judicare.

Id etiam valde considerandum est, quod aliud est inducere dæmonem, vel alias res ad hoc ut excitent somnium, ex quo futura prævideantur. Aliud est ex somniis non procuratis, sed aliunde ex causa naturali, vel ex Deo, aut dæmonis opera provenientibus futura prædicere.

dicere. Hæc enim non parum distinguuntur. Nam ex D. Thoma *d. quæst. 95. articul. 4. ad 1.* aliud est dæmonem invocare, atque inducere ad aliquid faciendum ac docendum, quod semper est superstitiosum, & sortilegum; aliud est à dæmone sponte occurrente aliquid expetere, quod ex justa causa est licitum. Ita in hoc casu. Aliud est inducere somnia, & hoc si fiat inducendo illa per virtutem dæmonis, ut ex illis futura cognoscantur, pertinet ad divinationem per somnia necromanticam, nec solet fieri, nisi per pactum cum dæmone. At ex somniis aliunde inductis prævideri futura, etiamsi somnia sint inducta à dæmone, dum nullo modo invocatus fuerit, ad inducendum somnium, neque ad illud intelligendum, neque ad illud implendum, per se non est sacrilegum, imo neque est illicitum. Credere enim dæmoni, non invocato, sed sponte occurrenti, ac loquenti, non importat aliquam amicitiam, vel sociale pactum cum ipso.

Necessarium igitur est primò investigare causam somnii, an sit naturalis, an ab extrinseco, an ab intrinseco, an corporalis, an spiritualis, an à dæmone, an à Deo, de quibus satis supra dictum est. Et data etiam certa cognitione causæ somnii, difficultas est ratione incertitudinis, an ex causa illa effectus necessariò, an plerunque sequatur. Ut si somnii causæ sint astra, cùm valde incertum sit quinam effectus, etiam naturales ex illis proveniant, nisi forsan generaliter, palam est, quod ex Somniis quæ sunt ex causa cœlesti, nedum haberi non potest certa cognitio alicujus naturalis futuri, sed neque ut plerumque certa, nisi valde generaliter. Sic etiam si somnium sit ex aliqua interiori dispositione corporali intrinseca vel extrinseca, non poterit ex ea cognosci effectus alius, nisi ille sit necessarius, & non possit impediri, vel si non sit certum, quod illa dispositio habeat virtutem ad producendum illum effectum. Supposito igitur, quod certum sit, somnium provenire ab illa dispositione, & quod illa dispositio producat aliquem effectum, poterit ex somnio prævideri ille effectus vel certò, vel plerunque, ad probabiliter, vel conjectatoriè, secundum quod ille potest ex illa causa cognosci. At effectus liberi ex solis somniis ne conjectarie quidem cognosci possunt. Additis verò ex providentia aliis principiis, poterunt aliquo modo cognosci, ut dicemus in consultatione de divinatione per astra.

In somnijs autem non procuratis, etiamsi dæmoniaca sint, dummodo non sint contra fidem, licet credere dæmoni possit esse malum ex aliqua circumstantia, per se tamen non est illicitum, neque superstitiosum, aut sortilegum. Tunc verò dicitur somnium non procuratum vel non invocatus dæmon, quando dæmon neque expresse, neque tacite fuit invocatus ad inducendum, neque ad interpretandum somnium, nec aliquid fit, per quod petatur, & imploretur dæmonis auxilium, ut significatio somnii compleatur. Quare somniis ex malitia dæmonis inductis, nulla prorsus invocatione præcedente, aut subsequente, non est illicitum credere. Quod limitandum est, ut verum sit, si somnia non contineant aliquid contra fidem, ut per illa non significentur contingentia & libera, ut certo futura. Nam alias in hoc casu somniis credere est hæreticum, & in foro exteriori est superstitiosum, & sacrilegum, constituitque divinantem vel hæreticum, vel de hæresi vehementer suspectum.

Hoc autem supposito, credere somnio dæmoniaco, vel dæmoni sponte in somno apparenti, somniumque sponte interpretanti, sed enuncianti solum, quæ ipse potest propria virtute scire, quæque ab ipso, vel aliis causis naturalibus possunt propria virtute fieri, non continet pactum aliquod, ne quidem implicitum cum dæmone, ideoque non est superstitiosum, neque sortilegum. Quia credere per se non est actus alicujus amicitiæ. Nam & credimus inimicis, & sæpe prudentia dictat, ut illis credamus. At verò invocare dæmonem ad ea, quæ potest eatenus est superstitiosum, & sortilegum, quatenus continet amicitiam, & pactum cum dæmone. Credere autem non est invocare, neque est actus amicitiæ, & non creditur dæmoni, nisi id, quod potest scire, & facere, ac proinde nullum in hoc casu intercedit pactum cum dæmone, ne implicitum quidem, ideoque nulla intervenit superstitio, aut sortilegium; nisi credens intuitu dæmonis, ac in illius gratiam, in ejusque cultum illi credat. Quod in exercente artem necromanticam, vel hujusmodi aliam præsumendum esset. Cœterum quis credere potest dæmoni, sponte loquenti, & non advocati in illius odium, & ad exercendam cum illo inimicitiam, utque orationibus, ac piis operibus effectus divinationis, aut somniis impediret, ac suæ, aliorumque saluti consuleret.

Potest tamen esse illicitum credere dæmoni, ejusque somniis ex circumstantiis. Primo quia hoc fit contra charitatem credentis propter periculum deceptionis. Credere enim illi inimico, qui non agit, nisi in Dei contemptum, & in ruinam fidelium, periculosum plane est. Secundo ex levitate, ac temeritate, imprudenter, inconsiderate nimis leviter credendo. Tertio ex parte rei creditæ, ut si sit in præjudicium proximi, & contra justitiam, vel contra aliquam aliam virtutem, ac bonos mores, vel si sit occasio faciendi malum, aut deserendi majus bonum; vel ob aliam similem circumstantiam. Sic enim periculosissimum est his credere, & personæ simplices his credere non debent, nisi prudentibus, doctis, & probis viris prius consultis.

Idem, quod dictum est de credulitate, cum proportione dicendum est de divinatione, ut siquis somnium dæmoniacum habuit, & in commemorato casu illi credidit, non invocans dæmonem, ut somnium induceret, vel interpretaretur, aut ejus significationem comprobaret, & somnium nihil significet, quod sit contra fidem, hæc divinatio ex hujusmodi somnio, licet esse queat illicita ex circumstantiis jam dictis, ac etiam quia possit esse aliis scandalo, non est tamen superstitiosa, & sacrilega. Quia nihil tribuitur creaturæ quod est Dei proprium, & dæmon nullatenus invocatur. Et quia contingentia etiam libera cognosci possunt, ut futura per conjectationem, maxime à dæmone, per se ex lege naturali, & divina non erit superstitiosum & sacrilegum illa sic pronunciare sub conditione, ac per conjecturam. Quamvis in hoc etiam servanda sit Constitutio Sixti V. quæ incipit *Cœli & Terra*, quam suo loco explicabimus.

In

ac per conjecturam. Quamvis in hoc etiam servanda sit Constitutio Sixti V. quæ incipit *Cœli & Terræ*, quam suo loco explicabimus.

In duobus igitur casibus credere somniis, atque ex illis divinare, est sacrilegium, ac de fide suspectum. Primò si somnii significatio sit contra fidem, ut si somnium significet aliquod liberum, ut certò futurum; vel si aliquid significet, ut certius futurum, quàm ex illius causa significari possit. Secundo si invocetur Dæmon, vel ut inducat somnium, vel ut illud interpretetur, vel ut effectum illius adjuvet, vel impediat; vel credatur somnio in gratiam Dæmonis, illius magisterium approbando. An autem, & quatenus ex his incurratur hæresis, vel suspicio vehemens de hæresi, aut levis, suo loco docebimus.

Consultatio XCVI.

De Secundo genere Divinationis, hoc est de Augurio, de Auspicio, de Omine, de Physionomia, deque ejus præcipuis signis, de Chiromantia naturali, & Ægyptiaca.

PRædictiones, quæ appellantur augurium, & auspicium quandoque accipiuntur pro omni Divinatione, imò & pro observatione universarum rerum subitò ac inopinatò accidentium ad præcognoscendum futura, vel occulta, instituta. Ita Cicero 4. *Philippic. & 2. de divinat.* Nos autem hic accipimus strictius pro divinatione desumpta ex avium garritu, volatu, pastu, diciturque Augurium sive avigarrium, quod ad aures pertinet, & Auspicium, quasi avispecium, ab avibus spectandis, quod pertinet ad oculos, extensumque est vocabulum ad divinationem desumptam ex motibus animalium, ut saltu, grunnitu, mugitu, imo ex motibus hominum, ut sternutatione, sicque accipitur etiam à D. Thoma 2. 2. *quæst.* 95. *& seq.*

Omen autem universim accipitur pro observatione quarumcunque rerum inopinato contingentium ad divinandum futura, vel occulta ex D. Thoma loco citato post Ciceronem *lib.* 3. *de divinat.* Usurpatur tamen potius pro divinatione, quæ accipitur ex verbis absque intentione divinandi prolata, quæ quis retorquet ad futurum, quod cognoscere intendit. Potest etiam extendi ad factum aliorum sine intentione divinandi, aliis tamen præbens occasionem divinationis. In his Auguralis Gentium disciplina primum sibi locum vindicabat, idque religionis ergo, de qua pietate plane impia nunc agendum.

Si fides igitur auguribus, belli, nuptiarum, itinerum, similiumque eventus præsagire sit, tum ex *oscinum* cantu, quomodo dictæ, quia ore canerent, tum ex *præpetum* volatu, quo pacto vocatæ, quia in volatu anteriora semper petant; tum ex pullorum pastu, quam rationem *tripudium*, quasi terripavium appellarunt, quia quod cibi ex ore decidisset, id terram paviret, hoc est feriret. Ac sinistras quidem aves putarunt prosperas, ut scævum omen, bonum teste Varrone *in 6. de lingua lat.* Contra, aves quæ impedimentum obiicerent, vocatæ *arculæ* ab arcendo; imò ut Festus ait, *remores* à remorando, ac *inhibræ*, vel *enebra* ab inhibendo; imò & *volsgræ*, quia se vellendo auspicium facerent malum, & *elivia*, quia elivia sint ardua ac difficilia. Eodemque referendæ *altera*, quæ priori auspicio, quod felix visum, vitium facerent.

Horum disciplinam, tum Auspiciorum, ab avibus speciendis; tum Augurlorum ab avium garritu dixerunt. Barbaris hanc in pretio fuisse autor est Ælianus *lib.* 2. *var. hist. cap.* 31. A Telegono ad Græcos pervenisse, refert Suidas in *Telegonos.* Plinius verò *lib.* 7. *cap.* 56. ait, esse inventum ejus Caris, à quo Caria nomen accepit. Ac vulgo quidem existimatum fuit, aves mentem Deorum tanto nobis melius scire, quanto essent Superis propiores. Hinc Ovidius in S. Fast.

Nam Dis ut proxima quæque,
Nunc penna veras, nunc datis ore sonos.

Nec ullum arduum, aut mediocre opus aggrediebantur sine auguriorum, & auspiciorum observatione. Cœpisse hanc artem à Trojanis, vel Chaldæis, inde ad Græcos, postea ad Romanos derivatam esse, sunt qui autument. Hetrusci verò solebant mittere filios suos ad Collegium solenne hac arte instruendos, teste Plinio *lib.* 8. *cap.* 28. Adeoque inolevit hoc gentium delirium, ut quidam jactarent se percipere loquelam avium, quasi ipsæ loquerentur, conceptusque exprimant, sintque rationales. Ut vel fabulosum vel à fraude Dæmoniaca fuerit quod Plinius narrat. *lib.* 10. *cap.* 21. *Inventur in annalibus, in Ariminensi agro, M. Lepido, Q. Catulo Coss. in villa Gallerii locutum gallinaceum, semel quod equidem sciam.* At multo certius pro fabula habendum, quod aiunt, aves inter se colloqui, & Magos eum sermonem intelligere. Qua de re sic idem *lib.* 10. *cap.* 49. Qui credit ista, & Melampodi profecto, aures lambendo, dedisse intellectum avium sermonis dracones, non abnuet; vel quæ Democritus tradit nominando aves, quarum confuso sanguine serpens gignatur, quem quisquis ederit, intellecturus sit alitum colloquia. Quid de Apollonio Tyanæo linguas avium intelligente: item de oraculo pici Martii, ac Dodonæarum columbarum censeam, quæ avium dociles sint ad imitandum sermonem humanum. Illustre de psittaco docilitatis argumentum habemus *in vita Basilii Macedonii Imperatoris*, qui filium Leonem, cognomento Philosophum, imperii fecerat consortem, sed calumniis Sabareni deceptus, in carcerem conjecerat. Contigit autem, ut dum Imperator cum Senatoribus aliquot convivaretur, psittacus sæpi us inclamaret. Αἲ, αἲ, κύριε λέον, *Ah, ah, Domine Leo.* Hinc silentium convivis, cujus causam rogante Imperatore, respondere cum lachrymis: Animal rationis expers luget infelicitatem Domini sui Leonis, & nos insontis obliviscimur. Imperator igitur eos porro in convivio esse hilares, deque Leone bonum habere animum jussit, nec multò post eum carcere eductum priori restituit dignitati. Narrat rem *in historiarum compendio* Georgius Cedrenus, item *in Annalibus* Constantinus Manasses. Sed Manasses avem vocat *siridion musicon*, quod proprie sit passerculum canorum. Generatim aviculam canoram, reddidit Leunclavius. Cedrenus autem appellat psittacum, animal imitatrix vocis humanæ. At in medio relinquit, utrum ista dixerit edoctum ab aliquo, an alia ratione fortuita. Manasses verò clare ait edoctam hoc avem à mulieribus assiduè

assidue Leonem lamentantibus. Nec enim homo, nedum psittacus, Sermone loquetur, quem non didicerit. Quippe verba non significant natura, sed hominis instituto. Inter fabulas etiam Alcorani recensetur, Reginam Sabam cognovisse Salomonis sapientiam relatione, & vocibus avium. Et Porphyrius de Apollonio prodit, amicis adstantibus, ac videntibus hirundinem cautibus obstupentem dicente: Quid putatis hirundinem illam dicere? Vocat, dixit, alias hirundines, nuntians illis in tali loco cecidisse asinum onustum frumento, quod effusum est. At certum est hirundines frumento non vesci.

Sed prudentiores aliter. Ammianum Marcellinum audiamus lib. 21. *Auguria, & Auspicia non volucrum arbitrio futura nescientium colliguntur; nec enim hoc vel insipiens quisquam diceret, sed volatus avium dirigit Deus, ut rostrum sonans aut prætervolans pinna turbido meatu, vel seni futura præmonstret. Amat enim benignitas Numinis, seu quod merentur homines, seu quod tangitur eorum affectione, his quoque artibus prodere, quæ impendent.* Ac deinde parem esse aruspicinæ rationem pronunciat. Illustrabimus hæc exemplo corvi, qui in villa Cajetana ferrum horologii, conspiciente Cicerone, loco movit, & excussit, ac protinus ad ipsum tetendit, laciniamque ejus togæ tenuit morsu, donec nunciaret servus, advenisse milites ad eum occidendum. Hæc variis memorata, ut Valerio Maximo *lib. 1. memorabil. cap. 4.* Plutarcho *in vita Ciceronis* & Appiano *lib. 1. bell. civil.* Ex Ammiani sententia corvus quidem nescivit futura, sed Deus sic corvum dixerit, ut Cicero de exitu suo fieret certior. En alterum quoque exemplum. Dejotarus Rex in tecto suo aquilam conspexit. Ea visa, cùm auguralis esset disciplinæ gnarus, tecto abstinuit, quod nocte imminente solo æquatum fuit. Referunt Cicero *1. & 2. de divinat.* ac V. Maximus *loc. cit.* Hic Ammiani judicio Deus Dejotarum voluit commonere, ut ne tecto illo diutius se contineret. Sane speciosa oratio.

Sed quanto verisimilius, spiritum malum istos alites direxisse, ut hominum animos in superstitione detineret. Nec enim disciplinam hanc esse à Deo, sed malo spiritu, arguit ejus vanitas. Undè etiam est, quod pro gentibus usque adeò variabat. Ita Hetrusci in auspicando ad Occidentem se convertebant, Romani ad Orientem. Diversa quoque auspiciorum ratio apud Galatas. Undè Dejotarum, Galatarum Regem, Cicero; Ciceronem autem Dejotarus de hac disciplina solet interrogare. Et sane ne augures audiamus, interdictum nobis *Deuter.* 18. *& Jerem.* 27. Plura verò de auguriis, si voles, vide Augustinum Niphum *libro*, quem *de Auguriis* inscripsit, Alexandrum ab Alexandro *lib. 5. genial. dier. cap.* 13. Et ad eum Tiraquelli notas, Peucerum *lib. de divinat.* Georgium Raguscium *lib. 2. de divinat. epist. 9.* quæ ad Andream Maurocenum.

Utcunque verò vana sit ars auguralis de felici, vel infelici eventu eorum, quæ in natura non habent fundamentum, magnus tamen ex avibus in omni vita civili, præsagiorum est usus, quandò ea ratione nituntur naturali. Ut cum agricolæ, nautæ, medici prævident imminentem tempestatem, & pro ea componunt quæ animo agitabant. Vide de isto Aratum in prognosticis, Maronem 1. *Georgic.* eorumque interpretes, Ælianum *lib. 7 d: animal. cap.* 7. ubi serenitatis, & tempestatis signa tradit ex gruibus, ardea, noctua, corvo, cornice, graculo, monedula, anate, mergo, rubecula, gallo gallinaceo, aliis, quæ peti ex fonte, quàm rivis hisce nostris malo. Aliquid interea de eo dicemus, causam ejusmodi præsagiorum attingentes. Ea est, quod aves aëris ambientis vapore afficiantur. Nonnullis igitur is ob crassitiem est molestus, atque eò vellicant pennas, ut excutiant onus, quod incumbere videtur. Sic & corvi alis plaudunt, ut eo pacto humor nimius dissipetur. Iidem, ac graculi, gregatim volantes, tum voce insolita ad morem resonant accipitrum, quia humor arteriæ & pulmonibus, vocis instrumentis, oris immutavit sonum. Galli etiam, frequentius imminente canunt pluvia, quia Aër humidus instrumenta vocalia replet pituita, quam cantu student discutere. Quædam item marinæ aves, tum nimii humoris fuga, in siccum se recipiunt.

Utrum verò ex galli cantu cognoscere sit horas nocturnas, affirmat. Plinius *lib. 29. cap.* 4. inquiens, quod statis horis, nempe post ternas quasque, cantum distinguere. At id experimento proprio diluit Scaliger *exercit.* 229. Nunc illud potius dicam, quatuor inter alias, avium adventu, quatuor anni horas, sive tempora cognosci. Ex quibus cuculus indicat seræ arationis remedium, nempe tempestivæ arationis jactura reparatur, si pluerit. Atque hinc etiam cognoscere est, cur cuculus dicatur de eo, qui serius araret, quàm convenit, uti & qui post æquinoctium vites putaret. Ægyptiacæ omnino tribuendum, cornicem simulac audiisset, quò perferenda esset epistola, quæ regiones transeundæ, ubi quiescendum, eò prout acceperat iter direxisse. Captum hæc mutæ animantis excedunt. Sed solent homines de magnis loqui maiora, ut magis sint admirationi. Etsi non ignorem, aliquos & his fidem habere, sed putare, malum genium hanc alitem duxisse.

Esse autem augurium quoddam naturale ex avium actionibus, vel passionibus, quorum experientimento agricolæ, pastores, nautæ plura didicerunt, certum plane videtur. Mirabile est Halcyonis exemplum de quo D. Basilius hom. 8. in examEron. ita scribit: *Halcyon* avis est, quæ mare accolit, quæ cum sit in maris littore pariens, deponit ova in arena, & media hyeme nidum componit, quo maxime tempore ventorum impetu mare tempestuosum est; sed tunc venti se remittunt, & compescitur ipsum mare cùm Halcyon septem diebus incubat, excludit enim pullos totidem. Qui cùm cibum appetunt, septem alios dies ad pullorum incrementum minutissimo animali liberalis Deus elargitur. Omnes itaque, qui se mari committunt, id observant, eosque dies Halcyones nominant. Confirmatque Ambrosius *lib. 5. in hexam. cap.* 3. de quo plura Aristoteles *lib. 1. de natur. animal. cap. 8. & lib. 9. cap.* 14. ac Plinius *lib. 10. cap.* 32. Plutarchus *item de indust. animal.*

Est etiam exemplum augurii, vel auspicii naturalis mus parvus, qui referente Plinio *lib. 8. cap.* 28. si è domo migret, significat ædes ruituras, & aranei cum telis primi cadunt, ac passerculi, & milvus aëris contagionem fuga præveniunt. Cornices quoque crocitantes circa littora, signa sunt futuræ pluviæ. Idem præsagium accipiunt nautæ ex delphinis, suibus,

araneis,

araneis, aliisque animalibus, casu, saltu frequenti, veloci commestione, grunnitu, ac errabundis motibus. Idemque significant boves frequenter cœlum suspicientes, de quibus & aliis Cicero ex Arato *lib. 3. de divinat.* & Antonius. Mizaldus *in Ephemeridis rusticis* cuncta hæc interpretatur. Quod & Jerem. 8. ait: *Milvus in cœlo cognovit tempus suum, turtur, hirundo, & ciconia custodierunt tempus adventus sui.*

Quomodò autem aves præsagiant naturaliter, docet D. Thomas *d. q. 95. art.* 7. supponens motus, vel garritus avium, vel aliquas dispositiones in hujusmodi rebus consideratas, non esse causas futurorum eventuum. Undè ex eis futura cognosci nequeunt, tanquam ex causis. Relinquitur ergo, quod si ex eis aliqua futura cognoscantur, id erit, quatenus sunt effectus aliquarum causarum, quæ etiam producant futuros eventus.

Causa autem operationum brutorum animalium est instinctus quidam, quo moventur motu naturali. Non enim habent Dominium sui actus. Hic autem instinctus ex duplici capite oriri potest. Primò ex causa corporali. Cùm enim bruta non habeant nisi animam sensitivam, cujus omnes potentiæ sunt actus corporalium organorum, subjacet eorum anima dispositioni continentium corporum, præcipuè cœlestium. Et ideò nihil prohibet aliquas eorum operationes esse futurorum signa, quatenus conformantur dispositionibus corporum cœlestium, & aëris continentis, ex quibus proficiscuntur aliqui futuri eventus. Quocirca duo ex D. Thoma sunt annotanda.

Unum est, ut operationes hujusmodi non extendantur, nisi ad cognoscenda futura, quæ oriuntur ex motu cœlestium corporum. Alterum est, ut non extendantur, nisi ad ea, quæ aliquo modo possunt ad hujusmodi animalia pertinere. Consequuntur enim ex corporibus cœlestibus cognitionem quandam naturalem, & instinctum ad ea, quæ suæ vitæ sunt necessaria, sicuti sunt immutationes, quæ fiunt per pluviam, & ventum aliaque hujusmodi, ut ex garritu cornicis non rectè quis auguratur nativitatem vituli, quæ impertinens est conservationi cornicis, sed tantum desumenda est divinatio pluviæ futuræ, quam debet fugere, vel appetere pro sui conservatione. Qui natura, sicut non deficit in necessariis, ita non abundat in supervacaneis. Et ideò brutis dumtaxat confert, ut consequantur ex astris instinctum, & notitiam naturalem eorum, quæ ad ipsorum vitæ necessaria sunt, nempe immutationes per pluvias, & ventos, ac similia, ad reliqua verò non oportet ab astris moveri.

Secundò hic instinctus ad operationes significativas futurorum eventuum eliciendum, oritur à triplici causa speciali. A Deo, ab Angelo, à Dæmone. Prioris exemplum exhibet D. Thomas *loc. cit.* in Columba super Christum descendente *March.* 3. quam supponit fuisse verum animal. Quod postea expresse docuit 3. *p. q.* 39. *ar.* 7. dum ait, prænotionem descensus Spiritus Sancti super Christum fuisse acceptam ex instinctu divino ad descendendum super Christum.

Secundi affertur exemplum in Corvo, qui cibum præbuit Eliæ 3. *Reg.* 17. in Ceto, qui vomitione Jonam rejecit *cap.* 2. Potest etiam afferri mugitus vaccarum deferentium arcam Domini è terra Phylistinorum, & deducentium in terram Israël, ut divinarent Phylistei punitos ob detentionem arcæ, & puniendos fore, si in eodem crimine persisterent, ut ex 1. *Reg.* 6. *&* 7. Simile est, quod S. Paulinus prodit de examine apum ad ora & faciem D. Ambrosii in ejus vita, ut inde divinaretur futura dulcedo ipsius eloquentiæ. Infans, inquit, cum esset Ambrosius, & in cunis positus, subito examen apum faciem ejus, atque ora complevit ita, ut ingrediendi in os, egrediendique vices frequentarent, & postea evolantes in tantam altitudinem sublevatæ sunt, ut minime oculis viderentur. Et territus pater, ait, si vixerit infantulus iste, aliquid magni erit. Cicero item 2. *de divinat.* Valerius Max. *lib.* 1. *cap.* 6. Plinius *lib.* 11. *cap.* 6. memoriæ tradiderunt hoc ipsum evenisse Platoni infanti, idque divinitus fortasse, ut divinaretur ejus eloquentia, moresque placidi.

Posterioris autem causæ innumera produntur exempla. Hoc enim summopere conantur Dæmones, nempè hujusmodi operationibus brutorum implicare animos hominum vanis opinionibus, quibus involvebantur, maximè Gentiles, nec defuit superstitio hæc inter Christianos. Relatum autem est à Cicerone *loc. cit.* quod duo pulli in cavea servabantur, & summo mane puls, aut offa cavea inclusis pullis obiiciebatur. Quod si negligerent cibum, sinistrum auspicium erat. Si avide depascerentur, faustum auspicium designabatur. Quod prolixius describit Alexander ab Alexandro *lib.* 1. *genial. cap.* 28. *& seq.* Aliud exemplum augurii, sive auspicii à porcis desumpti refert Rhodiginus *lib.* 13. *antiq. cap.* 31. Theodatus, ait, Gothorum Rex superstitioni auspiciorum deditus, Judæum augurem jussit triginta harulis parvulis sues includi, ac cunctis certa nomina imponi, inde ad certum diem quiescere. Die designato, Rex cùm Judæo porcos invisit, mortuos invenit tantum quibus Gothica nomina plebejorum imposita, vivos verò, qui fuerunt notati nominibus Romanorum Præfectorum, nempe decimum quemque. In his tamen setas è dorso defluxisse, quare dimidium visebatur. Hinc Judæus ominatus dicitur, Romanum exercitum dimidium in prælio moriturum, Gothos ad internecionem delendos. Aliud affert Zonaras *tom.* 3. *in Valente*, ad inquirendum nomen illius, qui post Valentem rerum Romanarum esset potitus.

Nec mirum videtur, si aliquando futurum liberum divinaverit Dæmon. Potuit namque ille animos eligentium prævidere, prout illum iidem invicem aperiebant, & similiter popularium in necem Valentis conjurantium, & iccirco molitum fuisse illud auspicium; sicut & quod de porcis signatis modò diximus. Qua de re mox iterum. Interim advertendum, non esse auguria, sed potius deprecationes, quæ fiunt ante festa natalitia, & paschalia, dum quis auguratur amico suo, id est à Deo deprecatur felicia festa. De auspicio autem & augurio bono & malo Torreblanca *lib.* 8. *cap.* 13. plura constipavit, sicut ea ex traditione Dæmonum in toto Orbe terrarum plurimis seculis invaluisse, habetur *in can. qui sine Salvatore ad finem* 26. *q.* 2. & in Constitutione *Cœli & Terræ* Sixti V. Affertque Isidorus *lib.* 5. *etym. cap.* 6. discrimen inter auspicium, & augurium, quod Festus tradit desumi etiam ex quadrupedibus, aliisque animalibus terrestribus, quodque dicebatur auspicium pedestre.

Idem Torreblanca *loc. cit. cap.* 14. agit de tripudio pullorum ex Cicerone *lib.* 1. *divinat.* undè sumebatur auspicium, ut tradit Festus, & attendebatur secundum motus pullorum qui ad id enutriebantur cavea inclusi. Si enim cavea educti pultem avide & cum sonitu ederent, tripudium somnivium dicebatur. Si autem puls ex ore cadebat, solstimium appellabatur. Primum auspicium prospera portendebat apud Livium *lib.* 4. Valerium Max. *lib.* 1. *cap.* 4. Plinium *lib.* 10. *cap.* 2. Secundum etiam lætum fuisse, tradit Alexander ab Alex. *lib.* 5. *genial. cap.* 13. Majolus *tom.* 2. *colloq.* 2. Malum verò auspicium reputabatur, ait Plutarchus *in graph.* quando avis cibum non attingebat, sed sublata altera ala, & extenso crure, rursus in caveam confugiebat. Sæpè non pullos, sed gallinas cavea enutriebant ad hanc divinationem, & habiliores erant quæ ex Cayro traducebantur. Nam his supra caput os eminet ad rostrum plumis cristatum instar upupæ cum crista bipartita, & pluma colore rufo, & nigro, Dæmoni gratissimo, notante Aristophane *lib. de avibus.*

Non solum igitur auguria, sed omina omnia sunt intrinsece mala. Id docet Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *cap.* 10. post D. Thomam *d. q.* 95. *ar.* 2. & 3. ibique Cajetanus, suntque prohibita, quia mala, & non mala, quia prohibita, ideoque à patribus condemnantur, tanquam reliquiæ idololatriæ. Undè iidem & Abulensis annotant sacram Scripturam universim prohibere omnia omina, nec posse assignari peculiarem rationem ad illa excipiendum. Non enim minus sunt signa incerta & vana quàm alia. Quæ est ratio malitiæ.

Auguria verò, sive auspicia divina, id est divinatio desumpta ex avium, sive brutorum motibus, à Deo, vel ab Angelis productis, ad significandum futura vel occulta, etiam libera, licita est, certaque fides est illi adhibenda. Nam signa à Deo, vel ab Angelis applicata non possunt esse fallacia, neque ad malum ducere. Quod si certum non sit animalium motus esse à Deo in signum futuri eventus, adhuc licitum est ex illis prædicere futura cum tanta certitudine, aut probabilitate, cum quanta cognoscitur motus illos esse signa divina.

Divinatio autem ex auspiciis, & auguriis Dæmoniacis est illicita, & superstitiosa, ac de fide ex pacto explicito, vel implicito suspecta, cui nulla fides est adhibenda, estque peccatum mortale, ut per Cajet. *in sum. v. augurium*, & *auspicium*, quem sequuntur Suarez *ibid.* ac Delatorre *in d. quæst.* 95. *ar.* 7. *disp.* 3. Sylvius & communiter Theologi. Nam omnis dæmoniaca inquisitio, aut societas est damnabilis. Quia fere omnis divinatio dæmoniaca versatur circa actus humanos futuros, de quibus nihil certe potest cognoscere dæmon. Et nihilominus ubi hæc auguria nullo modo fuerant à credente procurata, neque invocatur dæmon ad aliquem effectum, credere hisce auguriis, quantum, salva fide & veritate, credi potest, non est per se sortilegium, neque de fide suspectum, ut supra dictum est.

Exceptis itaque auguriis & auspiciis naturalibus ac divinis, superstitio est aliis velle adhibere fidem. Habetur Deuter. 18. *Non invenietur in te, qui observet auguria.* Et *Levit.* 19. & *Ecclesiast.* 34. *Jerem.* 27. & *can. augurii* 26. *quæst.* 5. passimque alibi. Quia dispositiones, & motus avium, sive brutorum, præter signa naturalia, magna ex parte sunt omnis significationis expertia. Quinimo ipsis etiam auguriis naturalibus, comprobante experientia, non semper fides est adhibenda. Quia motus animalium sæpè sunt sine significatione, ac sine speciali cœlorum influxu, solumque sunt spontanei, ab eis ociandi, vel quærendi cibum gratia producuntur. Et quia horum motuum significatio perpaucis est cognita. Et quia difficile cognoscitur an motus animalium sint à natura, an à Deo, anve ab homine. Et quia, si auspicium versetur circa actus liberos humanos, est inanis, fallax, superstitiosa, & dæmoniaca, nisi sit ex Dei revelatione. Minusque ex vocibus, & motibus animalium possunt cognosci futura, tanquam ex causa. Quia ipsa non sunt causa illorum effectuum, qui ab illis per augurium, vel auspicium cognoscuntur, ut docet D. Thomas *cit. q.* 95 *ar.* 7. Cantus enim animalium movet quidem auditum, & audienti præbet occasionem delectationis, aut molestiæ, sed hic non est effectus futurus, sed præsens. Nec hujusmodi effectus cognoscitur per augurium, qui aliunde proveniunt, quàm ex voce vel motu animalium, ex quo sumitur augurium. In augurio igitur naturali voces, ac motus animalium possunt significare effectus hujusmodi, quatenus sunt coeffectus alicujus causæ communis, ex qua illi effectus possunt prævideri.

Nec propterea neganda sunt signa naturalia animalium, per quæ possunt aliqua, ad homines pertinentia probabiliter prædici, quia una, eademque cœlestis causa excitat animalia, & inducit homines ad aliquos effectus, ut ad rixam, vel iram, quos voce, mugitu, garritu animalia exprimunt; unde ex ipsis possunt rixæ inter homines probabiliter conjectari, quam conjecturam vix esse tenuissimam declarant Cajetanus, aliique vix attingere suspicionem ait Suarez, quia tales effectus non necessario ab Astrorum causa proveniunt, & quia nescitur, an ex peculiari constellatione id procedat, saltem adæquate, an ex aliqua dispositione aëris, vel ipsorum animalium. Additque Valentia *in d. quæst.* 95. *D. Thomæ*, & post eum Salelles *regula* 118. *cap.* 119. quod multò debilior conjectura eruitur ex motibus humani corporis, quàm ex aliorum animalium. Nam sæpè illi non ab impressione cœlesti, sed à libera voluntate proficiscuntur.

Quare non videtur omnino approbandum, superstitionem adesse, dum quis ex signis animalium prædicit plusquam ipsa indicant. Si namque ut signa naturalia attendantur, non ut omina, vel auguria, non erit superstitio, sed superfluitas. Alioquin facile superstitionis condemnarentur naturalia signa observantes, ut Cœlorum, animalium, aliorum, ut notavit Salelles *ibidem* post Cajetanum & Suarez.

Oportet tamen primò, ut attendantur soli motus animalium ad ea pertinentes, & non addatur quod ad naturalem eorum operationem non pertinet. Nam si adderetur nomen aliquod vel character, vel hujusmodi aliud, esset augurium superstitiosum. Hæc enim, quæ per se non sunt causæ eventuum, nec cum illis sunt communes effectus ejusdem causæ, non sunt signa naturalia, sed, si adhibeantur, erunt signa Dæmoniaca.

Attendi etiam debet, ut non prævideatur, nisi coëffectus naturalis, qui naturaliter à Cœlo, sive à communi causa produci solet, idque non afferatur certò futurum, vel certius quàm ex illa causa communi præcognosci queat. Hinc

ex duplici causa potest esse peccatum, ac superstitio, & suspicio hæresis in hoc augurio. Primum si ex motibus animalium divinentur fortuita, & contingentia libera, quæ à corporibus cœlestibus non producuntur, D. Thomas *eodem ar.* 7. ibique Cajetanus, ac Delatorre *disp.* 3. Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 38 *n.* 40. Sousa *lib.* 1. *aphor. cap* 49. *n.* 2. Azor *p.* 1. *lib.* 9. *cap.* 12. Deinde si ex eo, quod casu ac involuntarie accidit homini, prædicitur aliquid illi feliciter, aut infeliciter eventurum, Azor, & Sanchez *loc. cit.* Sousan. 8. Et licet ex motibus, & non liberis hominum possit quispiam aliquem effectum augurari, debilior tamen est conjectura, quæ ex illis sumitur, quàm quæ ex animalibus. Eo etiam modo quo ex astris potest haberi aliqua conjectura contingentium, potest etiam per augurium haberi ex motibus animalium.

Peccat verò qui cum majori certitudine ex animalium motibus prædicit effectus naturales, quàm ex communi causa prædici possint. Quod est peccatum judicij temerarij, & regulariter veniale, nec est superstitio, nisi id, quod creditur, sit contra fidem, ac nisi quis, sciens, non posse futura ex causis naturalibus cum tanta certitudine cognosci, adhuc illa, ut certiora prædicere vellet. Nam iste in hoc casu non inniteretur significationi tantum naturali, sed uteretur illis motibus, ut signis, non sane divinis, sed dæmoniacis, ideoque adesset pactum implicitum cum dæmone. Si tamen prædiceret illa mendaciter tanquam certiora, ut deciperet, non esset superstitiosus, sed mendax.

Neque his officiunt, quod portenta, sive auguria plura præcesserint natalem diem Principum. Aureliano enim Imperatori draco, & aquila imperii auspicia fuere. Eundem, vinctum fasciola, aquila innoxie de cunis levavit, & in aram, quæ juxta sacellum fortè sine ignibus erat, deposuit, teste Flavio Vopisco *in Aureliano.* Qui & refert Marciano equiti, dum in æstate humi dormiret, aquila super ipsum volitans, radiosque Solis expansis alis avertens, Imperium portendisset. Spartianus *quoque in Se ero* narrat, illi in stabulo quiescenti serpentem caput cinxisse, & sine noxa expergefactis, & acclamantibus familiaribus, abiisse. Quod ut futuræ felicitatis augurium fuit acceptum. Lampridius etiam in Diadumeno prodit, Antonino ipsi eodem die, quo natus est, palumbum regium parvulum in cunis dormienti, ab aquila sensim allatum fuisse, quæ post aliquot annos pileum in agro ambulanti præbuit, posuit, abiit, & cum comitum infantis clamor esset factus, in monumento regio, quod juxta villam esset, in qua tunc pater degebat, super statuam Regis posuit ita, ut ejus capiti aptaverit, imperium significans. Alexandri Severi mater, pridie quam eum pareret, somniavit, se purpureum dracunculum parere; quod litteris tradidit idem Lampridius *in Alexandro.* Capitulinus *in Albino memorat,* Claudio Albino septem aquilas parvulas, quæ apparere non solebant, è nidis allatas; quasi ad ludum & jocum pueri circa ejus cunas constitisse. Neque hoc augurium pater contempsit, sed jussit aquilas ali, ac diligenter curari. Lucio Tarquinio Prisco, Capitolium petenti, Aquila pileum sustulit, & cum in altum volasset, mox Capiti reposuit.

Ex his autem lubens in hunc numerum in primis Caium Marium recenseo, hominem obscuris natalibus ita gravatum, ut panem suo sudore obsonaret, qui tamen adamantino auguriorum consilio per gradus omnes provectus Tribunatus, Ædilitatis, Præturæ, uxore Julia ex Cæsarum familia, publica confessione populi Romani, tertius Urbis conditor, septimò Consul est salutatus. Hic est ille Marius, qui in Syllana tempestate Româ fugitivus, à nautis apud Circæos ejectus, pene bis perijt, cùm nec ipsum terra, nec ipse mare pati possent. Ibi paulò minus fame enectus, audit à pastoribus jam tum abijsse inde equitum turmam, qui eum ad supplicium postulabant, & digna fide, ipse eos imminentes sibi protinus vidit, doluit, fugit verius, quàm vitavit, onerariæ navi servorum manibus injectus; sed ne quidquam, à tergo premebant equites, qui nautis mandarunt, ut subducerent navem, certe Marium littori, & sibi redderent, Factum. Ejectus autem ut evaderet, puteos, & fossas enavit. In una delituit, virgultis, & cœno oppletus, nec occultus, hostium iræ patuit, à quibus Minturnum ductus Cimbro traditur jugulandus. Quid inter hæc Marius, quid nisi mortem volvere? Ita ego, sed ille septimum Consulatum somniabat, quia nimirum auguriis eum portendi sibi divinavit, cùm olim minorennis, & adhuc agrestis, nidum aquilæ cum septem pullis illabentem veste excepit.

Octaviam Augusto, cùm ruri adhuc parvulus educaretur, aquila de manibus panem rapuit, moxque evolavit, atque ubi paulò post èvolasset, eidem restituit. Cùm adhuc privatus esset Claudius, prima die, qua Consulatum inivit, per forum transeunti aquila dextero ejus humero insedit.

Romanos quoque Pontifices signa quandoque præcesserunt. Gregorium namque Magnum, Pontificatum fugientem, in spelunca ideo delitescentem, Romani quærentes indicio columnæ emicantis super ipsum jugiter è cœlo dependentis invenerunt, indicante, illum magnum columen futurum, ut narrat Joannes Diaconus *in ejus vita.* Traditque Eusebius *lib.* 6. *hist.* Columbum è sublimi devolantem capiti Fabiani insedisse, unde Clerus, populusque Romanus unanimiter, & alacri animo, Spiritus Sancti instinctu commoti, Pontificem autumarunt, & statim in sede Pontificia collocarunt, cùm tamen de illo eligendo antea ne cogitassent quidem. Adrianum etiam secundum pluribus miraculis clarum commemorat Baronius *ad an.* 867. ac Leonem nonum anno 1049. præcedentibus prophetiis per visionem ad thronum Apostolicum ascendisse. D. Bernardus apud Bzovium *libro, cui titulus Romanus Pontifex cap.* 2. miraculis comprobat electionem veram Eugenii Secundi. S. Vincentius Ferrerius Calixtum tertium Franciscus Paulanus Leonem decimum futuros Pontifices prædixerunt. Cum aliquando Gregorius septimus jam puerulus luderet, ad patris pedes, ligna do'antis, ex rejectaneis segmentis, cùm litteras nesciret, casu elementa formavit, ex quibus simul junctis, illud Davidicum oraculum expressit: *Dominabitur à mari usque ad mare,* significans fore amplissimam ejus potestatem. Innocentius quoque tertius per quietem vidit se matrem suam ducere in uxorem, & dum Patres in conclavi de illo eligendo in Pontificem deliberarent, unà ex tribus candidior columba

juxta illius dexteram advolavit, asseditque in humero, non obscurum argumentum, illum Spiritu divino afflatum summo sacerdotio dignum extitisse, præcesserantque alia plura signa illius futuræ majestatis, de quo Malvenda *in annalibus Ordinis Prædicatorum* & Baronius *ad annum* 1198.

Nicolaum quoque tertium futurum Summum Pontificem, mente divinitus mota prædixit S. Franciscus. Pium secundum visa est olim puerpera per quietem infantem mitratum parturire. Paulo quarto vita functo, cum Cardinales de successore consilia agitarent super sedem Joannis Angeli Cardinalis Medici, qui postea Pius quartus appellatus fuit, columba circum libere volitans, tandem consedit, primatum Ecclesiæ illi præsagiens. Pio quarto decedente, cum ad Comitium Pontificium convenissent, Cardinalis Gonzaga, graviter infirmans, noctu expergefactus, creatum Pontificem Cardinalem Alexandrinum, Pium V. vocatum, divinitus præsentit. Paulus quintus Pontifex etiam præsignificatus fuit. Leone namque undecimo præmatura morte erepto, cùm purpurati Patres in medium consilia conferrent, Aquila ex palatio gentis Altempsorum in sublime elata, postquam paululum aerem volitasset, exinde ad castrum molis Adrianæ draconi insculpto, Gregorii decimi tertii Pontificis gentilitio stemmati insedit, & ex se, atque dracone supposito, insigne Camilli Burghesii Cardinalis effecit, clare indicans Pontificem futurum, ut mox accidit. Plura hujusmodi omittimus. Ergo auspicia, & auguria portendunt futura, etiam libera, ut sunt electiones Imperatorum, & Pontificum, nec fuerunt illicita.

His multis ego paucis respondeo. Ex illis, quæ de Imperatoribus afferuntur sunt conficta per assentationem, quæ semper vel auget;vel comminiscitur id, quod in cujus ad voluntatem dicitur, vult esse magnum. Plura casu, & fortuitò facta sunt. Quæ verò summis Pontificibus, produntur, miraculo sunt adscribenda. Nec mirum, quia electio summi Pontificis est de maximis in Ecclesia Dei. Undè, ut annotavit Bzovius *loc. cit.* non Cardinalium consilio, sed manifesto Dei nutu, atque autoritate Summi creantur Pontifices, etsi quandoque non meliores, vel ob peccata populi, vel ob alia Dei inscrutabilia judicia.

De Omine speciatim.

Alio nomine id proponi solet, nimirum de observatione dierum felicium, aut infelicium ad aliquid agendum, vel non agendum, de quo D. Thomas 2. 2. *q.* 96. *ar.* 3. & nos *generatim in Consultatione de vanis observationibus fuse.*

Dies ominosi jure Canonico appellantur dies Ægyptiaci. Quod etiam tradit Augustinus *epist.* 19. *cap.* 7. Ii quolibet mense duos dies infaustos annotabant, teste Petro Breslaio *lib.* 1. *notabil.* 53. Nonnulli diem Magdalenæ, & diem Lunæ, aut alios infaustos reputant ad iter, aut rem aliquam inchoandum.

Sunt, qui dicunt, non debere amplius Pontifices nominari Sexti, ut Paulus Sextus, Pius Sextus, Sixtus Sextus. Quia semper & in Sextis diruta Roma fuit. At hæc etiam vanitas est, & superstitio. Per accidens namque in aliquibus Sextis aliqua bisextilia contigerunt. Aliqui vane attendunt, si sal, si vinum cadit in mensa. Id dicunt felix præsagium, illud infelix. Philippus secundus, Hispaniarum Rex, cognomine Prudens, ut superstitionem de non contrahendo matrimonio Die Martis, quoniam Dies est belli, spernendam demonstraret, matrimonium eo ipso Die contrahere voluit. Refert Plutarchus *in apopht.* quod cum Lucullus in Armenia esset contra Tigranem bellaturus, admonitus fuit quod ille Dies inter infaustos recenseretur, respondit, se ideo strenuè pugnaturum, ut illum diem ab impia acceptione redimeret. Simile tradit Paulus Jovius *in vita Gondisalvi Ferdinandi de Corduba victoriis clarissimi.* Cum enim milites quibusdam diebus bellum aggredi contradicerent, quia infaustos existimabant, eorum animos excitavit, dicens: *Agite, quia non nobis, sed adversariis infaustus est dies.* Et cum ignis pulverem tormentarium aggressus fuisset, milites in malum id omen accipientes, confirmavit, dicens: *Erigite animum, quia hac sunt luminaria sequentis victoria.*

Observare itaque dies, & annos ad actus liberos humanos, ut ad inchoandas lites, ad gratiam Principum captandam, ad contrahenda matrimonia fœlicia, est superstitiosum. Probatur ex D. Paulo *ad Galatas* 4. cujus verba ibi adduximus, quæque sic declarat Ambrosius: *Dies observant qui dicunt crastino proficiscendum non est, post crastinum non debet aliquid inchoari, & sic solent magis decipi.* Hi autem colunt menses, qui cursus Lunæ perscrutantur, dicentes, ut puta septima Luna instrumenta confici non debent, nona Luna servum emptum, ut puta domum duci non oportet, & per hæc facilius solent adversa provenire. Tempora verò observant, cùm dicunt, hodie veris initium est, festivitas est, post cras Vulcania sunt, & talia iterum aiunt, adversum & præposterum est, domo egredi tali die non licet. Annos sic colunt, cùm dicunt, Kalendas Januarii novus est annus, quasi non quotidie impleantur anni, sed ut Jani illius memoriam colant bifrontis, hac superstitione utuntur, quæ longe debet esse à servis Dei. Si enim Deus ex toto corde diligatur, ipso propitio nulla debet esse formido, neque suspicio harum rerum. Prospere enim potest cedere quicquid simpliciter sub Dei devotione fit.

Longus est in damnanda hæc omina D. Augustinus *loc. cit.* ac *alibi* sæpe, cujus verba referuntur *in can. non observetis*, & *can. qui existimaret* 26. *q.* 7. ac Martinus Papa *in can. non licet ead. quæst.* 1. Item Chrysostomus *homil.* 21. *ad populum Antiochenum*, idemque Augustinus *lib.* 2. *de doctrina Christi. cap.* 20. Undè eleganter illud dictum est Catonis, qui cùm esset consultus à quodam, qui sibi à soricibus erosas esse caligas diceret, respondit, non esse illud monstrum, sed vere monstrum habendum fuisse, si sorices à caligis roderentur. His adstipulatur Anselmus apud Delrium.

Probatur, quia toto tempore observatio fundatur in constellatione astrorum, quæ existimant felicius influere aliquibus diebus, vel annis determinatis, quàm aliis. Effectus autem pendentes à libero arbitrio, aut illorum significatio, non subjiciuntur causalitati astrorum, ex D. Thoma

Thoma *d. quæst.* 95. *ar.* 5. Quod exemplo confirmatur Die Martis diversæ sunt Constellationes, aliquando prosperæ, aliquando adversæ. Sic dicimus de alijs. Ergo ab astris non possunt præsagiri prospera, vel adversa pro quolibet die Martis aut pro quolibet Sabbato, etiamsi actus liberi ab Astris dependerent.

Superstitio etiam est observare dies, menses, & annos, aliave tempora respectu fortuitorum; quia nec istorum casualitas, & significatio dependet à corporibus cælestibus, ut docet idem D. Thomas eo 5. art. aliisque locis. Idque confirmatur primò. Quia multoties miscentur actus liberi, ut si incepero ædificare domum tali hora, obruetur: si incepero iter tali die, spoliabor à latronibus. Domus enim arte fit, & in itineris principio consilium initur. Secundò unde provenit effectus ille? Non ab influxu astrorum in illa hora; sic enim omnes in illa hora, sive in domo, sive extra domum interirent. Non à domo, quia sive ab ea egrediaris, sive in illa maneas, poteris ab illa infici. 3. quia sequeretur domos omnes ædificatas eodem temporis puncto eidem subjici influxui, & contrà quæ sunt ædificatæ diversis annis, idem infortunium non paterentur, quod experimento falsum esse docemur.

Probat autem id D. Thomas *loc. cit. art.* 3. quia hujusmodi observationes non attenduntur ut Causæ, neque ut signa à Deo tradita, cùm non sint introducta ex authoritate Divina, sed ex vanitate humana, cooperante Dæmonum malitia, neque observantur ut causæ futurorum eventuum bonorum, vel malorum; ac proindè omnes sunt superstitiosæ, ac illicitæ.

Observare etiam dies, & annos ut ominosos, sive in bonum, sive in malum, non attento syderum influxu, superstitiosum est; nam tempus ut sic non operatur effectum aliquem, cum quanta non sint activa, nec significant futuros eventus; atque adeo vanum, ac superstitiosum est illud attendere.

Observare itidem dies certos, menses, & annos, ut ominosos, etiam prætextu alicujus maligni influxus cælestis, aut propitii, est quoque superstitiosum; nam prima dies Januarii, quæ à Gentilibus putabatur ominosa in malum præcipuè hora nona, non habet singulis annis easdem constellationes, cùm Cœlum motu velocissimo rotetur; Conjunctio enim Solis, & Lunæ, quæ præcipuè consideratur ab Astrologis in variatione Constellationis, uno anno accidit prima die mensis, altero secunda, aut quinta. Pariter aspectus syderum, qui eveniunt uno die, aut anno, non evenit alio. Neque verum est solem singulis annis jungi stellis fixis: nam quolibet anno sol cursum suum prætergreditur per sex horas, ex quibus annus bissextilis conflatur; immò etsi admitteretur solem eodem modo cum stellis fixis concurrere die, verbi gratia prima Januarij, non idcirco eadem esset Constellatio, neque idem effectus, ob varios Solis, ac Lunæ, aliorumque syderum aspectus.

Excusantur tamen à superstitione, non autem à vanitatis vitio, qui prædicta observant, credentes ab influxu syderum in similibus diebus id provenire, propter ignorantiam, nisi esset crassa, vel affectata, ut qui observant Festivitates Purificationis, Sanctorum Vincentii, & Sebastiani, Conversionis S. Pauli, in quibus si Cælum serenum sit, sibi serenitatem, & annonæ copiam, aut pluviam promittunt, de quo *alibi.*

Cæterum O nen est augurii species, quæ ex homine, & ejus operatione regulariter attenditur, præsertim ex vocibus fortuitò, ac præter intentionem prolatis, ut tradit Cicero *lib.* 1. *divin.* Huic vanitati Romani plurimùm dediti fuerunt, teste Valerio Maximo, *lib.* 1. *cap.* 5. Græci, & Ægyptii, ut referunt Pausanias *in Arcad.* & Theophrastus *in charact.* Syri quoque, ut habetur 3. *Reg.* 20. & Syri pro omine acceperunt. Etsi D. Augustinus *lib.* 1. *retract.* affirmet nunquam sacram Scripturam tali vocabulo usam.

Ominis exempla plura referuntur à Plutarcho, & Valerio Maximo. Lucius Paulus Consul jam jam properans ad bellum contra Persas, invenit lachrymabundam filiolam, causamque interroganti respondit filia: Persa mortuus est (quod erat canis Melybei nomen, quem filia habebat in deliciis) Undè Consul eruit omen se victurum Persas. Quod & contigit.

Aliquandò etiam à nominis significatione accipiebatur, ut de Cn. Pompeio scribit Val. Maximus *loc. cit.* Gubernatorem enim interrogavit, quod ei nomen esset, qui respondit Cacabasilea vocari, quæ vox spem ejus quantulamcunque restabat, comminuit. Nomina enim non casu, sed significativè sæpe imponebantur. Sic Abigail dixit Davidi 1. *Reg.* 15. de marito suo Nabal Carmelo juxta nomen suum stultus est. Et Esau de fratre Jacob *Genes.* 27. justè vocatum est nomen ejus Jacob supplantavit me in altera vice. Unde Gentiles apud Hebræos Scripturam sacram legentes crediderunt nominibus aliquid divinitatis inesse, ut ibidem tradit Cicero; vel nomina propter omina imposita fuisse juxta illud Ovidii.

Nominibus semper omen adesse solet.

Non autem solùm in verbis hæc superstitio attendebatur, sed etiam in Scripturis subitò apertis, vel loco suspensis. Quo pacto cum Diogenes lapidem invenisset ad domum cujusdam improbi suspensum cum hac inscriptione: Insignis victoria Herculis hic habitat, nil mali ingrediatur. Quomodò ingredietur, ait Dominus ædium? referente Theodoreto *lib. de Dei provid.* Simanch. *de cath. instit. tit.* 63. *n.* 26.

Interdum etiam omen venabantur ex factis subitò enatis, ut à cibo primùm arrepto, Ælian. *lib.* 2. *de var. hist.* à gleba oblata, ut scribit Plutarchus à maculis unguium apud Cardanum *lib.* 8. *de rer. variet.* 8. *cap.* 43. à barba mulieri nata ex Herodoto *lib.* 8., vel adolescenti ante ætatem, ut per Dubravium *lib.* 39.

Ex brutis etiam nonnunquam. Nam apum examen Bruto infaustum extitit, Plutarchus *in Bruto*, Druso autem faustum fuit omen, ut prodit Plinius *lib.* 11., Muscæ dapibus insidentes Trajani mortem indicarunt, ut commemorat Caspinianus *in Trajano*, narratque Cicero *lib.* 3. *de nat. Deor.* formicas Midæ divitias significasse, Cimoni autem obitum, ut recenset Plutarchus *in Cimone.*

Quinimmò Cardanus *lib.* 5. *de variet.* annotavit apud inanimata etiam omen attendi, ut scopæ in palatio florentes vilium hominum exaltationem, quemadmodum apud Plinium *lib.*

lib. 16. *cap.* 32. arbores sponte renascentes meliora omnia insinuant, & frumenta in arboribus nata magnam victoriam *lib.* 18. *cap.* 110. laurus autem nascens felicitatem *lib.* 15 *cap. ult.* exsiccata, mortem, ex Suetonio *in Nerone*, Petro Blesensi *epist* 56., & Joanne Salisber. *lib.* 1. *de nug. Curial. cap. ult.*

Ex quibus patet quod ex diversis eventibus omina distinguebantur. Unde innumeræ observationes exortæ, ut si quis domo egrediens virginem obviam habuerit sterilis dies; si meretrix, abundans, ut narrat Chrysostomus *homil.* 21. *ad popul. Antioch.* Si salinum eversum in mensa, si vinum effusum, si canis ululavit, si corvus tecto insidens crocitavit, & alia hujusmodi ominosa apud Authores Mallei *part.* 2. *quæst.* 2. *cap.* 7.

Venantur quoque à ciliis oculorum, si saliant ex Cælio Rhodigino *lib.* 7. *antiqu. lect. cap.* 29. sicut auris sonitus ex alterius recordatione existimant accidere, ut de Lesbia Catulli. Aures namque memoriæ dedicabantur. Sternutatio etiam ominosa fuit, indicans aliquid infaustum ei, qui sternutat, ut tradit Herodotus *lib.* 6. Plutarchus *in Themistio.* Unde illud redire ad lectum, si quis dum se calceat sternutaverit, quod habetur *in can. illud* 26. *q.* 2. & Apulejus *in Asino lib.* 2. ac Plinio *lib* 210. *cap.* 2. putant bona verba proferri ab astantibus, ut averruncarent infaustum omen fausta precatione, additque Aristoteles *in problem. cap.* 11. *sect.* 3. quod matutina sternutatio prorsus est infausta, secus meridiana. Romani omen infaustum similiter capiebant ex pedis offensione, quia viderunt adversa evenire Tiberio Graccho, & filio Crœsi, quorum primus ea die, qua interfectus fuit, è domo exiens, pedem graviter offendit; alter cùm bellum sibi infaustum cum Parthis iniret, pedem offendens, in terram cecidit. De quibus Plutarchus *in Graccho & in Crœso*, & Valer. Max. *lib.* 1. *cap.* 4.

De omine autem divino, præter exempla, quæ extant in sacris Bibliis, plura alia suppeditant historiæ Ecclesiasticæ. Augustinus *lib.* 8. *Confess. cap. ult.* omen divinum judicat, quod accidit D. Antonio dum adhuc esset sæcularis; ingrediens namque Ecclesiam, dum audiret Diaconum canentem illud Evangelii. *Vende omnia, quæ habes, & sequere me*, pro omine divino verba illa accepit, & opibus suis in usus pauperum erogatis, valedicens sæculo in eremum perrexit, ubi vitam sanctam transigens, fuit Pater Monachorum Orientis. Aliud exemplum affert Sigonius. Clodoveus Francorum Rex contra Alaricum VVisigothorum Regem Arrianum movens bellum, cum per agrum Turonensium iter faceret, missos aliquot suorum ad S. Martini templum, attendere jussit, num aliquod victoriæ auspicium cernerent, ac datis muneribus, quæ offerrent, dixit: Si tibi Domine, cordi est, ut ego hanc gentem impiam, & nomini tuo inimicam ulciscar, fac ut signum aliquod tuæ eluceat voluntatis. Puto à Deo motum hac effudisse orationem. Nuncii verò, qui missi erant, Basilicam intrantes, Primicerium incipientem hanc Antiphonam audierunt: *Præcinxisti me, Domine, virtute ad bellum, & supplantasti insurgentes in me, subtus me, & inimicos meos dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti.* psal. 17. Idque, persolutis donis, Regi nuntiarunt, qui gaudio perfusus, magnam de victoria concepit spem instinctu divino, ut reor. Quod circumstantiæ enarrandæ declarant. Cum enim Clodoveus, motis castris ad Viganam amnem pervenisset, ac flumini magno tunc effuso imbre tumescenti exercitum obiicere pertimesceret, per noctem supplex Deum oravit, ut vadum sibi ad trajiciendum illud ostenderet, ac postridiè mane cervam transeuntem sequutus exercitum transportavit. Castris indè ad Pictavorum oppidum positis, facem igneam sibi videre visus est ad se è Basilica S. Hilarii venientem, ex qua intellexit se lumine S. Hilarii hæreticorum acies, quas ille verbo dejecerat, dissipaturum armis. Inde in Campo Vocludensi decem ab Urbe millibus passuum utrinque instructæ strenue concurrerunt. Et post dubiam aliquot horarum pugnam, tandem Gothis in fugam conversis, Franci superiores fuerunt, occiso Rege Alarico, & ejus præcipuis Urbibus in ditionem Gallorum transiatis.

Omnis igitur divinatio per omina, divinis exceptis, est omnium vanissima, quia verba humana, quæ pro omine accipiuntur, non possunt esse causa futurorum eventuum, neque habere possunt causam communem cum futuris eventibus, nempe astrorum influxum; quoniam non subiiciuntur astrorum dispositionibus, ac proinde non potest esse significatio naturalis. Quare superstitiosa sunt omnia omina, non solum ex vocibus captata, sed etiam ex rebus, eaque reprobat Augustinus relatus *in d. Can. illud*, Julius Syren. *de fato cap.* 22. Medina *lib.* 1. *de recta in Deum fide cap.* 2. Conradus VVimpina *lib.* 1. *divinat. cap.* 14. Franciscus Picus *lib.* 6. *prænot. cap.* 5. Pererius *in Genes. cap.* 24. *disp.* 6. Azor *p. p. lib.* 9. *cap.* 22. Sanchez *in Decal. lib.* 2. *cap.* 38. non enim licet omnia observare absque revelatione, quæ non solum Christiani, sed etiam ethnici reprobarunt, ut Tullius *lib. p. de Divinat.*

Quare ominum significatio non est nisi à Deo, vel a Dæmone, Dæmoni autem non est tutum credere, quamvis ex jam dictis, cessante omni omninò Dæmonis invocatione, Dæmoni sponte loquenti, vel omen causanti, credere, quantum spectatis omnibus illi verè credi potest, non sit per se illicitum, ac de fide suspectum. Quod sanè verum est, etiamsi sit aliqua levitas in credendo, dum nihil credatur quod regulis Fidei adversetur. Quando igitur certum, aut probabile est, omen esse à Deo, licita est ex eo divinatio, quæ tamen non debet assumi ut certior, quàm sit certitudo de Dei omine, ac ejus revelatione. Sed nisi ignorantia probabilis excuset, potest esse aliquale peccatum judicii temerarii in judicando quod sit omen divinum. At etiamsi ignorantia sit crassa, excusat à superstitione, & pacto implicito cum Dæmone, si quis putans omen esse divinum illi credit, nunquam crediturus, si divinum non esset.

Non licet verò, seclusa divina revelatione, vel afflatu, etiam in materia utili, ac necessaria, petere à Deo absolutè omina ad aliquid agendum; nam id aliquo modo ad tentandum Deum pertinet, si cognitionem, quam pluribus mediis à Deo obtinere possumus, ad omina allegamus. Sub conditione tamen; si Deo placet, hæc omnium dispositio, si homo sit paratus illis non credere, nisi sibi satis constet illa à Deo provenier

venire potest à Deo omina petere sine peccato. Et tamen in his ex sola, & facili credulitate non debet aliquis moveri ad operandum, ut monent D. Thomas *ibid. ar.* 3. *ad* 3. ibique Cajet. ac Valentia *d. p.* 3. & Sanchez *d. cap.* 38. *n.* 43. Sousa *lib.* 1. *aphor. cap.* 49. *n.* 11.

Neque obstat quod Gedeon in numero sanctorum recensetur *ad Hebr.* 11., & tamen usus fuit omine, dum audivit recitationem, ac interpretationem cujusdam somnii, ut habetur *Judic.* 7. Idemque legitur de Eleezer servo Abrahæ *Genes.* 24. Videtur igitur quod hæc divinatio non est illicita: nam Gedeon usus fuit omine, quia in illo relucebat divina Providentia, quæ illum sic instruebat. Sic & Eliezer attendit verba puellæ, oratione ad Deum præmissa, ut per D. Thomam *ar.* 7. *d. q.* 95. *ad* 3. post D. Augustinum *lib.* 1. *quæst. in Genes. q.* 63. dicentem aliud esse mirum aliquid petere, quod ipsum miraculi signum sit, aliud hæc observare, quæ ita fiunt, ut mira non sint, sed à conjectoribus superstitiosa vanitate interpretationem accipiant. Primum non pertinet ad augurium, ut factum Eleezer. Secundum maximè. De Eliezer autem subdit posse magis dubitari an reprehendi debeat, quia tentare Deum potius, quam augurari videtur. Concludit tamen ne Deum quidem tentasse, sed consultasse instinctu divino; idcircò Deus petitionem ejus exaudivit, & universa complevit, sicut servus postulaverat, ut observat Chrysostomus *homil.* 40. *in Genes.* qui subdit potuisse Eliezer accipere signum illud, ut conjecturam probabilem pudicitiæ, ac probitatis illius virginis. Utrumque confirmavit Abulensis ad dictum *cap.* 24. *Genes.* Nam Eliezer à Deo inspiratus hoc signum dari sibi petiit, in quo magna bonitas ostenderetur, ad quam nulla virgo inclinaret, nisi eam Deus specialiter inclinasset. Idemque dicendum de omine observato à Jonatha 1. *Reg.* 4. juxta declarationem Abulensis eo in loco *quæst.* 4. quem sequitur Suarez, Sylvius, ac de la Torre.

Minus obstat quod Judith, cum ad Castra Holophernis progrederetur suis dixerit: *Judith* 8. Vos autem nolo ut scrutemini actum meum, quasi interrogatio aliquid ominis præ se tulisset. Nam licet Cornelius Agrippa nequiter ac perperam mentem illius interpretatus fuerit de ominosa observatione, ipsa tamen tantum vetuit socios allocutionibus attendere, ne iter retardetur; sicut & Dominus suos Discipulos admonuit apud Lucam *cap.* 10. inquiens: *Neminem per viam salutaveritis* & Eliseus Gieri 4. *Reg.* 4. *si occurrerit tibi homo, non salutes eum.*

Ad illud verò, quod habetur 1. *Reg.* 6. Sacerdotes & divinos Philistinorum dedisse signum pro Arca Domini, dicentes: si per viam finium suorum contra Bethsames ascenderint, ipse fecit nobis hoc malum grande, sin autem minime, sciemus quia nequaquam. Isti autem à nullo Propheta sunt reprehensi.

Respondet Abulensis, & post eum Torreblanca *cap.* 26. *lib.* 1. *epit. n.* 44. Sacerdotes illos potuisse absque superstitione signum ab illo expectare, quia Deum verum non agnoscebant. At ego melius respondeo cum Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 12. *cap.* 11. illos peccasse, & sequutos augurandi consuetudinem antiquam. Quamvis enim verum Deum non colerent, illum tamen cognoscebant. Ideo sicut peccabant superstitiose idololatrando, ita & superstitiosè divinando, cum qualibet divinatio sit secundum se mala.

De Physionomia, ejusque partibus ac signis.

Magnæ quidem humanæ mentis sunt latebræ, magni recessus, in quibus illa delitescens, quasi velis quibusdam, & umbraculis obtegitur, vix specularibus lamiæ oculis, & stellato multis luminibus Argo cognoscenda. Infami nequitiæ velum sæpè devotæ sanctitatis prætenditur. Virtutem frequenter oculi mentiuntur. *Et Curios simulant, & Bacchanalia vivunt.* Ut argentum puro candicans nitore, lineas tamen, sicut stamnum, ducit nigras; ita alia multorum est species, alia indoles, turpi simulationum illita pigmento.

Neque tamen diuturno fallit mendacio improbitas; deterso fuco, obscænam fæditatem in conspectu ponens, ut cerussata meretricum facies, deflorescente pigmento, pudendas fædi oris mariscas ostendit. Atque ut se obtegere suis velit involucris, secretus à luce communi animus, certæ tamen plerumque notæ atque indicia offeruntur, quæ in magna latentem obscuritate aperiunt, erutumque ex latebris evolvunt, & ante omnium oculos ponunt.

Sunt enim multa in verbis, in actionibus, in sexu, atque ætate, in Patriæ, sanguinisque natalis spiritu, in adgenitis, ascitisque, in fortunæ, industriæque bonis vestigia, quæ secretam morum indolem patefaciunt, atque evulgant. Quæ quidem tam in cultu sunt manifesta, ut illum animi januam Tullius dicat *de petit. Consul.* quæ abditam, & retrusam pandat voluntatem. Ut enim in fidibus nervi ita sonant, ut à digitis sunt pulsi, ita sequitur plerumque animi motum vultus, non alio facilè visendus habitu, quàm qui ab illo sit impressus. Quo indicio Cainum Deus *Genes.* 46. de concepta in Fratrem indignatione, arguit, concidente vultu ægritudinem invidiæ profitentem.

Est autem Physionomia facultas speculativa, quæ ex signis fixis, in corpore apparentibus, aut similibus notis, passiones naturales, propensionesque hominum conjectat, sive hominum mores, naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscit. Verè datur ejus peritia. Probatur ex sacra Scriptura Isaiæ 30. *Agnitio vultus eorum respondet eis homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & omni tempore jurgia seminat.* Prov. 6. *In facie prudentis lucet sapientia, oculi stultorum in finibus terræ. Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.* Et Proverb. 19. *Qui attonitis oculis cogitat prava, mordens labia sua perficiet malum, sapientia hominis lucet in vultu ejus.* Ecclesiastic. 13. *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus, amictus corporis, & dentium risus, & incessus hominis enunciant de illo.* Alios Scripturæ locos omitto.

Eamque confirmant Hippocrates, Aristoteles relati à Niquetio, Galenus, Trimegistus, Zopirus, Trogus, Albertus, Joannes Baptista à Porta, Conradus, VVimpina, Joannes Ingegnerus, Jacobus Fontanus, Camillus Baldus, qui duo

postremi

postremi physionomiam Aristotelis doctis commentariis illustrarunt; nec quisquam est inter Scriptores Medicos, qui sæpius physionomicas prænotiones suis non inserat monumentis. Melesii præstantissimi Philosophi liber de natura structuraque hominis ex parte physionomicus est, sicut & doctissima disquisitio de pilis Joannis Tardini Medici Turonensis, Petri Motii liber de multiplici temperamento, & cognoscendis hominibus valdè laudatur à Michaele Medina *libro* 2. parænesis Christianæ *cap.* 2. Hisque adstipulatur Nequetius, Torreblanca, Moura, Dela Torre, Nazarius, Picus, Pereirus, Brancifort, Carena, Directorium, Pegna, aliique multi.

Tantique illam faciebant Gymnosophistæ, teste Aulo Gellio *lib.* 1. *cap.* 9. ut eum dumtaxat ad summum Regni fastigium extollerent, qui eximia corporis dignitate cæteris antecelleret, utpote quem excellentium virtutum dotibus ornatum arbitrarentur. Æthyopes Regni successionem sororum filiis relinquunt; si nullus sit, pulcherrimum, & pugnacissimum ex omnibus creant Regem, ex corporis habitu rectum animi statum vaticinantes. Aurea sunt in hanc rem Q. Curtii verba lib. 6. *Pluribus Gentibus*, ait, *in corporis majestate venerationem esse, magnorumque operum non alios capaces existimari, quam quos eximiâ specie natura dignata est donare.* Latinus Pacatus in *panegyrico*, quo Theodosium laudat: *Virtus tua*, inquit *meruit Imperium*, *sed virtuti addidit forma suffragium. Illa præstitit, ut oporteret te Principem fieri, hæc ut deceret.*

Excelluerunt in hac divinandi sagacitate Pythagoras, & Socrates, quorum ille neminem in disciplinam admisit, nisi ante diligenter ex toto corporis habitu naturam ejus, & ingenium explorasset. Plut. *in Alcib.* Iste Alcibiadem ad summum honoris gradum consurrecturum, sumpto ex vultu, atque aliundè documento, prænunciavit. Laert. *lib.* 7. *cap.* 1. Quæ corporis lineamenta Zeno Cinæus in adolescente aliquo intuitus *Animi tui vestigia*, inquit, *satis mihi explorata sunt*; lasciviam oculorum proditam indiciis significans. Et in alio Diogenes cùm suum ferre de moribus judicium rogaretur. *Arcas est*, respondit, stupidum hominis ingenium perstringens Manut. *apopht. lib.* 8. In Strephiade, non adeò mirum est, quod Filii ex se geniti, impudentiam ex vultus habitu cognosceret, quem è schola redeuntem *Atticon blepos* præ se ferre dicebat. Aristoph. *in nubib.*

Quod teneræ quoque juventutis præceptoribus non usque adeò arduum, atque proclive est, quàm dum illam bonis disciplinis formant, & sollicita cura ad dicendi, agendique decentiam instruunt, ipsa virtutum, & vitiorum elementa, atque incunabula, certo indolis experimento præcognoscunt, solique pene rectum de procursu ætatis judicium ferunt. Quam dum in Themistocle indolem præceptor illius prospiceret. *Tu*, inquit, *Fili, nihil modiocre eris, sed omnino vel magnum Patriæ lumen, vel magna pestis.* Plutarch. *in Themist.* & Theodorus Gadareus Tiberii Cesaris in eloquentia præceptor ingenii stuporem & sævitiam in adolescente animadvertens *lutum sanguine maceratum* inter objurgandum appellavit. Sueton. *in Tiberio*, ut malignos ejus mores, & ingenii tarditatem notavit. Quam cum in discipulo quodam suo opulento delicateque vestito, Zeno explorasset, primo illum sordido scholæ suæ loco sedere jussit, ut togam inquinaret, deinde mendicis apposuit, ut illorum fædatus sordibus, frequentandi præceptoris nauseam colligeret. Laert. *lib* 2.

Sed neque Tymo quidem ille misanthropos in conjicienda morum indole falsus fuit. Hostile homo in homines omnes conceperat odium; nulli in occursu blandus, nulli alloquio familiaris. Solum in Alcibiadem puerum gratia propendebat, quem unum in publico comiter excipere, caput demulcere, osculari, amplecti in oculis ferre. Rogatus aliquandò unde illa comitas in solum Alcibiadem, aliis inhumano odio rejectis? *Quia video*, inquit, *fore, ut hic adultus sit Patriæ exitio futurus.* Plutarch. *in Alcib.* Non decepit sua Syllam de Cæsare conjectura, pro quo cùm Cotta deprecaretur, ne insónti puero manus afferrentur. *Nihil quidem vos mentis habetis*, Sylla inquit, *si non illi puero multos videtis Marios inesse*: Sueton. Ut Cæsaris indolem Sylla, ita Syllæ ex animi corporisque habitu ille in Parthorum comitatu Chalcedonensis investigavit. Intuitus namque diù multumque Syllam *equidem, dicebat, summus hic aliquando in Republica sua vir erit*, *mirorque quod id ætatis nondum principem teneat locum.* Qua ingenii perspicacitate Cæsar ex tacitis naturæ indiciis suo; percussores designavit. Cum enim delatum ad ipsum esset, Antonium, & Dolabellam res contra ipsum novas moliri, negavit crassos, & comatos sibi metuendos, sed pallidos, & macilentos, Cassium, & Brutum disignans. Plutarch. *in Cæsare.*

Quid tam esset obscurum, & cæcum quod Cato divinæ mentis acie penetrare, & in lucem proferre non posset? Quam in P. Scipionem juvenem intendens, illud de Tiresia Homeri usurpavit. *Odyss.* 3. apud Plutarch. *in Caton.* Talem senex Scipio adolescente Mario abditæ indolis secutus vestigia, combiberat opinionem: Interrogatus aliquando in convivio Scipio: Quem post ipsum Roma magni nominis, ac virtutis Principem habitura? Marii, qui ipsi proximè stabat, humero leviter percusso. *Hunc fortasse*, inquit Plutarch. *in Mario.*

Ut Cato, & Scipio conspicuam heroïcæ virtutis, ita Theodosius Patriarcha malignitatis indolem in Andronico Imperatore præsagivit, cujus observato accuratiùs habitu, aspectu torvo, incessu superbo, statura gigantea, arrectis superciliis, severitate, & tristitia indesinente, perspectis animi moribus, Davidicum illud adjecit, *ut audivimus, ita quoque videmus* Nicetas. Non minus vera conjectura Juliani impietatem Gregorius Nazianzenus assecutus est, cùm intuitus humeros, cervicemque mobilem, oculos vagos, pedes nutantes, nasum contumeliosum, risum immoderatum, nutus, renutusque crebros, sermonem incompositum. *Deus bone*, inquit, *quantum malum fovet Romanum Imperium*! Nicephor. *lib.* 10. *cap.* 37.

Et Mahometis Isidorus Hispalensis Episcopus, qui illo in Hispania, antequam execrabilem in Asia Religionem plantasset, viso corporisque constitutione curiosiùs examinata, *pestem*, *ac perniciem Reipublicæ*, *& Ecclesiæ fore dixit.* Democritus verò Milesius non morum tantum, atque animi indolem ex illius in vultu imagine collegit, sed decerptum recenti virginitatis florem perspexit; cùm enim venientem ad se puellam virginem salutasset. Eamdem postridie

postridie reversam Mulierem appellavit. Et fortè illa nocte virum passa stupro corpus contaminaverat. Suidas. At Narcissi liberti physiognomon, cùm Britannicum Claudii Filium, & Titum in sordidis ruri ædibus natum, speculatus esset, non Britannicum, sed Titum ad Imperii consurrecturum apicem prænunciavit. Sultanus quoque Ægyptius Hierosolymitanos peregrinos intuitus, in magno hominum cœtu, Fridericum Sapientem Saxoniæ Ducem porrecta manu salutavit, ex honorato corporis habitu eminentissimi generis dignitatem coniectans.

Concinit his Ambrosius *in Hexamer. cap. 4.* inquiens *Imago quædam animi loquitur, in vultu,* ac Tertullianus *lib. de patientia cap. 13. Anima intima sua foris emittit inditia per gestus, & actiones corporis,* & *lib. de cultu fœminarum cap. item 3. Tanta,* inquit, *debet esse Christianæ pudicitiæ plenitudo, ut emanet ab animo in habitum, & eructet à conscientia in superficiem, ut & foris inspiciat, quasi suppellectilem suam* Origenes quoque *lib. primo* contra Celsum innixus testimoniis Hippocratis, Pithagoræ, aliorumque veterum, decernit, omnes animas habere corpora sibi congrua & accommodata. Quod & Cajetanus, ac D. Thomas sæpius tradunt, vetere sque Philosophi, referente Cælio *lib. 3. cap. 26.* physicas membrorum formas secundas stellas vocabant. C. Crispus Sallustius ex physiognomia mores Catilinæ describit. *Animus*, ait *audax, subdolus, varius cujuslibet rei simulator, alieni appetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus, satis loquentiæ, parum sapientiæ. Vastus animus immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat. Et mox igitur color ei exanguis, fædi oculi, citus modò, modò tardus incessus, prorsus in facie, vultuque vecordia inerat.* Deque eodem mortuo inquit, *ferociam animi, quam habuerat vivus, in vultu retinebat.*

Ita fæliciter sæpe sapientes latentem animi indolem ex vestigiis à natura depressis persecuti indagarunt, reconditosque sub corporis integumento mores in lucem protraxerunt. Neque tamen illa naturæ inditia ita semper exacte animi moribus respondent, ut habere se aliter non possint, quàm membrorum notæ præ se ferunt. Vicit sæpè, correxitque naturæ pravitatem educatio, & insitos ab ortu primo nævos præceptorum disciplina eluit, atque obliteravit. Divinæ adspirationis aura tum adgenitam sanguinis paterni maculam abolevit, tum contractum consuetudine vitium, non rarò expunxit. Hominum industria & internam fæditatem singulari aliquandò moderatione suppressit & impressa foris lineamenta extrivit, atque occultavit. sæpe aliquod investigandæ naturæ signum proponitur, cui alia plura refragantur, quæ contrarium declarant.

Igitur oblatis ad conspectum habitus externi notis cohibenda est præcipitatæ temeritatis assertio, neque ex dubio, fallacique signo prætorium statim de natura, moribusque hominis cum maledica vitiosi corporis insectatione judicium ferendum. Maximè in tam variis simulationum artibus, quibus nequam homines, quando res poscit, naturam pristinam exuunt, assumptamque novam tanta fingunt calliditate, ut adnata, non adscita videatur. Quàm enim sunt infinitæ assimilatæ virtutis species, quàm insolens ostentatio, non sermone tantùm, sed vultu etiam, incessuque ad morum honestatem composito! Quanta in multorum oculis habitat modestia, quanta est in fronte contractio, in superciliis gravitas, animo turpissimis vitiorum sordibus contaminato! Quàm sæpe aliquem familiaris vitæ usu tibi adstrictum reperias, qui simulatæ probitatis integumento nequitiam involvit, quam ubi fallendi tulit occasio, expromit, & improvisum ex insidiis ictum infert? Crede mihi, non omnis ille bonus, sapiensque est, qui vultu virtutem refert, & barba, pallioque sapientiam ostentat. Multi thyrsos quatiunt, feriuntque, immanibus à mentis possessione poculis deturbati; at pauci in Bacchi sortem sunt admissi. Multi cytharam ad manus sumunt, qui contrectandarum fidium artem non didicerunt. Cave tibi à Cocodrilli lachrymis; dum hominem fingit, certam tibi perniciem machinatur. Obtura aures ad dulces Syrenarum cantus; dum jucundos ore modos edunt, venenum latenter infundunt. Declina hominem, qui facto, simulatoque vultu amicitiam pollicetur, dum panem una manu ostentat, altera lapidem invergit.

Et quidem multis simulationum involucris tegere, & quasi velis obtendere homines sciunt, adgenitæ pravitatis indolem. Lingua aliud sæpe loquitur, aliud tacito clausum pectore reconditur. Sub humana effigie ferarum sæpe animi; sub angelicæ pietatis larva diabolicæ malitiæ fæditas delitescit. Non si lynceæ perspicacitatis acie sis instructus, fallacem insidiantis Mercurii fistulam, & tot humanæ improbitatis imposturas evitare possis. *Fronti nulla fides.* Qui de Virtute loquuti clunem agitant. Tingitur assimulata virtute vultus, componitur ad gravitatem incessus, contrahuntur supercilia, corrugatur facies, edulcantur mira suavitate verba, nihil est in toto corporis habitu, quod non singularem modestiam, sanctitatem, castimoniam præseferat. Intùs latet venenum: Intùs inclusa est improbitas, quæ evoluto ex integumentis dissimulationum animo in apertum exit. Hoc de his dici conveniat, quod de Antipatro Alexander, quem foris albo uti pallio dicebat, cùm intùs sanguinem, purpuramque referret.

Heu! Quoties aliquis rugis, ac supercilio virtutem æstimans, est deceptus, abditamque veneni vim damno prius suo quàm oculis deprehendit? Quoties aliquis sub sordido pallio latentem sapientiam contempsit, amplissimique honoris splendorem obscuro deformitatis prætentum velo despexit, & infra tantæ fortunæ sortem æstimavit? Zopyrum illa corporis externa facies decepit, qui professus mores, naturasque hominum ex vultu se cognoscere, Socrati stupiditatis crimen intulit, quod jugula concava non haberet, partibus illis obstructis, atque obturatis. Neque impune id fuisset accusatori, Alcibiade oblatam immerito præceptori criminationem indignè ferente, nisi Socrates errata naturæ se se emendasse, studioque, ac disciplina adgenitam fortassis pravitatem edomuisse, ac compressisse dixisset, ne ullum illorum vestigium amplius extaret. Ut Zopyrus ex corporis vitio stupiditatem, ita Sisygambis Darii mater ex decora membrorum conformatione, staturæque dignitate, regii honoris eminentiam, indicio, judicioque errante collegit Ephestionem pro Alexandro Rege venerata. *Curtius.* Quam honorati corporis speciem, dignitatemque venerabilem, si Philopæmenes Achæorum Prætor, & Ferdinandus Catholicus Hispaniæ Rex, naturæ beneficio obtinuissent, non ille pro vili habitus lixa ad Fori instruendi operam vocatus fuisset, iste regios famulos orasset, ut se Regem esse piscatori munus offerenti persuaderent.

Philopæmenes

Philopæmenes Megarii in hospitalem divertens domum, tenui veste, & corpore, ut erat, deformi, cùm à matre familias servorum unus crederetur, qui à Duce præmissus esset, jussus est ab ipsa ligna scindere. Quod cum ille sedulò faceret, supervenit interim hospes, qui tum fortè ex Foro redibat. Is Philopæmenem operantem intuitus, indignitate rei commotus. *Quid hoc est*, inquit, *Philopæmenes?* Cui ille, *Expendo*, inquit, *pœnas deformitatis meæ*. Plutarchus. Ferdinandus verò Catholicus virtutis quàm corporis dignitate insignior, cum Neapolim suscepta profectione Puteolos cum regia triteme primus appulisset, Piscator eximiæ magnitudinis piscem ferens, ut Regi illum donaret, ubi Rex esset quærebat. Cùm se Regem esse Ferdinandus responderet, indignabundus piscator quòd ludificari se putaret, neque sub tam despecti corporis integumento Regium tantæ Dignitatis splendorem condi crederet, domo se confestim proripuit, sub alio corporis habitu Regem quæsiturus. Cùm ad Ministros conversus Rex *Equidem* inquit, *nisi me Regem esse homini persuadeatis, delicatissimo hodie pisce fraudabimur*. Petrus Mess. *lib.* 4. *c.* 3.

Age verò an sub speciosa tantùm pulchritudinis prætexta virtus delitescit? An deformi in corpore deformis semper animus stabulatur? At reclamat exemplorum locuples experientia, quæ præstantem virtutis solertiæque indolem sub vili corporis integumento sæpe desedisse convincit. Quàm deformem natura Socratem pepererit, Critoboli adolescentis testantur dicteria apud Athen. *lib.* 5. simis naribus, recalva fronte, repandis cruribus. At quanta sub illa deformitate virtus, & doctrina recondita fuerit ipsius Apollinis affirmat oraculum, quo omnium hominum sapientissimus judicabatur. Cælius *lib.* 15. *cap.* 26. Quam fuerit turpi corporis specie Æsopus, vulgi de illo judicium docet, quo truncum magis quàm hominem referre videbatur, corpore gibboso, capite acuto, naribus pressis, labris prominentibus, valgus & incurvus, Æthyopi similis, cute Solis æstu incocta; at quanto ingenio illam corporis deformitatem natura pensaverit, clarissima fabularum ad posteros transmissa monumenta significant. Hipponactii poetæ in vultu fœditatem pictorum petulantia exhibita palàm illius imagine, ridentium ludibriis exposuit. At poetæ ingenium adversarios suos satyricæ mordacitatis aculeo ad suspendium spontaneum adegit. Plin. *lib.* 36. *cap.* 5. Horatius Cocles ob supercilia inter se commissa, & notabilem vultus turpitudinem, Cyclopis cognomentum accepit. At illius fortitudo, represso Hetruscorum impetu, rem Romanam ab exitio vendicavit. Valer. Max. *lib.* 3. *cap.* 2. Agesilaus Laconum Rex, & statura pusillus, & specie corporis despectus fuit; at tanta in depresso corpore virtus fuit, ut meritò erubuerint Ephori quod Archidamo patri illius, ducta humili statura conjuge multam dixerint. Regulus enim ille ex hoc natus conjugio, nulli Regum animi rerumque gestarum magnitudine cessit. Fuit Attila Hunnorum Rex statura brevi, pectore patente, capite grandi, oculis minutis, barba rara, naso simo, colore lurido, oculorum acie vaga, & volubili; at non impedivit illum corporis despecti parvitas, quò minus terrorem, ac formidinem Orbi universo incuteret.

Non Tamerlanem inhibuit claudicatio, quò minus Asiam, atque Europam signis victricibus peragrarit. Non Androdidam Laconem debilitas cruris à militia revocavit, plus de prælio, quam de fuga cogitantem. Non Homero, Diodoro Stoico, Antipatro, Cyrnæo, Hermippo poëtæ, Horatio Flacco, aliisque oculorum obstitit vitiositas, ut animi aciem præstantissimarum rerum studiis intenderent. Non ut Demonides pedibus fuit distortis, Theophrastus simis naribus, Galba gibbo deformis, Zeusippus vultu oculorum fædo, Aretus fronte pansa, Zeno contracta, Epicurus ore distento, Diogenes barba comante, Socrates rara, Aristoteles lingua balbutiente, Heraclitus oculis fletu clausis, Democritus labris risu apertis, Chrysippus digitis propter numerorum indicia contractis, Euripides propter mensurarum spatia laxatis, Cleanthes propter utrumque corrosis; Ita non ingenii, atque eruditionis laude æternæ nomen posteritati consecrarunt.

Quid si formosorum hominum cœtus frequentes? Quas illic vitiorum turpitudines deprehendes? Quas flagitiorum fœditates, quæ malarum Artium studia splendido venustatis obtecta velo cognosces? Tolle illam muliebris formæ excellentem in multis pulchritudinem, remove superba speciosæ dignitatis aulæa, sub stragula virtutis veste, animum impurum, flagitiosum, impium, sub pretioso elegantiæ velo spurcam recondi fœditatem animadvertes. Quem ex venustate, decentiaque corporis Nereum esse putes, in illo Thersitem sæpe reperias. Delectavit Abrahamum patrem ejus Ismael corporis venustas & singularis in vultu decentia; at mores suos efferatos, & degenerem impietatis indolem improbavit. *Genes.* 21. Affecit Davidem tua, Absalome, pulchritudo, nulla à pedum vestigio ad capitis usque verticem vitio notata; at cum tuo scelere solio regali dejectus in solitudine oberraret, animum formæ non convenire agnovit. 1. *Samuel* 14. 21. Laudarunt Israelitæ in te, Saule, regiam speciosi corporis dignitatem, ac eminentiam toto capite numeroso in populi cœtu extantem; at cùm tuæ obsecutus libidini divinos jussus negligeres, impietatem detestati sunt. 1. *Samuel.* 9. 12. Quanta in Adonia Davidis Filio fuit pulchritudo? At quanta in eodem ambitio, cùm malis artibus ad Imperium grassaretur? 1. *Reg.* 1. 6. Quàm eximia corporis specie fuit Xerxes, quo in sexaginta octo myriadum exercitu, neque eminentior fuit quisquam, neque venustior. At quanta in illo stoliditas cùm puerilibus virgis maria cæderet, quanta muliebris animi timiditas, cùm relicto hostili in solo exercitu, piscatoria navi in Persiam trepidus profugeret? *Herodot.* Quis apud Trojanos Paride conspicua corporis pulchritudine prævalebat? At hic probri loco quod formosissimus omnium esset. Quid hoc loco Magnem Smyrnæum, Gygi Lydorum Regi charum, Teridatem Eunuchum, quo mortuo publicum Asiæ luctum indixit Artaxerxes: Galetam Ptolemæo in primis dilectum: Gygem Gnidium ambiguo vultu hospites fallentem: Antinorum Bithynicum Adriani Imperatoris concubinum, divinis ab ipso honoribus dedicato templo cumulatum: ac cæteros Cynedorum, Spadonumque greges adducam, qui cum summa corporis pulchritudine, extremæ deformitatis animos conjunxere? Quid ex impudicitiæ palæstra Theodatam, Socratis discipulos à Philosophiæ studiis distrahentem. Ælian. *libro* 13. Phrynem Veneris Anyadomenus

Anyadomenis effigiem gerentem. Athen. *lib.13.* Laidem à Græcis ambitiosè frequentatam Pausanias *in d. Corinth.* Thaidem Persepoli flammas subjicientem *Plutarch.* Lamiam à Demetrio Poliocrete amatam. *Plutarch. in Demetr.* & mille alias provulgatæ libidinis mulieres referam, quæ oculorum magis, quam animi judicio probatæ fuerunt proscenia ore, ac mento pulchro, mente omnibus fœditatum inquinamentis imbuta? Platina *contra Amorem.*

Exteriora igitur affectionum internarum indicia conjectantium aliquandò judicia fallunt, ut hominis indoles, ac propensio ex illorum vestigiis ita certò semper colligi, ac ferri de illa sententia nequeat. Eluere enim insignitum à natura nævum disciplina potest, corrigere assuefactio, tegere simulatio, edomare, & abolere Auræ divinioris adspiratio. Extra quas conditiones, suffragante ratione, ac experientia, magna est in naturalibus signis cum interna hominis affectione, ac natura consensio, quam nunc speciatim in partibus singulis ostendemus. Non tamen credas posse Physionomicum rectè conicere ex quolibet signo, sed ex pluribus. Refert namque Joachinus Cureus *in Annalibus Silesianis*, quod Matthias Corvinus Hungariæ Rex tam solerter ex primo aspectu lineamentorum faciei de moribus hominum judicabat, ut Magiæ specimen æmulis præbuerit. Plura igitur signa ad unum attendenda sunt, ex quibus judicium suo modo tutum pronuncietur. Favetque Rhasis inquiens. *Cùm ad judicandum te accingas, non ad unam attendes intentionem, sed quoad fieri potest aggregationem. Si autem signorum reperiatur contrarietas, trutinâ sunt perpendenda.*

Hinc utilis, valdèque proficua est Physionomia. Eâ usus fuit D. Ambrosius, ut ipse refert lib. 1. offic. cap. 11. *Meministis, (ait) Filii, quemdam amicum cum sedulis se videretur commendari officiis, ob hoc solum tamen in Clerum à me non esse receptum, quod gestus ejus plurimum dedeceret. Alterum quoque cum in Clerum recepissem jussisse me ne unquam præiret mihi, quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos feriret meos, idque dixi cum redderetur post offensam muneri. Hoc solum excepi, nec fefelli sententia. Uterque enim ab Ecclesia recessit, ut qualis incessu prodebatur, talis perfidiâ animi demonstraretur; namque alter Arrianæ infestationis tempore fidem deseruit; alter pecuniæ studio, ne judicium subiret, sacerdotem se nostrum negavit. Lucebat in illorum incessu imago levitatis, species quædam scurrarum percursantium.*

Usui autem magno hæc eadem Medicis est. *Nam si Medicus*, Hippocrates, ait, 1. prognost. *dixerit coram ægroto præterita, & præsentia, morbi sui naturam medico notam esse sibi facilè persuadebit, seque in omnibus accommodabit.* Quod eis *magna occasio sanandi*, ut idem Hippocrates affirmat. *Ægri*, ait, *admirantur Medicum, admirantes parent, parentes citius sanantur. Sanatos à se plures, qui antea ab aliis sanari non potuerant, non propter remedia meliora, sed propter existimationem de peritia Medici.* Censet *Meletius* peculiare Dei donum esse quod ex signis exterioribus interna hominis conjectentur, ut perversum evitemus ne pervertamur, & cum sanctis ambulemus, ut sancti simus. *Itaque*, ait, *clementissimi Dei benignitas arcana ipsa humanorum effectuum, moresque reconditos tabulis, quæ expressimus, signis, in propatulo constituit, quo propriæ saluti quilibet consulendo, fidelibus, probisque moribus insignitis inhærere, pravosque, ac scelestos usque declinare queat.* Idem sapientiæ Magister nos etiam docet, cùm ait. *Cum homine iracundo non cohabites, neque cum invido comedas, nec abeas in consilium impiorum, atque vanitatis, nec in cathedrâ pestilentiæ sedeas. Si vocaverint te, veni nobiscum, cum ipsis ne proficiscaris.* Hac de causa Deus nobis in ipsa facie hujusmodi homines deprehendendi facultatem dedit, quo eorum consuetudinem declinare valeamus.

Hinc etiam accommodatiorem temperiem ad ingenij acumen, mentisque perspicaciam cognoscimus ex bilis, & melancholiæ permixtione constantem. A bile namque proveniunt facilis apprehensio imaginationis, velox discursus, motus agiles, & acres. Ob melancholiam autem animus ab externis elongatur, diuturnius meditatur, maturiusque de inventis judicat. At de humoribus postea.

De iis, qui sunt parvi corpore.

Quàm est difficile, arduumque se ipsum nosse, tam hoc est homini utile, ac salutare. In quam sententiam Thales dixit apud Laert. *lib. 1. difficile esse sui cognitionem habere, sed idem esse beatum.* Difficultatem hujus cognitionis forenses otiosorum hominum cœtus docent, in quo ex Comici sententia *non dicimus quisque se qualis sit cognoscit, plerisque cæcâ sui ignorantiâ oppressis.* Beatitatem Demonax confirmat, qui quandò philosophari cepisset, rogatus; *Tum*, dixit, *cum cognoscere me ipsum cepi, Stob. ser. 1.* Cui suffragatur Basilius *serm. de cognitione sui. Accurata*, inquit, *tui ipsius cognitio te ad Dei cognitionem manu quasi deducit.*

Cùm enim vis omnis nostra in animo, & corpore sita sit, ab illorum recta cognitione, ad artificem, principemque tanti operis Deum discendum, ac colendum progredimur, ab animo vitiorum turpitudinem, à corpore noxiam valetudinem prohibemus, ad primævæ integritatis rectitudinem summa ope annitimur. Igitur aureis in Delphico templo litteris consignatur, *Nosce te ipsum.* Ad hanc sui ipsius cognitionem plurimum adfert momenti sui etiam corporis conformationem perspectam habere, notasque & lineamenta externa, naturæ conformata penicillo, ante oculos ponere, & crebra cognitione obire. Initium sit à toto corpore.

Posse autem dæmonem efficere ut homines pygmæi evadant, haud est dubitandum: sicut enim artificio humano, potu scilicet vini adusti, & inclusione in parvis ollis, parsimonia incredibili, catelli in suæ Dominæ blandulas delicias procreantur, ita parentes aliqui avari certis medicamentis operantur, ut sui filii nascantur pygmæi; Unde non mirum si eadem possit efficere dæmon. Nam potest applicare semen leve, & paucum, minimique caloris, adjunctis matrici ad proportionem dispositæ aliis remediis. Id quoque certum, quod sicut maximum debet dari in accretione corporis humani, ita & minimum, etsi nos lateat determinata quantitas, ultra quam anima rationalis potentiis suis uti efficaciter nequeat. Docebat quidem Aristoteles, hominem longum rarò sapientem, sic & hominem nimis parvum. Ideò pygmæos alii qui bruta, vel monstra sunt arbitrati, quasi ad simiorum genus referendos. Sicque de nanis Chanibalis Provinciæ Peruanæ fuit dubitatum, an essent baptizandi sub Clemente VIII. At Plinius *lib. 1. c. 6.* hominum genus affirmat, sicut Reges Gothos ex urso & virgine nobili natos prodit. Jornan *de Reb. Gothic.* Aristoteles autem *lib. 2. de histor. Animal. cap. 12.* pygmæos quosdam describit cubitales, homunculos, gruum hostes; idque non esse fabulam testatur his verbis *Cythesis Campis ad paludes Ægypto superiores grues veniunt, quo in loco pugnare cum pygmæis dicuntur.* Quod etiam tradunt Philostratus *de Hercule dormiente*, Plinius *lib 7. cap. 2.* Solinus, aliique. In sacra item Scriptura Ezechielis 26. pygmæorum fit commemoratio. *Pygmæi*, inquit, *in turribus*

turribus suis. Quod tamen variè interpretantur Patres. Alii quod verè pygmæi fuerint, sed bellicosissimi, acutissimi visus, & artis sagittandi peritissimi, ideò turrium custodes. Alii non de Pygmæis propriè, sed quia sic apparebant ob turrium altitudinem. Alii Pygmæos dicunt præ aliis hominibus, non tamen ita pusillis.

Nanos autem esse monstra sunt qui censeant. Hi solent habere partes corporis superiores magnas, inferiores parvas. Quia natura conatur, saltem in illis partibus communicare justam magnitudinem. Unde non est judicandum quod in illis æqualiter deficiat judicium, potest enim magnum esse judicium in corpore angusto.

Tradit Aristoteles parvos corpore esse ingenio veloces: quia cum parva sit intercapedo inter cerebrum & cor, spirituum officinam, brevi spatio feruntur spiritus à corde ad cerebrum, ubi gignitur cogitatio, ex qua ingenii velocitas. Ex eadem causa provenit, ut sint capitis calidioris, & consequenter audaciæ magnæ, ac fortitudinis. Alexander Macedonum Rex non corpore, sed rebus gestis Magnus fuit. Pipinus fortissimus Princeps, Caroli Magni Pater, adeò fuit pusillus, ut idcircò Pipinus dictus sit apud nonnullos, à vocabulo germanico id exprimente. Asinæus Judæorum Dux parvæ fuit molis, sed animo excelso apud Josephum *lib.* 18. *antiquit. cap. ult.* Ulisses, Agesilaus, Ticinus, Melissus, Bartolus, Horatius Flaccus, D. Paulus, teste Chrysostomo *homil. encom. in Apostol.* tricubitalis erat, ac fortasse à staturæ pusillitate, hoc enim sonat vox Pauli, nimirum modicum, & pusillum, nomen accepit. Divo Antonino lustricum nomen fuit Antonius, sed ut scribit Mainardus, à brevitate corporis Antoninus denominatus est. Divus Hieronymus, Divus Chrysostomus, Divi Gregorii Nazianzenus, & Turonensis brevi statura corporis fuerunt, sed virtutibus præditi.

De iis, qui corpore magno sunt.

Corpore magni ex Aristotele maximè tardi sunt ex vi staturæ; nam tardè spiritus ad locum mentis pervenire possunt. Referuntur ad struthiocamelum grande, ac stupidum animal. Eanus Jovinianum Imperatorem vasta proceritate conspiciens, stupidum illum dixit, referente Nicephoro *lib.* 10. *cap. ult.* Quanta est longitudo, & profunditas, tanta est stultitia. Verum nihilominus est, quod siccitas proceritatis vitium corrigit; qua is fuit Georgius Scanderbegius bellica gloria clarus, Agamemnon, Neptolemus, Romulus, Hestor, Tamerlanes, Saul eminens super omnem populum. *Primo Regum* 9.

Hi plerumque diutius vivunt quàm parvi corpore, ut per Aristotelem *lib. de Longit. & brevit. vit.* quia magis humido abundant. Sic palma, & cupressus longiùs vivunt, & Elephantos ducentos, trecentosve annos vivere testes sunt Aristot. *lib.* 11. *hist. anim. cap.* 9. & *lib.* 9. *cap.* 46. Plinius *lib.* 11. *cap.* 10. Ambros. *lib.* 6. *hexameron*, & Norvus *lib.* 26. *disnysiachon*; Cervos verò ultra centum annos, teste eodem Plinio *lib.* 11. *cap.* 22. *qui lib.* 7. *cap.* 10. rejicit Hesiodi sententiam de cervorum ætate.

Parvi tamen fæcundiores sunt, sicut ait Aristoteles 3. *de generat. animal. cap.* 1. Parvæ aves salaces perfæcundæque sunt. Quod enim incremento corporis deest, in excrementum seminale exundat. Creditque Alexander Aphrodis. *lib.* 26. *problem.* homines parvos prudentiores, quia spiritus virium corporis, ac intelligentiæ minister restrictior manet. Quare Homerus Ulissem brevem, & prudentissimum, refert Ajacem longum, & stultissimum.

De Corpore crassis, de macilentis, deque corpore mediocri.

Crassi, aperti plerumque pectoris, mites, ac humani sunt; ideòque aliis facilè regendis idonei. Macilenti verò ingenio, & rebus agendis prompti, ideòque legationibus apti habentur. Corpore tamen mediocri constantes, ex vi staturæ, optimè constituti ad omnia animæ munia sunt. Capitulinus in Pertinace staturam hanc Imperatoriam appellat. Aristoteles 4. *Ethic. cap.* 2. & 3. *polit.* 4. concludit non nisi in magno corpore dignitas, & species, quæ in Priamo fuit judicata digna imperio, de statura tamen mediocri, & parvam multùm excedenti loquitur.

De Piloso, glabro, levi, gravique Corpore, deque Membrorum proportione.

Pilorum hirsutiem toto corpore sparsim arguere existimat Aristoteles immodicum calorem igneum, multamque materiam fuliginosam, & consequenter ad libidinem propensionem. Ideò Suetonius Caligulam ad omnem libidinem pronum, & præcipitem describit. Aristot. 7. *de generat. animal. cap.* 4. mulieres sacerdotes in Caria barbam emittere refert, quod seminalis materia in corpore retenta, & in halitum diffusa convertatur in pilos. Polemon pilosum corpus feritati belluinæ adscribit; Sic de Esau scribitur *toto corpore feræ instar hispido.*

Glabri contra vel humore nimio abundant, ut spadones, vel frigiditate, ut fœminæ. Aquatica ideò universa pilis carent.

Corpora agiliora spiritibus magis abundant, utpotè magis calida, sicut ignis, & aër, ideòque non mirum quod cadavera crassiora sint corporibus vivis. Sic jejuni ac defatigati graviores quàm abundè pransi.

Membrorum autem proportio vel maximè in physionomia est attendenda. De quo plura Durenus, & Aristoteles *variis in locis.* Pythagoras ex vestigio Herculis ejus magnitudinem collegit, sicut ex ungue leonem Phydias expressit.

Caput.

Quis ille est plus nimio in caput extumescens Capito, extuberante carnis, ossiumque mole, distenta cute bestialem admodum magnitudine prodigiosa? Iste sub gracili collo, capite parvo, & castigato, hic oblongo, alius acuminato. Cave tibi, cave, monstrum alunt. Sub illa granditate somnolentia, hebetudo, ingenii vastitas, & turbulentia: sub parvitate stoliditas; sub turbinato fastigio invidentia, malignitas, inconstantia delitescit. Quantum erat gulæ mancipium capitosus Vitellius? Quantam cum meticulosa ignavia morum conjunxerat asperitatem, filio jugulato, matre trucidata, cæde principum virorum ad dulces oculorum pastus parata? Sueton. Quales in patria sua concitavit, turbas suscitato belli Peloponnesiaci incendio cynocæphaleus ille Pericles? Plutarch. *in Pericle* ex cujus hendecastino vertice græcas exoriri tempestates ferebatur. Quàm impias de religione opiniones, distracto, laceratoque orbe terrarum excogitavit Mahometus, cui in vastæ mentis domicilium natura caput dederat

magnitudinis

magnitudinis immensæ ? *Chron. Sarac.* Thersites, upupæ instar capite turbinato ; at quanta sub illo premebatur malevolentia , invidia , arrogantia , indocilitas ? Homer. *Iliad. lib.* 2. Ingenti est corpore struthiocamelus , capite exili ; at tantæ hoc animal est stoliditatis , ut se non conspici in reliqui corporis magnitudine putet , si caput inter frutices occultet. Plinius *lib.* 10. *cap.* 1. Testibus enim Medicorum principibus , Galeno *in microl.* immoderata capitis parvitas malè constituti cerebri judicium præbet , constrictis , coarctatisque illius ventribus , ne spiritus animalis liberè in omnes partes possit evagari. Orbicularis verò ad cœli imaginem capitis rotunditas maximè placet, quæ pressa leniter ex utraque parte cerebri amplioris est capax , diffusisque libere nervorum propaginibus vitales virtutes ad communicationem corporis intendit.

Caput igitur majus , attenta proportione colli , & totius corporis , somniculosum significat ex Aristot. *lib. de somn. & vigil.* Est enim caput magnum receptaculum majus vaporum , ex quorum copia somnus profluit. Sunt tales obtusi , indociles , ignavi , meticulosi, quos ad noctuas , & bubones refert Jo. Bapt. à Porta. Sanè vastum caput nequit pro vastitate subministrare spiritui necessaria ad officium intelligentiæ ; unde imbecillitas judicii , ac nimius metus oritur.

Caput autem magnum, mediocri paulò majus ex proportione membrorum , optimi ingenii inditium est. Experientia tamen constat judicio potius, quam subtilitate excellere : non enim possunt tam celeriter motus ingenii , in quibus subtilitas consistit, reperiri. Magnitudo autem capitis ex cerebri copia , non ex carnis, oviumque mole attendi debet.

Parvum verò caput , quod est signum debilitatis, virtutis formatricis, mali ominis est, ac signum stoliditatis, sicci, & calidi temperamenti est , unde citò incalescit, cum habeat angustos ventriculos, quibus cōstricti spiritus non liberè spatiantur, sed facilè turbantur, rotanturque , unde nimius calor , & confusio , cumque exiguum cerebrum sit , non adeò cor , spirituum fontem , refrigerat , ideò parvo capite indociles , præcipites , ac subindè iracundi existimantur , tum magis si latius sit pectus , atque adeo calidius cor. Censentur insuper tales versuti , & callidi ; cum enim ob parvitatem cerebri prudentia careant, ob exuperationem caliditatis celeres habent motus , ac versatiles , in quo astutia versatur. Vulpes astutissima, fraudumque architecta parvi capitis est.

Caput autem justæ magnitudinis vires corporis , & bonum intellectum significat. Ita etiam magnum caput proportioni respondens longam vitam indicat. Optima verò figura capitis debet esse oblonga ex parte priori , & posteriori , leviterque ad tempora, sive latera compressa malleoli instar , non autem omnino sphærica , alioquin , teste Alberto , desideratur sensus memoriæ , ac sapientiæ.

Caput acuminatum inverecundorum est , iracundorum , & stolidorum. Talis namque constitutio indicat immoderatum calorem , magnamque siccitatem , ac pravam dispositionem ad imaginationis , & judicii functiones. Hos Aristoteles refert ad aves rapaces.

Caput cavum in sincipite & occipite pessimum dicitur , si neque anteriorem, neque posteriorem eminentiam habeat.

Caput verò vertice humili , & planum , indicium quoque malum est. Contrà benè affecti sunt , qui eminentiam habent in occipite , & sincipite. Galenus autem *de usu part. cap.* 17. quatuor species innaturalis figuræ capitis designat. Prima est , in qua deest anterior gibbus , secunda in qua posterior, tertia in qua uterque , quarta in qua exuperat ad latera , quam existimat non reperiri cum vita, utpote valdè alienam à natura.

Capilli.

Capilli aliquod morum indicium præbent obtegendo , ornandoque principi corporis membro à natura dati. Neque muliebri hoc tantùm ornamentum est , sed gravium etiam virorum. De quo rogatus Agesilus Rex , cur affectaret : Quoniam , inquit, ex omni ornatu hic pulchrior est, venustiorque, & sumptus minimi. Stob. *serm.* 63. Scipionem Silius, Pompeium , & Catonem Lucanus venerandâ ipsis etiam Regibus comâ commendant. Cujus etiam summa apud Germanos , Gallos , Parthos , aliosque fortis animi viros cura fuit , qui crines sine ullo artificio decorè quatiebant , non aliter quàm jubam generosa animalia ; inter quæ leones præcipuè & tigres jubarum ornamenta speciosos , ac terribiles reddunt. Quorum exemplo Lycurgus comam nutrire suos cives assuefecit , quoniam pulchros redderet decentiores , deformes verò formidabiles.

Aristoteles *lib.* 2. *de part.* 16. *animal. c.* 14. ad necessitatem , ac præsidii rationem refert, quod homo inter cætera animalia maximè sit capite pilosus. Ad ornatum verò refert Ambros. 6. *Hexamer. cap.* 9. ubi sic eleganter ait . Quàm speciosa cæsaries , quam reverenda in senibus , quàm veneranda in sacerdotibus , quàm terribilis in bellatoribus , quàm decora in adolescentibus , quàm compta in mulieribus , quàm dulcis in pueris. Alium sexum crinita , alium tonsa non decet ; ex arboribus licet quæ humani sit gratia capitis æstimare. In capite arboris omnis est fructus, ibi omnis est pulchritudo. Tolle arbori comam , tota arbor ingrata est. Quantò major humani corporis ornatus est ? Qui cerebrum nostrum , hoc est sedem , originemque nostrorum sensuum capillis capitis munit , ac vestit , ne aut frigore vexetur, aut æstu. Illic enim fons universorum est , & ideò ubi injuria nocet , ibi gratia præeminet.

Volumus de animo ex virili comæ dignitate conjecturam facere ? Germanorum morem intueamur , qui obliquatum , substrictumque nodo capillum ingenuitatis notam esse voluerunt. Tacitus *de Germanor. morib.* neque enim ut amarent , aut amarentur , sed bella adituri ut hostium oculis olim se ornabant ; ideòque Antoninus Imperator : Coma , inquit , virum , vox Rhetorem indicat.

Atque ut capillus nulla muliebris affectione decoris excultus ingenuæ dignitatis signum præbet, ita immodica fingendorum crinium curiositas enervatæ virilitatis est vestigium. Pudeat viros cum Trosulis, & Cincinnatis ad specula totis paria corporibus crinem studiosissimè excolere , candescente ferro vibrare , in gradus frangere. In tantum enim ista excrevit mollities , ut medicata scobe vertex inficiatur, ut cosmatica ad lenocinium decoris instrumenta usurpentur , ut ex adventitio crine galericali , & caliendra capiti assuantur. Quos ego homines inter speculum , pectinemque studiosissimè occupatos , magis de capitis sui decore solicitos esse puto , quàm de salute; qui, ut Seneca loquitur , Rempublicam malint turbari quàm comam , & concinnitati majorem operam dant , quàm honestati. Quid restat quàm ut cum Sardanapalo, & Heliogabalo muliebres sumamus vestes, ejuratisque virilibus belli , ac pacis artibus colum tractemus, & linum ? si nescitis, comatuli, non corpus ornat illa capillorum affectata concinnitas, sed mentem detegit virili virtutis robore destitutam. Quod cum sciret Philippus Macedo Judicem barbam, capillumque inficientem, protinus submovit,

non bona fide publica tractaturum negotia arbitratus qui capillos fucaret, Plutarch. *in apophe. phil.* Idem ab Archidamo factum, qui cum fricato capillo concionari aliquem videret, illum in medio affatu tacere, ac foras ire jussit. Aristoteles cùm juvenem curiosiùs se comere videret, *non erubescis* ait, *cùm te natura virum fecerit ut teipsum effæmines?*

Non ut mollities effæminata capillum, ita natura verticis tinctura mores, animumque mentitur, qui hoc plerumque judicio cognoscitur. Capilli ex crassiore, & fuliginosa humorum eluvie, oriuntur, quæ per angustos membranæ meatus foras propulsa, dum hæret in transitu, condensatur. Colorem varium ex variato caloris temperamento trahunt. Ex adustis humoribus nigricans consurgens vapor, eamdem ex pilis exprimit qualitatem. Immoderatior calor crispos efficit, & intortos, dum adstrictis meatibus ægrè eluctantes rectam sibi viam emoliri nequeunt. Si minus torrescat vapor, flavedine vertex tingitur ex flavæ bilis impacto cuti excremento. Si pituitæ, bilisque fex temperata adurentem calorem, & frigus moderetur, vanitate coloratur. Albedo frigiditatis est indicium, in quem calorem frigoris opera humor vergit. Hinc canitiem oriri ex putredine humoris, quo pili aluntur, tradit Aristoteles 5. *de gener. animal.* Ideo pueri, ut notat à Porta, dum nascuntur caput & supercilia habent alba, ut senes, licet dicatur Numam Pompilium canum esse natum. Color optimus existimatur permixtus ex albo & nigro, qualis dicitur fuisse B. Virginis.

Igitur, ut pilus caloris in homine gradum significat, ita ex eadem causa morum præbet indicium. Intensus siquidem calor homines facit animosos, feroces, iracundos, industrios, callidos, præcipites. Frigoris principatus ad ignaviam, socordiamque dejicit, timorem, somnos, hebetudinem inducit, nihil sublimè aggredi, nihil moliri memorabile permittit. Hinc Xantheæ flavedinis coma in Achille, in Pyrrho, in Augusto moderati pectoris iracundiam arguit. Unde cum Maximus Tyrius *lib.* 14. *cap.* 1. Falconem Regem Hierosolymitanum rufum valde prædicasset, quia mansuetus & affabilis erat, addit contra leges illius coloris hoc evenisse. Typhon ille Osyridis maximi apud Ægyptios interfector, teste Diodoro Siculo *lib.* 2. *cap.* 4. rufus fuit. Nigra crispantibus suo ingenio cirris, Hispanis, Mauris, aliisque sub torrido cœlo hominibus, industriam, ferociam, vafritiem adscribit. Russa in Gulielmo Anglorum Rege malignitatem, densa in Lysandro feritatem, rara in Cynædis mollitiem, alba in pueris frigidam timiditatem, subfusca prudentiam, ac probitatem, cana in florida ætate incontinentiam significat. Quam tamen aliquando etiam diuturna ægrescentis animi solicitudo, terrorve subitus, aut periculorum, mortisve intentatæ repentina formido attulit, calore vitali, ac spiritu per mœstissimam imminentis mali cogitationem consopito, ac extincto, ut gramina, exhausto vigore, arescunt, & colorem vitæ spectabilem exuunt. Testantur hoc multa facinorosorum exempla, qui obito facinoris alicujus crimine in vincula conjecti ex angore mentis conceptaque mortis formidine; ita una nocte immutati sunt, ut attrita, depastaque omni formæ venustate, luridus, & cadaverosus color, aspectus horridus, indecora canicies, fœda barbæ illuvies vultum deturparit, Scaliger *exercit.* 32. Lemnius *de compt.* Memorabile illud est, quod aliquis, dum scrutaturus accipitrum nidos de rupe penderet, funibus, quibus sustinebatur, dissolutis, repente incanuerit, Cœl. *lib.* 13. *cap.* 27. Quod Ludovico Bavariæ Duci ex somnii evenit terriculamento, cùm uxorem adulterii suspectam injuste occidisset, Cuspin. *in Ludov. Imper.*

Quàm verò est deformis, quàm pudenda illa depilati verticis glabrities! Multos quidem naturæ imbecillitas hoc calvitio deformat, quando aut ex longævitate humor naturalis exiccatur, aut frigore capillum tingit. Quam si calvitii causam in Eliseo protervientes Bethelitarum pueri scivissent, forte sibi à mordacibus in Sanctissimum Prophetam dicteriis temperassent. Neque probro sibi duxit sui capitis phalacras, & calvitia Vespasianus Imperator, qui, cum Cometes apparuisset, quo mors portendi Principis videbatur, eludens cœli dirum ostensum, *non se*, ait, *illo terreri, sed Partherum Regem, qui comatus est*, Dion.

In alios, quibus ex incontinentia hoc vitium obvenit salse Cicero pro Q. R. jocatur, quod calvities olere malitiam, & clamitare calliditatem videatur, in qua ne boni quidem viri pilus reperiri possit. Talis Agathocles erat Siciliæ tyrannus, qui defluentibus capillis cùm myrthea caput corona obtegeret, tacitis civium conviciis tyranni improbitas lacerata fuit, Ælian. *lib.* 11. similis in Tiberio calvities fuit, & tyrannidis stabiliendæ calliditas, cujus in Ludibrium Sejanus Calvorum populo spectaculum exhibuit, *Dion.* A quo ne pudendi quidem capitis dedecore Caligula degeneravit, capillo raro, hirsutus cætera. Quod tam tulit indigne, ut Capram nominare, aut ex editiore ædium parte oculos in prætereuntem deflectere, illo imperante, capitale fuerit, *Sueton.* Eodem calvitiei vitio deformis fuit Otho Imperator, & Domitianus, quorum extremum, ob singularem immanitatem, ac inhumanam truculentiam.

Calvum dixit sua Roma Neronem.

Sueton. & *Auson.* Eidem ob calvitiem cognominis fuit Carolus secundus Imperator, nisi quod natura mitior nullam Neronianæ sævitiæ appellationem recepit. Non ponerem in hoc catalogo Julium Cæsarem, nisi calvati libido atque incontinentia publicis militum jocis in Gallicano triumpho jactata fuisset: *Uxores vestras, servate cives. Urbi mœchum adduximus calvum.* Sueton.

Calvitii, calvorumque mentio Calvæ Veneris mihi memoriam refricat, quæ dicato templo culta apud Romanos fuit, non ad significandum calvitii luxuriæque societatem, sed quia, obsidentibus Capitolium Gallis, implicandis funibus ad tormentorum usum matronæ capillos sibi resciderant.

Vide, si lubet, plura de capillorum crispitudine, simplicitate, mollitie, ac duritie, copia, raritate, calvitie apud D. Ambrosium loco citato, & alios adductos à Niquetio. Sic & solutam habebis illam quæstionem, an pili, capillive sint animati, affirmantibus Divo Thoma *in* 4. *d.* 44. Bonaventura, Durando Conciliatore, Tardino *disquis. Physiol. de pil. capit.* 20. Galeno 2. *de anat. admis. cap. ult.* & si contrarium asseruerit *capite septimo, articulo par.* negantibus verò Fernelio, Fracastorio, Valesio, aliis.

Facies.

Quanquam nulla ſit tam minuta coporis pars, tam abjectum, atque ignobile vitalis opificii membrum, quod non aliquod reconditæ indolis exhibeat argumentum, illæ tamen, quæ in facie humana elucent notæ, ut manifeſtius oculis ingeruntur, ita certius indicium præſtant, quem in finem, patens ille Philoſophorum, Socrates monere diſcipulos ſuos ſolebat, ut ſe in ſpeculo ſæpe contemplarentur, & mores ſuos aut ad vultus decentiam conformarent, aut corporis defectum animi virtute compenſarent. Senſit vir ſapientiſſimus in vultu morum latentium notas circumferri, quorum integritas augeri, ac roborari, perverſitas ſtudio, conſilioque corrigi, & ad rectitudinem revocari debeat.

Vultus namque ſpeculi vicem præbet, in quo effictos animi mores, expreſſamque naturæ imaginem liceat intueri. Cicero *de pet. conſul. in p.* 1. Vultus animi eſt janua, quæ voluntatem abditam, & retruſam ſignificat. Vultus ſermo tacitus eſt mentis, qui ſecretos plerumque ſenſus indicat. Si iram animus conceperit, ſi flagrent odia, ſi ignefcant amores, ſi virtutum ferveant ſtudia, ſi indignatio, ſpes, metus, lætitia, modeſtia, ſuperbia, ambitio, avaritia, ſi alius aliquis affectus intus deſideat, ille ſtatim in vultu certiſſimo ſe ſe indicio profert. Neque enim cohibere ſe, ac reprimere poſſunt feroces, violentæque animi affectiones, ſed confractis modeſtiæ clauſtris foras prorumpunt, & ſuis ſe ſe in facie ſignis produnt.

Et quamvis rugis aliquando, & ſupercilio turbulenta mentis tempeſtas ſuſtineatur, obtegaturque nunquam tamen diuturna eſt ſimulatio. Recluſa intus violentia in apertum exit, foraſque protruſa manifeſtum ſui in externo habitu argumentum exhibet. Atque ut compreſſus, ſtrangulatuſque intra nubes aër, ruptis valido impulſu carceribus, ſeſe explicat, eliſoque igne ſonitum horribilem edit; ita proccelloſi animorum motus aliquandiu intus cum modeſtia luctati, tandem exitum reperiunt, vultu tantæ violentiæ veſtigiis ſignato.

Atque ut animus funeſtus, vitiiſque obſitus palam ſe exerit, & in ſummam frontem effunditur; ita mentis etiam integritas, virtutiſque indoles in vultu ſeſe atque oculis oſtentat, ſuæque præſentiæ ſigna in conſpectu ponit. Audi Sapientem Eccleſiaſticum 19. 26. *Ex aſpectu vir cognoſcitur, & ex obvia perſonæ ſpecie cognoſcitur, qui mente valet. Ornatus viri, & riſus dentium, greſſuſque hominis enunciant cogitationes ejus.* Atque illo Sapientiorem Regem: *Vir improbus; & nequam graditur ore perverſo, annuit oculis, tremit pede, digito loquitur.* Prov. 6. Quam filii ſui mentem ſanctiſſimus Pater probat, qui adverſariorum ſuorum nequitiam atque improbitatem ex fronte, ſuperciliis, oculi ultrò citroque contortis, demerſis labris, naribus corrugatis, inflatis buccis, inceſſu ſuperbo, geſtu indecoro, vultu, nutuque minaci arguit, Pſal. 34. Ex quo regii generis ſanguine Eſaias propheta cap. 3. *Agnitio*, inquit, *vultus eorum reſpondet illis*, hoc eſt ſpecies, externuſque corporis habitus, quàm ſint improbi, ac ſcelerati, quàm prava animis conſilia meditentur, quas intus nequitiarum artes abſcondant, palam facit. Igitur Cainum Deus ſubtriſtem conſpicatus, animoque propter admiſſi ſceleris conſcientiam, demiſſo, ac dejecto: *Quare*, ait, *mæſtus es, & concidit vultus tuus?* Geneſ. 4. Et Joſephus, cùm carceris Ægyptiaci ſocios triſtes videret, vultu conceptum animo fortunæ malignioris omen proferente, *Cur ſolito triſtior eſſet ipſorum facies*, inquiebat, *Geneſ.* 40.

Ingrediamur itaque illum popularem frequentiſſimorum hominum cœtum, & ad indagandas, atque eruendas animorum affectiones diverſas vultuum ſpecies, & ſimulacra eruditiore oculo contueamur. Quàm hic video variam hominum figuram! Quàm inter tot mortalium millia difformis vultuum conſpicitur habitus! Quàm diſpar oris forma! Quàm diſcretæ effigies apparent! Ut in quamplures imagines, adſpectumque oris multiplicem illam lutoſæ humanitatis maſſam opifex Architecti manus efformavit? Aliam in pyralem longitudinem, prominentibus hinc inde maxillarum oſſibus, porrigitur. Alia ad globi rotundata ſpeciem in orbem colligitur. Quædam ampla carne, atque adipe copioſo craſſeſcit. Quædam oſſulenta macie gracileſcit. Aliqua crebra pilorum lanugine comatur. Aliqua cute depilata glabret. Hic buccæ inflatæ turgeſcunt; illic pendulæ fluunt. Iſtic tempora aut excavata dehiſcunt, aut extantia protuberant. Alibi aut inclinata declivitas, aut faſtigiata prominentia, aut æquata planities conſpicitur. Eſt, cui eximia latitudine frons luxuriat, cui eadem anguſtioribus ſpatiis contrahitur. Eſt, qui erugato, explicato, exporrecto vultu pacem pollicetur, qui contracto, obducto, matutino curas, & ſollicitudinem teſtatur. Qui facie cadaveroſa, incæſta, torva, truce, minace, turbida, informi percellit. Qui ingenua, ſpecioſa, liberali, ſerena, verecunda blanditur. In illo flammantem rubedinem, in iſto plumbeam, livedinem, in hoc croceam ſuſcedinem, in alio luridum pallorem, in alio diſpunctam modico ſanguine nivem conſpicias.

Video oculos lucidos, obſtipos, prægrandes, exiles, nocturnos, felineos, nigricantes, inquietos, tremulos, ſegnes, vibrantes, fluidos, aridos, turgentes, conniventes, luſcos, lippos, pætos, depreſſos, prominentes. Video ſupercilia hiſpida, truculenta, remiſſa, contracta, coeuntia, ad tempora protenſa. Video os latum, vaſtum, anguſtum, nigrum, ſqualidum, lividum, rubicundum.

Quàm ſunt huic aures patulæ, illi tenellæ, iſti ſpatioſæ, aliis flaccidæ, pendulæ, adſtrictæ! Quam ille naſum habet acutum, ille retuſum, ille aquilinum, ille ſimum, ille craſſum, atque adipoſum! quàm alius habet labra tenuia, alius carnoſa, alius ſtricta, alius diſtorta, & hiantia! Quanta capitum eſt differentia! Quorum quædam in ovi ſpeciem turbinantur. Quædam conglobata figura rotundantur. Quædam depreſſo vertice per ambitum, aut latera intumeſcunt. Quædam magnitudine, quædam parvitate ſunt viſenda. Quanta capillorum? Quorum alii ruffeſcunt, alii flaveſcunt, alii albeſcunt, alii nigreſcunt, alii denſi, alii rari, alii criſpi, retortique conſpiciuntur. Quem non detineant cervices longæ, graciles, craſſæ, exiles, aſperæ, breves, incurvæ, diſtortæ, inflexæ? Quis non ſpeculetur ventres vaſtos, caſtigatos, turgidos, planos, ſtrictos?

Quis fando exprimere poſſit humanorum corporum diſſimilitudinem? Quis calamo effingere figurarum varietatem, qua in vultibus ad miraculum Natura ludit? Non tam diverſo florum apparatu humum pingit Veris amœnitas; non tam difformi ſyderum luce cœli refulget ſerenitas; non piſcium, non avium, non cœterarum animantium magis diſpares ſunt habitus, quàm variis figuris humanorum vultuum ſimulacra diſtinguuntur.

Quid verò illa varii oris species designat? Cur in tam multiplicem figuram, habitumque hominem Natura efformavit? Nonne ut illa formæ dissimilitudo animorum varietatem denotaret? Tacita namque corporis figura de abdita, retrusaque indole conjecturam adfert, quo quisque naturæ inclinatione propendeat, quem animi habitum diuturna consuetudine collegerit, quam in partem affectione, studioque familiari inflectatur.

Magna igitur, & longa facies ignavum, pigrum, humidum, timidum hominem indicat, refertque boves, & asinos apud Aristotelem, & alios. Siquidem ex magnitudine infertur magna materiæ terrestris quantitas. Parva facies hominem callidum, impudentem, rixosum significat, & ad simias ab eodem Aristotele refertur *in lib. Physiognom.* & *in* 1. *de hist. animal. cap.* 8. sic distinctè de faciebus loquitur. Quibus facies magna, segnes, quibus parva, mobiles, quibus lata, mente moveri idonei, quibus rotunda, iracundi.

Facies alba indicat multam pituitam; unde viros multum albos effœminatos vocat Aristoteles. Nam fœmineus sexus pituita abundat, idcircò supra virile albicat. Color enim iste mollitiei, & timiditatis inditium solet esse, propriæ fœminarum. Animalia quoque alba deterioris conditionis sunt, quàm nigra, minusque generosa, & robusta. Ova à gallinis nigris parta suaviora existimantur, quia magis decocta.

Pallidus autem color, albedini proximus, timiditatem quoque indicat. Joannes Baptista à Porta ad chamæleontem refert, qui candidus, & timidus est, de quo Aristoteles *lib.* 2. *hist. anim. cap.* 12. Si verò color albus pellucidus est, & quasi scintillans, bilem præsefert, non pituitam.

Subniger color ex melancholia oritur, quæ est frigida, & sicca, & saturniam inclinationem indicat, timiditatem, atque versutiam. Ex bile autem oritur, si admisceatur rubedinis aliquid nigricanti colori.

Lividus color ex pituita frigidissima, ut est vitrea, progreditur. Nam ob viscerum inflammationem attrahitur ab ipsa sanguis à partibus extremis. Unde sequitur caloris extinctio.

Color rubeus, vel sanguineus, optimus est, præcipue si albedini admisceatur. Talis fuit David, & Alexander, teste Plutarcho. Sic Salomon candidus, sicque Aristoteles ingeniosum virum vult esse candidorubrum. Confirmatque Galenus *in arte med.* Indicat enim humiditatem, & calorem, quæ est constitutio sanguinea omnium optima, rectam indolem significans.

Maculosa facies astutiam denotat, & reducitur ad pantheram, stellionem, dipsam serpentem, maculis nigris dorso varium, ad tigrim, aliasque bestias astutas, ut per D. Ambrosium *lib.* 6. *hexam. cap.* 3. ubi pardum varietate coloris varios animæ suæ motus prodere asserit.

Flammeus faciei color inclinationem indicat ad maniam, cujus rationem reddit Aristoteles, & Camillus Baldus, quoniam interiora, circa cerebri involucra posita, summopere exæstuant.

Frons.

Frontis contueamur fabricam, tranquillæ, serenæ, turbidæ, contractæ, erugatæ, ingenuæ, pudendæ. Speculum mihi videor videre hilaritatis, tristitiæ, clementiæ, severitatis, modestiæ, fastus, probitatis, perfidiæ. Quis non putaret hîc animæ esse januam per quam ad interiores affectionum veniatur recessus, nisi illa falso indicio oculum sæpe deciperet, vultuque composito indolem mentiretur. Forte Genio frontem veteres sacrarunt, quod reconditum animi ingenium certissimis notis delinearet. Quam etiam Deum venerantes religiosè tangebant, inditaque ad frontem manu adibant, ut sentire hoc significarent, quod præ se ferrent. Igitur ita olim honorata fuit illa humani capitis pars, ut in illa osculi religio servaretur.

Mihi verò nulla inter omnes frontium figuras magis placet, quàm aperta ista, quieta, nulla striata rugis, plena, gratoque levore splendicans. Hîc animus habitat ingenuus. Hîc fides, probitas, modestia domicilium habet. Nullibi magis, quàm in oculis & fronte pudor conspicitur. Quia frons est propugnaculum omnium nervorum à cerebro descendentium. Pompeium olim iste frontis exporrectæ honor, orisque comitas commendavit. At in Caligula truculenta torvitas, corrugatioque indecora sævitiam hominis inhumanam, & impietatem execrabilem significavit. Sub illo patente adiposi capitis spatio cum animi sinceritate ignavia quædam, timiditasque desidere videtur. Gracilescens longitudo cum tenui mento morum asperitatem notat. Elevata in gyrum rotunditas cum ingenii præstantia, atque altitudine iracundiam, arrogantiamque significat. Fallor autem, an frontem ille perfricuit? Ita deletis verecundiæ notis, & relegato ad præcordia rubore, abstersisse omnem pudorem, ac deposuisse modestiam videtur.

Parva & angusta frons secundum longitudinem, stoliditatem arguit apud Polemonem, & Arlamantium; nam indicat ventriculos cerebri parvos; unde spiritus nimis constringuntur, & incalescunt, refertur que ad suem, animal stolidum, indocile, sordidum, teste Plinio *lib.* 8. *cap.* 5.

Longa frons, protensa ab aure ad aurem videtur significare ingenii excellentiam, imaginationisque vigorem. Ita describitur Plato à Plutarcho. Imo inquiunt à Diogene ideo fuisse Platonem appellatum, licet alii contendant ita vocatum à latis humeris. Quæ sane intelligenda sunt etiam de fronte lata. Ex Meletio autem Philosopho quorum frontes magis approximantur parvitati quam magnitudini, ingeniosi sunt. Nam multò sunt contractiores spiritus, & vegetiores. Fertur, Sanctum Ambrosium fuisse corporis statura mediocrem, aspectu gravi, & pulchro, naso paululum oblongo, capillis flavis, fronte lata, superciliis elatis.

Frons rotunda hominem iracundum ostendit apud Aristotelem, & Galenum. Quia Spiritus facile reverberantur, ac inflammantur in interioribus capitis sinibus, inde inflammatio sanguinis, ac cerebri, cordisque, unde iræ causa.

Magna & carnosa frons stupidos homines indicat, & refertur ad asinum. Hujus plures affert rationes Joannes Ingegnerus in sua physiognomia.

Frons ad amussim quadrata, mediocris in medio subconcava aliquantulum, leoninæ similem, ingeniosum, & magnanimum præsefert. Continet enim multum cerebri, ac spirituum.

Rugosa verò, ac stricta frons cogitabundum exprimit. E contra frons valde exporrecta sine rugis hominem à curis remotum ostendit. Hujusmodi fuit Epicurus, ut scribit Sidonius Apollinaris ad Faustum.

Nebulosa, torvaque frons audaciam demonstrat. Ita describitur Carolus Burgundiæ Dux, cognomento Audax. Siquidem cùm aliquid audacter aggredimur, obnubilamus frontem, totamque ad supercilia deprimimus.

Ita nonnulli considerant tres lineas frontis transversales, quòd si una per totam frontis longitudinem porrigitur, spes est vitæ annorum sexaginta. Si duæ, annorum septuaginta; si tres, aut quatuor, multò plurium annorum, ceu notat Ptolemeus absque tamen idoneo fundamento, ideoque non sine vanitate.

Supercilia.

In superciliis, quæ oculis Natura superposuit, ut tanquam imbricamentum quoddam, & suggrundia manantes à vertice humores aliò derivent, imperiotæ Majestatis est sedes. Neque enim falsò Jovem poëta dicit: *Cuncta supercilio moventem* Horat. *lib. 3. carm. od.* 1. Fastus quidem alibi conceptaculum hic domicilium habere videtur. In corde nascitur, huc subit, hîc pendet. Ecce quanta multorum in superciliis est pietas? Quanta gravitatis ostentatio? Quibus sane non aliter inniti responso mihi videtur, quàm Atlante cœlum. Ille constractis supercilii iram significat, iste diductis tristitiam, alius remissis hilaritatem. Quidam in longum porrectis animi mollitiem profitentur; aliqui ad nasum defluxis, austeritatem; nonnulli in tempora detortis, fastidium; aut in vultum demissis, malevolentiam; aut inter se commissis, nequitiam; aut duris rubeisque, impudentiam. Ille aucto vehementius oculorum isto hyperthyro, graves animo versare cogitationes videtur, vi caloris vapore in verticem copiosius attracto. Huic vero sine dubio spes quæpiam bona animum titillat, ita crebro motu salire ipsi supercilium apparet.

Oculi.

Nulla ex corporis parte clarioribus signis elucet animus, quàm ex oculo, quem Galenus solarem animalis particulam, Stoici Deum, alii Naturæ speculum & humani corporis Solem, ac Lunam appellant. Qui positi in edito fastigio diligentem rerum omnium custodiam obeunt, perinde ac in statione speculatores interdiu, noctuque pro nobis excubantes. Oculi mentis sunt indices, cordis nuncii, qui tacito sermone, quem animo sensum, affectumque homo premat, loquuntur.

Cur enim alios, concepto intus igne, jucundi, atque exardescere; alios stillantibus aquis humectari; alios diductis palpebris connivere; alios huc illuc crebra agitatione volvi, in cœlum attolli, in terram dejici, in obliquum contorqueri videmus? Cur ita multiformes luminum contuitus apparent, truces, torvi, flagrantes, graves, transversi, limi, submissi, blandi, amicabiles, nisi moderationem, clementiam, misericordiam, amorem, odium tristitiam, lætitiam significarent?

Hinc illa in dolore humorum parata fœcunditas, & rigantes ora rivi. Hinc illa in gaudiis acies luminum hilarata, in blanditiis lepor, in iracundia torvitas. Hinc ipse cordium inspector Deus divinique homines oculum simplicem, & rectum *Eccles.* 35. *Matth.* 20. oculum malum *Genes.* 6. nequam *Iob* 24. adulterum *Proverb.* 30. subsannantem *Proverb.* 6. superbum *Ezec.* 6. fornicantem 2. *Petr.* 2. adulterii plenum *Eccles.* 14. invidum *Esth.* 5. gratum, & nitentem *Iob.* 15. magnis cogitationibus attonitum *Hest.* 5. concepto furore ardentem, *Psal.* 93. cor vulnerantem, *Cant.* 4. ira turbatum *Col.* 3. oculorum sævitia *Iud.* 9. laqueos *Ezech.* 23. concupiscentias dicunt.

Videsis in Domitiano illo Imperatore oculos prodigiose magnos, emisitios, extra convalles suas, vitellorum instar propendentes? Piger est, luxuriosus, hebes, ne equo quidem in expeditionibus, sed lectulo usus, ne delicatum corpus jumenti succussu afficeretur. Intuere Attilæ oculos parvos, reconditos, profundos? Malitiosus est, invidus, iracundus, terror orbis, Deique flagellum ex illis refulget. Contemplare trucem Caligulæ, Scytharum, Turcarum adspectum. Belluina hominum est sævitia, efferata rabies, in cæde, ac sanguine miserorum hominum oblectantur.

Non ejusdem est oculi, truculenti contuitus diritas, ac regia gravium virorum majestas, aciesque vivacitatis leoninæ, qualis in Augusto fuisse scribitur, cujus oculi clarissimorum instar siderum fulgebant, quos acrius intuentes, vultum deiiciebant, splendido radiorum vibratu perstrictum, *Sext. Aurel.* Paulo atrocior Pyrrhi Regis fuit adspectus, quo Zopyrus Macedo gladium stringens, ut caput ei decuteret, cùm Argis tegula desuper ictus Rex fuisset, adeo expavit, ut vix longo spatio tremebundus caput illi amputaret, Plutarch. *de Pyrrho.* Et Phocionis, cujus cùm supercilia perstringeret Chares, populusque arrideret, *nullum hoc vobis*, inquit, *mœrorem intulit supercilium; at horum risus multas civitati lacrymas excussit*, Plutarch. *in Phoc.* Cneus verò Marius tam fuit adspectu torvo, ut Minturnis immissum percussorem solius oculi intuitu deterruerit, Plutarch. Quod de Luthero etiam dicitur, qui submissum percussorem, ut sclopo ipsum transverberaret, ita oculorum acie perterruit, ut deposito cædis faciendæ conatu, fugam consternatus arriperet. Ille autem flagrans oculorum adspectus, actis in ore spumis, animi effervescentis ira exardescere videtur, bilis vitio vaporibus lumini offusis.

At Procopius Imperator dejectis oculis humum semper intuens, difficilem se esse & morosum significat. Quibus tristium morum latebris Crasso illi similis fuit, quem in vita semel risisse, affirmat Lucilius. Posset aliquid habere excusationis illa in attentissima cogitatione morositas; non item levium muliercularum, & cynedorum mobiles in omnem partem oculi, manifestum impudentiæ, atque inconstantiæ signum. Quales intuitus aliquando plenos voluptatis illecebræque Archisilaus Philosophus, *Nil*, inquit, *interest quibus membris cynedi sitis, posterioribus, an prioribus.*

Sed ô fides tua Fascine Deus, non infantium modò puerorum, sed triumphantium etiam Imperatorum custos. Ut speculorum præfulgens nitor oculorum intuitu, quando menstruorum rigantur aspergine, hebescunt, sanguinisque velut nebula prætenduntur, ita ne vitium mihi oculus offerat fascinator, extimesco. Neque solum à Fascino terriculum Lamias hîc etiam video cum oculis exemptibilibus, quos detrahunt sibi, resumuntque, cùm libet, ut ocularia specilla ego soleo, aut juvenes comam adventitiam. Circumspectant singula, scrutantur, indagant. Nihil tam bene obtexeris, ut lateat. Nulla tantula est minuties, quæ præterit. Nulla tam remota latebra, quæ evadit. Sed hoc alibi.

Præditi autem oculis valdè magnis proportione corporis, pigri sunt, rationem reddit Aristoteles. Qui verò oculos parvos habent, ingeniosi sunt, referunturque à Porta ad vulpem vaferrimum animal.

Magni oculi, iique concinni, aut saltem decora mediocritate spectabiles laude digni sunt, præcipue si summopere fulgeant. Nam indicant perfectionem virtutis formatricis, ac debitam temperiem humidi

humidi in cerebro, magnamque in spirituum abundantiam. Vide mala, quæ Albertus præsagit de habentibus pupillas inæquales, quidve à Porta de pupilla parva, & ejusmodi aliis.

Nasus.

Quis verò hic jam à naso incolumem se præstet? Ita irrisionum illa sedes certa spectanti ludibria minatur. Quaqua oculos flecto, obsessum, circumventumque me à Nasis video, obesis, mungosis, pustulosis, emunctis, crispantibus, simis, aquilinis, acutis, depressis, rectis, retortis. Neque in tanta varietate, ac copia nasus ullus est, qui non nasum suum habeat, ludibrioque faciendo tubam acuat. Intelligo sane, non collocatum tantum in sublimi illud humani capitis cornu, ut superna petentem odorem distinguat, cibumque ac potum suo momento examinet, sed ut irrisionis etiam obeat functionem, & morum significet asperitatem, truculentiam, proterviam, levitatem. Et quis non adunco aliquando naso suspensum se à scurra doluit? Horat. Quis non Sannionem ingeminare vidit: *Tremulos naso crispante cachinno?* Persius *sat.* 3. Quis non mordacibus nasutulorum dicteriis obnoxius fuit? Et jam mussare aliquos audio, labiisque occlusis plenum ludibriis sonum per nares edere. Quis subdolæ irrisionis ludibrium cavebit? Iste verò etiam magnum intus clamat, Plaut. in milite, & ad calicem vigilanti stertit naso? *Lucil.*

Declinemus hominem fraudulentum, ne nobis imprudentius agentibus insusurret, quod Cabbas servo aliquando vinum à mensa sustollenti, dum ille in Mæcenatis gratiam, ut liberius uxorem suam tractaret, somnum editis rhonchis simularet, Infelix, an ignoras, quod soli Mæcenati dormiam? Plutarch. serm. amator. Sed in hoc homine nasumne video, an classico canendo tubam, aut elephanti promuscidem? Ita ampla propendet à fronte moles.

Forte nasum talem Rudolphus Imperator habuit, cui obvius in angustiore semita aulicus, cùm à satellitibus cedere juberetur, *Regis*, inquit, *nasus viam implet, ut præterire nequeam.* Subridens Rex, flexo in alterum latus naso, *Progredere*, inquit, *namque amovi digitis nasum, ne te impediat.* Æque nasutus fuit Gatinus ille, in quem nonnemo ita lusit:

Quod quacumque venis, fuga est, Garine,
Ceditùrque tibi velut Tribuno,
Tandem desine quasi gloriari,
Naso, non tibi, ceditur Garine.

Illa tamen granditas, si assurgens clementer è medio, in aquilinam desinit aduncitatem, prudentiæ, patientiæ, magnanimitatis præbere judicium solet. Neque apud Persas olim honoratior fuit formæ species, quam illa Gryporum, quos dicebant, quod Cyrus ista unci figura nasum habuerit. Cœlius *lib.* 8 *cap.* 2. Franciscus primus, Rex Gallorum, Antiochus, traduntque Nicephorus *lib.* 2. *cap.* 37. aliique D. Paulum nasi fuisse aquilini. Quod in Carolo etiam Quinto, aliisque Austriæ Principibus notatum fuit, quos cum animi magnitudine probitatis indoles mundo commendavit. Quam laudem quoque Mahometes secundus de se promulgavit, naso usque adeo adunco, ut summitas contingere labra videretur Jovius *lib.* 27. Vulturiæ potius rapacitatis signum.

Non accipitur in hanc Nimbrodi familiam Gryporum illud genus, uti statim à fronte nasus intumescit. Corvinæ hoc est voracitatis, non aquilinæ strenuitatis, impudentis animi plerumque nota. Neque muccosæ, crassæ, obesæ naris homines huc referas quas, nisi emungas, & defeces, nullum sapientiæ odorem percipiunt. Mendaces verò communi etiam luce indigni sunt, quos adnata naso psydracia, & jonthi, ut in unguibus maculæ arguunt. Ille simis naribus, quales habuisse dicitur Socrates, in libidinem protervius effertur. Isti rectis, effrænatæ garrulitatis; acutis iracundiæ, adapertis, animi, corporisque firmi; obstructis, dementiæ; obliquis ac intortis internæ pravitatis indicium præbent. Vix audeo in tam vili contentissimarum rerum fabulatione, divinæ Majestatis meminisse, quæ ex multorum interpretum mente in iracundiæ significationem nasum sibi tribuit 1. *Samuel.* 24. & in patientiæ nasum magnum, *Exod.* 34.

Qui verò habent crassas pinulas nasi, ac illius extremum, pigri admodum sunt, & ad boves ab Aristotele referuntur. Qui autem pinulas narium habent amplas, & rotundas, referuntur ad leonem, & molossum ex eodem Aristotele. Scipio ille Nasica, semel ac iterum Consul sic appellatus fuit à majoribus naribus, ut refert Cœlius *lib.* 24. *capit.* 5. & Alex. ab Alex. *lib.* 1. *capit.* 9. Qui autem habent nares oblongas, & cum extremo acuto, iracundi dicuntur ab Alberto Magno, Polemone, Adamantio, & ab aliis. Qui narium foramina habent patula, & expansa, iracundi quoque judicantur ab eodem Aristotele, cujus ratio affertur à Fontano. Idem quoque Aristoteles rotundum nasum cum extremo obtuso, indicium ait esse iracundiæ, hoc est propensionis ad illam. Sic enim intelligenda sunt omnia, quæ de hac re afferuntur.

Aures.

Fallor? An illic ab extremo terrarum Orbe Fanesios video aurium mole ad talos usque propendente, quibus vestium modo corpus contegant? In hoc etiam cœtu Midax Rex conspicitur, cum asini auribus ingenti ad caput spacio surrectis. Quem longo sequuntur tardi Auritorum greges cum auribus hispidis, patulis, pendulis, crassis, flaccis. Quis non in asininis illis auribus asininam naturæ indolem animos dejectos, stultitiam, tarditatem, ignaviam contuetur? Neque magno apud me in pretio sunt, succinctæ, minutulæque aures; quæ singularem ingenii perfidiam, levitatem, avaritiam designat. Rubor verò ille obscænus quem delectet qui læsæ conscientiæ, & admissæ turpitudinis documentum exhibet? Illas præ aliis existimo aures teretes, & mediocri magnitudine decentes, quæ & ad audiendum aptissimæ sunt, & ingenuæ honestatis documentum præbent. Et nihilominus aures magnæ & quadratæ optimos mores indicant apud Aristotelem, Galenum, & à Portam, obque carnis copiam diuturnam vitam significant, cum denotent corporis constitutionem calidam, & humidam.

Os, & Gena.

In ore, ac genis roseo decore pubentibus, modestia, probitas, verecundia habitat. Hæ specioso virtutis tinctæ colore maximum juventutis decus, & ornamentum conferunt. Hæ pauperi gratiam conciliant, diviti dignitatem addunt, deformi venustatem, pulchro honestatis laudem attribuunt. Non est tanti vestium cultissimarum decentia, non auri, gemmarumve splendor, non præcellentia formæ species, quanti genæ ingenuo pudore

pudore flagrantes, pudibundi animi vestigiis impressis. Ex eo Comicus pater virtutem filii æstimans: *Erubuit*, dicebat, *salva res est*, Terent. *Adelph. act. 4. sc. 5.* Alium verò periisse arbitratus, cui perierat pudor: *Vile*, ajebat, *num ejus color pudoris signum usque indicat.* Illa virtutis nota delectatus Diogenes, cum adolescentem ob verbum præcipiti elatum lingua erubescere, animoque perturbari videret: *Bono animo es*, inquit, *fili*, *istiusmodi est virtutis tinctura*, Laertius.

Cui assensus morum Romanorum Censor gravissimus Cato, sibi magis placere juvenes, dicebat, qui rubescerent, quàm qui pallescerent. Quod rubor probam indolem arguat, pallor perversam, Plutarch. *in apopht.* Quod honestatis vestigium Demades in muliere pulchritudinis arcem appellabat, Stob. *serm.* 24. Neque alia ad summi honoris fastigium via contendit Domitianus, quàm oris probi verecundia, de qua ad Senatum jactare ausus fuit: *Usque adhuc certe animum meum probastis, & vultum.* Fuit namque ille, Suetonii testimonio, vultu modesto, ruborisque pleno, & assentiente Tacito Annal. 2. *Decorus, ignotis adhuc moribus, habitus, & crebra oris confusio pro modestia accipiebatur.* Quæ in Demetrio tantum apud Senatum valuit, ut Philippo patri pluribus in curia criminibus impetito, nihil æque profuerit, quàm pudibundi adolescentis rubor, cùm oblatas à civitatum legatis criminationes depellere non posset.

Nihil igitur rei cum adolescentibus duri oris nequam nobiscum esse debet, qui & impudenter dicunt, quod in buccam venit, & audacter faciunt, quod improba animi libido suggerit. Non probatur ille pallor, quo ad præceptorum monita, & objurgationes genæ turpiter inficiuntur. Non est illud virtutis, pudoris, modestiæ, sed improbitatis, impudentiæ, obstinationis pigmentum. Pudere eos malo, & rubere, quando eorum delicta arguuntur, quàm ridere, certisque intractabilis animi notis ad capienda virtutum semina indignos, ineptosque eos declarare. Talis Caligula erat, qui nihil magis in natura sua probare dicebat, quàm inverecundiam, quæ nullum ipsi in designandis flagitiis ruborem affunderet, Suetonius. Quo vitio non male audirent Athenienses ad significandam impudentiam.

Admiror Naturæ providentiam, quæ justa mensura fecit os grande, ubi major, & capacior stomachus. Unde tales videntur ad intemperantiam propensi ex Magno Alberto. E contra os parvum. Os autem apertum stultitiæ ac stupiditatis est signum ex Aristophane. Oris suavitas, & fragrantia commendatur.

Labia & Mentum.

Quis in labiis, ac mento mentem habitare putet? Labia quidem dentium procæstria, loquendique adjumentum, si patula fuerint, forasque protuberent abundantius, ut in Mauris latronibus, audaces, impudentes, luxuriosos denotant. Sin succincta, & adstricta, modestos, sobrios, largos significant. Tenuitas illorum sagacitatis, & eloquentiæ indicium præbet. Multum rubicunda puritatem sanguinis, tenuitatemque carnis indicant. Cujus labia non bene sunt tincta, ægrotant, ex Rhasi, eorum exporrectio cogitabundi signum est. Alia leges apud Albertum *lib. de anim. tr. 2. cap.* 9.

Mentum cum naribus plerumque convenit, cujus acumen iracundiam, arrogantiamque. Obtusio hebetudinem; fissio amicabilitatem, ut plurimum designat. Mentum breve ingeniosorum sæpe est, cùm sæpe annexum sit cum magna amplitudine partis superioris capitis, & copia cerebri. De mento bipartito vide Aristotelem *lib. 3. hist. animal. capit.* 11.

Dentes, & Lingua.

Qui raros, aut paucos habent dentes, sunt brevioris vitæ, secus qui plures ex Hippocrate 1. *epid. sect.* 6. & ex Aristotele. Qui verò cohærentes, & continuatos, feri sunt, & agrestes. Ita Pyrrhus Epirotarum Rex, qui unum tantum os in singula gingiva, non interruptum, teste Plinio *lib.* 7. *cap.* 17. Ita & Euriphæus, Cyrenæus, Drusias, Prusiæ Regis filius, referente Sexto Pompeio *lib.* 11. & Alex. ab Alex. *lib.* 1. *genial. cap.* 19.

Molares, ante pubertatem enati, breviorem vitam indicant, sicut stirpes, quæ celerius florent, celerius evanescunt. Testatur Magnus Albertus se hominem cognovisse, cui anno octogesimo dentes nati, & Zanilen Samothracensi civi post centum quatuor annos apud Plinium *lib.* 11. *capite* 37.

Dentes nigri, fuligine offuscati ostendunt copiosa cerebri, aut ventriculi excrementa, tum præcipue si duriori sint alvo ob excrementitias fœces detentas. Describit Delrius in Cantic. 4. explicans illud: dentes tui sicut grex tonsarum, conditiones dentium pulchrorum, sanorumque.

Lingua verò subtilis, tenuis, acuminata, limata ex Scoto sagacem hominem, ingeniosum, subtilem, & colericum significat; est enim inditium magni caloris, ac spiritus, quibus competit extendere ac deducere in acumen instar ignis.

Lingua crassa brevem vitam denotat. Grossa, & immoderate prælonga ingenium rude, ut boves.

Longa, lata, rubicunda significat morum bonitatem; alba corruptionem. Cùm enim spongiosa multum sit, facile humores recipit, eisque colore assimilatur. Ideo febres indicat, ut tradit Galenus *com.* 5. *in lib.* Hippocr. *de morb. vulgar*, addens, viridem linguam biliosos, nigram melancholicos, humidam ventriculum, aut cerebrum humidum indicare.

Barba.

Sed quinam illi sunt Barbæ Reges, prolifica pilorum supellectile in pectus propendente? An priscæ memoriæ Philosophos video, barbitio spectabiles, & pallio? An potius ex Quiritium Senatu venerabiles Senes, quorum in curuli sedentium conspectu victor Gallus, tanquam objectis Deorum vultibus obstupuit, baculi etiam ictu perstrictus, cum barbaram manum promisso capillitio admoveret? Hoc habitu pastores Arcadas, & Auruncos patres, & intonsos, sanctissimæ severitatis Cethegos, Scævolas, Curios, Catones, Manlios vetustas depinxit, in quorum hispida coma, & demissa barba virtus ipsa habitare putabatur.

Duravit in Ticinium ad quintum Urbis seculum promittendæ barbæ consuetudo, cùm juventus delicatior tonsoribus è Sicilia adductis mentum, caputque radendum permitteret, Plin. *lib.* 7. *cap.* 59. Hirta propendentis mystacis coma antiquitus virilis animi signum erat, nullam ornandi, oblectandique corporis admittentis curam. Quare Diogenes cuidam barbam abradenti: *Nunquid naturam*, inquit, *accusas*, *quod te virum fecerit*, *non mulierem*? Lacon verò Senex interrogatus, cur barbam

bam aleret sylvosam, *ut dixit, intuens canos, nihil indignum illis committam*, Plutarch. *in Lacon.* In quam mentem alius dixit: *Barbam alo, ut virum me genitum esse, cogitem, & viriles virtutum obeam functiones*, Lycosth.

In Nazaræis coma intonsa votum significavit Deo religiose nuncupatum, Joseph. *lib.* 5. *antiq.* Qui postremis tamen temporibus, evilescente jam majorum instituto, pilos detonsos in sacrificii ignem conjiciebant, ut hoc modo pietatis perfectionem testarentur. Ita apud Græcos Threpteria celebrabantur, quando præcisum in ætatis vigore capillum Deorum honori consecrabant, Cœl. *lib.* 7. *cap.* 23. Athenis verò Ephebi, Theseo authore, primam barbam Apollini dedicabant, Plutarch. *in Theseo.* In gravi etiam luctu apud Græcos usitatum fuit, ut barbam rescinderent, quod Pentherium nominabant, Cœlius, quem Ægyptii sacerdotes morem usurparunt, quoties mortuo Api imminentium calamitatum metu percellerentur. Polyd. *lib.* 4. *cap.* 8. Quod Milesii etiam fecisse dicuntur, Sybari à Crotoniatis direpta.

Summo alioquin apud Græcos, & Germanos veteres honori fuit barbam, comamque nutrire. Primus Alexander morem illum abrogavit, qui cum Dario congressurus acie, Parmenioni injunxit, ut radi Macedonum menta curaret, ne innexis barbæ manibus hostilem injuriam paterentur, Plutarch. *in Regum apopht.* Quod imitati sunt Germani, maximè cùm sub Lothario Imperatore in castris ad Spiram, luxurians pilorum seges fulmine exureretur. Grant. *lib.* 6. *Metrop.* Judæis pudori, atque ignominiæ fuit, barbam radi, qua turpitudinis nota cùm Davidis Legatos Anon, Moabitarum Rex affecisset, atrocissimum bellum concitavit, quod ipsi, regnoque perniciem à attulit Reg. 2. *cap.* 10. Venit mihi hoc loco in mentem Solimi Turcarum Imperatoris, qui rasa barba non velle se ad patris Bajazetii exemplum, pilos nutrire dicebat, ne Bassæ manibus injectis Principem ducerent, quò vellent, ut patri suo evenerat.

Interea non possum, quin cum Democrate veterum quorundam de schola dementiam rideam, qui cum barba philosophantur, tum se philosophos rati, si ingentibus pilorum scopis pallium, peramque obumbrarent. Ille rogatus, quam Philosophiæ sectam profiteretur, succussus vehementiore visu: *Quid stultius est*, inquit, *quàm ut homines ex barba Philosophum æstiment?* Qualem de villis, filisque pilosis Philosophum egregie aliquando Aristippus excepit. Invitaverat ille Aristippum in Dionisii domum, ut constratum pretiosis tessellis pavimentum, regiumque ædium apparatum, & luxuriam perspiceret. Quod cum fecisset Aristippus, circumspectis omnibus, sputum oris in barbam hominis rejecit, cùm in tota domo nihil videret, ad excipiendum oris retrimentum opportunius, Laert. 2. *cap.* 8.

Sed hoc Cynicam sapit inverecundiam. Herodes Atticus civilius istius sectæ hominem tractavit. Petebat ab illo quisquam barba tenus Philosophus nummos ad panes coëmendum. Interrogatus verò, quisnam esset? irato vultu, Philosophum se se respondit. Cui Herodes: *Video*, inquit, *barbam, palliumque, Philosophum verò non video.* Nequam homines, qui virtutem supercilio, sapientiam pilo, professionem vestium habitu simulant, struthionibus similes, qui cum volare non possint speciem tamen volandi habent.

At quid hoc monstri est, quod video? An hîc fœminæ etiam alunt mystaca, viris quibusdam barba exutis? Neque enim credo Minervæ apud Pegadenses sacerdotes esse, quibus, si quid publicæ calamitatis impenderet, barba germinante mento adnascebatur, Herod. *lib.* 8. Strabo *lib.* 13. Aut mutato sexu homines in diversi generis habitum transisse, ut Cœnidi evenit, Elati Regis filiæ, quæ voto ex fœmina vir factus Cœnei nomen assumpsit. Ovid. *lib.* 11. *metam.* O Virgines, barbitium illud vestrum caloris, roborisque plusquam feminei copiam significat, quæ virile jugum invita sine dubio cervice patitur. In aliis insita frigiditas, obstructis, obseratisque meatibus, obsideri mentum pilo non permittit. Quam eunuchi indolem sequuntur, dum frigiditas calorem interpellat, & siccitas pabulum oblædit. In viris tamen quandoque etiam nimia meatuum capacitas barbitii messem frustratur, evaporante fumo, antequam consrescat. Quæ pilorum in mento raritas; atque infrequentia tacitis hominum ludibriis in Caligula exagitata fuit. Neque minus in Juliano Apostata, qui ad coërcendam hominum illusionem librum scripsit μισοπώγωνα barbæ osorem dictum.

Porrò barba perfectionis signum est, ideoque Romani Deos suos barbatos pingebant. Recteque notavit Baronius in diversis locis diversas consuetudines circa barbam apud Orientales, & Occidentales. Quod autem viro subcrescat, non autem mulieri, calori adscribitur, vi cujus in viro vapor excrementitius, ac siccus evaporescit ad cutem. Si autem menstrui cursus subsistant in femina, parvi pili prosiliunt in mento, ut refert Aristoteles *lib.* 3. *cap.* 11. *hist.* accidisse mulieribus sacerdotibus in terra Choria, & cuidam Helenæ natæ 1578. in Episcopatu Leodiensi, ut scribit Gilbertus Uvoscius medicus.

Copiosa barba copiam caloris, & humorum fuliginosorum indicat, estque signum fortitudinis, & audaciæ, ac etiam propensionis ad libidinem.

Qui citò barbam emittunt, calidi sunt, qui tardius, frigidi. Barba rara frigidum quoque corporis habitum indicat, quod nullos excernat vapores terreos, & siccos, nec educere valeat pilorum procreationem. Aliquando tamen significat hominem valde calidum, quia virtute copiosi caloris, laxatis poris, vapores universi exhalant. Valde etiam humidum nonnunquam significat, ideoque terrea fuligo non excernitur. Unde loca humida barbam non progignunt, & hac fortassis de causa spadones non imbarbescunt, quia humidissimi, & si addatur causa defectus caloris.

Collum.

Qui collum crassum habent ac plenum, relati ab Aristotele ad tauros, animosi sunt. Oritur namque animus ex magno calore eoque efficacior, quò contractior. Contractior autem si parvum est cor. Ideo namque cervi, quia cor magnum habent, sunt timidi. Colligitur autem ex crassitie, ac plenitudine colli parvitas cordis, & caloris copia.

Collum verò tenue ac prolixum significat timiditatem, & refertur ad cervos ex Aristotele. Ex eo enim indicatur caloris inopia, & nervorum exilitas. Suetonius *in Caligula cap.* 5. sic eum describit: Pallidus colore, corpore enormi, gracilitate maxima cervicis, & crurum, oculis & temporibus concavis, fronte lata, torva, capillo raro, & supra verticem nullo, vultus natura horridus, Ideoque timidissimus, quare sæpe in bello fugit cum summa ignominia.

Lupus

Lupius & vitulus marinus colla habent brevissima, ideoque voraces sunt, talesque dicuntur, qui habent collum breve. Rationem reddit Nicquetius, aliaque addens de collo, humeris, dorso, pectore, brachiis, axillis, mammis, costis, lumbis, ventre, umbelico, coxis, femore, genu, crure, testiculis. Nos de manu postea.

Pedes.

Habens pedes exiguos, angustos, animi mollitie laborat. Unde ab Aristotele inter feminas enumeratur. Ejusmodi pedes habuisse Telemachum ait Homerus.

Quibus verò pedes agiles sunt, magni, beneque compacti, ac nervosi, vegetas habent animæ vires. Quare Aristoteles censet omnem velocem, ac robustum virum magna spirituum animalium copia abundare. Spiritus enim quasi ignis, ignis autem proprie agilitas. Ideo Pyrrhus, Achillis filius, à pedum ignea celeritate sic appellatus, teste Cælio *lib. 5. cap. 3.* à meridie ad vesperam septuaginta quinque millia passuum perpetuo cursu transigebat, cum tamen annum decimum nondum attigisset, ut narrat Plinius *lib. 7 cap. 20.* Sic Philonydes, Alexandri Magni Cursor uno die centum quinquaginta milliaria conficiebat. Simile refertur à Strabone *lib. 15.* de quadam gente Indica, & de Troglodítis Solinus.

Incessus.

De hoc sufficit ostendere locum D. Ambrosii *de offic. cap. 2. & 18.* cui addendus est Ecclesiasticus *cap. 15 ex visu cognosci virum, & occursu faciei sensatum, amictum corporis, & risum dentium, & incessum enunciare de illo.* Thaslelus monachus *Hecatontade 3. sent. 65.* gestus exteriores, inquit, signa sunt motuum intrinsecus latentium, ut arborum incognitarum fructus producti. Basilius verò *epist. 1.* ita præcipit: *Incessus neque sit, ut animæ exolutionem declaret, neque rursus vehemens, ac insolens, & concitatus, ut temerarios ejus impetus ostendat.* Unde non immerito physionomicus conjecturas ex incessu de hominis temperie, & affectibus mentis circa inclinationem naturalem plura conjiciunt.

Celer viro est proprius, & calorem indicat. Unde refert Macrobius *l. b. 2. Saturnal. cap. 3.* quod cum Piso, gener Ciceronis, tardius incederet, filia autem velocius, dixit ironice subridens, ille ambulat tanquam femina, ista tanquam vir.

Tardus autem incessus frigus, pituitam, melancholicam constitutionem, pigritiem, segnitiemque significat, ideo mulieribus, senibusque propria, teste Alberto. Quare anus Plautina sui tarditatem incessus excusans, dicebat, onus maximum portare, annos scilicet 74. Ideo Salamandra incessu est tardissima, stupida, & frigida.

Graviter verò ambulantes cogitabundi sunt, ac plerumque bene affectæ mentis. Unde sacerdotes secundum Canones, & D. Augustini regulam, gravitate incessus mentis gravitatem ostendere debent.

De Chiromantia naturali.

De Manu, quæ mirabilis est Naturæ miraculum Zoroastro, totius corporis munus Isidoro, humanæ vitæ præsidium, amicitiæ sedes, corporis, ac præcipue capitis propugnaculum Lactantio, ut Astronomicæ Chiromantiæ vanitas eliminetur; hæc observanda sunt.

De Manibus carnosis, mollibus, longis, &c.

Manus valde carnosæ copiam humoris indicant, Caronamque temperiem humidam importat. Nimia autem humiditas officit ingenii bonitati. Unde carnosi sunt ingenii hebetioris. Sic etiam durities manus, vel carnis sensuum hebetudinem ac subinde intellectus denunciat. Contra ex Aristotele *2. de anim.* carnes molles vivacitatem, solertiam, magnamque ad cunctas disciplinas capessendas idoneitatem portendunt. Pluresque rationes affert Hippocrates *lib. 1. de part.* docens, nihil in primis prudentiæ magis deservire, quàm sanguinem subtilem, ac purum, ex quo provenit mollis caro, sicut durior ex crasso, & terreo. Et quia caro est sensorium tactus, quo mollius sensorium, eo magis speciebus pervium sensibilibus. Sensus autem sunt intelligentiæ nuncii, atque administri. Ac etiam quia mollities carnis indicat excrementosam materiam, quæ indurari potuit, perfecte secretam esse, atque evaporasse. Cùm enim caro mollis sit magis aperta, & pervia purgationi materiæ excrementitiæ summopere deservit; unde optima corporis temperies.

Secus autem dicendum est de mollitudine muliebri, si ex spumoso, aëreo, & contemperato calido absque pituitæ copia nata non sit, sed ex abundanti humore aqueo prosiliente. Unde tardæ sunt, ac pigræ.

Manus autem subtiles, & longæ timiditatem prænunciant, cujus rationem reddit Camillus Baldus.

De Manibus magnis, parvis, & pilosis.

Manus magna, articulata, & nervosa robustos viros significat ex Aristotele. Arguit enim copiosum calorem. Ideo Claudius Imperator pugno dentes equi excutiebat, Longimanus Persarum Rex, & Septimius pollice currum nitentem repellebant.

Crassæ ac breves manus cum parvis digitis significant pigrum, obtusum, & hebetem. Nam indicant parum caloris, & multum crassæ materiæ atque humidæ.

Qui verò habent manus pilosas luxuriosi sunt ac feri, & agrestes, ut Isau, qui non solum manus, sed & totum corpus pilosum, & hispidum habebat, Jacob contra. Manus siquidem pilosa immoderatum caloris fomitem arguit.

De Lineis manuum.

Quibus à natura desunt lineæ in manibus videntur elanguisse vires potentiæ formatricis. Possunt tamen ex ætate ingravescente vel ex gravioribus morbis, aliave de causa lineæ obliterari.

Qui longiores ac per totam manus palmam productas lineas habent, longiorem vitam protrahere creditur. Contra, qui breviores ex Aristotele *1. hist. capit. 15.* in hæc verba: *Pars interior manus vola dicitur carnosa est, scissuris vitæ indicibus distincta; longioris scilicet vitæ singulis, aut binis ductis per totam; brevioris binis, quæ non longitudinem totam designent.* Fusius hoc idem habet *sectione decima probl. 48. & sect. 34. problem. 10.*

Lineæ profundæ, rectæ, altæ, expressæ, amplæ,

ptæ, in longum tractum continuo productæ, vivo calore pellucidæ, vitam indicant parum infirmitatibus obnoxiam. Secus lineæ tenues, abruptæ, concisæ, in plures ductus confractæ, decurtatæ, incisæ, aliarumque linearum interventu divulsæ, exiles, & veluti in surculos & ramulos incisæ. Sic enim denotatur imbecilla formatrix facultas, & defectus caloris.

Quid autem conjectari possit ex linea vitali, sive cordis, cerebri, hepatis, & mentuli, ac de partibus principibus, quibus correspondet, vide Nicquetium, & alios. Id certum, quod si ex astris, & physionomia tantum conjectura, & levis suspicio acquiri potest, multo minus ex lineis manus. Unde contemnendi, qui ex lineis manuum judicant de vita longa & brevi, infirmitatibus & sanitate, & quod pejus, qui de actibus liberis, fortuitis, & contingentibus, de quo infra.

De Digitis.

Digiti crassi, & breves sunt stolidorum, rudeque ingenium portendunt, ut tradit Albertus, & Polemon. Nam infertur redundans materia; unde crassities, parumque caloris, unde brevitas. Quare ante cibum crassiores sunt digiti; nam redundant fumi varii, pravique humores, qui accepto cibo evaporant, ac subinde digiti gracilescunt.

Digiti etiam cum articulis crassis pravam corporis constitutionem indicant. Si recte retro flectantur ingeniosos, & loquaces ostendunt homines ob humorum tenuitatem, ac subtilitatem.

Digiti longi edacem hominem arguunt. Qui autem pollice constant breviori, sed crassiori, valde robusti sunt. Sic Maximus Imperator robustissimus, pollice fuit tam vasto, ut uxoris dextocherio uteretur pro annulo ex Julio Capitolino, Dextocherium autem muliebre brachiorum ornamentum est, quod ex auro in annuli lati formam, gemmisque pretiosissimis integebatur.

De Vnguibus.

Ungues, si abunde subcrescunt, excrementorum abundantiam significant; ut in febricitantibus videre licet. Ex Aristotele *lib. 2. de generat. animal. cap. 6.* homines respectu cœterorum animalium maximo calore abundant, ideoque minus de excrementis terreis, & incoctis, & ungues habent aliis minores.

Ungues asperi, & rotundi ex Alberto ostendunt inclinationem ad luxuriam. Ex rotunditate enim magnus arguitur calor, moderatusque humor, qui à calore consumitur.

Ungues item asperi, & adunci, calidam, siccamque naturam indicant, breviorem ideo vitam, & infecunditatem, referenturque ad aves rapaces & carnivoras. Tabe laborantibus ob nimiam siccitatem ungues recurvantur.

Ungues verò crassi, vel carni adhærentes hebetem, stolidum, & imprudentem denunciant. Contendit autem Georgius Valla *in suis problem* idipsum indicari ex parvis, & angustis; nam parum caloris indicant.

Ungues autem nigri, & parvi melancholicorum proprii sunt. Tales senum ungues, imo & totum corpus ob defectum caloris.

Ungues plani, albi, molles, tenues, subrubentes, bene lucidi optimum ingenium indicant. Quod signum raro fallere notavit Albertus. Nam optimam carnis temperiem; cujus constitutionem sequuntur ungues, enunciant.

De Signis unguium.

Hieronymus Cortesius, aliique plures vanissimas, & plane superstitiosas unguium notis ediderunt, ex illis auspicantes fausta, & infausta, ac etiam libera. Quod pertinet ad chiromantiam judiciariam, damnatam à Sixto V. Fausta quidem ex notis albis, infausta ex nigris. Unde autem id colligant, ignorant. Ideoque in his intervenit pactum implicitum cum dæmone, qui, ut sæpe diximus, studet his vanis se immiscere.

Id autem physice accidere dicimus cum Alexandro *lib. 1. problem.* Nimirum ex phlegmate oriri albas notas, nigras ex melancholia, quæ albugines appellantur, & potius in unguibus manuum, quàm pedum gignuntur, & in pueris magis, quia prodeunt ex pituita. Hæc autem magis abundat in pueris edacioribus. Pedes vero per motum, & agitationem materiam magis digerunt, quàm manus.

Tradit Joannes Tardinus, hujusmodi maculas quandoque intra septem, aut decem dies à radice ad extremitatem usque, imo aliquando antea, evanescere. Interdum autem digeritur excrementitius humor. Credit enim hic autor cum nonnullis aliis, ungues animatos esse.

De Manu dextera, & sinistra, deque Ambidextris.

Agunt de his Hippocrates, Aristoteles, Nicquetius, & alii. Nos id tantum advertimus, quod pars dextera calidior, & valentior est sinistra. Recur enim dexterum est. Verum ex Aristotele *de part. cap. 4.* cor vitalis caloris fons existit in medio corporis, suo tamen turbinato mucrone ad sinistrum latus vertitur. Os vero illud, quo spiritus emittuntur, dextrorsum obversum est. Imo cùm in eo sint duæ cavitates in dextera spiritus, qui sanguinis portio est calidissima, continentur, in sinistra frigidior sanguis. Unde sinistra humidior & frigidior. Ideo sinistrum oculum citius, quàm dexterum contrahimus, quia humidior est, unde facilius patitur.

De Humorum indiciis.

Magna est humorum, ac morum in homine consensio, ut vitia, ac virtutes, non alio pene ex fonte, quàm ex corporis habitu, succorumque temperatura redundent. Hinc mens humana miris modis afficitur varièque conturbata in diversos status detorquetur. Hinc aut ad vitia, aut ad virtutes vehementiore cupiditatis impetu propendemus. Hinc ad intelligendum, & sapiendum magis, minusve valemus, ad expedienda negotia paratiores, tardioresve sumus, ad obeundam civilis vitæ functionem imparem curam, ac dexteritatem conferimus. Hinc alias procellosis solicitudinum æstu jactamur, alias sedatis, restinctisque perturbationum motibus in secura tranquillitate versamur. Nunc subditis iracundiæ facibus ferocimus; aliquando benignis sermonis, morumque facilitate omnium in congressu gratiam demeremur.

Neque aliter ut corpus pro diversa humorum affectione variatur, & aut collapsa valetudine languet, aut integra, incorruptaque sanitate omnes officii sui partes probe, alacriterque exequitur; ita ab eodem principio animus in diversas morum species

species transformatur, & convenientem temperamento corporis habitum assumit. Si sua illi perstiterit moderatio, apta, concinnaque humorum commensuratione, mores integri sunt, atque incorrupti, mens placida, ac sedata, animus acer, atque industrius, vitæ totius probitas spectata. In sermone comitas, in vultu benignitas, in gestu decentia, in frænandis cupiditatibus moderatio, in capiendis consiliis providentia, in obeundis negotiis dexteritas elucescit. Sin imbutis vitiosa qualitate humoribus intemperies dominetur, cum corporis ægrotatione animus illico sanitate sua spoliatur. Ira, excandescentia, obtrectatio, metus, pavor, sollicitudo, æmulatio, cæteræque malarum libidinum pestes erumpunt, quæ rationis obluctatæ imperio hominem à recta virtutis via abducunt, & profundo sæpe exitialium errorum, miseriarumque immergunt.

Faculas videmus minus exhibere lucis, quando impolito, parumque nitido inseruntur candelabro, ita mentis lumen fœculentis humorum offusum tenebris, obtorpescit, obtusaque rectæ rationis, & consilii acie, pro violento cupiditatum impetu in suam perniciem impellitur. Vitalis hic præcipuæ spiritus sunt partes, qui contracta ex impuris humoribus labe, diffusisque per universum corpus, animi serenitatem perturbat, morum integritatem deperdit, hominem ad enormes perversarum libidinum impetus avertit.

Neque enim magis in placido securitatis portu acquiescet, quàm in tempestuoso mari navicula, validissimis aurarum flabris huc atque illuc acta. Ut enim incumbens terræ, marique ventus sævissimas tempestates excitat, commotisque in alto fluctibus littora aggeresque convellit, ac lacrymabilem satis, atque animantibus noxam infert; ita turbulenti in corpore spiritus horribiles animi motus cient, jactatumque perturbationum impetu pro arbitrio versant. Frustra obluctatur ratio, dum impotens sui cupiditas velut navem excusso nauclero, avulsoque clavo, damnosis errorum scopulis hominem impingit.

Ex hoc humorum, spirituumque seminario, tanta inter homines morum, atque ingeniorum pullulat varietas. Hinc una anima in uno homine tam multiplices sæpe actiones edit. Hinc illa cogitationum, cupiditatum, affectuum, perturbationum diversitas oritur, quæ sumptis ex aëris, alimentique natura viribus rationis frænum excutiunt, nisi fulta divino præsidio hostilem à se impetum propellat. Intueamur illos aurigas, bajulos, vectores, salsamentarios, quique aut sub armis duram vitam agunt, aut in lustris popinariis lutulenta vinorum fæce pascuntur, quàm illi ex crasso, impuroque sanguine asperos habent mores! Quanta in hoc hominum genere est ferocia! Quanta inhumanitas! Quam gerunt pectora obtusa, nullis conscientiæ stimulis perfodienda, nulla bonorum reverentia, nullo religionis metu, nulla turpitudinis verecundia emollienda? Non est illa morum immanitas in defœcati, sincerique sanguinis hominibus, qui animo placido, ac sedato ad humanitatis, & benevolentiæ studia propendent, turbulentos cupiditatum motus comprimunt, pudore, ac verecundia in officio continentur, rarò aut ira exardescunt, aut vindictæ cupiditate accenduntur, aut malæ libidinis impetum admittunt. Quod si vel incommodi accepti indignatione, vel cupitæ rei desiderio tacitè, latenterque effervescant, atque intra se tumultuari incipiant, ut cum indignatione ventorum mare cohorrescit, suspensis in alto undis, solutaque magis tranquillitate, quàm fluctibus excitatis, confestim adhibita in consilium ratione, motus exorientes componunt antequam in graviorem tempestatem erumpant.

Nulli quidem tam sunt abditi animorum recessus, nullæ tam reconditæ intimisque penetralibus retrusæ pectorum latebræ, quas non humorum in corpore exundantium dominatio aperiat, & in conspectu ponat. Ut in quoquam aut pituita congeritur, aut bilis exuberat, aut sinceri sanguinis copia abundat, ita ad certa morum studia conformatur, & ex temperati corporis statu animi habitum adsciscit. Atque ut aër, pro diversa cœli temperie, variæ qualitatis spiritum herbis, atque animantibus affundit, ita humorum in corpore moderatio suam animo vim impertit, illique aut salutarem virtutis auram adspirat, aut exitialem vitiorum pestem affert.

Veniat huc in medium pituitosus ille, corpore adiposo, facie albicante, cute glabra, capillo spiceo, incessu tardo, oscitando, pandiculandoque fœdam ore illuviem reiiciens. Nosco indolem tuam, homo. Teneo corporis animique tui statum, non minus, quàm si eodem tecum ovo natus essem. Caput quidem molesta gravedine opprimitur. Fauces tussi, ac raucedine infestantur. Os, ac nares mucco affluente redundant. Corpus universum, manante in partes inferiores uligine ad somnolentium, ad desidiam, ad veternum inclinat. In curandis officii sui partibus tardum, inhabile, impeditum. Animus sopito, immersoque frigidæ sentinæ calore, hebet, ingenium languet, memoria vacillat, sensus obtusi sunt, ad præstantium doctrinarum studia, ad res dextre gerendas, ad gloriam magni nominis parandam, exigua à te ipso præsidia obtines.

In eo laudem mereris, quod miti, sedatoque es ingenio, quod à naturæ acerbitate alienus vix unquam stomacho, atque iracundia effervescis, non technis, fallaciisque alios circumvenis, non sicam vibras, non venena spargis. Nihil in te cum Antonio Cæsar agnoscit, quod aliquem ipsi metum, ac formidinem incutiat.

Tuus, biliose, pallor, & illa compacti corporis gracilitas, illa flammeæ faciei fuscedo, illa crispi capillamenti nigrities, volubilis lingua, hispida cutis, majores, promptioresque habet nocendi vires. Ut enim est in te animus acer, alacer, erectus, qui ad res præclaras stimulos tibi admovet, atque incitamenta ingenium solers, acutum, inquietum, ita dolis, insidiisque moliendis singularem aptitudinem habes, atque ut apes ingentes animos parvo sub corpore gestant, ita modico in corpore magnos alis spiritus, iram facile concipis, facile deponis, negotia ut expedis dexterrimè, ita eludis sæpe socium vaferrime, in venerem præceps, in honorum certamina proclivis, impiger, iracundus, inexorabilis, acer.

Væhi! tamen tibi, si bilis illa tua, aut exusta nimii caloris vi, aut computrescens atram fuliginem concipiat, atque aut ex naturæ indole, aut diuturni mœroris carnificina, aut suppresso naturæ profluvio, aut jugi studio, & intempestiva lucubratione in melancholiam devergat. Namque ut atra nubes soli offusa, radios illius intercipit, ac lumen offuscat, ita bilis deflagratæ cineres mentem obducunt, omnemque ingenii lucem homini præripiunt.

Hinc igitur densa fuligine cerebro impleto, corpus

corpus affligitur, animus male habet, homo difficilis, querulus, morosus, durus, intractabilis, præfractus, avarus redditur. Multa est in illo invidia, æmulatio, amarulentia, odium, indignatio, malignitas, dolor animi inexhaustus, solicitudo, anxietasque, nulla consolationis medicina corrigenda. Quod si invalescens deterrimi humoris vis in principes partes imperium sumpserit, mentis oritur alienatio, qua sibi alii cervina ad frontem corona; alii pendulam ad nares caudam affinxerunt. Quidam in lupos, in millii semina, à gallinis devoranda, in mortuorum spectra commutatos se crediderunt. Nonnull capita, ventresque intus ranis, muribus, bufonibus obsideri sunt imaginati. Multi ad desperationem, ac diffidentiam delapsi calamitoso, funestoque exitu vitam finiverunt.

Nullum quidem isti sanguinei habitus, quem in proximo video florido vultus colore, subnigro capillo, rutila barba, elegante aspectu, amabili, & gratiosa corporis venustate, ab isto solicitudinis impetu periculum impendet. Sincero, defæcatoque sanguine scatet, quo neque corporis ullus status ad proferendam vitam, ac removendam senectutem est commendatior; neque ad capienda virtutum, scientiarumque magnarum semina magis laudatus, maxime si modica bile temperetur, & salutari educationis præsidio fulciatur. Adolescit enim in uberrimam frugem illa boni sanguinis indoles, ut vites, arboresque generosæ pretiosos ferunt fructus, si fertili depactæ solo, dum adhuc teneræ sunt, diligenter educentur.

Delitescit sub hoc humore expedita mentis agitatio, morum amabilis venustas, dicendi facultas, agendi dexteritas, singularis ad imitandum quidvis aptitudo. Quæ dotes cùm ætatis, calorisque nativi accessu, quotidiano usu, atque exercitatione communitæ, magnum sæpe Reipublicæ gerendæ usum, atque ornamentum contulerunt.

Sin ille meracissimi sanguinis liquor nulla calidæ bilis acrimonia coërceatur, effervescentis instar musti, in venis ebullit, animique puerilem mobilitatem, atque inconstantiam parit. Nulla est in vultu, gestuque corporis modestia, in moribus gravitas, in agendis rebus prudentia, in judicando ratio, in moderanda vita consilium, in persequenda virtute, gloriaque diligentia. Nihil animo cogitatur serii, nulla de gravioribus rebus instituitur meditatio.

Compesce, adolescens, exultantem inaniter sanguinis ebullientis spiritum, coërce vitulantem indecorè immodestiam, adjunge tibi prudentes vitæ moderatores, aut instabilis illa, volubilisque naturæ tuæ conditio ad luxum, ad obscænos amores, ad dissipandum patrimonium, ad turpia Bacchi, Venerisque studia, ad detestanda malarum artium exercitia desciscet.

Neque homines tantum singuli, sed nationes universæ, ex illa corporis temperie, studia, moresque suos moderantur. Quis Asianam nescit mollitiem, impetus evanidos, iras citò conceptas, citò defervescentes, ingenia prompta, solertiam, industriamque obeundis negotiis singularem? Sanguinis, cœterorumque humorum hoc facit tenuitas, quæ & ingenii vim intendit, & iras ad primum plerumque impetum deflagrantes, inflammat. Aliam in objectis Aquiloni populis indolem animadvertes, quos sanguis crassus, densique Spiritus tardiores quidem reddunt, & hebetes, sed ad pericula suscipienda impavidos, ad perficienda negotia constantes, ad tolerandas molestias firmos.

Consultatio XCVII.

An & quatenus Divinatio Physionomia, Chiromantia, Spatulamantia sit licita? Sive

An & quatenus Physionomia, & chiromantia sapiant hæresim manifeste?

Physionomiæ generale nomen est ad Physionomiam naturalem, & vanam, sive judiciariam. Physionomiam naturalem artem esse, tradit Aristoteles *in libello de Physionomia*. Nam anima & corpus se sequuntur, nec est impassibilis anima à motibus corporis, ut patet in ebrietate; & ægritudine, & è contra corpus passionibus animæ vexatur, ut liquet in actibus amoris, odii, timoris, doloris, voluptatis.

Ex quibus, subdit Aristoteles, accipiuntur prænotiones conjecturales ad futuras affectiones, sive potius propensiones ingenii acumen, vel ruditatem, ex corporum, atque membrorum quantitate, figura, habitu, proportione, colore, temperie, motu & hujusmodi aliis. Et quia hæc est ars conjecturalis tantum quoad futura, ideo licita dicitur. Hanc sententiam tutatur Nicquetius *lib. de physogn. cap. 5.* eo modo, quo Physica, Philosophia moralis, Rhetorica, & similes.

Dividitur autem physionomia in physionomiam, sive Metoscopiam, specialiter dictam, quæ considerat frontem, totamque faciem, Chiromantiam quæ constitutiones, ac lineas manus attendit, quæ organum est organorum, & pedomantiam ex humano pede conjectantem, & Onychomantiam ex ungue pueri impolluti investigantem. Alii addunt spatulomantiam, quæ in animalium armo, & omnibus partibus signa, & lineas repertas observant, excepta facie, manu & ungue; sed & omnia corporis membra investigat, præcipue superiora, ut caput, ejusque partes.

Divinæ autem physionomiæ non extat exemplum, quòd scilicet Deus miraculosè immutaverit faciem, vel partes aliquas hominis ad aliquid significandum. Dæmon verò potest suis præstigiis facere, quod facies, aliæve hominis partes appareant aliter quàm sunt. Nequit tamen revera faciem immutare, nisi applicando activa passivis, quibus potest causare illas accidentales mutationes, quæ ex infirmitate, aut sanitate, aliisque similibus dispositionibus causari possunt.

Porro physionomiæ naturalis consideratio duplex est. Immediata & mediata. Immediata respicit internum corporis temperamentum, ac humorum proportionem, & naturales propensiones. Mediata vero respicit futuros effectus naturales, qui ex temperamento possunt naturaliter prævideri. In prima consideratione hæc ars procedit ab effectu ad causam, quia naturalia accidentia externa corporis sunt effectus temperamenti interni, quod ex illis investigatur. In secunda verò consideratione procedit ex effectu ad coeffectum, scilicet ad effectum ex communi causa procedentem, & sic ex uno effectu alium investigat per media naturalia.

Quare

Quare dicendum est primo. Divinatio physionomica naturalis ex membris corporis, & metoscopica ex vultu hominis, prædicens corporis, sive animæ sensitivæ propensiones, vel affectiones, rationibus naturalibus innixa, non cum omnimoda certitudine, sed cum formidine conjectans, non est illicita. Unde conjectari ac prænunciari potest naturalis propensio corporis, ejusque dispositio, temperamentum, bona, vel mala valetudo, animi affectus, acutum, aut hebes ingenium, & id genus alia, quæ non excedunt ordinem naturæ. Hæc enim possunt probabiliter per conjecturam, non autem certò ex signis agnosci; nec hujusmodi divinatio se extendit ultra illud, ad quod pertingere potest ordo naturalis. Atque ita docent Sanchez *lib. 2. in decal. cap.* 38. *num.* 44. Fagundez *etiam in decal. lib.* 1. *cap.* 33. *num.* 3. Lessius *lib.* 2. *cap* 43. *num.* 48. Delrius *lib.* 4. *cap.* 3. *quæst.* 4. Delbene, *de offic. Inquis. p.* 2. *dub.* 213. *sect.* 2. *n.* 1.

Idque confirmo ex Hippocrate *lib. de morb. popul.* dicente, quod oculi non nictantes significant hominem iracundum. Quoniam irati fixis, atque immotis oculis inspiciunt, & quoniam ab eadem causa oritur oculorum nictatio, & passio iracundiæ. Pari etiam ratione à torvo aspectu colligimus animum crudelem. Unde Proverb. 6. dicitur: *homo apostata, vir inutilis graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum*, & Isaiæ 3. *agnitio vultus eorum respondebit eis*, ac 1. Paralip. 12. de fortibus Israel habetur: *facies eorum, quasi facies Leonum, & velocis quasi capræ in montibus.* Et Ecclesiastici 8. *Sapientia hominis lucet in vultu ejus* & *cap.* 19. *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei sensatus.*

Id etiam probant Pythagora, Plato, Aristoteles Sextus Empiricus, Cicero, alij, ac Delrius, quem sequitur Nazarius *de Magia quæst.* 3. hoc idem probat ex juris interpretibus, qui dum plures de eodem crimine sunt accusati, & comprehensi, illum primo quæstioni subjiciendum esse decernunt, qui facie deformior est, quia creditur, illum esse cœteris animo quoque deteriorem, de quo alibi, placuitque Paridi de Puteo *de sindicatu* §. *mandavit*, asserenti se physonomiam in reis attendentem sæpe veritatem assequutum. Quod prosequuntur alii apud Mascardum *de probat. conclus.* 831. *num.* 27. Hinc Chartarius *in prax. lib.* 1. *cap.* 2. quem sequitur Carena *part.* 3. *tit.* 7. §. 2. alios citans, tenet, inspiciendos esse diligenter à Judice vultum, & frontem examinati, ac præcipue notandam vultus mutationem, trepidationem, & alia hujusmodi. Etenim Judices videntes reum interrogatum de crimine pallescere, aut turbari, in carceres eum conjiciunt, quia pallor faciei indicat scelus perpetratum. Unde indicium contra maleficos sumi ex mala physonomia, ut puta si sint deformes, ait idem Carena *part.* 2. *tit.* 12. §. 20. Nam, inquit, sicut argenti vivi venam tractantes, pallidi, tremulique efficiuntur, ita qui horribiles dæmonum visiones habent, horribiles ac deformes redduntur ex Eymerico, Binsfeldio, ac Delrio.

Accedit judicium insignium philosophorum. Pythagoras enim discipulorum, physonomia considerata, aliquos admittebat, alios respuebat. Socrates conjectavit Platonem eximiæ virtutis virum futurum, & Plato hanc artem probat *in Thimæo* 6. & Aristoteles propter conjectationem ex vultu, illum vocavit animi imaginem; Unde Ecclesiastici 13. *Cor hominis immutat faciem illius, vestigium cordis boni, & faciem bonam difficile invenies*; & Proverb. 17. *In facie prudentis illucet sapientia, oculi Stultorum in finibus.*

Physionomia igitur naturalis licita est, his duobus servatis. Primùm, ut sit restricta intra terminos naturæ, nec se extendat ultra effectus naturales, ac media naturalia, sicque non se extendat, nisi ad effectus, qui ex causalitate temperamenti naturalis, & causarum cœlestium, quæ etiam sunt causa temperamenti, possunt vere præcognosci, ac prædici. Deinde, ut non excedat in modo cognitionis, ut scilicet non judicet, ac prædicat futura, tanquam certius futura, quàm possit ex causis illis naturalibus prævideri. Solum autem erit in his superstitiosus, ac suspectus, siquis sciens temperamentum, & causas ejus naturales non habere virtutem ad aliquem causandum effectum, vel ex illis causis effectum non posse certò prævideri, vult nihilominus illum vel absolute prædicere, vel cum majori certitudine. Nam id non fit, nisi ex tacito saltem pacto, & invocatione dæmonis. Siquis tamen in his erret, & falsum opinetur intra limites naturæ, ut si paret, quod causa naturalis possit aliquid efficere, quod verè non potest, vel quod effectus magis necessario ab illa procedat, quam verum hoc sit, hujusmodi errores non involvunt superstitionem, sed pertinent ad peccatum judicii temerarii, quod nisi sit perniciosum, non continet culpam mortalem, ut alibi diximus, & docent de Turre 2. 2. *quæst.* 95. *assert.* 4. Delrius *d. lib.* 4. *cap.* 3. *quæst.* 4. Sanchez *loc. cit. num.* 44. & Sousa *lib.* 1. *aph. cap.* 5. Si etiam quis sciens, non posse effectum certò prænunciare, illum vero, ut certum prænunciat, non credens sic esse, sed volens audientem decipere, est mendax, non autem sortilegus. In foro tamen exteriori erit suspectus. Et notandum, quod non tam certa aut probabilis conjectura duci potest ex manuum sicut ex vultus dispositionibus, eo quod animæ sensitivæ passiones magis luceant in vultu, nec non & temperies, ac complexio unde nascuntur, quam in lineis manuum.

Prodiit paucis ante annis ex typographia Veneta libellus de metoscopia, autore Cyro Spontono, qui scatere videtur superstitionibus. Nam ex diversitate linearum colligit liberos actus, fausta, & infausta, quod quis habebit fautores, & amicos, à quibus exaltabitur, vel deprimetur, quod furto inclinet, & quod ideo ratione affirmari possit, in furcas eum esse suspendendum. Hæc enim metoscopia Astrologica prohibetur à Sixto V. sicut & chiromantia, pyromantia, & similia, etiam cum protestatione. Neque tantum est pars physonomiæ naturalis. Nam linearum formatio non prædicit hominum actiones, neque eventus utriusque fortunæ. Nec verum est, à Deo institutas esse hujusmodi lineas ad futura, vel præterita significandum. Non enim omnia instituta sunt à Deo, ut aliquid significent, sed ut sint, efficiant, agant, patiantur à propriis causis.

Aliter procedit Cornelius Ghiraldellus Bononiensis in *sua Cephalegia physionomica*, qui prædictionum, vel inclinationum ex physonomia naturali, & humoribus, tanquam ex radicibus, judicium profert, addens *decade* 2. *disp* 1. de fronte grandi, judicia, quæ formant metoscopi super lineas frontis, ac similes, nullum habere fundamentum legitimum in Philosophia, ideoque vanè juxta Planetas de illis judicari, attribuendo primam lineam frontis, ad capillos versus, Saturno, secundam Jovi, tertiam Marti, quartam Soli, quintam Veneri, & quæ reperiuntur inter cilia, Mercurio, quæ autem discernuntur supra cilia oculorum, immediatis

luminaribus assignant, Soli quem inspiciunt super oculum dextrum, Lunæ quam super oculum sinistrum.

Cæterum Sanctos Isidorum, & Gregorium Nazianzenum credimus spiritu prophetico libera & futura potuisse pronunciare de Juliano Apostata, & de Mahomete. Paris autem de Puteo veritatem aliquando assequutus est, quia simul cum indiciis considerabat aptitudinem quandam apparentem ad facinora patranda, & fortassis etiam à dæmone fuit deceptus, ut superstitionibus illum imbueret. Pallor autem faciei, aut turbatio vultus, orta ex interrogatione criminis, solet à pluribus speciatim notari; multoque magis dum reus in tortura existit. Tunc enim omnia accidentia describuntur, ut veritas undequaque investigetur. At cordati Judicis, ut plurimum, hæc nihili faciunt. Tum quia contingit pallescere viros innocentes, interrogatos de crimine, quod nunquam commisere, nullo autem modo facinorosos sceleribus jam assuetos. Ideoque Ambrosius dicebat de virgine: *Si erubescit, salva res est*; nam virgines ad affatum viri statim verecundantur, secus meretrices. Sed examinantis judicio aliquid derelinquendum est juxta illud: Tu quoque magis Judex. At certum est in observatione legum justitiæ vindicativæ, ac distributivæ attendere ad præsagia ex physonomia, perniciosum esse, & peccatum grave injustitiæ. Quia justitia distributiva respicit meritum, punitiva demeritum. At quandoque deformiores meliores sunt. Est tamen aliquid concedendum Jurisconsultis, contendentibus posse aliquando conjectari ex physionomia physica quoad propensionem morum, vel consuetudinem. Nam juxta consuetos actus componuntur corporis membra.

Secundo dicendum est. Ex vultu potest ferri judicium probabile duntaxat, etiam de propensionibus, nullo tamen modo certum. Prima pars patet ex jam dictis. Secunda probatur ex Sacra Scriptura. *Nolite secundum faciem judicare*. Et 1. *Reg.* 16. ubi narratur, Deum misisse Samuelem, ut eligeret in Regem sui populi aliquem ex filiis Isai. Samuel statim conjecit oculos in Eliab, quia grandis staturæ, regalis facie, ideoque exclamavit, num coram Domino est Christus ejus? At Dominus respondit, ne respicias vultum ejus, nec altitudinem staturæ ejus, quoniam abjeci eum, neque juxta intuitum hominis ego judico. Confirmatur, quia quod una pars faciei indicat, alia abscondit. Nasus enim aquilinus nobilem animum ostendit, sed cum adjunctis oculis nimis parvis vilem. Et ex consuetudine, educatione, societate, conversatione potest mutari vir prave propensus in morigeratum, ut de Socrate diximus. Quare, ut notavimus cum Aristotele, plura signa simul sunt observanda ad conjectandum ex physonomia.

Nunquam verò licet physionomo iudicare de futuris contingentibus, ac fortuitis, qualia sunt dona divina, actus humani, aut actibus humanis permixti, exteriora hominis bona, opes, honores, dignitates, nuptiæ, oficia, virtutes, vitia, status, mors violenta, & id genus alia. Id enim est superstitiosum ac illicitum, & de fide suspectum. Nam hæc omnia nullam habent certam connexionem causæ, vel effectus cum hominis temperamento, & naturalibus propensionibus, neque cum astris, aliisque causis corporalibus universalibus. Et ideo ex illis non possunt prævidere hujusmodi futura. Permittit quidem Deus, ut quædam physonomi prædictiones eventu comprobentur, sed simul eum falli in his, quæ magis necessaria sunt, ut probat Delrius ex Jovio *in elogiis*, loquente de Antiocho Liberio Cesenate, physionomo excellenti.

Hinc peccatum est mortale ex genere suo, ad Dæmonis tacitam invocationem divinatio liberorum, & fortuitorum speciatim accepta ex physionomia naturali, quia nequit ad illa significandum extendere, neque ut signa, neque ut causa. Et ideo dæmon se ingerit in hisce divinationibus, ut veros eventus enunciet.

Tertiò dicendum est. A physionomo naturali tria possunt ex signis, ex effectibus, aut ex aliis certis principiis in homine cognosci. Primum corporis constitutionem calidam, aut frigidam, siccam, aut humidam, biliosam, aut phlegmaticam, lætam, aut melancholicam. Secundum est ad illam concomitans, nempe sanitas aut ægritudo futura. Visa namque Pauli effigie, figura, proportione, corporis habitu, calore, physionomus naturalis optime conjectabit. Est enim hæc ars pars philosophiæ naturalis, quæ ex effectibus causas, & ex syllogismo, suo modo necessario consequentiam, plerumque veram colligit. Tertium est propensio hujus, aut illius hominis ad tale genus, vel speciem actuum liberorum, sive puri sint, sive mixti cum aliquo actu, vel effectu alterius causæ liberæ vel necessariæ. Quod colligitur ex Divo Thoma *p.* 1. *quæst.* 115. *art.* 4. & 2. 2. *q.* 95. *art.* 5. & *lib.* 3. *contra gent. cap.* 154.

Hos autem actus liberos cognoscit physionomus naturalis mediate duntaxat, & in genere, vel in specie, & ex prædictis signis, ut levibus, vel fallacibus conjectat. Licet enim plerumque homines passiones naturales partis sensitivæ sequantur, & sapientes tantum, qui paucissimi sunt, illis dominentur; quia tamen possunt prædominari ob liberum arbitrium, ac propter educationem, & quia levia, & fallacia sunt indicia, vel signa ad libera investigandum, consideratis etiam diligenter omnibus membris, & partibus corporis humani. Quare, ut concludit Divus Thomas *opusc.* 28. *articulo quarto* illi non sunt veri discursus. Non enim via syllogistica sciri potest conclusio conjecturalis, sed tamen imperfectio scientiæ, ut ait Ptolomeus, quin hoc sciatur, non impedit, unde sciri potest, sicut est in prognostico somniorum. Non enim habitudo syllogistica est inter somnium, & prognosticum somnii, & sic est in omnibus æstimationibus conjecturalibus.

Dicendum est quartò. Divinare certò ex physionomia, chiromantia, spatulamantia, &c. propensiones hominum, aut actus, qui non dependent à libero arbitrio, peccatum est judicii vani ac temerarii, sed veniale tantummodo. Nam regulæ physionomiæ sæpe comprobantur quoad propensiones.

Recte igitur ait Torreblanca *cap.* 10. *lib.* 1. quod omnis chiromantia, quæ causam naturalem non habet, superstitiosa semper fuerit judicata. Quod etiam tradunt Delatorre *loc. cit.* Delrius *lib.* 4. *magic. cap.* 3. *quæst.* 4. Simanch. *de cathol. instit. tit.* 21. Lopez *p.* 1. *instruct. cap.* 41. aliique post Medinam & D. Thomam. Unde ex eodem Torreblanca in judicandis lineis manus est attendenda illarum quælibet substantia, color, & continuatio

tinuatio unà cum dispositione membri sibi adjecta. Nam linea recta & clare descripta, vivacem colorem habens, non intermissa, neque crassa, significat bonam corporis constitutionem, ac virtutem sui membri, teste Aristotele *in probl.* Vuimpina, & aliis. Unde si linea cordis reperiatur satis longa, profunda, & non intermissa ab aliis lineis accidentalibus, ac bene colorata, est signum sanitatis in corde, & magnæ virtutis illius, ac magnitudinis spirituum, & boni Sanguinis. Et pariter significat audaciam, ingenium liberale ad omne opus. Alia idem Torreblanca subjungit, concludens, stolidam omnino, falsam, vanam, scandalosam, futilem, superstitiosam, adde & pacti dæmoniaci suspectam esse judicandam artem divinatricem quæ vitæ eventus præteritos, vel futuros prædicere intendit, dignitates, fortunas, liberos eventus, casus, pericula, ut per D. Thom. 2. 2. *q.* 90. ibique Caietanum, Delatorre ac Sylvium, Mouram, Navarrum *in man. capit.* 11. Delrium, aliosque communiter.

Quinto dicendum est. Physonomia astrologica, & judiciaria, vana est, ac superstitiosa, & illicita, nec non indigna nomine scientiæ, vel artis. Liquet ex hactenus dictis, & ita declarat Sixtus V. Nam contendit divinare certo actus humanos, atque alia futura fortuita, quæ neque subsunt astris. Ideo à Sixto V. in sua Constitutione physonomia hæc reprobatur. Dividunt enim primo chiromantici palmam manus in certos monticulos, sive colliculos, deinde areolas, & lineas, suos singulis planetas, & astra præficientes, & horum vulgo creditos effectus attribuentes. Pollicis tuber à Venere regitur, mons Indicis à Jove, colliculus medii à Saturno, annularis mons à Sole, auricularis à Mercurio. Pars verò protuberans, quæ est in inferiore manus parte, percussione dicta, Lunæ subjicitur. Denique triangulus manus à linea vitæ, seu cordis, linea hepatis, atque capitis productus Marti dicatur.

Lineam verò vitæ in centum partes dividunt Chiroscopi, ut ex variis notis, punctis, coloribus, sectionibus, & figuris in illa linea, & singulis illius partibus deprehensis, de morbis cum præteritis, tum futuris dijudicent. Prima verò decade pueri ætatem usque ad decennium; secunda, tertia, quarta, & reliquis decadibus sequentes annos ætatis significant adeo, ut si character chiroscopicus quartanæ, vel epiritæ febris, aut alterius morbi circa primam decadem existat homini quindecim annorum respondeant morbum illum præteritum; si verò character ad tertiam aut quartam decadem vergat, futurum esse dicant. Viderint medici anatomici, num signorum illorum, & characterum aliqua causa naturalis assignari possit. Superstitiosæ huic, & vanæ chiromantiæ parti incubuere aliquot antiqui, & ex recentioribus Joannes de Indagine, Lutheranus, non Carthusianus ejusdem nominis. Joannes Tataisnerus Athensis, Antonius Carmilonus, Bartholomæus Cocles, Michael Savanarola, Petrus de Arca, Marcellus Saya, Andreas Tricasius, Michael Scotus, Rodulphus Goclevius filius, Joannes Rothmannus, Robertus Flud, & alii, quorum libri, utpote superstitionibus referti, prohibitæ sunt lectionis, contra quos breviter, sed nervose agit Mersennius *in Genes. cap.* 3. *vers.* 1. His etiam annumerari debent Gelotoscopia Prosperi Aldorisii, & ejusdem Ideagraphia, epistolaris divinatio Camilli Baldi, & libri Melampi, Joannis Baptistæ Portæ ac Ludovici de Nævis, aliorumque de maculis unguium, & onychomantia.

Quandoquidem isthæc omnia ad ludicras potius, quam vere conjectatrices scientias referenda sint, & ipsæ vel solo nomine tales dici debeant, ut præter vigilantium somnia, nihil quicquam continere possint. Cur enim Crux in monte, quem Jovis appellant, significat dignitatem, vel fortunam, & in monte Lunæ sit infausta? Crux enim antiquitùs erat instrumentum ignominiæ, nunc honoris. Ergo nequit naturaliter fausta, vel infausta significare, atque adeo est merum figmentum. His sæpè similes sunt Priscillianistis, quos deridet Augustinus *lib.* 1. *de hæres. ad Quod vult Deus, hæres.* 70. Præficiebant enim singulis membris hominum duodecim signa, constituentes in capite Arietem, in cervice Taurum, in utero Geminos, in pectore Cancrum, in aliis alia pro arbitrio suo.

Quare non recte Ghetius, 11. *Astrologia* §. 3. *ait* ex D. Thoma posse animæ passiones interiores ex lineis manuum conisci. Est enim id contra memoratam Sixti Constitutionem. Affirmat quidem D. Thomas 2. *sent. d.* 15. *quæst.* 2. *art.* 3. *ad* 4. *& lib.* 3. *contra gent. cap.* 84. posse medicos aliquo modo coniicere aliquem esse invidum, vel tristem, vel lascivum, id est ad hæc, aliaque hujusmodi propensum, & aliquando verum pronunciant, quia plerunque ratio passionibus succumbit, quamvis non necessario, quia ratio super passionibus imperium habet. Nec D. Thomas de chiromantia ex lineis loquitur in opusculo citato à Ghetio. Unde Moura *sect.* 2. *cap.* 15. *num.* 22. testatur se in S. Officio damnasse chiromantem, asserentem occulta liberi arbitrii & arcana in fronte cujusvis hominis, manuumque lineamentis certò à Deo revelatis, introspici à peritis.

Hanc physonomiam ex Patribus reprobat Moura *de ensalm. sect.* 2. *cap.* 15. quamvis ei videatur multum favere Torreblanca *lib.* 1. *de mag. cap.* 9. qui se tamen declarat loqui solùm de physica & naturali, etsi videatur illam nimis extendere. Sunt præsertim explodendi, qui in fronte, manuuimque lineis, secreta cordis introspici credunt à peritis in hac arte, addentes in Judæ Iscariotis physonomia scriptam Jesus Christi proditionem. Eam describit Joannes Taisnerus apud Majolum *tract.* 2. *dier. canic. collat.* 2. nempè habuisse oculos acutos, nasum aquilinum, & in fine acuminatum, labia tenuia, ad dentes & ad gingivas retracta, hominem proditorem facile designando, inquit Moura *ibidem numer.* 12. In revelationibus S. Brigittæ *lib.* 4. *cap.* 49. dicitur brevis fuisse staturæ. Alii eum fuisse rufum, aiunt, quem colorem infamem appellat Moura *loc. cit.* Quod tamen non est absolute verum, sed apud aliquas nationes, in quibus homines communiter sunt nigri, de quo Barleta *in serm. Sabbati ante* 4. *domin. quadrag.* Huic Judæ physonomiæ aliam valde similem affert Joannes Martinus Cordeirus *in promptuario effigierum virorum illustrium part.* 2. *capit.* 10. quæ non nisi in inferiori labio, quod ad dentes non retrahitur, differt. At hæc, ut ait poëta, *Iupiter ridet, & odit*.

Hæc igitur pars posterior chiromantiæ, quæ conatur ex figura, lineis, & hujusmodi, quæ ad manus pertinent, de omnibus cujusque hominis eventibus certò conjicere quid futurum sit, vana omnino, & superstitiosa est, ut satis patet ex fundamentis risu potius, quam refutatione dignis, quibus ars ista innititur.

Quoniam autem inter signa etiam crisis phisionomicæ reponuntur gestuum, atque actionum significationes, de his multa habent, & egregia omnino Nicolaus Caussinus *in parallelis eloquentiæ*, & Cardanus *in libris de sapientia, & de utilitate capienda ex adversis*. Sed artem integram feliciter absolvit autor Italus in curioso volumine cui appellationem ipse fecit ex operis materia desumptam, *Arte de Cenni*. Sciendum tamen id ab illis ingenii potius in re quadam ludicra ostentandi, quam utilitatis gratia, aut quasi certa inde conjectatio fieri posset, fuisse excogitatum.

Obiicies fortassis primo. In historiis plures prædictiones veræ physionomiæ, præsertim chiromantiæ referuntur, ut probat Bartholomæus Cocles chiromanticus, & Paulus Jovius *in elogiis*. Græcus enim quidam ex manus inspectione prædixit mortem Alexandri Medici, & speciatim percussorem fore ejus intimum, habitu gracili, vulticulo busolo, suspensa taciturnitate, cœteris insociabilem, quæ in unum Laurentium, qui fuit percussor, omnia conveniebant. Deinde quia hæc a s, cujusque fundamentum approbatur à Sacra Scriptura, Exod. 13. *& erit quasi signum in manu tua*. & Job. 17. *Deus in manu omnium hominum signat, ut norint singula opera sua*.

Ad primum respondetur ex jam dictis, & dicam inferius, cur aliquando Astrologi, & physionomici divinent. Certe si referrentur eorum mendacia magis comprobaretur illud Taciti *lib....*; genus hominum, &c. Unde si vera sit historia Alexandri Medici, dæmonis opera, qui sceleratissimam conspirationem in illum audiverat, poterat non ut physionomicus, talia prædicere.

Ad secundum, quoad locum Exodi patet solutio ex textu subsequenti, qui est optimus modus declarandi Sacram Scripturam. Ita enim subditur: *Et quasi monumentum ante oculos tuos*. Quia volebat ad morem hominum annulum, aut filum digito appendi, ne oblivisscerentur Hebræi liberationis ex captivitate Ægyptiaca, pro qua azymos solemniter celebrabant in signum grati animi. Vide ad dictum locum Hugonem Cardinalem. Et quoad locum Jobi, ille exponi potest de physionomia, vel chyromantia naturali, non autem de judiciaria, vana, & superstitiosa. Ita illum exponit Suarez *de reliq. tom. 1. lib. 2. capit. 10.* Valesius *de Sacra Phylos. cap. 32.* Delrius *lib. 4. magic. cap. 3. quæst. 5.* Vel cum eodem Valesio dici poterit, signasse Deum quæ homines facere oportet, & ad quæ nati sunt, nempe nares ad odorandum, lingua ad gustandum, oculi ad videndum. Quæ omnia etiam aliis animantibus perfectis competunt; at manus sapientiæ, ac divini cultus omniumque artium exercendarum instrumentum quæ hominis opera sunt, tantum hominibus concessit. Hæc tamen interpretatio, ut etiam annotat Delatorre, non est consentanea textui. Nec mirum in Medico alioquin doctissimo. Aliam interpretationem Caietani ex Hebræis vide apud ipsum Delatorre, quæ confirmare quoque videtur Olimpiodori interpretationem. Vide etiam explicationem D. Gregorii *lib. 27. moral. cap. 16.* & D. Thomæ *in citatum Iobi locum*.

Physonomici igitur, chiromantici, aliique hujusmodi, si certò prænuncient occulta, vel futura contingentia, vel ea, quæ dependent ex hominis libera voluntate, sunt S. Officio denunciandi. Tum quia sic præcipitur in Constitutione Sixti V. Et tum etiam quia judicium discernendi circa suspicionem de Religione ac fide non relinquitur Confessario, vel alteri personæ, sed solis Episcopis, & Inquisitoribus. Atque adeo judicare an isti divinatores habeant in suis prænunciationibus pactum explicitum, vel implicitum cum dæmone, & an eorum divinatio sit superstitiosa, ad eosdem Episcopos & Inquisitores pertinet.

Consultatio XCVIII.

An & quatenus licitum sit interrogare mulierem Ægyptiam, vulgò Zingaram, de bona, vel mala fortuna per manus lineas?
An & quatenus Inquisitores possint procedere contra ipsas, bonam, vel malam fortunam divinantes? Et
An sint tolerandi à Principibus Christianis?

Ad primum. Si interrogaretur animo firmiter credendi ejus dictis, vel à persona magnæ autoritatis ita, ut adstantes grave scandalum conciperent, utique in his duobus casibus esset peccatum mortale ob superius dictas rationes. Secus autem si animo ridendi, jocandi, aut ex vana curiositate, ut communiter fit, quo casu non excederet peccatum veniale. Atque ita docent Navar. *in man. cap. 11. num. 31.* Aliozer *in sum. cap. 14.* Lopez *part. 1. Instruct. cap. 41.* Sanchez *in decal. lib. 2. cap. 38. num. 47.* & Fagundez item *in decal. lib. 1. cap. 39. n. 4.*

Ad secundum. Villadiegus *in polit. cap. 5. §. 20. num 30.* Diana *p. 4. tr. 8. resol. 128.* Delbene *p. 2. dub. 195. sect. 78.* docent, posse Inquisitores S. Officii contra istas Ægyptiacas procedere, quæ bonam, vel malam fortunam divinant. Quia dum sine fundamento loquuntur, redduntur suspectæ.

Verùm hac in re ita est distinguendum. Vel istæ mulieres prædicunt futuros eventus contingentes, & liberos, tanquam certos, & utique subduntur Judicio Inquisitorum, quia utuntur chiromantia, vel physonomia vetita & suspecta de pacto cum dæmone. Idque etiamsi se declarent non certò prædicere futura, sed secundum propensiones ab astris. Nam sic quoque est prohibita à Sixto V. eoque magis si præter divinationem immisceant superstitiosa, ut sæpe evenit. Quo casu Episcopi, & Inquisitores diligenter in eos inquirere debent, & pro delicti genere illos punire. Vel tantummodo utuntur chiromantia, & physonomia naturali circa corporis temperamentum, & naturales propensiones, vel ob animi oblectationem, & non possunt ab Inquisitoribus, neque ab alio judice puniri. Ita etiam Torreblanca *de mag. lib. 1. cap. 10. num. 2. & seq.* & Carena *p. 2. tit. 12. §. 17. num. 162.* subdens *num. 164.* se nunquam vidisse Inquisitores Italos contra has mulieres procedere, quia earum divinatio est semper cum risu, & joci causâ & nullus eis fidem adhibet.

Ad tertium. Negant Nazarius *de magnia*, Carena *loc. cit.* Torreblanca etiam *de mag. lib. 1. cap. 10. num. 30.* ac Delrius *lib. 4. q. 5.* At de hoc lege, quæ alibi diximus, ubi multa de Zingaris, eorum origine, furtis, fraudibus, & in eos legibus Principum

CONSUL

Consultatio XCIX.

De Divinatione astrologica. An detur Astrologia. Ejus divisio. Quæ vera? Cautiones pro Medicis. Pro Astrologis. Errores Astrologorum etiam circa naturales effectus.

DAri Astrologiam, tradunt D. Thomas 2.2. *quæst.* 95. *art.* 6. ubi quærit, An Divinatio per astra sit licita, & *lib.* 3. *contra gent. cap.* 84. & *seqq. p.* 2 *quæst.* 9. *art.* 5. *ad* 3. *p.* 1. *quæst.* 115. *art.* 4. *opusc.* 28. *art. item* 4. *quæst.* 7. *de verit. articul.* 10. *lib.* 2. *sent. d.* 7. *quæst.* 1. *art.* 2. & *d.* 15. *quæst.* 2. *art.* 3 *ad* 4. passimque alibi, ac ibi Commentatores, ac prosequuntur Nazarius *de Magia* uterque Picus, Suarez *lib.* 2. *de reliq. cap.* 11. Delrius *magic. lib.* 4. *cap.* 3. *quæst.* 1. Pererius *lib.* 3. *de magia*, Michael Medina *de recta in Deum fide lib.* 2. *cap.* 1. Carena *p.* 2. *tit.* 12. Salelles *de S. Officio lib.* 1. Maginus, & Roffenus Patres relati à Francisco Pico, Directorium Eymerici, ibique Pegna *p.* 2. afferente articulos Parisienses de Astrologis, Valentia 2. 2. *d.* 6. *quæst.* 11. Lessius *lib.* 2. *cap.* 43. Victoria *relect. de arte magic.* Torreblanca *in utroque* Moura *de Ensalm. sect.* 2. ac ferè omnes.

Dividitur. Alia enim dicitur Astronomia, quæ nititur universalibus veris, ac certis principiis, ex quibus scientia futurorum, etiam necessariorum acquiritur, ut revolutionis annorum, cursus siderum, eclipsium, stationum, retrogradationum, aspectuum, conjunctionum, oppositionum, & hujusmodi. Alia dicitur Astrologia, quæ fulcitur principiis communibus variabilibus ad prænunciandum eventus futuros contingentes. Ita D. Thomas *d. opusc.* 28. *art.* 4. cujus hæc sunt verba: *Dicendum, quod duæ partes sunt astronomiæ, sicut dicit Ptolomeus. Una est de sitibus, ac motibus superiorum corporum, & quantitatibus eorum & passionibus propriis. Et ad hanc per demonstrationem pervenitur,* [quoad paucissima videlicet, cùm infinita consideranda essent, ut ibidem subditur ad 1.] *Alia est de effectibus, quæ in rebus astrorum inferioribus naturaliter recipiuntur; & ideo ad hanc non pervenitur, nisi per conjecturam. Et oportet astronomum in ista parte secundum aliquem physicum habitum inferioris certitudinis esse, & ex signis physicis conjecturari. Conjecturatio autem cùm sit ex signis mobilibus, generat habitum minoris certitudinis, quàm sit scientia, vel opinio. Cùm enim hæc communia signa sint, & mutabilia, non potest ex ipsis haberi via syllogistica eo, quod, ut plerumque videtur, includunt signa tantum, & fiunt judicia quædam multis de causis mutabilia. Et ideo sæpe astronomus dicit verum, quia dictum suum est quoad dispositionem cœlestium verissimum, si hæc dispositio sit à mutabilitate rerum exclusa.*

Hanc divisionem tradit etiam Chrysostomus *orat.* 9. *tom.* 5. Prima est vera scientia, & pars philosophiæ, quæ dicitur de cœlo, quæque non est proprie divinatrix, neque judiciaria, estque infallibilis, quamvis per accidens possit in ejus exercitio reperiri vitium morale, si quis plus illi adhæreat, quàm exposcant ejus principia. Plura namque sunt valde incerta. Nam ingenii humani virtus naturalis paucorum siderum proprias virtutes cognoscere valet; quia non suppetit illi medium proportionatum ad illam notitiam adipiscendam. In cœlesti siquidem circulo quoad nos infinita prope sunt consideranda, sicut stellarum numero, specie, virtute, earum situs in circulo declivi, & extra ipsum, distantiæ, conjunctiones, qualitas anguli, sub quo incidit radius, pars formæ, gradus lucidi & umbrosi in puteis, & in turribus existentes. Atque iccirco D. Thomas *d. art.* 4. *opusc.* 8. *ad* 1. *docet*, paucissima à nobis considerari, ex quibus alia prænoscuntur, de quibus habetur conjectatio. Propter quod dicitur à Ptolemeo quod per cœlorum motus, non nisi communiter judicare debemus, & potestates rerum causæ frequenter excludunt.

Possumus quidem ex effectibus ratiocinari ad has virtutes astrorum cognoscendum; sed cùm effectus pauci sint præ multitudine astrorum, neque possint facile secerni ab homine, à quo planeta certo proveniant, ideo non omnimoda certitudo acquiritur, sed probabilis, & conjecturalis post longam observationem, nisi in paucis, deque his præcipue, quæ à Sole, ac Luna dependent, quorum influxus magis nobis clarescit. Et iccirco in horum investigatione aliquando falsitas accidere potest, & si præter modum id fiat, vitium temeritatis, imprudentiæ, nimiæque curiositatis committitur. Nam operatur contra virtutem studiositatis, ut annotat Delatorre *in d. art.* 5. & Suarez *loc. cit.*

Et quod ad prædictionem futurorum ex ipso cœlo sæpe decipiuntur astronomi non fideliter computantes. De aliis autem futuris extra cœlum non ita certo ex influxu cœlesti prænunciari potest, cùm mediis causis inferioribus, juxtaque illarum, & materiæ dispositionem efficiantur, licet nonnunquam, aut plerunque eveniat. Ideo etiam hæc est scientia suo modo, cùm ex Aristotele, ac Divo Thoma non requiratur eadem certitudo, vel accurata discussio in qualibet materia. Prognosticum autem de fortuitis spectat ad Astrologiam, & quidem ad judiciariam, si circa fortuita, & liberos actus humanos versetur.

Porrò in astronomia duo distinguuntur officia. Primum est intelligendi quidditates, & passiones astrorum ex eorum effectibus assiduè observatis, numerum quoque astrorum, illorum magnitudinem, velocitatem, cunctationem motus, stationem, retrogradationem, aspectus & hujusmodi plura. Secundum illius Officium est ex iis indagare, ac prænoscere aliquos effectus, in ipso cœlo eventuros. Inde enim prænunciantur eclipses, aspectus, conjunctiones, oppositiones variæ futurorum in ipsis astris, etiam transactis pluribus annorum revolutionibus. Hæc autem circa objectum mobile vertatur, quale est cœlum incorruptibile, & ex principiis naturalibus procedit, ideo per se est honesta & utilis ad dirigendum exteriores actiones corporales per humanam providentiam, & ad investigandum supradictum objectum, etsi adhuc in ea contingere possit error, vel deceptio, quod est vitium artis. Est enim valde incerta quoad utrumque munus.

Et quod ad primum; quia paucas astrorum virtutes humanum ingenium naturaliter investigat defectu medii sufficientis. Effectus namque pauci sunt, attenta siderum multitudine, qui plerumque possunt à variis sideribus proficisci, nec potest homo certo investigare, an à Saturno, anve ab alio planeta fluant, licet probabili conjectura, longa experientia & observatione obtinere

 possit

possit, certum verò judicium solum in paucis ac præcipue quæ à planetis, nobis notioribus manant, ut à Sole, & Luna. Quare interdum astrnonomi falluntur. Id tamen humanum est, non perniciosum. Quod si quis certa judicet, quæ vix probabiliter cognoscere potest, non ideo superstitiosus, sed imprudens, ac temerarius est judicandus. Temeritas autem hæc virtuti tantum studiositatis opponitur.

Quod verò ad aliud munus dicendum est, investigationem, & notitiam esse certissimam, si prædicat tantum de motibus cœli. Nam illi motus sunt certi, & æquabiles etiam in disparitatibus; unde potest cum certitudine computari concursus & eventus futurus eclipsis ex progressionibus talium motuum.

Summa difficultas est in Astrologia, cujus disciplinam reperierunt Chaldæi, quanquam Ægyptiis inventum istoc tribuat Herodotus *lib. 2. cap. 82.* quemadmodum & ab iis oracula, Sacraque & ceremonias cœpisse, ab eodem traditur. Sed pro Chaldæis, vel Medis est, quod priscus Astrologus Belesis, ut Diodorus Siculus *lib. 2.* ait, prædictionibus scientiæ suæ impulit Medos ad occupandum Assyriorum regnum. Ac imprimis pro iis facit, quod Simplicius *lib. 2. de Cœlo* ex Callisthene tradat, antequam Babylona caperet Alexander Magnus annis quasi bis mille, annotasse Chaldæos, qualis pro cujusdam sideris ortu effectus sequeretur. Ex ejusmodi particularibus observationibus collegere, universales conclusiones, quæ principia sunt artis genethliacæ. Unde Genethliaci, Mathematici, Planetarii judiciarii quorum Princeps Ptolemeus, quem sequuti sunt Albunazar, aliique Arabes, Maternus, Cardanus, Bellancinus, Guaricus, cæteri, de quo fuse *in Consultatione de Fato mathematico.*

Quinimo inter vanissima Astrologorum fundamenta, hoc unum est, artem hanc suam certissimis innumerabilium seculorum experimentis, & constantissimis observationibus esse comprobatam. Aiunt enim hanc disciplinam profectam esse ab Ægyptiis, & Babyloniis, sive Chaldæis mortalium omnium antiquissimis. Tradit enim Aristoteles *lib. 2. de cœlo tex. 60. & extremo lib. 1. meteor.* Ægyptios omnium hominum vetustissimos haberi. Et *in principio operis metaphysicorum* affirmat: Ægyptios omnium hominum vetustissimos mathematica studia tractare, & colere cœpisse. Jactabant etiam olim Astrologi, Chaldæos quadringenta, & septuaginta annorum millia in periclitandis, experiendisque pueris, quicunque nascerentur, posuisse.

Verùm adeo in aperto sunt omnibus istorum mendacia, ut à nobis ea vel confutari, vel etiam indicari non sit opus. Etenim ab exordio mundi ad hanc diem necdum sex millia annorum effluxerunt. Ab origine vero gentis Chaldææ, hoc est post eversionem turris Babel, facta nempe linguarum divisione, non sunt adhuc quatuor millia annorum completa. Picus Mirandulanus *lib. 12. cap. 2. adversus Astrologos*, testes ad redarguendam Astrologorum ementitam vetustatem adhibet Hipparchum, & Ptolemeum, principes sane astronomiæ, qui ubi pro dogmate aliquo constituendo veterum observationes afferunt, nullas profectò afferunt vetustiores iis, quæ sub Nabuchodonosoro, Chaldæorum Rege apud Ægyptios, & Babylonios fuere. Ab initio autem imperii Regis Nabuchodonosori ad præsentem annum, qui ab ortu Domini nostri agitur millesimus sexcentesimus nonagesimus primus, non plus bis mille tercentos & triginta annos præteriisse constat.

Commentitiam verò Ægyptiacarum observationum antiquitatem perbelle ridet, ac redarguit Augustinus *in cap. 40. lib. 18. de Civit. Dei.*

Ita enim scribit: *Frustra vanissima præsumptione garriunt quidam dicentes, ex quo rationem siderum comprehendit Ægyptus, amplius quàm centum annorum millia numerari. In quibus enim libris istum numerum collegerunt, qui non multum ante annorum duo millia litteras magistra Iside didicerunt? Non enim parum auctor est in historia Varro, qui hoc prodidit.* Sic Augustinus.

Docet autem D. Thomas *in 2. dist. 7. quæst. 2. articul. 2. ad* 5. quod Astrologi non possunt prænunciare eventus, nisi quia reducuntur ad motum cœli, sicut ad causam, vel per se, sicut transmutationes, quæ accidunt in corporalibus, ut tempestates, ac sterilitates, & pestilentiæ, quæ tamen impediri possunt à fortioribus motibus supervenientibus, ut ait Aristoteles *lib. de somn. & vigil.* Vel per accidens, sicut ex naturali corporis habitu quidam sunt proni ad luxuriam, quidam ad iram. Non tamen hæc dispositio corporis animæ necessitatem infert. Unde in iis, quæ ex libero arbitrio pendent summopere falluntur. Sic & medici ex signis exterius apparentibus causas interiores morbi cognoscunt, ex quibus sequitur sanitas, vel mors, aut semper, aut sæpè. Quæ omnia dæmon prænoscere possunt. At non omnia futura sunt hujusmodi.

Dividitur hæc Astrologia in quatuor partes. Prima versatur circa revolutiones, aut vicissitudines anni, de bello, vel pace pronuncians, aëris salubritatem, vel intemperiem, annonæ copiam, vel inopiam, morbos animalium, alia hujusmodi.

Secunda genethliaca est, prænuncians quid sigillatim homini ad mortem usque eveniet quoad actiones liberas proprias, vel aliorum, vel quoad fortuita, vel quoad propensiones, vel quoad effectum in communi, vel in particulari.

Tertia est electionum, docens quid in singulis rebus prudenter, ac utiliter sit agendum, quid omittendum, quando ædificandum, navigandum, è domo egrediendum, quibus locis, & quando singula agenda, ut feliciter eveniant.

Quarta est imaginum sculpendarum ad effectus mirificos producendum, alibi à nobis confutata, & licet D. Thomas *cit. opusc. 28. in fine cap. 4.* videatur contrarium asserere, est tamen ex eo ibidem declarandus. Hæc enim sunt ejus verba: *Ad illud, quod objicitur de nova veste induta Lunæ existente in Leone, eodem modo dicendum est. Sicut enim raditatio periodi dispositione ordinis est, & durationem imprimit rebus naturalibus, ita etiam imprimit artificiatis, propter quod figuræ imaginum magicarum ad stellarum aspectum imprimuntur, ac fieri præcipiuntur.* Materialiter enim intelligendus est juxta ea, quæ refert *lib. 3. contra gentes cap. 105.* Vel referendo sententiam aliorum, ut prosequitur Sylvester *in sum. 11. superstitio quæst.* 10. Sybillanus *in specul. peregr. quæst. decad. 1. cap. 9. quæst. 5.* Joannes Picus *lib. 8. in astrolog. cap. 4.* alter Picus *de rer. prænot. lib. 7. cap.* 10. Victoria *de arte magica quæst. 3.* Valentia 2. 2, *quæst. 96. articul. 2.* Delrius *lib. 1. magic. cap. 3. quæst. 1.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. cap. 15. numer. 16.* Pererius *lib. 1. de mag.* Ghetius 11. *ars §. 5. alii.* Convincitque ratio Divi Thomæ, quia in illis imaginibus fiunt quidam characteres, qui cùm figuræ sint, ac entia

mathematica

mathematica nihil dubio procul operari possunt. Unde magici ac superstitiosi existimati sunt, quemadmodum annulus Gigis, quo redditus invisibilis, Lydorum regiam ingrediendo, Regem interemit, ac seipsum Regem constituit, & septem annuli constructi a Jarca, Indorum Principe, septem stellarum nominibus signati, cujus opera Thianeus jactitabat seipsum jam senem, florem juventutis adeptum, aliaque hujusmodi suo loco explosa.

Et quidem ex D. Thoma *citato art. 5. quæst. 95. & alibi sæpe*, Astrologia de eventibus corporalibus, & naturalibus, qui magna ex parte ab astris proficiscuntur, licita est ac laudabilis, cùm plerumque futura enunciet, non semper ac certò. Vel quia in se est difficillimæ cognitionis, vel quia aliqui profitentur hunc scientiam habere, quam revera non habent. Hac utuntur nautæ, agricolæ, pastores, medici. Ex Solis autem ac Lunæ vario colore, motu, auctu, decursu prognosticant probabiliter ventos, pluvias, serenitatem, tempestates, quæ sæpe eveniant; nam aliquando à causis inferioribus impediuntur. Hanc approbat Sixtus V. in sua Constitutione in Astrologos his verbis: *Exceptis duntaxat futuris eventibus ex naturalibus causis necessariò, vel frequenter provenientibus, quæ ad divinationem non pertinent.* Et statim: *Præterquam circa agriculturam, navigationem, & rem medicam.* Quoniam hæ artes cognoscunt effectus per cœlos, qui sunt illorum causæ, & hæc cognitio, talis, qualis haberi potest, est valde utilis humanæ vitæ. Ideoque Hieronymus *epist. 130. ad Paulinam* inter artes utiles generi humano, nedum astronomiam, sed etiam astrologiam hanc naturalem enumerat, suffragaturque ratio naturalis, ut scitè ratiocinatur Suarez *cit. lib. 2. cap. 11.* Nam cœli & astra sunt causæ naturales inferiorum effectuum. Unde hi possunt per illas cognosci, tanquam per causas. At verò non omnium effectuum, quia non omnes effectus inferiores per se ab illis fluunt, & qui fluunt, non ab illis solis. Quare cognitio nequit esse certa, eoque magis, quia nos latent plures astrorum potestates.

Non est itaque malum, aut prohibitum prædicere ex astris effectus naturales, qui ab illis emanant. Quia hi effectus non sunt occulti, sed vere judicari possunt ab eorum causis. Non est tamen hæc naturalis prædictio ex astris certa & infallibilis. Tum quia pauca potest homo naturaliter certò cognoscere de virtutibus astrorum. Tum quia effectus non pendet ex uno tantum astro, sed ex multis, ac sæpe stellæ fixæ possunt impedire actiones planetarum, & è contra. Et quamvis concursus planetarum inter se facilius cognoscatur, non tamen concursus eorum cum stellis fixis, qui semper varius est, propter motus octavæ, & nonæ sphera, Ac tum etiam quia hujusmodi effectus non solum pendent à planetis, ac stellis, sed etiam à causis inferioribus, nempe à dispositione aëris, aquæ, ac terræ, non solum prout se habent in uno loco, sed etiam in diversis. Et ideo, quamvis ipsa ars, sive scientia in se certa sit, ac possibilis, respectu tamen hominum ejus cognitio est perdifficilis, ac incerta.

Quare certò prædicere, vel credere futuros hujusmodi effectus naturales, est peccatum. Quia est temeraria prædictio, ac imprudens credulitas. Per se tamen loquendo non pertinet ad superstitionem. Quia nullum pactum implicitum cum dæmone intervenit, sed levitas, & inconsideratio adhibendo certam fidem futuri eventus absque consideratione impedimentorum, quæ accidere possunt, ac sæpe sæpius accidunt. Est enim quoddam genus mendacii prædicere, vel credere incerta pro certis, vel futura sub conditione, tanquam absolute futura. Hoc verò mendacium est tantum peccatum veniale, nisi ipsa prædictio inferret alicui noxam, vel nisi fieret ex nimia arrogantia, vel immoderata lucri cupiditate, ut etiam docent Suarez *loc. cit. num 7.* ac Delrius *lib. 4. magic. cap. 3. quæst. 1.*

Adhuc tamen cum cautione in hac Astrologiæ parte agendum est. Non enim sunt approbandi medici, qui inspicientes ex astris tantum ægritudinem, & contemplantes signa Zodiaci, nempe sub quo aspectu fuit inflictum vulnus, aut febris incœpit, finem morbi conjectant. Potest siquidem conjectatio fallere defectu computationis, ac defectibilitate influxus propter varias dispositiones corporis infirmi, aeris, terræ, ac similium. Imo & sola materiæ indispositio Lunæ & astrorum omnium affectiones variare facit, teste Galeno *lib. 2. de dieb. crit.* Quare juxta Hippocratem, & Celsum *lib. 4. cap. 4.* judicium provocantium, & criticorum dierum potius ex dispositione humorum attendendum est, indeque status morbi.

At Galenus *lib. 12. Therapeu.* & Niphus *lib. 5. de dieb. crit.* multo magis irrident astrologos quosdam, qui præcipue observant quosdam Lunæ imaginarios angulos, aspectus, & conformitates, nihili facientes, vel contemnentes potius, quomodo materia disposita sit ad excipiendos sidereos influxus, & quæ temporum periodi, quæve concretiones, & crises sint morborum. Quos errores fuse impugnat Laurentius, ac Ficinus ipse, qui junior illos defenderat, cum Plotino Astrologorum ineptias irridendo. Quare sæpe etiam contra charitatem, & justitiam peccant, cùm necessaria omittunt ad sanandum infirmum.

Et sane indicium tantùm levissimum medicis suppeditare potest figura cœli, quam eligunt in principio infirmitatis. Et, ut annotavit autor libri de medicina, qui adscribitur Campanellæ *lib. 4. cap. 5. de crisibus articul. 2. numer. 2.* hæc figura decubitus insufficiens est, nisi consentiat figura nativitatis. Nam judicium de ægroti morbo supponit judicium illius temperamenti, quod ex genesi fit, non ex natura decubitus. At hæc potest adhuc multis de causis tunc errare, ut postea dicemus.

Quare medico satis est astrologia circa Lunæ mutationes, & alia hujusmodi ad cognoscendum tempora minutionum, pharmacorum, ac similium, quicquid dicat Ghetius v. *Astrologia* §. 3. Admittendum tamen est cum D. Thoma *in 2. d. 11. q. 2. art. 3. ad 4.* posse ex temperamento, Phisionymia, pulsu, diebus criticis, aut aliis indiciis prudens judicium ferri, de quo *superius suo loco* dictum est.

Hinc reiicimus Nazarium, qui *tractatu de magia quæst. 4.* approbato ex Sixto V. astrologiæ usu circa agriculturam, navigationem & rem medicam, concludit: *Quare libere poterunt astronomia periti, tales cœlorum effectus, veluti necessariò futuros, simpliciter, & absolute prædicere, cujus oppositum incaute docet Martinus Delrius.* Fallitur enim Nazarius, nisi forte loquatur de prima parte astronomiæ, & intra effectus in cœlo manentibus, eclipsibus, conjunctionibus, stationibus, aliis, vel de influxibus cœlorum secundum se in ordine ad effectus naturales sublunares, non quatenus sunt impedibiles à causis inferioribus efficientibus, vel materialibus, ut ipse tradit ex D. Thoma *part. 1. quæst. 57.*

quaest. 57. Possent enim hujusmodi effectus dici necessarii suo modo, non tamen absolute simpliciter, ut requiritur ad constituendam scientiam, quae ex necessariis non eodem modo in qualibet materia procedit; ut docet saepe Cajetanus ex Aristotele. Talis enim scientia, vel ars appellatur à Theologis, ac Philosophis cum D. Thoma *cit. art.* 5. *quaest.* 95.

Quod autem Astrologi saepe decipiantur, etiam circa naturales effectus, praeter quotidianam experientiam, docet Ambrosius *lib.* 4. *hexam. cap.* 7. Cùm, inquit, ante dies paucos sermo esset de pluvia, quae fore utilis diceretur, ait quidam: Ecce Neomenia dabit eam. Et quamvis cupidi essemus imbrium, tamen hujusmodi assertiones veras esse nolebam. Denique delectatus, quod nullus imber effusus est, donec precibus Ecclesiae datus, manifestaret, non de initio Lunae sperandum esse, sed de providentia Dei, & misericordia Creatoris. Quo exemplo & vanitas istius astrologiae confutata est, & efficacia christianae pietatis, visque religiosarum precum reipsa comprobata.

Accedit, quod nullum humanum ingenium potest cognoscere omnes dispositiones corporum coelestium, rerum sublunarium effectrices, & materiales. Tum quia interdum à libero arbitrio, vel supra naturam praeter astrorum virtutem proficiscuntur, ut liquet 3. Jerem. 3. & Psal. 106. Posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim, terram frugiferam in salsuginem à malitia inhabitantium in ea. Imo, ut alibi dictum est, ne bestiae quidem ab astris omnino constituuntur, ne ab objectis moveri queant, etsi nunquam libere, sed magistra, & duce natura.

CONSULTATIO C.

Proponitur quaestio, ejusque difficultas. Pici Mirandulani falsa fundamenta, vera Theologorum. Refutantur Astrologorum placita. Eorum dicendi modi impugnantur, ac ejusdem Pici dictum exploditur. Actus liberi directè astris non subjiciuntur. Argumenta Pici diluuntur, ejusdem objectiones contra influxus particulares siderum.

CArdo quaestionis versatur, an futura fortuita, effectus item per accidens, & actus liberi possint ab homine per astra cognosci? Dico ab homine, nam de daemone alibi dixi. Et quaestio est de cognitione certa, vel cum formidine, vel quoad inclinationem, vel quoad ipsos liberos actus, vel in particulari, aut in communi. Potest enim aliquando esse adeo generalis praedictio, adeoque abstructa à circumstantiis temporis, & loci, ut etiam de singulari loquendo sit necessaria, ut Petrus moriturus abstractè loquendo, non determinando locum, neque tempus, neque modum. Nam & ratione naturali, ac fide constat, illum, sicut & alios homines, naturaliter esse moriturum, sed nescimus ubi, quando, quomodo. Difficultas igitur est de his in particulari, etiam quoad inclinationes, & passiones hominum, ac praecipue de ipsis actibus liberis in se, ac certo.

Picus Mirandulanus, vir acutus, sed prolixus, duodecim libros adversus Astrologos edidit, quorum ope usi sunt quotquot post ipsum in Astrologos scripserunt. Is tamen sic eos arguit, ut cum praejudicio veritatis, & contra D. Thomam, aliosque Theologos aliqua illis denegare conetur. Nam *tcto ferè lib.* 3. supposito tantum, quod communiter admittitur, effectus scilicet omnes sublunares motu, lumine, calore à coelo, oriri, quia est primum in genere motuum corporatorum, & primum in unoquoque genere est causa caeterorum. Quare sicut si cessaret motus cordis in homine, pariter omnes motus illius cessare necesse est, sic cessante motu primi coeli. Hinc Aristoteles *lib* 8. *Physic.* motum primi coeli vitam esse omnium, docet, pariterque ait, coelum calore lucis operari, calor namque lucis, addit, proprietas est, non igneus, non aëreus, sed coelestis, sicut lux Coeli, à qua fluit calor, qui efficacissimus est, maximeque salutaris, omnia penetrans, omnia fovens, necessarius ad corpora, corporata, & viventia perficiendum, sicut & motus circularis, quod lumen illud prolificum, & calor, qui proles ejus est, manat, ut consistamus.

Praeter hoc commune motus, ac luminis diffluvium, nullam vim, nullamque proprietatem effectricem coelestibus corporibus, sive planetae, sive astra sint, inesse idem Picus contendit. Ait itidem stellas alias praeter Solem & Lunam, nihil, aut parum agere in corpora sublunaria. Asserit etiam diversitatem effectuum sub orbe Lunae accidentium, in causas tantum proximas, non autem in aliquas constellationes, sive siderum positiones, vel quaevis alia coelestia corpora esse reducendam. Eum sequitur Torreblanca, & videtur sequi Pererius *in Genesim*, & 3. *lib. de mag.* ac Medina 1. 2. *quaest.* 9. *art.* 5. inquiens, quae commemorantur ab Astrologis evenire ex siderum constellatione, succedere fortuna, & casu. Unde vanum, & nugatorium credit quod tradunt Astrologi de hominibus ex sideribus inclinatis ad furta, ad libidinem, ad bellum.

At D. Thomas, & cum eo Theologi *part.* 1. *quaest.* 115. & alibi saepius peculiares proprietates singulorum siderum admittunt. Nec contra hoc militat argumento suo Picus, quod nimirum impossibile est convenientia alicui ratione speciei, repugnare naturae genericae. Si enim homini, quatenus est animal, competit habere sensum, eidem non potest, ut homo, competere stupiditas. Ergo si naturae coelesti, ut sic, competit calor ille vivificus, non poterit consequi peculiarem naturam sideris alicujus activa facultas ad frigiditatem, vel siccitatem, qui vitae opponuntur.

Nam negatur antecedens. In primis enim coelum non est quid commune stellis, ac planetis communitate, ut aiunt, praedicationis, sed tantum quasi comprehensionis, diversis tamen proprietatibus, ut declarat Nazarius *part.* 1. *quaest.* 52. *art.* 3. Possunt enim ratione speciei alicui convenire proprietates diversae à natura generica, ejusque proprietatibus invicem compatibilibus, praecipue, si eminenter tantum, ac virtualiter in natura specifica includantur, sicut idem sol indurat argillam, liquat ceram. Falsum item est ex D. Thomae doctrina, sidera, praeter Solem, & Lunam, nihil, aut parum agere in haec inferiora, etiam motu, luce, calore, haustis à primo coelo, ut constat ex positione Solis in diversis signis Zodiaci, etsi verum sit prae Solis & Lunae efficacitate modicam esse virtutem aliorum siderum. Nec tamen asseverandum est cognosci

gnosci certò proprietates omnes, atque virtutem particularium siderum, imo nec ipsa sidera, sed aliquam probabilitatem habere. Minus admittendum, potestatem siderum aliam, aliamque esse singulis horis, ac momentis; nam ab intrinseco tanta mutabilitas nequit reperiri, cùm nec in sublunaribus reperiatur, quæ sunt motui, & corruptioni secundum se obnoxia; non iccirco negandum est, quin cœlum continuò rotetur, & alii orbes, ac planetæ primo mobili subiiciantur, unde & mutantur influxus.

Insuper Astrologi in hæc falsa prolabuntur. Primò propensiones multiplicant, & consequenter virtutes corporum cœlestium, illarum effectrices, juxta numerum fere agendorum, ut ita ex illis conjectent; cùm tamen aliqua sint, quæ ex inclinatione aliqua non orlantur, sed indifferenter se habeant.

Secundo falluntur; nam quoties non se offert ratio reducendi illas propensiones ad cœlestia corpora mediis primis qualitatibus à aut humoribus elementaribus, recurrunt ad occultas illorum proprietates, formam specificam concomitantes, & Veneri attribuunt propensionem ad luxuriam; Marti ad iram, Lunæ ad insaniam.

Tertio falluntur. Quia in cœlestibus corporibus proponunt virtutes, ac proprietates inclinantes, ac stimulantes hominem ad flagitia. Sit exemplum. Venus Marti conjuncta inclinat ad adulteria, iidemque planetæ in signis magnis constituti, propendunt ad puerorum concubitus, Mars, occupans nonam cœli partem ad irreligiosos mores. Nam corpora cœlestia moventur à Deo, & ab Angelis, & ut sit mota movent, ac infallibiliter leges operandi, sibi à Deo inditas, perpetuò servant; atque adeo si ad malum inclinarent, à Deo id manaret. Quod est perabsurdum. Atque iccirco sapientiores Theologi negant appetitum sensitivum secundum se ad malum propendere, & affirmant, nullam naturam ad malum formaliter inclinare, ne malitia referatur in Deum, naturæ, ac propensionis autorem.

Et quamvis nonnulli Astrologi respondeant, cœlestia corpora nunquam ad malum formaliter inclinare, sed ad bonum; propter verò defectum subjecti sublunaris recipientis influxus cœlestes ad malum deflecti, exempli gratia, Saturnus inclinat ad consiliorum profunditatem, ad altitudinem mentis, ad animi quietem, ad litterarum studium; at si influxus recipiatur in subjecto deficiente aut male affecto, vertitur ad dolos, vafriciem, ac superstitionem. Venus inclinat ad lætitiam, hilaritatem, ac festivam conversationem; ex malitia tamen subjecti suscipientis influxum, vertitur ad fornicationem, ad oscula impudica. Hunc modum dicendi non improbabilem existimat Delatorre. At nihilominus, illo admisso, non possent adhuc Astrologi pronunciare, hunc aut illum futurum esse latronem, luxuriosum, aliquas stellas esse maligni influxus, alias benigni; interpretantes de influxu directo in animam.

Falluntur quartò, quia positis illis virtutibus cœlestium corporum, unde propensiones rerum sublunarium oriuntur, existimant sic eis subjici humana negotia, ut fatalem necessitatem inferant, ut proinde incidant in errores Priscilliani, & Algazelii, læsa libertate arbitrii, ut etiam annotarunt Porrecta *in cit. art.* 5. D. Thomæ, Suarez, Sylvius, atque alii post Constitutionem Sixti V.

Denique falluntur, quia contendunt ex virtutibus cœlestibus, prædicere etiam actus liberos, & fortuitos, qui cœlo non subduntur, imò & complura, quæ non habent connexionem cum propensionibus nati; ut quod habebit uxorem pulchram, patres felices, inimicos infestos, Cardinales, ac Proceres amicos, eligentes illum in Pontificem, aut Regem, de quo multa Picus loco citato.

Et quoniam Astrologi asserunt effectus astrologicos proficisci ab extrinseco, nempe à domibus diversis, quas planetæ occupant, & à signis Zodiaci, atque ab aspectibus planetarum. Aiunt enim quemlibet planetam bonum esse aut malum, id est, autorem felicitatis, aut infelicitatis, & bonum planetam nocere in malo loco, malum interdum prodesse, ut Jupiter in Oriente positus, tam differt à seipso, cùm in eum, quem vocant duodecimum cœli locum, commigraverit, quàm ignis differt ab aqua. Nam in Oriente semper maxima bona, in duodecima verò domo, quæ contigua est Orienti, mala sæpe magna indicantur. Insuper illud Jovi proprium, quod divitias largiatur, in tertio tamen, octavoque loco collocatus, frequenter patrimonium dissipat. Præterea, cum suapte natura faciat nobiles, & sapientes, si octavum locum habuerit, faciet ignobiles, & quorum furor, teste Materno, ad insaniam evadat. Postremo cùm nihil sit magis Jovi proprium, quàm esse sidus beneficum, ideoque prosperitas planetarum, & magna cœli felicitas ex eo ab astrologia celebratur; at collocatus in tertio loco, neque bonus, neque malus est, ait Maternus.

Idcirco nos ita hoc impugnamus. Illa planetarum mutatio, ac variatio proprietatum, quam comminiscuntur esse in diversis domibus à planetis occupatis, vel oritur à virtutibus, ac proprietatibus domorum, vel à sola variatione receptaculorum expertium omnis virtutis activæ in planetas. Non primum. Nam illæ domus, aut loca vel nuda sunt omni corpore, ut quidam philosophi errantes de omni loco tradiderunt, & tunc certe non est, cur virtutem ullam, aut efficaciam obtinere affirmant, cùm illud spatium vacuum locus tantum imaginarius sit. Aut sunt affixa aliquibus corporibus, sicut & universa loca, cùm locus *lib*. 4. *physic*. definiatur ultima superficies corporis continentis. Et sic oportet declarare quænam sint ista corpora. Si namque sit ultimus globus, sive illi, quibus quodlibet astrum conjunctum est, cum quolibet die ab Oriente in Occidentem rotentur, eas diversas virtutes Orienti, atque Occidenti impertirentur, ac simul mutabilitatem, quam planetis dicunt inferre, cujus oppositum experimur. Neque secundum, quia gerunt se quasi passive in pura domus receptione.

Ad hæc si tota influxuum varietas ex domibus attenditur, non est necessarium proprietatem ullam planetis attribuere, cùm sine illis res tota completetur. Ac etiam quia bonus influxus planetæ ab influxu domus aliquando hebetatur, impertinens est planetæ influxus.

Obiicit tamen Astrologus. Experientia docet, Sole existente in Leone, mundum hunc sublunarem effervescere, existente in Ariete universa calore temperato nutriri. Attendenda sunt igitur signa cœlestia respectu influxuum.

Respondetur

Respondetur negando consequens. Nam etiamsi signa, vel octava sphæra nulla essent, eodem pacto mutaretur influxus Solis. Quia positus in Leone, vel in alio loco sibi correspondente, radios directe mittit in nostrum Hemispherium, ideoque omnia videntur calore comburi. At in Ariete positus, radios oblique torquet, atque iccirco calor magis temperatus est. Hinc idem altrum in Leone positum habitantes in meridie non afficit ardore, sed potius frigore, & apud eosdem ad Aquarium veniens, effervescit, sub quo nobis glacie, ac imbribus abundat. Quia quanto magis nobis approximatur, tanto magis ab illis elongatur, & è contra.

Quod autem propensiones horum inferiorum à stellis etiam proveniant, reclamante Pico, docet passim D. Thomas, signate *in quæst. de spiritual. creatur. art.* 8. *lib.* 2. *de Cælo*, 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 5. *& quæst.* 96. *art.* 2. *ad* 2. *& opusc.* 5. *art.* 3. *ad* 2. *lib.* 3. contra gentes *cap.* 84. ac 2. *sentent. dist.* 15. *quæst.* 1. *art.* 3. *& part.* 1. *quæst.* 115. *art.* 1. *&* 4. ubi ait, quod licet motu, ac luce omnes stellæ agant, tanquam virtute omnibus communi, singulæ tamen habent suas proprias virtutes, speciem cujusque stellæ consequentes, quæ diversorum effectuum sunt causæ. Ac secundum quod suo motu diversimode se habet stella ad aliam stellam, & inferioribus diversas propensiones imprimit, ac diversos effectus producit, ideo secundum quod ex pluribus virtutibus agentibus una constellatio resultat, aliquid producitur, quod unica virtute fieri non posset. Aut etiam secundum quod una stella ex natura sua determinata est aliam stellam adjuvare, aut suo proprio effectu impedire, sicut inspicimus in inferioribus unam causam alteram juvare, alteram verò impedire.

Idem tradit *opusc.* 28. *art.* 4. §. *ad illud*. Cùm enim objiceretur, quod luminaribus existentibus in capite Algon, id est Gorgonis, si ea Mars respectu inimicitiæ radiaverit, natus, ut ait Prolemeus, truncabitur manibus, & pedibus, & truncus suspenderetur in Cruce, ita respondet: Ad illud, quod objicitur de capite Gorgonis dicendum, quod illæ stellæ funereæ sunt, & monstruosam indicant vitæ terminationem, propter quod ipse etiam Perseus caput averso vultu abscissum tenet. Sed hoc, sicut diximus, non imponit rebus necessitatem, sed facilem, ac mutabilem inclinationem habet. Quod ipse D. Thomas confirmat *d. quæst.* 115. *art.* 3. *ad* 2. ex Aristotele 2. *de generat. tex.* 56. dicente, necesse est ponere aliquod principium activum mobile, quod per suam præsentiam & abundantiam causet variationem circa generationem, & corruptionem inferiorum corporum, & hujusmodi sunt corpora cœlestia. Et ideo, quicquid in istis inferioribus generat, & movet ad speciem, est sicut instrumentum cœlestis corporis, non proprie, ut annotat ibidem Cajetanus, unde non sequitur non assimilari hominem homini generanti, ex quo dicitur *lib.* 2. *physic. d. text.* 26. quod homo & Sol generat hominem. Hoc ipsum comprobat D. Thomas ibidem ex Dionysio, & Augustino, ac loco citato contra gentes, ubi præclare Ferrariensis. Quare approbare videtur D. Thomas *eo cap.* 84. *contra gentes* Ptolemæi effatum, si in nativitate alicujus fuerit Mercurius in aliqua domorum Saturni, & ipse fortis in esse suo, juvatur ex illa positione Mercurius ad causandam (mediantibus tamen causis secundis, quibus utitur, tanquam instrumuntis) eam dispositionem corporis, quæ sit viribus sensitivis convenientissima, ministrentque operationi intellectus; & inde natus sub ea constellatione vir egregii ingenii dicetur, & ad studia litterarum propensius.

Neque tamen iccirco D. Thomas subjicit intellectum ac voluntatem directe stellis, sive ab illis dependere ait. Ubique enim docet, præcipue *art.* 4. *quæst.* 115. corpora cœlestia humanorum actuum nequaquam esse causam, ut inquit Damascenus *de fide orthodoxa lib.* 2. *cap.* 7. Ibique perspicue declarat differentiam inter corporata inferiora, & spiritualia, ut anima. Sic etenim ait: In corporata quidem imprimunt cœli directe, ac per se. In vires autem animæ, quæ sunt actus organorum corporeorum, non directe quidem, sed per accidens. Quia necesse est hujusmodi actus harum potentiarum impediri secundum impedimenta organorum, sicut oculus turbatus non bene videt. Unde si intellectus, & voluntas essent vires corporeis organis alligatæ, sicut posuerunt aliqui, dicentes, quod intellectus non differt à sensu, ex necessitate sequeretur, quod corpora cœlestia essent causa electionum, & actuum humanorum. Et ex hoc sequeretur, quod homo naturali instinctu ageretur ad suas actiones, sicut cœtera animalia, in quibus non sunt, nisi vires animæ, corporis organis alligatæ. Nam illud, quod fit in istis inferioribus ex impressione corporum cœlestium, naturaliter agitur. Et ita sequeretur, quod homo non esset liberi arbitrii, sed haberet actiones determinatas, sicut & cœteræ res naturales. Quæ manifeste sunt falsa, & conversationi humanæ contraria.

Sciendum est tamen, quod indirecte, ac per accidens impressiones corporum cœlestium ad intellectum, & voluntatem pertinere possunt, in quantum scilicet tam intellectus, quàm voluntas aliquo modo ab inferioribus viribus accipiunt, quæ organis corporeis alligantur. Sed in hoc variè se habent intellectus, & voluntas. Nam intellectus ex necessitate accipit ab inferioribus viribus impressiones. Unde turbata vi imaginativa, vel cogitativa, vel memorativa, ex necessitate turbatur actio intellectus; sed voluntas non ex necessitate sequitur intellectionem appetitus inferioris. Licet enim passiones, quæ sunt in irascibili, & concupiscibili habeant vim quamdam ad inclinandum voluntatem, attamen in potestate voluntatis, remanet prosequi passiones, vel eas refutare. Et ideo impressio cœlestium corporum, secundum quam immutari possunt inferiores vires, minus pertingit ad voluntatem, quæ est proxima causa humanorum actuum, quàm ad intellectum. Ponere igitur cœlestia corpora esse causam humanorum actuum, est proprium illorum, qui dicunt, intellectum non differre à sensu. Unde quidam eorum dicebant, quod talis est voluntas in hominibus, qualem in die inducit pater virorum, Deorumque. Quia ergo constat, intellectum, & voluntatem non esse actus organorum corporeorum, impossibile est, quod corpora cœlestia sint causa humanorum actuum.

Idipsum confirmat D. Thomas *cit. art.* 5. *quæst.* 95. his verbis: Subtrahuntur causalitati cœlestium corporum actus liberi arbitrii, quod est facultas voluntatis, & rationis. Intellectus enim, sive ratio non est corpus, neque actus organi corporei, & per consequens nec voluntas, quæ est in ratione, ut patet per Philosophum in 3. de anima. Nullum autem corpus potest imprimere in rem incorpoream. Unde impossibile est, quod corpora cœlestia directe imprimant in intellectum, & voluntatem. Hoc enim esset ponere intellectum non differre à sensu, quod Aristoteles *in lib. de anima*

imponit

imponit ijs, qui dicebant, quod talis voluntas est in hominibus, qualem in die inducit pater virorum, Deorumque, scilicet Sol, vel cœlum. Unde corpora cœlestia non possunt esse per se causa operationum liberi arbitrij. Possunt tamen ad hoc dispositivè inclinare, in quantum imprimunt in corpus humanum, & per consequens in vires sensitivas, quæ sunt actus corporalium organorum, quæ inclinant ad humanos actus. Quia tamen vires sensitivæ obediunt rationi, ut patet per Philosophum *in* 3. *de anima &* 1. ethic. nulla necessitas ex hoc imponitur libero arbitrio, sed contra inclinationem cœlestium corporum homo potest per rationem operaris. Idemque docet *loc. cit. contra Gentes*, ibique Ferrari, aviso. Dicet nonnemo. Etiam bruta resistunt impressioni cœlesti, idem coguntur ab aliquo percutiente ire ad pascendum, vel moventur à bonitate objecti, jam per sensum experti.

Respondetur ex D. Thoma 1. 2. *qu.* 40. *ar.* 3. & *qu.* 46. *ar.* 7. animalia habere pro ratione instinctum quendam naturalem, sibi à ratione superiori insitum, ut tendant ad magis conveniens, & à malo elongentur. Itaque quod in nobis præstat ratio conjuncta parti sensitivæ, quæ res diversas inter se conferendo gubernat, ac dirigit, hoc in illis efficit ratio separata, imprimens illis instinctum talem ad bonum amplexandum, & malum fugiendum, ut sunt verbera. Non tamen propterea irascuntur, teste Octavio Brancifortio *de animor. purturbat. sect.* 4. ex Seneca dicente *lib.* 1. *cap.* 3. bestiæ irasci non magis sciunt, quàm ignoscere. Habent similes hominibus impulsus quosdam, &c. Luculentiùs Aristoteles 3. *eth. cap.* 11. fortes, ait, honesti causa res omnes gerunt, eosque ira adiuvat, bestiæ autem dolore affectæ, vel quod ictæ fuerunt, vel quod metuunt. Si enim sint in sylva, aut in palude, neminem aggrediuntur, verberibus ergo duci, & instinctu non tollit, quin ducantur ab astris, & ab illis inclinentur physicè ac directè, ut ait D. Thomas. Non enim liberè & cognoscendo rationis bonum, sed coactè verberibus ad aliud tendunt, vel objecto repræsentato, instinctu naturæ ad illud trahuntur.

At Picus ita contra insurgit. Agens agit in sibi simile. Sed videmus, quod omnia, quæ fiunt hic inferius, fiunt per hoc, quod calefiunt, frigidantur, humectantur, desiccantur, aliisque hujusmodi qualitatibus alterantur, quæ non inveniuntur in corporibus cœlestibus. Ergo corpora cœlestia non sunt causa eorum, quæ hic fiunt.

Hæretici etiam sic argumentantur. Corpora cœlestia cum moventur à spiritualibus substantiis agunt illarum virtute, quasi instrumenta. Illæ autem substantiæ spirituales sunt superiores nostris animabus. Atque adeo possunt imprimere in animas nostras, & sic causare actus humanos. Confirmant primò, Astrologi verè pronunciant de eventibus bellorum, & aliis humanis actibus, quorum principia sunt intellectus, & voluntas. Id autem facere non possent, nisi cœlestia corpora essent humanorum actuum causa. Secundò. Sub eadem constellatione concipitur mas & fœmina. Tertiò. In hisce inferioribus reperiuntur agentia & materia. Hæc autem satis sunt ad producendum effectus.

His objectionibus ita respondetur. Primæ distinguitur major ex D. Thoma *p.* 1. corpora cœlestia non sunt similia corporibus inferioribus similitudine speciei, & conceditur. Secundum continentiam virtualem, & negatur. Nam sua universali virtute continent in se quicquid in inferioribus animatur, juxta quem modum dicimus etiam, omnia esse Deo similia. Simile autem specie tenetur producere, propriè generans.

Secundæ objectioni negatur consequentia. Spirituales enim substantiæ, quæ cœlestia corpora movent, agunt in corporalia mediantibus cœlestibus corporibus. At in intellectum humanum agunt immediatè illuminando. Voluntatem autem immutare non possunt, ut superiùs probatum est. Ideoque mediis cœlestibus corporibus non possunt immediatè tangere animam, vel ejus potentias.

Primæ confirmationis distinguitur minor: nisi cœlestia corpora essent causa humanorum actuum indirecta, & per accidens, conceditur. Directa & per se, negatur. Tradit autem D. Thomas *ad* 3. *dicti ar.* 4. *qu.* 115. cur Astrologi plerumque vera possint prædicere, maximè in communi, non autem in speciali. Quia nimirum plures hominum sequuntur passiones, quæ sunt motus sensitivi appetitus, ad quos cooperari possunt corpora cœlestia, pauci autem sunt sapientes, qui hujusmodi passionibus resistant. Per liberum verò arbitrium aliqui resistunt. Unde & ipsi Astrologi dicunt, quod sapiens dominatur astris, in quantum scilicet dominatur suis passionibus.

Secundæ Confirmationi respondet D. Thomas *ad* 4. *art.* 3. *cit. quæst.* negando consequentiam. Nam materia conceptus non est dispositiva totaliter ad masculinum sexum. Unde partim formatur in masculum, partim in fœminam. Quod declarat *opusc.* 28. *cap.* 4. Hinccum eodem post Augustinum reijcimus divinationem, quæ fit per astra, quia effectus astrorum variantur, etiam in rebus corporeis secundum diversam materiæ dispositionem.

Tertiæ verò confirmationis negatur item consequentia. Ex Aristotele namque *lib.* 2. *de generat d. text.* 56. quem superius adduximus oportet ponere aliquod principium activum mobile, quod per suam præsentiam & abundantiam causet varietatem circa generationem & corruptionem inferiorum corporum, & hujusmodi sunt cœlestia corpora. Unde quicquid in istis inferioribus generat, & movet ad speciem est, sicut instrumentum cœlestis corporis, secundum quod dicitur 2. *physic. text.* 26. quod sol & homo generant hominem. Nomine Solis intelligit D. Thomas cœlos contra Licetum. Videsis *ibidem* Cajetanum egregiè declarantem quare agentia subcælestia dicantur instrumenta cœlorum, cùm tamen pater, ut causa principalis, ac vitalis generet filium. Non enim proprie dicuntur instrumenta, Sed quia inferius se habet quasi ut materia, quia superius est formalius. Quem admodum & creata agentia naturalia dicuntur passim à D. Thoma instrumenta Dei. Nam Dei & superioris causæ creatæ ut solis, est agere naturam secundum rationem naturæ ac per se. Quod non convenit causæ universæ, alias seipsam causaret. Et ideo causæ univocæ agunt virtute illarum, quarum est per se agere ad speciem.

Imo Bannes *qu.* 77. *pag.* 1. censet probabile, Delatorre *in* 2. 2. *qu.* 95. *art.* 5. Molina, & Aversa post Medinam putant, ut certum, quòd, etsi propensiones omnes belluarum à cælis proveniant, non tamen determinationes peculiares, ad hoc, vel ad illud, exempli gratia ire ad pascendum in monte, aut in valle, versus orientem, vel occidentem. Quia omnis motio corporum cœlestium oritur ex eorum virtutibus, quæ sunt principia operandi. Non autem reperiuntur in cœlo principia, & virtutes, ac tot determinationes secundum locum, & tempus. Ideoque non sunt tribuendæ motioni cœlestium corporum. Diversitatem enim operationum necesse est proficisci à diversitate principiorum activorum. Nam alioquin essent in cœlo infinitæ penè virtutes, ac principia operandi circa unum individuum brutales cùm illius determinationes in exequenda sua propensione innumeræ

meræ sint. Et quia sæpe contingit determinationes istas in opposita ferri, modò ad unam partem, modò ad oppositam. Si autem dicatur, operationes illas individuales non posse exerceri sine influxu cœlestium corporum, & consequenter ad illum esse referendas, respondetur, id comprobare antecedens non quoad determinationem operationum hic & nunc, sed quoad eius entitatem in ratione communi corporatorum effectuum.

Et quoniam etiam opponitur, quòd determinatio brutalis non est propriè electio, neque inconvenit, quòd dependeat à cœlis; ideo respondetur, quòd nec quidem determinationes sine electione possunt reduci ad cœlos, qui sunt inanimati, sed ad Angelos, & Deum. Unde credit Medina, id forsitan voluisse asseverare D. Thomam *pag.* 1. *quæst.* 110. ex mente Augustini, & Origenis, docentem, immediatè Angelos præsidere, etiam circa res corporeas rationis expertes.

Sed adhuc Joannes Picus arguit contra constellationes particulares siderum, eumque sequitur Torreblanca *lib.* 7. *cap.* 2. *oper. spirit.* alios afferens post Franciscum Picum *lib.* 5. *prænot. cap.* 4. asserentes diversitatis intellectuum, ex diversa corporis dispositione, causam esse aliquam particularem virtutem, non autem diversam syderum positionem. Unde inferunt, falsum esse, Astrologiam posse de bonitate intellectus ex motibus cœlestibus judicare, ut ex Ptolemeo tradit D. Thomas *in fine d. cap.* 84. Sicque primùm arguunt, Cœlum est causa universalis. Causa autem universalis non distinguit effectus, sed tantùm causæ proximæ, tam specificæ, quàm singulares. Ergo cœlum non est causa diversitatis effectuum in istis inferioribus.

Confirmant primò. Nulla est siderum positio, sub qua de Leone Leo, de equo equus non nascatur. Ergo diversitas rerum non positioni siderum, sed diversitati particularium causarum est adscribenda.

Secundò id confirmant. Natos simul eodem momento ex diversis parentibus intra eandem, ejusdem tamen regionis latitudinem, & longitudinem, fortuna, ingenio, corpore diversissimos intuemur. Ergo illorum diversitas à particularibus causis, quæ diversæ sunt, non à siderum positione, quæ una est, provenit.

Deinde sic ostendunt: Cœlum in hæc inferiora agit lumine duntaxat, & motu, à quibus non aliud materiæ communicatur, quàm motus, lux, & calor. Sed hæc ab omnibus fluunt stellis, à Sole mendicando. Ergo non sunt diversi influxus cœlorum secundùm variam siderum positionem.

Verum Picus, vir alioquin doctissimus, in hoc fallitur, & fallit. Quoniam cùm cœlum universalem causam supponat, rerum diversitatem in eius virtutem referri non posse existimat, cùm tamen oppositum ex dictis colligatur. Si namque cœlum universalis causa est, sine qua corporeum nullum neque agit, neque agere valet, fatendum necesse, est omnis diversitatis causam in suo genere cœlum esse, utpote quod omnes causas secundas ad operandum inducat, à quibus diversi effectus dimanant. Ideoque D. Thomas etiam diversitatem ingenij à cœli impressione statuit, indirectè tamen, atque ex occasione quadam provenire. Quia cœlum, veluti universalis causa, diversas dispositiones corporeas, secundùm quas sensitivæ vires variantur, producat, quibus in suo opere utitur intellectus.

Harum tamen dispositionum varietas non ita Cœlo est attribuenda, ut quasi ab ipso tantùm, nulla media causa, prosiliat; sed quia cœlum secunda causa utitur, quæ fortior evadit, dum agit, cœlo in tali dispositione existente, quàm si taliter dispositum non esset. Ipsum quoque cœlum per aliquam particularem causam removet impedimenta, quibus convenienș materiæ dispositio, aut etiam actio secundæ causæ agentis impediri posset.

Neque inconveniens existimari debet ex secundis causis aliquem effectum dimanare, ut assumantur ab altero agente, quos virtute connaturali producere nequirent, ut dicitur de cœlis, instrumentis elevatis ab intelligentia motrice ex D. Thoma *qu.* 6. *de miraculis*. Sic operatione artis miri producuntur effectus per ignem, aliaque agentia naturalia qui ab illis duntaxat causis naturalibus non efficerentur. Ut enim docet idem D. Thomas *lib.* 1. *sent. dist.* 38. *art.* 5. causa prima & universalis particulares effectus per causas secundas efficiens, virtutem propriam in causa secunda imprimit, ut ab ipsa quasi ad effectum deferatur, cumque unumquodque recipiatur in alio per modum recipientis, evadit virtus causæ universalis quodammodo limitata ad determinatos effectus per causam secundam, in qua recipitur.

Atque iccirco ex D. Thoma *cit. q.* 115. *ar.* 6. & *cap.* 67. *lib.* 3. *contra gentes*, effectus plures contingenter accidunt, etsi prima causa sit necessaria, idque propter contingentiam secundæ causæ, in qua primæ causæ virtus limitationem accipit. Eademque ratione sicut dum aliqua universalis causa ad generationẽ Leonis agit per Leonem, Leonem generat, ita dum agit per equum debilis virtutis equum debilem efficit, dum per equum fortem operatur, fortem equum generat. Hoc eodem pacto *d. opusc.* 28. *art.* 4. tradit multum variationis facere dispositiones inferiorum, ut complexiones feminarum, & climatum. Idipsum dicendum est de stellis recipientibus lumen solis universale, determinatum virtutibus peculiaribus stellarum, sicque in multiplices effectuum differentias extenduntur, & multis particularibus causis, vario modo dispositis, cooperantur.

Quod autem unumquodque astrum habeat suas virtutes peculiares docet sæpius D. Thomas, Albertus *lib.* 2. *de cœlo tr.* 2. *cap.* 2. Averroes *lib.* 1. *de Cœlo tom.* 42. Avicenna apud Albertum *ibid.* Augustinus Niphus *lib.* 2. *de Cœlo text.* 49. Scaliger *in Cardanum exercit.* 62. Maro *georgic.* 1. ubi Saturnum frigidum ait, quia obliquè respicitur à Sole, directè autem Mars secundùm Aratum. Lunam autem habere speciale lumen, colligunt aliqui ex illo Psalmi 120. *Per diem Sol non uret te, neque Luna per noctem.* Quod tamen non probat de lumine non mutuato à Sole. Neque hoc asserit Aristoteles, quod aliqui ex compluribus ejus textibus probare existimant, idemque tradentes de aliis astris, nominatim Veneris. Posset-quæ hæc opinio comprobari ex D. Thoma 1. *Corinth.* 15. dicente: *stella à stella differt in claritate.*

Argumentis autem Pici, & aliorum ita respondetur. Ad primum negatur minor. Nam dictum est, causam universalem corporatam secundum diversas partes diversis pollere virtutibus ad diversos effectus per causas particulares producendos, sicut diversæ artes diversis instrumentis utuntur ad varia artificiata. Cœlum autem universaliter acceptum pro orbibus ac stellis diversis virtutibus agere in hæc subcœlestia, dictum pariter est. Quod D. Thomas *cit. opusc.* 28. *art.* 2. declarat ex Aristotele. Quemadmodum enim Fabri Lesbij structuræ normam, non normæ structuram accommodant, ita propter varias causas, quæ sunt in materia, sæpe mutatur sapiens dispositio circuli cœlestis, ac dispositio adhærens mobilibus quæ fatum vocatur, extra rectitudinem cœlestium declinans exorbitat propter multas oppositas inferiorum transmutationes. Immò quælibet stella potest

causa universalis appellari, & si virtute aliqua speciali polleat, diversa à virtute alterius stellæ, qua idcirco effectum diversum ab effectu alterius agat. Nam motu, ac lumine in sublunaria operatur, quæ sunt cunctis corporibus cœlestibus communia, & propria virtute suam speciem, & naturam comitante in diversos effectus valet, prout in ipsa plurium causarum particularium virtutes simul clauduntur, sicut ipse Picus admittit in luce omnes effectus subcœlestes conjunctim contineri.

Primæ confirmationis negatur consequens. Virtuti namque siderum etiam adscribi debet ut de Leone non generetur, nisi leo. Cœlum enim particulares effectus non producit, nisi per causas secundas, ac illis proportionatos. Ideo variis ad varios effectus utitur, sicut artifex diversis instrumentis ad diversa opera. Neque idcirco sequitur diversitatem effectuum non pendere ab artifice. Additur, quod licet ab equo equus tantum generetur, aliqua tamen est siderum constitutio, sub qua equus equum generare valet, qua deficiente, non generaret. Unde quædam animalia statis anni temporibus generationi vacant, & sub certis constellationibus gigantes etiam generantur, aut magno ingenio viri, quas observant dæmones; dum, semine assumpto, illos generant.

Secundæ confirmationis negatur pariter consequens; quod etiam negat D. Augustinus *lib.* 5. *de civit. cap.* 6. & D. Thomas *art.* 3. *ad* 4. *ejusdem qu.* 115. dum admittit, quod actiones corporum celestium diversè recipiuntur in inferioribus corporibus secundum diversam materiæ dispositionem, ut liquet, dum materia conceptus humani non est omnino disposita ad masculinum sexum; unde partim formatur in masculum, partim in feminam. Quod inibi Augustinus tradit ad repellendam divinationem astrologicam. Non ergo infertur siderum positionem non agere in subcœlestia, sed non necessariò agere, cùm causæ secundæ sint contingentes, in quibus recipitur influxus cœlestis, qui impediri potest ex materiæ, & particularis agentis indispositione. Ideoque rectè concluditur, diversos effectus in diversas siderum positiones, tanquam in causas remotas referri, in causas secundas, tanquam in proximas.

Secundi verò argumenti negatur antecedens. Contrarium namque probatum est ex D. Thoma. Sed adhuc illo admisso non valet consequentia. Etenim, ut docet D. Thomas *de spiritual. creatur. art* 8. *ad* 12. lux non est ejusdem rationis in omnibus stellis; ideo præter communes effectus consequentes communem lucis naturam, quodlibet sidus suo lumine aliquem particularem effectum producere valet.

Quare non videtur inconveniens, ut putat Torreblanca, quod in uno ac eodem simul à Cœlo frigus, & calor in gradibus compatibilibus causantur, si supponatur, cœlum aërem ad calorem, aut frigus absque medio particulari agente calido, aut frigido variis suis virtutibus alterare. Sicut enim non inconvenit ligno appropinquante calido & frigido, à calido, si fortius sit lignum, caliditatem accipere, & à frigido aliquem gradum frigiditatis, remissum, & compatibilem cum gradu illius caloris. Ita non inconvenit, quod exempli gratia Luna simul in aëre causet frigiditatem ratione propriæ virtutis, & aliquem gradum caloris virtute luminis. Hinc, tametsi Lunæ magis sit frigefacere virtute propriæ qualitatis, quàm calefacere, ex communi Lucis natura, causat tamen in aëre, ab ipsa frigefacto, aliquem caloris gradum suæ frigiditati non repugnantem, ideoque noctes plenilunij asserit Aristoteles *lib.* 4. *de partib. animal. cap.* 5. esse calidiores; quia quò plus luminis habet Luna, eo magis aërem per aliquem gradum calefacit, quamvis semper frigiditatem calore intensiorem propria virtute inducat. Ex quibus solutæ manent rationes aliquot circa varias stellarum virtutes, quas ex Pico affert Pererius in Astrologiam.

Consultatio CI.

De Astrologia genethliaca sive iudiciaria. Adversus eam Biblia Sacra, Pontifices summi, Concilia, leges Principum, Patres, Theologi, Philosophi, Historici ac cæteri omnes.

PRimùm firmamento firmiùs tenendum est, esse de fide, nullo modo posse ex astris prædici, aut cognosci mysteria supernaturalia, ut Incarnatio Christi, diluvium universale, an Petrus sit convertendus à peccato, an à seculo ad religionem, de quibus jam diximus.

Deinde sit hæc assertio. Astrologia judiciaria pronuncians certò, aut incertò, ac in singulari de liberis actibus, aut de ab illis dependentibus, ut sic de fortuitis & contingentibus, est sine fundamento, atque adeo vana, superstitiosa, & ad magiam dæmoniacam pertinens, improba, damnata & perniciosa Eccesiæ Christianæ, ideoque illicita. Hæc thesis est communis Theologorum, quam expressè docet sæpius D. Thomas signatè *art.* 5. *d. qu.* 95. ubi Cajetanus, Bannes, Zumel, Nazarius, Arauxo, aliique *p.* 1. *qu.* 57. & 115. ac Medina 1. 2. *q.* 9. Idem D. Thomas *in* 2. *d.* 15. *qu.* 1. *ar.* 3. Sotus *in* 4. *& de just. & jur. lib.* 5. *q.* 10. Delrius, Ferrariensis cum eodem D. Thoma *lib.* 3. *contra gentes cap.* 154. & ad *Galat.* 4. *lect.* 4. Bonaventura *in colloq.* Antonius 2. *p. tit.* 12. *cap.* 1. Tarantas. Richard. Palud. Gabriel, Major *in* 4. *sent.* Gulielm. Paris. *tract. de legib.* Michael Medina *lib.* 2. *de recta in Deum fide* [illegible] *de mag. lib.* 3. *& in cap* 1. [illegible] 2. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. [illegible] *num.* 17. Victoria, Carena, Franciscus Picus *lib.* 5. *de prænot.* & antea Joannes Picus *adversus Astrologos integris duodecim libris*, etsi *supervacaneis oppletis.* Duardus *in Bullam Cœnæ can.* 1. *qu.* 22. Valentia, Delatorre Sylvius. *in d. qu.* 95. D. Thomæ, Salelles, Moura, Torreblanca, Sanchez *in decal. l.* 2. *cap.* 38. *n.* 33. Lessius *lib.* 2. *cap.* 43. Reginald. *lib.* 17. *n.* 172. Azor *pag.* 1. *lib.* 9. *cap.* 13. Navarr. *de restit. l.* 2. *cap.* 2. *dub.* 2. *nu.* 110. *& seq.* Salas *p.* 2. *qu.* 2. *&* 5. *tr.* 5. *disp.* 2. *sect.* 5. *à num.* 16. Castropal. *pa.* 3. *tr.* 17. *disp.* 1. *pun.* 4. *num.* 4. Delbene *p.* 2. *dub.* 222. *sect.* 1. *num.* 5. alijque communiter.

Et quidem Scriptura sacra pluribus in locis Astrologiam hanc judiciariam refellit, reprobat, irritamque declarat. Isaiæ 41. *Annunciate quæ ventura sunt, & sciemus quod Dij estis vos*; & cap. 44. *Ego sum Dominus, irrita faciens signa divinorum, & Ariolos in furore vertens, convertens sapientes retrorsum, & scientiam eorum stultam faciens*; & cap. 47. deridens Deus Babylonios, & Chaldæos sideralibus suis observationibus præfidentes: *sta* inquit, *cum incantatoribus tuis & cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua, si forte quid prosit tibi, aut si possis fieri fortior. Defecisti in multitudine consiliorum tuorum. Stent & salutent te augures, qui contemplabantur sidera, & supputabant menses, ut ex eis annunciarent ventura tibi.* Et paulò ante dixerat: *Sapientia tua, scientia tua hæc decepit te.* Jeremias quoque *cap.* 10. monet Judæos, ut astrologicas observationes pro nihilo ducant; nihil enim sibi à stellis vel sperandum, vel timendum esse. Sic autem ait. *Juxta vias gentium nolite discere, & à signis cœli nolite metuere,* quæ

quæ timent gentes; *quia leges populorum vanæ sunt.* Quem locum sic exponit Hieronymus: propriè adversus eos loquitur, qui venerantur, quæ in signa posita sunt annorum, & temporum, & mensium, & dierum. Ab his autem æstimant humanum genus, & ex causis cœlestium terrena moderari. Deuter. 18. *Gentes istæ augures*, *& divinos consulunt*; *tu autem aliter à Domino Deo tuo institutus es.* Salomon autem *Eccles. cap.* 10. scientiam futurarum rerum homini denegat. *Ignorat homo*, ait, *quod ante se fuerit*, *& quid post se futurum sit, quis poterit judicare*? & cap. 8. *Homo ignorat præterita*, *& futura nullo potest scire nuncio.* Liquet igitur divinationem astrologicam in sacris litteris contemni, derideri, reprobari.

Cum doctrina Sacrarum Litterarum, etiam judicium Ecclesiæ, ut par erat, mirè congruit. Semper enim Ecclesia inde usque à primordijs suis judiciarios Astrologos odit, fugit, damnavit. Extant adversus ipsos plurima, & severissima decreta Ecclesiæ, quæ legere licet 2. *p. decret. cap.* 26. *per primas quinque quæstiones*, & in Concilio Bracarensi primo *cap.* 9. *&* 10. in Toletano primo in assertione fidei contra Priscillianistas, Alexander Tertius, Sixtus V. in sua Constit. 17. *Cœli & terræ*, ubi scienter legens, vel retinens libros, scripta, opera, tractatus, vel chartas Astrologiæ judiciariæ, geomantiæ, hydromantiæ, pyromantiæ, & aliarum hujusmodi divinationum, vel artis magicæ, aut quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, vel incantationes, & superstitiones continentur, incurrit excommunicationem latam in Indice librorum, quæ tamen non est reservata, sed si in illis libris, vel scriptis pronunciatur certò de futuris contingentibus, sive actibus hominum ex astris, vel alijs rebus creatis, tanquam ex causa, sive ratione necessarij influxus, sive coactionis arbitrij humani, vel asseritur cognosci secreta cordium, sive actus pu[illegible]rnos, vel asseritur effectus supernaturales posse cognosci in [illegible] naturalibus, tunc incurrunt tam autores, & credentes, q[illegible] tenentes, vel legentes scienter in excommunicationem [illegible] *in can.* 1. *Bullæ in Cœna Domini*, quia talis doctrina est hæreticalis, ut per Suarez *de relig. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 8. Albertin. de *agnosc. assert. hæret. qu.* 16. *num.* 1. *&* 11. ac Filiuc. *tr.* 24. *num.* 85. Idem si asseratur hujusmodi artem Astrologiæ judiciariæ, seu divinatoriæ non esse ab Ecclesia improbatam, ut per Farinac. *qu.* 181. *num.* 61. ubi alii.

Operæ autem pretium esse duxi gravissimam simulque sapientissimam Sixti Constitutionem in hanc & in rem omnem magicam, & sortilegam proferre? Illa hæc est.

Sixtus Episcopus, servus servorum Dei,
Ad perpetuam rei memoriam.

C*OEli ac terræ Creator Deus*, *quem unum omnipotentem corde credimus ad justitiam*, *& ore confitemur ad salutem*, *etsi homini*, *quem ad imaginem*, *& similitudinem suam creavit*, *mentem dederit*, *quæ non solum divino fidei lumine illustrata*, *mysteria illa cognosceret*, *quæ humanam intelligentiam superant*, *sed etiam naturæ suæ vi*, *magno licet cum labore*, *præclara multa investigaret*, *atque intelligeret*, *tamen ut superbum animal homo non altum saperet*, *sed timeret*, *& immensam Conditoris sui majestatem*, *humi stratus veneraretur*, *sibi soli eorum*, *quæ eventura sunt*, *scientiam & futurarum rerum cognitionem reservavit. Solus enim ipse*, *cujus oculis omnia nuda*, *& aperta sunt*, *& ad intimas hominum cogitationes penetrat*, *& consequentes eorum actiones intuetur*; *solus ipse*, *qui vocat ea*, *quæ non sunt*, *tanquam ea*, *quæ sunt*, *omnia præsentia*, *& ante oculos posita habet*; *solus denique omnia*, *& singula quæcunque totius temporis decursu*, *ac seculorum ætatibus futura sunt*, *ab omni æternitate novit*, *& admirabili providentia disposuit*, *quæ non modò humanæ mentis imbecillitas ignorat*, *sed nec dæmones ipsi præsentire possunt.*

Quare idolorum in futuris annuntiandis falsitatem, *& imbecillitatem*, *& eorum*, *qui eis cultum adhibebant*, *vanitatem irridet Spiritus Sanctus*, *apud Isaiam illis verbis*: Annunciate quæ ventura sunt in futurum & sciemus quia Dij estis vos. *Et in novo testamento Christus Dominus discipulorum suorum de futuris contingentibus paulò cupidiùs inquirentium*, *interrogationem gravi illa responsione retudit*, *qua etiam omnium fidelium suorum curiositatem coercuit*: Non est vestrum scire tempora, ac momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.

Nec verò ad futuros eventus, *ac fortuitos casus prænoscendos* [*futuris eventibus ex naturalibus causis necessariò*, *vel frequenter provenientibus*, *quæ ad divinationem non pertinent*, *duntaxat exceptis*] *ullæ sunt veræ artes*, *aut disciplinæ*, *sed fallaces*, *& vanæ improborum hominum astutia*, *& dæmonum fraudibus introductæ*, *ex quorum operatione*, *consilio*, *vel auxilio omnis divinatio dimanat*, *sive quòd expressè ad futura manifestanda invocentur*, *sive quòd ipsi pravitate sua*, *& odio in genus humanum*, *occultè etiam præter hominis intentionem se ingerant*, *& intrudant vanis inquisitionibus futurorum*, *ut mentes hominum perniciosis vanitatibus*, *& fallaci contingentium prænunciatione implicentur*, *& omni impietatis genere depraventur. Quæ quidem ipsis cognita sunt*, *non divinitate aliqua*, *nec vera futurorum scientia*, *sed naturæ subtilioris acumine*, *& aliis quibusdam modis*, *quos hominum obtusior intelligentia ignorat. Quamobrem dubitandum non est*, *in hujusmodi futurorum contingentium & fortuitorum eventuum inquisitione*, *& præcognitione*, *diaboli operationem se fallaciter immiscere*, *ut sua fraude*, *ac dolis miseros homines à via salutis avertat*, *& laqueo damnationis involvat.*

Quæ cùm ita sint, *nonnulli hæc fideliter*, *ac religiosè*, *ut debent*, *non attendentes*, *sed curiosa sectantes*, *graviter Deum offendunt*, *errantes ipsi*, *& alios in errorem mittentes*, *tales imprimis sunt Astrologi*, *olim Mathematici*, *Genethliaci*, *& Planetarii vocati*, *qui vanam*, *falsamque siderum*, *& astrorum scientiam profitentes*, *divinæque dispositionis ordinationem suo tempore revelandam prævenire audacissimè satagentes hominum nativitates*, *seu genituras ex motu siderum*, *& astrorum cursu metiuntur*, *ac judicant futura*, *sive etiam præsentia*, *& præterita occulta*, *atque ex puerorum ortu*, *& natali die*, *sive quavis alia temporum ac momentorum vanissima observatione*, *& notatione*, *de uniuscuiusque hominis statu*, *conditione*, *vitæ cursu*, *honoribus*, *divitiis*, *sobole*, *salute*, *morte*, *itineribus*, *certaminibus*, *inimicitijs*, *carceribus*, *cædibus*, *varijs discriminibus*, *aliisque prosperis*, *& adversis casibus*, *& eventibus præcognoscere*, *judicare*, *& affirmare temerè præsumunt*, *non sine magno periculo erroris*, *& infidelitatis*, *cùm S. Augustinus præcipuum Ecclesiæ lumen*, *eum*, *qui hæc observat*, *qui attendit*, *qui credit*, *qui in domum recipit*, *qui interrogat*, *Christianam fidem*, *& baptismum prævaricasse affirmet*, *ut illos meritò Apostolus arguat*, *atque increpet illis verbis*: Dies observatis, & menses, & tempora, & annos. Timeo vos, ne fortè sine causa laboraverim in vobis.

Hi igitur levissimi, *ac temerarii homines in miserandam animarum suarum ruinam*, *grave fidelium scandalum*, *& Christianæ fidei detrimentum futuros rerum eventus*, *& quæcunque prosperè vel adversè obventura sunt*, *ac actus humanos*, *ea denique*

quæ

quæ ex libera hominum voluntate proficiscuntur, astris, sideribusque adscribunt, eisque eam facultatem, vim, seu virtutem & efficaciam tribuunt significandi futura, & ad præcognita ita inclinandi, ut sic omnino, nec aliter eventura sint, atque ob eam causam de ijs rebus omnibus judicia facere, prognostica, prædictiones, & præcognitiones sibi assumere, & palam venditare non dubitant, quibus non pauci rudes, & imperiti, aliique nimis creduli, & imprudentes tantam fidem præstant, ut ex hujusmodi judiciorum, & prædictionum præscripto aliquid certò esse credant, aut sperent, quorum sanè mendacium, magistrorum temeritas, & infelicium discipulorum credulitas magnopere deploranda est, qui vel divinis litteris admoniti non intelligunt hominis præstantiam, cui cœli, & stellæ, & clarissima cœli sidera, sol, & luna, Deo ita disponente, non imperant, sed inserviunt. Sic enim Moyses populum Dei, ut hunc errorem caveret, præmonebat: Ne forte elevatis oculis ad Cœlum videas Solem & Lunam, & omnia astra Cœli, & errore deceptus adores ea & colas, quæ creavit Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub Cœlo sunt.

Sed quid sidera mirandum est homini servire? Nonne nobilissimæ Intelligentiæ Angeli ipsi, omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis? Nam rationales oves ita diligit Deus, ut non solum Episcopos, quemadmodum à S. Ambrosio scriptum est, ad tuendam gregem ordinaverit, sed etiam Angelos destinaverit. Præclarè etiam S. Hieronymus. Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum. Quod si Angeli homines custodiunt, quid adversus Angelorum custodiam, & tutelam astra moliri, aut efficere poterunt, quæ cum ipsis Angelis nullo modo sunt comparanda?

Nec sanè hoc loco prætereunda est eximii Ecclesiæ Doctoris, & beatissimi Pontificis Magni Gregorij sententia, qui Priscillianistas hæreticos unumquemque hominem sub constitutionibus stellarum nasci putantes, magno rerum & verborum pondere confutat. Absit, inquit, à fidelium cordibus, ut aliquid esse Fatum dicant; vitam quippe hominum solus conditor, qui creavit, administrat. Neque enim propter stellas homo, sed stellæ propter homines factæ sunt, & si stella Fatum hominis esse dicitur, ipsis suis ministeriis subesse homo perhibetur. Utinam insani homines hæc saperent, & intelligerent, ac Dei monitis obtemperarent, in Levitico dicentis, Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos. Neque enim quæ christiana & vera pietas repellit, ac damnat tanto studio investigarent, iisdemque miserè se decipi, atque irretiri paterentur.

Sunt etiam inanes quidam homines, & curiosi, vel impij, & irreligiosi, qui futurarum, & occultarum aliarum rerum notitiam adeò anxiè habere student, ut ad eadem prænoscenda, & investiganda in divinæ legis offensionem multipliciter incurrant. Alii enim Geomantiæ, Hydromantiæ, Aëromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Necromantiæ, aliisque sortilegiis, & superstitionibus non sine dæmonum saltem occulta societate, aut tacita pactione, operam dare, seu aleis, ac sortibus illicitis taxillorum, granorum triticorum, vel fabarum jactu uti non verentur. Alij verò aliquas pristinæ, & antiquatæ, ac per Crucis victoriam prostratæ Idololatriæ reliquias retinentes, quibusdam auguriis, auspiciis, similibusque signis, & vanis observationibus ad futurorum divinationem intendunt. Alij item sunt, qui cum morte fœdus ineunt, & pactum faciunt cum inferno, qui similiter ad occultorum divinationem ad inveniendos thesauros, vel ad alia facinorosa perpetranda, etiam expressa cum diabolo pactione facta, in manifestam suarum perniciem animarum nefarias magicæ artis incantationes, instrumenta, & veneficia adhibent, circulos, & diabolicos characteres describunt, dæmones invocant, aut consulunt, ab eis responsa petunt, aut accipiunt, eis preces, & thuris, aut aliarum rerum suffimenta, seu fumigationes, aliave sacrificia offerunt, candelas accendunt, aut rebus sacris, vel sacramentis aut Sacramentalibus sacrilegè abutuntur, adorationis, genuflexionis, aut quævis alia impietatis obsequia præstant, cultum, venerationem tribuunt, aut annulum, vel speculum, aut parvas phialas sibi fabricant, aut fabricari curant ad dæmones in eis alligandos, seu includendos, ut putant, ad responsa ab ipsis inde petenda aut habenda. Alij præterea etiam in corporibus obsessis, vel lymphaticis, & phanaticis mulieribus dæmones de futuris, vel occultis rebus, aut factis exquirunt, ut merito ab eis, quos Dominus in Evangelio tacere imperavit, vanas, mendacesque referant responsiones. Alij quoque præstigiatores, frequentius vero mulierculæ quædam superstitionibus deditæ in phialis, seu vasculis vitreis, aqua plenis, vel in speculo accensis candelis, etiam benedictis, sub nomine Angeli sancti, & albi, diabolum omnium malorum satorem supplices adorantes, vel in unguibus, aut palma manus, quandoque etiam oleo perunctis, eundem omnium fallaciarum architectum orant, ut similiter futura, vel occulta quævis per spectra, & apparentes imagines, seu phantasticas visiones sibi ostendat, aut ab eodem patre mendacij diabolo aliis incantationibus, aut variis superstitionibus futurorum & occultorum hujusmodi veritatem quærunt, & hominibus prædicere contendunt.

Quorum omnium, quos supra enumeravimus, consimilis impietas parem exitum habet, nimirum, quod dæmonis præstigiis, ac dolis, tum qui divinant, tum qui divinationem expetunt illusi, ac delusi miserrimè reperiuntur.

Itaque cum futuros eventus in seipsis considerare, antequam fiant, sit Dei proprium, illud necessariò consequitur, ut Astrologi, & alii prædicti, qui huiusmodi futura prænunciare, aut prænoscere quocunque modo, nisi Deo revelante, audent injustè, atque impudenter, quod Dei est sibi assumant, & usurpent. Sic fit, ut dum ab eis, quod solius est Creatoris, perperam creaturis tribuitur, divina Majestas graviter lædatur, fidei integritas violetur, & animabus pretioso Christi sanguine redemptis, pestis, atque exitium importetur.

Et licet jampridem regulis Indicis librorum prohibitorum ex decreto sacri generalis Tridentini Concilij confecti, illud inter cætera constitutum fuerit, ut Episcopi diligenter providerent, ne hujusmodi Astrologiæ judiciariæ libri, tractatus, & indices legerentur, vel haberentur, qui de futuris contingentibus, successibus, fortuitisve casibus aut iis actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certò aliquid eventurum affirmare audent (permissis tamen judicijs, & naturalibus observationibus, quæ navigationis, agriculturæ, sive medicæ artis iuvandæ gratia conscripta fuissent) Libros verò omnes, & scripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, sive in quibus continentur sortilegia veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicæ prorsus reiici, & aboleri curarent; non tamen errorum, delictorum, & abusuum prædictorum extirpationi usque adeo provisum est, quin etiam adhuc in nonnullis locis, & apud plurimos curiosius vigeant, cùm valde frequenter detectis diaboli insidijs divinationum, sortilegiorum, & variarum superstitionum omnia plena esse in dies detegantur.

Nos igitur, qui pro nostro pastoralis officij Munere, fidei integritatem inviolatam conservare debemus, & animarum saluti prospicere, quantum divina gratia adjutrice possumus, ex paternæ charitatis visceribus optamus,

mus, damnantes, & reprobantes omne genus divinationum, quæ, diabolo autore, ad fidelium deceptionem à prædictis curiosis, vel perditis hominibus fieri solent. Capientes propterea Sanctam illam Christianæ Religionis simplicitatem, præsertim de summa Creatoris Dei potestate, sapientia, & providentia, ab omni erroris labe integram, atque incorruptam, ut par est, retineri; Volentes quoque prædictæ falsæ credulitati, ac hujusmodi illicitarum divinationum, & superstitionum detestabili studio, & execrandis flagitiis, atque impuritatibus occurrere, ut de christiano populo meritò dici possit, quod de antiquo Dei populo scriptum est, non est augurium in Jacob, neque divinatio in Israel.

Hac perpetuò valitura Constitutione, Apostolica autoritate statuimus & mandamus, ut tam contra Astrologos, Mathematicos, & alios quoscunque dictæ judiciariæ Astrologiæ artem, præterquam circa agriculturam, navigationem, & rem medicam in posterum exercentes, aut facientes judicia, & nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus, successibus, fortuitisque casibus, aut actionibus, ex humana voluntate pendentibus aliquid eventurum affirmare audent, etiam si id se non certò affirmare asserant, aut protestentur, quàm contra alios utriusque sexus, qui supradictas damnatas, vanas, fallaces, & perniciosas divinandi artes, sive scientias exercent, profitentur, & docent, aut discunt, quive hujusmodi illicitas divinationes, sortilegia, superstitiones, veneficia, incantationes, ac præmissa detestanda scelera, & delicta, ut præfertur, faciunt, aut in eis se quomodolibet intromittunt, cujuscunque dignitatis, gradus, & conditionis existant, tam Episcopi, & Prælati superiores, ac alii Ordinarii locorum, quam Inquisitores hæreticæ pravitatis ubique gentium deputati, etiamsi in plerisque ex his casibus antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligentius inquirant, & procedant, atque in eos severius canonicis pœnis, & aliis eorum arbitrio animadvertant.

Prohibentes omnes, & singulos libros, opera, & tractatus hujus Judiciariæ Astrologiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Onomantiæ, Necromantiæ, artis magicæ, aut in quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, execrabiles incantationes, ac superstitiones continentur, ac ut supra in memorato Indice interdictos sub censuris, ac pœnis in eo contentis à quibuscunque Christi fidelibus legi, aut quomodolibet retineri, sed illos Episcopis, & Ordinariis locorum, vel Inquisitoribus prædictis præsentari, & consignari debere.

Et nihilominus eadem autoritate statuimus, & mandamus, ut contra scienter legentes, aut retinentes libros, & scripta hujusmodi, seu in quibus talia continentur, similiter iidem Inquisitores liberè ac licitè procedant, ac procedere, & pœnis condignis punire, & coercere possint, non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cœterisque contrariis quibuscunque.

Ut autem præsentes nostræ litteræ ad communem omnium notitiam facilius deducantur, jubemus illas in valvis Basilicarum S. Joannis Lateranensis & Principis Apostolorum de Urbe, ac in acie Campi Floræ affigi, seu appendi, eisque detractis ipsarum exempla, etiam impressa eisdem in locis affixa relinqui.

Et insuper universis, & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, locorum Ordinariis, & Prælatis nec non Inquisitoribus hæreticæ pravitatis ubilibet constitutis, per hæc committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, ut per se vel alium, seu alios easdem præsentes litteras, postquam eas receperint, seu earum notitiam habuerint, in suis, & singulis parochialibus Ecclesiis, dum in eis populi multitudo ad divina convenerit; deinde verò semel in anno, & quoties ei expedire videbitur vulgari sermone publicent, aut publicari faciant.

Quia verò difficile foret præsentes litteras ad singula quæque loca, in quibus de eis fides facienda erit, deferri, volumus, ut earum transumptis, etiam impressis manu Notarii publici subscripti ac parvo sigillo sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis, aut alicujus Prælati, vel Curiæ Ecclesiasticæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra ubique locorum adhibeatur, quæ eisdem originalibus literis adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statutorum, mandatorum, prohibitionis, jussionis, commissionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octogesimo sexto, nonis Januarii, Pontificatus nostri anno primo.

Hanc Constitutionem, approbavit, confirmavit, innovavit, ampliavit Urbanus VIII. & præter excommunicationis pœnam, quam ipso jure incurrunt Astrologi, ultimum supplicium, tanquam Læsæ majestatis reis, confiscationem bonorum, & hujusmodi alia facientibus judicia de statu Reipublicæ christianæ, vel Sedis Apostolicæ seu vita Romani Pontificis, aut ejus Consanguineorum, vel judicia facta in posterum apud se retinentibus, vel alicui ostendentibus, vel verbis tractantibus, ut ex ejus tenore in hæc verba.

Urbanus Episcopus, Servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Inscrutabilis judiciorum Dei altitudo non patitur, ut humanus intellectus tenebroso corporis carcere constrictus, super astra se extollens, arcana in sinu Divino recondita, & ipsis beatissimis spiritibus ignota, nefaria curiositate, non solum explorare, sed etiam tanquam explorata in Dei contemptum, Reipublicæ perturbationem, & Principum periculum arroganti, & pernicioso exemplo vendicare præsumat.

Hinc est, ut quamvis civilibus, canonicisque sanctionibus, ac novissimè fel. rec. Sixti Papæ V. prædecessoris nostri constitutione desuper Astrologorum Mathematicorum, vaticinatorum, & aliorum, qui eventura divinare, seu prædicere audent, quosque uti homicidas, & maleficos antiquitas æstimavit, illorum potissimum, qui de summa Reipublicæ, vel Principis salute judicia ferre præsumerent, ars, professio, sive exercitium gravibus pœnis inhibita esse noscantur. Attamen, sicut accipimus nonnulli iniquitatis filii propriæ pusillitatis obliti, ac levitate forsan, vel conniventia, & audentiores facti, vanamque fatidicorum æstimationem aucupantes in deplorandam animarum suarum perditionem graveque Christi fidelium scandalum, etiam de Republica, ac Principum incolumitate, illis sollicitudinem, hominibus verò inquietis rerum novandarum occasionem ea ratione inferre satagentes, prognostica, & prædictiones verbo, vel etiam scripto edere non erubescunt.

Nos itaque perniciosis hujusmodi ausibus, quantum nobis ex alto conceditur, obviam ire, ac quos Dei respectus in officio non continet, pœnarum gravitate, & severioris disciplinæ fræno coercere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Constitutionem per præfatum Sixtum prædecessorem desuper, ut præfertur, editam, Apostolica potestate tenore præsentium perpetuo approbamus, confirmamus, & innovamus.

Et insuper omnibus, & quibuscumque laicis, cujuscunque sexus, conditionis, status, gradus, qualitatis, & dignitatis, etiam Marchionalis, vel Ducalis existentibus, qui de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, sive de vita, aut morte Romani Pontificis, pro tempore existentis, ejusque usque ad tertium gradum inclusivè consanguineorum Mathematicos, Ariolos, Aruspices, Vaticinatores, nuncupatos, vel alios Astrologiam judiciariam exercentes, seu aliàs quomodolibet profitentes de cœteris consulerent, sive desuper eorum judicio prognostica, prædictiones, seu recognitiones, etiamsi vi oblatas receperint,

receperint, illisve quomodolibet usi fuerint, vel illas penes se scienter retinuerint, aut alicui ostenderint, nec non iisdem Mathematicis, Ariolis, Aruspicibus, Vaticinatoribus, sive aliis Astrologiam judiciariam, seu quamlibet artem divinatoriam quomodolibet profiteri, qui judicia, prognostica, seu præcognitiones, & prædictiones super premissis, etiamsi id non certò se affirmare protestentur, fuerint, sive à se, vel ab aliis jam factas, seu factas in posterum penes se similiter retinuerint, vel alicui dederint, seu ostenderint, aut de eis quovis modo, etiam improbando scripto, vel verbis tractaverint, nedum excommunicationis majoris latæ sententiæ, sed etiam ut læsæ majestatis reis, ultimi supplicii, ac confiscationis omnium bonorum, etiam Romanæ Curiæ officiorum, ac devolutionis quarumcunque Civitatum, Castrorum, & locorum jurisdictionalium & feudalium.

Clericis quoque, & presbyteris, aliisque personis Ecclesiasticis, tam secularibus, quàm cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, seu instituti vel militiarum quarumcunque, etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, aliis quomodolibet exemptis, ac nobis, & Apostolicæ Sedi immediatè subjectis, Regularibus utriusque sexus, ultra prædictas, etiam privationis beneficiorum ac dignitatum, ac officiorum Ecclesiasticorum, etiam Monasteriorum, prioratuum, præceptoriarum, ac aliorum quorumcunque, & inhabilitatis perpetuæ ad illa in posterum obtinenda ita, quod personæ Ecclesiasticæ, prævia illarum degradatione, Curiæ Seculari tradantur puniendæ. In Episcopali vero, Archiepiscopali, Metropolitana, Primitiali, Patriarchali, aut quacunque alia, etiam superiori Ecclesiastica, vel mundana, quantumuis sublimi, excellente, & speciali nota digna, etiam suprema constitutis dignitate, easdem excommunicationis, ac privationis, etiam regiminis, & administrationis, etiam Ecclesiarum, & aliorum quorumcunque beneficiorum, & dignitatum quantumvis amplissimarum, & Patriarchali majorum, ac officiorum suorum, & inhabilitatis pœnas ipso facto incurrent Apostolica autoritate tenore præsentium infligimus, & imponimus.

Cognitionem autem causarum hujusmodi quoad personas Ecclesiasticas, tam seculares, quàm regulares, in Urbe nostra, & illius districtu ad dilectos filios nostrum Vicarium in spiritualibus generalem, nec non ejusdem Urbis Gubernatorem, ac causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Auditorem generalem, & eorum quemlibet in solidum. Extra vero Urbem, & districtum prædictum in Provinciis nobis, & Apostolicæ Sedi subjectis ad S. R. E. Cardinales in eisdem Provinciis de latere Legatos, ac Præsides in dignitate Ecclesiastica constitutos, pro tempore existentes. In aliis verò omnibus & singulis Provinciis, Regnis, Civitatibus, Oppidis, Castris, & locis, tam sub nostra, & dictæ sedis, quàm cujusuis alterius Principis ditione comprehensis, privativè quoad omnes, etiam superiores Religiosorum, ipsisque superioribus penitus exclusis, ad Ordinarios locorum, ubilibet verò locorum, etiam ad hæreticæ pravitatis Inquisitores spectare volumus.

Mandantes dilectis filiis nostris, & dictæ Sedis de Latere Legatis, & eorum Vicelegatis, & Præsidibus prædictis, nunc, & pro tempore existentibus nec non venerabilibus fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis singulis videlicet in suis Civitate, ac diæcesi, & quoad loca intra fines alicujus diæcesis, non tamen de diæcesi existentia, ipsarum diæcesum, intra quarum in eadem loca existerent; quo verò ad ea, quæ extra finem alicujus diæcesis consistunt, vicinioribus eorundem locorum Ordinariis, ac etiam Inquisitoribus prædictis, quatenus ad instantiam cujusvis Fisci, vel denunciatoris, ac etiam ex eorum officio causarum hujusmodi cognitiones suscipientes, prævia etiam avocatione à quibusuis aliis supra non expressis, nec à nobis specialiter delegatis in causis ipsis modo præmisso procedant, omnibus juris & facti remediis opportunis, invocato etiam auxilio brachii secularis.

Inhibentes insuper Decanis, & Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, Metropolitanarum, & Patriarchalium, nec non quorumcunque Ordinum, & Locorum Regularium, Societatum, & Institutorum, ac etiam hospitalis prædictorum Superioribus, Conventibus, fratribus, quantumvis exemptis ne sub privationis beneficiorum, & officiorum quorumcunq; per eos respectivè obtentorum, ac similiter inhabilitatis ad alia in futurum obtinenda, vocisque activæ, & passivæ, nec non excommunicationis latæ sententiæ eo ipso incurrendis pœnis, Ordinarios Locorum, nec non Legatos, seu Vicelegatos, aliosque prædictos in causis hujusmodi procedentes, quoquo modo impedire, molestare, seu perturbare audeant, vel præsumant, ac etiam mandantes, ut quoties ad id fuerint requisiti Religiosos ipsos, etiamsi alicujus loci regularis superiores actu fuerint, Ordinariis, Legatis, seu Vicelegatis, ac aliis prædictis, seu quibus iidem mandaverint, consignent cum scripturis, & actis, si quæ facta fuisse reperiantur.

Sicque, & non aliter in præmissis per quoscunq; Judices Ordinarios, delegatos, & Commissarios, ac etiam Cameræ Apostolicæ Clericos, Præsidentes, nec non causarum Palatii Apostolici, & Curiæ ejusdem Cameræ generalem Auditorem, ac S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos, nec non Vicecamerarium, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & autoritate ubique judicari, ac definiri debet, irritum quoq;, & inane, si secus super his à quoquam quavis autoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non nostra in numero septuagesima, & aliis Cancellariæ Apostolicæ regulis, ac Provinciarum, Regnorum, Civitatum, Terrarum, Oppidorum, locorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, militiarum, hospitalium, etiam S. Joannis prædictorum, aliorumq; Religiosorum, & peiiorum locorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis eisdem Provinciis, Regnis, civitatibus, terris, oppidis, locis, Ecclesiis, Monasteriis, hospitalibus, & militiis prædictis & aliis piis locis, ac illorum Universitatibus, Capitulis, Superioribus, & personis in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc servanda feret, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præfatis pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris. Hac vice duntaxat spicialiter, expresseq; harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscunq;

Volumus autem, quod præsentes litteræ in valvis Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, nec non in acie Campi Floræ publicentur, & affigantur, quæ postquam sic affixæ, & publicatæ fuerint, quoscunq; tam in statu nostro temporali, quàm extra eum ubique locorum perinde arctent, & afficiant, ac si unicuique nominatim, ac personaliter intimatæ fuissent. Quodque earum exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra ubique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo homini liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, inflictionis, impositionis, inhibitionis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem attentare præsumpterit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petr. anno Incarnationis Dominicæ Kalendis Aprilis Pontificatus nostri anno octavo 1631.

Qua in re notandum, quòd dictæ pœnæ non procedunt contra inquirentes de affinibus Papæ, quia non continentur nomine consanguineorum, maximè in pœnalibus, ut per Jo. Andr. *in cap. sciant cuncti de elect. in 6. specul. tit. de rescript. præsent.* §. *ratione autem*, *vers. quid de collateralibus.*

Notandum item, quod absolutio dictarum excommunicationum ita fuit in Brevi reformationis S. Pœnitentiariæ ab eodem Urbano VIII. reservata, ut S. Pœnitentiaria non possit absolvere prædictos inquirentes per media præfata. Quoad alios autem in ea Bulla comprehensis non fuit reservata absolutio in illo Brevi.

Severissimis quoque multorum Principum constitutionibus damnata, & gravissimis supplicijs addicta est Astrologia judiciaria. Hinc Astrologi, sive Chaldæi Roma expulsi, Principe Diocletiano, Constantino, Theodosio, Valentiniano, & Justiniano, qui referente Pico ita id hominum genus abhorrebat, ut si quis in ejus comitatu deprehenderetur mathematicus, summis ad equuleum usque tormentis, temeritatis lueret pœnas, additque ejusdem esse culpæ affines & qui docent ista, & qui addiscunt. Et si quis Mathematicos consuluerit, capitis pœna denunciatur. Vide *l. nemo*; *l. etsi C. de malef. & mathem. l. mathematicos. C. de Episcop. audient.* in quibus ars interdicitur, codices incendio deputantur, utentes exilio condemnantur, & aliquando mortis supplicio addicuntur.

Crebras item reperimus in scriptis Sanctorum Patrum adversus Astrologos quos illi nunc Chaldæos, vel Genethliacos, alias Mathematicos, aut Planetarios appellant, disputationes, ex quibus apparet, quàm fuerit majoribus nostris genus hoc hominum exosum, & abominatum. Multa contra istos disputat Basilius *homil. 6. in Genes.* acriter verò in Astrologos invehitur Ambrosius *lib. 4. hexam. cap. 4.* illa verba Genesis 1. *ut sint in signa, & tempora male interpretantes.* Non ea dixit Deus, ait Ambrosius, volens Astrologiam docere homines, neque in Sole, Luna, & Astris habere spem gubernationis, ut desipientium Astrologorum vanitas contendit. Confirmatque Basilius *loc. cit.* eam occupatissimam esse vanitatem prædicans, Chrysostomus *ad eadem verba Genesis*, vanam, falsam, ridiculam prodit. *& hom. 6. in Matth.* paucis, sed efficacibus verbis refellit errores illorum, qui ex stella, quæ Christo nato Magis apparuit, colligebant, veras esse Astrologiæ prædictiones. Nam si Christus secundùm leges natus est astrorum, quomodo astrologiam solvit, fatumque destruxit, atque omnem artis hujus obruit officinam? Istos etiam manifestis argumentis Gregorius *in hom. super illud Evangelium*, scriptis, redarguit, & convincit. Idem Ambrosius cùm *super psalmo 3. & 60.* ad populum concionaretur, mathematicum produxit pœnitentem, qui professioni suæ renunciaverat, non aliter quàm si aut Judæus, aut ethnicus aliquis regenerationis lavacrum accepisset. Quare pulchrè idem interpretans Johannem, insaniæ nostræ nos admonet, qui ad Astrologos liberi intramus, ut exeamus servi, mendaciis empti, libertatem illis nostram erogamus. In libro autem de natura dæmonum ait expressè nemini licere post Christum genituram alicujus de cœlo interpretari. Hieronymus ex opprobriis Ægypti, hoc est, reliquiis idololatriæ esse, ait, requirere stellarum cursus, & futurorum ex eis eventa rimari. Severianus in libro, quem de septem artibus, quem falsò Cassiodoro tribuit Rogerius, postquam de vera dixit Astronomia: Tum ea, inquit, quæ attinent ad prævidenda futura, ita debere nesciri, ut nec scripta esse videantur. Sunt enim fidei nostræ sine dubitatione contraria. Ideo Augustinus, referente Sixto V. in adducta Constitutione, eum, qui hæc observat, qui credit, qui in domum recipit, qui interrogat, Christianam fidem, & baptismum prævaricasse affirmat.

Idem argumentum prosequuntur Gregorius Nazianzenus, & Gregorius Magnus *in 2. caput Matthæi.* Cyrillus *lib. 10.* contra Julianum, egregiè confutans ejus errorem, sive furorem, qui in libris, quos adversus Christianos effutivit, probare voluit ex his, quæ scripta sunt *cap. 15. Genes.* Abrahamum & Astrologiam, & Aruspicinam coluisse. Astrologiam quidem ejus significari putat illis verbis: *Eduxit Deus Abraham foras, & ait illi: suspice cœlum, & numera stellas si potes. Sic erit semen tuum.* Aruspicinæ verò scientiam ejus illis etiam verbis denotari, ait: *Sume mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam. Qui tollens universa hæc, divisit ea per medium, & utrasque partes contra se altrinsecus posuit. Aves autem non divisit, descenderuntque volucres super cadavera, & abigebat eas Abraham.* Deinde subijcitur prædictio peregrinationis, & servitutis posterorum ejus per quadringentos annos.

Cyrillus Hierosolymitanus *catech. 4. §. de statu hominis*, confirmans ex arbitrij libertate, inquit, ex generationis natura peccans, neque propter animam fornicaris, neque, ut nonnulli fingunt, astrorum inclinationes ad amplectendam impietatem te cogunt, cur tua ipsius mala confiteri detrectas? Cur innoxiis astris culpam adscribis? Non ergo deinceps Astrologis attendas. Concluditque in fine: evitandos esse Astrologos, sicut alios Augures, & divinatores. Lactantius *lib. 2. cap. 17.* ait, hanc astrologiam à dæmonibus esse inventam ac reliquas magicas disciplinas. Anastasius Nicenus *qu. 18. Scriptura*, Anastasius Sinaita *lib. 4. hexam.* Olympiodorus *in Ecclesiast. 7.* ita legit illa verba: Quis novit, quid sit homini bonum; aut quid futurum est sibi? Quis homini nunciabit quid post eum futurum sub sole sit? Præsens, inquit, hæc autoritas nostræ Ecclesiæ omnem funditus evertit divinandi superstitionem, vanasque Astrologorum nugas de hominum genituris. Nullus enim mortalium certam futurorum scientiam consequi potest.

Sed præter cœteros Augustinus *libro 2. super Genes. ad litter. cap. 17. & lib. 2. de doctr. christiana cap. 21. & aliquot proximè sequentibus capitibus*, subtiliter tamen & copiosè primis aliquot *Capitibus lib. 5. de civit. Dei.* Eodemque pertinent quæ contra Mathematicos *in lib. 14. cap. 4. & in lib. 6. cap. 9. de præpar. Evang.* argumentatur Eusebius. Refert Delrius ex Salisberiense *lib. 1. cap. 11.* ipsum tenuisse, hanc Astrologiam judiciariam licuisse usque ad tempus, in quo Christus fuit à Magis adoratus, ex tunc verò fuisse prohibitam. Et non dixit, simpliciter licuisse, sed aliquatenus. Qui error est manifestus, cùm sit per se malum, malitiamque importet, rationi naturali adversantem. Huic errori videtur adhæsisse Albinus Flaccus *lib. de divin. offic. cap. 5.* qui postquam hanc partem Astrologiæ recensuerat inter magicas artes, & superstitiones damnatas, subdit, illius artis scientiam usque ad Evangelium fuisse concessam, ut Christo edito, nemo exinde nativitatem alicujus è cœlo interpretaretur. Quem tamen piè explicat Suarez *loco citato*, existimans fortasse, solùm intendisse eo tempore à Deo quasi toleratam illam artem, sicut & Idololatriam. Quia videtur Deus eam dissimulare quia non puniebat, non quia liceret. Et quemadmodum per Evangelium Idololatria abolita fuit, ita & hujus artis malitia magis patefacta, & explorata, etsi

etiam

etiam antiquitus ab Ethnicis fuerit reprobata.

Patribus adstipulantur Theologi cum D. Thoma 22. *qu*. 95. Philosophi, Medici, Historici, alijque insignes viri Astrologiam judiciariam irridentes, nominatim Valesius *de Sacr. philos. cap.* 31. & olim Cicero *lib. 2. de divinat.* laudat Eudoxum ætate Platonis, & Aristotelis, Panætium Stoicum, Archelaum & Cassandrum, ac Scylacem Halicarnasseum, Astrologorum sui temporis nobilissimos, qui totam hanc rationem Astrologiæ refellerunt. Aulus Gellius *lib.* 14. *noct. Attic. cap.* 1. referens elegantem orationem Phavorini Philosophi contra Astrologos, coram Populo Romano recitatam. Eusebius, qui *lib.* 6. *hist. cap.* 6. & 7. Astrologorum contemptores recenset Bardasanem Syrum, in hanc rem cujus extat prolixa, & perdocta oratio, ac Diogenianum. Xenophon *in l. de dictis Socratis*, quod etiam refert Eusebius *lib.* 14. *de præpar. Evangel. cap.* 4. narrat, Socratem solitum dicere, non esse omnino curandum homini, ut per cœlestia corpora futurorum, quæ in potestate divina sunt cognitionem perquirat, nec enim posse homines illa cognoscere, nec Dijs gratum esse si quæ occulta erunt, ea tu diligenter inquiras, Pythagoras, Democritus, & Plato longissimis peregrinationibus susceptis, Persarum magos, sapientes Chaldæorum, Egyptiorum Sacerdotes adiverunt, à quibus occultiora quædam, vel ad disciplinas mathematicas, vel ad religionem, cultumque Deorum spectantia, perceperunt, divinatricem autem Astrologiam vel discere ab illis neglexerunt, vel saltem ea nunquam usi sunt, ut ex illorum scriptis palam est. Et sanè quod Cato dixit, mirari se, quod non rideret Aruspex Aruspicem, cùm vidisset quota quæque res evenit prædicta ab his, aut si evenit quidpiam, quid afferri potest, cur non casu evenerit. Quod plane accommodatur Astrologis. Si enim unum illorum dictum verum evadit, simpliciter creditur, & non ex multis potius falsis uni fides derogatur. Rectè dixit nonnemo de Oraculis Apollinis, quæ vera fuissent, memoria teneri, & prædicari, quæ autem falsa, neminem recordari, aut taceri ab omnibus, ut per Medinam *qu.* 9. *in fin. art.* 5.

Origenes Adamantius in philosophica secta, sicut in omnibus disciplinis eminentissimus, sæpè, multisque rationibus astrologicam vanitatem suggillavit, nisi fortan ejus testimonium minus faciant homines superstitiosi, quoniam fuit etiam Christianus; sed non fuit Christianus Eudoxus qui etiam Platonicus fuit, & in Ægypto versatus est, habitusque princeps Astronomorum sua tempestate, qui tamen nihil credendum Astrologis ex hominum genituris, eorum fata prædicentibus, scriptum reliquit. Alexander Aphrodisiensis, summus autor in Aristotelica philosophia de fato librum ad Cæsares Severum, & Antoninum filium scribens, & fati rejecit necessitatem, & de Astrologis siluit. Nec forsitan aliud ei consilium, quàm ut propensum Severi Cæsaris animum ad istiusmodi superstitionem philosophica ratione castigaret. Averroes, celeber in eadem familia philosophus, & rerum naturalium gravis æstimator, ubique astrologiam lacerat, damnat, insectatur. Nam in prima quidem philosophia opinionem Astrologorum de cœlestibus imaginibus, quibus subesse terrena figuræ similis animalia putant, fabulosam dicit; qua tamen sublata ruit maxima pars astrologicæ superstitionis. Idem Cantica exponens Avicennæ, alibi quidem ait, contraria esse philosophiæ, alibi fere omnia falsa dogmata Astrologorum, tum artem ipsam in universum vanam, & infirmam. In libris etiam adversus Algazelem artificiosas imagines, in quibus cœlis virtutes derivare se posse putant Astrologi, prorsus inefficaces asseveravit. Avicenna, vir magnus in omnibus disciplinis *ult. sua philosophiæ lib.* multis rationibus comprobavit ab Astrologis prævideri futura non posse; quare nec eorum prædictionibus ullam fidem adhibendam.

Mitto Henricum ab Assia, compluresque alios illustres in Academia Parisiensi dicatis operibus hanc vanitatem persequentes. Supersunt adhuc articuli Parisienses & in primis articulus vigesimus sextus, quod intelligentia motrix Cœli influit in animam rationalem sicut corpus Cœli influit in corpus humanum, Error. Articulus 27. quod cogitationes nostræ intellectuales, & volitiones nostræ interiores immediatè causentur à Cœlo, & quod per aliquam traditionem magicam tales possint sciri, & quod per illam de eis certitudinaliter judicare sit licitum, Error. Articulus 15. quod possibile est per tales artes cogere liberum hominis arbitrium ad voluntatem, seu desiderium alterius, Error. Et conari facere est impium, & nefarium. Articulus 16. quod ideo artes præfatæ bonæ sunt, & à Deo, & quòd eas licet observare, quia per eas quandoque, vel sæpe evenit, sicut utentes eis, quærunt, vel prædicunt, vel quia bonum quandoq; provenit ex eis, Error; quamquam maxima pars Philosophorum contempsit eam potiùs, quam confutavit, sicut & artes alias circumforaneas, & aniles fabellas, ac deliria præstigiatorum.

Sed illud animadversione dignum, quod Astronomi quoque ipsi professionem istam rejecerunt, quod fieri omnino non potuit, præterquam conscientia compertæ falsitatis, cùm alioquin illis in cœlestium motibus exercitatissimis tantum accederet & scientiæ & gloriæ ac quæstus, quantum astrologiæ fidei & autoritatis. Cassandrum, & Archelaum cùm in Astronomia præcellerent, hoc prædictionis genere nunquam usos, autor est Panætius. His addamus neotericos. Nicolaus Oresmius, philosophus acutissimus, ac peritissimus Mathematicus astrologicam superstitionem peculiari commentario, indignabundus etiam insectatur, nihil ratus illa fallacius, nihil detestabilius, nihil omnibus quidem ordinibus, Principibus maxime viris esse pestilentius. Joannes Marlianus nobilis plane in mathematicis, non modò prædictionibus istis semper abstinuit, sed etiam de ipsarum falsitate postremis annis scribere instituerat; aiebat vir minime gloriosus, habere se adversus Astrologos certissimas demonstrationes, sed morte interceptus id non effecit. Paulus Fluentinus in medicina quidem, sed præcipuè, in mathematicis, græcè, latineque doctissimus, quoties de hac professione rogabatur, toties eam incertam fallacemque asseverabat, afferens inter cœtera de seipso evidens experimentum, qui cum quinque, & octuaginta implesset annos, in sua tamen genitura, quam examinarat diligentissimè, vitalem nullam constellationem reperisset.

Attuli alibi Leoniceni judicium de Astrologia judiciaria & de Astrologorum astu, sed non omnia ejus verba. Ea nunc exhibebo: Quare commentas ab his astris omnium fortunas, sed præcipue Principum dependere, liberos scilicet, vitam, imperia, victorias, valetudinem, sibi vero qui illorum diù motus, & naturas observassent penitus cognitum, & exploratum, quod cuique vel boni pollicerentur, vel adversi denunciarent. Tum habere præterea ad manum se remedia, quibus prævisa mala repellerentur, bona confirmarentur. Nam si felix hora notaretur, imagines ex materia quadam cœlestibus illis naturis cognatiores posse conflari, ad quas miris machinamentis deducta virtus ab astris felicissimos faceret homines, rerumque potentes illarum vel tactu, vel gestatione quicquid appeterent, facilè consequentes. Quibus omnibus rebus quò plus fidei facerent illud addidisse revelata sibi

divinitas

divinitas hujus artis secretiora mysteria, quemadmodum à potentissimo Mercurii numine & Petosirim & Æsculapium accepisse quamplurima legitur apud Maternum. Tum verò Principes illiteratos, & curiosos ac rerum, quas promittebant appetentissimos, adductos facilè, ut crederent, ut professores foverent, & præmiis studia hæc quotidiè magis, ac magis excitarent. Hæc seriò Leonicenus, nec procul à vero de Astrologis loquitur, ac sentit. Nimium autem longus essem, si omnes testes adducerem. Id unum addo, post hominum memoriam vix fuisse aliquem ingenij acumine, doctrinæ præstantia excellentem, aut eximia morum integritate condecoratum, qui natalitia Chaldæorum, quasi merè nugas non contempserit, & velut quisquilias flocci fecerit. His gaudet vulgus stolidus, ad intelligendum hebes, ad judicandum facile credulus, & nova, miraque audiendi, & percipiendi anhelans, istis nugatoribus, aurem, & fidem libenter adhibens, levissima quædam ingenia, lucri magis, quam veritatis cupida. Quod Ambrosius *lib.* 4. hexam. *cap.* 4. confirmat.

Agmen hoc testium sequuntur Historici. Cornelius Tacitus *lib.* 17. *de Mathematicis* ait: Genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax. Josephus Pellicer communiter à Sanctis Patribus reprobatam hanc professionem comprobat, & jure regio, historicis, Theologis, Poetis, Medicis ac Philosophis, quos accumulat, testatur. Cornelius à Lapide *in cap.* 19. *Act.* ex Ænea Sylvio refert, Alphonsum, Aragonum Regem interrogatum, cur solos Astrologos à sua arceret aula? respondisse, sydera stultos regunt, impelluntque, sapientes verò astris imperant. Stulti ergo principes honorant Astrologos. Narrat Epiphanius *in lib. de mens. & ponder.* quod etiam refert Baronius ad annum Christi 137. *n.* 11. Aquilam Ponticum insignem S. Scripturæ interpretem, quod positionem suæ nativitatis quotidie spectaret à Patribus ex Ecclesia expulsum, & Judæum effectum. Idem sub anno 341. prodit, Eusebium Emissenum huic Astrologiæ vacantem, ab Ecclesia sua effugere coactum fuisse. Certè in primitiva Ecclesia, istiusmodi Astrologia non secus, quàm ars magica reprobata, vetita, & damnata erat. Petrus de Alliaco, presbyter Cardinalis, peritus theologus, quòd in senectute se totum huic Astrologiæ dicaverit, in errores plures dilapsus fuit. Hic enim veritus non est scripto prodere, diluvium Noëticum, & ortum Christi Domini, aliaque summa prodigia, & Miracula, etiam sideralis scientiæ peritia ex astrorum observatione prænosci, ac prædici potuisse.

Sed quò manifestiùs appareat, quàm sit impia, & execranda Astrologorum Doctrina, ponam hic quasdam eorum sententias, & decreta, quibus judicium fiet de illius artis impietate. Quidam istorum ex Marte in nona cœli regione feliciter constituto, tantum præstari nobis contendunt, ut ab obsessis corporibus sola præsentia dæmones expellamus. Alii iactant se hac arte de ejus, qui nascitur conscientiæ, & secretis sine errore judicaturos. Vulgatum quoque apud illos est, duos esse planetas autores felicitatis humanæ, Venerem quidem præsentis, Jovem autem post hanc vitam futuræ. Maternus porrò ejusmodi figmentorum, & mendaciorum studiosissimus, & curiosissimus, cum multa memoret, quæ à Saturno constituto in Leone accidunt hominibus, subdit, *ejusmodi homines longævos fore, & post mortem animas eorum in cœlum aliis applicatas evolaturas. Saturnus enim*, inquit, *in Leone positus, animas eorum, qui sic se habuerint in terra innumeris angustiis liberatas, ad Cœlum, & originis suæ primordia reducet.* Denique Albumazar scribit, *qui Luna Jovi conjuncta in capite draconis, Deo supplicaverit, eum, quid quid petierit à Deo, certissimè impetraturum.* Id, quod Petrus Apponensis expertum se esse confirmat. Nam cùm vigente illa conjunctione, scientiam rerum à Deo postulasset, ait, se post eam diem magnam sibi factam esse scientiæ accessionem, sensisse.

Non est autem omittendum, cum sit admodum memorabile, quod Origenem in Commentariis super Genesim de ista Astrologia prodidisse tradit Eusebius *lib. 6. de præpar. Evangel. cap.* 9. sic enim scripsisse illum ait: Non solum Gentiles *stellarum conjunctione, atque aspectu, quæ in terris sunt necessariò accidere credunt, quam vim Fatum appellant, verum etiam multi ex fidelibus conturbantur, impossibile aliter fieri credentes, quàm stellarum cursus effecerit. Unde sequitur, nullam in nobis esse libertatem, nullam operationem nostram laudari, aut vituperari jure posse, ita prædictum à scripturis Dei judicium, quo aliis ad eterna supplicia, alii ad æternam beatitudinem prædestinantur, falsò fore prædicaretur. Quid plura? Ipsa quoque fides, & Salvatoris nostri adventus, & omnis Prophetarum labor, ac Apostolorum in constituendis Ecclesiis prædicatio, inania erunt, nisi fortè Christum quoque quis audeat dicere cœlestium corporum vi coactum fecisse, quæ fecit, passumque fuisse, quæ passus est, nec ejus Deitatis potentia, sed illarum virtute cuncta evenisse. His impiis verbis etiam illud conficitur, ut fideles Fato ducti in Christum credant, denique ut vel nullum sit boni, & mali discrimen, vel etiam malorum autor sit Deus, nullusque hominum propter bene, vel male facta præmio, aut pœna dignus censeri debeat, nec orationibus, votis, & Dei obsecrationibus locus aliquis relinquatur. Sic Origenes.*

Hæc autem, & alia eorum similia, quàm sint nefaria, detestanda, & Christianæ Religioni exitialia, quantùmque valeant ad elevandam, vel potiùs delendam fidem eorum quæ divina Scriptura docet immediatè, supernaturaliter, ac miraculosè fieri à Deo, nemo est tam hebes ingenio, ut non clarissimè intelligat. Quandoquidem non potest veritas Christianæ Religionis cohærere cum veritate Astrologiæ judiciariæ. Nam si Christiana religio, ac disciplina vera est, ut est profectò verissima, non potest esse vera, nec Christianis probari potest illa opinio Astrologorum, ut quam illa vanitatis, falsitatis, & impietatis persæpe damnavit. Sin autem falsa est doctrina christiana, cùm ipsa totum fere orbem complexa sit, omnesque propemodum gentes suo imperio subjecerit, & plus mille sexcentos nonaginta annos vigeat, & regnet in mundo, si omnia, quæ apud homines fiunt, ex cœlo proveniunt, ac pendent, necesse est tantam hominum ad fidem Christi accipiendam, tuendanque propensionem, tantumque studium ex insigni aliqua, & præpotenti constellatione provenire; quare cœlum inclinaret, & induceret hominem ad malum. Si enim fides Christi esset falsa, magis sanè esset falsa, & detestabilis, quàm alia quælibet secta. Ea namque docet de Deo & rebus divinis, quæ si falsa sunt, nefariam quidem superstitionem, & execrandam impietatem contineant, necesse est. At verò, cùm vita, quæ ad normam fidei christianæ agitur, sit optima, & inculpata, nec laude tantùm, sed summa etiam admiratione dignissima, hinc necessariò efficeretur, ab eadem constellatione proficisci bonum & malum; malum quidem propter falsitatem doctrinæ christrianæ, bonum autem propter vitæ, quæ ad ejus doctrinæ regulam informatur, & dirigitur, probitatem, atque præstantiam.

Ad hæc maxima probatio, & confirmatio fidei nostræ & clarissimum divinæ providentiæ argumentum illud est, quæcunquæ circa Christum Dominum & ejus Ecclesiam evenerunt, ea multis ante seculis fuisse per

se per Prophetas ad unum omnia propriè, distinctè, explicatèque prædicta. Si autem ejusmodi prædictio per Astrologiam fieri posset, rueret funditus, & ad nihilum recideret firmissimum nostræ religionis fundamentum. Nec multa. Istiusmodi Astrologorum doctrina non solùm veram Philosophiam moralem, sed etiam sacram Scripturam & Theologiam, quantùm in ipsa est, planè pervertit. Qui enim certum habet, omnia pendere è Cœlo, ob idque cuncta hominum opera, facta, casus, & eventa ex Cœli observatione præsentiri, ac prædici posse, huic quoque necessariò persuasum esse debet, materialem, & mortalem esse animam nostram, nullumque esse liberum arbitrium, nec talem esse providentiam Dei, qualem fides nostra prædicat, mysteria item Christianæ religionis pendere è cœlo, cunctaque miracula, tam in veteri, quàm in novo Testamento edita, licet dicantur, ut revera sunt, supernaturalia, ad cœlestes nihilominus causas, & virtutes revocari. Huic quoque opinationi consequens est neglectio, ac prætermissio bonorum operum, licentia omnium cupiditatum, quorumlibet flagitiorum excusatio, denique inutilitas, atque crudelitas humanarum pariter atque divinarum legum.

CONSULTATIO CII.

Rationibus theologicis, ac philosophicis Astrologia judiciaria redarguitur & convincitur.

ET primò redarguitur & convincitur ex Astrologorum imperitia de rebus cœlestibus. Nam Astrologi non certò cognoscunt astra omnia, illorum vires, defluxus, defectus; neque si cognoscerent, possent certò futura prædicere; ideoque fallaces sunt omnes prædictiones Astrologicæ. Non possunt enim Astrologi numerare omnes stellas: Suspice cœlum, ait Deus Abrahamo, numera stellas, si potes, sic erit semen tuum. Et hæc quidem dicta sunt Abrahamo, viro sapienti, & astronomicæ scientiæ peritissimo, ut probant Iosephus & Eusebius, utpote nato, & educato apud Chaldæos, hujus artis scientissimos. Ac Jeremiæ 33. Sicut enumerari non possunt stellæ Cœli, & metiri arenæ maris, sic multiplicabo semen David servi mei. Estque Dei proprium ait Psalmographus *psal.* 146. qui numerat multitudinem stellarum & omnibus eis nomina vocat.

Confirmat id Basilius *homil. 6. super Genes.* Eusebius *lib. 7. de præpar. Evang. cap.* 5. & Augustinus *lib. 10. de civit. cap.* 23. inquiens, rejiciendam esse Astrologorum sententiam, qui numerum stellarum definitum tradunt. Stellæ, ait, dinumerari non possunt, quia nec omnes videri posse credendum est. Nam quantò quisque acutiùs intuetur, tantò plures videt. Unde & acerrimè cernentibus aliquas occultas esse meritò existimatur ex certis his sideribus, quæ in aliqua parte Orbis, à nobis remotissima oriri, & occidere perhibentur. Aristoteles item *lib. de mundo ad Alexandrum, & lib. 2. de cœlo text.* 61. tradit, siderum inerrantium numerum à mortalibus iniri non posse. Hoc idem scribit Plato *in Thimæo*, ac Seneca *lib. 6. natural. quæst. cap.* 16.

Quare non modò rejiciuntur qui stellas mille, ac viginti duo duntaxat esse affirmant, sed & qui septingenties ac decies centena millia, & ducenties ac novies millia super sexcenta prædicant. Hinc de aliquibus tantùm stellis ab Astrologis cognoscuntur, nec tamen perfectè, cùm tam longè à nobis distet Cœlum, nec alio, quàm unico oculorum sensu mortalibus pateat, qui tamen sæpe falli contingit propter tantam longinquitatem vel summam vertiginis cœli velocitatem, vel pravam medij aut visus affectionem, vel propter vitium Astrolabij. Unde Galilæus suo tubulo optico autumat in Sole ac Luna inveniri maculas. Quod nemo antea dixit, eumque reprobant alij, nominatim Aversa *in meteor.* & contendunt ipsum decipi. Quare Aristoteles, ille rerum naturalium magnus dæmon, ingenuè fatetur, se plurium rerum cœlestium non perfectam notitiam, sed opinabilem, & conjecturalem tantùm obtinuisse, ideo cogitur ut plerunque conjecturis, ac probabilibus argumentis utatur, cùm desiderentur rationes manifestæ, ut *in 2. de Cœlo tex.* 17. 34. 60. 61. Hic cùm tantus vir esset, tam solers, tam subtilis, tam copiosus, etiam in doctrina rerum cœlestium, quam cum aliquot libris diligenter explicuerit, nusquam tamen de istiusmodi Astrologia verbum ullum fecit. Cum autem in libris meteororum, & de partibus, atque generatione animalium, præsertim autem in libro problematum, multarum rerum obscurarum, & admirabilium causas perquirat, ad nullius quæstionis enodationem, vel admirandi cuiusquam effectus explicationem, istius Astrologiæ opera, & præsidio est usus. Quin multa sunt in ejus scriptis, quæ istam Astrologorum doctrinam omnino convellant, veluti est illud: *futurorum contingentium non esse certam, & definitam veritatem.* Quæ per accidens, quæque rarò, vel ad *utrumlibet contingunt, non posse scientia comprehendi. Versari in rebus humanis casum, & fortunam, quæ fugiant certam hominis intelligentiam ad particularium, & corruptibilium effectuum causas esse proximas, & proprias particulares, atque corruptibiles, ob idque perfectam eorum cognitionem non satis esse cœlestes, & universales causas contemplari. Cœlum non aliter agere in ea, quæ sunt infra lunam, nisi per motum & lumen.* Nec usquam fere indicavit Aristoteles, præter Solem & Lunam, vim & efficaciam aliorum siderum. Illud quoque docuit, decretis Astrologorum valde contrarium, cœlestia signa, etiam corporeorum, & sensibilium effectuum per alias causas averti, & impediri posse.

Ecquid? Nonne ignorant Astrologi, an cœlum sit natura simplex, an ex materia, & forma coalescat, an diversæ materiæ à sublunaribus, & dubitatum apud antiquos, an sit animatum, an à se moveatur, an extrinsecus ab Angelo, cùm non omnes uno motu circumagantur, sed alii uno tantum, alii pluribus, alii paucioribus An astra sint naturæ igneæ, ac verè calidæ, an stellæ moveantur per se, immotis orbibus, an tantum motu suorum Orbium; an cœli, & astra sint naturæ incorruptibilis. Dicant figuram, & numerum Orbium cœlestium, quam propriam habeat unaquæque stella virtutem in hæc inferiora, & unde. Si planè ignorant virtutes lapidum, herbarum, animalium, quæ nobis proxima, & conjuncta sunt, quæ experientiis comprobari possunt, quomodo poterunt cœlestium virtutes, à nobis remotissimas certò investigare?

Quàm etiam falsa principia tradiderint antiqui, & posteris reliquerint circa Astronomiam naturalem, docet Ambrosius *ad Corinth. 2. cap.* 12. Basilius *in hexam.* Gregorius Nyssenus *in Genes. cap.* 5. Augustinus *lib. 2. de Genes. ad litter. cap.* 10. Cardanus *lib. de restit. tempor. cap. 6. & alibi*, Bulingerus *lib. 2. de divinat. cap.* 21. Dissident enim toto cœlo circa substantiam ipsam cœlorum. Quidam cœlos, & astra crediderunt animata, imo & rationalia, teste Anaximandro, Platone, Aristotele. Imo non solum Gentiles, sed etiam aliquot Hebræi cœlos venerati sunt, ut Deos, quibus Manasses in templo Dei altaria erexit, ut habes 4. *Reg. cap.* 21. Chaldæi, Ægyptii, Græci, Arabes, & Latini cœlorum corpora

corpora densa, spissa, solida, dura, & resistentia esse perhibuerunt, eaque in septem orbes divisere, ut illorum singulis planetam tribuerent, & in octavo fixarum stellarum multitudinem coruscantium collocarunt. Ita Aristoteles, ac omnes Peripatetici, Ptolemæus, Albumazar, Campanus, alii. Postea nonum cœlum adinvenerunt, quod licet invisibile sit, ultimum statuunt posteriores Astrologi, octavumque circumvolvere; at Alphonsus Decimus, cognomento Sapiens, in tabulis Astronomiis, Lepordus, Niphus, aliique non pauci. At D. Thomas, & communiter Doctores non modò cœlum incorruptibile docent cum Aristotele, sed etiam diversæ rationis materiam ejus tradunt à nostra, quæ nunquam satiatur forma, sicut illa. Ideoque illa corpora superiora incorruptibilia dicunt, inferiora autem corruptibilia. Tenetque cùm communi idem D. Thomas *in* 2. *d.* 14. *q.* 1. *ar.* 1. undecim esse cœlos. Primum omnino lucidum, quod vocatur Empireum, quodque notante Serra *p.* 1. *q.* 66. *ar.* 3. supponunt Patres in Concilio apud Pennam fidelem congregati. Secundum prorsus diaphanum, appellatum cœlum aqueum, & crystallinum, quod D. Thomas dividit in duas sphæras, nonam & decimam. Tertium partim est diaphanum, partim lucidum, quod nuncupatur cœlum sidereum, & dividitur in octo sphæras.

Variant item in collocatione cœlorum, & planetarum. Nam Aristoteles Solem in secundo cœlo statuit sub Venere & Mercurio. Alii in quarto cœlo supra Venerem, & Mercurium constituunt. Alii variis ac diversis modis, ut nil certi habeatur. At, inquit Aristoteles, dum res multipliciter intelligitur, veritas ignoratur.

Ratio autem distinguendi cœlos modo jamdicto est varietas, & contrarietas astrorum quoad cursus, fluxus, atque refluxus, oppositiones, aspectus, similia. Unde oportet varios cœlos distinguere, qui ab Intelligentiis motricibus oppositis motibus cierentur, & ne continuo motu cœli eliderentur, illos adamantinos constituerunt Peripatetici, aliique Philosophi, etiam recentiores, ut Masius, Conimbricenses, Aversa, Complutenses *lib. de cœlo*, ac Theologi *in d. p.* 1. & probant ex illo Jobi 37. *Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi æris fusi sunt.*

Sunt Philosophi tum antiqui, tum recentiores qui contendunt, cœlum esse unum tantum, idque fluidum, ut aër, afferuntque & Scripturam & Patres complures, ut Hieronymum, Basilium, Nyssenum, Lactantium, Damascenum, Procopium, Isidorum, Augustinum, Gregorium & alios quos refert, ac sequitur Torreblanca *lib.* 7. *cap.* 2. At D. Thomas docet, hos Patres non ex propria sententia loquutos esse, sed ex iis, quæ in Philosophia didicerunt, unde non sunt majoris autoritatis quàm dicta Philosophorum, quos sequuntur. Et dum habetur de cœlis psal. 101. *ipsi peribunt*, Lucæ 31. *transibunt*, 2. Petri 3. *solventur* interpretatur quoad motuum externam faciem, & qualitatem, non quoad substantiam. Vel hypotheticè, si Deus velit, jubeat. Aut etiam si cœli perirent, transirent, & solverentur, Deus tamen semper maneret æternus, & immutabilis, & verba ejus non præterirent.

Deinde discrepant Astrologi circa formas, & figuras astrorum. Quidam enim stellas omnes esse sphæricas, planas, & æquales asserunt. Alii contendunt esse inæquales suis partibus asperas ex eminentiis, angulis, & convallibus, montium instar, qui in terra reperiuntur, ut experti sunt Astrologi per telescopium, de quo Eusebius Erimberg. *p.* 2. *suæ philosophiæ lib.* 1. *cap.* 60. Alpertragius etiam stellas plures errantes, & inerrantes innumeras, incognitas, extrinsecas in cœlo affirmat, quæ aliarum vires impedire possunt, ut annotavit uterque Picus, Bannes, Pererius, Delatorre, Suarez, Torreblanca, Carena, alijque. Non entis autem, & non apparentis idem est judicium *l. de ætate*, §. *nihil*, *ff. de interrog. l. ubi non apparet*, *ff. de verb. signif.* At non entis nulla datur scientia.

Rursus Ægyptii Solem supra Lunam immediatè collocarunt. Alij duos planetas medios interponunt. Sunt qui Venerem & Mercurium affirment supra Solem, quos tamen sub Sole ponit Ptolemæus, qui *in magna compositione lib.* 2. incipit signa in ipsis obliqui circuli partibus, & quasi eorum initia à tropicis æquinoctialibus. Hali autem philosophus à solstitijs, & æquinoctijs definire voluit. Imagines, ut Centaurum, Hydram, & alia monstra, quæ produci Natura ipsa non patitur, comminiscuntur reperiri in unoquoque decano, sive facie cujuslibet signi, aliis tamen in hoc decano, alijs in alio statuentibus, ut tradunt Alboazar, Apponensis, Michaël Scotus, Aratus, & Ptolemæus.

Insuper dissentiunt in statuendis planetarum, signorum, & imaginum naturis, viribus, ac significationibus, ut annotarunt Picus, ac cœteri impugnantes Astrologiam. Variè opinantur, ac inter se dissident Chaldæi, Ægyptii, Indi, Persæ. A Ptolemæo, & Dorotheo discrepanr Græci, nominatim Episton, & Paulus. Inter Arabes Albumazar Ptolemæum reijcit, amplectitur Abenzahar, ab utroque abhorrent Abennastora, & Avicenna, Latini verò partim hos sequuntur, partim respuunt. Nec interse conveniunt circa cœlorum motum, Lunæ, Martis, Saturni, ac Solis, ut observavit Manilius, & Jamblicus. In ipsa quoque divisione Cœli oscitantes hallucinati sunt. Ex quinque namque Zonis, quibus cœlum distinguunt, mediam inhabitabilem ob maximum æstum asseruerunt Cleomedes lib. de Sphær. Ptolomæus in quadrip. *tr.* 2. Strabo Geograph. *lib.* 2. experimento tamen constat sub ipsa torrida Zona, & sub ipsa æquinoctiali plaga terram esse habitabilem, imo placidissimam, ut notat Boterus in *relat. univ. vol.* 2. *p.* 1. *lib.* 1. Torquemada *in monarch. Indor. lib.* 1. *dissert.* 19. Herrera in *hist. Inder. decad.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. Conimbricenses *lib.* 2. de cœlo *cap.* 1. *qu.* ac Pineda de rebus Salomonis *lib.* 4. *cap.* 5. Imò Malævenda *cap.* 10. *&* 23. de Paradiso alijque referunt, plures existimare Paradisum voluptatis in provincia Zeilam sub ipsa torrida Zona situm esse in ambitu leucarum 240. cò, quòd cœlo temperatissimo, aëre saluberrimo, fertilissimo agro, ac perpetuò virescenti fruatur. Circulum lacteum Aristoteles *lib.* 1. *meteor. cap.* 8. in aëre statuit, Conimbricenses in Cœlo, ac in octava sphæra collocant *tract.* 3. *meteor. cap.* 2. Aristotelem videtur sequi Plutarchus *lib.* 1. *de placit. Philosoph. cap.* 1. Macrobius *lib.* 1. *in somn. Scipion. cap.* 15. dum exhalationem, vel simile aliud esse aiunt. Non iccirco audiendus est Torreblanca, qui loco citato impugnat Astrologos, quod sidera quædam malefica alia benefica dicant, quasi malum, aut bonum in eis sit, ac principium corruptionis, cùm tamen de virtuali tantùm maleficio, vel beneficio intelligendi sunt, ut alibi ostendimus.

Hæc itaque scientia perquam sane imperfecta est, adeo quòd, demptis aliquibus paucis, reliqua sint incerta, præsertim principia divinandi, quibus utitur, incerta quidem sunt. Duo autem sunt, in quibus hæc divinatio fundatur. Virtus activa cœlorum. Illorum motus, ex quo cœlorum virtus determinatur ad causandum potiùs hunc effectum, quam alium: Nam alia secundum diversos situs, quos habent in cœlo, diversos & contrarios effectus producunt. Utrunque incertum

tum est. Et quod ad primum certum quidem est, quod cœlum, tanquam causa corporea universalis influit in corpora sublunaria, concurritque ad eorum productionem & conservationem. Certum etiam est, quod concurrit per lucem, & calorem. Per lucem virtualiter calidam. Sed Picus Mirandulanus *lib.* 3. quem alii sequuntur, nullam aliam vim, ac proprietatem effectivam illis tribuit. Imo vult, stellas alias, præter solem, parum, aut nihil agere in hæc inferiara. Sed Astrologi communiter sentiunt, singulas stellas habere peculiares effectus. Quod Raphaël à Turri 2. 2. *q.* 95. *ar.* 5. *assert.* 5. probat ex D. Thoma *p.* 1. *q.* 70. *ar.* 1. *ad* 2. *&* 2. *dist.* 15. *ar.* 1. *ad* 1. de quo nos *alibi.*

At verò nemo est, qui neget, unumquodque sidus habere proprios effectus, sed dubium est de effectu illorum immediato, & an, præter lucem, & calorem, causent immediatè aliquam qualitatem. Nam fieri potest, quòd nullam aliam qualitatem imprimant, habeantque peculiares effectus sibi proprios, quatenus plus, minusve lucis, & caloris influunt. Ita Maginus *Isagog. lib.* 1. *cap.* 9. inquiens, quod stellæ, quæ habent lucidum lumen illustres effectus producunt, quæ plurimum micant, magnas conturbationes efficiunt, quæ densum habent lumen, efficaces existunt, quæ rarum, debiliores, quæ verò parum luminis habent, ut obscuræ, & nebulosæ, obscuros, & malos effectus causant. Sic etiam ex earum magnitudine, colore, situ, & habitudine singularum ad Solem, & Lunam, & ad cœteros Planetas, earum virtus determinatur ad effectus particulares.

Neque objicias, quòd planetarum, ac siderum quædam dicuntur frigida, humida alia, alia sicca. Nam negativè hæc explicantur, dicunturque frigida, quæ ex parvitate caloris frigiditatem non expellunt. Unde idem Maginus *loc. cit.* ait, Saturnum esse frigidum, quia cùm longissimè à Sole distet, debiliter ejus radios recipiens, parum calefacit, quod respectu nostri, refrigerare est; & quammaximè etiam a vaporibus humidis terræ distat, quapropter exiguitate sui caloris comprimens vapores, exsiccat. Eodem modo aliorum planetarum qualitates explicat ex magnitudine, parvitate, & qualitate lucis, & caloris. Fit igitur, quòd planetæ, ac stellæ habeant peculiares effectus mediatos, licet immediatè non influant, nisi lucem, & calorem. Atque adeo certum est, quod sidera immediatè imprimunt lucem, virtute calidam, sed an immediatè imprimant aliquam aliam qualitatem, estoque quod imprimant, quænam qualitas sit, incertum est. Ideoque multò magis incerti, & incogniti sunt effectus, quos Cœli per qualitatem impressam immediatè ex illis producere possunt.

Hoc sanè certum est, quòd cœli nullam qualitatem possunt immediatè producere, quæ non sit corporea, cùm ipsi sint causæ corporeæ, sicque nec mediatè possunt causare, nisi effectus corporeos per corpoream qualitatem ab ipsis immediatè impressam. Similiter certum est, quod qualitas quælibet, immediatè à Cœlo impressa in sublunaribus, licet in sui essentia sit determinatæ speciei, attamen virtute est universalis, & indifferens ad sublunarium innumeras species, nimirum ad concursum generationis, & conservationis, vel etiam corruptionis rerum. Quæ virtus ad particulares effectus est determinabilis tam ex parte siderum ex vario illorum situ, ac dispositione, quam ex dispositione materiæ, ac proprietate causarum inferiorum. Ex quibus habetur, quòd, seclusis illis, quæ ex luce, & calore possint cognosci ventura, quidquid ex alia qualitate, ut immediatè ab astris producta, divinare gloriantur Astrologi, prorsus incertum est, cùm sit dubium, an sidera qualitatem aliam immediatè producant, præter lucem, virtute calefacientem; & concessa etiam alterius qualitatis immediata impressione, natura hujus qualitatis, ejusque virtus nobis est planè ignota.

Sed quid de motu Cœli? Ejus ferè omnia incerta sunt. Alij volunt, quòd Planetæ non habeant proprios orbes, sed quòd per Cœlum tanquam per corpus solidum moveantur. Alij licet concedant Planetis proprios orbes, dissident tamen. Nam, ut tenet D. Thomas *lib.* 1. *de Cœlo lect.* 3. Aristoteles & qui eum sequuntur, existimant, Planetas unico sibique proprio orbi esse affixos. Ptolemæus verò & communiter Astrologi id negant, & cuicunque planetæ plures tribuunt orbes concentricos, eccentricos, & epicyclos, ex quibus maxima oritur opinionum dissensio circa planetarum motum proprium, ut circa situm apogæi Solis, & planetarum, circa mensuram intervalli unius æquinoctii ab alio, circa motum apogæi Solis, & planetarum, circa eccentricitatem eorum, circa obliquitatem, & declinationem Solis ab æquinoctio, circa supputationem motus Solis, & planetarum, circa motum medium Solis, circa motum stellarum fixarum, circa temporum mutationes, ac modum illas investigandi ex sideribus, deque aliis ad motum cœlorum pertinentibus secum pugnant Astrologi, quorum alii supputationes Tichonis, alii Copernici, alii Lanspergii, alii hujus, vel illius Astrologi, alii proprias sequuntur, & recentiores antiquos, ex recentioribus alter alterius commentum arguit, ut legere est apud eorum scripta, præsertim apud Paulum Merendam *de præcognoscend. tempor. mutat.* & Franciscum Levoram in Astronomia reformata, nullusque adhuc eorum exactam hujus motus mensuram certam, certumque terminum invenit. Ac licet diversitas sit modica, consistens in minutis, hoc tamen non parum refert ad investigandum futura ex aspectibus, & situ astrorum. Unde quòd exquisita indagatio motuum siderum sit imperfecta, testatur ex Ricciolo *in Almag. lib.* 9. *cap.* 5. Levora *loc. cit. lib.* 1. *cap.* 9. qui etiam *cap.* 7. asserit, quòd observationes, & observatores illorum, fallaciis plerunque subjiciantur.

Cùm igitur situs, ac positiones siderum in puncto, ac prout reverà est, non sint certæ, neque per certitudinem haberi potest exacta notitia eventuum, qui non sequuntur, nisi ex sideribus in tali situ cœli existentibus, sequitur, quòd imperfecta sit cognitio, quam habent Astrologi de aspectibus, ac motu planetarum. Quia cùm eclipses, etiam in individuo, sint effectus necessarii ad motum Solis, ac Lunæ consequentes, nihilominus Astrologi prudentiores non prænunciant circumstantias individuales signatas eclipsium, vel qui eas prædicunt, errare convincuntur. Nam constat experientia, prædictiones non convenire in puncto signato temporis, & qualitate obscuritatis, & duratione, ac aliis individualibus qualitatibus. Quod ex eo provenit, quia individualem perfectam notitiam motus Solis & Lunæ non assequuntur.

Sed demus notitiam motus Cœli, adhuc superest aliud incertitudinis principium. Nam incertæ sunt virtutes propriæ, sive proprietates, quas Astrologi tribuunt stellis, vel in earum ortu, & occasu, vel conjunctionibus, oppositionibus, trigonis, aliisque aspectibus. Has enim proprias virtutes ad specificos effectus producendum determinatas Astrologi à priori cognoscere non possunt; quia naturam specificam astrorum non cognoscunt. Solùm igitur ex effectibus, & longa experientia cognosci possunt, ut ipsi fatentur. At eorum experientiæ difficillimæ sunt, & fallaces.

Ampliùs, cùm Cœlum sidereum non perficis

suum cursum, nisi spatio triginta sex millium annorum, ut advertunt Cajetanus & Delatorre 2. 2. *q.* 95. *ar.* 5. *ad* 2. *rat.* Unde totus ordo Cœli, ac siderum inter se & ad cœlum stellatum comparatus, qui nunc est, nunquam antea fuerit, neque futurus sit, nisi mundus perduret annis triginta sex milibus, cumque effectus sublunares non sint à sola stella, nunc oriente, vel à planeta conjuncto cum alio planeta, sed ab omnibus planetis, & astris, ac toto cœlo proprietas, & specificatio effectuum sublunarium non potest reduci per certitudinem in aliquod ex astris, sed reduci debet, & tanquam in causam adæquatam in ordinem cœli, qui est tempore effectus, & qui nunquam antea fuit, nec forsan postea erit, utique fit, quòd determinatio, ac individuatio effectuum, quatenus est à cœlo, non nisi ab omnibus astris est. Quis autem Astrologorum totum cœli ordinem considerat, vel etiam non nisi cum maxima difficultate observare potest? Id enim non cadit sub experientia. Quia cùm ordo, qui semel est, non iteretur, non potest pluries cadere sub sensu, quod ad experientiam, & observationem est necessarium. Adde quod licet stellarum fixarum ortus, & occasus quolibet anno accidant, experientia tamen compertum est singulis annis non comprobari earum significationes, nec evenire turbines, eluviones, tempestates, aliosque effectus, quos Astrologi illis tribuunt.

Quòd si dicatur, id evenire ab errantium stellarum situ diverso, & vario in quartis anni cum appendicibus, jam tria consequuntur. Primum, quod ex proprietatibus attributis tam fixis, quàm errantibus astris, non possunt certò cognosci effectus, quia unum astrum alterius effectum impedire potest. Secundum, quòd non nisi considerato toto cœli ordine possunt effectus præcognosci, ut appareat quomodo singularium stellarum influxus efficax sit, vel ita impediatur, ut effectus prævideri nequeat. Tertium, quòd omnino sub certa experientia non cadit propria virtus stellarum, nec cognosci potest, an pluvia sit potiùs ab ortu alicujus stellæ, quàm à situ planetarum tunc existente. Ac licet aliqua experientia non negetur; nam Astrologi experti sunt in ortu aut occasu alicujus astri, vel in conjunctione alicujus planetæ cum alio causari pluvias, aut ventos, & sic deducunt proprietatem talis stellæ esse, ut tales effectus producat, ex hoc tamen non habetur certitudo, nisi ad summum, quod effectus sit frequenter, vel plerunque futurus, si aliud non obstet. Neque adhuc potest omnino certò deduci, quòd effectus sit vel ab ortu, vel à conjunctione illius planetæ, & non potius ab alia stellà, adjuncta maximè dispositione sublunarium ad talem effectum producendum. Si ergo primum fundamentum in hoc consistit, quod in hominibus imperfecta, & incerta est notitia virtutis cœlorum, ac eorum motus, & proprietatis cujusque stellæ in quocumque situ, & aspectu illarum, & tamen sine eorum perfecta cognitione non potest haberi certa cognitio futurorum.

Secundum fundamentum est, quod effectus corporales sublunares non sequuntur omnino necessario à corporibus cœlestibus. Id probat non obiter tantùm D. Thomas *lib.* 3. *contra gentes cap.* 86. Ex duplici autem capite oritur hæc contingentia: Vel quia virtus cœlorum impeditur. Vel quia temperatur. Primò enim impeditur immediatus cœlorum effectus, ne saltem plenè ac perfectè recipiatur. Hoc experimur in luce Solis, quæ per nubes, & caligines detinetur, ne clara, & serena ad nos perveniat, & plenè calefaciat. Sicut enim impeditur lux, ne plenè recipiatur, ita etiam plenè recepta ex indispositione materiæ aliunde, præsertim frigidæ impeditur, ne calefaciat, neve producat effectum, quem ex se producere posset. Si igitur impediatur immediatus effectus cœli, qui est illuminare, & per lumen calefacere, multò magis postea impediuntur alii effectus mediati, ac secundarii, qui non nisi ex lumine & calore proveniunt. Hi quoque omnino impediri possunt, cùm ad suam productionem requirere possunt tantum luminis & caloris, quantum non possunt à cœlo recipere ex indispositione contraria corporis sublunaris. Secundò virtus cœlorum, quæ ex se est universalis, atque indifferens ad plures effectus specie diversos, ex qualitate causæ sublunaris determinatur. Lux enim, & calor cœlestis determinatur ad productionem plantæ à semine illius, & ad productionem animalis à patre & matre.

Cùm ergo causæ sublunares impediri possint, utique non sequuntur effectus, nisi contingenter. Unde rectè ait D. Thomas *loc. cit.* quòd quia virtus cœli non recipitur, nisi secundum modum recipientium, sublunaria verò sunt fluxibilia, ideo virtus cœli non recipitur in his inferioribus necessariò, sed contingenter. Et quoniam ex causa remota, & universali non sequitur effectus necessariò, nisi eodem modo sequatur è causa media. E causis autem mediis sublunaribus non sequuntur effectus, nisi contingenter. Eodem igitur modo sequuntur è causis cœlestibus. Ex quo principio id obtinetur, quòd nec ab Astrologis Astronomiæ magistri, ne ab Angelis quidem possunt ex solis astris cognosci certò usquequaque effectus sublunares, sed solùm ut futuri sub conditione, si nimirum astrorum virtus, & efficacia non fuerit impedita.

Tertium fundamentum est, quod concursus causarum in his sublunaribus se se vel juvantium vel impedientium, non est effectus corporis cœlestis. Hoc tradit D. Thomas *d. cap.* 89. & comprobatur duplici ratione. Prima est; quia omnium cœlorum virtus supponit materiam aliunde, quàm ex virtute cœlorum habitam, nempe à Deo creatam: Deus enim simul creavit Cœlum & terram, nec fecit terram, & elementa ex cœlo, sed immediatè illa creavit. Cùm igitur materia elementaris cum suis qualitatibus, proprietatibus, ac dispositionibus non sit à cœlo, sed cœlum aliunde à Deo eam productam supponat, non ex cœlo est concursus materiæ elementaris cum virtute illius, sed ex parte materiæ illi ab extrinseco accidit. Secunda est; quia etiam concursus causarum sublunarium est res per accidens, quæ non habet causam naturalem per se. Sic quòd homo sit musicus, & pariter quod homo sit albus, habet causam per se; quod detur autem musicus albus, est quid per accidens, quod non habet per se causam.

Quartum fundamentum. Corpora cœlestia nec directè, neque indirectè aliquid imprimunt in intellectum, & voluntatem, neque movent voluntatem, nisi ex parte objecti, præbendo illi aliquas occasiones volendi, ejus liberæ potestati subjectas. Unde nullo modo necessitatem voluntati afferunt. Cùm enim intellectus & voluntas non sint potentiæ corporeæ, sed spirituales, atque adeo qualitatis corporeæ incapaces, corpora verò cœlestia sint causæ corporeæ, quarum effectus corporei sunt, certum est, quòd non possunt immediatè, vel indirectè producere aliquid, quod in intellectu, & voluntate recipiatur. Admittunt verò Doctores quod impressiones corporum cœlestium indirectè ac per accidens ad voluntatem pertinere possunt, ut D. Thomas *p.* 1. *q.* 115. *ar.* 4. sed hoc verum est non ex parte potentiæ intellectus & voluntatis, sed ex parte objecti, & quatenus præbent voluntati occasiones objectivas volendi. Quod dupliciter fieri potest, vel quatenus corpora cœlestia immutant

immutant corpora exteriora; vel quatenus immutant corpus hominis volentis. Utroque modo nihil aliud fit, nisi quòd in objecto causatur aliquid, per quod illud fit congruens aut dissentaneum corporali hominis constitutioni, unde præbetur homini occasio volendi, posito objecto convenienti. Priori modo corpora cœlestia præbent homini occasionem volendi, quatenus in exteriora corpora causatur aliqua utilis, vel noxia qualitas, ut si disponatur aër ad frigus, quod sit humani corporis constitutioni nocuum. Ex hoc enim, ut ab objecto, moveri potest voluntas, ut velit homo calefieri. Quod etiam facere possunt immutando, ac per diversas qualitates disponendo hominem ipsum volentem. Primò per aliquam dispositionem corporalem, ut per infirmitatem. Ex hoc enim datur occasio volendi medicinam, quia ex hoc medicina ipsa fit conveniens, utilis, imò & necessaria ad sanitatem acquirendam, sicque præbetur voluntati objectiva occasio eligendi medicinam. Secundò per aliquam dispositionem, etiam sensitivam, quatenus ex cœlestibus corporibus habemus aliquam corporis constitutionem, ac proinde aliquas inclinationes ad aliquas sensitivas passiones; sic cholericus est pronus ad iram. Verùm, ut diximus, neque inclinationes, & passiones movent voluntatem, nisi ex parte objecti, quatenus id, quod convenit passioni, & inclinationi proponitur voluntati, ut objectum amabile. Atque ita, licet hic modus movendi voluntatem sit per impressionem aliquam in corpus volentis, ac indirectè in vires sensitivas animæ, respectu tamen voluntatis non est, nisi propositio objecti. Cùm autem à nullo objecto particulari voluntas moveatur necessariò, sed ipsa, ut domina sui liberè se moveat ad amorem, vel odium, unde neque necessariò movetur à passionibus sensus, sequitur, quod corpora cœlestia non possunt cogere voluntatem ad aliquid volendum, ut fides catholica docet, de quo etiam postea.

Consultatio CIII.

Aliæ rationes adversus Astrologos. Argumentum geminorum. Liberum hominis arbitrium, & immortalitas animæ non rectè cohærent cum Astrologorum judicio. Ciceronis, Pici, Ropheni, maximè verò Bardessani Syri in Astrologos dissertatio. Vana & futilis prædictio Astrologorum de aliquo, quòd sit futurus summus Pontifex, Imperator, Dux Reipublicæ, Generalis Religionis, & hujusmodi. Falsitas & incertitudo prædictionum Astrologicarum. Astrologiæ judiciariæ, nulla potest esse scientia, vel ars. Saturni revolutiones, & anachronismi, sive errores chronologici Astrologorum.

Phavorinus Philosophus egregius apud Aulum Gellium, quem adolescentibus lectitabam, *lib.* 14. *cap.* 1. contra observationes Astrologorum, & experientias comprobatas, quibus jactitant suam artem constare, sic ait: *Si Chaldæorum isto modo cœpta fieri observatio est, ut animadverteretur quo habitu, qua forma, quaque positura stellarum aliquis nasceretur; tum deinceps ab ineunte vita, fortuna ejus, ac mores, & ingenium, & circumstantiæ rerum, negotiorumque, & ad postremum finis etiam vitæ expectaretur, eaque omnia, ut usu venerant, litteris mandarentur, ac postea longis temporibus, cùm ipsæ illæ eoden in loco, eodemque habitu forent, eadem cœteris quoque eventura existimarentur, qui eodem alio tempore nati fuissent. Si isto, inquit, modo observari cœptum est, ex eaque observatione composita quædam disciplina est, nullo id pacto potest procedere. Dicant enim quot tandem annis, vel potius quot seculis hic urbis abservationibus perfici quiverit. Constare quippe inter Astrologos, dicebat, stellas istas, quas erraticas dicerent, quam esse omnium rerum fatales dicerentur, infinite prope, & innumerabili numero annorum ad eundem locum cum eodem habitu simul omnes, unde profectæ sunt regredi, ut neque ullus observationis tenor, neque memoria ulla, neque effigies litterarum tanto ævo potuerint edurare.* Hæc Phavorinus. Cùm enim cœli facies, & omnium signorum cœlestium positura, quæ semel fuit, eadem omnino, vel nunquam, vel nonnisi post immensa annorum spatia redire posset, quippe octavus Orbis, in quo sunt inerrantes stellæ, non ante sex & triginta annorum millia circuitum suum apud multos absolvit, tum magis Saturnus; quin doctissimi quidem mathematici validis rationibus ostenderunt, motus cœli esse inter se incommensurabiles, ob idque eandem cœli faciem, eandemque stellarum posituram sæpiùs evenire non posse.

Sed demus tandem Astrologos posse cognoscere singulas stellas, illarumque singulares vires, ac defluxus separatim, quam vim tamen habeant sidera, cum defluxus diversorum astrorum simul coëunt, ac permiscentur vel in cœlo, vel in aëre, vel in terra, vel etiam cum causis sublunaribus, earumque actionibus, ab ipsis nequaquam sciri potest. Audiamus Origenem, cujus *ex commentariis super Genesim* hanc Eusebius *extremo libro 6. de præpar. Evang.* citat sententiam. *Quæ autem*, inquit, *commistione, compositione, ac temperie diversorum aspectuum fieri asserunt, profectò concedunt nullo modo sciri posse. Quomodo enim quantum divinatur de læsione maligni aspectus propter aspectum benigni sideris percipiet? Et utrum auferat malignus, quod à benigno conceditur, quoniam locum ejus aspexerit, aut mutet, aut imminuat, aut mistura quadam inde fiat, quis percipiet? Quæ omnia si quis altiùs inspiciat, facile credat, non posse ista humano ingenio penitus percipi: Unde si quis harum rerum periculum fecerit, videbit in pluribus errare, quàm veritatem consequi Genethliacos.* Quamobrem Esaias 47. etiam quasi hæc omnibus impossibilia sint, ad filiam Chaldæorum, qui maximè ista profitentur, ait: *Adsint, & salvam te faciant Astrologi, cœli Augures annuncient tibi, quid eventurum sit.* His enim verbis docentur vel diligentissimos in hac re Chaldæos non posse prædicere quæ velit unicuique genti Deus attribuere.

His accedit, multas esse stellas, quæ vel non clarè vel nullatenus cernuntur. Earum verò, quæ cernuntur, paucas sibi esse cognitas, permultas verò nedum exploratas fatentur Astrologi. Qua ratione igitur ex paucis astris quorum vires norunt, tam confidenter prænunciant futura, cùm per aliorum siderum, quæ nesciunt influxus, notorum sibi siderum effectus, aut impediri, aut variari possint? Nisi fortè astrorum, quæ latent ipsos, nullas esse vires, nullosque defluxus impudenter, & absurdè mentiantur. Certè constat inter Astrologos numerari in octavo Cœlo mille super viginti duas stellas, quarum cùm quælibet major sit terrâ, necesse est, ingentem esse earum vim, & potentiam. Hujusmodi stellarum, vel nullam, vel perexiguam notitiam habent Astrologi. Quippe cùm ars eorum judiciaria ferè constet ex planetarum observationibus in quibus tota propemodum versatur & consumitur. Vidit hoc Seneca, & *in lib. 2. natur. quæst. cap.* 32. eleganter exposuit.

fuit. *Quid est aliud*, inquit, *quod errorem incutiat peritis natalium, quam quod paucis nos sideribus assignant, cùm omnia, quæ supra nos sunt, partem sibi nostri vendicent? Submissiora forsitan in nos propiùs vim suam dirigunt, & ea, quæ frequentiùs mota, aliter nos, aliter cætera animalia prospiciunt. Cæterum & illa, quæ aut immota sunt, aut propter velocitatem universo mundo parem, immotis similia, non extra jus, dominiumque nostri sunt.*

Superioribus annis visa est stella nova, ante illud tempus nunquam in cœlo visa, & judicio Astrologorum in eodem loco, ubi stellæ fixæ lucent, posita. Hæc cùm ad aliquod tempus conspicua fuisset, repente tota ex aspectu hominum discessit, & prorsus evanuit. Hanc stellam necesse est, vel in cœlo esse generatam, & postea corruptam, idemque in aliis sæpiùs evenire, longis tamen temporum intervallis, verisimile est; vel esse supra septem planetas alia sidera errantia, quæ proprios quidem motus, sed nobis tamen ignotos, habeant; vel denique, quas nos in octavo Orbe stellas inerrantes, & infixas putamus, eas quoque proprios circuitus, & motus agere, de quo addubitasse olim Hipparchum, nobilissimum in astrologia virum, locuples autor, ac testis est Plinius *cap. 26. lib. 2. Hipparchus*, inquit, *nunquam satis laudatus novam stellam, & aliam in ævo suo genitam deprehendit, ejusque motu qua die fulsit, ad dubitationem est adductus, anne hoc sæpiùs fieret, moverenturque & eæ, quas putamus affixas.*

Quid, quod permagni ad artem suam referre putant Astrologi, convenientiam & discrepantiam, quæ est inter duos Zodiacos, alterum octavi, alterum noni Cœli exploratam habere? Quæ tamen ipsis nota esse non potest. Quippe cùm nonum cœlum omni stella, luceque careat, nec aliud de ipso, quàm motus, isque ex motu octavi cœli deprehendi possit. Latet etiam Astrologos quemadmodum isti duo Zodiaci se habuerint in exordio mundi, quod tempus ab origine mundi ad hanc diem exactum, certò teneri nequeat. Nam ut annorum ejus temporis ratio aliqua iniri, & numerus colligi possit, dierum tamen & horarum non potest; quorum tamen subtilis, & certa computatio isti doctrinæ astrologicæ opus est.

Nec potest sine ullo errore notari, & cognosci positus astrorum, qui est in eo momento, quo quisque nascitur. Etenim difficillimum est vel punctum temporis, in quo quispiam oritur, vel in eo ipso puncto aspectum siderum omnium, qui tunc viget, observare. Sæpe namque cœli ac stellarum aspectum nubila, & crassorum vaporum interpositus, vel adimunt nobis, vel interturbant & infuscant, & quod caput est rapidissima cœli vertigo facit, ut constellatio priùs transvolet, quàm à nobis propriè annotetur. Nam per singula ferè momenta alia, & alia cœli facies, ac identidem diversa astrorum positura existit. Profitentur autem isti Astrologi se cujusvis hominis eventa omnia prænunciare posse, dummodo sibi ortus ejus certum tempus pernotescat. Sed hujusmodi tempus subtiliter, ac propriè, ita nimirum, ut opus esset Astrologo, ferè nescitur. Nam, ut dicatur, Petrum esse natum vigesimo ab hinc anno, die Septembris ultimo, hora noctis decima, vel ineunte, vel media, vel jam exeunte; at momentum illud, vel potius minimum illud tempus, quo Petrus ex utero matris fusus, & in lucem editus est nec obstetrix, neque parentes, seu cognati subtilissimè annotatum, & perspectum habent, qua tamen temporis illius subtilissima observatione & cognitione ad divinandum eget Astrologus.

Adscribamus hoc loco verba Basilij, quibus ipsa hæc ratio, quam nos strictim attigimus satiùs ab eo explicatur, & acriùs urgetur. Sic enim ille *homil. 6. super Genesim* scriptum reliquit: *Genethliacæ artis inventores cùm in temporis amplo spatio complures figuras suam ipsorum scientiam fugere percepissent, in angustum admodum temporis contraxere mensuras, ut minutissimo quoque, & subitaneo articulo, quale est quod Apostolus dicit: In momento temporis, in ictu oculi, plurimum differentiæ sit inter nativitatem & nativitatem, ut is quidem, qui hoc in momento genitus est, futurus sit Rex, civitatum, populorumque Princeps locupletissimus, præpotens; is autem, qui natus est temporis sequentis memento, pauper quidem sit futurus, aut mendicus, circulator, vel præstigiator, ex ostio ostia permutans quotidiani consequendi causa victus. Quamobrem eo orbe, qui signifer appellatur, duodecim in partes diviso, cùm in triginta dierum spatio partem Sol ejus globi transeat duodecimam, quem inerrantem appellant, triginta in portiones singulas illas duodecim partes secuerunt, tum singulis portionibus illis in sexaginta minuta divisis, minuta hæc singula rursum in alia sexaginta modo simili divisere. Posito igitur enixu eorum, qui in lucem eduntur, videamus obsecro, si hanc exactissimam temporis divisionem Autores hi sibi valeant conservare. Nam simul atque editus pusio est, mas, ac femella sit, obstetrix explorat, tum vagitum expectat infantis, nimirum indicium vitæ ejus, qui natus recèns est. Quot hoc tempore vis sexagesima præteriisse minuta? Dicit obstetrix deinde Chaldæo partum, qui editus est. Quot minutissima momenta vis interea dum obstetrix loquitur prætercurrisse? Præsertim si fortè fortuna fuerit non in conclavi mulierum Chaldæus ille præsens, sed in ædium atrio, aut vestibulo, tempus, horamque reponens. Et cùm eum, qui definiturus est deligenter tempus, ac horam, exploratoria nimirum horarum percipere oporteat instrumenta, sive diurna sint, sive nocturna, quot minutorum hoc quoque tempore quæso prætervolat, præteritque examen? Compertam enim cam esse stellam, qua tempus, horaque sit exploranda, non solùm quanta in parte sit duodecima, sed etiam quàm juxta duodecimæ portionem partis, in quotoque minuto sexagesimæ eorum, in quæ subdivisæ sunt singula sexagesima illa prima, necesse est. Atque hanc tamen adeo tenuem, subtilemque temporis inventionem, quanquam attingere nequeunt, singulis in stellis errantibus faciendam esse necessariò dicunt, ut qualem ad Cœlo adfixas stellas, ipsæ dispositionem, habitudinemve haberent, qualisque ipsarum esset inter sese figura, cum in lucem ederetur fœtus, compertum sit tandem, ac exploratum. Quæ cùm ita sint, si fieri non potest, ut tempus illud exactissimè quisquam attingat, variatio neque vel brevissimi temporis sit, ut tota via penitus aberretur, decidendi profectò non mediocriter esse videntur tam iis, qui studio hujus indulserunt artis, quàm in ratione rerum nusquam esse constat, quàm illi, qui hiantes ab illorum ore pendent intenti, perinde quasi omnia illi scire possint, quæ ipsis sunt eventura.* Hactenus sunt, quæ Basilius eo loco adversus Astrologos disputat.

Adde ex Pico, Suarez, Delatorre, aliis, quòd in momento conceptus primum existit homo, & tunc primum vis cœlestis in homine defluit, & imprimitur; Nam per novem menses qui fuit in utero ante nativitatem potestati cœlorum subditur, & post ortum aliæ, contingunt constellationes observandæ. Eoque magis quia sæpe mutatur hominis constitutio, vel ob alias constellationes, vel ob educationem, vel ob variam vivendi consuetudinem, vel ob leges patrias, adeo, quod in extrema ætate nihil forsitan remaneat materiæ primogeniæ, quam in nativitate habuit juxta doctrinam D. Thomæ *p. 1. quæst. ult. art. 1.*

Major quippe est ratio, quòd conceptio attendatur quàm nativitas, ut Ptolemæus testatur 3. *apotelesmatum* his verbis: Cùm principium temporale hominis aliquod statuatur, natura quidem, & per se illud erit principium, cùm semen utero genitali admittitur, potentia verò, & secundùm accidens, cum hora partus infans egreditur. Qui igitur horam admissi seminis vel casu, vel observatione deprehendit, illam sequi potius debet in proprietatibus corporis, & animi dignoscendis, considerando, quæ sint eo tempore stellarum configurationes. Cùm enim semel à principio semen ex ambientis aëris affectione certa qualitate disponitur, licet per consequentis conformationis tempora varietur, quoniam tam propriam, cognatamque materiam naturaliter sibi ascissit, magis etiam primæ suæ qualitatis dispositioni assimilabitur. Ita Ptolemæus, fateturque alius nobilis Astrologus *in lib. de electionib.* efficaciam decernendi fatum hominis esse in hora conceptionis, sed quia hæc nescitur ab Astrologis propterea ad horam nativitatis confugiunt, qui cùm urgeantur argumento geminorum, respondere solent, diversitatem eventuum, qui sunt in geminis, ex diversitate conceptus proficisci.

Hoc Geminorum argumentum affert D. Thomas *p.* 1. *q.* 115. *ar.* 3. *ad* 4. *ex D. Augustino lib.* 5. *de civit. cap.* 6. ubi ait, quòd nihil est magis corporeum quàm corporeus sexus. Sed corporeus sexus non causatur ex corporibus cœlestibus, cujus signum esse videtur, quod duorum geminorum sub una constellatione natorum unus est masculus, alter est femina, ibique docet, quòd actiones corporum cœlestium diverso modo recipiuntur in inferioribus corporibus secundùm diversam materiæ dispositionem. Contingit autem aliquando, quod materia conceptus humani non sit omnino disposita ad masculinum sexum. Unde partim formatur in masculum, partim in feminam. Idque adduxit Augustinus eo loco ad repellendam divinationem, quæ fit per astra, quia effectus astrorum variantur etiam in rebus corporeis secundum diversam materiæ dispositionem. Cœli enim influunt ex Aristotele 2. *de generat. tex.* 56. adveniente, ac permanente Sole, aliisque corporibus cœlestibus generant, & recedendo corrumpunt. Quod confirmat 4. *de cœl. tex.* 23. *&* 9. *metaph. tex.* 27.

Quare præter causas cœlestes ad producendum effectus futuros, opus est etiam causa particulari efficiente, & materia idonea præparata, quorum si desit alterum, prorsus, nullus futurus est effectus, sicque ad prænotionem futurorum effectuum, cœlestium causarum notitia non est satis. Quod Augustinus 2. *de Genes. ad lit. cap.* 17. quotidianis & manifestis experimentis constare, inquit. Videmus namque agricolas eodem tempore, & sub eodem siderum aspectu varia seminum genera in terram jacere, ex quibus tamen diversa nascuntur ob diversas species, & vires seminum, non ob causas cœlestes, cumque multa corpora diversorum generum, vel animantium, vel herbarum, vel arbustorum uno simul puncto temporis seminentur, unoque puncto temporis innumerabiliter multa nascuntur non tantùm diversis, sed etiam iisdem terrarum locis, tantæ sunt varietates in progressibus, in actibus, in passionibus eorum, ut verè isti, sicut dicitur, perdant sidera, si ista considerent. Quid autem incultius, & hebetius, quàm cum istis rebus convincuntur, dicere ad solos homines sibi subiiciendos fatalem stellarum pertinere rationem? Sic Augustinus, cujus extremum dictum paulo uberiùs tractat apud Gellium *cit. cap.* 1. *lib.* 14 Phavorinus. Si vitæ, inquit, mortisque hominum, rerumque humanarum omnium tempus, & ratio, & causa in cœlo, & apud stellas foret, quid de muscis, aut vermiculis, aut echinis, multisque aliis minutissimis terræ, marisque animantibus dicerent? An ista quoque iisdem, quibus homines legibus nascerentur, isdemque itidem extinguerentur, ut aut ranunculis quoque & culicibus nascendi fata sint de cœlestium siderum motibus attributa; aut si id non putarent nulla ratio videretur, cur ea siderum vis in hominibus valeret, si deficeret in cœteris.

Et quidem si vera esset istiusmodi Astrologorum doctrina, necesse esset geminos, qui uno tempore concepti, & nati sunt, simillimos omnino fore. Quod falsum esse, satis perspicuum est. Nam ut cœteram eorum dissimilitudinem taceam, evenit nonnunquam, ut alter sit mas, alter verò fœmina. Cicero autem *lib.* 2. *de divinat.* Proclum & Euristhenem, Reges Lacedæmoniorum, fratresque geminos commemorat, quorum tamen & exitus vitæ dissimilis, & gloria rerum gestarum dispar fuit. Verùm in sacris literis luculentissimum ejus rei habemus exemplum. Jacob enim, & Esau eodem concubitu, ut inquit Paulus ad Rom. 9. sati, eodemque tempore nati, dissimillimis tamen ingenijs, studijs, moribus, & eventis fuerunt. Nec verò firmum est illud præsidium, in quod refugiunt Astrologi, cum hoc argumento premuntur, videlicet brevissimam illam moram, quæ inter Geminorum ortus intercedit, licet ea nobis perexigua videatur, in cœlo tamen ob ejus vastitatem, & rapidissimam conversionem esse admodum insignem, magnamque facere variationem. Hoc Nigidius Figulus declarabat exemplo rotæ, quam incitatissimè contortam, cùm bis eodem loco signare atramento, vel percutere summa celeritate conatus esset, cessante ipsius rotæ circum actione, reperta sunt duo illa loca, ab ipso percussa, vel signata, haud parvo inter se intervallo disjuncta.

Etenim licet in ortu Geminorum aliqua fuerit mora, in eorum tamen conceptu prorsus nulla fuit. Deinde, si tam brevi variatur ratio constellationis, sub qua quisque nascitur, erit profectò proprium tempus ortus cujuslibet Astrologis incomprehensibile. Denique valebit hoc loco adversus Astrologos argumentatio illa Gregorii homil. 16. super Evangel. *Si propterea Jacob & Esau non censentur nati sub eadem constellatione, quòd simul nati sunt, sed unus post alterum, ob eadem profectò causam judicandum erit nullum hominem sub eadem constellatione totum nasci. Non enim totus simul ex utero procedit, sed particulatim, & membratim. Primò enim effert caput, tum collum, deinde pectus, postremò pedes.* Jacob enim proximè natus est post Esau manu plantam pedis ejus tenens, perinde quasi, ut inquit Augustinus *loc. cit. unus infans instar duorum, vel duplo longior nasceretur.*

Hanc eandem rationem admodum disertè Phavorinus adversus Chaldæos disputans prosequutus est apud Gellium memorato loco. *Atque id velim etiam*, inquit, *ut respondeant, si tam parvum, atque rapidum est momentum temporis, in quo homo nascens Fatum accipit, ut in eodem illo puncto sub illo circulo cœli, plures simul ad eandem competentiam nasci non queant, & si idcirco Gemini quoque non eadem vitæ sorte sunt, peto respondeant, cursum illum temporis transvolantis, qui vix cogitatione animi comprehendi potest, quonam pacto, aut consulto assequi queant, aut ipsi perspicere ac deprehendere, cùm in tam præcipiti dierum noctiumq; vertigine minima momenta ingentes facere dicant mutationes?* Hoc ipsum argumentum de Geminis diligenter, ac subtiliter pertractat Augustinus *lib.* 5. *de civit. primis aliquot capitibus*, atque *in* 2. *lib. de doctr. christiana cap.* 22. Et verò maximum facessit negotium Astrologis. Si enim tam brevi temporis momento mutantur omnia, ut non diversa modò, sed etiam adversa plerumque eveniant, quis de nato puero possit quicquam certi prædicere, cùm illud temporis punctum, quo vel conceptus, vel

natus est, ita uti est, nemini possit esse cognitum. Itaque ut magna in homines vi & potestate pollerent astra, quid ea tamen in singulorum hominũ generatione, & ortu efficerent, incompertum esset nobis, quippe cùm aspectus cœli, & positus astrorum, qui est tempore, quo quisque nascitur, certò deprehendi nequeat. Incitatissimus enim cœli, & astrorum motus tarditatem nostræ considerationis, & observationis prætervolat, & antevertit.

His Campanella in sua Astrologia conatur respondere, inquiens, sub diversis planetis concipi Geminos. At suum hoc placitum non probat. Quod autem addit Campanella, Geminos quandoque in altum ascendere, quandoque ad imum fortunæ deprimi, est etiam perridiculum. Tum quia experientia comprobatur contrarium. Vidimus enim geminos tota vita felices, infelices alios, alios verò, etsi quandoque in altum, nunquam tamen in profundum infelicitatis depressos. Nec regula generalis potest tradi apud Astrologos. Nam certum est, non omnes geminos sub eadem constellatione concipi, aut nasci, atque adeo neque eodem modo felices, aut infelices esse. Imo & hæc assertio Campanellæ astrologiam videtur funditus evertere. Si enim geminorum est in altum ascendere, aut in profundum fortunæ, cùm tamen nascantur sub diversis constellationibus, quorum aliquæ totam infelicitatem præsignant, aliæ felicitatem maximam, aliæ mediocrem, constellatio non erit attendenda, aliàs falsum judicium fieret.

Quòd si respondeant Astrologi ex D. Thoma *opusc.* 28. *ar* 2. quòd in uno conceptu semen per vices projicitur, ac per vices à matrice glutitur, sicque non est una hora conceptorum Geminorum. Quod si diceremus, esse unam horam conceptorum, centrum tamen cordis eorum, à quo incipit conceptus formatio, non est unum, & mutato centro, necesse est mutari totum circulum, etsi horizon eorum non est unus, neque anguli, ideoque nec eadem domorum dispositio, atque ita tota periodus efficitur diversa, & consequenter adhærens rebus natis dispositio fatalis necessariò variatur. Addunt ex eodem D. Thoma *ibidem ar.* 4. *ad* 2. inventum esse remedium ad cognoscendum horoscopum, ut scilicet accipiatur gradus ascendens circuli, hoc est horæ conjunctionum luminarium, cui adæquatur circulus, quia ille habet influentiam ad communem necessitatem, quæ proximo sequitur; vel accipiatur ascendens ad nativitatem ex utero. At, ignorato puncto conceptionis, difficile est siderum rationem cognoscere, neque possibile est alio modo ad illud pervenire. Punctum autem nativitatis ex Ptolemæo non est ita certum, variaturque secundum exitum partialem prolis, ut Picus etiam annotavit. Extat insuper exemplum geminorum S. Medardi Episcopi Noviomensis, & S. Gildardi Episcopi Rothomagensis, qui eodem die nati, eodemque Episcopi consecrati, unoque die exanimes, simul in cœlum migrarunt, ex Martyrologio Romano 8. Junii.

Missos faciamus Geminos, quorum interruptus partus aliquam præbuit latebram Astrologis. Consideremus modò quamplurimos prorsus eodem tempore, & in eadem regione, eodemque siderum aspectu, & positura, ex diversis tamen parentibus progeneratos. De istis non potest Astrologus ex observatione siderum non eadem eventa prænunciare, cùm simul concepti, & nati fuerint, & sub eadem constellatione. At longè secus esse, quotidiana demonstrat experientia. Quàm multi enim toto orbe simul & generantur in utero, & in lucem eduntur, quorum deinde maxima est ingeniorum, studiorum, morum, religionis, casuum, denique vitæ, ac mortis eventorum dissimilitudo? Omnium Romanorum, qui Cannensi pugna quamplurimi cæsi sunt ab Annibale, idem fuit vitæ exitus, & interitus. Quis autem existimet eodem illos omnes stellarum aspectu; posituque fuisse natos? Idem dico de tot millibus Turcarum, qui navali pugna sub B. Pio V. memorabili ad immortalitatem victoria à christiana Classe profligati, & internecione deleti sunt, quorum omnium eandem fuisse rationem ortus, eandemque in generatione eorum viguisse cœli constellationem, stultum est dicere. An quo tempore natus est Homerus, Hippocrates, Aristoteles, Alexander magnus, non eodem quoque alios complures natos esse putabimus. At quis illorum similis adhuc extitit. Phavorinus sic argumentationem hanc contexebat 10. *cap.* 1. Quàm multi homines utriusque sexus, omnium ætatum diversis stellarum motibus in vitam editi, regionibus, sub quibus geniti sunt longè distantibus, omnes tamen isti, aut hiantibus terris, aut labentibus tectis, aut oppidorum expugnationibus, aut eadem in navi fluctu obruti, eodemque genere mortis, eodemque ictu temporis intereunt? Quod scilicet nunquam eveniret, si momenta nascendi singulis attributa, suas unumquodque Leges haberent. Quòd si quædam in hominum morte, atque vita, etiam diversis temporibus editorum per stellarum pares quosdam postea conventus, paria nonnulla, & consimilia posse dicuntur obtingere, cur non aliquando possint omnia quoque paria usu venire, ut existant per hujusmodi stellarum conversiones, & similitudines Socrates simul, & Antisthenes, & Platones multi, genere, forma ingenio, moribus, vita omni & morte pari? Quod nequaquam prorsus fieri potest. Non igitur hac causa Chaldæi probè utis queunt adversus hominum impares ortus interitus pares.

Eadem mens est Bardesanis Syri adversus Chaldæos. Is in doctrina rerum cœlestium excellenter versatus in eo dialogo, quem rogatu amicorum de Fato conscripsit, futilissimas esse Astrologorum observationes ad hunc fere modum, ut memorat Eusebius *lib.* 6. *de præpar. Evang. cap.* 8. demonstrabat: Apud Seras lex est, prohibens occidere, fornicari, & adorare simulacra; unde in illa regione nullum templum conspicitur, nulla mulier meretrix, nulla adultera, nemo fur, nemo homicida, nec voluntatem alicujus illorum ardentissima stella Martis in medio Cœli constituta ad cædem hominis coëgit, nec Venus Marti conjuncta, ut alienam quispiam sollicitaret uxorem potuit efficere. Atqui singulis etiam apud eos diebus in medium Cœli Martem pervenire necesse est, & in tanta regione singulis horis nasci homines non est negandum.

Apud Indos autem, & Bactros multa millia hominum sunt, qui Brachmanes appellantur. Hi tam traditione patrum, quàm legibus nec simulacra colunt, nec animatum aliquid comedunt, vinum, aut cerevisiam nunquam bibunt, ab omni demum malignitate absunt, soli Deo attendentes. At verò cæteri omnes Indi in eadem ipsa regione adulterijs, cæde, temulentia, simulacrorum cultu involvuntur, inveniunturque ibi nonnulli, imo verò gens quædam Indorum est in eodem climate habitans, qui homines venantes, atque sacrificantes devorant, nec ulli planetarum, quos felices, ac bonos appellant, à cæde, ac sceleribus istis eos prohibent, nec maligni Brachmanas pellere ad malefaciendum potuerunt.

Apud Persas lex erat filias, sorores, matres quoque ipsas in matrimonium ducere, nec in Perside solum, verum etiam quicunque Persarum ad alia climata Orbis è patria exiverunt, nefanda hæc diligenter matrimonia celebrarunt, quos aliæ gentes hoc scelus abominatæ, Magusseos appellant. Suntque usque ad hodiernum diem in media Ægypto, Phrygia, Galatiaque

Galatiaque plurimi Magussei successione patrum eisdem sceleribus contaminati. Nec dicere possumus in terminis, & domo Saturni cùm Saturno ipso in natiuitatibus omnium Marte aspiciente Venerem fuisse.

Amazones viros non habent, sed tempore veris fines suos egredientes cum vicinis conueniunt, unde omnes naturali lege eodem tempore pariunt, masculisque interfectis, solas fœminas alunt, bellicosæque omnes similiter sunt, magnam exercitationis bellicæ curam gerentes. Stultum autem est opinari, omnes istiusmodi fœminas prorsus ijsdem natalitijs astris esse genitas.

Fit hoc confirmatius argumento, exemploque Judæorum, qui ubicunque terrarum & gentium sint nati, aut versentur, inuiolabili obseruatione & infantes suos octauo die circumcidunt, & omnem diem sabbathi feriatum, festumque religiosissimè agunt. Non sunt autem Judæi omnes sub eadem constellatione procreati, neque eos à patriis legibus, & institutis ulla vis, & potentia cœlestium corporum abstrahere potest.

Sed quid de Christianis, qui innumerabiles toto orbe sparsi, idem vitæ genus, atque doctrinæ custodiunt, nec à disciplina, quam ipsis Christus Dominus tradidit, vel promissis ullis, vel minis, aut suppliciis vel latum unguem amoueri possunt, an dicturi sunt, Christianos omnes eodem astro esse natos? Sed illud maximum est argumentum qui ante susceptam Christi disciplinam patrias leges & instituta studiosissimè, acerrimeque tenebant, eos postea factos Christianos, illis desertis, abjectisque, longè diuersam vitam agere, diuersos mores induere, & diuersissimam religionem & doctrinam colere. Itaque nec multas Parthi Christiani ducunt uxores, nec Medi canibus mortuos obiiciunt, nec Indi mortuos suos cremant, nec Persæ cum sororibus aut cum filiabus nefario matrimonio miscentur, nec Ægyptii Apim, aut canem, aut hircum, aut felem colunt, sed ubicunque sunt eisdem legibus, moribus, & institutis viuunt.

Quid plura? singulis horis apud omnes gentes homines nascuntur, ubique autem leges, atque mores propter liberam hominis potestatem præualere videmus, nec natalitia sidera nolentes Seras ad homicidium compellunt, aut Brachmanas ad esum carnium, nec Persas à sceleratis nuptiis remouent, nec Medos prohibent vita defunctos canibus exponere, nec Parthos multas ducere uxores. Singulæ namque gentes, ut volunt, & quando volunt libertate sua utuntur, legibus, moribusque obedientes. Hactenus sunt, quæ ex disputatione Bardesanis aduersus Chaldæos commemoranda hoc loco censuimus. Huc se parent Astrologi, hæc cogitent, ad hæc se exerceant.

Nam, stante libero arbitrio hominis, ac immortalitate animæ nostræ, ars ista nullo modo stare potest. Si autem ea stet, illam funditus corruere necesse est. Quo intelligere licet, qualis istiusmodi ars existimanda sit, quæ nisi pessundata, & obtrita, sublataque nostrarum animarum libertate, atque immortalitate, nihil progredi, nec ullo modo consistere queat. Quòd autem si anima nostra immortalis, & in agendo libera sit, diuinatio astrologica nulla esse possit his probatur argumentis.

Primum Astrologi profitentur, se futuras hominum actiones, euentaque ex suæ artis obseruationibus præsentire, ac prænunciare posse. Hoc autem falsum est. Futura enim, quæ ex libera hominis voluntate proficisci debent, nullo modo possunt esse nota Astrologis. Nam vel cognoscerent futura in seipsis, quod fieri non potest, quippe, quæ futura sunt, nondum per se actu sunt. Quod autem non est, prout non est, non intelligitur, sed prout aliquo modo est, nimirum potestate in suis causis. Nec prænosci queunt futura in ipsorum causis, quæ tres sunt, Deus, cœlum, voluntas humana. Quæ autem ex Dei proposito, consilio, & absoluta voluntate euentura sunt, ea nulli mortalium, vel ex cœlo, vel alia quacunque ratione, nisi cui Deus ea voluerit aperire, cognita esse possunt. *Quis enim*, inquit Scriptura, *cognouit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit?* Rom. 10. & Isai. 40. Et ut scriptum est *in 9. cap. libri sapientiæ.* Quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore, quæ autem in cœlis sunt, quis inuestigabit? Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis? Ex cœlo autem futura, quæ pendent ex voluntate hominis non possunt cognosci. Tum quia cœlum est causa uniuersalis, quare futuri effectus particulares nonnisi uniuersaliter, & indeterminatè in cœlo contineri, ac dignosci possunt. Tum etiam quia Cœlum est causa corporalis, & materialis. Quare anima nostra, quæ per se incorporea, & expers materiæ est, liberaque in agendo, cœli efficientiæ ac operationi directè, ac necessariò minimè subjacebit. Voluntas porrò humana, quæ est proxima causa humanarum actionum, respectu futurorum, quæ ex ipsa proficisci debent, per se indifferens, ac indeterminata est. Multa enim acturi sumus, de quibus nihil dum cogitauimus, nedum deliberauimus. Quomodo igitur causa indeterminata, & indifferens, potest definitam, certamque futuri effectus cognitionem parere?

Confirmatur. Exteriores actiones hominis pendent ex interioribus, ex deliberatiane scilicet, ac electione. Non potest igitur futura hominis actio exterior prænosci, nisi cognita sit futuræ voluntatis electio, unde illa proficisci debet. At futura hominis electio non potest alteri homini esse cognita. Si enim propositum animi, & deliberationem, quam quis in præsentia habet mente conceptam, nemo alius scire potest, quantò minùs scire poterit consilium, propositum, & voluntatem alterius hominis, quæ multos post annos futura est?

Deinde aut consideratur homo, ut viuit & operatur secundùm rationem, aut secundùm sensum & appetitum. Si secundùm rationem, sic homo non pendet à Cœlo. Est enim mens & ratio expers materiæ & incorporea. Nullum autem corpus per se agere potest in id, quod est incorporeum. Ratio item libera est, suarumque actionum domina, & suo arbitratu, ac voluntate potest ad hoc, vel illud agendum se ipsa applicare. Nam, quamuis vel à cœlo, vel ex naturali constitutione sui corporis, vel à dæmone, vel aliunde instigetur ad male gendum, potest & tamen reniti, & vi sua omnes instinctus, impulsus, à irritamenta, extrinsecus ei objecta, comprimere, ac irrita facere; quin etiam contra quàm incitatur, agere.

Homo autem viuens secundùm sensum, & appetitum carnalem, tam variabilem, & incertam vitam agit, ut qualis futurus sit, nullo modo prædici queat. Quamobrem Salomon *in 30. capite lib. prouerb.* dixit, *alia quadam sibi esse cognitu difficilia, illud autem esse prorsus ignotum qualis sit via adolescentis in adolescentia sua.* Etsi enim ea ætas adeo lubrica ad quodlibet vitium, adeo mollis, ac flexibilis in omnes partes, adeo vagans per omnia, & nulla in re perseuerans, ut nulla certa ratione, modoque regi, ac duci, sed quocunque impellit cupiditas, illuc inconsultè ac temerè rapi videatur. Quo fit, ut facilius sit diuinare quid acturus sit, qui viuit secundùm rationem, & virtutem, quàm quid sit acturus, qui rationis, ac virtutum regula, &

lege poſthabita, ſuas duntaxat cupiditates ſectatur. Sic etiam facilius eſt divinare, quid facturus eſt Rex, qui ſecundùm rectam rationem, juſtaſque leges imperat, quàm quid facturus ſit Tyrannus, qui omnia pro ſuo commodo, ac libidine adminiſtrat. Qua ratione igitur Aſtrologi certa ſcientia conſequi poſſunt ea, quæ nihil ratum, firmum, fixumque ac certum habent?

Ad hæc, aut iſtud fatum cœleſte, ac potentia ſiderum poteſt ab homine impediri, adeo ut effectus ejus non eveniat, aut nullo modo impediri poteſt. Si poteſt impediri & non evenire; ergo ſicut effectus eſt incertus, ita prædictio ejus vera eſſe non poteſt. Si non poteſt impediri; ergo nullum eſt liberum arbitrium, & ex eo conficitur animam noſtram eſſe materialem, atque mortalem, ut pote ſiderum poteſtati neceſſario ſubjectam. Nec verò ſi ita res ſe haberet, quicquam prodeſſent hominibus prædictiones Aſtrologorum. Quid enim juvaret, noſſe tanto ante futura, ſi ea nullo modo declinari, & caveri poſſent? Quin plus mali, quàm boni afferrent nobis, quos neceſſe eſſet non ſolum præſentibus malis torqueri, ſed etiam tam longinqua & inevitabili eorum expectatione acerbiſſimè cruciari.

Probè hoc intellexit Seneca, licet non minorem quàm Aſtrologi ſideribus in homines vim, ac potentiam tribueret. *In libro enim* 13. *epiſt.* 89. ita ſcripſit: *Venio nunc ad illum, qui cœleſtium notitia gloriatur.*

Frigida Saturni quo ſeſe ſtella receptet,
Quos ignis cœli Cyllenius erret in orbes.

Hoc ſcire, quid proderit? Ut ſollicitus ſim cum Saturnus, & Mars ex contrario ſtabunt, aut cùm Mercurius veſpertinum faciet Occaſum, vidente Saturno? Potius hoc dicam, ubicumque ſunt, iſta propria eſſe, nec poſſe mutari. Agit illa continuus ordo Fatorum, & inevitabilis curſus. Per ſtatas vias remeant, effectus rerum omnium aut movent ſidera, aut notant; ſed ſive quicquid evenit faciunt, quid immutabilis rei notitia proficiet? Sive ſignificant, quid refert providere, quod effugere non poſſis? Scias iſta, neſcias, fient. Sed argutè ac philoſophicè hanc ipſam ſententiam breviſſimis verbis concludit Phavorinus: *Aut adverſa*, inquit, *eventura dicunt, aut proſpera. Si dicunt proſpera, & fallunt, miſer fies, fruſtra expectando. Si adverſa dicunt, & mentiuntur, miſer fies, fruſtra timendo. Si vera reſpondent, eaque ſunt non proſpera, jam inde ex animo miſer fies, antequam è Fato fias. Si felicia promittunt, eaque eventura ſunt, tum planè duo erunt incommoda, & expectatio te eſſe ſuſpenſum fatigabit, & futurum gaudij fructum ſpes tibi jam defloraverit. Nullo igitur pacto utendum eſt iſtiuſmodi hominibus res futuras præſagientibus.*

Quare non ſolùm eſt de fide, futura libera non poſſe à quacunque creatura cognoſci, ſed nec alia quidem futura naturalia fortuita, de quo plenè Delatorre *cit. q.* 95. *ar.* 6. Quapropter hujuſmodi Aſtrologi negantes conſequenter liberum arbitrium, ſunt de grege illius blaſphemi pecudis Lutheri qui inter alios edidit librum de ſervo arbitrio.

Illud & maximè arguit prædictionum aſtrologicarum vanitatem, quod audeant Aſtrologi prædicere, ac promittere aliquem futurum ſummum Pontificem, Imperatorem, Ducem. Atqui provectio alicujus ad Summum Pontificatum, Imperium, &c. non ex ipſius, vel alterius unius hominis voluntate, aut poteſtate pendet, ſed ex voluntate, atque ſuffragiis plurimorum Cardinalium, quorum munus eſt creare Summum Pontificem, Electorum Imperii creare Imperatorem. Quapropter, ut certò prænunciari poſſit, Petrum fore Pontificem, non ſatis eſt noſſe compoſitionem aſtrorum, quæ in cœlo fuit naſcente Petro, ſed ſimul etiam opus eſſet Aſtrologo perſpectos, & cognitos eſſe omnes ſiderum poſitus, & conſtellationes, ſub quibus nati ſunt quorumcunque voluntatum, & ſuffragiorum concurſus ad creandum illum Pontificem futurus eſt neceſſarius. Quare, ſi verum eſt, quod narrat in Auguſto Suetonius, Nigidium Figulum in ejuſmodi Aſtrologia nobiliſſimum apud Romanos, accepta hora partus Auguſti, obſervatiſque natalitiis ejus aſtris, exclamaſſe, *Dominum Orbis eſſe natum.* Profectò exiſtimandum eſt, id eum nec ſcienter, neque certa aliqua ratione, ſed temerè ac fortuitò dixiſſe, & caſu factum eſſe, ut ita contigerit, ſicut ille prædixerat. Promotio namque Auguſti per multos honorum gradus ad ſummum uſque Principatum & Monarchiam, ex multorum hominum ſtudio, gratia & opera pendebat, ut ad tantum Auguſti dominatum, & imperium certò prænoſcendum, atque prænunciandum, ſolius Auguſti generationis, & ortus conſideratio ſatis eſſe nequaquam potuerit. Neque enim natalitia Auguſti ſidera vim ullam habere potuerunt in eos, qui fuere Auguſti ſuffragatores, adjutoreſque ad conſequendum principatum, ſcilicet multi eorum compluribus annis, vel ante, vel poſt Auguſtum nati fuerant.

Ulterius progreſſa eſt iſtorum audacia & impudentia. Urbium quoque, non hominum modò fata profitentur hac arte poſſe prænoſci, ac prænunciari. Obſervata enim aſtrorum compoſitione, quæ fuit cùm urbes conderentur, poſſe earum caſus, eventuſque omnes proſpici, ac prænotari. Fecit hoc in urbe Roma rogatu Varronis quidam Tarutius Mathematicus, ut in Romulo tradit Plutarchus, quam hiſtoriam *lib.* 2. *de divinat.* his verbis Cicero enarrat: *Quidam L. Tarutius Firmanus familiaris noſter, in primis Chaldæis rationibus eruditus, urbis etiam noſtræ natalem diem repetebat ab iis Parilibus, quibus eam à Romulo conditam accepimus, Romamque cum eſſet in jugo Luna, natam eſſe dicebat, nec ejus fata canere dubitabat. O vim maximam erroris, etiamne Urbis natalis dies ad vim ſtellarum, & Lunæ pertinebat? Fac in puero referre, ex qua affectione cœli primum ſpiritum duxerit, num hoc in latere, aut in cæmento, ex quibus Urbs effecta eſt, potuit valere? Verum eſt, qui quærat ex iſtis Aſtromanticis num velint ſuam divinationem etiam in animalibus & ſtirpibus valere, ut in homine? Si negent, prodent ſuam inſcitiam, ſuæque artis infirmitatem, inanitatem, atque fallaciam. Cur enim non æqualiter valeat in ſtirpibus, atque in homine? Imo cur non plus valeat? Stirpes namque multo magis, quam homo à cœleſtium corporum poteſtate, & efficientia naturali neceſſitate pendent. Et cum minus multa & varia atque incerta ſtirpibus, quàm homini ſoleant accidere, facilior profectò eſſe deberet eorum divinatio, quæ ſtirpibus, quàm quæ homini ſunt eventura. Sin verò annuunt, ſimiliter in ſtirpibus, ut in hominibus valere aſtrologicam divinationem, rogarem, ut diligentiſſimè obſervarent ſtatum Cœli, & aſtrorum, eo videlicet tempore, quo vel prunus, vel ceraſus, vel pyrus ſereretur, aut cùm ſementis tritici fieret, & ex illa Cœli obſervatione promerent etiam prognoſtica de illis arboribus, ut divinarent quantam illæ arbores prunorum, ceraſorum, & pyrorum copiam eſſent laturæ, quantus item ex illa tritici ſemente ſpicarum, & in ſingulis ſpicis quantus granorum numerus eſſet proventurus. Hæc ſi negent à ſe poſſe prænoſci, fateantur etiam neceſſe eſt non poſſe ab ipſis futuros hominum caſus, eventuſque provideri.*

Hinc nulla poteſt eſſe ſcientia, vel ars iſtius Aſtrologiæ. Omnis enim ſcientia, & ars verſatur in iis re-

bus

bus, quæ aut semper, aut certè frequenter ita contingunt, ut ab ea doceantur. Quæ autem extrà hæc sunt, & rarissimè accidunt, ea, quia nihil habent fixum, & certum, propterea nullam possunt scientiam, vel artem efficere. Cùm igitur prædictiones Astrologorum ferè sint falsæ, nec nisi perquam raro veridicæ sint, satis liquet, eas non ex arte aliqua, & certis observationibus proficisci, sed inscienter, & inconsultè, ac temerè ab illis effutiri. Quamobrem Phavorinus identidem commonebat, ut caverent homines, ne quæ ipsis Chaldæi ad faciendam fidem irreperent, quod viderentur quædam interdum vera effutire, aut spargere. Non enim comprehensa, aiebat *loc. cit.* neque definita, neque percepta dicunt, sed lubrica, atque ambagiosa conjectatione nitentes inter falsa, atque vera pedetentim quasi per tenebras ingredientes eunt, & aut multa tentando incidunt repente imprudentes in veritatem, aut ipsorum, qui eos consulunt, multa credulitate ducente perveniunt callidè ad ea, quæ vera sunt, & idcirco videntur in præteritis rebus, quàm futuris veritatem faciliùs imitari. Ista tamen omnia, quæ aut temerè, aut astutè vera dicunt, præ cœteris, quæ mentiuntur pars ea non sit millesima.

In eandem quoque sententiam *lib. 2. de divinat.* ivit Cicero: *Quid plura*, inquit, *quotidie refelluntur Chaldæi. Quàm multa ego Pompeio, quam multa Crasso, quam multa huic ipsi Cæsari à Chaldæis dicta memini, neminem eorum, nisi Senectute, nisi domi, nisi cum claritate esse moriturum, ut mihi permirum videatur quenquam extare, qui etiam nunc credat iis, quorum prædicta quotidie videat re, & eventis refelli.* Seneca quoque *in eo libello*, cujus inscriptio est: *Ludus in mortem Claudii Cæsaris*, sub initio introducit Mercurium apud Parcas mortem Claudii procurantem, &, ut obiter Chaldæorum illudat vanitati, inter alias rationes, quibus conatur Mercurius Parcas inducere ad necem Claudii, hanc affert, ne toties videlicet miseri Chaldæi mentiantur: *Patere*, inquit, *Mathematicos aliquando verum dicere, qui illum postquam princeps factus est, omnibus annis, omnibus mensibus efferunt.* Prædicebant enim illi Mathematici Claudium singulis annis & mensibus moriturum. Quod etiam nostri temporis Astrologis contingit, à quibus mortes Summorum Pontificum in singulos annos atque adeo menses pronunciari audimus, & ridemus.

Comprobatur ex Oraculis falsis Apollinis Delphici. Nam teste Eusebio *lib. 6. de præpar. cap.* 1. Apollo multis responsis declarabat, à stellarum motu futura significari, unde pertinebant ad astrologicam prædictionem, ut asserit Porphyrius, qui tamen *lib. de Oracul.* per hæc verba falsitatem testatur apud eundem Eusebium *cap.* 4. In hisce autem, inquit, Oraculis, & divinationibus sæpe mentitum esse Apollinem. Exquisitam enim futurorum cognitionem, non hominibus modò, sed multis etiam Deorum incomprehensibilem esse. Unde etiam interrogati, mentiuntur nonnunquam, sed non sponte. Solent enim præmonere, se tunc vera respondere non posse. Homines tamen ex amentia perseverant urgere, & cogere eos, ut respondeant. Apollo igitur Delphicus cùm ejusmodi esset cœli, & continentis affectio, ut verum prævidere non posset; retine, dicebat per vatem vim istam, & potentia verba. Hæc ne proferas, falsa enim dicam, si coges. Et in alio responso: Nihil hodie, inquit Apollo, stellarum mihi via dicendum præstat. Demum concludens Porphyrius ait: manifestum jam fecimus, unde falsitas ad Deorum oracula subrepat. Quare Oenomaus apud Græcos tam philosophia, quàm eloquentia excellens, responsis Delphicis Apollinis sæpe delusus, atque deceptus, diligenter & curiosè quamplurima ejus oracula vana, futilia, & falsa collegit, ac refutavit, ut prodit Eusebius *loc. cit. lib.* 5. *cap* 10.

Hæc cùm ita sint, attamen Albumazar istorum Astrologorum coryphæus, nescio quas Saturni revolutiones dilaudat. Affirmat enim, quoties Saturnus denas sui Orbis conversiones perfecerit, hoc est expletis annis trecentis, semper magnas quasdam res, & admodum insignes evenire. *Post Alexandrum enim*, inquit, *annis trecentis apparuit Arclasor, filius Bel, qui Persas contrivit, & proximè post transactis aliis trecentis annis apparuit Jesus magister, & dux Christianorum.* O turpem temporum inscitiam! Nam nec tunc fuit iste filius Bel, qui Persas fregerit, & afflixerit, & Christus Dominus noster non sexcentis annis post Alexandrum, ut iste mentitur, sed trecentis duntaxat & viginti annis post Alexandri mortem natus est. Quanquam quis miretur in hoc lapsum Albumazarem, cùm tam insigniter erraverit in Ptolemæo mathematico, quem facit unum de Ptolemæis Ægypti Regibus, qui post Alexandrum Magnum Ægyptiis imperarunt? Cùm in confesso sit nec Ptolemæum Mathematicum fuisse Regem, & cum Hadriano Imperatore floruisse novissimo Ptolemæorum Ægypti Regum plus centum & sexaginta annis posteriorem.

Jactant item Astrologi, nullam fuisse apud homines ullo tempore mutationem legum, nullius Prophetæ nobilis adventum, nullam novæ Religionis introductionem, nullam magnorum Regnorum conversionem, denique nullum insignem & memorabilem casum, aut quin magna aliqua conjunctio siderum, præcipuè verò Saturni, & Jovis præcesserit. Hæc, inquiunt, Constellatio nascentem Orbem initiavit, illa præparavit diluvium, alia Abraham, vel Moysem genuit, illa Jesu adventum prænuntiavit, alia Mahumeti legem antecessit. Quæ quàm sint futilia, commentitia, & erroris plena vel uno hoc argumento constare potest.

Petrus Aliacensis istiusmodi figmentis stultissimè credens, ac vanissimè gaudens, in libro suo de concordia historiæ & astrologiæ, ad id, quod ex sensu Astrologorum proximè diximus probandum, hoc quasi fundamentum supponit. Ab initio mundi usque ad diluvium fluxisse annos bis mille ducentos quadraginta duos. A diluvio autem ad Christi Domini adventum & ortum, ter mille centum & duos annos. Hoc posito, probare nititur, quicquid in orbe terrarum valde memorandum, & insigne quocunque tempore acciderit, eodem tempore magnam aliquam constellationem in Cœlo apparuisse.

At enimverò cùm perspicuè falsa sit computatio annorum, qua velut fundamento illorum ratio & doctrina fulcitur, nonne consequens est, quæ dicuntur, & pendent ex illa computatione esse falsa? Etenim ab Adamo ad diluvium non plus mille sexcentos quinquaginta sex annos præteriisse constat ex sacris literis, pauciores nempe quàm illi numerant annis prope sexcentis. Quo fit, ut constellationem quam ajunt isti fuisse in exordio mundi, sexcentis annis mundum præcessisse, necesse sit. Deinde tempus, quod inter diluvium interfuit & Christi Domini adventum, ne numerum quidem bis mille quadringentorum annorum implevit. Ex quo efficitur, ut conjunctio astrorum, quam aiunt ducentis annis antegressam diluvium, nonnisi sexcentis octoginta quatuorque annis post diluvium potuerit existere. Præterea dicunt, quartam conjunctionem maximam fuisse annis nongentis quadraginta duobus post diluvium, sexdecim nimirum annis ante natum Abraham, quem tamen liquet ex sacra chronologia, ducentis nonaginta duobus annis natum esse post diluvium. Quare necesse

est,

est, quartam illam conjunctionem sexcentis triginta annis post Abrahæ ortum contigisse. Ad hæc, notarunt illi sextam conjunctionem magnam ducentos vigintiquinque annos fuisse ante Christum, nimirum falsò. Nituntur enim supradicta computatione annorum à diluvio ad Christi adventum, quam nos mendosam esse ostendimus. Quin si veram sequamur chronologiam, necesse esset, sextam illam conjunctionem sexcentis ferme annis post Christi Domini ortum contigisse. Postremò quàm fuerit Petrus Aliacensis veræ christianæ chronographiæ rudis & prorsus expers vel hoc uno indicio manifestum esse potest. Affirmat anno ab ortu Christi septingentesimo, ad quod tempus septimam conjunctionem magnam refert, natam esse in Ecclesia pestem hæreticorum, maximè verò eam, quæ fuit Arrianorum, quorum tamen hæresis circa annum Domini trecentesimum exorta, ante sexcentesimum extincta est. Quis igitur tam multas istorum prædictiones nixas mendacissimis chronologiis, inanes & mendaces esse dubitet?

Quid dicam de istorum discordia in suis fundamentis? Ex ea enim colligitur nil posse certò sciri, aut ab ipsis affirmari. Nam Arabes teste Valentino Naiboda *in suis elem. Astrol. disser.* 1. & Magino *in sua introduct. ad Ephemer. p. 2. cap.* 10. dividunt Zodiacum in duodecim partes æquales, & eo modo figuram Cœli distribuunt, ut unaquæque triginta gradus contineat, & ubi una desinit, altera initium accipit. Alij ut Abraham Aben Ezra Judæus, & Regio Montanus *integro probl.* 14. *ante tabulas directionum*, Maginus *ante tabul. sui primi mobilis can.* 23. *&* *in introduct. Ephemerid. cap.* 10. *p.* 2. non Zodiacum, sed Æquatorem secant in duodecim partes æquales. Alii tandem, retentis quatuor angulis, spatium inter dictos angulos ita dividunt, ut unaquæque domus ab alia distet duabus horis inæqualibus. Hunc modum amplectitur Stadius *in principio suarum Ephemeridum.* Hieronymus Diedus *in sua anatome cœlesti*, & existimant multi, nominatim Diedo *ibidem lib.* 2. *cap.* 1. *&* 2. Argulus *in introd. ad Ephemer. lib.* 3. *cap.* 24. hanc opinionem esse Ptolemæi, quamvis ipse tantùm tradiderit, quòd unaquæque domus constare debet triginta gradibus, & quòd inter eas debeat esse aspectus, ut prima respiciat septimam oppositionem, & quartam quadrato &c.

Quomodo ergo ex figura cœli aliquid prædici poterit, si adhuc ignoratur modus certus illam constituendi, & tres, qui præcipui sunt, relictis novem modis, allatis à Ransonio sub initio suæ Astrologiæ, inter se adeo discrepant, ut quod signum Zodiaci secundùm unum modum est, exempli gratia in octava domo, illud secundùm alios sit in nona, & modus attributus Ptolemæo, etsi in quatuor angulis concordet cum modo Regii Montani *probl.* 14. in aliis tamen octo domibus dissentiunt aliquando inter se per quinque gradus. Quod satis est ad tollendum signum unum quod alioquin esset in ea domo, ac dominium planetæ domini signi ab illa domo, in qua est signum, ut constat ex tabulis Ptolemaicis Arguli.

Quamobrem Joannes Antonius Rophenus, discipulus Magini, medicus & astrologus nobilis *in discursu anni* 1644. *de Astrologorum incertitudine* multa monumentis tradidit, etsi non omittat argumenta pro Astrologis afferre. Nostris, ait, hisce temporibus nati sunt quidam homines, qui audacter ad astrologicas & genethliacas vanitates intenti, se divinare profitentur, & se vates existimant ita, ut commentitiis Poetarum figmentis locum aperiant, ac si scilicet ex cerebro Jovis tot Pallades nuper ortæ prodierint, quæ fatorum seriem recenseant, & non agnoscunt, quàm incerta sit hæc mathematicæ pars, ad cujus incertitudines, & fallacias solvendas finxerunt & antiquorum, & neotericorum scholæ multa in tanta rerum varietate, quæ in terra, mari, aëre, ad occidentem, ad Orientem, ad septentrionem, ad meridianum in Urbibus, inter homines, inter animalia singulis annis, mensibus, diebus, & horis, privatim & publicè, domi, militiæ, Principibus viris, Rei publicæ ac privatæ eveniunt.

Laborabant Genethliaci magna inopia causarum, quia signa Zodiaci, & numerus planetarum impar erat multitudini rerum, quæ in toto mundo accidunt, & coacti fuere fingere in cœlo varia figmenta astrorum, gaudia, antiscia, novenarias, facies, cursus, carpenta, familiaritates, odia, exaltationes, dejectiones, alfridaria, fines, applicationes, defluxus, domicilia, loca, pro quorum varietate varios effunderent sidera effectus. Quare Cardanus *lib. de judic. genitur. cap.* 16. ex hoc, inquit, patet causa, cur tot invenerint nugas, partes, facies, novenarias, quia non poterant tot rebus, quæ homini eveniunt, situ solùm septem planetarum satisfacere. Alii Apollinem cùm Musis. Alii Augustum Cæsarem. Alii Tiberium. Alii Nilum cum sexdecim filiis. Alii alia ludibria spectare sibi videntur. Nam quemadmodum in marmoribus natura aspersis variis coloribus, nihil aliud est, nisi commixtio diversorum, variorumque humorum, ita in genituris, in quibus nihil est, quàm stellarum situs, & lineamenta quædam, Astrologi & Reges, & Pontifices, & Poetas, & Historicos, & honores, & dignitates, opes, & uxores, & liberos vehementi sibi fingunt mentis agitatione. Quod exaggerat Augustinus *lib.* 2. *de doctr. Christ.* Dividunt in duodecim domos, tribuentes Soli Leonem, Lunæ cancrum, aliasque domos aliis Planetis, qui ex illis potissimùm vires suas exerunt, ut ex Firmico colligunt *cap.* 21. 22. 23. addendo directiones varias, revolutiones multiplices, alfridaria, & absides, caudam, caputque draconis, triangula dextra, sinistraque, quadrata, antiscia, Planetas in aliis signis deijci vel exaltari, ut Lunam exaltari in Tauro usque ad Scorpionem, deijci à Scorpione usque ad Taurum, aliaque innumera, ut ex libris Cardani, Bellantii, Gauricii, & aliorum patet.

Nec modò non cohærentia inter se dicunt, sed maximè disiuncta atque contraria. Dimicant inter se ipsos Andabatarum more. Adversus enim antiquos Astrologos stat Ptolemæus Alexandrinus. Hunc impugnat Albumazar. Adversus utrumque disputat Abenzuar. Antiquos omnes contemnit Cardanus *loc. cit. cap.* 6. & *alibi.* Cardanum oppugnant omnes recentiores in quæstione præcipua de vitæ spatio. Ptolemæus *lib.* 3. *quadrip. cap.* 4. tradit posse esse Apheras Solem, Lunam, horoscopum, sortem, & dominum horum locorum, puta Solem, Lunam, horoscopum, & partem fortunæ. At Cyprianus Leovitius totus diversus abit, solum dirigit horoscopum, omisso Sole, & domino horum locorum. Ptolemæus Aphetas ad Annæretam secundum ordinem signorum constituit; sed recentiores alio modo cum maxima dissensione inter reliquos Astrologiæ magistros præclarissimos de domorum potestate, & jure statuunt. Sunt qui Lunam in septima cœlibatum significare dicant, alii uxorem sterilem, alii vetulam putant indicare, alii verò plures uxores prædicere, contendunt.

Ptolemæus Lunam in signo unius figuræ, & uni tantùm per aspectum applicantem planetæ unam uxorem

rem dare, Arabes & Latini à sexta domo servos indicant. Ægyptij ab ea, quæ à sexta plurimùm distat, idem Ptolemæus à sexta, & à prima significari putat, reliqui à sexta. In quinta domo Arabes, & Latini investigant filios, Ptolemæus in decima, & undecima. Porphyrius in decima domo natorum & parentum notam suspendit. Secunda domus significat subitam spem recentioribus, ut Cardano ibidem, veteribus divitias. Conjugia plures ab occidente divinant, Alidorus à medio Cœli, Ptolemæus negligit utrumque, à tertia Cardanus, moderni itinera & labores conjiciunt. Alii hæc petunt à nona: ita quòd fatendum sit nemini Astrologiam constare certis experimentis, nullamque certam ex stellis præsagiendi disciplinam reperiri.

Ignorant namque Arabes monomorias, quas irrident Græci, Ægyptij venerantur. Nulli rei magis adhærent Astrologi recentiores, quàm directionibus & revolutionibus, ac ijdem fatentur in qualibet genesi plurimas esse directiones, & revolutiones irritas. In genesi Ferdinandi Imperatoris qui natus est anno 1503. die decima Martis, hora nona, m. 50. Caroli V. Elizabethæ Anglicanæ, quæ nata est 1505. die 8. Septembris hora duodecima, m. 4. & aliorum directiones fuere irritæ ac inanes. Hieronymus Cardanus *lib. 20. genit.* 45. ea, quæ de Francisco Sfortia, Mediolanensium Duce, anno 1481. die 23. Junii hora 20. post occasum nato, ex natalitiis astris collegerunt, fatetur ingenuè, eadem de eo pronunciati potuisse, si uno die ante eadem hora natus fuisset. Martini Lutheri hæresiarchæ circumferuntur genituræ diversæ ab illa quam Cardanus eo loco affert. Ex omnibus tamen eandem vitæ improbitatem, proditionem religionis, eandem impietatem, eandem labem morum, eundem vitæ exitum deducunt. Quare Tichones *lib. de nova stella*, inquit: Silentio præterire non possum, quàm inconsideratè tam Gauricus, quàm Cardanus natalitium Lutheri tempus unà cum cœlesti schemate designarit. Natus est anno 1481. die 10. Novembris hora prima ante mediam noctem sequentem, cum tamen Gauricus integro anno post nativitatem ejus assignet; & licet Cardanus quoad annum rectiùs sentiat, ambo tamen aberrarunt.

Quid igitur certi in errantium Astrologorum dissidiis haberi poterit, quando homines intellectu lyncei, studio pertinaces, scientia etiam doctissimi tam latè lapsi sunt, sic in diversum abierunt, ut credas eos non ad docendam Astrologiam sed ad dividendos seipsos convenisse. Quare minùs equidem miror, non posse Astrologiam à Natura præstari. Quomodo enim daret illa quod non novit? Quomodo autem noverit, quod scientissimi illius nesciverunt? Neque quidquam de Astrologia ex illis certius colligi potest, quàm esse ipsam incertam. Propter quod ego desinam viritim eos improbare. Quod enim pretium operæ ruentes impellere? Aut (quod insanius foret) rudera ipsa & ruinam demoliri? Plerique eorum non inimico, sed risu digni sunt, optimè supplodendi, si negligantur. Sed quoniam illi sibi invicem non segnius, quàm nobis adversantur, ostendam, ni fallor, quam immeritò singuli opinionibus suis veritatem, objectis Astrologiam vindicant.

CONSULTATIO CIV.

Recensent pro se primùm Astrologi plures veras prædictiones. De Nigidio Figulo ex Suetonio in Augusto, jam diximus. De Tiberio ultra præsagia futuri ejus principatus, apud Sueton. cap. 14. ita Lipsius in monit. & exempl. mon. 5. n. 12. quem alibi adduxi.

ERat in Comitatu Tiberii, mathematici titulo Thrasyllus, cùm Rhodi in exilio ageret, & Cajus, ac Lucius Cæsares etiam vivebant. Non desinebat tamen iste identidem Tiberio fidem facere certi Principatus; sed parum credulo, & jam de dolo etiam suspectanti, & ne subornatus ab æmulis ad eliciendas arcanas aliquas voces esset; atque adeo perdere eum statuit, & clam necare. Rhodi domum habebat, & in ea turrim, quæ rupibus imposita, mare ex alto despectabat. In hanc turrim ducit Thrasyllum cum uno fido, & valente liberto comite, certus, ut dixi, tollere, nisi fidem ei faceret prædictionis. Cùm ascendissent igitur, cœpit interrogare, soli sumus, dic per quidquid carum habes, vera hactenus mihi dicis? De imperio etiam affirmas? Ille iterare, & sidera sic velle. Si de meo igitur statu compertum inquit, ex sideribus habes, de tuo & quid ais? Inspice. Ille thema ponere, situs ac spatia considerare, denique timere, pallescere, & exclamare, anceps, ac propè ultimum discrimen instare. Eo dicto complexus hominem Tiberius, verè conscium futurorum asserit, & quod de ipso meditabatur, si non satisfecisset, pandit. Aliud mirandum refert ibidem Suetonius: Ambulabat Thrasyllus in littore cum eodem Tiberio, navis longè conspicitur, ille statim affirmat Roma venire, & litteras, nuntiosque ab Augusto de reditu ejus afferre.

Aliud. Fuit Largius Proculus quidam, vir inter illustres, qui publicè in Germania prædixit, ipso tali die Domitianum obiturum. Cumque res ea ad Præsidem dimanasset, gratificaturus Domitiano, & simul quia hæc prætagia verita, vinctum eum Romam misit. Nec negavit, cum introductus ad Domitianum esset, imo magis magisque asseveravit. Jussus igitur in carcerem recludi, & asservari, donec dies is transisset tum puniendus, imo, ut res docuit, tum liberandus, & præsagii suspiciendus.

Aliud item. Fuit eodem tempore Ascletario mathematicus, qui & diem & genus mortis Domitiani apud quosdam dixit. Vocatus ab ipso, eadem iteravit, quærentique Domitiano, ut eluderet; tu igitur qua morte periturus? Ille statim, fore, ut à canibus laniaretur. Tum Imperator ad fidem coarguendam extemplo abduci, & vivum exuri jussit, sive, ut Suetonius *in Domitiano*, priùs interfectum. Sed ut cunque horum, tamen extra Urbem via Latina homo uritur, scilicet ut nihil reliquum è cadavere esset, quòd canes laniarent. Sed ecce nimbus subitò ortus rogum extinguit, & ministri semiustum relinquentes, diffugiunt, canes superveniunt, & vorant. Vespere cœnanti Domitiano inter alias fabellas ejus diei id refertur, & valde eum, sed frustra commovit. Munit se, domi hæret, neminem admittit, sed sui eum reperiunt, & Stephanus, cubiculariorum primus cædem patrat.

Id ipsum, quod Thrasyllo, accidit etiam Gaurico, qui cùm Joannem Bentivolum hortaretur, ut ad pe-

des Julii secundi se reciperet, secus ipse cum suis omnibus profligaretur, soloque ædes suæ æquarentur, ipsius jussu tormentis affectus est, quæ omnia multò ante à Coclite Bononiensi illi prædicta fuerant. Bentivolo autem evenit, ut fuerat prænunciatum.

De Cardano etiam refertur, cùm notaret genesim Catharinæ Mediceæ, uxoris Henrici secundi, Galliarum Regis, qui violento casu obiit, in hæc verba prorupisse: *Quoad Regem vereor à fatis quidquam dicere.* Cùm enim natus esset anno 1519. die 30. Martii, hora 19. m. 9. mortuus fuit violenter anno 1559. die 30. Julij. De Henrico tertio, Galliæ pariter Rege, à suo mathematico sæpissimè monito, ut sibi caveret, tandem anno 1589. miserrimè confossus fuit. Addunt his Henricum Quartum ab omnibus suis mathematicis multò ante quàm casus accideret admonitum, præsertim à Bombaste, Coifiero, Labrossa, & à Peselio, ut sibi caveret anno 1610. mense Maij, neglectis omnibus, in publica via, eodem tempore, eadem die, & hora quàm omnes prædixerant cavendum, in proprio curru à sicario, ferro interemptus est. Consulenti Agrippinæ super Nerone, responderunt Chaldæi, *fore ut imperaret, matremque occideret*, atque illa, *Occidat*, inquit, *dum imperet*, Tacit. annal. 14. Quòd factum.

Profert speciatim Rophenus Picum Mirandulanum, qui duodecim libris astrologicas rationes refellens, ab Astrologis ad experimentum provocatus, & inspecta ejus genesi, trigesimo tertio ætatis anno illum à vivis emigraturum, omnes decreverunt, nec eos fefellit eventus, illo enim anno decessit Picus. Quo uno experimento existimarunt omnes astronomi duodecim illis libris, quos adversus astrologiam evulgaverat, responsum satis. Idem aiunt de Hieronymo Savanarola, quo infensiorem non habuit hostem Astrologia, defuncto eo mortis genere, quo ab Astrologis prædictum fuerat. Mortuo Leone decimo Pontifice maximo, tradit idem Rophenus, quæsitum fuisse ex Paride Cœretario, Mantuano Astrologo ea tempestate celeberrimo, an Cardinalis Farnesius ex astris aspirare posset ad Pontificatum, qui in hæc verba, ut Cardanus refert, respondit: Sidera pro nunc non sunt disposita, sed in aliud tempus erunt benigniora. Pollicentur enim assumptionem ad summum gradum anno 1534. ob directiones Solis ad trigonum Mercurij cum testimonio Jovis, & Saturni, quo anno ille renuntiatus fuit Summus Pontifex. Nec fuit mirum ait Cyprianus Leontius *lib. 8. aphorism.* violentam mortem Petri Aloysii ex genitura cognoscere, ex qua Lucas Gauricus, Lucius Belantius, aliique permulti necem die 10. Septembris anno 1547. Placentiæ paratam, multò ante prædixerant; quorum suasu Paulus tertius literas illi dedisse fertur, quibus significaverat, ut caveret à die 10. Septembris, quo interemptus fuit. Sub hoc tempus, ipsum, inquit Sleidanus *lib. 9. comment.* Aloysio scribit Paulus tertius Pontifex, ut caveret ab illa die. Astra enim prænunciare aliquam insignem cladem. Acceptis literis erat in metu, & cum dies illa venisset magno cum comitatu lectica deportatus ex arce egreditur, ut urbis munitionem, quam instituerat, videret. Aderant conjurati, sed cùm ibi minimè possent, quòd vellent, exequi, subsistunt, & redeuntem domum comitantur, & tanquam officij causa præcedunt. Vix autem in arcem pervenit, cum ipsum strictis pugionibus petunt, iteratisque vulneribus confodiunt.

Omitto genesim Alexandri Medicei, quam idem Cyprianus, Cardanus, Basilius describunt, Caroli quinti Imperatoris, Marcelli Cervini Pontificis; qui ex Hermete natus est anno 1501. Sexta Maij, cujus pater Astrologus publicè dixit: Hodie est mihi natus summus Ecclesiæ Antistes, Clementis VII. Julii II. Alexandri VI. Pauli II. Leonis X. qui, cùm à Julio secundo creatus esset Legatus Apostolicus apud exercitum Hispanorum, & Italorum contra Gallos anno 1512. propè Ravennam, profligato exercitu Pontificio, cæsisque Hispanis militibus à Gallorum, & Alphonsi Ducis Ferrariæ copiis, ab exercitu inimico comprehensus, & ductus ultra Padum juxta Mantuanorum civitatem in quodā contubernio detentus est, ex quo loco Arnaldus Papiensis, miles strenuus secum Legatum reduxit, quem Mantuam ingressum Franciscus Marchio regali excepit hospitio. Ibi Lucas Gauricus eo tempore degebat cum quodam monacho, qui, testibus iisdem Gaurico & Arnaldo, ita est cum Legato loquutus: Vaticinor tuæ Celsitudini alteram Legationem magis honorificam, deinde non multis mensibus post, omnes tui ab urbe florida profugi, in patriam redibunt hilares cū honore maximo, & tu eris propediem Summus Antistes. Quod num evenerit, ex publicis documentis liquidæ veritatis est. Statim enim ac liber evasit, cùm ad civitatem Ticinensem advenisset, Julius secundus illi pro munere dedit Legationem, & post illius mortem erectus est Pontifex Maximus, cùm ageret annum ætatis suæ trigesimum octavum, consanguineosque omnes, & parentes Florentiæ restituit.

Joannes de Lignano, doctissimus Jurisconsultus ac celebris astronomus prævidens ex genitura filium suum cruci affigendum, volensque fatali geneseos dispositioni prospicere, eum sacris initiari, ac liberalibus disciplinis apprimè fecit erudiri. Sed ne sic quidem evitare potuit vim fati. Nam cum eum patria Bononiensis pro pace componenda ad Martinum Pontificem maximum legatum misisset, & ipse magis ad exitium, quàm commodum, patriam clanculo prodidisset Pontifici, idque post reditum Dominis innotuisset, eum nocte in furcas suspenderunt, quem, illucescente die, cum pater pendentem vidisset, deplorans dixit: *Eheu fili mi, tuum infelicissimum fatum nec humanis literarum adminiculis, nec divinis ministeriis superare potuisti.* Cicero quoque *de nat. Deorum* affert exemplum duorum fratrum, qui cùm simul nati essent, etiam simul postea ægrotare cœperunt, & eorum morbus pariformiter cœpit ingravescere, & eodem medicamine sanati sunt, de quibus ait Possidonius astronomus, quòd ideo hæc æqualiter, ac uniformiter illis acciderunt, quia constitutionem eandem astrorum in conceptione, & nativitate habuerunt.

Sed his, atque aliis respondetur aperiendo causas, cur permultæ quorumdam Astrologorum prædictiones veræ fuerint, & cum rebus ipsis eventisque mirabiliter congruentes. Licet autem prædictiones Astrologorum plerumque falsas esse, verissimum sit; Quoniam tamen & olim proditum est à multis, hodieque admodum vulgare est, quin etiam à gravibus viris, quibus non credere difficile est, pro certo traditur, fuisse quosdam Astrologos, quorum pleræque omnes prædictiones veræ fuerunt, usu ipso, eventuque comprobatæ, & vix unum, aut alterum de plurimis eorum prædictis secus evenit, quàm illi prænunciaverant. Concessa igitur veritate hujusmodi prædictionum, causas ejus disquiramus, qua scilicet ratione certò potuerint ab Astrologis futura prænunciari quæ, quòd incerta sunt, vim & notionem humanæ intelligentiæ fugiunt. Equidem asseveranter affirmo, si quæ prædictiones Astrologorum veræ fuerunt, earum veritatem

non

non ex veritate, firmitateque artis astronomanticæ, cum nullam esse, satis superque ostensum est, sed aliis ex causis proficisci, quæ quatuor sunt.

Prima est. Veritas istarum prædictionum nonnunquam provenit ex pacto, & societate, quam init Astrologus cum dæmone, vel ex occulto ejus afflatu, & instinctu, quo etiam nescientes homines ad divinandum instigantur. Hoc tradit Augustinus *extremo cap. 7. lib. 5. de civit. Non immerito*, inquit, *creditur, cum Astrologi mirabiliter multa vera respondent, occulto instinctu fieri spirituum non bonorum, quorum cura est, has falsas & noxias opiniones de astralibus fatis inserere humanis mentibus atque firmare, non horoscopi notati, & inspecti aliqua arte, quæ nulla est.*

Dæmon autem suggerit homini, quod ab eo divinetur, vel palam se oculis ejus aspectabilem, & conspicuum offerens, eumque futura humanis verbis prædocens, vel formatis in aëre vocibus præsignificantibus futura citra ullam corporis speciem, & figuram; vel immissa scriptura aliqua, quæ futurarum rerum prædictiones contineat; vel dormienti per somnia, aut vigilanti; afficiendo, & commovendo phantasiam, fingendoque phantasmata idoneè ad repræsentandum id, quod divinandum est, atque imitando hominem ad prædicendum id, id quod repræsentant phantasmata. Scire autem potest dæmon futura, quæ prædocet hominem, revelatione Dei per bonos Angelos ei facta. Nonnunquam enim Deus ad agendum aliquid utitur dæmonum ministerio.

Solet etiam dæmon prænunciare homini futura, quæ ipsemet postea facturus est. Solet ob incomparabilem sui motus celeritatem, quæ in longinquis locis, remotisque mundi regionibus geruntur, ea ad homines, qui longissime absunt, deferre. Potest item dæmon ex clandestinis consiliis, verbis, scriptis, ex signis, quæ in corpore, tam exterius, quàm interius apparent, occultas hominum cogitationes, & deliberationes, tam præsentes, quàm futuras solertissime conjectando, cognitas habere. Idemque conjicit ex præparatione causarum, aliarumque rerum, quæ ad gerendum aliquid debent concurrere. Denique ob incredibilem subtilitatem, & solertiam mentis, ob tantam tot millium annorum experientiam, propter perfectam rerum omnium naturalium, absolutamque scientiam, callidissimus, atque sagacissimus est ad præsentiendum, ac prænoscendum futura.

Hoc ipsum, quod hîc docuimus, quia perspicue tradit Augustinus *in lib. 2. de Genes. ad lit. cap.* 17. libet verba ejus adscribere. *Deo fato*, inquit, *siderum qualeslibet eorum argutias, & quasi de mathesi documentorum experimenta, quæ illi Apotelesmatica vocant, omnino à nostræ fidei sanitate respuamus. Talibus enim disputationibus etiam orandi causas nobis auferre conantur, & impia perversitate malis factis quæ rectissime reprehenduntur, ingerunt, accusandum potius Deum auctorem siderum, quàm hominum scelera. Ideoque fatendum est, quando ab istis vera dicuntur, instinctu quodam occultissimo dici, quem nescientes humanæ mentes patiuntur. Quod cum ad decipiendum homines fit, spirituum seductorum operatio est, quibus quædam vera de temporalibus rebus nosse permittitur; partim quia subtilioris sensus acumine, partim quia corporibus subtilioribus vigent, partim experientia callidiore propter magnam longitudinem vitæ, partim à Sanctis Angelis, quod ipsi ab omnipotente Deo discant etiam jussu ejus sibi revelantibus, qui merita humana occultissimæ justitiæ sinceritate distribuit. Aliquando autem iidem nefandi spiritus etiam quæ ipsi facturi sunt, velut divinando prædicunt. Quapropter bono christiano, sive mathematici, sive quilibet impie divinantium, maxime dicentes vera, cavendi sunt, ut consortio dæmoniorum animam deceptam, pacto quodam societatis irretiant. Hactenus verba Augustina.*

Istos autem veridicos, ut ferunt, Astrologos, dæmonum esse familiares, ac discipulos, multa, nec obscura sunt indicia. Primo improbitas morum, vitæque impuritas, & sordes. Tum contemptus omnium, quæ ad Christianæ disciplinæ, ac pietatis cultum, exercitationemque pertinent. Postea odisse lucem, fugitare conspectum, congressumque hominum, raro versari in publico, fere in obscuro, & abdito, proculque arbitris vivere. Ad hoc, de ipsorum fide, ac religione, mala, nec sanè immerito, ac temerè, hominum existimatio. Denique multi de istis capti à Censoribus fidei nostræ, vel ultro, vel coacti, habita scilicet quæstione, admotisque cruciatibus, suam cum dæmone societatem, & familiaritatem confessi sunt.

Secunda causa. Astrologos divinare futura nonnunquam accidit ex occulta divinæ providentiæ dispositione, quæ, ut in 4. & 7. libro confessionum inquit Augustinus, cœcas & improbas mentes consultorum aliquoties ignoto quodam instinctu sic agitat, ut nescientes proferant, quæ consulentes, vel ex eorum meritis, vel ex abysso justi judicii Dei oporteat audire.

Huc referre etiam convenit sortes antiquis usitatas, quando videlicet versibus alicujus poëtæ sortito acceptis, quid eis futurum portenderetur, inquirebant. Quo modo nonnunquam contingebant illis carmina, vel præsentibus, vel futuris negotiis mirè congruentia; velut Alexandro Severo, etiamnum adolescenti, nec imperium speranti, dum Virgilianas sortes scrutatur, versus *ex libro Æneidos 6.* exiere, qui futurum illi imperium præsignificabant his verbis:

Tu regere Imperio populos Romane memento;
Hæ, tibi erunt artes, pacisque imponere morem
Parcere subjectis, & debellare superbos.

Nec mirum ita evenire, Deo volente, ideoque mentem movente, linguam moderante, & sortes apte ad id, quod præsignificari vult, miscente, ac temperante; qui non solum ex ore Balaam ariori, & falsi vatis, sed etiam ex ore asinæ, qua ille ariolus vehebatur, verissima futurorum edidit oracula... Sed de his alibi jam dictum.

Neque hoc loco prætermittendum est quod valde sapienter, & salutariter more suo monet Augustinus *lib. 2. de doctr. christ. cap. 22. & 23.* Ait enim permissu Dei nonnunquam usu venire, ut dæmones, vel per ipsos etiam homines multa vera prænuncient, quod nonnulli ejusmodi divinationum, etiam cum superstitione, atque impietate nimium studiosi, atque curiosi, noxia persuasione seducti, in majora, & magis execranda flagitia, ita se derelinqui à Deo promeriti, præcedentibus suis peccatis, prolabantur. Præstat hic Augustini verba subscribere, valde observanda. *Hinc fit*, ait, *ut occulto quodam judicio divino cupidi*

capite malarum rerum homines tradantur illudendi, & decipiendi pro meritis voluptatum suarum illudentibus eos, atque decipientibus prævaricatoribus Angelis, quibus ista pars mundi infima secundum pulcherrimum ordinem rerum, divinæ providentiæ lege subjecta est. Quibus illusionibus, & deceptionibus evenit, ut illis superstitiosis, & perniciosis divinationum generibus multa præterita, & futura dicantur, nec aliter accidant, quam dicunt, multaque observantibus secundum observationes suas eveniant, quibus implicati curiosiores fiant, & se se magis, m gisque inserant multiplicibus laqueis perniciosissimi erroris. Hoc genus fornicationis animæ salubriter divina Scriptura non tacuit, neque ab ea sic deterruit animam, ut propterea talia negaret esse sectanda, quia falsa dicuntur à professoribus eorum; sed etiamsi dixerint vobis, & ita evenerit, ne credatis eis, Deuter. 13. 1. Reg. 28. *Non enim quia imago Samuelis mortui Sauli Regi vera prænunciavit, propterea talia sacrilegia, quibus imago illa præsentata est, minus execranda sunt; aut quia* in Actibus Apostolorum 16. *ventriloqua femina verum testimonium perhibuit Apostolis Domini; ideo Paulus Apostolus pepercit illi spiritui, ac non potius illius dæmonii correptione, atque exclusione mundavit. Omnes igitur artes hujusmodi, vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum & dæmonum, quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta, penitus sunt repudianda, & fugienda Christiano.*

Tertia causa. Non pauci divinant, non tam peritia artis Astronomanticæ, quæ nulla est, quam singulari quadam sagacis ingenii solertia, & multiplici humanarum rerum peritia, usuque, & exquisita eorum hominum, quibus divinatio fit, negotiorum, morum, studiorum, & ingeniorum observatione, atque notitia. Etenim quidam sunt, qui perspectis quorundam hominum temperamentis, & affectionibus corporum, studiis item, exercitationibus, aut vitiis, multa eventura eis prævident, ipsisque magna asseveratione, & autoritate prænunciant, ac plerumque divinant. Ad hoc genus divinationum pertinet, si quis Principem tyrannico tractantem cives, & crudeli dominatu prementem, à suis eum occisum iri prædixerit, hominemque frequentissimum in furtis, & rapinis suspendio periturum, religionis contemptorem contra veritatem fidei, & Ecclesiæ Catholicæ autoritatem ignis supplicio mulctatum iri. Hoc genere divinationis usus est Annibal, qui, perspecta imperitia, atque temeritate Terentii Varronis & C. Flaminii Romanorum Coss. & Imperatorum, Afris victoriam, Romanis insignem cladem valde fidenter prædixit, eamque prædictionem mox certaminis exitus plurimis Romanorum millibus interfectis, comprobavit.

Quarta causa. Non rarò Astrologorum divinatio vera existit ob stultam consulentium credulitatem. Multi namque facillime credunt, quæ dicuntur ipsis de rebus, quas vel maxime optant, vel timent vehementer, atque perhorrescunt. Solet enim ejusmodi credulitas instillare animis consulentium magnam spem rei bonæ ab Astrologis promissæ, vel ingentem metum injicere tristium & acerborum casuum, calamitatisque ab illis prænunciatæ. Hi autem duo affectus animi, cùm potentissimi sint ad afficiendum, & commovendum hominem, crebro efficiunt, certe multum proficiunt, ut humana negotia ad prædictos fines perducantur, Etenim vehemens quædam spes, ardensque desiderium excitant, atque incitant homines, ut ad bona ipsis promissa sedulo se comparent, & omnibus suis opibus, viribusque contendant. Quo fit, ut ob eam rem plerumque quò intendunt, optatorum suorum, & alienorum promissorum compotes facti, perveniant.

Contra verò metus, pavor, horrorque prædictorum malorum, atque calamitatum sæpe faciunt homines cunctanter, ac dubitanter aggredi negotia timidè, ac negligenter persequi, & quocumque objecto impedimento turpiter ac infeliciter deserere, eaque ratione in prænunciata ipsis mala delabi. Luculenta ejus rei exempla reperimus in Romano exercitu, cui, ut scribit Livius, cùm auguria, & auspicia secreto inspecta infaustum belli exitum minarentur, auspices, & duces, ne militem in arma euntem funesto nuncio consternarent, versis in contrariam partem auspiciis, omnia fausta & triumphalia portendi, & à Diis promitti mentiti sunt; quo mendacio utiliter decepti milites, alacriter prælium inierunt, fortiter pugnarunt, & hostes, quos auguria victores fore præmonstrabant, feliciter vicerunt. E converso vero cùm Nicias, dux classis Atheniensium incognita sibi Lunæ defectione portendi ratus classis naufragium, si ea nocte portu egrederetur, cùm stulto metu occupatus, oppressusque discessum differt, à Syracusanis cum tota classe captus est.

Præterea respondetur cum D. Thoma, inconsulte, casu, temere, ac per accidens prædici futura fortuita, præcipue libera. Infinita enim passim prædicuntur ab Astrologis, quæ non comprobantur. Nec mirum. Qui enim assidue talis ludit, nonnunquam Venerem jacit. Sic isti cùm millies mentiantur, quid mirum, si interdum verum dicant? Quemadmodum qui è domo egressus, pergit ad forum, cadente lapide casu, occiditur, sic casu, fortunaque, non ex syderum constellatione quandoque vera dicunt Astronomantici. Quis est enim, ait Cicero *lib. 2. de divinat.* totam diem jaculans, non aliquando collimet? Verè ideo Medina inquit: Hæc est temeritas, ac stulta credulitas, ut quis Astrologo sæpe falsa dicenti, si in uno verum dicat, fidem adhibeat, veluti divinam, cum tamen hominem, alioquin probatum, si semel in mendacio deprehendat, indignum cui credatur, omnes arbitrentur.

Neque verò id oratione solum, sed multò magis factis comprobemus. Hebræi illi, qui Leoni Isaurico vera quædam dixere, ob mendaces tamen prædictiones Arabia fuerunt expulsi, cùm Zitani Principem in infelicem eiconoclastiam propulissent, teste Zonara *tom 3.* Quis nescit Constantinum Stethatum Amentianum, qui & sibi, & Alexio Branî stulto vaticinio exitium attulit? Quis de Pancratio non legit, eum & Constantino, Irenæ filio Imperii cladis maximæ, & ipsi sibi necis causam fuisse? Quis ignorat Petri Leonis Spoletani inanem hujus mathesis fiduciam, quæ Laurentio Mediceo, ac ipsi exitio fuit? Jovius *in elog.* Joannes, secundus Pontifex vitæ sibi longinquitatem ex siderum positura coram familiaribus suis in Pontificatu cùm promisisset, quartum post mensem prædictionis inopinanter corruente testudine novæ structuræ Viterbii oppressus, interiit, autoribus Valerio & Stella in vitis Pontificum. Audiamus Marianam *in histor. Hispan.* quid testetur de Alphonso, dicto Sapiente, re tamen vera stulto, quem

quem astrologia infatuavit. Emanuel, ait, patruus, suo, & aliorum procerum nomine Alphonsum publica sententia in conventu pronunciata, regno privavit, ea calamitate dignum, quod divinæ providentiæ opera, & humani corporis fabricam, insignis linguæ procacitate, ingentique confidentia accusare ausus fuerit, ut vulgo hominum opinio est, ab antiquo ducta per manus, stoliditatem Numen justissime vindicavit. Sapientiæ vanæ persuasio huc insipientiæ perduxerat. Sed forte astra memorant, portendisse ejus artis non ignaro, si ars est, & non potius inane mortalium ludibrium, quod à prudentibus semper accusabitur, sed tamen patronos habebit, ex eo ferunt suspicacem esse redditum, & ex metu crudelem.

Liquet omnibus Galeacii, Ducis Mediolanensis, egregium factum. Cùm enim Astronomanticus quidam ei mortem immaturam certo pronunciaret, sibique longissimam vitam, temerarium ridens ille stoliditatem, strangulari eum jussit. Vulgaris est Ludovici Sfortiæ, Ducis item Mediolanensis vanitas ex Cardano *in Ptolemæum lib.* 1. *tex.* 4. de qua conqueritur Caietanus. Is enim habebat secum Astrologum individuum comitem, in quem plus centum auri talenta profuderat. Astrologus pro tanta mercede tempus unicuique negotio interdum præscribebat adeo ridicule, ut Princeps, alias prudens, & virtutis ac religionis amator, cogeretur imbribus, nimbis, procellis, turbinibus, cæterisque tempestatibus equum conscendere, & cum aulico comitatu, ac stipatoribus aliò migrare, non secus ac si hostium manus fugeret, tam infelici eventu, ut regno tandem à Gallorum Rege spoliatus, qui arbitrum Italiæ se jactabat, eratque; captus tandem, in carcerem conjectus, colapho cæsus claususque in clatris ferreis, obiit ad fortunæ utriusque, suæque stultitiæ ludibrium.

Quid de Petro Aloysio Farnesio dicam? Is jam de conjuratione certus, cœterum de personis, ac loco ignarus, ad vetitas artes postremo confugit, & incantationibus, ut rumor est, evocatum dæmonem de conjuratorum nominibus interrogavit; ille verò nihil aliud quàm ut diligenter in suam monetam inspiceret, respondit, in ea quippe locum conjurationis, & consciorum nomina repertum. Id verò tunc minime intellectum pro delusione habitum, quod facta cæde verum fuisse, compertum est. Nam cum in antica parte Farnesianorum nummorum scriptum sit, P. ALOIS. Farn. PARM. & PLAC. DUX. vocis, Placentiæ, ut cædes facta est, prima quatuor elementa Pallavicinos, Landum, Anguiscolam, & Confalonerium designasse. Quod inter memorabilia magicæ, atque astrologicæ delusionis exempla merito recenseri potest.

Quare Plotinum magni nominis Philosophum Platonicum scribit Porphyrius, cùm diligentem astrologiæ operam dedisset, comperissetque tandem artis vanitatem, falsitatemque prædictionum, omnem Astrologiæ fidem abrogasse. Hinc libro, cui titulus de stellarum efficientia, risit & confutavit Astrologorum dogmata. Quod ægre ferens Maternus multa super ejus mortem mentitur, quasi de eo pœnas sumpserit fatum. Nam illa esse talissima ex Porphyrio, ipsius Plotini discipulo, facile intelligitur, qui & genus morbi, quo discessit, & causam cur Roma discesserit, plane, fideliterque describit. Quod vero ad Pici mortem, poterat quisque vir prudens absque inspectione astrorum prædicere illius mortem, visa facie, corpore imbecillimo, assiduis infirmitatibus fracto; Et de Savanarolæ morte violenta, cùm hic prædicaret contra Principem dirum ac immanem, narrant plures historici, concitatam fuisse partem populi contra ipsum ad necem usque, inique tamen apud Illescam *in hist. Pontif.* & Bzovium *tom* 1. *Annal.* qui & refert Alexandrum Pontificem, deplorando illius mortem, dixisse, potius canonizari, quàm condemnari virum, zelo accensum, debuisse. Potuerunt & Astrologi hosti vanitatis astrologicæ prædicere quod casu evenit, præcipue si constiterat illis Sanctum Franciscum Paulanum divinitus ejusmodi genus mortis per epistolam revelasse.

Deinde sic arguunt. Grandines, nubes, nimbi, fulgura, & tempestates à cœlis, atque planetis efficiuntur, assumpto à terra vapore. Pestilentiæ, infirmitates, brutorum contagia, similia constat à cœlorum defluvio proficisci. Ergo & ab iisdem in homines dantur mutationes, & majores quidem, nempe in corporum temperamento, in moribus, habitibus, ac propensionibus, salva tamen arbitrii libertate. Nam ex eisdem constant elementis, & qualitatibus corpora nostra, ac rationis expertia. Quare in brutis quasdam esse propensiones, neminem latet, dum quædam ad iram, alia ad mansuetudinem inclinant per siderum ac planetarum diversum afflatum. Idem igitur affirmandum de hominibus secundum varios humores, varias propensiones, & affectus appetitus sensitivi concomitantes. Quod est præcipuum argumentum Ptolemæi, Saturnum hæc influere, illa Jovem. Quia Saturnus est siccus & frigidus, Jupiter calidus & humidus, Mars siccus magis & fervidus. Ita de Planetis. Idemque sentit de stellis fixis, reliquas scilicet producere concomitanter ad primas qualitates, quas imprimunt. Et in rebus terrenis videntur quædam excellentes & admirabiles proprietates, quæ reduci non possunt in elementa, & illorum primas qualitates, sed in cœlestium corporum influxus. Ut quod magnes trahat ferrum; æstus marinus, hic sit idoneus ad medendum, iste ad artes mechanicas, illa ad navigationem. Videmus item homines ita voluptatibus, ac libidini addictos, ut inde nulla persuasione abduci valeant, docetque Aristoteles, molles carne aptiores esse ad scientias. Mens igitur, ac ingenium sequitur corporis constitutionem.

His atque aliis hujusmodi respondeo. Meteorologica à cœlis juxta dispositiones causarum inferiorum quoad partem sensitivam proveniunt. Quare à cœlis tantum nequeunt certò conjici; ideoque ephemerides, ac prognostica lunaria quandoque fallunt. Homines autem inclinantur quidem ad mala ex prava institutione, ex improba consuetudine pravè vivendo; non tamen propterea negamus propensiones cœlestes, quas sapientibus subjicimus. Temperamentum verò juvat intellectui, qui sensibus indiget, illorumque organis corporeis; at temperamentum, etiam materiale, non à cœlo solum, sed à dispositionibus aliis sublunaribus determinatur, potestque homo semper, ut sæpe diximus, agere contra id, ad quod temperamentum inclinat, & solicitat, maxime si sit probe institutus. Addoque cum Medina, quod, etiamsi rationalis anima mortalis esset, cœlum non posset eam cogere, ut necessario sequeretur siderum constellationem,

lationem, & corporis constitutionem, sed adhuc haberet spontaneitatem. Unde bruta animantia non necessitantur, ut sequantur suas complexiones, quia potius possunt eis resistere, Si quis enim una manu ostenderet cani famelico cibum, altera baculum, certe hoc metu detineret canem, ejusque impetum naturalem, ne cibum apprehenderet. Quo probatur non esse bruta sicut res inanimes, determinatæ ad unum, sed juxta sensitivum appetitum appetunt bonum, fugiunt malum. Hic enim est eorum instinctus naturalis. Non tamen cognoscunt rationem boni, neque reddere sciunt causam, neque desinunt dependere à cœlis cum suis potentiis. Sunt enim corporeæ ac sublunares, & consequenter à Luna, & à cœlis suscipiunt impressiones physicas, secundum quas, & secundum instinctum naturalem moventur, etiam ad opera, quæ prudentiam redolere videntur. Unde non est ita in homine. Nam homo est liberi arbitrii, à Deo tantum dependens. Anima autem, ejusque potentiæ spirituales sunt, atque adeo directe independentes à cœlis. Quod vero in rebus terrenis videantur quædam excellentes, & admirabiles qualitates, quæ reduci nequeant in elementa, ac in illorum primas qualitates, negant Joannes Picus *lib.* 3. Torreblanca, & alter Picus, concedit tamen Divus Thomas *in* 2. *dist.* 15. *articul.* 1. *ad* 1. *& in quæst. de Spiritu lib. creat. articul.* 8. *ad* 12. *& in* 2. *de cœlo, & in* 1. *part. loc. cit. & quæst.* 70. *articul.* 5. *ad* 2. ex quibus *loco citato* contra gentes admittit regulam Ptolemæi, de nato sub Mercurio in aliqua domorum Saturni, quod excellat ingenio, & ad studia literarum idoneus. At ex hoc non infertur divinatio, sed conjectatio incerta quoad propensionem, & generatim quoad actus liberos nihil determinando, vel affirmando.

Hinc idem Divus Thomas *ex opusc.* 28. *& opusc.* 15. *articul.* 39. quærens, an licet, ascendendo immediate Mars, sit supra Solem, quantum ad situm, tamen sit immediate supra Lunam quantum ad dominium in hora Martis, ita respondet. Si dominium Martis & Lunæ referatur ad liberum arbitrium, est erroneum. Si autem referatur ad res corporales & naturales, nulla sequitur absurditas in fidei doctrina. Dicit enim Augustinus *de civit. Dei:* Non usquequaque dici potest ad solam corporum differentiam afflatus quosdam valere sidereos. Imo etiam hoc verum est secundum ordinem dierum. Nam cum septem planetis septem horæ secundum Astrologos deputentur, cum viginti quatuor horæ sint naturalis diei, consequens est, ut prima feria in vigesima secunda hora diei Luna dominium habeat, sicut & in prima ejusdem. Unde recedendo à Saturno, vigesima tertia hora ei deputabitur, & vigesima quarta Jovi, prima diei sequentis Marti deputabitur. Sed hoc nihil ad doctrinam fidei pertinet, nec asserere, nec improbare. Ex quibus Divus Thomas approbat tantummodo influxum cœlorum, & planetarum in subcœlestia corpora, quodque diversis horis, atque momentis influant. Quod & verum est. Nobis tamen non est undequaque notum; nec si unum, aut alterum dicatur, fidei præjudicat, cùm remaneat salvum, purum, ac illibatum liberum arbitrium.

Arguunt præterea, quod Plato, aliique nobiles Philosophi regiones plurimas peragrarunt, ut artem numeratoriam addiscerent, asserente Aristotele, quod qui illam calleret, esset omniscius. Nec loquebatur, ait Picus de arte numeratoria mercatorum secundum arithmeticam, aut geometriam apud Cosmographos. Hæc enim non potest id docere. Quærebant igitur Astrologiam judiciariam, quæ numeratione siderum, orbium cœlestium, & planetarum, eorumque commensuratione, ac numerorum supputatione constat. Ideoque est vera, & certissima scientia, ac subinde à Deo, ac proinde licita.

Huic argumento respondeo cum Pico, quod Philosophi quærebant scientiam omnium rerum, quatenus sunt conditæ numero, pondere ac mensura *Sap.* 11. Quare D. Thomas *part.* 1. *quæst.* 65. *in fine articul.* 7. *post* D. Augustinum *lib.* 6. *de Trinit. cap. ult.* docet in qualibet creatura, etiam insensibili, reperiri vestigium Sanctissimæ Trinitatis, quatenus scilicet quælibet creatura subsistit in suo esse, & habet formam, per quam determinatur ad speciem, ac etiam ordinem ad aliquid. Secundum autem quod est quædam substantia creata, repræsentat causam, & principium non de principio. Secundum quod habet quandam formam, & speciem repræsentat Verbum, quatenus forma artificiati est ex conceptione artificis. Secundum quod habet ordinem, repræsentat Spiritum Sanctum quatenus est amor; Quia ordo effectus ad aliquid alterum est ex voluntate creantis. Ad primum refertur mensura. Ad secundum numerus. Ad tertium ordo. Ad quæ subdit Divus Thomas, reducuntur alia tria, quæ ponit Divus Augustinus *lib. de nat. boni capi.* 3. modum, speciem, ordinem. Qui ergo hunc numerum, & ordinem omnium rerum cognosceret, omniscius esset in ordine ad creaturas, & quodammodo in ordine ad Deum. Omnis namque creatura, etiam insensibilis, Deum prædicat, & divinas personas secundum appropriationem jam dictam. Ideo Psalmographus ait: Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciant firmamentum. Quod confirmat Hieronymus *lib.* 1. *in Matth. cap.* 8. Omnes creaturæ, inquit, sentiunt Creatorem. Quas enim increpavit, & quibus imperavit, sentiunt imperantem, non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia, sed majestate Conditoris, qua apud nos insensibilia illi sensibilia sunt.

Unde idem D. Thomas *cit. quæst.* 65. *articul.* 2. concludit, omnes creaturas, etiam insensibiles, ordinari in Deum, sicut in finem ultimum, quatenus in eis per quandam imitationem divina bonitas repræsentatur ad gloriam Dei. Nam, ut addit ibidem *quæst.* 44. *articul.* 4. *ad* 3. omnia appetunt Deum, ut finem, appetendo quodcunque bonum, sive appetitu intelligibili, sive sensibili, sive naturali, qui est sine cognitione; quia nihil habet rationem boni, & appetibilis, nisi secundum quod participat Dei similitudinem. Unaquæque autem creatura intendit consequi suam perfectionem, quæ est similitudo perfectionis ac bonitatis divinæ; unde in divinam bonitatem, tanquam in finem res omnes, etiam insensibiles diriguntur. Quæ Plato, aliique Philosophi lumine naturæ cognoverunt, & ex Sacra Scriptura illis demonstrata ab Hebræis in Ægypto, ut alibi tradidi.

Consul

Consultatio CV.

An astra, si non sunt causa, sint saltem certa signa omnium futurorum?

SUnt, qui asserunt apud Delrium *lib. 4. magic. cap. 3. quæst. 1.* præ cæteris Origenes super Genesim, ut memorat Eusebius *lib. 6. de præp. Evang. cap. 9.* cùm explanaret verba illa, quæ sunt *in cap. 1. Genes.* Et erant in signa, prodidit, astra esse à Deo posita in cœlo, ut per varios aspectus & conjunctiones præsignificarent, quæ consequentibus temporibus tum universè, tum sigillatim eventura essent, non tamen ea efficerent. Itaque cœlum esse dixit velut quendam librum, in quo Deus depinxit, atque descripsit quæcumque in toto mundani ævi decursu, suo quoque tempore futura sunt. Ad id probandum citat Origenes librum quemdam, cui titulus erat *Narratio Iosephi*, olim apud multos in autoritatem, ac fidem receptum, in quo Jacob Patriarcha inducitur Filios suos alloquens hunc in modum: *Legi*, inquit, *in tabulis cœli, quæcumque contingent vobis, & filiis vestris.* Idemque sensit Plotinus, condiscipulus Origenis in libro, qui inscribitur: *Utrum stellæ aliquid agant.* Et in libro *de fato cap. 6.* hunc præterea stellarum usum esse tradit, ut qui illas suspiciant, & quasi literas considerent, qui nimirum hujusmodi literaturam noverunt, futura legant ex ipsis signis, comparatione quadam analogica eorum significationem, & intellectum solerter indagantes. Quin Porphyrius affirmat, cùm ipse de se interficiendo vehementer cogitaret, Plotinum hoc cœlitus providisse & à tanto facinore eum prohibuisse.

Hanc sententiam Julius Sirenus *lib. 9. de fato cap. 35.* minime damnandum censet, & quo probabilem esse ostendat, aliquot ex divina Scriptura productis sententiis, eam ornat, confirmatque. Hoc enim, inquit, non obscure indicat Isaias, cùm ait in cap. 34. Complicabuntur cœli sicut liber. Qua oratione significatur, cœlos post diem judicii convolvendos esse, atque complicandos, quasi nunc cœli instar cujusdam libri sint explicati, & aperti nobis, haud dubio ad legendum. Eòdem pertinet illud, quod est in *Psalmo* 21. Annunciabunt cœli justitiam ejus, & *in Psalmo* 18. Cœli enarrant gloriam Dei, & quod est in 1. *cap. libri Genes.* de stellis, ut sint in signa & *in Psalmo* 88. Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine. Nec verò, inquit Origenes, hæc opinatio tollit liberum hominis arbitrium, non magis profectò, quàm prædicta futurarum rerum à Sanctis Prophetis edita, vel præscientia omnium rerum; quæ est in Deo.

Idemque Sirenus, ne Augustinum quidem ab hac opinione abhorruisse putat. Quippe in 2. libro contra Manich. cap. 21. cum is ageret de hominibus, quorum dum sunt in corpore mortali occulta sunt corda, ita scribit: *Neque enim in illis corporibus cælestibus sic latere posse cogitationes credendum est, quemadmodum in his corporibus latent, sed sicut nonnulli motus animorum apparent in vultu, & maxime in oculis, sic in illa perspicuitate ac simplicitate cœlestium corporum omnes omnino motus animi latere non arbitror.*

Verùm si quis locum hunc non prorsus inconsideratè legat, plane comperiet, Augustinum per cœlestia corpora non intelligere orbes cœlestes, sed corpora beatorum hominum post resurrectionem, cœlesti gloria, & immortalitate donata, & ponere eum discrimen inter homines in hisce caducis corporibus viventes & eosdem post resurrectionem in glorificatis corporibus immortalem & beatam vitam agentes, quod illi arcana cordium multiplici simulatione callide tegant, & occultent, ideoque sæpe alios fallant; in his verò manifesta erunt omnium corda omnibus, omnisque prorsus aberit simulatio, fictio, atque deceptio. Atque hunc esse verborum Augustini germanum intellectum, ex proxime consequentibus ejus verbis, palam est, extatque apud eundem *in lib. 5. de civit.* copiosa, & gravis confutatio.

Pro hac quoque sententia Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. capit. 15. numer. 23.* refert Petrum de Alliaco *lib. de legibus, & sectis, & quæst. 30. in Genes.* & hanc D. Augustinus *lib. 5. de civit. capit. 2.* ait, Non hominum mediocritet doctorum fuisse, ad quam quidem reducitur illorum opinio, qui, ut refert Divus Thomas 2. 2. *quæst. 95. articul. 5.* dixerunt, astra potius significare, quam causare futuros eventus.

Cæterum, astra esse signa rerum futurarum, non solum est alienum à vera Philosophia, sed etiam Sacris literis contrarium. At licet complures earum rationum, quas superius adduximus, etiam valeant ad id probandum, novis tamen aliquot argumentis, quæ propriè ejusmodi sententiam refellant, hoc loco utendum est.

Et primo: Quod est naturale signum alicujus rei, id vel ejus rei causam, vel effectum esse, vel utrumque ab eadem superiori & communi causa proficisci, necesse est. Nam, quod præter hæc quartum membrum fingi posset, videlicet, ut illud signum necessariò sit conjunctum cum causa rei, ab illo significatæ, id non est diversum à tertio membro. Talis enim connexio, & conjunctio non aliter esse potest, quàm ut causa illa prius ex se pariat id, quod est signum. Deinde id, quod est signatum, aut ut idem, quod causam excitat, vel admovet ad agendum, simul etiam adhibeat, & applicet id, quod est signum ad præsignificandum. Utrumque autem horum ad communem causam refertur.

Hinc igitur argumentari licet ad hunc modum. Si cœli ac sidera sunt signa omnium rerum sublunarium, vel sunt earum rerum causa; sed hoc negat ista opinio; vel sunt effectus, quod nec illi dicent, nec ullus hominum sanæ mentis audebit dicere; aut quod tantummodo reliquum est, tam cœlestia, quàm sublunaria ab eadem superiori, & communi causa proveniunt, quemadmodum Iris signum est serenitatis, non quia sit ejus causa, vel effectus, sed quia eadem est communis utriusque causa. At causam communem cœlestium corporum, & sublunarium necesse est esse, vel corpoream, vel incorpoream. Corpoream quidem nullam ponent isti. Nullum enim corpus superius cœlis est. Relinquitur igitur, ut omnia referant ad causam incorpoream, hoc est, vel Deum, vel Angelos, qui movent cœlos ita, ut, dum Angeli cœlos movent, in ipsorum cœlorum statu, habituque, & in siderum positu, & conformatione, quasi quibusdam suis nutibus, & tanquam notis, atque signis inibi descriptis, eventa

eventa rerum humanarum prænotent, atque præmonstrent. At enimverò id multis de causis non est credibile. Etenim qui sic opinantur, fateri eos oportet induci homines ab Angelis ad maxima scelera, & execranda flagitia.

Deinde Philosophia docet, nec non & Theologia idem tradit, Angelorum nullam esse actionem, quam vocant transeuntem, & quæ proxime ab ipsis provenit, aliam, quàm motum localem, nec Angelos posse quicquam proxime agere, præterquam movere motu locali. Angelos verò, qui circumvolvunt Orbes cœlestes, non aliter circa res sublunares operari censent Philosophi ac Theologi, quam per motum & lumen cœli. Per motum autem, & lumen cœli omnes futuros effectus rerum sublunarium clare, distincte, certoque præmonstrari, nemo dicet, qui verisimilia, & credibilia loqui velit.

Ad hæc, cùm ejusdem causæ duo effectus se invicem necessario indicant, ut ab eadem causa, sic eodem quoque modo ab illa provenire debent; alioquin fieri non potest, ut se invicem certo indicent. A Deo autem, & Angelis, quæ in corporibus cœlestibus fiunt ex necessario, & invariabiliter se habent. Quæ autem in his, quæ sunt infra Lunam, valde mutabiliter, & ut ita loquar, defectibiliter contingunt.

Et sane, quomodo astra, quæ sunt certo numero comprehensa, & semper uniusmodi & necessario ac immutabiliter ita se habent, signa esse possunt omnium rerum futurarum, quæ propemodum infinitæ sunt multitudine, ac varietate, & inter se plurimum differentes, atque discrepantes? Quomodo eadem siderum positura, & conformatio, sub qua vel Gemini, vel alii quamplures eodem puncto temporis nascuntur, potest esse certum signum proprie ac distincte præsignificans tot, tamque varios ac dissimiles casus, & eventus, qui in illis cernuntur? Quare, si astra sunt signa rerum futurarum, earundem quoque causas esse fatendum est. Quod si causas esse negamus, etiam signa esse, negandum est.

Dices. Cometas, qui in sublimi aëre generantur, signa sunt, quæ insignes admodum casus futuros portendunt, quorum tamen cometæ nec causæ sunt neque effectus. Quare idem quoque astris accidere respectu rerum sublunarium, non est incredibile. At vero Cometas certa signa humanorum casuum & eventuum nunquam concedimus, licet hoc tam vulgò persuasum sit, quàm est à sapientibus improbatum. Quod si hoc cum vulgò consentientes opinaremur, diceremus Cometas à stellis rerum futurarum effectricibus excitari, ut eas res antegressi præmonstrent. De stellis autem secus est. His enim nulla est corporea causa superior.

Sed quid multa? Coguntur istius opinionis autores, quanquam id minime velint: Fati necessitatem inducere, & quidem magis etiam quàm qui stellas faciunt causas rerum sublunarium. Etenim, ut stellæ causæ sint eorum, quæ fiunt infra Lunam, non ideo tamen Fati necessitas existet. Quod enim illarum afflatu, defluxuque in terris esset efficiendum, id posset vel contrariis materiæ affectionibus, vel obstantibus causis particularibus impediri. At, si astra naturaliter futurarum rerum signa sunt, omnino evenire necessarium est, quod ab illis significatur; alioquin essent signa inania, & fallacia. Et cum Deus ea instituisset ad significandum, & in cœlo, tanquam in quodam volumine ea descripsisset, veluti notas futurarum rerum indices, si eventus rerum cum illarum significationibus non congruerent, vel Deus, earum autor, & institutor, ignorans esset futurorum eventuum, vel fallax.

Denique, si astra præsignificarent, quæ futura sunt, aut præmonstrant, quæ facienda sunt à causis particularibus, non quidem omnibus, sed aliquibus tantum. Sed hoc improbabile est, ac figmenti simile. Cur enim stellæ prænotent futuros effectus aliquarum particularium causarum potius, quam aliarum? Vel cur non similiter præmonstrent omnes, cum omnium similis ratio sit? Aut stellæ præsignificant omnes futuros effectus causarum omnium particularium. Hoc si est, nullæ profecto reliquæ fient causæ, per quas quo minus eveniat, quod à stellis præsignificatur, impediri ac prohiberi queat. Ex quo fit necessariò, ut omnia, quæ infra Lunam fiunt, immutabili necessitate Fati nexa, victaque teneantur. Quod nec istius sententiæ defensores sentiunt, & id sentire impium est.

Testimonium autem illud Isaiæ. *Complicabuntur cœli sicut liber*, quod inter cœtera Scripturæ testimonia, nonnihil negotii facessere videtur, variè interpretatum reperio, ita tamen, ut nulla interpretatio, quæ modo vel probati sit autoris, vel sit ipsa probabilis, quicquam illi sententiæ suffragetur: Justinus Martyr respondens ad quæstionem 94. Orthodoxorum, qua quærebatur quemadmodum intelligendum esset, quod dicitur ab Isaia, fore, ut cœlum aliquando velut liber explicaretur, sic ait: *Quemadmodum cœli creationem divinæ literæ per similitudinem conferunt aliquando cum pelli: extensione, dicentes: Qui extendit cœlum sicut pellem Psal. 103. aliquando cum firmato fumo: Cœlum, inquit, ceu fumus firmatum est, Isaiæ 51. juxta Septuaginta Interpretes; aliquando cum rotunditate cameræ: Qui extendit, inquit, cœlum, velut cameram. Sic è diverso, cœli dissolutionem per comparationem conferunt cum aliis rebus, ut apud Isaiam 40. cum volumine involvendo & implicando, sicut apud Davidem Psal. 101. cum vestimento veterascente, & commutando.*

Hieronymus verò super illis verbis hæc scribit: *Considerandum, quod non dicat, interire cœlos; sed replicari, sive complicari, quasi librum, ut postquam omnia peccata aperta fuerint, & relecta, complicentur qui prius aperti fuerant, ut nequaquam ultra scribantur in eis delicta multorum. In Scriptura enim dicuntur cœli annunciare justitiam Dei, revelare iram ejus, & probare, ac testificari hominum scelera.*

Divus Thomas, & Nicolaus de Lyra aliter exponunt: *Complicabuntur*, inquiunt, *cœli*, *tanquam liber, hoc est, non exercebunt ultra ethnici astromantiam suam, nec posthac ex astris divinare audebunt eventa hominum, quasi legerent in sideribus descriptos casus, & eventos futuros.* Alii sic interpretantur: *Non patebit amplius introitus in regnum cœlorum, sed janua cœlestis clausa erit.* Sunt etiam qui explanent hoc modo: *Ministerium, & usus cœlorum, atque siderum exhibitus homini ante diem judicii, postea esse desinet. Nam licet non prorsus interibunt cœli, alio tamen statu erunt, & quibus nunc funguntur ministeriis & obsequiis hominum causa, ab illis post diem judicii quoquo modo vacabunt; quæ vacatio pulchre declaratur ab Isaia similitudine libri, quem postea quam eo usi sumus, nec amplius nobis usui futurus est, complicare & claudere solemus.* Alii quod non amplius cœli indicabunt serenitatem, pluviam, æstatem, hyemem: Hæc enim & similia sine motu cœli non significantur

tur, sicut nec fiunt. Alii, ut Suarez *loc. cit.* annotat, *locutionem illam esse metaphoricam*, quam, si admitteremus, in hoc consistere oportet, quod sicut liber involutus legi non potest, ita nec in cœlis post diem judicii legi poterit. Ergo, dices, nunc aperti sunt, atque adeo possunt in eis legi omnia futura. Id non sequitur. Non enim in quolibet libro res omnes leguntur. Intelligendum est igitur de significatione earum rerum, ad quas creati sunt, nempe serenitatem, & pluviam, æstatem, & hyemem. Hæc enim sicut sine motu cœli non fiunt, ita sine illo non significantur.

Nec displicet interpretatio eorum, qui aiunt, illa similitudine declarari, tantam fore divinæ iræ, ac vindictæ demonstrationem adversus gentes, de quibus illuc Isaias loquitur, tantam rerum omnium perturbationem, & confusionem, tantam denique hominum tristitiam, dolorem, & conflictationem, ut præ magnitudine mœroris, atque doloris, & præ animi perturbatione, & oppressione, videantur hominibus cœlestia lumina restingui, stellas de cœlo cadere, motusque earum conturbari: denique cœlum complicari, ac recedere; nam quod hic dicitur complicari, in Apocalypsi dicitur recedere, vel abire. Sic enim habet cap. 6. *Et cœlum recessit, sicut liber involutus.*

Sed quo planior sit, & facilior ad intelligendum, etiam non valde doctis, similitudo libri, qua usus est Isaias, sciendum est, apud Hebræos antiquitus, & nunc etiam libros Sacros diversa forma scribi, & compingi solitos esse, quàm nunc scribuntur libri apud nos. Habent enim unum duntaxat folium, sive membranam oblongam, quæ circa cylindrum, sive axem ligneum circumplicatur, instar lineæ telæ radio textorio circumvolutæ. Videntur autem hujusmodi libri aliquam referre cœlorum similitudinem, & imaginem. Quia sicut axem illum ligneum, qui in medio voluminis est, complures ipsius membranæ, ceu spiræ, altera super alteram ambiunt, & circumdant, ita hanc terram, quæ medium totius universi axem tenet, cœlestes orbes alter super alterum collocati, in orbem circumplectuntur.

Hæc de testimonio Isaiæ, cujus cùm tam multæ ac variæ sint expositiones, nulla earum tamen mirificos istos astrorum Lectores, Interpretes, Logodedalos, ac Vates adjuvat.

Neque oppositum colligitur ex illo Genesis cap. 1. Nam verba illa, *ut sint in signa*, intelliguntur de signis naturalibus, non de signis ad placitum. Quia Sol, & Luna suo motu tempora dividunt, ac numerant annos, atque sic, tanquam causæ effectuum temporalium sunt simul signa ad cognoscendum tempora apta ad usum hujus vitæ, ac ita hunc locum explicant Augustinus, Cyrillus Hierosolymitanus, Basilius, Ambrosius, Aquinas, Caietanus, Pererius aliique. Quod verò ad Deum, cujus sunt effectus, sunt signa naturalia, eo modo, quo effectus significat causam, sicque enarrant gloriam Dei, & gloriam ejus annunciant.

Loci verò illi Psalmorum loquuntur per prosopopæiam; quo modo dicitur: Audi terra, quæ loquor. Nam cœlum & stellæ sua pulchritudine, vastitate, ac splendore omnipotentiam Dei nobis jugiter prædicant. Ita Hieronymus, Euthimius ad eos locos.

Quod verò ad Origenem, plures eum tutantur, quasi ex aliorum sententia quos impugnat, loquutum fuisse, de quibus ante verba citata dixerat: Quare, nisi pertinaces sint, nihil humanarum rerum effici, sed forsan significari concedent. At Vives, aliique contendunt, Origenem hunc errorem tradidisse *in com. Genes.* Referente namque Eusebio *cit. lib. 6. cap. 9.* sic habet: Quemadmodum potestas humana minime tollitur, quamvis Deus quæcunque facturi sumus, prævideat, ita etiam signa, quæ ad significandum divinitus ordinata sunt, libertati nostræ nequaquam officiunt, sed est universum cœlum, quasi liber quidam apertus, omnia futura in se conscripta continens. Qui verò defendunt Origenem, hæc illum subiisse contendunt: Hieremias autem, ut hominem ad se ipsum converteret, atque formidinem, quæ à signis impendet, auferret, atque ut omnem forsan hujusmodi opinionem ab hominum animo reiiceret, inquit, à signis cœli, ne timeatis. Non quod significent, sed quia ita credunt scioli. Sed utinam Origenes nunquam errasset. Constat enim plurimis erroribus antiquorum infectum fuisse, ut sæpe annotat Divus Thomas. Oratio autem illa Josephi, quæ fertur relata ab Origene, reiicitur ab Athanasio in synopsi, ut observavit Suarez *loc. cit. post Pererium cap. 45. Genes. sub initio.*

Consultatio CVI.

An saltem verum ac licitum sit judicium Astrologorum de Corporum constitutionibus, & inclinationibus hominum, eorumque passionibus appetitus sensitivi, & per eas de actionibus humanis?

Videtur negative respondendum. Nam Sixtus V. in sua Constitutione admittit tantum Astrologiam circa agriculturam, navigationem, & rem medicam, & prohibet iudicia & nativitates hominum fieri, quibus de futuris contingentibus, fortuitisve casibus, & actionibus ex humana voluntate pendentibus, etiamsi incertò se affirmare protestentur. Quare Sylvius 2. 2. *quæst.* 95. *articul.* 5. tradit, vanum ac temerarium esse, velle ex astrorum aspectu prædicere alicujus hominis temperamentum, & inclinationes, ut quod futurus sit melancholicus, luxuriosus, iracundus. Istæ namque inclinationes, ait, magis pendent ex parentum temperamento, ipsorum ac prolis nutritione, quàm ab astris. Et quoniam aspectus astrorum, ex quibus habetur talis conjectatio, imperfectissime, ac difficillime cognoscuntur. Rapidissimus namque cœli motus in causa est, ut constellatio prius transeat, quàm ab Astrologo queat exacte notari. Et quia constellationis virtutem Mathematici statuunt in puncto nativitatis. At magna est mora in exitu omnium membrorum; nec motus ille successivus potest habere proprium esse, cùm per proprium non esse incipiat. Quare diversa essent attendenda hominis temperamenta secundum successionem membrorum nascentium. Ita etiam Gregorius *Homil.* 10. *in Evangel.* Ac demum quia ad

hujusmodi prædictiones potius animationis, quàm nativitatis punctum esset spectandum. Si namque vis astrorum terræ profunditatem penetrat, cur & non maternum uterum, in quo est fœtus tenerrimus, atque iccirco impressionibus corporeis apprime subjectus? At istud punctum ignoratur. Unde, si majori certitudine hæc prædicantur ab astris, quàm revera sciri queant, vitium est temeritatis, ac impudentiæ, vel etiam mendacii, quod tamen non excedit culpam venialem, neque pertinet ad superstitionem, ab Ecclesia damnatam, cùm nihil de liberi arbitrii actibus, aut futuris, aut occultis eventibus prædicit, sed naturales inclinationes tantum, ideoque absque damno, vel scandalo. Sic etiam Sanchez *in decal. lib.* 2. *cap.* 38. Filiuc. *tract.* 24. *cap.* 4. *num.* 81. & *seqq.* Laiman. *lib.* 4. *tract.* 10. *num.* 5. At Sixtus V. subjicit Inquisitoribus omnem astrologiam, præterquam circa agriculturam, navigationem, & rem medicam, si etiam non certò pronunciet. Quare saltem pertinet ad astrologiam prohibitam ab Ecclesia, etsi superstitio non sit.

Adstruit autem Serra *in* 1. *part. quæst.* 115. *art.* 4. posse Astrologos per conjecturam, non tamen certò ac syllogistice ex cœlorum motibus, & astrorum influentiis cognoscere corporum constitutiones, eodemque modo inclinationes, & passiones appetitus sensitivi, non autem ex astris immediate aliquo modo judicare possunt ac prædicere bonitatem intellectus, liberas electiones, & actus humanos; in communi tamen, nullo modo in speciali. Quod & admittit Sylvius & Carena, & antea Delatorre *cit. quæst.* 95. nempe quod natus sub tali, vel tali constellatione erit propensus ad iram, vel ad venerea, & forsitan rixosus. Non tamen poterunt prædicere, hic mulierosus erit, rixas excitabit. Tum quia potest esse sapiens, & astris dominari. Tum quia potest homo recte educari, habere sodales, magistros, vel parentes optimos.

Chassaneus verò in catal. *catal. glor. mundi pag.* 10. *consid.* 57. & ultima, tradit astrologiam partim naturalem, partim superstitiosam. Naturalis, ait, dum prosequitur Solis, & Lunæ cursus, vel stellarum, cæterasque temporum stationes, Superstitiosa verò illa est, quam mathematici sequuntur, qui in illis augurantur, quique etiam duodecim cœli signa per singula corporis membra disponunt, sidereoque cursu nativitates hominum, ac mores prædicere conantur, ut inquit Isidorus 3. *etym. cap.* 26. probatque rationibus dependentiam inferiorum ab astris, ac etiam cursus humanarum rerum, de quibus ait, Astrologorum potissime divinatio, cœli fatique potestatem, vel nolentibus undique persuadere, videtur, in quo varietas ipsa familiaris, & frequentissima. Tum multa supra vires nostræ mortalitatis fieri videmus, multa præter rationem, & meritum, plurima præter ordinem, & institutum conditionis humanæ, quæ causas alibi, quam in cœlo habere nullas posse videntur. Hic idoneus ad philosophiam nascitur, ille ad poësim. Unde ista varietas ingeniorum? Alexander Orientem tam citò vicit, quam vidit. Unde impetus tantæ felicitatis? Quæ vis Aristoteli, Platoni, aliis naturæ secreta reseravit.

Tenendum est primò Astrologi possunt ex cœlorum motibus, & astrorum influentiis conjicere de corporum humanorum constitutione. Est communis sententia contra Picum, & Turreblancam, eamque docet Divus Thomas 3. *contra Gent. cap.* 84. & 92. & *quæst.* 5. *de verit. art. ult.* & 1. 2. *quæst.* 9. *art.* 5. & *quæst.* 115. *art.* 4. Nam astra influunt in hæc omnia inferiora corpora. Ergo etiam in corpus humanum, atque adeo in ejus temperamentum. Et jam probavimus alibi ex Aristotele *lib.* 1. *meteor. apud Divum Thomam lect.* 1. mundum istum superioribus motionibus necessariò quodammodo esse agitatum, ut ejus inde omnis facultas regatur. Quare *lect.* 14. circulum Zodiaci, in quo manifeste movetur Sol, ait esse primum principium pluviæ, roris, pruinæ, nivis, & aliorum quæ in aëre generantur. Et *lib.* 2. *lect.* 9. docet, Solem esse causam, quæ movet ventos, eosque cessare facit. Sic æstus maris provenit ex impressione Lunæ ex eodem *quæst.* 105. *part.* 1. *articul.* 6. *ad* 1. & *quæstione* 110. *articul.* 3. & 115. & *lib.* 2. *de Cœlo lect.* 12. *passimque alibi.* Quod & confirmat Basilius *in hexam.* traduntque Patres speciatim de homine, ut Damascenus *lib.* 2. inquiens, quod alii, & alii planetæ diversas complexiones, ac habitus, & dispositiones in nobis constituunt, Augustinus 5. *de civit.* fatetur, quod non usquequaque absurdè dici potest ad solas corporum differentias, afflatus quosdam valere sidereos. Ideoque ait Avicenna *lib.* 2. *fen.* 1. *doctr.* 3. *cap.* 1. & *fen.* 2. *doctr.* 2. *cap.* 8. juxta diversitatem climatum diversas sortiri homines complexiones ex sole, & stellis, de quo alibi fusius.

Dixi autem conjicere. Quoniam, ut docet Divus Thomas *opusc.* 28. *cap.* 4. per conjecturam tantum potest procedere Astrologia circa effectus sublunares, dependentes ab astris. Quare *in* 1. *dist.* 38. *quæst.* 1. *art.* 5. ait, judicium Astrologi de ventis, ac pluviis futuris solum esse scientiam conjecturalem. Unde recte Filiuccius *loc. cit.* tradit, quod incerta debet prædici inclinatio pueri nascentis, non nimis probabilis. Idemque asserit Carena *part.* 2. *tit.* 12. citans Conimbricenses Suarez, Rubium, Lessium, qui probabilem tantum, & incertam admittant prædictionem temperamenti, & infirmitatum. Non enim hæc pendent solummodo ab astris, sed à qualitate seminis parentum, cum duo eodem coitu geniti diversam fortunam consequantur, diversitate regionis, & ex ipsa etiam educatione, & consuetudine, ut per Ptolemæum *in quadrip. lib.* 1. *cap.* 1. ubi Cardanus observat has tres causas, à Ptolemæo recensitas, principales numerari in constituendo temperamento hominis, ut proinde Abulensis contendat, amplificantibus Torreblanca, & Moura, quod Hispani tenaciores sint in colendo Deo accepto, & obediendo Prælatis. At Galli de hoc ipso se jactitant. Referente namque Andrea Laurenti *lib.* 1. *de sanat. strum. cap.* 10. Agathius, Græcus autor *lib.* 1. *de reb. Gothic.* scribit, Francos inter omnes Christianos rectissimæ esse fidei, ideoque fore credit, ut imperium habituri sint maximum, firmissimum, & diutissime duraturum. De Gallis dicebat Hieronymus; unicam Galliam caruisse monstris. At hodie unde tot opinationum monstra? Angli de innata sinceritate, & obedientia suo Principi gloriabantur. An etiam modo? Utinam.

Si hæc igitur prædictio non extendatur ad futuros casus fortuitos, neque ad ea, quæ à libera hominis voluntate pendent, sed sistat tantum in naturalibus effectibus, & inclinationibus, ac temperamento corporis, non est per se mala.

Quia

Quia temperamentum corporis humani, ut diximus, procedit à causis naturalibus. Ergo verisimiliter credi potest, magnam vim in eo habere cœlestes influentias, & consequenter possunt Astrologi prædicere pueri infirmitates ac illarum tempus, & similiter naturalem inclinationem ad iram, ad hæc, vel illa studia, ad timiditatem, audaciam, continentiam, quæ ex corporis temperamento conjicere possunt. Ideoque talis prædictio non est per se mala. Quia nec pactum implicitum cum dæmone continet, nec fundatur in astris, ut in puris signis, sed ut in causis naturalibus, neque de se est alicui noxia, neque est prohibita, quia nec damnatur per Sacros Canones, per Leges, aut per Constitutionem Sixti V. in tantum prohibetur judicium, & prædictio alicujus casus fortuiti, vel pendentis à libero arbitrio. Atque ita, præter citatos, docent etiam Caietanus *in dist. quæst.* 95. *articul.* 5. 2. 2. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *cap.* 11. *numer.* 8. Fagundez *in decal. lib.* 1. *cap.* 78. *num.* 5. Carena *d. tit.* 12. §. 12 *num.* 79. & 86. ac Delbene *de offic. S. Inquis. p.* 2. *dub.* 212. *sect.* 2. *corol. num.* 1.

Idque tamen non certè, ut dictum est. Quia ex multis causis ac multipliciter impediri potest. Quare Caietanus, & Suarez *loc. cit.* affirmant vix conjecturam, ac suspicionem dici posse. Præsertim quia, ut notat ibidem Suarez ex Augustino *lib.* 5. *de civit. cap.* 2. qualitates, & conditiones rei generandæ magis pendent ex dispositione materiæ, ex qua generanda est, & ex efficacia proximæ virtutis activæ, quàm ex influentia cœlorum.

Atque ex his refellitur opinio Hurtadi, qui *disp.* 2. *de cœlo, & mundo* voluit, posse Astrologos scire diem, ultra quam quis vivere non possit. At nunquam certò prædici potest, quicquid etiam dicat Carena. Irridendum vero est Boneti placitum dicentis, neminem posse ultra nonagesimum annum vivere ob triplicem revolutionem Saturni. Contrarium enim nos docet quotidiana experientia. Unde recte censuit Abulensis *cap.* 19. & 26. *quæst.* 29. non posse certò Astrologum prædicere sano infirmitatem, ex astris illis imminentem, perperam clamante ibidem Carena ex rationibus jam adductis. Quare Arriaga *disput. un. de cœl. sect.* 6. probe advertit, non posse Astrologum ex astris prædicere puero infirmitatem, ex crapula provenientem, si intelligatur in particulari, bene in communi, ac non certe & cum maxima formidine ex cognitione propensionis, & habilitatis ad crapulam, & passiones. At mors potest provenire, vel concitari à crapula, ab aëre, ab otio, à laboribus, ab aliis, quæ dependent à voluntate. Ergo non potest ullo modo illa in particulari certo conjicere, ut opinatur Carena.

Quod etiam ita limitandum est, ut minor certitudo habeatur ex astris; primum de temperamento, deinde inclinationibus, postremo de infirmitatibus. Atque iccirco Abulensis, Caietanus, Delrius, Nazarius, Suarez, Delatorre annotant, quod Astrologus magna cum cautione prædicere debet, dicendo: Existimo, vel credo, has inclinationes portendere Cœlum huic infantulo, nisi aliunde impediatur. Ideoque Ptolemæus, vel quisquis sit autor centiloquii; negat enim Cardanus, esse Ptolemæi, etsi D. Thomas *l. c. cit. contra Gent. & alibi* sub ejus nomine illud referat, id ait, medium tenere inter necessarium, & possibile. Suarez autem vult ad suspicionem quandam vix pervenire, Delrius etiam suspicionem tantum id appellat. Delatorre, Sylvius, alii Theologi vix nomen conjecturæ mereri, inquiunt, præcipue dum de liberis aut mere contingentibus futuris prædicitur, etiam in communi.

Secundo tenendum est. Astrologus cognoscere potest inclinationes, & passiones appetitus sensitivi. Hæc assertio est consentanea præcedenti. Ut enim docet D. Chrysostomus *homil.* 82. *in Matth.* accessus complexionum ad seipsos opponere medici consueverunt, & calidioris quidem, & humidioris corporis prócliviorem esse aiunt ad Venerem, ficcioris verò impetuosum, atque iracundum. Quemadmodum igitur possunt Astrologi modo jam dicto conjicere complexiones hominum, ita & inclinationes, & passiones appetitus sensitivi. Confirmatur ex D. Thoma *cit. quæst.* 115. *art.* 4. *ad* 3. ubi docet, corpora cœlestia imprimere in appetitum sensitivum, ad ejusque passiones cooperari, & 1. 2. *quæst.* 9. *artic.* 5. *pariter ad* 3. sic ait: appetitus sensitivus est actus organi corporalis. Unde nihil prohibet ex impressione corporum cœlestium aliquos esse habiles ad irascendum, vel concupiscendum, vel ad aliam hujusmodi passionem. Et 3. *contra Gent. cap.* 85. hoc idem comprobat his verbis: Imprimunt cœli in corpora nostra, ad quorum mutationem insurgunt in nobis aliqui motus passionum, vel per eorum impressionem efficimur habiles ad aliquas passiones, sicut colerici sunt proni ad iram.

Tenendum tertio est. Non possunt immediate prædici actus humani ex astris, ne cum dubio quidem, ac non certò, & cum formidine. Quare talis prædictio provenit ex vana, & falsa opinione, ait Divus Thomas ea *quæst.* 95. *art.* 5. sicque operatio dæmonis se immiscet. Unde erit divinatio superstitiosa, & illicita. Corpora enim cœlestia non sunt causæ, neque signa humanorum actuum. Conjici ergo ex illis immediate, aut prædici etiam non certo & cum formidine non possunt. Imò nec probabiliter, sed superstitiose agunt, & graviter peccant. Nam illud dicitur esse probabile, quod firma ratione fulcitur, nec habet contra se rationem convincentem, quæ solvi non possit, ut docent Sanchez *in decal. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 6. Valentia *part.* 2. *disp.* 2. *quæst.* 12. *punct.* 4. *quæst.* 1. Vasquez 1. 2. *quæst.* 19. *disput.* 62. *cap.* 4. *num.* 8. Azor. *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 9. Sayrus *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 7. Filiuccius *tract.* 21. *capit.* 4. *numer.* 133. Astrologorum autem prædictio actionum, ex hominum voluntate pendentium sub specie probabilitatis, solum fundatur in regulis astrologiæ judiciariæ, quæ ex Solis astris imperfectissime ac difficillime cognoscuntur, neque ita firma ratione fulciuntur, ut non habeant contra se rationes convincentes. Atque adeo actiones hujusmodi, ne, ut probabiles quidem, ab Astrologis ex solis astris prænunciari possunt, & si ut tales prænunciantur, ex industria & disciplina dæmonis prædicuntur, & consequenter est prædictio superstitiosa, & mortale peccatum. Quod etiam docent Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *capite* 11. *numer.* 31. Sanchez *loc. cit. capit.* 38. *numer.* 33. Valentia 2. 2. *disput.* 6. *quæst.* 12. *punct.* 3. Lessius *lib.* 2. *capite* 43. *dub.* 6. *numer.* 43. Delrius *libro* 4. *magic. capit.* 2. *quæst.* 3. Quare si prædicunt Astrologi, aliquem tali morte, vel tali tempore moriturum, vel futurum Episcopum, furem, & similia, graviter peccant, suntque puniendi, etiamsi

etiamsi dicant se non certo affirmare, sed solum esse probabile.

Secus verò quando non ex solis astris, sed ex aliis circumstantiis, & causis particularibus sumeretur probabilis conjectatio, ut ex temperamento personæ, atque ex aliis ejus actibus. Nam talis observatio non est divinatio, sed providentia. Ideo, si inter alias conjecturas, consideretur etiam aspectus astrorum, tanquam ad aliquid conducens, hoc non pertinet ad superstitionem, sed ad naturalem astrologiam, quæ illicita non est, ut per Suarez, Sanchez, ac Lessium locis allegatis.

Tenendum est quartò. Ex corporum humanorum constitutionibus, inclinationibus, & passionibus possunt Astrologi judicare de bonitate intellectus, & voluntatis. Quoad intellectum id docet Divus Thomas *cit. lib. 3. contra Gent. cap.* 84. his plane verbis: *Ideo indirecte corpora cœlestia ad bonitatem intelligentiæ operantur. Et ita sicut medici possunt judicare de bonitate intellectus ex corporis complexione, sicut ex dispositione proxima, ita Astrologus ex motibus cœlestibus, sicut ex causa remota talis dispositionis, & per hunc modum potest verificari, quod Ptolemæus* in centiloquio *dicit: Cum fuerit Mercurius in nativitate alicujus in aliqua domorum Saturni, & ipse fortis in esse suo, dat bonitatem intelligentiæ, medullitus in rebus.*

Quod autem attinet ad bonitatem voluntatis difficilius videtur. Probatur tamen ex D. Thoma *cit. quæst.* 115. *articul.* 4. *ad* 3. ubi sic ait: *Plures hominum sequuntur passiones, quæ sunt motus appetitus sensitivi, ad quas cooperari possunt corpora cœlestia. Pauci autem sunt sapientes, qui hujusmodi passionibus resistant. Ideo Astrologi, ut in pluribus, vera possunt prædicere, scilicet de eventibus bellorum, & aliis humanis actibus.* Idque confirmatur ex locis adductis *part.* 2. *ad* 3. *&* 2. 2. *ad* 2. *& cap.* 85. *contra Gentes, & articul.* 4. 1. *part.* ubi hæc leguntur: *Passiones, quæ sunt in irascibili, habent quandam vim ad inclinandam voluntatem.* Ergo, illis cognitis, & corporibus cœlestibus in illas influentibus, poterunt astrologi modo infra declarando, judicare, ac prædicere liberas actiones voluntatis, ejusque bonitatem & malitiam. Nam, ut docet idem D. Thomas *q.* 8. *de verit. articul.* 12. de his etiam, quæ ex libero arbitrio dependent, aliqua futura conjicimus ex consuetudinibus, & complexionibus hominum, quibus inclinamur ad unum. Ergo Astrologi complexiones cognoscentes ex cœlorum influxibus, ex illis aliquo pacto conjicere poterunt aliqua futura libera, sicut David *Psalm.* 17. ex societate bonorum, vel improborum conjicit bonitatem, vel malitiam: Cum sancto, ait, sanctus eris, & cum perverso perverteris, *& Proverb.* 13. qui cum Sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum, similis efficietur. Pariter ex impressionibus aliquibus cœlestibus in hæc inferiora rectè conjiciuntur electiones aliquæ voluntatis, ut sciens ex influxibus cœlestibus futuram esse prægelidam hyemem aut fervidam æstatem aliquamve iufirmitatem, aut contagium prudenter conjiciet, homines ad ignem, vel ad frigus accessuros, ac medicinas applicaturos.

Verum Delatorre loco jam citato impressiones, & inclinationes, quas à corporibus cœlestibus imprimi in hominibus adstruimus ex Divo Thoma tradit, esse in duplici differentia, aliquas nimirum, quæ reduci possunt ad primas qualitates elementares, calorem, frigiditatem, siccitatem, humiditatem, & ad quatuor humores elementares, nempe melancholiam, coleram, sanguinem, pituitam, quatenus corpora cœlestia, quia perfectiora, virtualiter ac eminenter elementa omnia, illorumque proprietates & qualitates continent. Saturnus, quia frigidus & siccus, frigiditatem, ac siccitatem, & atrambilem influit. Jupiter, quia calidus, & siccus, caliditatem & siccitatem cum sanguine producit. Mars, quia calidus, & fervidus, bilem rubeam. Luna, quia frigida & humida, pituitam. Ait insuper, astra mediis præfatis qualitatibus, atque humoribus passiones inferunt appetitus sensitivi, ab eisdem qualitatibus, & humoribus provenientes. Saturnus inclinat ad tristitiam & desperationem. Mars ad iram, bella, lites, rixas. Venus ad jucunda, & venerea, sicque de cæteris planetis. Et hoc modo plures Astrologi prædicunt, creduntque, nullas alias propensiones à cœlo hominibus influi, nisi pertinentes ad dictas qualitates.

At D. Thomas, & cum eo reliqui Theologi admittunt propensiones particulares ad medicinam, ad artes mechanicas, ad negotiationes, & hujusmodi alia, quæ in dictas qualitates reduci nequeunt, atque adeo in cœlos sunt speciatim reducenda, sicut & virtus magnetis, æstus maris, ut docet Divus Thomas *quæst.* 53. *de verit. art.* 10. *ad* 5. *& opusc.* 34. & in hoc influxu Astrologi specialiter fundant præcipuam partem prædicendi futuros eventus.

Tenendum denique est. Actus intellectus, & voluntatis possunt tantùm conjici ex astris in communi, non autem in speciali. Ita Divus Thomas expresse *ad* 3. *d. artic.* 4. *quæst.* 15. *&* 3. *contra Gent. cap.* 85. inquiens: Astrologus non debet dicere rem specialiter, sed universaliter, id est, habilitatem esse ad passiones tales, vel quales in tali homine & consequenter possibiles esse tales actus liberos juxta inclinationem, nisi resistatur passionibus. Unde non conjectantur actus liberi in seipsis absolute futuris, sed in habilitate ad passiones conjectas ex astris. Quare Divus Thomas *loc. cit.* quærens cur actus humani nequeant prædici in speciali ab Astrologis, rationem tradit, quia nihil prohibet, aliquem hominem per liberum arbitrium passionibus resistere. Qua ratione & ipsi Astrologi affirmant, quod sapiens dominatur astris, prout scilicet dominatur suis passionibus.

Neque his videntur dissentire, quæ antea dicta sunt. Nam ibi improbavimus astrologiam judiciariam, ex astris immediate, ac certo vel probabiliter de futuris in particulari judicantem. Hic autem admittimus tantum conjecturam levissimam, sive suspicionem ex astris mediate de futuris in generali modis jam traditis.

Objectant, Sixtum V. prohibere etiam hanc prædictionem mediatam, & in universali, quamvis per se non sit mala, ad coërcendum Astrologos, ne limites excedant.

Sed hos errare, existimant plurimi. Ut enim rectè notavit Sylvius, Sixtus V. non prohibet conjicere in generali prædicto modo, sed in particulari, & actus liberos in seipsis, licet non cer-

certo, & cum formidine. Sicque non sequitur, astra esse causas, & signa actuum voluntatis, cùm ex complexionibus, inclinationibus, & passionibus conjiciantur actus liberi non immediatè ex astris. Esset quidem incongruum subjicere astris liberum arbitrium, etiam mediatè. Quod tamen non sequitur ex hactenus dictis.

Neque concedendum est Serræ, dicentie, ea duntaxat committi Inquisitionibus, quæ fidei adversantur etiam in Sixti V. Constitutione. Judiciaria namque astrologia de actibus humanis in particulari, & in seipsis judicans, manifestam involvit hæresim contra liberum arbitrium hominis, ideoque S. Officio subdebatur. Subjicit autem Sixtus V. eidem Tribunali divinationes, & superstitiones quaslibet, etiam simplices, & non qualificatas, de quibus alibi, & secundum aliquos jure positivo prohibet, quæ mala secundum se non est, prædictio scilicet incerta actuum humanorum, ob incommoda, quæ inde sequebantur, etiam ex astris mediate, mediis scilicet temperamento, & inclinatione judicando, vel ob præsumptionem, quod protestantes se non certo affirmare, quæ prædicunt, hoc dicant ad occultandam malitiam divinationis.

Idque corroboremus verbis Caietani, quæ hæc ipsa sunt *in commemor. d. articul.* 5. Cavendus est triplex error in hujusmodi. Primo, ut non quæramus ex cœlestibus supernaturalia, qualia sunt mysteria fidei. Quibus adde si talis est convertendus à peccato, sive ad religionem, cùm hæc dependeant à Deo, aut efficaci, divino & supernaturali auxilio. Secundo, ut nullum contingentium quæramus ex cœlestibus cognoscere per certitudinem. Tertio, ut cognitioni per conjecturam, quam ex cœlestibus habere quærimus, non inhæreamus secundum affectum, & executionem, tanquam legi, ut faciunt forte multi Principes, qui non exirent domo, aut equitarent sine calculo cœlesti, habentes quinternos, diarios, vel hebdomadarios, tanquam leges suorum operum, Astrologorum computo conditos. Iste namque error parum, aut nihil distat à secundo. Secundus namque est error in intellectu contra naturam & gratiam. Iste autem in voluntate contra naturæ & gratiæ libertatem. Et errantes in secundo digni sunt venia, quia ignoranter peccant. Errantes autem in tertio digni sunt duplici pœna, quia scientes corpora cœlestia non plus, quam passiones nostras posse, subjiciunt se ipsos corporalibus, & in captivitatem seipsos redigunt, non in obsequium Christi, sed diaboli, & verificatur de eis illud propheticum: Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Homo namque secundum rationis dominium super corporalia omnia in honore est, & qui hoc non intelligit ficto, sed tanquam subditus corporalibus, operatur ex proposito, comparatur jumentis, imo vilior jumentis, quæ natura, non vilitate animi subsunt corporalibus. Et propterea juste à Deo similis factus est illis; quia scilicet curam de eo habet Deus, sicut de jumentis, scilicet propter bonum aliorum, non propter bonum sui. Et propterea traduntur dæmonibus gubernandi, qui tales sunt.

Subdit Caietanus: Quilibet horum trium errorum peccatum mortale est ex suo genere. Quia inhæsionem importat animi humani ad cœlestia corpora super eorum facultates. Hoc enim patet ex dictis, superstitiosum, & dæmoniacum esse. Sapientes autem si cœlestes influxus nosse volunt, non utuntur eis, ut legibus, sed dominantur eis, utentes rationis judicio, atque gratiæ divinæ lumine, & adjutorio, si Christiani sunt. Et ex his patet, quomodo intelligendum est, quod corpora cœlestia non sunt super electiones, & opera nostra voluntaria, & quomodo damnata, vel non damnata est consultatio Astrologorum circa nativitates hominum, & sequentia, & hujusmodi. Hæc enim si ad certitudinem cognitionis contingentium ordinentur, vel quod idem est, si ut lege utendum est tali figura nativitatis, &c. diabolica sunt, damnata sunt. Et hoc intendit Augustinus *in* 4. *confes.* Si autem fiant ad conjecturam habendam naturalium inclinationum, & dominandum corporalibus sapientis, mala non sunt, prohibita non sunt, ut patet ex ante dictis. Et scito, quod licet quandoque veritatis aliqua ex istis habeatur, tam debilis tamen est ratio conjecturæ, ut vix conjectura sit, & hoc propter humanam ignorantiam maximæ partis causarum cœlestium, & proximarum. Totum enim, quod cognoscimus in hujusmodi non meretur dici pars quantumcumque minima eorum, quæ ignoramus de eodem effectu. Quoniam astra sunt nobis ignota quomodo se habeant ad invicem, & ad nos, & quotidie usque completus sit semel totus cursus cœlestium, qui ante triginta sex millia annorum non completur, quotidie, inquam, est novus stellati cœli situs, qui nunquam fuit consideratus, ad quem relati planetæ, & astra quis scit quam causalitatem induant, mutent, perdant, &c. Taceo de calculo motuum, quoniam impossibile forte est habere instrumenta, quibus ad amussim sciant ortum & occasum, ut ab ipsis audio Astrologis. Ità Caietanus, qui paucis multa complexus est, quemque sequuntur Theologi ferè omnes, ac Summistæ.

At dices. Videtur Sixtus V. adversari doctrinæ, Divi Thomæ. *Nam in fine corporis articuli* 5. *quæst.* 95. docet, esse superstitiosum, siquis observatione astrorum utatur ad cognoscendum per certitudinem futura opera hominum. Ergo tenet non esse superstitiosum, siquis ea consideratione utatur ad cognoscendum probabiliter. Ex Constitutione autem Sixti habetur, quod etsi id non certò affirmare asserant, divinant fallaciter, perniciose, superstitiose. Respondeo cum Sylvio Divus Thomam intelligendum esse, si opera quædam humana ex siderum aspectu prædicentur indefinite, & aliquo modo probabiliter, non tamen majori certitudine, quam patitur natura causarum secundarum. Sic enim non est superstitiosum, neque illicitum, cum subdat ibidem ad 2. astrologus in multis vera prænunciat, & præcipue in communibus eventibus, qui dependent ex multitudine. Et ita intelligendus 1. 2. *quæst.* 9. *artic.* 5. *ad* 3. & 1. *part. quæst.* 115. *art.* 4. *ad* 3.

Secus autem si in particulari, de hoc aut illo homine quid tali tempore sit facturus, quandiu victurus, quales mores habiturus, quæ commoda, vel incommoda accepturus, quem statum conjugalemne, an cœlibem, quo mortis genere defuncturus, etiamsi probabiliter solum prædicentur,

tur,

tur, ſuperſtitioſum eſt, & per Conſtitutionem Sixti V. expreſſe damnatum. Intendit autem Divus Thomas verbis illis oppoſitis, quod etiamſi quis ſolum in generali prænunciaret opera humana ex aſtris certò, eſſet ſuperſtitioſus, quoniam ne ſic quidem poſſunt certò præcognoſci, ſed tantum conjecturaliter.

Quare frivolam declarat quorundam Aſtrologorum evaſionem, quod ſcilicet talia non prædicunt tanquam infallibiliter eventura. Sicut neque approbat illud inter eos protritum Aſtra inclinant, ſed non cogunt. Quoniam nec Deus humanam voluntatem ad ejus actus neceſſitat, ſed convenienti modo, naturæ ipſius eam inclinat, ſive in alteram contradictionis partem inflectit. Quod ita eſt ipſi proprium, ut Deus ſolus poſſit humanam voluntatem directe, ac proprie inclinare, niſi ipſa ſe inclinet. Confirmatque *articul. 9. quæſt. 22. de verit.* Neque pugnat, quod idem Divus Thomas inibi docet, ſimpliciter admittendo corpora cœleſtia nos inclinare ad actus liberi arbitrii. Nam ſolum admittit inclinare diſpoſitive, quatenus imprimunt in corpus humanum, & conſequenter in vires ſenſitivas, quatenus ſunt actus corporis organici, à quo tam intellectus, quam voluntas aliquo modo accipit: Unde *part. 1. cit. quæſt.* 115. *articul.* 4. *&* 1. 2. *quæſt. 9. articul.* 5. docet, diverſo modo cœlos agere in corpora inferiora, & quomodo eædem impreſſiones indirecte, ac per accidens ad intellectum, & voluntatem pertineant. Voluntas quippe non ex neceſſitate ſequitur inclinationem appetitus ſenſitivi, ſed libere poteſt eam admittere, vel recuſare. Ideoque abſolute dicitur, ſapiens dominabitur aſtris, ex quibus tantum haberi conjecturæ indefinitæ, ac incertæ, nullo autem modo particulares, ac certæ.

Consultatio CVII.

Num liceat ex geneſi conjicere temperamentum patris?

RESpondeo, licere, cum formidine tamen; ut quia filius appareat fortis, robuſtus, ex quo idem argui poteſt de patre, Quod Lyricus Vates expreſſit *Fortes creari fortibus & bonis.* Quod ſi ex geneſi filii velis conficere ſchema genethlicum patris, & matris juxta Doctrinam Cardani *in 3. quadrip. cap.* 4. *tex.* 10. *&* Campanellæ *in aſtrolog. capit.* 2. *art.* 1. *num.* 3. ac Montis Regii *in ſuis tabulis* ponere debes Solem filii de die, & Saturnum de nocte in aſcendente patris; Lunam de nocte, Venerem verò de die in aſcendente matris. Hoc ſchemate poteris patris & matris temperamentum, & infirmitates eis imminentes conjicere.

At certum eſt, id fore judicium vanum, & inutile, atque temerarium, ut pote nulli fundamento innixum. Nequeunt enim Aſtrologi demonſtrare, cur Planetas illos, & non alios in aſcendente ſtatuant, cur ibi potius quam in alia cœli parte? Et quare potius Saturnum ratione ſuæ frigiditatis & ſiccitatis infæcundum patri ſtuant, quam Jovem, quem Aſtrologi benigniſſimum Planetam & fortunam majorem appellant? Hæc fere omnia Carena ex aliis autoribus *part. 2. tit.* 12. §. 12.

Quæ ſane caſtigatione, & animadverſione digna ſunt. Siquidem diverſiſſima conſtellatio poteſt eſſe patris, atque filii. Quare ex una non poteſt prædici, quod alteri eveniat, niſi quia filius videtur patri plerunque eſſe ſimilis, & ſecundum diſpoſitionem, quam pater habuit generans, præcipue in ſemine, filius naſcitur ſimilis temperamenti. At hoc potius videtur inſtitutum phyſiognomi, phyſici, ac medici, qui ex viſu, atque aliis circumſtantiis obſervant temperamentum. Ex aſtris autem eſt impoſſibile hæc inveſtigare, nec conjectura, aut ſuſpicio haberi poteſt de temperamento patris ex filio, aut contra. Eoque magis, quia debet etiam attendi temperamentum matris, quæ majorem materiæ copiam in conceptu ipſo, ac deinde in utero ſubminiſtravit, in cujus coitu veneris, ac libidinis major eſt imaginatio, unde magis ei filius aſſimilari ſolet.

An & quatenus divinatio per aſtra ſapiat hæreſim manifeſtam? Idque per varias theſes.

Prima ſit. Vanum eſt, ac ſuperſtitioſum habere aſtra pro certis ſignis ad placitum impoſitis ad ſignificandum hunc, vel illum effectum. Hoc enim implicite eſt invocare, atque habere dæmonem pro magiſtro ac Doctore. Nam ſi hæc ſignificationis inſtitutio datur; non eſt, niſi à dæmone, ideoque non eſt, niſi ex dæmonis inſtitutione, has ſuas ſignificationes agnoſcere. Quod ſiquis credat, aſtra eſſe hoc modo ſigna certa futurorum contingentium, quæ ex illis certò cognoſci poſſunt, eſt hæreticus; & ſi pronunciat hujuſmodi futura, ut certò futura, eſt ex hoc ſaltem vehementer de hæreſi ſuſpectus. Siquis etiam credat, aſtra ex inſtitutione Dei eſſe ſigna ad placitum, inſtituta ad certam ſignificationem omnium futurorum eſt dignus cenſura Eccleſiaſtica. Tum quia contra fidem eſt aſſerere, quod ex aſtris poſſint cognoſci myſteria gratiæ, futura libera, cogitationes cordium, & hujuſmodi per ſe occulta. Et tum quia, licet non ſit expreſſe definitum, quod aſtra non ſunt ſigna ad placitum, à Deo inſtituta ad ſignificandum eventus rerum: id tamen ex Scripturis, ac principiis Theologicis certò deducitur adeo, ut oppoſitum aſſerere ſit erroneum, ſcandaloſum, & ſapiens hæreſim. Ideoque id eſſe irrationabile docet D. Thomas 2. 2. *q.* 95. *art.* 2. & improbant communiter Patres, ac Theologi.

Sit ſecunda theſis. Non modo Aſtrologi, ſed nec Angeli quidem ex ſolis aſtris, non adjuncta cognitione cauſarum ſublunarium poſſunt certò cognoſcere futuros eventus ſublunares, qui impediri poſſunt, ut abſolute futuros. Suppoſito tamen ordinario rerum curſu poſſunt Aſtrologi cognoſcere aliquos effectus naturales, interdum vel certitudine, ut plerumque, vel per inditia, vel per conjecturas magis, vel minus probabiles. At verò determinationem horum effectuum, ac eorum particulares circumſtantias ex ſolis aſtris, nec per conjecturam poſſunt cognoſcere, licet, adjuncta notitia materiæ & cauſarum particularium, magis minuſve probabiliter eas prævidere poſſint; individuationes tamen illorum nullo modo.

Probatur prima pars hujus theſis. Nam effectus, qui eſt à pluribus cauſis non poteſt ex una ſola certò cognoſci, ut abſolute futurus, cùm ex alia poſſit impediri, ne ſit, vel determinari, ut ſit talis, & non talis. Ex ſolis igitur aſtris non poteſt aliquis effectus ſublunaris certò cognoſci,

ut

ut absolutè futurus, cùm possit impediri, ne sit, & determinatio illius non sit è cœlo, sed à causis sublunaribus. Verum autem est, quòd immediatus effectus cœlorum, ad quem causæ sublunares merè passivè se habent, non potest omnino impediri. Semper enim sol, & astra aliquo modo mundum illuminant, unde hic effectus est necessarius, modus tamen illuminationis est contingens, necque ex solis astris potest cognosci, ut absolutè futurus. Ad prævidendum itaque futuros eventus non est satis observare astra, & proinde non sufficit Astrologia, sed necesse etiam est, cognoscere causas inferiores, tam materiales, quàm activas, atque adeo simul est necessaria philosophia.

Secunda pars etiam probatur. Nam ex causa necessaria, quæ, licet impediri possit, tamen saltem in communi, sivè quoad aliquod individuum vagum, rariùs impeditur, potest cognosci effectus, ut absolutè futurus, certitudine quadam physica, sivè ut magna ex parte, vel magis, aut minùs probabiliter, secundùm quod plus, vel minùs contingit causam illam impediri secundùm ordinarium cursum rerum. Poterit igitur Astrologus plerumque cognoscere ex cœlo effectus cœli naturales, ut certò futuros, ut quòd erit aliqua pluvia, aliquis ventus, aliqua serenitas, aliqua tempestas cum majori, vel minori probabilitate secundùm quòd per experientias astrologicas manifestum est hos effectus rariùs, vel frequentiùs impediri.

Pars quoque tertia sic probatur. Quia determinationes effectuum naturalium ad tantam quantitatem, aut talem qualitatem, aut gradum intensionis qualitatis, & etiam quoad locum, & tempus, ac personam maximè pendent à causa materiali, & ab aliis causis sublunaribus. Ideo non possunt ex sola Astrologia certò prævideri, sed adjuncta postea notitia istarum causarum sublunarium magis, aut minùs in particulari possunt effectus prævideri, & cum majori, vel minori probabilitate secundùm quòd notitia hujusmodi causarum erit major, ac certior.

Probatur demum pars quarta. Quia non potest cognosci effectus futuri individuatio, nisi cognoscatur individuatio omnium causarum, illarumque accidentium, ac circumstantiarum loci, temporis, personæ, qualitatem aëris, ac omnium illorum, ex quibus effectus dependet. Ex mutatione enim individuationis alicujus ex istis, mutabitur individuatio effectus futuri. Hæc autem individuatio causarum, & circumstantiarum est cognoscibilis ab homine antequam causa sit, & causet, atque ita non potest in ea cognosci effectus, nisi ut præsens, & dum actu causatur.

Tertia Thesis. Divinare ex astris effectus naturales, per se non est illicitum, sed per accidens. Ex circumstantiis autem non modò potest esse illicitum, sed & superstitiosum, ac de Fide suspectum. Primam partem docent D. Thomas 2. 2. *q.* 91. *art.* 5. ibique Cajetanus, ac Declatorre, Suarez, *to.* 1. *de relig. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 8. *&* 9. Sanchez *in decal. lib.* 2. *cap.* 38. *n.* 28. Carena *d. tit.* 12 §. 12. aliique: & in Constitutione Sixti V. approbatur astrologia quoad agriculturam, rem nauticam, & rem medicam. Quia hujusmodi effectus per Astrologos possunt saltem in generali, prævideri, etiam aliquando cum certitudine. Hoc igitur facere, non est per se illicitum. Per accidens tamen fieri potest illicitum, si non observant ea, quæ in præcognoscendis eventibus futuris Astrologi ipsi monent, vel non ex principiis certis temerè prædicunt aliquid futurum, quòd verè non est, vel cum majori certitudine illud futurum asserunt, quàm debent. Quotiescunque verò aliquis tentat prædicere, ut futurum id, quod certum illi est non posse à nobis prævideri, ut futurum, vel cum majori certitudine illud asserit, quàm evidens ac certum sit posse ex humana astrologia prævideri, ille dæmoni innititur, & superstitiosus est, ac erit etiam de fide suspectus, saltem eo modo, quo suspecti sunt habentes pactum implicitum cum dæmone.

Thesis quarta. Prædicere ex astris contingentia libera, ut certò futura, est omni jure illicitum, superstitiosum, ac de fide suspectum. De jure autem positivo etiam est illicitum ferre judicium genethliacum de futuris eventibus, etiamsi dicatur, ea non prædici ut certa. Prima pars probatur ex Hierem, 10. Isaia, & Act. 19. *in can. sed & illud* 26. *q.* 2. *can. consuluisti*, *can. sciendum* 26. *q* 3. *cap. ex tuarum de sortil. ex hujusmodi aliis*, ex Constitutione Sixti V. & Urbani VIII. à jure Civili, à Patribus, à Doctoribus, de quibus *alibi*. Nam actus liberi non habent connexionem necessariam cum stellis, & earum influxibus. Quare est hæreticum asserere, quòd sidera necessitent voluntatem, & tollant electionem. Supposita igitur quacumque influentia cœlorum, cum sit voluntati liberum velle ac non velle, velle hoc & oppositum, non potest certò ex astris cognosci, quid sit factura voluntas.

Conjecturaliter tamen prædicere, non solùm ex astris, sed etiam ex temperamento & ex naturali propensione hominis ea, quæ pendent ex libero arbitrio non est peccatum mortale. Quia cognitio conjecturalis eorum, quæ pendent ex libero arbitrio, ex astris quodammodo haberi potest. Ait enim D. Thomas *d. q.* 95. *ar.* 5. corpora cœlestia non possunt esse per se causa operationis liberi arbitrii, possunt tamen ad hoc dispositivè inclinare, quatenus imprimunt in corpus humanum, & per consequens in vires sensitivas, quæ sunt actus corporalium organorum, quæ inclinant ad humanos actus, & nulla ex hoc necessitas libero arbitrio imponitur, ac ita etiam docent ibi Cajetanus, Valentia 2. 2. *disp.* 6. *q.* 12. *n.* 3. Delrius *lib.* 4. *cap.* 2. *q.* 3. Molsesius *jurium. p.* 1. *tr.* 11. *cap.* 8. *n.* 120. & alii quos sequitur Delbene *p.* 2. *dub.* 222. *sect.* 2. *n.* 5. etsi dissentire videantur Salas, Homo bonus, Farinacius, & nonnulli alii apud Bordonum *tom.* 1. *cap.* 21. *n.* 50.

Thesis quinta. Pariter illicitum, ac superstitiosum est, ex astris cum certitudine divinare fortuita, quæ scilicet ex merè contingenti concursu causarum fiunt. De futuris enim contingentibus non est determinata veritas. Quare si ut certa pronunciantur, non virtute astrorum, sed ope dæmonum, certò futura esse dicuntur. Et ideo talis divinatio semper est execranda superstitio, & mortale peccatum, estque prohibita in Constitutione Sixti V. verbis illis: *Aut facientes judicia, & nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus, successibus & c. aliquid affirmare audent, etiamsi non certò, se id affirmare, asserant, aut protestentur.* Hunc autem concursum non causari à corporibus cœlestibus, certum est. Neque hujusmodi fortuita per conjecturam, aut per suspicionem possunt ex astris prævideri. Quia contingens causarum concursus non habet cum aliquo effectu naturali connexionem, ex qua illius suspicio possit haberi.

Thesis sexta. Summè verò impium, ac superstitiosum est ex astris velle prævidere mysteria gratiæ, Deique miracula, & ea, quæ ex libera Dei voluntate fiunt, cùm hæc à libera Dei voluntate procedant, quorum corpora cœlestia nec sunt causa, neque signa, ad illa significandum instituta. Deus tamen aliquando opera sua præsignificat, sicut per stellam nativitatem Christi Magis significavit, sed tunc significatio est ex Dei institutione, qui oc-

culta & futura, vel per Prophetarum voces, vel per alia signa manifestat.

Septima. Non possunt Astrologi absque culpa mortali inquirere ex astris, ac pronunciare res præteritas, vel præsentes occultas. Quia talis inquisitio pactum implicitum cum dæmone involvit. Supponit enim vel aliquam artem divinandi à dæmone traditam, vel eò tendit, ut dæmon, quod desideratur, ostendat. Nam ex astris homines cognoscere non possunt res occultas quæ humano modo sciri nequeunt. Quare mortale peccatum est investigare, & inquirere per astrorum judicium thesauros absconditos, furta occulta, homicidia, adulteria, & hujusmodi alia, ut constat ex *cap. de sortil. & in cap. ex tuarum eod. tit.* ex quo textu colligit Cajetanus 2. 2. *q.* 95. *ar.* 2. ignorantiam raro excusare hujus delicti gravitatem.

Thesis octava. Quamvis Pegna *com.* 61. & Carena *cit. tit.* 12. *n.* 141. rectè admoneant, in his non tantùm debere attendi, an de mente Doctorum aliquid dicatur esse de fide vehementer suspectum, sed considerandas esse circumstantias personarum ex quibus gradus suspicionis augetur, vel minuitur, vel omnino tollitur; nihilominus opus etiam est videre, quid natura facti ferat, ut possit postea in facto judicium ferri quo pacto agens judicari debeat de fide suspectus. Asserimus igitur, quòd prædicere ex astris contingentia, & fortuita libera, tanquam certò futura, est factum hæreticale, sive sapiens hæresim manifestè, atque ideo saltem inducit vehementem suspicionem de fide. Nam hoc factum hæresim supponit, & ex illa procedit. Supponit enim vel quòd intellectus, & voluntas sint potentiæ subjectæ cœlorum influentiis, vel quòd cœlestia corpora necessitent voluntatem, libertatemque tollant; nam libertate manente, non possunt opera libera futura certò cognosci. Quod enim cognoscitur, ut indifferens ad hoc, ut sit, & non sit, non potest cognosci, ut certò futurum, cùm possit non esse. Si igitur futura, quæ pendent à voluntate, cognoscerentur ut certò futura ex astris, quæ sunt causæ naturales, id non esset, nisi quia illa essent causæ cogentes ad volendum id, quod cognoscitur, ut necessariò futurum, ceu probat D. Thomas 2. 2. *q.* 95 *art.* 5. *& lib.* 3. *contra Gent. cap.* 84. traduntque communiter Doctores.

De fortuitis verò, quæ sunt à causis naturalibus, nec ordinem habent ad libertatem, sed ex causis merè naturalibus procedunt, non est eadem ratio. Nam si quis dixerit, quòd concursus hujusmodi causarum sit à cœlo, non est hæreticus. Quamvis igitur verum sit, quòd earum concursus sæpissimè est merè contingens, & adscribi nequeat astris, quæ sunt causa naturalis, sed divinæ providentiæ; hoc tamen non est de fide definitum, sed est veritas Philosophica, & Theologica. Et nihilominus dicimus, quòd prædicere certò fortuita ex astris, est superstitiosum, ac de fide valde suspectum. Nam, ex Scripturis certum est, quòd certò cognoscere futura contingentia, antequam eveniant, est proprium Dei; quod & asserit Sixtus V. in sua Constitutione; est ergo etiam Philosophicè, ac Theologicè certum dari in naturalibus effectus fortuitos, atque adeò est contra doctrinæ catholicæ sensum asserere, quòd astrologi possint hos effectus certò prævidere. Extat hujus rei exemplum in sagitta, quæ vulneravit Achab 1. *Reg.* Licet enim illa fuerit emissa à milite libero, quia tamen fuit fortuitò emissa, idem est, ac si à causa naturali emissa fuisset, casuque accidit, quòd percuteret Achab.

Prædicere autem cum certitudine, imò & sine certitudine futura libera, & fortuita ex astris, non ut ex causis, sed ut ex signis à Deo ad illorum significationem institutis, inducit suspicionem hæresis etiam vehementem. Constat ex dictis, si prædictio fiat tanquam certa. Et de quacunque prædictione etiam probatur. Nam asserere, quòd astra sint signa ad libitum, à Deo instituta ad significandum futuros effectus, maximè liberos, & fortuitos, est propositio saltem erronea, temeraria, scandalosa, & sapiens manifestè errorem. Asseritur enim à Deo factum, quod Deus se fecisse nunquam nec per scripturas, neque per Prophetas, neque per Apostolos, neque per seipsum, neque per Ecclesiam declaravit. Quòd si fecisset, declarasset. Fuisset enim inutilis hæc institutio, nisi Deus eam manifestasset, ostendendo cujuscumque signi veram significationem. Sed non modò id Deus non fecit, verùm per Prophetas suos hujusmodi significationem reprobavit, & reprobat Ecclesia Catholica, damnans certas prædictiones futurorum contingentium ex astris, ut alibi dictum. Et tamen si astra essent signa divina, essent signa certa, & infallibilia, ex quibus futura certò cognosci possent.

Ex quo planè ostenditur, quomodo prævidere ex astris, ut certa, fortuita merè naturalia, sit superstitiosum, ac de hæresi suspectum. Nam revera hæc non possunt prævideri ex astris, ut ex causis. Qui ergo illa vult ex astris prævidere, uti vult illis, ut signis, quemadmodum arguit D. Thomas 2. 2. *q.* 96. *ar.* 1. 2. *&* 3. non autem ut signis, à Deo institutis, ut liquet. Ergo ut institutis à dæmone. Supra homines enim non est alia creatura intellectualis, quæ possit signa instituere, nisi Deus, Angeli Dei, qui nihil agunt, nisi Deo volente, & hæc in re unum cum Deo censentur, ac dæmones. Hæc itaque divinatio non fit, nisi cum implicita dæmonis invocatione, & saltem inducit suspicionem malam. Quòd si divinationem constitueret in astris, ut signis à Deo institutis, esset suspicio vehemens de errore, doctrinæ fidei opposito.

E solis verò astris prædicere effectus, etiam naturales in particulari, etiam non certò, est de se superstitiosum, ac inducit suspicionem saltem de levi. Quod universim verum est de omni prædictione, qua prædicitur, ut futurum ex solis astris id, quod certum est, ex illis non posse causari. Prædictio enim hujusmodi cùm non possit inniti causalitati, quoniam astra ex se solis non causant particulares effectus, imo particularitas effectum naturalium est ex causis proximis, ut ex causa propria; ideo prædictio hujusmodi innititur astris, ut signis non divinis, sed dæmoniacis. Quare in ea continetur saltem pactio implicita cum dæmone, & sic saltem inducitur suspicio levis de mala credulitate. Unde habetur alia ratio ad probandum, quòd prædicere fortuita ex astris est superstitiosum, ac de fide suspectum. Quia hæc fortuita non possunt prædici, nisi cognitis causis proximis in particulari, quæ ex astris cognosci non possunt. Semper enim, si Astrologus expressè utitur astris, ut signis à Deo institutis ad placitum, est saltem vehementer suspectus de errore contra doctrinam fidei, ut jam diximus.

In his tamen ignorantia etiam crassa potest excusare à superstitione, ac suspicione hæresis. Quia ubi de fide non est certum, quod astra aliquid causare non possunt, vel demus, quòd sit certum, non ex fide, sed ex philosophia, qui tamen prædicit aliquid ex astris, putat astra esse causam naturalem illius, quod prædicitur, talis prædictio non est superstitiosa, ut habet D. Thomas 2. 2. *q.* 96. *ar.* 2. *ad.* 1. docens, quòd si simpliciter adhibentur res naturales ad aliquos effectus producendum, ad quos putantur habere virtutem, non est superstitiosum,

vel

vel illicitum. Ignorantia in his, quamvis crassa, non excusat à temeritate, errore, & mendacio. Excludit verò pactum implicitum cum dæmone. Quia divinans non utitur astris, nisi, ut causis naturalibus, & quia putat, illa continere ad effectum virtutem naturalem, non verò utitur illis, ut signis dæmoniacis, nec invocat implicitè dæmonem. Unde cessat superstitio, ac suspicio mala, fundata in pacto implicito dæmonis. Ubi tamen de fide certum est, astra non habere virtutem naturalem ad effectum, non evitatur hæresis, sive pactum contra fidem, nisi ignorantia sit invincibilis, vel probabilis, ut quia sit ejus rei, quam quis non tenetur explicitè credere, sicque in hoc casu potest adesse suspicio ex parte illius rei, quæ creditur, quòd scilicet sit contra fidem.

Sed an prædicere futura libera, & fortuita absolutè ac simpliciter, non exprimendo quòd sint certò futura, imò in mente tenendo, quòd solùm asserantur, ut futura conjecturaliter, vel sub conditione quantùm sit ex parte astrorum, & naturalis eorum effectus, salva in cæteris volentis libertate, sit ex se superstitiosum, illicitum, ac de fide suspectum? Certum est, quòd in foro exteriori hæc prædictio est prohibita, & habetur, ut superstitiosa, & suspecta. Non esse tamen hoc illicitum, ait Delbene *p.* 2. *disp.* 222. *sect.* 2. *n.* 5. At esse illicitum tenent Delrius *lib.* 4. *magic. cap.* 2. *q.* 3. *conclus.* 1. Suarez *cit. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 11. Sanchez *eo cap.* 38. *n.* 33. Nam illa minima conjectura, sive suspicio, quæ de effectibus liberis haberi potest, non sufficit ut effectus dicatur absolutè futurus. At quoniam hujusmodi Astrologi, maximè autem qui minùs imprudentes sunt, magisque accurati, non prædicunt futura ex sola astrorum consideratione, ex qua actus liberi ne per conjecturas quidem possunt prævideri, sed simul ex observatione aliorum principiorum, tum physicorum, tum moralium, ex quibus effectus, etiam liberi in communi possunt, etiam probabiliter, prævideri, distinguendum est. Si prænunciant effectus liberos in particulari, ut quòd Titius erit Rex talis regni, vel Pontifex Romanus, vel si prædictio est generalis aliquo modo, tamen ex principiis generalibus physicis, ac moralibus communibus, ac omnibus notis, vix per conjecturam agnosci possunt, nec potest præsumi, quòd divinans habeat magis particularem notitiam causarum magis proximarum, tunc illa prædictio absolutè censeri poterit illicita, tanquam valde suspecta, quòd proveniat ex disciplina dæmonis, sicque superstitiosa, & scandalosa. Si verò prædictio sit generalis, talisque qualis ex astris, junctis aliis principiis physicis, ac moralibus, potest haberi nedum conjecturalis, sed etiam probabilis, illa absoluta divinatio non debet dici illicita, cùm ad absolutam divinationem sufficiat probabilitas eventus. Atque ita ubi constat divinatorem esse prudentem, illumq; non ex solis astris divinare, sed ex aliis principiis, præsumi debet, illum non habere notitiam principiorum magis particularium, quantum sufficit ad prædictionem probabilem effectus, absoluta prædictio non erit mala, neque activè scandalosa. Cæterùm si prædictio actuum liberorum fiat ex solis astris, semper est de se superstitiosa, & suspecta, etiam si sit solum conjecturalis. Quia ex solis astris ne conjectura quidem actuum liberorum haberi potest.

An autem in Constitutione Sixti V. comprehendantur duntaxat Astrologiam pluries exercentes, vel etiam qui semel divinavit alicui futura contingentia vel ejus nativitatem? Et sanè quamvis verba illa Constitutionis: *Judiciariæ astrologiæ artem exercentes*, videantur significare eos, qui per iteratos actus astrologiæ artem exercent; nam in jure illi dicuntur aliquid exercere, qui frequenter illud agunt, non autem qui semel, aut bis. Atque ita docent in casu simili Panorm. *in cap.* 1. *n.* 24. *de judic.* Floron. *de casib. reser. p.* 2. *cas.* 2. *n.* 5. *ac seq.* Genuen. *in prax. cap.* 18. *n.* 15. Henriq. *in sum. lib.* 14. *cap.* 5. *n.* 1. *in glos.* Diana *p.* 2. *tr.* 17. *miscel.* 3. *resol.* 65. Attamen in hoc casu etiam qui semel astrologiæ arte futura contingentia prædixerit, vel superstitionis actum exercuerit, subditur Inquisitorum jurisdictioni, ac pœnis in eadem Constitutione contentis. Nam ibi non solùm nominantur *Exercentes*, sed etiam *facientes*. Dicitur etiam: *In posterum exercentes, aut facientes judicia, & nativitates hominum.* Et post pauca: *Quive hujusmodi illicitas divinationes, sortilegia, superstitiones, & c. faciunt, aut in eis se quomodolibet intromittunt.* Ex quibus clarè colligitur, Constitutionem comprehendere non solùm exercentes, sed etiam facientes, & quomodolibet se intromittentes. Facit autem ac se intromittit quicumque semel aliquid agit, ac ita etiam sustinet Bordonus *to.* 1. *cap.* 21. *q.* 6. *n.* 8.

Per eadem autem verba: *se quomodolibet intromittunt*, comprehenduntur consulentes, mandantes, consentientes, auxilium dantes, docentes, addiscentes, instruentes, & quomodolibet cooperantes in hujusmodi illicitas divinationes, sortilegia, superstitiones, veneficia, incantiones, ac similia. Hi omnes comprehenduntur in dicta Constitutione Sixti V. & subjiciuntur sacro Inquisitionis Tribunali, ac supradictis pœnis, ut etiam notat Bordonus *loc. cit. n.* 9.

Et quanquam nonnulli Doctores opinentur memoratam Constitutionem Sixti procedere tantùm in foro exteriori, quia summus Pontifex utitur illis verbis, *Inquirant, postulent, & in eos severius Canonicis pœnis animadvertant.* Ex quibus colligunt, quòd, etsi in dictis prædictionibus Astrologi expressè dicant, se non affirmare id tanquam certum, nihilominus non sunt excusandi, sed puniendi canonicis pœnis. Ergo hæc Constitutio obligat tantùm in foro exteriori, non autem interiori, dum leges pœnales sunt potiùs restringendæ quàm ampliandæ, ac ita videntur docere Valentia 2. 2. *disp.* 6. *q.* 12. *pun.* 3. Delrius *lib.* 4. *cap.* 2. *q.* 3. Naldus *in sum.* 11. *Astrologus n.* 4. ac Delbene *loc. cit. n.* 7.

Attamen tutiùs, ac probabiliùs docent Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *cap* 11. *n.* 30. Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 38. *n.* 34. Farinacius *de hæret. q.* 181. §. 1. *n.* 59. Salas *p.* 2. *q.* 9. *ar.* 5. *tr.* 5. *disp.* 2. *sect.* 3. *n.* 36. Peyrinis *to.* 1. *in Const.* 9. *Pauli V* §. 2. *n.* 24. Constitutionem hanc Sixti V. obligare in foro exteriori, & interiori, etiamsi Astrologi asserant, se quod prædicunt, non affirmare certò; Quia Summus Pontifex utitur verbis præceptivis, nempe, *Apostolica autoritate statuimus, & mandamus*: Vocat hujusmodi divinationes, *detestanda scelera, & delicta*: declarat, *inventas fuisse à diabolo ad fidelium deceptionem, & ad Reipublicæ perniciem, ac esse multis superstitionis periculis expositas.* Ergo illas prohibet non modò sub pœnis fori exterioris, sed etiam sub pœna peccati mortalis.

Neque obstat, hanc Constitutionem vel non esse usu receptam, vel ob desuetudinem esse abrogatam. Quoniam Urbanus VIII. illam perpetuò approbavit, confirmavit, ac innovavit in sua Constitutione Inscrutabilis superiùs adducta. Qua de re in sequenti etiam consultatione.

Ac ita, ut Astrologi, aliique divinatores non excusantur à peccato, neque à dictis pœnis, etiam quando protestantur, se non affirmare certò, quod prænunciant. Quia his verbis malitiosè utuntur ad occultandam suam perniciosam divinationem. Solent enim absolutis verbis futura in particulari prædicere, vel occulta expressè revelare, ac postea subdere: sed id non affirmare certò. Quibus verbis, si daretur locus

locus, nullus convinci posset, se esse superstitiosum divinatorem, neque Constitutionis Sixti V. transgressorem. Quia ipsi nunquam dicerent, hoc, vel illud infallibiliter, ac certò eventurum ad occultandum suam malitiam. Et ideo in eorum prædictione, etiam cum tali protestatione, non deest gravis culpa, neque excusantur à pœnis, ut notant Suarez, Sanchez, Salas, Peyrinis, & Farinacius locis allegatis.

Est autem advertendum ex hac Sixti Constitutione non esse prohibitum figuram erigere nativitatis alicujus. Nam prohibitum est judicare de futuris. Erectio autem figuræ est necessaria etiam ad prævidendum effectus naturales. Quod non est prohibitum. Censeo tamen prohibita esse judicia de fortuitis, quæ ex contingenti concursu causarum naturalium fiunt. Quia hæc sunt Dei propriè, nec possunt usurpari ab hominibus, sicque hujusmodi judicia facere, est divinatoriam artem illicitam exercere, & quod Dei est proprium usurpare.

Constitutio verò Urbani VIII. ejusque prohibitio non extenditur ad futurum Pontificem, sede vacante, sed solùm ad Pontificem actu viventem. Quia solùm loquitur de Pontifice pro tempore vivente. Sic enim in ea legitur §. 1. *qui de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis, ejusque usque ad tertium gradum inclusivè consanguineorum.* Cùm autem hæc prohibitio sit pœnalis, non est extendenda plusquam verba præ se ferunt.

Seclusis verò personis expressis in Constitutione Urbani, possunt Astrologi aliis prædicere aliqua futura conjecturaliter. Quia prohibitio ac pœnæ dictæ Constitutionis non extenduntur ad prædictiones aliarum personarum. Et ideo quoad alias prædictiones conjecturales standum est, etiam post Constitutionem Urbani, juri communi, & Constitutioni Sixti V. Nec pœnæ dictæ Constitutionis Urbani procedunt contra inquirentes de affinibus Papæ, quia non continentur nomine consanguineorum, maximè in pœnalibus, Jo. Andr. *in cap. sciant cuncti de elect. in 6.* Specul. *tit. de rescript. præsent. §. ratione autem.* Notandum verò, quòd absolutio excommunicationum quæ in dicta Constitutione Urbani continentur, ita fuit in Brevi reformationis S. Pœnitentiariæ ab eodem Urbano reservata, ut S. Pœnitentiaria non possit absolvere prædictos inquirentes per media præfata. Quoad alios autem in dicta Constitutione comprehensos, non fuit reservata absolutio in illo Brevi.

Itaque Astrologi judiciarii, qui res occultas, vel pendentes à voluntate hominis, vel contingentes, ut certas, vel ut probabiles, futuras esse pronunciant, possunt puniri à Tribunali S. Officii ex citata Constitutione Sixti V. Nam, ut diximus, affirmare, quòd actiones humanæ pendeant ab astris, est gravis error in fide. Quia tollit liberum arbitrium, ac subdit voluntatem nostram ex necessitate influxibus cœlestibus & consequenter vitia omnia, & peccata non homini, sed cœlo, ejusque autori sunt tribuenda. Quod est hæreticum id dicere.

CONSULTATIO CVIII.

An aliqua Prædictio ex astris prohibita sit jure tantùm positivo? Doctorum variæ sententiæ, de quibus singulis breviter disputatur. Vera sententia. Quomodo abjurare debeant Astrologi. Et an Sixtus V. prohibeat tantùm illicita, & mala per se, & sic malum esset secundum se, etiam prædicere non certò, & in communi libera, & fortuita.

Hic verè comprobatur illud effatum. Quot capita tot sententiæ. Raphaël Delatorre *in 2. 2. q. 95. art. 5. dub. un. disp. 2.* etsi censeat probabile, Sixtum V. ad occludendum os Astrologis, prohibuisse aliquod genus divinationis, aliàs licitum, nimirum faciendi judicia genethliaca, quibus de futuris contingentibus, successibus, fortuitisque casibus, aut actionibus, ex humana voluntate pendentibus, etiamsi non certò affirmare asserant, aut protestentur in communi alloqui. Hujus prohibitionis Urbanus VIII. rationem affert; quia iste modus pronunciandi perniciosus est Christianæ plebi, & ex eo sequuntur plurima incommoda, etiam sub eodem Urbano, unde puniti severissimè transgressores ultimo supplicio à suprema Inquisitione.

Probabilius tamen existimat, nihil prohiberi à Sixto in sua Constitutione, quod jure divino prohibebatur. Est autem, ac semper fuit intrinsecè malum ex astris, non solùm certò, sed etiam probabili conjectura prædicere futura merè contingentia in seipsis, sive illa sint actus humani, à libertate pendentes, sive eventus fortuiti, de quibus loquitur Sixtus.

Tradit autem Candidus *dub. 6.* effectus futuros, pendentes ex libero arbitrio prædici ab Astrologis astrologia judiciaria, tenuissima quadam conjectura, non esse illicitum, neque jure antiquo prohibitum. Quia conjecturalis, & tenuis quædam cognitio pendentium ex libero arbitrio, potest haberi ex astris, non autem certò. Jure autem novo per Constitutionem Sixti V. effectus fortuitos, & futura contingentia libera prædici ab Astrologis, etiam tenuissima quadam certitudine, interdicitur. Probat ex verbis illis Constitutionis: Etiamsi id non certò affirmare asserant, aut protestentur. Ac etiam quia hic modus pronunciandi futura, dependentia ex libero arbitrio, casusque fortuitos, est valde perniciosus, & expositus multis superstitionum periculis.

Diana *p. 1. tr. 1. miscel.* cum Suarez, & aliis tenet, valde probabile esse Sixti V. Constitutionem obligare duntaxat in foro exteriori. Unde quicquid licitum erat de jure veteri prædicere ante dictam Constitutionem, licitum etiam esse nunc in foro conscientiæ, secluso scandalo. At severius, addit, ac verius est, affirmare illam obligare, etiam in foro conscientiæ. Habet enim lex ista in materia gravissima vim præcepti, eoque magis quia addita est excommunicatio ab Urbano VIII. Qui enim legit libros prohibitos de astrologia judiciaria, præter peccati mortalis reatum, Episcoporum arbitrio severè punitur ex Constitutione Pij IV. sub die 24. Martii 1564. Si autem libri contineant hæresim, eos scienter legentes, aut retinentes, sunt etiam excommunicati in Bulla Cœnæ *can. 1.* estque reservata summo Pontifici.

Idem Diana *loco citato*, ait, quòd Inquisitores cognoscunt de causis Astrologorum judiciariorum, quia eorum modus revelandi, est valde periculosus Reipublicæ, multis superstitionibus expositus, & ex occulta dæmonum societate pendere, præsumitur. Quod enim dicent, se eventus non certò affirmare, dicere videntur ad tegendas fraudes, & vitandas pœnas statutas.

Leonardus Lessius *de just. & jur. lib. 2. cap. 43. dub. 6.* existimat, si Astrologi prædicunt aliquid, maximè in particulari cùm circumstantiis, quarum non possunt reddere rationem, nisi ex regulis astrologiæ judiciariæ, *vers. 9.* quia hora nativitatis erat talis cœli catastasis, non sunt excusandi, etiam si solùm dixerint, esse probabile, aut verisimile. Quia cùm revera nihil tale ex astris colligi possit, omnis talis prædictio

referenda

referenda est ad disciplinam malignorum spirituum, & occultam eorum societatem. Et sane periculosum est, putare regulas illas esse probabiles, cùm eadem ferè incommoda sequantur, & ipsi Astrologi, quos Ecclesia damnat, sæpe non plus dicant. Fatentur enim suas prædictiones non esse semper certas, & posse interdum aliter evenire. Nihilominus meritò rejiciuntur, tanquam impostores, & occulta commercia cùm dæmone habentes. Si verò solùm in genere pronuncient ita, ut probabilis ratio reddi possit ex ætate, dispositione corporis, temperamento, consuetudine vitæ, aut aëris affectione, quæ ex siderum concursu, vel aspectu proveniat, non sunt condemnandi.

Zanardus in Director. *p.* 1. *præcept.* 1. *cap.* 5. *q.* 16. putat, quòd si astrologus judiciarius tantùm asserat, se credidisse, posse astra nos inclinare, sed non cogere, quamvis subdatur judicio Inquisitorum quoad investigationem credulitatis; quia ex facto se reddit suspectum, non tamen debet abjurare; quia rem indifferentem gessit.

At perperam putat Zanardus. Nam committens factum hæreticale, ob quod reus redditur suspectus alicujus hæresis, si rectè respondeat, etiam in tortura, illi nullatenus adhæsisse, attamen abjurat de levi, vel de vehementi juxta quantitatem suspicionis, provenientis ex indicijs, vel facto, dummodo illud fuerit confessus. Si autem fateretur, se adhæsisse, deberet abjurare de formali, ac subdi pœnis hæreticorum; ut qui accipit secundam uxorem, vivente prima, suspectus redditur de hæresi, quòd licita sit polygamia. Quare, nisi ex suis defensionibus, ignorantia, vel alia ratione excusetur, abjurare solet de vehementi in Italia, in Hispania verò de levi. Si autem confiteatur tali errori adhæsisse, abjurat de formali. Ideo rectè in Inquisitione Hispanica, referente Diana *ibidem* & ex eo Carena *p.* 2. *tit.* 12. §. 12. quidam clericus, qui prædixit tempus, genus & modum mortis Regis Francorum, abjuravit de levi, suspensus fuit ab ordinibus, ac privatus beneficijs, & à tota Hispania in exilium ejectus. Alius Clericus abjuravit etiam de levi, & per annum in monasterium inclusus, inflicta ei etiam pœna pecuniaria. In Italia verò abjurarunt aliquando de vehementi, & condemnati ad triremes Astrologiam judiciariam exercentes juxta qualitatem personæ, quantitatem delictorum, ac pericula ex modo affirmandi certò, & in particulari

Duardus in Bullam Cœnæ *lib.* 2. *can.* 1. *q.* 22. *n.* 67. arbitratur prohiberi à Sixto V. artem astrologiæ judiciariæ circa ea, quæ naturaliter sciri non possunt, ut declarat Quaranta *v. Astrologia judiciaria.* Additque si hujusmodi Astrologi, & Chiromantici ex astrorum, manuumve inspectione, aliquid necessariò futurum asserant, sunt hæretici. Quia habent errorem in intellectu, & dæmonem consulunt de ijs, quæ naturaliter scire non possunt. Secus autem si dæmonem consulerent de præteritis, ac de præsentibus. Nam cùm hæc à dæmone sciri possint, in hæresim non incidunt, ut declarat Ugolinus *in explicatione ejusdem canonis*, §. 2. Hæc Duardus.

At certè neuter per se hæreticus formaliter dicetur, & suspectus etiam redditur de hæresi, qui dæmonem consulit de præteritis, ac de præsentibus. Et ideo interrogatur reus, an crediderit, licitum esse consulere dæmonem? Quòd si fateatur, credisse, abjurat de formali, sin autem, adhuc abjurat, sed de levi. Si verò quis affirmaret, futura libera necessariò evenire, deberet aliam hæresim expressè, & in particulari abjurare, ac de illa interrogari, an illi adhæserit. Potest namque esse, quòd aliquis Astrologus absolutè ac certissimè affirmet, futura, etiam libera, & tamen non credat, quòd illa necessariò subdantur astris, sed ex levitate protulerit, vel juxta regulas sibi præscriptas à magistris Astrologis, sicut potest quis absque necessitate comedere carnes diebus ab Ecclesia vetitis ex vitio gulæ, non adhærens hæresi, & multi proferunt blasphemias hæreticales, hæresibus non adhærentes.

Cardinalis Toletus statuit *lib.* 4. *cap.* 15. §. 6. his verbis: Non negamus posse naturales effectus per astrologiam sciri, ut eclipces, pluvias futuras, & similia, pariter complexiones, & inclinationes hominum. Cœli namque influunt in humana corpora. Subdit tamen, peccatum esse mortale uti astrologia ad cognoscendum mysteria gratiæ, vel quæ ex libera voluntate hominis pendent, quasi certò eventura sint. Nec enim complexio hominis, neque cœlum, vel ulla creatura cogit voluntatem, & contingentia multis causis impediri possunt. Quòd si quis vellet cognoscere quandoque contingens, vel liberum, judicando esse incerta, & posse non evenire, non est mortale, nisi cùm quis in suis actionibus utitur istis judicijs astrologorum, tanquam regula, nec quicquam vult facere, nisi illam consulendo, iste talis jam certam putat regulam. Semel autem, vel bis consulere, & judicando esse rem incertam, & posse non evenire, veniale esset, & actus omnino otiosus. Quia nihil prorsus certitudinis tale habet judicium.

Hæc eadem confirmat Trullenchius *tom.* 1. *oper. moral. lib.* 1. *cap* 10. *dub.* 4. supponendo cognitionem ex astris circa etiam naturales effectus, qui frequenter eveniunt, valde incertam esse hominibus, cùm pendeat ex concursu, & aspectu omnium astrorum simul, qui quovis momento variantur. Nec sciri potest, an talis effectus proveniat à sidere Veneris, anve Jovis. Eoque magis quia dependent etiam à causis subcœlestibus efficientibus, & materialibus. Quare hujusmodi res adeo incertas affirmare, vel credere, temeritas est, & imprudentia. Unde peccatum est temeritatis, aut levitatis, veniale quidem, nisi inde timeatur grave damnum. Addit autem, non esse per se malum, neque universaliter prohibitum prædicere ex astris inclinationem futuram pueri nascentis; esset tamen temerarium id, tanquam certum, vel nimis probabile prædicere, ut cum communi sententia Patrum, & Doctorum docet Suarez. Unde ait Lessius *lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 6. mera amentia est ex aspectu siderum, qui tempore nativitatis viget, velle de temperamento, vel affectu prolis judicare. Hoc tamen judicium, si ulteriùs non procedat, sed sistat in naturalibus affectibus, & inclinatione, non est damnatum per canones, aut leges, sed permittitur, sicut alia frivola, quæ per se noxia non sunt, permittuntur. Tandem concludit: qui tantùm conjectat temperamentum, & inclinationes hominum, non autem futuros effectus contingentes, non agere contra Bullam Sixti V. Potest tamen agere contra prudentiam, & veritatem, si promittat certitudinem, vel ferat judicium absolutum. Quòd si inclinationem, tanquam certam ex astris nunciaret, non careret culpa, & immineret periculum introducendi aliquam superstitionem, quæ involvit etiam prædictionem actuum humanorum.

Ex quibus contra ipsum probatur, agere in constitutionem Sixti, & non solùm contra prudentiam, & veritatem, sed etiam contra religionem. Exponit enim se periculo judicandi de actibus humanis, cùm paucissimi dominentur astris, & plures sequantur inclinationes.

Ghetius *v. Astrologia*, suppositis allatis Constitutionibus, decernit juxta doctrinam D. Thomæ Sixtum V. excipere futuros eventus necessarios, vel frequenter ex naturalibus causis provenientes. Quare sic præcognoscere, non erit malum, ac illicitum, sicut ait, nec est illicitum cognoscere per hujusmodi cœlestes causas complexiones, & inclinationes hominum,

hominum. Hæc enim vocatur Astrologia naturalis.

Sotus *lib.* 8. *de just. & jur.* 9. 3. *ar.* 2. ait ex D. Thoma, licitum esse per astrorum inspectionem de effectibus naturalibus, quæ ordinario naturæ cursu fiunt, aliquod judicium ferre, ut de serenitatibus, de pluviis, deque id genus aliis. Hoc enim est de effectibus per proprias causas judicare. At de contingentibus effectibus, ac de his, quæ in nostro sunt arbitrio per astrorum considerationem, non potest judicium, nisi fallacissimum ferri.

Rodriquez verò, *tom.* 1. *sum.* ac Valentia. 2. 2. *disp.* 6. *q.* 12. *pun.* 3. tenent, non esse illicitam prædictionem Astrologiæ judiciariæ conjecturaliter, & non certò, attribuuntque id D. Thomæ *d. q.* 95. *ar.* 5. & Abbati *in cap.* 2. *n.* 7. *de sortileg.* Potest enim naturaliter conjecturalis aliqua notitia, etiam liberorum quodammodo ex syderibus haberi absque auxilio dæmonis aut pacto tacito cum eo. Quod approbat Sanchez *in decal. lib.* 2. *cap.* 38. & placet Salello, qui in hunc sensum declarat Valentiam, & Delrium, cum hac tamen limitatione, quòd talium contingentium liberorum prædictio sit cum sola tenuissima conjectura, & non absolutè, aut cùm majori probabilitate, quàm per astra sciri possunt: sic enim investigans, ac prædicens non censetur tacitè uti disciplina dæmonis, aut velle circa illa ab eo edoceri. Additque idem Salelles, hoc tantùm valere, attento jure antiquo, non post Constitutionem Sixti V. decernentis etiamsi non certò affirmare asserant aut protestentur.

Porrò etsi Constitutio Sixti V. post Cajetanum emanaverit, aliqua tamen ipse *præfato art.* 5. adnotavit, quæ ad hanc rem conducunt, quòd nempe licitè Ecclesia præcipit abstinere à licito usu Astrologiæ, somniorum, chiromantiæ, & hujusmodi in prænunciationibus propter periculum declinandi in usum illicitum, sicut accidit in usu juramenti, & sortium, quas prohibet *in cap. ult. de sortileg.* quia debet eligi melior. In qua materia prohibitæ sunt, addit Cajetanus, quia malæ secundum se. Simileque subdit, est in prohibitione sortium ex paginis Evangelicis quoad secularia negotia, propter scilicet divinam irreverentiam, ut Augustinus tradit 26. *q.* 2. Conatur autem Cajetanus multis probare, omnes prohibitiones Ecclesiæ intelligendas esse de vanis, aut superstitiosis, aut malis, licet ipsa moneat, ne Christiani in hujusmodi etiam licitis se implicent, ne paulatim declinent in perniciosa.

Difficultas autem est, an Sixtus V. prohibeat tantùm illicita, & mala per se adeo, ut malum sit secundum se, etiam prædicere non certò atque in communi, libera, & fortuita, quæ ipse prohibet in sua Constitutione?

Suarez *to.* 1. *de relig. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 12. ait, de prædictione temperamenti pueri, & ejus naturali inclinatione ex constellatione illius, videri à Sixto V. prohibitam, dùm solùm excipit judicia, quæ ad navigationem, agriculturam, & rem medicam pertinent. Ad hæc autem non pertinet judicium de temperamentis, & inclinationibus infantum, statimque subdit, in rigore non videri omninò prohibitum quoad id, quòd per se malum non est, quia subjiciuntur hæc verba: aut facientes judicia, & nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus, successibus &c. aliquid affirmare audeant, etiamsi non certò se id affirmare asserant, aut protestentur. Itaque nisi prædicentur futura in se ac determinatè, non habet locum illa prohibitio. Qui autem solùm conjectat temperamentum, & inclinationem, nihilque aliud prædicit, non pronunciat futura contingentia, neque casus fortuitos. Atque adeo non agit propriè contra hanc prohibitionem; aget tamen contra prudentiam, & veritatem, si certitudinem promittat, vel definitum judicium ferat absolutè, sed ad summum suspicionem, vel judicium limitatum, videlicet horoscopum hunc promittere, vel aliud quidpiam. Unde *n.* 29. condemnat prædicentes simpliciter, & futura in particulari fortuita & libera, affirmando, & credenda proponendo, non certò, sed tantùm secundùm moralem, & probabilem conjecturam.

Torreblanca *lib.* 7. *spirit. cap.* 5. asserit, pactum intervenire implicitum, vel explicitum si quis consulat de futuris non necessariis, aut contingentibus astrologos, eisque fidem adhibeat juxta illud Exodi 13. *etiamsi dixerint vobis, & ita eveniat, ne credatis*; quoniam nititur ille id addiscere per causas non naturales, quòd nec virtute innata, neque divina dispositione, neque artificiali modo aliquis consequi potest. Quare concludit, quòd omnis Astrologia divinatoria, quæ ex cœlorum incursu, ac influxu astrorum futura rimatur, non solùm contingentia, quæ ex Dei pendent prædestinatione, sed etiam necessaria, quæ ex aliis causis dependent, ut filios, fortunas, dignitates, honores, vel quid simile, prohibita est omni jure, & ratione.

Carena *p.* 2. *tit.* 12. §. 12. circa Constitutionem Urbani VIII. ait, quòd faciens judicium super genituris summi Pontificis, ac super infirmitatibus futuris ex malis directionibus subjiciatur illius pœnis. Quia Constitutio generaliter loquitur super vita, & morte, & rationes Constitutionis, nempe scandalum Christi fidelium, ac Reipublicæ, ac quies hominum, eorum præsertim, qui inquieti ex omnibus novandarum rerum occasionem accipiunt, in hisce prædictionibus, quamvis aliàs essent de se licitæ, infirmitatem, æquè militant. Et quia hæc Constitutio, uti favorabilis animabus, Reipublicæ, totique Ecclesiæ Dei, amplianda est, ut comprehendat quæcumque judicia, & quaslibet prædictiones astrologicas.

Salelles denique *tom.* 1. *regula* 115. *n.* 104. adstruit post Constitutionem Sixti, quòd si Astrologus judiciarius non certò, sed tantùm conjecturaliter pronunciat, subjicitur jurisdictioni Inquisitorum, cùm Sixtus quemlibet usum astrologiæ judiciariæ subjiciat, concluditque & cùm Sanchez contra Suarez præfatam Constitutionem obligare etiam in foro conscientiæ. At Suarez ibidem *n.* 108. loquitur de illo, qui extrinsecus profert absolutè futura, licet protestetur se non certò, & ita etiam credat, & concludit, puniendum talem in foro Ecclesiæ juxta memoratam Constitutionem. Non autem negat Suarez, ut illi imponit Salelles, peccare in foro interiori. Imo inquit *in fine* §. 20. reperiri culpam in tali prædictione, saltem ratione scandali, ac prohibitionis Ecclesiæ. Additque ulterius §. *seq.* quòd si quis interiùs non plus intendat, quàm verbis proferre, & declarat, cùm dicit, se id non affirmare, ut certum, sed ut probabile, superstitiosè agit, & aliquam culpam superstitiosæ divinationis committit.

Hac in re advertendum est, pluca esse mala, quia prohibita, ut lignum vitæ Paradisi, ac sæpe Principes plura prohibent, quæ secundum se mala non sunt. Comedere carnes diebus vetitis ab Ecclesia, non est ex se malum. Non enim quòd intrat per os, coinquinat, animam; sed ut ab Ecclesia prohibetur. Alia prohibita sunt, quia mala, ut simplex fornicatio, quicquid hæreticè effutiant nonnulli fornicarii. Prohibetur enim in præceptis decalogi, & ab Apostolo inter ex se mala enumeratur, ut fusè Sylvius *in* 2. 2. Astrologia autem judiciaria certò, & in particulari judicans fortuita, &

& libera futura, est ex se mala, superstitiosa, inanis, falsa, non autem illa quæ prædicit cùm formidine in communi libera quoad inclinationem, & fortuita quoad conjecturas. Astrologiam verò naturalem non esse ex se malam, docent D. Thomas, Cajetanus, aliique Theologi, cujus nomine non solùm intelligitur ea, quæ ad agriculturam, nauticam ac medicam artem pertinet, ac prænotio futurorum necessariorum, ac naturalium eventuum in subcœlestibus, sed etiam ex astris prænotio incerta, & in communi de inclinationibus hominum, quæ tamen fallacissima est, etiam quoad fortuita, ita quidem, ut vix conjecturæ, ac suspicionis nomen obtineat. Quare si quis certò vel in particulari illa prædiceret, jam esset astrologia judiciaria, ex se mala, superstitiosa, in quam se ingerit Dæmon. Dubium autem est, an hanc solum prohibuerint Sixtus, & Urbanus, quæ per se mala est, an etiam illam, quæ per se non est mala, sed propter scandala, & pericula, quæ ex illa emergunt, & quia plures malè ea utuntur; ut proinde Chrysostomus dicat *hom.* 10. *in Matth.* eas solùm artes oportet vocare, quæ necessariorum, & earum, quæ continent vitam nostram, sunt tributivæ, & constructivæ. Si tamen operibus alicujus artis pluries aliqui malè uterentur, quamvis de se non sint illicitæ, sunt tamen per Officium Principis à civitate extirpandæ secundum documenta Platonis; quantò magis prohiberi posset conjectatio ista astrologica adeo subtilis, quæ ideo nec scientiæ, neque artis nomen meretur, neque utilitatem aliquam affert hominibus, imò potius afflictionem, & solùm quandam curiositatem?

Primùm autem egisse memoratos Pontifices, videtur manifestè colligi ex eorum Constitutionibus. Uterque enim Pontifex præsupponere videtur sub initio suæ Constitutionis contra de se mala decernere. *Volentes*, ait Sixtus, *prædictæ falsæ credulitatis, ac hujusmodi illicitarum divinationum, ac superstitionum detestabili studio, & execrandis flagitiis, ac impuritatibus occurrere, mandamus, ut contra quoscumque dictæ judiciariæ Astrologiæ artem, præterquam circa agriculturam, navigationem, & rem medicam, in posterum exercentes, aut facientes judicia, & nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus &c. affirmare audent.* Affirmare autem est certò asseverare. Præterea innititur decreto S. Concilij Tridentini, quo decernitur, certò aliquid eventurum affirmare audent. Tandem subdit Sixtus. *Qui supradictas vanas fallaces, & perniciosas divinandi artes, sive scientias exercere profitentur.* Unde videtur prohibere tantùm artes fallaces, & astrologiam judiciariam, quamvis protestentur, se non certò affirmare, en in particulari quidem. At astrologia non judiciaria vera est suo modo apud omnes Doctores, dummodo modum non excedat.

Idque confirmatur. Nam Pontifex, nominatis præfatis artibus, alijsque sortilegiis, ait: *Et superstitionibus non sine dæmonum saltem occulta societate operam dare.* Ergo de sortilegiis, ac superstitiosis artibus loquitur, non de bonis secundum se, quales sunt physionomia physica, & astrologia de inclinationibus, & in communi, ac non certò, quemadmodum se loqui declarat de operam dantibus aleis, ac sortibus illicitis taxillorum, granorum triticeorum, vel fabarum jactu. Unde taxillis uti, ac sortibus licitis non est malum nec prohibitum. Alia etiam, quæ prohibet ut Necromantia, Onyromantia, & similia sunt de se mala, & superstitiosa. Hoc ipsum considerari potest in Constitutione Urbani. Nam etiam attendere auspicium naturale ex instinctu animalium non est malum,

E contra verò videtur secundum comprobari. Excipit enim Pontifex pronostica de agricultura, navigatione, & re medica. Exceptio autem firmat regulam in contrarium. Atque adeo omnem aliam prædictionem ex astris prohibet. At ita videtur observari ab aliquibus Ordinarijs, nec ullam, præter dictam prænotionem astrologicam admittunt ijdem Pontifices. Nam etiam prænotiones certò, & affirmatè prodere, ad astrologiam judiciariam pertinet, multoque magis in speciali de liberis affirmare, etsi non certò se affirmare dicant. Hæc enim est vera doctrina D. Thomæ, superius allata, per quam decreverunt Pontifices, & Concilia post D. Thomam congregata, ut post Baronium probat Biescas *in apologia peculiari*

Sunt autem nonnulli, qui autumant, non esse peccatum prædicere in particulari futura memorata non certò, sed secundùm moralem, ac probabilem conjecturam; quia nec de se malum est, nec quia prohibitum. Pro hac sententia refert Salelles Rodriguez, Sanchez, Delrium Abbatem *in cap.* 2. *n.* 7. *de sortileg.* eosque sequitur ex jure antiquo ante Constitutionem Sixti. Sed jam multò antea idipsum decreverat Alexander Tertius, additque in illam inclinare D. Thomam in fine *ar.* 5. Et probant, quia conjecturalis noticia haberi potest ex his causis, nec sequuntur incommoda modò adducta, quia non aufertur liberum arbitrium, neque inducitur fatum. Unde credunt, à Sixto V. tantummodo prohiberi, quod de se malum est.

At verò D. Thomas, ut liquet ex locis superiùs allegatis, admittit tantùm prædictionem in universali, nunquam in particulari, ac determinatè, & absolutè prolatam. Sic etiam Glossa ad Panormitanum *in d. cap.* 2. *de sortileg.* ubi probatur *ex can. illos planetarios* 26. *q.* 2. ex quo Augustinus affirmat, Christianam pietatem repellere, ideo damnat omnem consultationem omnium Astrologorum. Si autem posset expectari saltem probabilis notitia sine peccato, non esset damnanda hæc consultatio; quia in hominibus probabilis notitia potest ad plura esse utilis, idcirco absque peccato ex naturalibus caussis inquiritur. Id sequitur Suarez *loc. cit. n.* 29. Sylvius, ac Serra *ibidem*, existimans, Sixtum V. nihil prohibuisse, quod per se non erat malum, ac superstitiosum, subdens, hanc prædictionem futurorum dubiam, & formidolosam, non quidem ex astris immediatè, sed ex complexionibus, inclinationibus, & passionibus, non esse malam, neque ex ea sequi aliquod incommodum, cùm non supponat astra esse causas, aut signa actuum humanorum.

Alii autem censent, Sixtum V. prohibuisse omnem prædictionem, præter nauticam, medicam, colonicam, etiamsi conjecturalis sit, & mediata ex astris, non quia mala ex se sit, sed ad obstruendum os Astrologis, & ob plura incommoda, quæ enarrantur in Constitutione Urbani, ac præcipuè, quia dicentes, se non certò affirmare, quæ prædicunt, id protestantur ad occultandum divinationis malitiam.

Ex his igitur multiplex difficultas insurgit, an scilicet divinatio non certa, sed conjecturalis sit de se mala? Tunc enim absque dubio tenendum est, à Sixto V. prohibitam esse; quia contra pravos Astrologos acriter invehitur. Si autem non sit de se mala, esset prohibita solùm ex jure positivo, & tunc etiam dubitatur, an esset prohibita solùm in foro exteriori, an item in foro conscientiæ. Quod adhuc bifariam potest explicari; nempe si pronunciet absolutè, & in particulari futura, protestetur tamen, se non certò prædicere, & tunc, an in foro

exteriori puniendi sint, an etiam peccent in foro interiori.

Quare assero primò. Per se malum est prædicere futura in particulari absolutè, quamvis probabiliter tantùm. Quia ex solis astris, vel aliis haberi nequit talis notitia futurorum, vel occultorum ita probabilis, ut ad determinatum judicium in singulari pronunciandum sufficiat, ita esse futurum in particulari. Qui autem hoc modo illa prædicit, vel hac intentione investigat, saltem hanc determinatam notitiam humanam talium futurorum inquirit. Atque adeo tacitè vult ex disciplina dæmonis illam adipisci, cùm ex astris, & aliis, neque ut caussis, neque ut signis, possit judicium tale probabile fieri. Non enim dixisset Hieremias, à signis cœli nolite metuere, si ex iis tale signum probabile ferri posset. Tunc enim rationabiliter timerentur. Unde sequitur prohibitam esse hanc prædictionem à Summis Pontificibus Sixto & Urbano, secus si aliæ considerentur circumstantiæ, & causæ particulares. Talium namque observatio non est appellanda divinatio, sed intelligentia, sive providentia. Si autem simul cùm aliis conjecturis attendatur astrorum aspectus, quatenus aliquid, saltem mediatè, ac indirectè ad id conducere potest, jam id non pertinet ad superstitionem, sed ad naturalem astrologiam, quæ à Sixto V. & à D. Thoma approbatur.

Assero secundò. Prædicere futura in universali, non absolutè, sed quoad inclinationes, & habilitates ex minima conjectura, quæ vix ad suspicionem reducitur, non est per se malum. Patet id ex D. Thoma, & superiùs adductis.

Assero tertiò. Sixtus V. non prohibuit hanc prædictionem licitam, sed tantùm illam, quæ de se mala est. Nam videtur superstitiosa appellare, quæ prohibet, fallacia dæmonis, &c. ex pacto explicito, vel implicito; naturalem verò omnem approbat. Hæc autem est prædictio naturalis, neque extenditur ultra quàm possit naturaliter conjici ex astris mediatè, ac immediatè ex complexionibus, inclinationibus, habilitatibus, proprietatibus naturalibus in universali.

Assero quartò. Probabilis aliquorum sententia est, Sixtum prohibuisse etiam astrologiam, aliàs licitam ad tollenda plura incommoda, quæ ex abusu illius sequuntur in Republica Christiana; unde potest prohiberi naturalis magia, vel alia vera scientia, ob damna, quæ sequerentur ex malitia hominum. Et quoniam Sixti Constitutionem confirmat & ampliat Urbanus, hujus Constitutio posset probabiliter eodem modo interpretationem accipere; ideoque speciatim declarat in prooemio damna, & incommoda, quæ inde proveniunt Reipublicæ Christianæ. Idque colligitur etiam ex eo, quia commisit Urbanus inquirentes de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, vel de vita & morte Romani Pontificis pro tempore existentis, vel ejus consanguineorum usque ad tertium gradum, etiam Gubernatori Urbis, & Legatis, vel Præsidibus Provinciarum in temporalibus, cùm astrologia per se mala, deberet tantùm committi Cardinali Vicario in Urbe, Ordinariis extra Urbem, & ubique Inquisitoribus, quia saltem importat superstitionem simplicem, & pactum tacitum cùm dæmone. Posset tamen dici, hoc actum propter enormitatem criminis. Ita quoque contra nefandum scelus in Hispania datur præventio cuilibet Judici seculari, Ordinario, Inquisitori, ne delicta enormia maneant impunita. Eoque magis quia, omnes Judices, delegati ab Urbano sunt Ecclesiastici, immo in dignitate Ecclesiastica constituti, & dum causa ad fidem quodammodo pertinet, credimus posse avocari à supremo Tribunali S. Officii, tum præcipuè propter abjurationem. Tum quoad interrogatoria circa credulitatem & abjurationem, quæ sunt munia propria S. Officii, & Ordinarii. Et tum quia in S. Officio causæ agitantur cum rerum secreto, & maxima integritate, nec esset dimidianda causa, vel bis judicandum in idipsum. Hac de causa Pontifices Pius IV. & Gregorius XIII. teste Maura *sect.* 3. *cap.* 1. instantibus Regibus, in Hispania subjecerunt crimen nefandum S. Officio. Quoniam, subdit, per seculares potestates non ita bene ad eradicationem totalem perveniretur.

Assero quintò. In casu dictæ quartæ assertionis Constitutio Sixti V. & Urbani VIII. obligat non solum in foro exteriori, sed etiam in interiori. Contrarium imponit Salelles Suaresio, tradit tamen illud Diana. De primo non est difficultas, cùm pœnæ imponuntur pro foro, de quo judicat Ecclesia, quia prohibetur, quod per se malum est. Secundum, præter alias dicta, probatur, quia hæ Constitutiones habent vim præcepti, ut patet ex earum gravibus verbis. Quòd verum est, sive exterius tantùm proferatur absque interiori intentione, & credulitate, sive cùm illa. Prohibetur namque exterius judicium futurorum in particulari, & subjicitur pœnis, vel noviter declaratur subjectum illis, ac Censoribus fidei, & Ordinariis, etiamsi de jure, & consuetudine non subijceretur, declarando, vel ampliando, aut confirmando. Nec protestatio juvat, quia semper præsumitur ea verba proferri ad occultandam malitiam, vel quia illa est vera divinatio.

Assero sextò. Amplianda videtur Constitutio Urbani VIII. de prædictionibus infirmitatum personarum, quas speciatim nominat. Quia hæc Constitutio est favorabilis animabus, Reipublicæ ac toti Ecclesiæ Dei, ut constat ex ejus prooemio, ideoque sic amplianda est, ac extendenda, ut comprehendat quæcumque judicia, & prædictiones astrologicas, etiam infirmitatem personarum, de quibus loquitur Pontifex. Sunt enim viæ ad mortem. Idemque ferè videtur judicium ac eadem ferè sequuntur incommoda, ut observatum fuit hac de causa in Pontificatu ejusdem Urbani.

Non tamen est prohibitum conijcere de prædictis personis ex causis naturalibus, ut ex physiognomia naturali, ex modo vivendi, ex temperamento, ex infirmitatibus cùm prudenti, ac experto judicio juxta superiùs dicta. Hæc enim non est divinatio, sed naturalis ac prudens prænotio. Non esset tamen inconveniens, etiamsi aliàs esset licita hujusmodi prædictio, quòd prohibeatur justis de causis. Posse autem prohiberi magiam naturalem, vel aliam scientiam, si inde Reipublicæ mala provenirent, ut plerumque sequuntur ex ejusmodi judiciis circa vitam, mortem, ac infirmitates Pontificum, jam dictum est.

Assero septimò. Urbanus VIII. Constitutionem Sixti V. confirmavit, innovavit, & ampliavit, pœnasque gravissimas imposuit quoad casus expressos propter pericula, & scandala. Unde aliqui Constitutionem interpretantur, etiamsi judicia non fiant determinatè, & affirmativè, ac in particulari, ut tollatur omnis occasio scandalorum.

Assero denique. Probabilius videtur, Urbanum VIII. ac Sixtum V. decrevisse contra Astrologiam judiciariam, quæ est per se mala, etiamsi Astrologus dicat, se non certò affirmare. Patet ex ipsa Constitutione. Nam in prooemio ait, nefaria curiositate explorare. Ergo loquitur de Astrologia, quæ de se mala est. Et *in* §. 1. se remittit ad Constitutionem

stitutionem Sixti, quæ, ut annotavimus, se declarat loqui de divinatione propriè dicta, & consequenter de superstiosa, ideoque de per se mala. Atque icciro, ait Sixtus, prædictionem nauticam, medicam, colonicam non esse divinationem. Additque Urbanus: judicium ferre præsumant. Et postea: vanam fatidicorum existimationem aucupantes, in deplorandam animarum suarum perditionem, &c. Vanam dicit, qua, ut utili utuntur Astrologi. Igitur superstitiosa. In §. 2. subiungit: Quos Dei respectus non continet in officio. In §. 3. mathematicos, ariolos, aruspices, vaticinatoretque nuncupatos, vel alios astrologiam judiciariam exercentes. Et post pauca eadem repetit, quæ procuidubio de divinatione propriè dicta accipi debent. Nonnulli etiam id probare conantur, quia in §. 5. has causas remittit Ordinariis, & ubique locorum Inquisitoribus. Unde creditur, saltem de superstitionibus simplicibus agere. Eoque magis, quia circa hæc aufert Jurisdictionem Superioribus Regularibus, quòd item factum circa causas ad S. Officium pertinentes. At hæc ratio non est firma. Nam S. Tribunali S. Officii committuntur etiam causæ, quæ ad hæresim vel superstitionem nullo modo spectant. Et quia casus est gravissimus, ideò ijs committitur privativè quoad Regularium Superiores, sicut & de aliis casibus contingit; præsertim autem quia magna ex parte Astrologi judiciarij sunt de hæresi suspecti, cùm de actibus liberis firmissimè asseverant, & judicia ferunt. Unde ex hoc præcipuè post Paulum V. sublata est Regularium Ordinariis facultas procedendi.

Consultatio CIX.

De Arte notoria. Quid ea sit? An, & quatenus licita, vana, superstitiosa? De arte Paulina? Quomodo differat à notoria. Iterum de Kabala. Ad quas superstitiones pertineat? Quomodo abjurare debeant? Alia.

Divus Thomas 2. 2. q 169. ar. 2. ad 4. docens, quænam artes sint licitæ, & illicitæ: illas artes esse illicitas, ait, quæ faciunt aliqua opera, quibus homines uti non possunt absque peccato, & consequenter artifices ea faciendo peccarent, quia præbent directè aliis occasionem peccandi. Ut si quis fabricaret idolum, vel aliud ad cultum idololatriæ pertinens. Si qua verò ars est, cujus operibus homines possunt bene, vel male uti, sicut sunt gladii, sagittæ, aliaque hujusmodi, usus talium artium non est peccatum, & hæ solum vocandæ sunt artes ex Chrysostomo *hom. 50. in Matth.* cujus verba alibi retulimus, ibique concludit D. Thomas: Ergo mulieres licitè se possunt ornare, vel ut conservent decentiam sui status, vel etiam aliquid superaddere, ut placeant viris. Unde artifices talium ornamentorum non peccant in usu talis artis, nisi fortè inveniendo aliqua superflua & curiosa, quod peccatum veniale judicat *ibidem* Cajetanus cùm Sylvestro. Quare idem Chrysostomus *loc. cit.* ait, quòd ab arte calceorum, & textorum multa abscindere oportet. Etenim ad luxuriam deduxerunt, necessitatem ejus corrumpentes, artem arti male commiscentes.

Docet verè *eadem* 2. 2. q. 95. ar. 1. ad 2. & quo. lib. 4. ar. 16. ad 1. & 2. magicas artes, etsi essent scientiæ, non autem fallaciæ dæmonum, adhuc meritò prohiberi. *Et q. 96. ejusdem* 2. 2. ar. 1. *in corp.* tradit, quòd, licet dæmones possint verbis, hominibus colloquentes exprimere aliqua scientiarum documenta, id tamen non quæritur per artem notoriam, ubi addit Cajetanus: Etsi hoc quæreretur, adhuc ars esset illicita; quia uteretur mediis illicitis, nempe dæmone doctore, & consequenter ex illius societate. Esset tamen efficax secundum potestatem naturalem dæmonis, qui, si Deus permitteret, posset meliùs, & faciliùs quocumque philosopho, aut astrologo aliquem docere.

At si primo, ac secundo modo procuretur scientiam haberi, spectat ad magiam superstitiosam, & dæmoniacam. Et de hac loquitur D. Thomas. Si verò per infusionem, pertinet ad tentationem Dei, ut declarat Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. cap. 15.* Quoniam ab eo petitur miraculum, sive opus supernaturale sine causa, vel necessitate; ac etiam pertinet ad cultum indiscretum, & vanum, non tamen falsum, quia revera ibi non colitur alius Deus, sed verus, indebito tamen modo. Si autem acquiritur per modum artis, quasi illa habeat vim infundendi scientiam sub certis regulis, ac præceptis infallibiliter, jam includitur superstitio, præter periculum, si esset prævisum. Ingerit enim se dæmon in tales vanitates. Si id tandem fieret sine aliqua arte, vel regulis infallibilibus ad hoc institutis, ac sine instinctu Dei peculiari, & absque causa necessaria, esset tentatio Dei, vel improbus cultus, præsertim quia supponitur, non adhiberi industriam, studium, ac deligentiam, quam ex parte sua posset adhibere.

Quòd autem primò & secundò modo ad magiam superstitiosam pertineat, liquet ex sæpius dictis. Utitur namque vanis observationibus, non ut causis, sed ut signis supervacaneis, atque adeo sunt signa, quæ pertinent ad pacta significationum cum dæmone inita, & utroque modo potest exerceri ars notoria; sed plerumque fit tertio modo. Unde sic illam describit D. Thomas *cit. q. 96. ar. 1.* est ars, quæ per quasdam observationes, per quædam jejunia, per quasdam orationes ad Deum, & figurarum inspectiones, ac prolationes ignotorum verborum, per potionem certi liquoris, subitam, sive extraordinariam scientiæ acquisitionem promittit. Subditque: Ars notoria penitus est fugienda à Christiano, sicut aliæ artes nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis.

Cur autem dicatur ars notoria, non tradunt Doctores: Puto autem ita dici, quia per quasdam notas, & figuras procuratur, etsi alia superstitiosè hoc etiam modo inquirantur. Dæmon enim fingens infundere scientiam, quod non potest in notis ipsis, vel figuris, quasi scribens, vel phantasiæ phantasmata aptans, quasi loquens, arcana scientiæ facit apparere, ac si scientia esset infusa, quod duntaxat potest Deus facere, cùm dæmon non potest agere immediatè in animam, vel ejus potentias, nedum in voluntatem, sed neque in intellectum, cui à Deo infunditur scientia. Vocatur etiam hæc ars notoria *Clavicula Salomonis* ad similitudinem scientiæ, quæ Salomoni fuit infusa.

Hac in re notandum est ex D. Thoma, artem notoriam illam dici, quam, traditis quibusdam præceptis, ac regulis observandis, pollicentur ejus magistri statim, & quasi per infusionem instar scientiæ Salomonis, Prophetarum & Apostolorum alliis traditura. Quare minùs rectè Torreblanca in hoc distinguit illam ab arte Paulina. Ea triplex est. Altera utens observationibus merè superstitiosis, quæ nullam ex se obtinent efficaciam ad docendum homines, nimirum inspectione aliquarum figurarum,

prolatione

prolatione verborum ignotorum, ac similium. Alia utitur quibusdam observationibus ex se pijs, ut jejuniis, ac precibus, ad infusionem scientiæ subitaneam directis. Tertia medium locum obtinet, superstitiosis, ac pijs simul utens, quæ frequentior est. Præmittunt enim sacram generalem peccatorum confessionem, Eucharistiæ assiduam susceptionem, jejunia plurima, psalmos pœnitentiales, à negotijs mundanis feriari, & tandem quasdam orationes certis quibusdam diebus, ac horis proferre, figuris quibusdam inspectis, & adoratis Sole, ac Luna in certis aspectibus constitutis cùm alijs superstitionibus, quæ in arte Almadel, Paulina, sive revelationum habentur. Talem Directorium Inquisit. Pegna, alijque Autores graves ajunt fuisse scientiam Raymundi Lulli, etsi alij contendant illam à Christo accepisse, pro quo martyr obijt.

Petrus autem Cirvelo *in lib. de superstitione p. 3. cap.* 1. refert, quendam juvenem, dum fere omnes observationes ad artem notoriam adipiscendam, complevisset, in campo magno existens, pronuncians hymnum: Veni Sancte Spiritus, à dæmone in turbine fuisse arreptum, per terram deductum, vix à morte ereptum, gravi, & continua imbecillitate postea, & ægritudine afflictum. Quare alij perterriti, vanitatem artis notoriæ cognoscentes, abominati sunt; traduntque communiter Doctores, eos, qui hujusmodi arti vacant, tandem dementatos, debilitatos, & ægritudinibus varijs afflictos fuisse. Videatur Lavater. *lib. de spectr. cap.* 14. Quòd etiam fatentur Reges Hispani *lib.* 2. *leg. tit.* 23. *p.* 7. his verbis: De manera, que algunos dellos mueren, o quedan locos, o desmorindos. Quare damnata Parisiis anno 1320. Falsò tribuitur hæc Ars Salomoni, ut patet ex libro de illa edito, & à B. Pio V. damnato. Describrit fusè, inconsultè tamen ac temerè Cirvelus *in apolog. astrolog. judic.* apud Torreblancam *cap.* 14. *lib.* 1. *epit.* ritus hujus artis quos consultò nos omittimus.

Ait verò Delrius *lib.* 2. *magic. q.* 24. talem instructionem posse appellari illuminationem contra D. Thomam *p.* 1. *q.* 111. *&* 114. *ar.* 4. *ad* 2. & *q.* 16. *de dæmonib. ar.* 10. *&* 12. Sed quæstio est de proprietate nominis, ac etiam de re per illud in proprio sensu significata. Illuminatio siquidem in ordine ad Deum est, & ad instructionem illuminati. At dæmon non intendit illuminare aut instruere, sed potiùs turbare, & offuscare phantasiam. Ideoque idem autor *lib.* 3. *magic. q.* 4. *sect.* 2. meliùs cogitans, ait, nihil scientiæ talium rituum observatoribus infundi, sed dæmones eos obsidere, illorumque turbata phantasia, per eos loqui, linguam eorum movendo ad quædam illis incognita, & arcana profunda. Imo idem D. Thomas *cit. ar.* 1. *in corp.* inquit, ad dæmones non pertinet illuminare intellectum, ut habetur *p.* 1. *q.* 109. *ar.* 3. Acquisitio autem scientiæ & sapientiæ fit per illuminationem intellectus. Et ideo nullus unquam per dæmones scientiam acquirit. Unde Augustinus 10. *de civit. cap.* 9. ait, Porphyrium fateri theurgicis Theletis in operationibus dæmonum, animæ intellectuali nihil purgationis accedere, quod eam faciat idoneam ad videndum Deum suum, & perspicienda ea, quæ vera sunt, qualia sunt omnium scientiarum theoremata.

Dicendum itaque primùm est. Ars notoria est illicita. Est de fide, probaturque *ex Luca* 4. *& ex Deuter.* 18. verbis istis, non inveniatur in te, qui quærat à mortuis veritatem; quæ sanè inquisitio innititur auxilio dæmonum. Per observationes autem artis notoriæ inquiritur cognitio veritatis per quædam pacta significationum cùm dæmonibus inita.

Confirmatur id, quia ars notoria utitur quibusdam rebus ac verbis ad scientiam acquirendam, quæ non habent secundum se virtutem causandi scientiam, quæque non sunt signa à Deo instituta, sicut sacramenta, & tamen utitur illis, ut signis. Ideoque supervacanea sunt, atque adeo pertinent ad pacta significationum cum dæmonibus inita.

Dicendum est secundò. Ars notoria est inefficax ad scientiam acquirendam. Quia per hanc artem non intenditur acquisitio scientiæ per modum homini connaturalem, neque expectatur à Deo, neque medijs Angelis sanctis, qui non communicant scientiam quibuscunque & cùm arte, ac certis observationibus varijs, neque id promisit Deus, neque Ecclesiæ suæ revelavit. Ergo provenit à dæmone, qui non potest scientiam infundere, licet possit verbis, hominibus alloquendo, exprimere aliqua scientiarum documenta.

Quomodo autem id possint dæmones, explicat D. Thomas *q.* 16. *de malo ar.* 12. his verbis: sicut in rebus corporalibus superior virtus adjuvat, & confortat inferiorem virtutem, ita & lumen Angelicum confortare potest lumen intellectus humani ad perfectiùs judicandum, quod Angelus bonus intendit, non autem Angelus malus. Unde hoc modo Angeli boni movent animam ad intelligendum, non autem dæmones. Ex parte autem specierum Angelus bonus, vel malus potest immutare hominis intellectum ad aliquid intelligendum, non quidem influendo species in ipsum intellectum, sed quædam signa exterius exhibendo, quibus intellectus excitatur ad aliquid apprehendendum, quod etiam homines facere possunt. Sed etiam ulteriùs Angeli boni, vel mali possunt interiùs quodammodo disponere, ac ordinare species imaginarias, secundum, quod competit ad aliquid intelligibile appetendum. Quod quidem Angeli boni ordinant ad hominis bonum, mali verò ad hominis malum; vel quantùm ad effectum peccati, prout scilicet homo ex his, quæ apprehendit, movetur ad superbiam, vel ad aliquod aliud peccatum, vel ad impediendam ipsam intelligentiam veritatis, secundùm quod per aliqua apprehensa inducitur homo in dubitationem, quam solvere nescit, & sic trahitur in errorem. Unde Augustinus *lib.* 83. *quæst.* ait, quòd dæmon quibusdam nebulis implet omnes meatus intelligentiæ, per quos pandere lumen rationis radius mentis solet. Neque hoc modo Salomoni Deus infudit scientiam mediis ritibus, aut cœremonijs, sed tantùm divina voluntate, nec quando ille voluit, sed dum benignè Deus dignatus est, ut docet idem D. Thomas *p.* 2. *q.* 13. *ar.* 3. Perer. *lib.* 2. *adversus fallaces artes q.* 10. Deus autem arte non flectitur nec stolidorum hominum votis inclinat, ut ab eorum nutu pendeat, imo petere à Deo, ut scientiam infundat, sicut Salomoni, est petere miraculi patrationem absque necessitate, ac tentare Deum, quod prohibetur *Deuter.* 6. *Luc.* 4. *& Matth. pariter* 4.

Advertit verò Torreblanca *lib.* 1. *cap.* 5. artem Paulinam in multis convenire cùm arte notoria. Est enim illa hujus quædam species. Differunt tamen primò, quòd artem Paulinam, dicunt infusam D. Paulo, in extasim rapto & ab eo posteris traditam quam comminiscuntur tradi per modum subitæ infusionis, & ideo appellitant artem spirituum, quòd ajunt à spiritu provenire intus inspirante, ut quandocunque homo velit, omnium rerum scientiam adipisci faciat, modo ab ipsis imprudentissimè tradito. Hujus autem artis duæ assignantur species. Altera obscura, quæ fit per viam elevationis raptus, extasis. Altera clara,

quam

quam dicunt fieri visibiliter, Angelo apparente, ac docente. At certè ars hæc est mera Goëtia, incantatio, & dæmonis impostura, ut homines decipiat, ceu probat Baptista Segnius *lib. de odio Satanæ cap.* 8. & 9. ac D. Augustinus *lib.* 1. *de nat. dæmon.*

Salelles quoque *regula*, 120. *n.* 206. statuit cùm Suarez, & Sanchez discrimen inter magiam dæmoniacam, operatricem scientiarum, quæ dicitur ars notoria, vel Paulina, & divinatoriam; quòd ista semper sit de rebus, quarum notitia naturaliter haberi nequit, sed fides, autoritate dæmonis innixa. Ars autem notoria, vel Paulina supponitur de rebus quibuscunque, quæ per ordinarium studium, vel infusionem divinam cognosci possunt, quarum veritates manifestantur per propria media sive principia, à quibus naturaliter, sive necessariò deducuntur. Unde si quis hoc modo evadat Philosophus, Mathematicus &c. non potest icirco divinare, sed veritates secundum discursum cognoscere, neque esset infusa, ut dictum est, & annotant Lessius, Sylvius, Delatorre, Suarez, alijque. Quia id Dei proprium est ex Augustino *d. lib.* 10. *de civit. cap.* 9. ut patet ex Anabaptistis, qui statim acquirunt scientias, sumpto sacrilego illo panis bolo detestabilis cœnæ de quo alibi, & ex multis punitis à S. Officio, qui de scientijs omnibus abundè loquuntur, dæmone per os illorum legente scripturas, ac disputante, suosque asseclas ita dementante, ut se omnia scire existiment, sed redeuntes ad se ipsos, rudes & ignari remanent, ut antea.

Ad hanc artem reduci potest Kabala divinatoria, cùm ejus sectatores jactitant per ipsam respondere ad interrogata, etiam de futuris liberis, & consulere de rebus agendis, ac si esset Angelus, vel Deus oracula fundens. Quòd si propositis respondet, procul dubio fit dæmonis ope, phantasiam movendo interna suggestione, Deo permittente, vel apparendo in forma visibili. Sic enim potest plura manifestare, & hoc modo arte dæmonis nonnulli Philosophi, ac Poetæ subitò plures rustici evaserunt, sicque Hetruscos aruspicinam docuisse meminit textus *in can. Nec mirum* 26. *q.* 5. De alijs Pausanias, Suidas, Eunapius, quos irridet Persius *sat.* 1.

An autem Kabala pertineat ad superstitiones, ac divinationes simplices, an verò ad qualificatas, jure dubitatur. Distinguo. Vel numeris illis sub hac arte prætensa compactis utitur quis ad sciendum futura libera, est divinatio qualificata, importans hæresim Lutheranorum, negantium liberum arbitrium, fatumque statuentium, aut tribuentium creaturis attributa divina, inter quæ unum est futura libera hominis cognoscere. Tales debent torqueri super intentione, ut suspecti de fide, & abjurare de vehementi, aut levi, si rectè responderint, secus de formali. Vel illis utuntur ad sciendum futura naturalia, & quæ possunt ex causis naturalibus aliquando præcognosci, & tunc est superstitio simplex vana, applicans utiliter ad finem, ad quem non est ordinata à natura, neque à Deo talis collectio regularum circa numeros, & literas. Quare à dæmone expectatur responsum cùm homo nequeat ad hunc finem ex se pervenire vi numerorum.

Effutiunt aliqui Kabalistæ, non per numerum divinari futura, sed illis cum literis formari certas dictiones, quibus respondetur interrogatis juxta regulas præscriptas. Sed hoc etiam modo est superstitio saltem simplex, cùm talem effectum ex sui natura verba illa non possint efficere. Est enim proprium creaturæ rationalis respondere ad propositum loquentis. Unde refutantur capita ænea, marmorea, lignea, quæ ex se loquuntur, tanquam dæmonis instrumenta, quibus ipse oracula dare solet. Imò est experimentum qualificatum, quatenus à dæmone videtur expectari responsum, & sic involvitur explicita invocatio, & pactum præcipuè primi institutoris cum dæmone, ideoque respondet dæmon, cui pactioni assentiunt posteriores facto. Possunt tamen simplices non admoniti excusari à pacto explicito, non autem gnari & sapientes homines. Subduntur tamen isti omnes S. Officio, & juxta gravitatem criminis debent puniri.

Qui autem alicujus rei scientiam à dæmone acquisivit potest illa uti, si talis scientia est naturalis, ut est notitia virtutis alicujus rei naturalis, & quamvis peccaverit mortaliter à dæmone talem scientiam addiscendo, tamen si ejus usus non pendeat à dæmone, nec dæmonis concursum requirat, nec aliquod vitium contineat, nec ad aliquod malum ordinetur, potest licitè illa uti, & alios eam docere. Quia usus scientiæ naturalis de se bonus est, etiamsi malè sit acquisitus. Si verò talis scientia est superstitiosa, certum est, quòd non potest illa uti. Sic etiam tradunt Valentia 2. 2. *disp.* 6. *q.* 13. *pun.* 2. Sanchez *in decal. lib.* 2. *cap.* 42. *n.* 20. Victoria de magia *q.* 4. *n.* 15. Delrius *lib.* 2. *magic.* 9. 4. *tit. F.* Suarez *cit. lib.* 2. *cap.* 15. *n.* 24. & *cap.* 17. *n.* 1. Bordonus *to.* 1. *cap.* 18. *n.* 6. & Palaus *p.* 3. *tr.* 17. *pun.* 10. *n.* 7.

Is verò, qui studendo, & faciendo, quod in se est ad scientiam acquirendam simul uteretur vanis observationibus, committeret superstitionem, si ex illis sperat, vim memoriæ acquirere vel acumen ingenij, vel organa sensuum meliùs disposita, vel similia, quæ virtute talium observationum naturaliter fieri non possunt, sed fieri aliquo modo possunt virtute dæmonis. Quia sine dæmonis pacto expresso, vel tacito hæc fieri nequeunt, etiamsi nihil expressè, vel tacitè petatur, quod virtutem naturalem superet, ut per Delrium *lib.* 2. *magic. q.* 24. & Suarez, *loc. cit. cap.* 15. *n.* 7.

Pariter qui ad acquirendam aliquam scientiam profert illa verba Psalmi 50. *Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*, si credit necessariò hæc verba esse proferenda, ut scientiam consequatur, utique est superstitiosus, & mortaliter peccat; secus verò si tantùm ex devotione, & ut à Deo scientiam impetret. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 96. *ar.* 4. *ad.* 1. D. Antoninus 2. *p. tit.* 12. *cap.* 1. §. 11. Navar. *cap.* 11. *n.* 30. & Sylvester *v. superstitio q.* 10.

Consultatio CX.

De Fato Ethnico, Astrologico, Christiano. Et primum de Ethnico.

Variant opiniones veterum de Fato. Initium ab illis ducam, qui eò quòd Dei tollerent naturam, nec Fatum, nec ullam Dei providentiam agnoscere potuerunt. Tales habiti olim Diagoras. Melias, & Theodorus Cyrenaicus, de quibus & aliis *in Consultatione de atheismo*, ubi horum omnium opinio excussa, explosaque à nobis est.

Altera eorum est opinio, qui sive ex animo, sive verbis saltem, Deum esse faterentur, at apertè interim divinam reijcerent providentiam. Quales fuere omnes ex Epicuri schola. Horum opinio ex eo profluxit, quòd beatitudinem constituerent in vacuitate à curis, & negotijs. At in eo vehementer sunt decepti, quia potiùs sita est in bona operatione. Etiam eo Epicurus propugnatur apud Tullium, quòd si liberum sit arbitrium, fatum esse

non

non possit; uti contra Stoici plerique colligebant, quia Fatum sit, non esse arbitrij libertatem. Sed duo hæc, dum Fatum commodè intelligatur, non pugnare, inferiùs monstrabitur.

Porrò Epicurus non modò Fatum sustulit in iis, quæ à libertate hominis pendeant, sed etiam in rebus naturalibus, seu necessarijs. Etiam illis, qui omne negarent Fatum, aggregavit se Anaxagoras Clazomenius. Neque obstat, quòd Græcorum docuerit primus, mundum hunc esse compositum à Mente divina. Nec enim hoc impedit, quominus excluderet Fatum; imò inane ejus esse nomen diceret, quemadmodum Alexander Aphrodisiensis autor est in libro de Fato.

Venio ad illos, qui aliquod agnoscerent Fatum. Hi quoque in varias abeunt sectas. Primùm de illis videamus, qui illud posuere in solis naturalibus, ac necessarijs, sic ut eorum nihil non fatali fieret necessitate. Hæc Pythagoræ opinio fuit. Nam, ut est apud Stobæum in eclogis physicis *cap. 8. Pythagoras Necessitatem dixit esse mundo circundatam.* Etiam addit esse Leucippi: *Omnia fieri necessitate, atque eandem esse Fatum.* Ait enim libro de Mente: *Nulla res frustra fit, sed omnia fiunt ratione, atque ex Necessitate.* Heraclitus quoque *Fatum* statuebat, *nihil aliud esse, quàm rationem permeantem per omnem naturam*, ut est apud Plutarchum *lib. 5. de placit. Philos. cap. 28. & Stobæum loc. cit. cap. 9.* Ac subijcit uterque: *Hæc autem æthereum est corpus, semen procreationis Universi, certaque periodi mensura.* Ubi videmus, ut Æthera dicat Fatum, & ab eo esse fatalem naturalium omnium Necessitatem.

Aristoteles quoque in naturalibus Fatum posuit, ac ratione eorum divinam agnovit Providentiam, sic tamen, ut hæc non extenderet se ultra Lunam. Sed quod dicitur, eam non pertingere ad sublunaria, id bifariam intelligi potest. Vel simpliciter, vel ratione individuorum, non specierum. Priorem sententiam Aristoteli tribuit Chalcidius *in Timæum Platonis* his verbis: *Aristoteles Dei providentiam usque ad Lunæ regionem progredi censet; infra verò neque providentiâ scitis regi, nec Angelorum ope, consultisque sustentari, nec verò dæmonum prospicientiam putat intervenire; proptereaque tollit omnem divinationem, negatque prænosci futura.* Hæc Chalcidius, qui non examussim assequutus est mentem Aristotelis, & sectatorum, quippe qui non removerint prorsus Fatum, aut providentiam Dei à sublunaribus, sed solùm à cura individuorum, quatenus sunt talia. Nam de speciebus fatebantur, omnia fieri Fato. Cœlum quippe à primo Motore, sive Deo versari, atque ab eo pendere in sublunaribus conservationem specierum.

Ut verò negarent ad individua etiam, quatenus istiusmodi essent, Fatum, vel Providentiam Dei pertinere, duobus adducti sunt argumentis. Prius ad eorum contingentiam attinet. Nec enim videre poterant, quomodo, si Deus curaret contingentia, non sæpius fine suo frustraretur, quòd ejus argueret impotentiam. Quare legem velle imponere contingentibus, hoc, ut ex eorum mente loquitur Pomponatius *lib. 2. de fato cap. 1. perinde est, ac siquis vellet asinum docere philosophiam.* Præterea aiebant, ita sublatum iri liberum arbitrium. Nam, si Deus sic ad clavum sedeat Universi, ut velit gubernare singula, quicquid boni egerit homo, divinæ fore voluntatis; quicquid fecerint mali, attribuendum esse casui, quia factum sit præter voluntatem gubernantis, non aliter ac cùm Grammaticus optimus male loquitur, vel Musicus eximius in cantu paulùm aberrat, non arti hoc, sed casui assignamus.

Quanquam verò ob ea, quæ diximus, negarent Deum curam habere singulorum, non tamen excludebant speciei cujusque providentiam. Quippe inquiebant, mens divina gubernat cœlum. Ab hoc autem dependent omnia sub Luna, ut cujus virtute mutentur elementa, mixtorumque fiat generatio, plantæ quoque ac mutæ animantes pro cœli varient plagis, homines etiam pro cœlo, ingenio, ac moribus distent. Atque hinc colligebant, non posse Fatum penitus excludi à sublunaribus, si species, non individua, cogitemus. Ac diluto hoc termone arbitrati sunt, bellè satis se conciliasse eorum sententias, qui Fatum, quique rerum assererent contingentiam.

Hæc potiùs, quàm illa à Chalcidio allata, Aristotelis mens fuit, quemadmodum non uno philosophi loco evincitur. Nam & sublunaria Fato generari, ac interire, disertim ait, *ut in 5. physic. contex.* 57. ubi dividit *corruptionem* in illam, quæ est *præter naturam*, & illam *secundum naturam.* Prioris generis ait, esse *violentam*, ac pariter inquit: *Sunt & ortus quidam violenti, non fatales, quibus contrarij sunt ortus naturales.* Ubi clarè & ortus, & interitus eos vocat fatales, qui contingunt secundum legem, ac cursum naturæ universalis, sive etiam particularis, sed quatenus ea legi subdita est universali. Itaque si accendatur sylva, vel bello homines occidantur, aut naufragio pereant, non fuerit is vel arborum, vel hominum interitus, fatalis. Quippe violentus, & adversus legi naturæ universalis, quæ est, ut mixta pereant per putrefactionem, nec animatum moriatur, nisi resoluto jam humore ultimo à proprio calore, qui, consumpto à se humore, extinguitur.

Idem fusè cognoscere est ex eo libro, quem ad Severum, & Antoninum Cæsares perscripsit Alexander Aphrodisiensis, ubi Anaxagoræ quidem & Clazomenij opinionem reijcit, qui, ut dixi, inane esse contendit Fati nomen. Interim ipse non aliud agnoscit Fatum, quàm consuetum Naturæ cursum. Quippe ait, Fati nomen à se intelligi, *naturam propriam*, ut quæ sit *principium cujusque & causa ordinis eorum, quæ in eo fiunt secundùm Naturam.* Quo significat, Fato fieri, quæ eveniunt secundùm seriem, & consequentiam, quam res habent in se ipsis. Itaque cùm alia fiant alicujus gratia, alia nullius, ac priora vel natura sint, vel ratione, sive prælectione, Fatum esse in istis, quæ alicujus gratia fiunt à natura, neutiquam verò locum habere in illis, quæ ab humano pendeant arbitrio. Quamobrem statuere non dubitat, idem esse Fatum, ac Naturam; Fato solem lucere, ignem urere, ex equo generari equum, hominem quoque Fato mori, qui dissoluto diem obeat temperamento. At præter Fatum eos decidere, qui de equo decidant, vel gladio pereant, ad cujusmodi mortes, si Alexandrum audimus, non extendit se Fatum, quia non fiunt necessitate naturali, sed contingentia sint, qualia excludi à cura divina apud eundem Aphrodisiensem etiam legas *in problem. natural.* atque hunc sequutus in eo Themistius, Themistium Averroes *in lib. 12. metaphys. contex.* 51. item *in lib. de Somno, & Vigilia.*

In eo igitur convenit hisce omnibus, individua caduca primò, directeque non cadere sub divinam Providentiam, sed solùm secundariò, indirectè, & quatenus includuntur in universali. Imò nequidem arbitrantur, scire Deum particulatim quæ sub Luna fiunt. Tum quia individua sint infinita. Infiniti autem non sit scientia. Tum quoniam individua hodie sint, cras esse desierint, quasi rerum mutatione mutabilis etiam fuerit scientia Dei. Tum quòd sint materialia, quorum notitia eò menti advertetur divinæ

divinæ, quia hæc sit omnis materiæ expers; quippe actus purissimus. Ac denique quod in sublunaribus hisce sint insecta, cloacæ, & vilia id genus, quibus, ut ajunt, vilesceret mens divina, aut saltem particulatim ea nosse illam dedeceat. Ac favet his locus ille Aristotelis *metaph. lib.* 12. *cap.* 9. ubi considerat, *divinissimum, maximeque honorabile*, & quasi dubius quidem, sed non obscurè tamen significans, quò inclinet, mox subjungit, *divinissimum illud etiam cogitare de quibusdam, est absurdum.*

Hæc Philosophis tantis adeo gravis momenti visa sunt, ut non sine grandi sacrilegio, statuerent, Deum quæ singulatim in terris fierent, nec curare, nec scire, eoque nec Fatum, sive divinam potiùs Providentiam, ad sublunaria hæc, particulatim considerata, pertinere. Præterea hoc quoque ijs vitio vertendum, quòd ne in cœlestibus quidem, vel speciebus sublunaribus, quale Fatum suum foret, satis cognoscerent. Licet enim Numen divinum suum præscripserit Ordinem Cœlis, non propterea tamen immutandi ejus jus sibi præscripsit. Quandoquidem & solem stare jussit. Et si in illis, quæ cœlis subdita sunt, malimus exempla, præter naturæ ordinem, quem fatalem vocant, mandato ejus peperit Virgo, cœci recuperarunt visum, ac mortui sæpius sunt ad vitam revocati. Neque me fugit, cujuscemodi sint, quæ obduci illis solent, sed à compluribus Philosophis Christianis obviam illis itum, atque id non solidè minùs, quàm perspicuè. Actum verò agere non est animus.

Veniamus nunc ad eos, qui Fatum etiam agnoscunt in rebus contingentibus, & actibus humanis, cujus sententiæ patroni in tres scinduntur partes. Aliqui sic se explicant, ut omnes videant, relinqui ab ijs arbitrij libertatem. Alij, ut omnium judicio eam tollant. Alij autem, ut disputent hodieque eruditi, utrum eo pacto salva sit voluntas, an minùs.

De Platone nemo dubitat, quin sic Fatum agnoscat, ut non eripiat homini libertatem. Nam statuit, ut Alcinous ait *cap.* 26. *Omnia quidem esse in Fato, non omnia tamen esse in Fato decreta.* Et Plutarchus ita enarrat Platonis mentem *lib.* 1. *de placit. Philosoph. cap.* 27. *Fatum esse connexum causarum ordine contextum, quo etiam concludantur ea, quæ à nobis fiunt, ut sic alia haberi debeant fatalia, alia non decreta fato.* Hinc Platonicus Chalcidius *comment. in Timæum: Qui omnia Fato fieri dicunt, meritò reprehenduntur ab ijs, qui probant, esse aliquid in nostra potestate. Qui omnia in nostra potestate constituunt, nec quicquam Fato relinquunt, falli deteguntur. Quis enim ignoret, esse aliquid in Fato, & extra nostrum jus? Sola igitur vera illa ratio est, fixaque & stabilis sententia, quæ docet, quædam Fato fieri, alia porrò ex hominum arbitrio, & voluntate proficisci.* Est verò Platoni Fatum, *ratio æterna, perpetuaque lex naturæ Universi*, ut est apud Stobæum *in eclog. physic. cap.* 9. sed hæc etiam pertinent ad legem eam, quam Deus rebus præscripsit naturalibus. Nunc ea de lege videamus, quæ sancita est præditis intellectu.

Hæc apud Platonem *in Phædro*, & exinde Plutarchum *lib. de Fato*, ejusmodi memoratur: *Quicunque animus, Dei comes factus, aliquid veri perspexerit, is usque ad alteram circuitionem à supplicio sit immunis, & si possit perpetuò id facere, perpetuò erit illæsus.* Quæ fusiùs sic enarrat Chalcidius *pag.* 278. *Legi qui pareat, sequaturque principis Dei veneranda vestigia, beatam semper vitam agit, juxta legis perpetuæ sanctionem, quod est, juxta Fatum. At verò quæ Dei comitatum animæ neglexerint, rursum & ipsæ, alio quodam, contrarioque genere secundùm Fatum vitam exigunt, donec pœniteat eas delictorum suorum, expiatisque criminibus deinceps ad immortalis Dei, & æternarum, divinarunque potestatum choros, revertantur, & ille legis rigor ex deteriori fortuna transitum fieri sinat ad beatam.*

Porrò in verbis Platonis, *per alterum circuitum*, intelligitur stellarum fixarum, & erraticarum omnium reditus ad habitum, & conditionem præteritam, qua Constellatione instaurata, omnia & in cœlis, & in terris se habeant, ut priùs. Hinc Plato, interprete Chalcidio *pag.* 240. *Est tamen intellectu facile, quòd perfectus temporis numerus perfectum annum compleat, tunc demum, cùm omnium octo circumactionum cursus peracti, velut ad originem, & caput circumactionis alterius, revertentur, quam semper idem, atque uniformis motus dimetietur.* Hoc spatium esse annorum triginta sex millium, alibi diximus. Legem autem fatalem, quam animis diximus promulgatam, Plato *in Phædro* appellat *Legem Adrasteæ*; item in libris de Republica, *Orationem virginis Lachesis, filiæ Necessitatis.* Hæc lex, ut vidimus pariter & parendi obsequium continet, & contumaciam; nec voluntatibus necessitatem alterutrius imponit, sed suæ eas relinquit potestati. Nam, ut idem Chalcidius *pag.* 255. ait: *Quòd anima hominis natura talis sit, ut interdum ad virtutem se applicet, interdum ad malitiam propendeat perinde, ut corpus, modò sospitati, modò ægritudini proximum, fixum planè est, & decretum ex origine. Quis porrò malus sit futurus, aut bonus, neque decretum, neque imperatum. Propertereaque leges, magisteria, deliberationes, exhortationes, revocationes, institutiones, nutrimentorum certa observatio, laus, vituperatio, quæque his simulantur; quia rectè vivendi optio penes nos est.* Ubi pro *simulantur*, malim *similia adhibentur*, vel tale quid. Pleniùs, planiusque hæc explicabimus.

In anima omni rationabili spectantur alia quidem ex præcessione meriti, alia autem ex consecutione animadversionis, vel præmij. Priora sunt ex motu animæ libero, cujus exemplum affertur, quòd anima Socratis secundum Adrasteæ sive Lachesis legem, comitem se se præbuerit Deo. Hoc proprium dicitur opus Socratis. At tam hoc, quàm cùm animæ aspernantur comitatum Dei, præcessionem vocant, quia sunt causæ præcedentes ex meritis nostris.

Posteriora non sunt in hominis potestate, sed sequuntur secundum Fatum; unde & fatalia dicuntur. Aliud enim *Fatum*, aliud *fatale*. *Fatum* est lex ipsa. *Fatale* est executio legis. Ut quòd Socrates, quia juxta Fati legem vixisset, beatus usque ad alterius circuitus tempus, dicitur perseveraturus, quemadmodum & si in altero circuitu pariter se composuerit, pari postmodùm fruetur felicitate; infelix idem futurus, si tandem anima ejus in circuitu aliquo non comitetur Deum; idem tamen ad felicitatem reversurus, si in circuitu novo evaserit bonæ frugis. Hanc præcessionem meriti ex libero arbitrio, & consecutionem mercedis, vel pœnæ ex lege fatali, paucis sic constrinxit Chalcidius *pag.* 271. *Pessimè agere vitam est in hominis arbitrio; puniri planè est in necessitate fatali, utpote quod legem sequatur.* Ut alibi idem: *Quod præcedit, in nobis. Quod sequitur, secundum Fatum.* Ac luculenter idem illustrat exemplo Laij his verbis *pag.* 244. *Hac ratione Lajo prædictum est ab Apolline:*

Cave, ne vetitos Siberùm sulcos seras.
Generatus ille te mactabit impie,
Et omnis aula resperget sanguine.

His quippe oraculis ostendit, penes Lajum fuisse, ne sereret, quæ præcessio est. Quod porrò insecutum est, jam non in potestate Laij, sed potiùs in necessitate fatali

fatali juxta meritum processionis. Atque eodem exemplo idem illustrat Alcinous *cap.* 26. ubi & alterum addit de Paride & Helena.

Neque propterea putabat Plato, nihil tantum posse in animis humanis, sed non sic agere, ut tolleretur arbitrii libertas. Aliquas autem & Fati partes credidisse, indicat Plutarchus *lib.* 1. *de placit philosoph. cap.* 27. Ac tale Platoni est Fatum. Provenit autem id à Providentia divina. Ut tria hic distinxerit Plato. Primum est Deus, summum bonum. Alterum Providentia, sive mentis divinæ in intelligendo actus æternus. Tertium est Providentiæ proles. Fatum, sive lex divina ad sapientem rerum omnium gubernationem promulgata, naturæ quidem præfiniens, quæ necessariò fiant; at liberæ voluntati mandans honesta, prohibens contraria. Præscribitur autem lex secundùm eundem Chalcidium *pag.* 277. *& seq.* tum animæ mundanæ, tum animis ei subjectis. Anima mundi, ut à mente divina distinguatur, vocatur, *secunda mens, intellectusque*, & hæc dicitur *quasi quædam custos legis æternæ.* Nempe quia anima hæc mundum gubernet secundùm legem æternam à Providentia sancitam; cœlestia quidem necessitate beata; voluntaria autem ratione, & ordine, secundùm suam cujusque naturam. Tripartitam hanc dixere animam, quia præsit tum stellis fixis, tum planetis, tum rebus subjectis, quales dæmones cùm ignei, tum aërij; natura item humecta, & tellus. Animæ mundanæ subesse dicuntur, ut ejusdem Chalcidij verba retineam, *rationabiles animæ*, legi obsequentes, ministræ potestates, Natura, Fortuna, Casus, & dæmones inspectores, speculatoresque *meritorum.*

Consultatio CXI.

De Fato tum Mathematico, tum Astrologico & Stoico, ubi Anacephalæosis eorum ferè omnium, quæ dicta sunt de Astrologia judiciaria.

Videamus nunc illo de Fato quo si non ab omnibus ejus defensoribus, prope tamen ab omnibus, liberum tollitur arbitrium. Fatum hoc nuncupatur Mathematicum, vel Astrologicum, vel etiam Chaldaicum. Nomina ista sunt ab ijs, qui hujus se Fati gnaros profiterentur, quales Mathematicos vocat Tacitus *lib.* 1. *histor.* Juvenalis *sat.* 6. *&* 14. Paulus *sentent. lib.* 5. *cap.* 21 Astrologos apellat Ulpianus *digest. de injurijs leg.* 15. §. *si quis*, Chaldæos autem dicit Tullius *lib.* 1. *&* 2. *de divinat.* item Aulus Gellius *lib.* 1. *cap.* 15. uti disciplinam ipsam Chaldaicam Sextus Empiricus contra Grammaticos *cap.* 1.

Causa ejus nominis est, quòd disciplinam hanc repererint Chaldæi, quanquam Ægyptijs inventum isthoc tribuat Herodotus *lib.* 2. *cap.* 87. ut alibi annotavimus, quemadmodum & ab ijs oracula, sacraque & cœremonias cœpisse, ab eodem traditur. Utcunque autem aliquis fuerit dissensus, laxiùs tamen voce Chaldaici Fati nomine accepto, sub eo Babylonicum etiam complexi videntur. Imo cùm Fatum impugnant Theologi veteres, utcunque subinde de Stoico loquantur, plurimùm tamen ab ijs Chaldaicum hoc, sive Astrologicum intelligitur. Liquet illud ex non uno B. Augustini loco, ubi ipsum etiam Fati nomen improbat; ut *lib.* 5. *de Civit. cap.* 1. *si propterea quisquam res humanas fato tribuit, quod ipsam Dei voluntatem, vel potestatem fati nomine appellet, sententiam teneat, & linguam corrigat. Cur enim non hoc primum dicit, quod postea dicturus est, cùm ab illo quispiam quæsierit, quid dixerit fatum? Nam id homines quando audiunt, non intelligunt, nisi vim positionis siderum.* Et *cap.* 9. *Nulla fieri fato dicimus, quoniam fati nomen, uti solet à loquentibus poni, id est in constitutione siderum, qua quisque conceptus, & natus est, quoniam res ipsa inaniter asseritur, nihil valere monstramus.* Propriè igitur Fatum erat prædictio ex sideribus, nomenque est ab ea significatione *fandi*, qua Prophetis convenit, qui & ab eadem origine *Vates* dicuntur. Nam *fari* est à Φάω, unde Φάτης, item φάτις, sicut Latinis *dictio* pro *Oraculo*.

Fati hujus fundamentum posuere partim in veris, certisque, partim incertis, ac conjectura valde dubia subnixis, partim falsis, absurdis, impiis. Vera, certaque sunt plurima, quæ de virtute siderum in elementa, atque humana etiam corpora prodiderunt. Primùm Solem consideremus. Quid manifestius est, quàm eum decursu suo per signa duodena singulis mensibus variare anni qualitates? Quam rem pleniùs exponit Proclus, vel alius in *lib.* 1. *quadrip.* Ac par lunæ est ratio apud eundem Proclum Ptolemæi interpretem.

Nec de nihilo est, quòd divina sapientia Solis & Lunæ cursui, qui dierum, mensium, annorum spatia definivit, etiam quinque addiderit errones. Ex quibus tardus Saturnus circulum annis absolvit triginta, fulgidum Jovis jubar annis duodecim, rutilans Mars biennio, Venus autem Solem comitatur, nunc horis prævius matutinis, nunc vespertinis. Mercurius quoque circa Solem motibus varijs fertur. Frustrane Deus tot numero errones condiderit, sic magnitudine, locis, & colore distinxerit, tamque varios ijs tribuerit motus? Quid dicam de fixis Orbis octavi stellis? Fateri cogimur, nec vilia animalcula, vel plantarum minimas, incassum esse. Quin perspicuum est sic eas viribus differre, ut ijs cognoscendis humanum non sufficiat ingenium. Et in lucidis illis, ac cœlestibus corporibus, ubi tanta est varietas, non admirandam esse efficaciam credamus?

Quanquam quid rationibus pugnamus, quando sensus ipse, longusque rerum usus tot seculis aliud non edocuit? Consideremus stellas fixas. Ex earum ortu, & occasu nautæ, atque agricolæ anniversarias prævident tempestates. Iidem observant ab Arcturo tempestates cieri, ab Hyadibus pluvias, ab Orione nimbos. Etiam Capram cœlestem ortu suo viribus nocere apud Pausaniam legas in Corinthiacis. Jam quanta est vis quinque Erraticorum? Quod peritiores hujus artis maximè observant, quando cum Sole, & Luna, aut ipsæ inter se conjunguntur. Soli enim Saturnus additus aëra reddit nubilum, ac turbidum. Jupiter, ac Mercurius, si arctiùs sociientur, ventos procreant, & tempestates. Mars & Venus, si aptis Cœli locis jungantur, imbres generant, & quandoque etiam fulmina, ac tonitrua. Atque hæc imprimis contingunt in Lunæ conjunctione, vel ortu etiam fixi sideris ex illustrioribus. Imò ne minores quidem ex fixis effectu carent, si cum planetis copulentur. Nimirum stellæ omnes fixæ sunt instar fœminarum, quæ steriles per se, gravidæ fiunt, si jungantur planetis. Sic stellæ Cancri nebulosæ à Ptolemæo dicuntur *suffocantes, & pestilentes*; sed vis ea concipitur à planetis, ut anno factum 1563. cùm in Leonis initio juxta eas stellas partiliter jungerentur Sol, & Saturnus, atrox est pestilentia aliquot consequuta annis per Europam universam.

Quòd si ea sit siderum vis in elementa, & hinc conflata, etiam vis cœli se exeret in corpora humana, cùm homo ex elementis constet, aëra hauriat, cibo & potu nutriatur. Sed vis sideris se nullius prodit manifestius,

manifeſtiùs, quàm Lunaris. Nam morbo caduco, & ſimilibus laborantes, vehementiores habent paroxyſmos circa novilunia, plenilunia, & medias quadraturas. Nonnulli etiam tantummodo ſe male tum habent. Nec hydropici unquam laborant vehementiùs, quàm circa plenilunia, ac penè omnes etiam circa id temporis moriuntur. Atque hæc vera ſunt, certaque, de quibus ſupra copioſè.

Progredior nunc ad ea, quæ partim ſunt dubia, incertaque, partim ejuſmodi, ut falſa miſceantur veris. Hæc partim ſolos reſpiciunt planetas, partim ſola Zodiaci ſigna, partim planetarum in ſigno aliquo poſituram.

De ſingulis planetis tradunt, eos propriam vim in ſingula habere membra, imò chiromantes etiam manus partes ſingulis ſubjecere planetis, nimirum, montem, ut ipſi vocant, hoc eſt tuberculum pollicis, Veneri, indicis Jovi, medij Saturno, annularis Soli, auricularis Mercurio, trianguli ſpatium Marti, hypothenar, ſive manus percuſſionem, Lunæ. Quanquam in nonnullis iſtorum à Tricaſſo, Coclite, Indagine, & Taiſniero diſſentiant Tybertus, & Cardanus, quem vide *lib.* 2. *de rer. variet. cap.* 79 & præter memoratos, Georgium Raguſeium *de divinat. lib.* 2. *cap.* 1. qui commenta hæc ſolidè refellit.

Sed contineamus nos potiùs intra Aſtrologorum opiniones. Hi planetarum vim in quodque corporis membrum colligunt ex quadam analogia, eoque cor, à quo vitalis ſpiritus reſpondere aiunt Soli, unde vivificus mundi calor; cerebrum humidum humectanti Lunæ, quia etiam creſcit, & decreſcit; jecur, quòd officina eſt ſanguinis analogum eſſe Jovi, planetæ ſanguineo, ac vitali; renes, qui vires largiuntur partibus generationi intervientibus, ſubjectos eſſe Veneri, ſigno prolifico; ſplenem, atræ bilis receptaculum competere Saturno, planetæ frigido, & ſicco, eoque melancholici humoris præſidi, ac fel, ſive choleram convenire Marti, planetæ igneæ naturæ, eoque ut ajunt, cholerico, & iracundo; pulmonem, qui aërem ac ſpiritum attrahit, & emittit, ac præterea loquelæ inſervit, ſubdi Mercurio, planetæ ventoſo, qui Soli ſemper eſt præſtò, nunc hac, nunc iſthac diſcurrens, inſtar nuncii emiſſi, ac facundè promentis mandata Domini ſui.

Atque hæc quidem, quia ad corporis naturam pertinent, ubi ſine dubio magna eſt cœli vis, credibiliùs, ſaltem tolerabiliùs proferuntur. Sed non hic ſteterunt. Deventum quippe eò, ut ſingulis animæ facultatibus aliquem præficerent ex planetis. Etſi verò Ariſtoteli tres ex numero ſint, vegetativa, ſenſitiva, rationalis, maluere tamen addere quartam, *vocalem*, vel ſermocinativam, quia homo & ratione, & oratione mutis antiſtet animantibus. Atque idem à Stoicis factum, qui iccirco, cùm pro ſenſitiva unica ponerent quinque ſenſus, neceſſariò animæ octo ſtatuerunt facultates, vegetativam, ſive ſeminatricem vim, quinque ſenſitivas, ſermocinativam, & gubernatricem, ſive rationalem. Quod habes apud Laertium in Zenone, ac Nemeſium *lib. de natura hominis cap.* 15.

Porro Chaldæi, ſive Aſtrologi, uti & Peripatetici diſtinxere à ſenſitiva propriè ſic dicta, hoc eſt à quinque ſenſibus externis, & phantaſia, alijſque internis, facultatem appetitivam, illamque diſtribuere in iraſcibilem, & concupiſcibilem; rationalem autem diſpeſcebant in ſpeculatricem, & activam. Ita ſeptem erunt animæ humanæ facultates pro numero ſiderum, quæ ſubſunt fixis, Solis, Lunæ, & quinque erronum, ſive Sole, Lunaque erronum numero comprehenſis, ſeptem erronum malis dicere. Unum igitur ex ſideribus ſeptem erraticis, ſingula præfecere animæ facultatibus, idque hoc pacto. Rationale contemplativum, ſecundùm eos, gubernat Saturnus; rationale activum Jupiter: appetitui iraſcibili præeſt Mars; ſenſibus quinque externis, & phantaſiæ, ſive imaginativæ Sol; appetitui concupiſcibili præfecta Venus; vocali, ſive ſermocinativæ virtuti Mercurius; infimus planetarum Luna, uti dictum, vim eſt adepta vegetativam, ſive ſeminatricem. Iccirco cùm duo illa magna luminaria Solem, ut Regem, Lunam, ut Reginam, ſtatuiſſent, Saturnum ſpectarunt, ut Conſiliarium, ſenio & prudentia venerandum, Jovem, ut totius ditionis gubernatorem, Martem, ut univerſo exercitui præfectum, Mercurium, ut Legatum, atque Oratorem, Venerem, ut amorem, ac delicias omnium.

Præterea multorum aiunt ſeculorum experientia eſſe obſervatum, homines genus vitæ amare, prout planetæ in ortu illuxerint. Nam pro conſtitutione eorum diverſum eſſe temperamentum, pro temperamento variare propenſionem animi, & mores, prò his quoque fortunam ſequi: Qui lunarem ſortirentur naturam, amare navigationem, ac piſcaturam. Si qui à Mercurio afflentur, ingenioſis artibus, uti mercatura, gaudere. Quos Venus aſpexit, amoribus, canticis, ac ſimilibus delectari. Quibus Sol affulſit, ad dignitates, & honores adſpirare. Bella & rixas amare, quos exagitat Mars. Judicia, ac potentiam quærere, quos Jupiter affecit. Sublimi, ac reconditæ ſcientiæ ſtudere, quos ſublime afflaverit Saturni ſidus.

Inſuper nomina planetarum pro climatibus diſtinxerunt, quod ex Ptolemæo liquet. Et de terris poſtmodo repertis à Campanella idem factum, qui & de Ptolemaica ratione judicium appoſuit. Ipſum adi Aſtrologicorum *lib.* 2. *ar.* 2. Hæc de planetis.

Sequitur de Zodiaco, quem in duodecim, nec plura ſigna diviſere, quia Sol, dum ſuum permeat circuitum, duodecies cum Luna coit, ſingulaque ſigna diſtribuere in gradus triginta, quia Luna diebus triginta iterum conjungitur cùm Sole. Unde etiam liquet, cur gradus ſint 360. quando tot conſiunt, ſi duodecies ſumas triginta. Atque hæc ratione conſtant manifeſta. Non item illud, cur ſingulis corporis membris aliquod Zodiaci ſignum præfecerint. Arietem Capiti, Taurum cervici & ingulo, Geminos humeris, lacertis, & & manibus, Cancrum pectori & coſtis, Leonem diaphragmati; ſtomacho, ac ventri, Virginem, præcordijs, & hypochondrijs, Libram, renibus, vertebris ac natibus, Scorpium, ilibus, Sagittarium, femoribus, genibus, & poplitibus, Capricornum, ſuris, & talis, Piſces pedibus. Quam rem verſibus expreſſit Manilius *lib.* 2. prout reſtituit Joſephus Scaliger. Atque ex his Leo grandes vires, & Leoninis ſimiles, dicitur conferre, Virgo pulchritudinem, Sagittarius, qua parte homo pulchros, qua equus, fortes redere perhibetur. Cancer, Capricornus, Piſces & robore, & pulchritudine deſtituunt.

Etiam ſigni cujuſque domum huic, vel illi planetæ tribuerunt. Ut Soli Leonis, quia calidus eſt, & ſiccus, eoque maſculus. Lunæ Cancri, quia calidus eſt, & frigidus, ac propterea femineus. Mercurio aſſignarunt Geminos, partim ut proximos Cancro, domui Lunæ, uti Lunæ propinquus Mercurius, partim quia Solem ipſe comitetur, nec ab eo recedat gradibus ampliùs duodetriginta. Virginem credidere domum aptam Soli, quia Leoni, Solis domo, vicina. Similiter Veneri Taurum, & Libram dedere, parque in cœteris ratio eſt.

Hisce ita constitutis, sic ulteriùs sunt progressi. Solem in Aquario, Lunam in Capricorno, Saturnum in Leone & Cancro, noxios esse, imò nascentes futuros cæcos, si Saturnus foret in domo duodecima, & Solem, Lunam, ac Martem trigona radiatione spectaret; surdos autem, si Saturnus esset in domo sexta, cœlique medio, cœteris altior planetis, quadrato Martis opponeretur. Similiter pronunciant de vitiis linguæ, de morbo comitiali, icterico, aliis, quæ legere est è veteribus apud Ptolemæum *in centum sententijs ad Syrum fratrem*, Firmicum Maternum *in matheseos libris ad Mavortium Lollianum*, *& Marci Manilij Astronomico.* Ex junioribus apud Jovinianum Pontanum *comment. in Ptolemæum*, *&* 14. *libris rerum cœlestium.* Item Junctinum, Cardanum, tot alios, sed omnium instar fuerit Campanella *in sex Astrologicorum libris.* Nec enim hanc artem, si ars ea dicenda est, quæ tot varia habet, & incerta, aliquis præceptis meliùs constrinxit. Particulatim verò examen eorum, quæ de moribus gentium, ex signo eis dominante, tradiderat Ptolemæus vide apud eum *lib.* 2. *cap.* 5.

Qui hactenus conveniunt, in duas scinduntur partes. Multi enim quæ diximus, pro certissimis asserunt, eoque audacter pronunciant de vitæ cujusque duratione, mortis genere, connubio, fortunis, honoribus, & cunctis id genus; nempe ex eorum mente, omnes, & singuli hominum actus determinantur à Cœlo, nec per contingentiam aliquid, sed necessariò omnia, atque inevitabiliter fiunt.

Hanc sententiam amplexi quoque Bardesanes Syrus, ut est apud Augustinum *lib. de hæresib. cap.* 35. Esseni, qui omnia in fati potestate esse affirmant, nec quicquam hominibus præter fati decretum accidere, Josephus *lib.* 13. *antiq. cap.* 9. Simon Magus nihil hominus arbitrio, sed omnia fato fieri voluit, Clemens Romanus *lib.* 3. *recognit.* Manichæi damnant naturam hominum, liberum arbitrium negant, adjutorium Dei tollunt, fatum asserunt, Hieronymus *procem. dialogi adversus Pelagianos*, Augustinus *contra Fortunatum*, *Manichæum*, Chrysostomus *homil.* 45. *in Joan.* Socrates *lib.* 1. *cap.* 17. Priscillianistæ, Manichæorum dogmata sectantes, adstruunt fatalibus stellis homines colligatos, Augustinus *hæres.* 70. Leo Primus *ep.* 93. *c.* 11. Florus Monachus ex libris Augustini, malè intellectis, ita gratiam Dei extollebat, ut negaret liberum arbitrium Augustinus *de gratia & libero arbitrio.* Armenii dicunt peccatum esse à dæmone, & non à libero arbitrio, Guido *de Armenijs.* Mahometani dicunt, quòd quicquid fecerit homo, sive bonum, sive malum, præscriptum, & prædestinatum sit illi à Deo antequam nascatur, Leo Imperator *ep. ad Omarum Saracenorum Regem.* Godeschalcus Belga docebat, quosvis homines inevitabili lege & necessitate providentiæ divinæ, sive inferis, sive superis destinatos esse, Joannes Aventinus *lib.* 4. *annal.* Joan. Trithemius *in chron. Hirsangiensi fol.* 16. Petrus Abailardus dicebat, nihil contingens in rebus evenire, sed omnia, quæ fiunt, necessitate absoluta fieri, Alphonsus *de libero arbitrio.* Albigenses contendunt, quòd peccatum non sit de libero arbitrio, Antoninus *p.* 4. *tit.* 11. *cap.* 7. §. 5. Joannes Vvicles us 2. *trialogi cap.* 13. Deus necessitat creaturas singulas activas ad quemlibet actum suum, & sic sunt aliqui prædestinati, hoc est post laborem ordinati ad gloriam, & aliqui præsciti post hanc vitam miseram ad pœnam perpetuam. Laurentius Valla *libro, quem scripsit de libero arbitrio*, detrahit voluntati hominis libertatem, Philippus *in locis communibus.* Martinus Lutherus *in assertionibus art.* 36. Liberum arbitrium figmentum est in rebus, seu titulus sine re, quia nulli est in manu sua quippiam cogitare mali, aut boni, sed omnia, ut Vvicless articulus Constantiæ damnatus rectè docet, de necessitate absoluta eveniunt. Quòd & Poëta voluit, quando dixit: Certa stant omnia lege. Eadem habet *in lib. de servo arbitrio*, *& in lib. qui inscribitur: Operationes in Psalmos, in psal.* 15. Philippus Melanchthon *ad cap.* 8. *ad Romanos in editione prima*: Nugatorium, ait, est commentum liberum arbitrium. Eò tantùm fertur, quorsum impellitur. Id ipsum repetit *edit.* 2. *& in priori edit. locorum communium, capite de libero arbitrio.* Joannes Calvinus *lib.* 2. *Justit. cap.* 3. §. 7. *&* §. 11.

Adversus hos, ac similes, cùm diceretur, si sic omnia à sideribus dependeant, nec probos amore, nec improbos odio dignos fore; eò se eludere posse existimabant, quòd natura etiam amemus bona, velut cibos salubres, ac delicatos, & quæ natura sunt noxia, odio nihilominus prosequamur, uti venena omnia. Quæ ad excusandum fatum suum Astrologicum versibus expressit Manilius *lib.* 4.

Sed profectè quid est confundere naturalem amorem, vel odium cùm amore, odioque morali, si à Manilio hoc non sit? At contentos se aiunt prudentissimo, ac verissimo Galeni judiciò, qui de ipsis astrorum effectibus loquens, ait, *sophisticum esse manifestæ experientiæ velle contradicere.* Ingentem etiam adferunt copiam eorum, qui res maximas ex sideribus præviderint. In his est Theagenes, Thrasillus, & alii, de quibus jam dictum. Ex Dione etiam Xiphilinus refert, ut mathematici à Vitellio Urbe pulsi, prædixerint ei, fore, ut intra Kalendas Octobris periret, intraque id tempus decessisse. Vide & quæ Eunapius de Ablubio *in vita Ædesii* scribit, alijque de Athenaide, quæ postea fuit uxor Theodosij junioris. Cœteros prætereo.

At non adeo operosum est istis occurrere, quàm arbitrantur. Trifariam enim fit, ut eventus prædictioni respondeat. Est, ut alibi annotavimus, cùm aliquid præscitur è commercio cùm dæmone, qui ob subtilitatem, & experientiam, raro fallitur, ac sæpe, quòd prædicit, Deo permittente, facere decrevit: Est item cùm Astrologi familiares sint viris magnis, & quæ illi moliantur gnari, multa ex sideribus se jactent præscire, quæ aliunde didicerunt. Est denique, cùm versipelles, ac fraudibus subacti, in multis aliqua dicant, quibus eventus casu respondeat. Nec enim verum semper dicere, innumeris comprobatur exemplis, ut etiam alibi docuimus, & tradit Delrius *magic. lib.* 4. *cap.* 3. *q.* 1.

Et sanè sapientissimi quique Gentilium artem hanc non artem putarunt, sed imposturam, eique credulos damnarunt dementiæ. *Itaque erat*, Suida teste, *Alexandriæ quoddam tributum nomine Blacennomium, quod Astrologi penderent, quia ad eos accederent stulti.* Nempe eò, quòd, ut ibidem legas, *Blaca* vocarint *fatuum & amentem.* Vide & quæ adversus Astrologos disserunt apud Ciceronem *lib.* 2. *de divinat.* item quæ de Phavorino refert Gellius *lib.* 14. *cap.* 1. ac similiter Sextus Empiricus contra Grammaticos *cap.* 10. *Ex ijs*, inquit, *quæ artes dicuntur, quædam professione sunt artes, non revera, ut Chaldaica, & Aruspicina.* Etiam Astrogos, & præstigiatores, vel circulatores jungit Dio Cassius *lib.* 57. atque addit, Tiberium utrosque affecisse mortis supplicio, quamvis ipse non solum astrologo uteretur Thrasillo, sed artem hanc etiam exerceret. *Vitellius item*, verbis utar Tranquilli in *Vitellio*, *cap* 14. *nullis infensior, quàm vernaculis, & Mathematicis, ut quisque deferretur, inauditum capite puniebat.*

Turnebus

Turnebus pro *vernaculis* legit divinaculis, Scaliger *Veraculis*, aut *vericulis*, Casaubonus per vernaculos intelligit & circulatores. Atque antea jam, quod ibidem refertur, edicto jusserat, ut *intra Kalendas Octobris Urbe, Italiaque Mathematici excederent*, ac memorat idem Xiphilinus ex Dione. De Imperatorum edictis, quibus Urbe ejecti, vide Ulpianum *in digest. de injur. l.* 15. §. *siquis*. Imò etiam ante Imperatores id factum M. Popillio Lænate, & Cn. Calpurnio Coss. ut est apud Val. Maximum *lib.* 1. *cap.* 3. Scitè Tacitus *in* 1. *Histor. Mathematici genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra & vetabitur semper, & retinebitur.*

Sed quid huc recurrere opus Christianis, quando opinio ea ipsis refellitur Scripturis? Est enim Isaiæ *cap.* 47. 13. *stent, & salvent te augures Cœli, qui contemplantur sidera, & supputant menses, ut ex ijs enuncient eventum tibi.* Idem *cap.* 41. alijsque locis alibi à nobis adductis. Magno etiam consensu à Sanctis Patribus refelluntur, quotquot ex sideribus sic de futuris omnibus pronunciant, velut humani quidam Joves. Vide eos in illud 1. Genesis: *Fiant luminaria in firmamento Cœli, & sint in signa* &c. Item Eusebium *lib.* 6. *præpar. Evang.* Basilium *in hexaemer.* Ubi hanc artem vocat *vanitatem ex abundantia otii profectam*, Ambrosium item *in ejusdem tituli opere*, Hieronymum *in Ies. cap.* 47. Augustinum *lib.* 2. *de doctr. Christ.* Etiam error hic damnatur Concilij Bracarensis 1. *can.* 8. *Si quis animas & corpora humana fatalibus stellis credit adstringi, sicut Pagani, & Priscillianistæ dixerunt, anathema sit.* Ubi vis inest verbis, *sicut Pagani, & Priscillianistæ dixerunt.* Nec enim omnis ex sideribus prædictio negatur, sed illa Chaldæorum, & similium, qua tollitur arbitrij libertas, sine qua homo id, quod est, esse desinit. Tollitur item Reipublicæ salus, quæ hinc mandatis, & præmijs, inde interdictis, & pœnis constat, ijsdenque de causis religio omnis, ipsa etiam tollitur Christiana.

Jure igitur à Christianis quoque Imperatoribus est decretum, ut Astrologi hujusmodi Urbe eijcerentur, quemadmodum est in Codice tum Theodosiano, tum Justinianeo *lib.* 9. *utrobique tit. de malef. & mathem.* Atque hoc sine dubio, longè etiam vehementiori studio fecissent, si jam illis temporibus eò vesaniæ Astrologorum prorupisset impudentia, ut non modò, quæ à voluntate pendent humana, verùm illa etiam, quæ unius Dei subjacent arbitrio, ut miracula omnia, vi siderum dicerent necessariò sic provenisse; ut quando nativitatis Christi de Virgine, & tot, tantorumque ejus miraculorum rationem ex horoscopo adferre non verentur, ut aliàs copiosè diximus.

Similis impudentia est, quando è siderum constitutione judicium ferunt de religione Judæorum, Saracenorum, ac Gentilium. Siquidem Judæorum quidem religionem natam volunt ex conjunctione Jovis cùm Saturno, ut planetarum summo. Chaldæorum autem sectam, quia Hebræorum, sive Noachi religionem primà excepit, exortam esse ex ejusdem Jovis conjunctione cum Marte, ut planetarum proximo. Ex conjunctione Jovis cum Sole, planetarum quarto, ortam esse hæresim Ægyptiam, quæ Chaldaicam est consecuta. Ac similiter ex conjunctione cum Venere provenisse Saracenicam; ex conjunctione Jovis, & Mercurij originem ducere Christianam; ac denique cum Luna proventurum esse imperium Antichristi. Hæc leguntur apud Albumasarem *lib.* 2. *de magn. conjunct. tr.* 1. *differ.* 4.

Quantum verò fidei hæc mereantur, vel fidem fecerit, quod idem Albumasar tradidit, Religionem christianam duraturam esse annis non ampliùs mille quadringentis, & sexaginta. Nam à tempore eo, quo Christus prædicare in terris cœpit, jam prope duo secula sunt supra spatium ab Albumasare præfinitum, nec interea imminuta est religio Christiana, sed incrementa etiam novo Orbe invento cepit longe maxima. Ejusdem farinæ est, quòd ex illis scilicet fati conscijs sideribus R. Abraham Avenaris Judæus collegit, venturum esse promissum Messiam anno Christi 1446. quo Jupiter cùm Saturno futurus esset in Cancro, vel saltem viginti annis post, quando eadem conjunctio foret in Piscibus. Nam utrumque hoc intervallum jam ab annis 250. expiravit, frustraque miselli alium expectant Messiæ adventum, quàm gloriosum illum, quo in nubibus veniet ad judicandum Orbem. At satis de Mathematicis istis, qui sic Fatum statuunt, ut planè interficiant arbitrii libertatem.

Alii tolerabiliùs errant, ut qui non vereantur quidem ex siderum positura prædicere etiam, quæ honores, fortunas, vitæ terminum, & alia hujusmodi spectant, sed fateantur interea quæ dicunt, ejusmodi esse, ut duntaxat significent, quò natura & voluntates nostræ inclinentur à sideribus. Secundùm hos igitur nulla infertur animis nostris necessitas, quia inclinatio ista non sit integra actionis causa, cùm voluntas propensionem illam mutare possit, & ubi est ad mala, non minùs debeat, quàm possit, atque ut faciliùs possit, multùm conferunt disciplinæ, ac consuetudo, quæ altera est natura, idque sæpius in corporibus quoque, ubi major est cœli vis, habeat locum.

Atque hoc sensit etiam Ptolemæus, ut qui non uno dicat loco, sidera quidem inclinare, ac disponere hominem, at non dirigere, quia hoc facultatis sit potentioris, voluntatis nempe, cui nulla adferatur necessitas, cùm semper adversari possit proclivitati à sideribus allatæ. Vide eum *de astrorum Judic. lib.* 1. *cap.* 4. *text.* 24. *& seq.* Inter alia ait, ut magnes si non impedias, fatali lege trahet ferrum; at non attrahet, si allium illeveris; ita humanas agere voluntates pro siderum positura, modò siveris eo ferri, quò propendent, sed acturas contrarium, si hoc studeant. Itaque in eo summam ponit Astrologiæ utilitatem, quòd, ubi ex ea didicerimus, quò astra inclinent, adversus malum prævisum cavere nobis meliùs sciamus, vel planè illud amoliendo, vel saltem reddendo leviùs. Atque hanc esse rationem, ait, cur Ægyptii medicinam cùm Astrologia conjungant; quippe eos pro constitutione præscribere alia, atque alia remedia.

Eòdem pertinet quoque illud Ptolemæi *in libro, qui centum dicta inscribitur, aphorismo* 5. *potest scientiæ hujus gnarus multas evertere siderum operationes.* Summùm igitur ex notitia siderali concluseris de animi propensione, non de vita ipsa. Quod in physiognomia etiam locum habet, ut ex Socrate liquere diximus, & ait Tullius *in* 2. *Tuscul.* idemque, & Aphrodisiensis *in libro de Fato.*

Porrò animus mihi non est cum iis litem agere, qui non aliam vim tribuunt siderum posituræ; quippe sic quoq; salva permanet arbitrii libertas. Quin, si volunt, largiar illis admirandam siderum varietatem, sive magnitudinem, sive colorem, sive motum spectemus, persuadere nobis vim quandam esse insitam sideribus, qua non in elementa modò, & muta agant animantia, sed etiam in corpora hominum, ac pro iis inclinari animos ad hoc, vel illud agendum. Sed hoc si dedero iis, non propterea concessero, Astrologos in cœlesti illo libro legere posse, quò cujusq; animus natura vergat. Esto, ut etiam propensio omnium inde dependeat, at liber ille adeo subtiliter est scriptus, ut præter eum, qui scripsit, non dico, nemo illum planè, pleneq; apprehendat; nam hoc ne in vulgaribus quidem artibus, ac scientiis locum habet; sed ij quoque, qui artis hujus habeantur intelligentissimi, exiguam solùm portionem capiant, eaque ipsa particula tota sit conjecturalis. Quod ita esse multis convincitur argumentis.

Aiunt quidem, à Chaldæis observatum esse, ut pro hoc, vel illo cœli situ, hi, vel illi effectus in homine consequantur. Sed quomodo similis per omnia sit siderum positura, si demum, ut Ptolemæus ait, fixarum stellarum Orbis circumvolvitur annis septies millenis, nona verò 36. millibus, imo juxta alios, eadem cœli facies demum redeat exactis aanorum 49. millibus, quòd annum magnum appellant? Præterea, ut in Chaldæa, ubi condita hæc fertur disciplina, locum ea haberet, non propterea alibi, variante cœlo, idem sequeretur effectus. Ad hæc, illa, quæ de homine prædicant, vel temperamentum respiciunt, vel casus fortuitos. Fortuita non pendent à Cœlis, nam alioqui non fortuita essent, sed necessaria. Temperamentum verò non duntaxat oritur à Cœlo, sed insimul à parentibus. Proinde, ut de inclinationibus hominum possent prædicere, exquisito opus erat, non modò de facie cœli, sed etiam de temperamento parentis utriusque. Nec ea vis est in tempore nativitatis, quæ in illo conceptionis.

Quid, quòd multum etiam discriminis adfert, quòd alij alijs diutius gestantur? Septem aliqui, nonnulli octo, alij novem, vel decem mensibus. Jam quàm incertam hanc reddit disciplinam, quòd crebrò naturalis illa propensio, quæ infantiæ inerat, alia longè sit in adulto; quia educatio, & disciplina mutent hominis indolem. Atque ut hoc non esset, multa incidunt, ob quæ mens hominis, quæ libera est, inclinationem vincat.

Denique nonne videmus uno prope momento maximos cœli circuitus, ac plurimos eodem tempore, vel naufragio perire, vel pestilentia? Haud dixerint, eodem esse natos tempore, cùm tanta sit ætatis diversitas. Sed hic reperere aliqui, quo se ictum illum exire, arbitrentur. Aiunt, vim eam, quæ nascentibus imprimitur, magnam quidem esse, at particularem interea, eoque vinci ab universali, quales sunt bellum, pestilentia, & similes. Atque hinc esse, quòd mortes sint dissimiles. Simili licet natis horoscopo. Sed hoc cùm dicunt, non videntur videre, quantùm causæ præjudicent propriæ. Quid enim probabiliter prædixeris, si inclinatio humana semper causæ cesserit universali? Hujuscemodi satis ostendunt, hanc de sideribus Fati conscijs, ut Manilius ea vocat, disciplinam, parum habere verisimile, etiam cùm de sola hominum propensione ex horoscopo judicatur; atque illos etiam nimium disciplinæ huic arrogare, qui aiunt, ut principia ejus non sint tam certa, quàm geometrica, vel arithmetica, ejusmodi tamen esse, ut plurimùm sic contingant; eoque similiter hic habere, ac in medicorum consilijs, & prædictionibus, quæ etsi fallant quandoque, non propterea contemni mereantur. Siquidem hæc immane quantum distant, cuivis perspicuum est.

Hactenus de Fato illo, quod Chaldæorum dicitur, ac divinationem eam constituit, quæ ex sideribus petitur, sive, ut Plotinus putabat, sidera ipsa hoc Fatum nesciant, sed homines, divinandi artem edocti, hoc in siderum libro legant, velut in Deorum tabulis, quomodo nec aves in auspicijs scire credebantur, quæ prænunciabant; sive sidera omnium sint gnara, non tamen efficiant omnia, quæ aliorum est opinio, sive etiam Fata in se inclusa circumgestent, & quæ facto opus sciant, ea foris efficiant, quam opinionem, ut dubius tamen Seneca *ep.* 88. proponit, Manilius autem amplexus fuit; qui non contentus *sidera* dicere *fati conscia*, continuò subjungit *diversos hominum variantia casus*.

Hanc verò è sideribus divinationem aliquo etiam in loco Stoici habebant, idque eo lubentiùs, quia hinc colligere sit, Fatali omnia fieri necessitate; qui sidera quoque, unde divinatur, divina esse corpora judicabant, imò & Deos dicebant. Ipsum etiam Fatum Dei nomine, & Deum Fati vocabulo nuncupabant.

Etsi autem Fatum Stoicum nonnihil differat à Chaldæo illo, quòd res omnes alligat necessitati, in præcipuo tamen conveniunt; quia utrunque arbitrij aufert libertatem. Si quidem *omnia Fato contingere*, etiam ea, quæ contingenter, fortuna, aut casu fieri dicuntur, traditum Zenoni, & Chrysippo, Possidonio item ac Boëtho, singulis horum in ijs, quæ de Fato ex professo prodidere, teste Laertio. Est verò ijs Fatum, *causa rerum implicata, sive ratio, per quam mundus administratur*. Ac similiter apud Stobæum *in eclog. physic. ratio, per quam facta sunt, facta; quæ fiunt, fiunt; fient, quæ futura*. Apud Aulum Gellium quoque *lib. 6. cap.* 11. dicitur secundum Chrysippum: *Fatum est sempiterna quædam, & indeclinabilis series rerum, & catena volvens semetipsa, se se & implicans per æternos consequentiæ ordines, ex quibus apta, connexaque est*.

Hanc sententiam suam comprobant ex eo, quia non modò in naturalibus, sed etiam in voluntarijs sint causæ antecedentes, cùm nihil sine causis fiat, eoque & voluntates humanæ includantur sempiternæ causarum seriei, quæ Fatum dicitur. Idem eo adstruebant, quòd pronunciatum omne sit verum, aut falsum, exempli gratia: Cypselus Corinthi, Pisistratus Athenis, Cæsar Romæ invadet imperium. Hæc futura fuisse ex eo, quòd facta sunt, cognoscitur. Ab æterno igitur verum fuit pronunciatum hoc. At quod ab æternitate verum, id etiam certum; quodque certum, idem immutabile, cùm è verò in falsum converti non possit. Ad hæc eò pugnabant, quòd sit divinatio, ut ostendunt Vatum effata, atque oracula. At, inquiebant, nullæ forent de actibus humanis, vel certè mortis genere, temporeque, ante annos sæpe multos prædictiones, si quæcunque futura prædicuntur, vereque futura sunt, possent non fieri.

Interim in isto causarum nexu sempiterno disparem esse naturæ ac voluntatis rationem, fatebantur. Nec enim existimant, hunc causarum nexum ex æterno pendentium in voluntarijs esse causarum principalium, quæque efficienter antecedunt, sed esse vim causarum adjuvantium, sine quibus res effici non possit; quomodo colloquium cum virgine causa est amoris, atque amor inhonesti concubitus. Utcunque enim non sequatur in omnibus, vel ex congressu amor, vel ex amore flagitium, in quibus tamen sequuntur ista, sunt ea, ut Tullius ait, præcursiones ad efficiendum. Ac tam adjuvantes causæ, quàm principales, in fatali serie, licet diversimodè, includebantur, eoque & illæ præcursiones, etiamsi non semper idem efficiunt; tamen quando efficiunt, non possunt non efficere, & cùm non efficiunt, efficere non possunt; quia fatalis series à Deo constituta, omnium sit rerum causa, quam humana mens infringere minimè valet. Hanc rem declarat Chrysippus *lib.* 1. *de providentia* apud A. Gellium interpretem *lib.* 6. *cap.* 2.

Adversus nihil æquè urgeri solet, quàm sic omnium, etiam delictorum, ac scelerum, Deum fore autorem, quod natura animus omnium abhorret credere. Sed Chrysippus contendebat, etsi nihil non fiat necessariò, quia Fatum eludi nulla vi, aut arte hominis, possit; tamen culpam in delictis, non Fato, vel Deo, sed humanæ malitiæ, adscribi oportere. Distinguebat autem inter hominem, consideratum simpliciter, & hunc hominem, hoc est, hac, vel illa præditum ingenij proprietate. Ut exemplo

ista

ista illustrem, quis, dixerit, hominis, prout homo est, hanc esse naturam, ut sit truculentus, vel libidinosus? Quàm multi enim cohibere libidinem, temperare etiam à cædibus sciunt! Attamen si sanguinarium conspexeris, præsertim qui impunè aliquid possit, quis aliud sibi persuaserit, quàm si atroci injuria affectus videatur, cæde hoc alterius ulturum? Est alius in Venerem proclivis. Adest famosa Lais, vel occasio est illudendi pudicitiæ provincialis uxoris, quam attrahendi vim habet aliquid habere, aiebat Varro. Quid aliud fiet, quàm, ut paratis omnibus, præceps, tauri instar, in Venerem ruat?

Colligebat hinc Chrysippus, utcunque necessariò quidque fiat, non tamen Deum esse causam cædis, sed hominis truculentiam; nec penes Deum esse culpam volutationis cum scorto, vel commissi adulterij, sed penes animum hominis, libidine diffluentis. Unumquodque enim censeri è causa proxima; hanc autem non Deum esse, sed hominis voluntatem, atque ingenium, quod uni contigerit mite, asperum alteri; huic continentiæ amans, illi in libidines pronum. Declarabat autem hoc similitudine cylindri, qui si pede impellatur initium dederis motus; at porro ille præceps feretur, non quia tu moveris; nam quadro si idem feceris, mox quiescet, sed propriam ob volubilitatem, quam ex forma, modoque suo habet. Similiter inquiebat, à fato quidem esse impulsum aliquem voluntatis, sed cædem esse à propria voluntate, ingenijque truculentia, atque itidem libidines fœdas incontinentiæ animi, ut causæ proximæ, tribui convenire. Quam similitudinem non modò apud A. Gellium *dicto cap.* 2. sed Tullium etiam *de Fato* legere est.

Contra autem ista objeceris, Deum esse opificem naturæ, tam sanguinariæ, quàm lenis, tam libidinosæ, quàm continentis. Unumquodque autem agere pro natura, quam Deus indiderit nascenti, eoque ubi necessarius est nexus, verissimum esse illud pronunciatum, causam causæ esse causam causati. Viderunt & hanc difficultatem Stoici; sed negarunt, Deum esse causam totius naturæ; Duo enim esse ejus principia; activum unum, Mentem æternam; & passivum alterum, Materiem ei coæternam. Mentem esse optimam, sed Materiei quædam inesse vitia, eoque hominum alios alijs esse meliores, prout ex meliore, vel deteriori sunt materie. Neque in mala natura esse aliquam Opificis culpam, qui ex materie hujusmodi id fecerit, quod potuit. Quomodo nemo quòd vitreum, aut fictile vas, fragile sit, aut quòd vas ferrreum ferrugine obducatur, artem fabri culpaverit, cùm hoc vitium constet esse à materie, non ab opifice.

Similiter igitur *vim materiæ motricem*, ut Chrysippus vocabat, causam fecere mali, tam culpæ, quàm pœnæ. De malo illo interno sic Seneca *præt. lib.* 1. *nat. quæstion. Utrum Deus, quod vult, efficiat, an in multis rebus illum tractanda destituant, & à magno artifice formentur prava multa, non quia cessat ars, sed quia id, in quo exercetur, inobsequens arti est.* Ubi id, in quod ars se occupat, materies est, quæ inobsequens est artifici, quia in ea lateat indoles malefica. De externis sunt illa ejusdem *libro de Providentia cap.* 5. *Quare tamen Deus tam iniquus in distributione Fati fuit, ut bonis viris paupertatem, vulnera, & acerba funera adscriberet? Non potest artifex mutare materiam; hæc passa est.* Valdeque hæc Stoicorum sententia est vicina opinioni Magorum, qui duo statuerunt principia, boni bonum dæmonem, nempe Oromasdem, sive Jovem, & mali autorem malum, Arimanium, sive Plutonem, ut tradidere Aristoteles, Hermippus, Eudoxus, & Theopompus, atque ex ijs Laërtius *in præfatione sui operis*, deque eo nos pleniùs *alibi.*

Objici præterea solet, ut sic Deus fuerit extra culpam, eaque resideat tota penes materiem hominis, in ista tamen actuum humanorum necessitate frustra ad Deum preces fundi. Sed Stoici regerebant, & preces, & leges, & præmia, ac pœnas esse in causis, & effectis fatalibus. Itaque cùm Zeno cæderet servum in furto deprehensum, atque hic inclamaret, fato se furatum, respondit ille: *Et fato cæderis*; ut est apud Laertium.

Dixeris, quid nosse hujusmodi Fatum juvat, cujus scientia & pietati, & virtuti obsit magis, quàm prosit? Nam quantillus pietatis, vel quis honos erit virtutis, si nihil agere aliud valeam, quàm faciam? Huic sic argumento obviam ivi se censet Justus Lipsius ex Stoicorum mente *lib.* 1. *physiol. stoicæ cap.* 14. primas, ac insitas Fato causas à voluntate humana leviter inclinari, indeque aut præmium esse, aut pœnam. Sed quòd à Scholasticis in Aristotele factum esse, non semel dicimus, ut meliorem ei affingerent opinionem, quàm habuisset, nempe ne tanti nominis Philosophus à veritate Christiana extra ea, quæ ad Christum, & Spiritum ejus pertinerent, longe nimis abijsse videretur. Idem à Lipsio factum fuit in Stoicis dum videri vult, propiùs eos absfuisse à Christianis, quàm revera erant. Tuetur se eo, quem vel testem, vel interpretem allegat, Manilio. Verùm nihil aliud ille dicit, quàm, utcunque voluntas necessariò agat, nihilominus probos diligi, improbos odio esse non secus ac mortiferas odimus herbas, & fruges amamus, *quæ non arbitrio veniunt, sed semine certo.*

At quo pacto hinc elicias, prout homines Fati conditionem in melius flexerint, aut pejus, ita vel præmium mereri, vel pœnam? Imo quid apertius est, quàm plane eos contrarium dicere? Longè igitur aliud fuisset, quo Stoici hoc se argumentum eludere posse arbitrarentur; nempe non ursissent principia illa de Fato. Unde quid sequatur, non disputabo, sed principia alia, de vita non secundum effectus, verùm rationem, componenda. Et profectò cogitemus ipsum sectæ conditorem, à quo proverbium illud Laertio *in Zenone: Philosopho Zenone continentior.* Cogitemus etiam Catonem, Senecam, Epictetum, & tot alios. Fateri cogemur, genuinos Stoicos vitæ probitate nulli ex sectis alijs fuisse inferiores, ut videri queant alia habuisse principia vivendi, alia disserendi.

Præterea inquiebant, sectam hanc inter alia ad hoc prodesse, ut cogitantes omnia evenire fatali quadam necessitate, patientes simus in adversis, gnari eos, qui non lubentes Fatis obsecundent, obluctardo sibi onus reddere gravius, quia frustra de eo se cruciant, quod corrigere est nefas.

Atque hujusmodi est Stoicorum opinio de Fato, quo nomine etiam Deum ipsum intelligebant. Nempe cùm unum esse agnoscerent Deum, multis tamen vocabulis pro vi diversa, appellabant. Unde Laërtius *in Zenone* ait, eundem Deum & Jovem dici, & Mentem & Fatum. Et Seneca *in* 4 *de benef. cap.* 7. *Vis illum Fatum vocare? Non errabis. Hic est, ex quo suspensa sunt omnia, causa causarum. Vis illum Providentiam? Rectè dices. Est enim cujus consilio huic Mundo providetur, ut inconcussus eat, & actus suos explicet. Vis Naturam vocare? Non peccabis. Est enim ex quo nata sunt omnia, cujus spiritu vivimus. Vis Mundum? Ipse est enim totum, quod vides, totus suis partibus inditus, & se sustinens, ut sua.* Ubi videmus Fatum Stoicis esse Providentiam, sed quæ afferat rebus necessitatem, esseque eam Providentiam Numinis, sed ita Naturæ, ac Mundo permixti, ut hæc sint Dei ipsius corpus.

Consultatio CXII.

De Fato Christiano.

POst tam multa de Gentilium Fato, non immeritò aliquis requirat, ut Christianorum etiam de eo, ac antiquorum præcipuè, judicium afferamus, ubi primùm de vocabulo, mox de re dispiciendum. Nec enim è veteribus desunt, qui in totum damnare videantur ipsum Fati nomen, ut Augustinus *in 5. de civit.* cujus verba superiùs adduximus, atque idem *tract.* 37. *in Joan.* ait: *O si cor tuum non esset fatuum, non crederes Fatum.* Sequitur quoque Gregorius Magnus *hom.* 10. *in Evangelia*: *Absit à fidelium cordibus, ut Fatum esse aliquid dicant.* Sed non refugit vocabulum hoc Boëtius *in* 4. *de consolat. philos. pros.* 4. ubi Fatum definitur, *inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam providentia divina suis quæcunque nectit ordinibus.* Nec rem improbat Augustinus, dummodo per illud intelligatur voluntas, vel potestas Dei; sed eò vocabulum reijcit, quia sumeretur vulgò pro vi positionis siderum. Damnat igitur Fatum Chaldaicum, non illud, quo sua voluntati humanæ relicta est voluntas. Sed sic quoque aliquis inter Augustinum & Boëtium dissensus videtur. Nam Augustino Fatum est voluntas Dei, Boëtio ordo secundarum causarum, quatenus subest providentiæ divinæ. Sed sunt ista non difficilia conciliatu. Nam Augustinus Fatum spectabat, ut aiunt, *causaliter*, Boëtius, *formaliter.* At quid refert, utrum Fatum dicatur voluntas Dei in causis secundis, ordinem constituens, an ordo in causis secundis, à voluntate Dei constitutus? Utrobique enim agnoscitur, ordinem causarum esse à Deo, ac secundùm illum omnia certò & infallibiliter evenire. Minùs tamen propriè Augustinus; sed nec propriè satis Boëtius, cùm ordo sit relatio; Fatum autem relatio non sit. Pertinet quippe ad causam efficientem. Relatio autem propriè non efficit. Sic verò ad causam efficientem refertur Fatum, ut non sit causa unica, sed congeries, ac nexus causarum secundarum, quatenus subjectæ sunt providentiæ Dei.

Interim hæc colligatio causarum aliter se habet erga res naturales, aliter erga voluntates humanas. Valde enim falluntur, si qui fatalem illam necessitatem in eo constituant, quòd Deus sic in creata agat omnia, ut & naturalia semper operentur pro ut semel indita, & humanæ voluntates pro impulsu divino bene, maleve operentur, nec agere secus possint. Siquidem ne naturales quidem effectus sunt à necessitate absoluta; quia multa contingunt interventu voluntatis humanæ, vel boni, malive spiritus, per quos sæpe natura à Deo impeditur. Ac longè minùs voluntas humana agit ex necessitate absoluta; quia sic tollatur ex rerum natura res omnium pulcherrima, libertas arbitrij, atque adeo Religio ipsa.

Nexus igitur causarum secundarum ejusmodi est, ut illa quidem necessariò fiant, quæ causas habent necessarias, contingenter autem, quæ causas habent contingentes. Atque utrarumque causarum colligatio dicitur fatalis, quatenus in ea spectatur tum prævisio Dei, tum decretum. Prævisio, etsi certissima est, minimè tamen pugnat cùm libero hominis arbitrio. Utcunque enim millies cernam aliquem nimiis se poculis perdentem, non eo scientia mea efficit, quominus ille liberè se inebriet, ac perdat. Quare cùm certissimò idem prævidet Deus, non eò prævisio illa libertatem tollet humanam, ac vel ebrietatis crebræ, vel interitus fuerit causa.

Possis tamen dicere, necessariò, hoc est certò, & infallibiliter, hominem se poculis perditurum, quia falli nequeat intellectus divinus. Sed hæc necessitas est impropriè dicta, quæ causa rei dici nequit.

Altera necessitas consideratur ratione decreti, quo Deus cuique suum præstituit finem, & hujus & alterius vitæ ratione. Sed nunc intra hanc vitam consistamus. Illud convenit, non hominem, sed Deum statuere cuique vitæ suæ terminum. Negari quidem nequit, hominem nimia Venere, & Baccho & aliis id genus, naturam si spectes, vitam reddere breviorem. Sed constat item, Deum, autorem naturæ, agere posse, ac subinde agere, præter naturam; Ut quando impedit, quominus natura agat ex vi sua. Innumera sunt ejus rei exempla, sed in termino me vitæ continebo. Convenit, ut arbitror, Regis Ezechiæ *lib.* 2. *sive* 4. *Reg. cap.* 10. morbum fuisse sua natura lethalem, à quo tamen convaluit, Deo morbi vim præpediente, Quare, ut dixi, ne in talibus quidem naturalis simpliciter est necessitas, sed spectanda est Dei voluntas, quæ morituro aliquo, statuit permittere, tum ut agat homo, quibus sibi secundùm naturæ cursum, ad immaturam mortem, paret viam, tum ut etiam natura more agat ordinario, quia non impedire eam decrevit.

His positis, necessitas moriendi consequitur. Quia non potest non fieri, ubi Deus statuerit aliquid permittere, quod, si sinat, certò videat fore: At necessitas ista est comparatione non voluntatis humanæ, sed præscientiæ, ac decreti divini, neque est necessitas physica, sive interna, vel consequentis, sed logica, sive syllogistica, vel consequentiæ. Sit enim hoc majus pronunciatum: Si talis fuerit ordo rerum, exempli gratia, ut Petrus propensus sit ad libidinem, interque Venereos vivat, ac Deus talem rerum ordinem, nullum verò virtuti naturali decernat impedimentum, certò istic loci, illo etiam morbo, qualis lues Venerea, corripietur, ac peribit. Minus pronunciatum est: At Deus decernit, ut ejusmodi rerum ordo decurrat, utcumque provideat, hominem sic sibi relictum vaga, & illegitima Venere peccaturum, & se nullum virtuti naturali afferente impedimentum, fore prorsus, ut miserè homo pereat. Complexio est: Petrus igitur, & tum, & sic peribit: Recteque hanc necessariam vocari consecutionem, ostendit Aristotelica syllogismi definitio *lib.* 1. *analyt. præterm. cap.* 1. §. 8. ubi conclusio omnis necessariò consequi dicitur propter ea, quæ præmittuntur.

Verùm, uti hæc non est necessitas consequentis, sed consequentiæ, ita nec decretum, quod dicebamus, ejusmodi est, ut vim humanæ afferat voluntati. Quippe neque sic conditionatum est, ut incertam relinquat prævisionem Numinis, neque sic absolutum, ut hominis evertat libertatem. Alia interim mente, & absolutum dixeris, & conditionatum. Licet enim non homo sibi quisquam, sed Deus illi præfiniat dies suos, non tamen à decreto hoc excluduntur causæ naturales, & actus humani, quibus ad terminum illum, culpa sæpe humana, eaque evitabili, devenitur. Alioqui non *Deuter.* 16. juberemur honorare parentes, quò prolongentur nobis dies; nec *psal.* 55. 24. dicerentur viri sanguinis, ac dolosi non dimidiaturi dies suos. Similia sunt alia præceptorum, promissionum, minarum exempla. Licet autem non arbitrer, ullum hominis ingenium satis penetrare, quomodo decretum Dei, & libertas hominis de certo vitæ fine conveniant, videtur nihilominus multùm imminui difficultas, si prævisionem Dei consideremus bifariam, ut an-

ut antecedit actus humanos, & ut sequitur. Præcedit ea cùm conditione, eoque nihil ponit. Sequitur absolutè, quia ubi ad prævisionem conditionatam decretum de certa rerum serie à Deo accesserit, quod erat conditionatum, quodammodo naturam decreti induit absoluti. Conditionata quidem nihil ponunt, nisi posita conditione, sed ponitur conditio, decernente Deo, se non impediturum actus liberos, quos fore prævidet, si non impediat; cujusmodi prævisio cùm sit certissima, ubi decretum de non impediendo accesserit, neutiquam relinquitur meta vitæ incerta; sed ut incerta à nobis attenditur, præscindendo intellectum à decreto. Quia permissio non est causa sufficiens. Ut certissima autem consideratur, quatenus decretum Dei spectatur, ut natura sua posterius est actibus hominis prævisis. Sunt igitur decreta Dei, & voluntas humana subalterna, nec quam Deus homini libertatem dedit, ullo ejus tollitur decreto, nec divinum infringitur decretum libertate hominis; sed pariter Deus & disponit, atque ordinat causas, quæ sunt ab homine, & de fine decretum facit immutabile

Quibus abundè refellitur sophisma, quod dicitur *ignava ratiocinatio*, & à Tullio *lib. de Fato*, ac Origene affertur *in 2. contra Celsum.* Optimè etiam hæc conveniunt cùm iis, quæ S. Augustinus scribit *lib. de bono persever. cap.* 17. & *de corrept. & gratia cap.* 7. *ac* 13. ubi ostendit, ut alios celeriùs, tardiùs alios auferat ex hac vita, quò pariter & homini sua constet libertas, & Deum suum decretum cuique suum constituens terminum. Quòd si alia etiam, quæ pro hac sententia vel quoque adversus eam, adduci posse videantur, scire sit cupido, Scholastici adeantur, more suo in utramque partem differentes, sed sic, ut homini acuto, & tamen magis studioso pietatis, quàm ingenii laudem affectanti, non obscure elucet, quò trahat veritas.

Cæterùm, hominem, etiam post lapsum, liberi esse arbitrii, ad bene, vel malè agendum nulla divina, vel fatali necessitate cogi, sed sua sponte vel Deum monitorem ad bonum, vel diabolum seductorem ad malum sequi, asserunt sacræ litteræ. Genes. 4. *v.* 6. Num. 30. 14. Deuter. 30. 19. Josue 24. 14. Isaiæ 1. 19. Ecclesiastici 15. 14. & 31. 10. Sap. 16. 21. Matth. 19. 17. & 23. 17. Act. 5. 4. & 1. Corinth. 7. 37. & ad Philemonem 14. Asserunt etiam Patres Græci, ac Latini, quos magno numero constipavit Jodocus Covius *tomo secundo Thesauri Catholici.* Item Concilia, ut Sexta Synodus generalis anno 680. *in exclamatorio sermone ad Constantinum Imperatorem*, Concilium Toletanum quartum *anno* 643. *cap.* 56. *de Judæis.* Concilium Valentinum *anno* 855. *cap.* 6. Concilium Senonense *anno* 1523. *cap.* 15. *de libero arbitrio*, Concilium Tridentinum *sess.* 6 *can* 4. & 5. Asserunt quoque Judæi veteres, ut Rabbi Moses Hadarsan *ad cap.* 4. *Geneseos*, Rabbi Akiba *in capitulis Patrum*, Philo *lib. quod Deus sit immortalis*, & *lib.* 4. *allegor.* Rabbi Moses, filius Maimon *epist. adversus Astrologos*, Joseph Albo *in lib. fundamentorum tract.* 1. *cap.* 9. Rabbi Judas *in capitulis Patrum* ad illa verba: *Omnia sunt aperta, & arbitrium datum est*, ac inter Astrologos ipsos Iulius Firmicus Maternus *anno* 340. *de erroribus profanarum religionum cap.* 29. his verbis: *Quid hic ad sacrilegium pronus aures tuas obstruis? Quid hoc obstinati furoris ardore in exitum, mortemque festinas? Liberum te Deus fecit. In tua manu est, ut aut vivas, aut pereas.*

Et profectò hic illa Marci Tullii facundia ingenti syncopa obmutuit, & Zenonis sapientia ipsa desipuit. In eodem enim discrimine impari funere elati, alter prætervectus feliciter placidum æquor libertatis ad necessitatis scopulos impegit. Prior autem vindiciis libertatis providentiæ commissuram truncavit, & dum incautè cautes illas declinaret, in malacia ipsa, ac tranquillitate naufragavit. Nec solus. Ut ergo protinus causæ caput invadam, atque improbos hac latebra excludam, qui ad anticipantem cursum fatorum tanquam ad asylum fugerunt, do illis quòd aucupantur, ut fatorum æternitas ipsorum seras voluntates antevertat, indene conficient præreptum sibi sui operis arbitrium, ut pati illud, non agere debeant, & ad scelerum licentiam, hoc est homicidium animarum, tanquam pecora ad victimam trahantur? Id utique censeo eos sentire, sed quàm frigidè ac frivolè, rubescant, quasi non possit divinitus liberum quidpiam decerni, & necessum esse habeat quodvis, eò quòd futurum est. Absit amentia. Nam & Deus prævidit, ac providit jam olim in Kalendis æternitatis illa à nobis qua committi opera, qua omitti, sed arbitratu operantum, qui utique nihil perstringitur, dum utraque sic ei destinantur, ut faciat ipse delectum.

Non equidem ausim ire inficias, his pensis fatorum causis quibusdam vincula neri, omnibus posse, iis scilicet, quæ ad opus solo impetu naturæ irritantur. Sed tu etiam admitte, ut deponamus aliquid in commune, posse hæc à divina libertate ita dirigi, ne arbitrio creaturarum servitus ulla inferatur. Idem imber pluribus areis illapsus, in quam graminum differentiam redundat? Ipsa aura iisdem follibus in multos siphones aspirans quot numeris modulatur? Et adhuc ambiges, an aliquando Fatum, id est spiraculum principis Causæ ita in sexcentum canales dispensare se possit, ut quibusdam vim non inferat, etsi omnibus vires ferat? Non audis, vides, metuis fulmen obstantia irrumpere, cedentia servare? Et quia nos fascinat, ne fateamur Deum, cujus tam ingeniosa sunt arma, natura agentes cogere, liberas tantùm adjuvare? Si ea est fidibus fides, ut cum in divisis psalteriis ad sympathiam hinc inde temperantur, atque una quæcunque feritur protinus in altero similis etiam non icta remurmuret, Delrius *lib.* 1. *magic. cap.* 3. *q.* 4. Quid ni capiamus, ut ubi se moverit summi Dei voluntas providentiæ plectro, humana protinus, tanquam pararella primæ sine vi, fraude, servitute ulla sequatur? Certè nihil hic novi deprehendas, nisi ipsam novitatem, ubi illustris veritas vulgi ignorantiam, ac desuetam claritati aciem inopino fulgore perstringit. Hactenus fatum.

CONSULTATIO CXIII.

Ad quæ crimina se extendat crimen Hæresis? Quisnam sit suspectus de hæresi? Quid, ac quotuplex sit suspicio, præsumptio, opinio. Contra hæreticos, & contra suspectos de hæresi quomodo procedant Inquisitores?

CUm *in cap. Ut Inquisitionis de hæret. in* 6. *dicatur*, crimen hæresis esse Ecclesiasticum, et proinde Magistratus secularis de illo non possit cognoscere, sed id pertineat ad Episcopos, & Inquisitores privativè ad laicos, ideo quæritur, quæ sint crimina, quæ sub crimine hæresis comprehenduntur. Constat enim, præter hæresim formalem contineri sub hoc crimine quodcumque delictum, quòd hæresim sapit, quodque delinquentem reddit suspectum de hæresi, ideoque Judices fidei privativè quoad laicos cognoscere generaliter de fautoria hæreticorum, ac de

ac de omni delicto sapiente hæresim, vel inducente suspicionem de hæresi.

Quare dicendum est primò. Sub crimine hæresis comprehenduntur omnia dicta, vel facta, quæ quomodocunque hæresim sapiunt, sive sint hæretica, sive suspicionem hæresis inducant per *textum in cap. ad abolendam, cap. excommunicamus* 13. *de hæret. cap. quicunque* 2. *cap. in fidei favorem* 5. *cap. contumacia* 1. *cap. accusatus* 8. *cap. ut officium* 11. *cap. ut commissi* 12. *eod. tit. in* 6. ubi communiter Doctores.

Et quamvis crimen hæresis sit mentale, & contingere possit, quòd qui exteriùs hæreticè agit, verè non sit hæreticus, & sic videri possit, quòd exterius dictum, vel factum reddat agentem solùm de hæresi suspectum, non autem formaliter hæreticum. Non enim valet consecutio. Titius negavit Trinitatem. Ergo est hæreticus. Quia potest esse, quòd negaverit Trinitatem ex ignorantia, vel solùm verbis, non mente; nihilominus distingui debet hæreticus exterior à suspecto de hæresi. Exterior hæreticus ille est, qui verbo, vel facto, habente vim verbi, vel signi ad placitum significantis, interiorem sensum loquentis, profert hæresim, & negat aliquem fidei articulum, quem explicitè credere tenetur, ut si neget Trinitatem. Ex simili enim dicto per consequentiam moraliter necessariam deducitur error mentis. Nec consequentia ista potest esse fallax, nisi vel ex ignorantia loquentis, vel quia ille mentitus fuerit, sive finxerit, unumque dixerit, aliud senserit, quorum nullum de jure præsumitur, aut admitti debet, nisi probetur. Non enim præsumitur ignorantia, quia negatur articulus fidei, quem negans tenetur explicitè scire ac credere. Neque præsumitur mendacium, aut fictio, quia non præsumitur, quòd in materia fidei quispiam fingere velit, vel mentiri. Atque ideo talis, nisi probet ignorantiam, vel fictionem, ut hæreticus habendus est.

Suspectus verò de hæresi est ille, ex cujus dicto, vel facto non concluditur hæresis necessariò, ac certò, sed solùm de eo potest esse suspicio. Ex dicto quidem ut, si quis vel neget articulum fidei, quem ipse non tenetur explicitè scire, ac credere. Quia si talis alleget ignorantiam, & admonitus, sit paratus credere, & credat, non potest haberi, ut hæreticus; quia de jure non præsumitur, quòd sciat id, quod explicitè non tenetur scire, ac credere, sicque ejus ignorantia est probabilis, atque excusans ab hæresi, nec illam tenetur iste probare in judicio, sed Fisci est probare scientiam, ac notitiam, cùm simus in articulo, quem explicitè non tenebatur scire, potuitque probabiliter ignorare. Hic igitur non est habendus, ut hæreticus, sed ut suspectus de fide, plus, minusve secundùm qualitates delicti, aut dicentis.

Vel si delictum non est manifestè contra fidem, sed est ambiguum, & potest habere sensum catholicum. Nam non debet pro certo haberi, quòd proferens tale dictum habuerit sensum hæreticum, nisi hoc aliunde probetur, sed solùm de illius sensu hæretico ad summum potest haberi aliqua suspicio. Ex facto autem hæreticali, solùm oritur suspicio, nisi tamen factum simul sit verbum, hæresim significans. Quia factum malum, & hæreticale significat per se malam voluntatem; quæ cùm possit esse ex alia causa, quàm ex hæresi, ideo ex illo non potest certò concludi hæresis, sed suspectari, nisi aliud ex circumstantiis habeatur.

Suspicio autem distingui debet in moralem, & legalem, sive juridicam. Suspicio moralis sumitur in malum, & importat judicium temerarium. Est enim opinio mali, procedens ex levibus indiciis, atque iccirco est vitium, & semper est peccatum, ut cum D. Thoma 2.2. *q.* 60. *ar.* 3. docent Theologi. Opinio siquidem importat adhæsionem intellectus uni parti contradictionis cum formidine alterius. Ex levibus autem indiciis non potest certò quispiam judicare, quòd proximus sit malus, licet hoc faciat cum formidine alterius partis. Solùm enim si motiva sint gravia, probabilia, & sufficientia, potest unus aliquis determinatè judicare, quòd alter sit malus.

Suspicio verò absolutè ac magis propriè sumpta, non est opinio, sed longè ab ea differt. Importat enim majorem quandam propensionem ad unam quàm ad alteram partem, nulli tamen adhærendo, ut docet D. Thomas *in eadem* 2. 2. *q.* 2. *ar.* 1. *in corp.* Quod etiam ex levibus indiciis, probabilibus tamen, justè, ac sine peccato fieri potest. Ideo suspicio ex Baldo *in l. ea quidem n.* 3. *C. de accus.* definitur, quòd sit aliqualis applicatio ad aliquid cum vehementi turbatione, sive, ut inquit D. Thomas *loc. cit.* est aliqualis inclinatio ad unam partem, ita tamen, quòd intellectus non se determinet ad illam, etiam cùm formidine ad alterius partis, sed solùm aliqualiter inclinet, ut etiam explicat Farinac. *in prax q.* 36. *n.* 114. quamvis non distinguat ejusmodi suspiciones.

Nonnunquam verò suspicio, & præsumptio pro eadem re accipiuntur, sed propriè loquendo distingui debent. Siquidem ad suspicionem leviora motiva sufficiunt. Præsumptio autem est ex pluribus suspicionibus, ad quam majora, & evidentiora requiruntur, ut per Doctores, quos sequitur Farinac. *cit. q.* 36. *n.* 251. Ut proinde præsumptio sit suspicio in animo, ex variis argumentis, conjecturis, & indiciis orta, quibus quò magis urgeatur, eò magis firmatur, Panorm. *in cap. quanto n.* 2. *de præsumpt.*

Hinc sequitur, quòd suspicio judicialis, quæ generaliter sumpta, comprehendit etiam præsumptionem, simul quoque comprehendat opinionem, sicque importat propensionem animi ad unam partem, quæ non sit certa, sed dubia, & cum formidine alterius, etiamsi hoc fiat cùm determinata adhæsione ad unam partem. Distinguitur quippe suspicio in levem, vehementem, violentam. Et quamvis Panormitanus *in d. cap. quanto n.* 3. *dicat*, non valde curandum esse de his nominibus, quia hæc distinctio non habetur in jure; attamen oppositum tenendum est, præsertim in Tribunali S. Officii, fitque mentio suspicionis levis, ac vehementis *in cap. accusatus sub initio de hæret. in* 6. *& violenta in cap. cum contumacia eod. tit. & d. cap. accusatus.*

Distinctionem hanc explicant Doctores ex Eymerico *p.* 2. *q.* 55. & Pegna *ibidem com.* 80. ut suspicio levis sit, quæ inducitur ex levibus conjecturis, aut modicis indiciis, nimirum ex dictis, vel factis, ex quibus rariùs concluditur hæresis. Vehemens est, quæ oritur ex vehementibus, & fortibus conjecturis, nempe ex dictis, vel factis, ex quibus plerunque hæresis concluditur. Violenta est, quæ cogit Judicem ad credendum, nec qualicunque tergiversatione refellitur, oriturque ex dictis, vel factis ex quibus sæpissime, & quasi semper hæresis concludi solet. Harum suspicionum exempla tradit Eymericus, ac explicat Pegna *loc. cit.* & Doctores, quos abundè congerit Farinac. *de hæres. q.* 187. *n.* 23. *& seq. q.* & nos *alibi.*

Explicatur autem hæc distinctio ex alia, quæ datur de præsumptione, ut præsumptionum alia sit hominis, alia juris, ac de jure. Nulla enim datur præsumptio, quæ sit temeraria, sed rationabilis probabilisque, ac quodammodo juris. Unde nullam dari præsumptionem, quæ etiam lege non utatur, ait Sarmient. *lib.* 1. *select. cap.* 1. *n.* 9. At Farinacius ex Baldo *tit. de præsumpt.* & Menochio *lib.* 1. *de præsumpt. q.*

sumpt. q. 5. *n.* 17. rectè advertit, quòd illa sola dicitur præsumptio juris, quæ in specie à jure est approbata. Sicque, licet nulla detur præsumptio rationabilis, quæ à lege discrepet, ac in jure non sit innixa, illa tamen sola dicitur juris præsumptio, quæ in jure exprimitur, & approbatur. Præsumptio autem juris, & de jure duo continet. Primùm, quia disponatur per legem, aliquid præsumentem. Quod omni præsumptioni juris est commune, ut docent Panormitanus, Felinus, & alii *in d. cap. quanto de præsumpt.* & annotat Farinac. *ea q.* 36. *n.* 101. Secundùm quod lex super præsumpto, tanquam super comperto statuit, atque ita super tali præsumptione inducit jus firmum, habetque illam pro veritate, ut per Bald. *in l. possidetis n. 6. C. de prob.* Panorm. & Felinus *loc. cit.* ac alios, quos sequitur Farinac. *ibidem n.* 10. *& seqq.* ubi plures hujus præsumptionis refert descriptiones, fitque de illa commemoratio *in cap. cum contumacia de hæret. in 6.*

Omnis verò præsumptio juris continet suspicionem vehementem, at non omnis suspicio vehemens continet præsumptionem juris, sed illa sola, quæ in lege est scripta, & approbata. Suspicio verò violenta & præsumptio juris, ac de jure coincidunt in idem, ac utrique convenit, quòd contra hujusmodi præsumptionem non admittatur probatio directa, quæ tamen admittitur contra præsumptionem juris, sive suspicionem vehementem. Et quamvis plerumque in præsumptione juris, ac de jure lex etiam expressè prohibeat admitti probationem in contrarium, hæc tamen expressio non est necessaria, quoniam ex natura talis præsumptionis, quam lex habet pro certa, & plena probatione, oritur, quòd non debeat admitti probatio directa in contrarium, ut post Menoch. *lib. de præsumpt. q.* 3. 10. *& seqq.* advertit Farinac. *d. q.* 36. *n.* 109.

Atque ista suspicio violenta, sive præsumptio juris ac de jure sufficit, ut reus præsumptus damnetur pœna ordinaria. Et ideo, quicquid sit in aliis criminibus per ea, quæ adducit Riminald. *cons.* 686. *n.* 47. in crimine hæresis suspicio violenta sufficit ad damnandum hæreticum pœna ordinaria, Glos. *in d. cap. cum contumacia, v. vehementem, de hæret. in 6.* ibique Gemin. *n.* 13. Franch. *n.* 13. & tradunt Locat. *v. præsumptio n.* 4. *&* 19. ac *v. suspicio n.* 9. Eymer. *p.* 2. *q.* 55. *n.* 10. ubi Pegna *com.* 80. *lit.* J. Decian. *lib.* 5. *cap.* 20. *n.* 23. Menoch. *lib.* 1. *de præsumpt. q.* 100. *n.* 15. Farinac. *de hæres. q.* 187. *n.* 46. aliique apud ipsum. Nec mirum. Nam hæc suspicio violenta, sive præsumptio juris, ac de jure, non est hominis, sed juris, decernentis, ut illa habeatur pro certa, & plena probatione, ideoque non est admittenda, nisi in casibus, à jure expressis, neque ex similitudine, aut identitate rationis extendi potest ad casus, à jure non expressos.

At si violenta suspicio habet vim certæ ac plenæ probationis, cur sit, atque dicatur suspicio, cùm de ratione suspicionis sit aliqua incertitudo, ac dubietas, sive contrariæ partis formido?

Respondetur, quòd, præcisa juris institutione, fictioneque, ne in violenta quidem suspicione motiva ad suspicandum, vel judicandum ita sunt indubitata, & certa, ut omnem dubietatem, ac formidinem falsitatis tollant, & ideo etiam violenta suspicio sub genere suspicionis continetur. Atque hinc est, quòd in modo procedendi secundum hodiernam praxim suspicio violenta non differt à vehementi. Nec abjuratio de violenta est ampliùs in usu, sed omnes abjurant vel de formali, vel de vehementi, vel de levi, ut per Genuens. *in pr. cap.* 84. *n.* 8. Param. *de orig. Inquis. lib.* 3. *q.* 4. *n.* 21. Farinac. *de hæres. q.* 187. *n.* 51. Sousa *lib.* 2. *aphor. cap.* 42. *&* nos *alibi.* Neque suspectus vehementer de hæresi ex hoc est verus hæreticus, sed præsumptus, Locat. *v. suspicio n.* 30. Farinac. *d. q.* 187. *n.* 51. Sousa *loc. cit. n.* 6. Quanquam ut verus hæreticus sit puniendus, Eymeric. *p.* 2. *q.* 55. *& p.* 3. *n.* 174. ibique Pegna *d. com.* 80. & Farinac. *d. q.* 187. *n.* 46.

Docent tamen nonnulli, quòd suspicio vehemens, addita alteri vehementi, transeat in violentam ita, ut si quis abjuraverit de vehementi, si iterum labatur in factum, ob quod fuit, ac sit vehementer suspectus, ex hac censeri debeat suspectus violenter. Ita ex Locato, & Menochio Farinac. *q.* 105. *n.* 25. & Sousa *d. cap.* 42. *n.* 16. Verùm, ut diximus, violenta suspicio non datur, nisi in casibus à jure expressis, & nisi jus statuat, quòd ejus probatio habeatur pro certa, & plena; Nullibi autem statuit in jure, quòd suspicio vehemens transeat in violentam, si uni suspicioni de vehementi superveniat alia. Neque adduci potest ad id probandum *cit. cap. Cum contumacia de hæret. in C.* Nam ex hoc textu contrarium potiùs deducitur. Considerat quidem ibi Pontifex, quòd suspectus de hæresi ex eo, quòd etiam sit contumax, addit priori suspicioni vehementem præsumptionem, non tamen statuit, quòd ex hoc solo habeatur, ut violenter suspectus, quodque sit puniendus tanquam hæreticus, sed vult, quòd prius ob contumaciam excommunicetur, & quòd si excommunicatus persistat in excommunicatione per annum, tunc postea habendus sit, ut hæreticus. Quòd autem Pontifex speciatim decernit in hoc casu, non debet à Doctoribus ad alios casus extendi. Pœnæ enim, ac fictiones juris non sunt extendendæ ad casus, in jure non expressos.

Quòd autem opinio sit idem ac vehemens, seu verisimilis suspicio, tradit Farinac. *in prax. d. q.* 36. *n.* 193. & quidem licet possint motiva suspicionis ita urgere, ut inducant Judicem ad hærendum illi parti, quòd suspectus sit hæreticus, etsi cùm aliqua formidine contrarii, non tamen suspicio vehemens talis est, ut inducat opinionem, sed sufficit, si inducat vehementem timorem. Hic quippe de hæresi vehementer suspectus habendus est, de quo habentur vehementia motiva timendi, quòd sit talis.

Ut autem discerni possit, an aliquis sit suspectus de vehementi, vel de levi, primò attendi debet, an dictum, vel factum habeatur de jure, ut vehementer suspectum, an solum de levi. In quo casu adhuc spectandæ sunt circumstantiæ facti, ac personæ, ex quibus contingere poterit, ut suspicio minuatur, vel tollatur, vel augeatur, & de levi fiat vehemens, ut per Pegnam *p.* 2. *com.* 81. *in fine.* Cœterum ad discernendum optima est regula, quam tradit Pegna ibidem, ut scilicet suspicio vehemens adsit, si motiva suspicionis soleant facilè, ac frequenter hæresim præ se ferre. Semper tamen considerari debent circumstantiæ, delicti gravitas, & qualitates personæ. Suspicionem autem vehementem proculdubio inducunt motiva, quæ ita urgent, ut opinionem rationabilem de hæresi inducere possint. Si verò sint rationes, & conjecturæ probabiles pro utraque parte, res poterit esse dubia, & in dubio mitior pars erit eligenda, quæ etiam est tutior, ne sine fundamento gravetur reus in qualitate abjurationis. Nam, si aliàs constet de facto hæreticali, pœnis ordinariis reus puniendus erit, quamvis minuatur modus abjurationis. Ac licet in concursu diversarum opinionum magis probabile appareat, omnibus rectè ponderatis, quòd suspicio sit vehemens, nisi tamen hæc probabilitas sit magna, & inducat quandam certitudinem moralem, adhuc mitior pars erit eligenda, & judicandum pro suspicione levi, ne in dubio gravetur innocens.

Tam

Tam igitur contra hæreticos, quàm contra suspectos de hæresi procedunt Inquisitores. De suspectis autem de levi, est apud aliquos difficultas. Nam ex levibus signis, conjecturis, aut indiciis non est procedendum contra quempiam, maximè in causa hæresis ob infamiam, quæ oritur ex eo, quòd contra illum de hæresi inquiratur. Verùm cùm hæresis crimen in mente consistat, & à nobis cognosci non possit, nisi per signa exteriora, ideo distingui hic debet inter exterius dictum, vel factum, quod inducit suspicionem interioris hæresis, & inter suspicionem ipsam. Siquidem ad inquirendum contra aliquem, tanquam suspectum de hæresi, non sufficiunt leves suspiciones, aut præsumptiones dicti, vel facti, super quo fundatur hæresis suspicio, sed necesse est, quod inquisitionem præcedant vel infamia, vel accusatio, vel denunciatio, vel sufficientia indicia, ex quibus Judex moveatur ad inquirendum, probandumque est corpus delicti, ac, non nisi servata forma juris, præcedentibus sufficientibus indiciis, deveniendum est ad capturam, vel ad torturam. Ac denique, nisi plenè probato dicto illo, vel facto super quo suspicio hæresis innititur, non potest inquisitus damnari, ut suspectus de hæresi, ceu tradunt Archid. *in cap. ut officium n. 9.* Jo. Andr. *n. 2.* Gemin. *n. item 2. de hæret. in 6.* Anania *in rubr. de hæret. n. 3.* Simanch. *de cath. instit. tit. 50. n. 27.* & Farinac. *q. 187. n. 3.*

Supposito igitur, quòd dictum, factumve, super quo hæresis fundatur, constet Judici sufficienter, vel ut incipere possit inquisitionem, vel ut illam prosequatur, ex parte tamen suspicionis levis, quam dictum, aut factum inducit, considerandum est, an illa sit probabilis, an ne, ut advertunt Simanch. *loc. cit.* Locat. *v. citatio*, Farinac. *q. 185. n. 58.* & Carena *p. 3. sect. 1. n. 17.* Considerandum item, an illa sit suspicio juris, an hominis. Absque dubio enim suspicio juris est probabilis, & hæc est illa, quæ exprimitur in jure in quo expressè habentur pro suspectis de hæresi, qui hoc, illudve dicunt, vel faciunt.

Idipsum dicendum si consuetudo, legitimè inducta in aliquo Tribunali, pariter habeat, ut censeantur saltem leviter suspecti de hæresi, hoc, vel illud dicentes, aut facientes. Nam si suspicio levis est suspicio à jure, vel consuetudine approbata, non est ambigendum, quin contra hujusmodi suspectos possint ac debeant Inquisitores procedere, ac ita passim in S. Officio puniuntur tanquam suspecti de levi sollicitantes, polygami in Hispania, blasphemi non consuetudinarii, & in plerisque casibus sortilegi simplices, ac plures alii, & Alexander VII. in Congregatione S. Officii mense Julii 1660. præcepit Regularibus, ut alios Regulares hæreticos, vel suspectos etiam leviter, denuncient. Unde certum est, quòd Inquisitores cognoscunt, & contra tales possunt inquirere, ac procedere.

Si verò suspicio non sit juris, sed hominis, tunc locum habet, quòd notat Simanch. *eo tit. 50. n. 38.* ut nimirum consideretur, quod levia signa non debent facile movere animum constantis viri ad suspicandum tam grave crimen, sed potiùs accipienda sunt in partem benigniorem. Nam, ut tradit Pegna *d. com. 80. lit. F.* periculosum est ob leves suspiciones trahere in judicium hominem honestum, ac probum, eumque de fide interrogare. Quare considerandum primò est, an suspicio, licet levis, sit probabilis. Deinde consideranda est qualitas personarum, ut animadvertunt Simanch. *loc. cit. n. 29.* Pegn. *d. com. 80. lit. T. & com. 12.* Navar. *cons. 2. de hæret.* & Farinac. *q. 185. n. 52.* Postremò consideranda est qualitas dicti, vel facti, super quo fundatur suspicio. Nam si esset delictum grave, & præcipuè si esset publicum, posset Iudex ad vitandum scandalum moveri etiam ad inquirendum contradelinquentem, ex eo delicto leviter suspectum de fide. Quia per se loquendo ad inquirendum in crimine hæresis, sufficit levis suspicio, probabilis tamen, ut docent Gemin. *in cap. ut Inquisitionis n. 2. de hæret. in 6.* & *in cap. accusatus n. 3. eod. tit.* ibique Franch. *n. 4.* Calderin. *de hæret. n. 10.* Locatus *v. infamia n. 11.* Decian. *d. lib. 5. cap. 20. n. 21. & cap. 35. n. 20.* Scacc. *de judic. cap. 59. n. 2.* Mascard. *de probat. concl. 881. n. 3.* aliique plures apud Farinac. *d. q. 185. n. 14.*

Verùm, loquendo de suspicione hæresis, pro majori hujus rei explicatione, ita quoque distinguenda est. Alia est suspicio naturalis. Alia est talis fictione juris. Illa est naturalis, quæ ex dicto, vel facto, spectata rei natura prudenter, ac verisimiliter habetur, ut est illa, quæ habetur ex adoratione Idoli ex pacto expresso cum dæmone, & ex quolibet alio dicto, vel facto per se atque ex rei natura hæreticali. Illa est suspicio juris, sive quam fingit jus, quæ ex natura rei saltem non est, quantam lex vult esse. Exempla hujus suspicionis habentur in polygamiis, aliisque delictis, de quibus ex jure antiquo non cognoscebat S. Officium. Neque enim ex natura rei nunc polygami sunt magis de jure suspecti, quàm antea essent, si loquamur per se, ac seclusis circumstantiis.

Adverti autem primò debet, quòd suspicio illa, quæ ex facto illicito deducitur, quòd scilicet illicitè agens credat vel non adesse legem justam, quæ actum prohibeat, vel quòd non sit illicitum transgredi legem, generalissima est, levissimaque, ac oritur ex omni facto illicito. Quare, supposita fide docente, adesse legem, ac legi esse obtemperandum, hæc suspicio ex omni facto illicito nascitur, satisque mirum est, quòd homo fidelis, salva fide prædicante legem, ac necessitatem obediendi legi, ac promittente obedientibus æternum præmium, & minante inobedientibus æternum supplicium, adhuc abundent scelera atrocissima inter fideles. Sed admiratio cessat, & suspicio ista simul levissima apparet; quia manifestum est, quòd radix malorum non est infidelitas, sed mala concupiscentia, juxta illud Apostoli: Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Sic ergo absolutè loquendo, ex eo, quòd homo fidelis, de quo non habetur alia suspicio hæresis, accipit secundam uxorem, vivente prima, oritur hæc suspicio, quòd credat vel non dari legem quæ prohibeat multitudinem uxorum simul, vel quòd sit licitum transgredi hanc legem. At hæc suspicio non habet in polygamo majus fundamentum per se loquendo, quàm in assassino, qui, ut furetur pecuniam, occidit impiè hominem, non semel, sed sæpius, ac ita quidem, ut de illo possit haberi suspicio, quòd credat vel non dari legem, vel illam non obligare, deque isto suspicio haberi non possit, quòd non detur lex prohibens assassinium, vel quòd hæc lex non obliget.

Utrobique igitur habetur causa suspicionis generalissimæ, ac levissimæ, quia satis est manifestum, quòd fidelis ad hæc scelera patrandum moveatur ex aliqua mala concupiscentia, non autem ex infidelitate. Et nihilominus lex positiva, sicut ad tollendum subterfugia impiorum, & ad scelerum punitionem voluit, quòd contumaces, licet revera, sive spectata naturali vi probationum, non sint convicti, adhuc subdantur pœnæ convictorum, habeanturque pro convictis, ita fictione juris voluit eos damnari ac si essent convicti. Et quamvis præsumptiones spectata illarum natura, non ferant secum certitudinem delicti,

licti, nihilominus sicut lex voluit, quòd in quibusdam casibus præsumptiones habeantur ut certæ probationes; unde induxit præsumptiones, quas dicunt juris ac de jure, quæ habeantur, ut certæ probationes sufficientes ad infligendum pœnam Ordinariam, sintque tales, contra quas non admittatur probatio directa; ita in suspicione hæresis, spectata quorundam delictorum atrocitate, illorumque frequentia, & periculo, ne fideles paulatim disponantur ad hæresim, consideratis præsertim hæresibus, quæ hoc tempore grassantur, serpuntque occultè inter Catholicos, ac insuper attento, quòd, ad compescendum hujusmodi delicta, necessarius est rigor & summa integritas Tribunalis S Officii, hanc pœnam etiam ipsa lex indixit, & voluit, ut delinquentes in casibus sibi bene visis habeantur, ut specialiter, & graviter suspecti de fide, & ut tales in S. Officio puniantur.

Unde iterum adverti debet, quòd suspicio naturalis, quæ oritur ex natura actionis, per se spectatæ, licet sit quoddam malum pœnæ, non est tamen nova pœna, sed est malum per se connexum malæ actioni, at suspicio ista juris, ex juris fictione inducta, est vera pœna, à lege justè inflicta. Et sicut lex induxit pœnam infamiæ, etiam contra hæreticorum filios non hæreticos, ac innocentes; qua pœna meritò puniuntur hæretici in suis filiis: ita, licet aliquæ, spectata sola vi naturali objectiva talium actionum, non inducant specialem & gravem suspicionem hæresis; nihilominus in pœnam talium delinquentium voluit, quòd illi habeantur, ut suspecti specialiter, & graviter, ac ita, ut in S. Officio puniri debeant, licet alias de jure antiquiori, ac spectata sola naturali suspicione, in S. Officio non puniebantur.

Tertiò adverti debet, quòd, ut supra diximus, licet suspicio hæresis distinguatur in levem, vehementem, & violentam, suspicio tamen non dicitur levis, quia sit talis absolutè, ac simpliciter. Nam pro suspicione simpliciter levi non est contra aliquem procedendum ad pœnas graves, sed suspicio dicitur levis comparativè ad vehementem. Cæterùm suspicio debet in se esse gravis, ut contra suspectum procedi possit criminaliter ad pœnam. Ideo distingui debet suspicio in levem, & gravem, & in levissimam, quæ in hac re non attenditur. Gravis adhuc distinguitur in levem, id est, non vehementem & in vehementem. Hinc etiam est, quòd in hujusmodi delictis in quibus jus voluit, delinquentes haberi pro suspectis, non est, cur Doctores defatigentur, ut probent dari suspicionem, præcipuè vehementem, cùm verè, sola natura actionis, spectata ex communiter accidentibus, illa suspicio non adsit naturalis, sed considerare debent legem, quæ fictione juris eam qualitatem meritò præsumit, & in odium, ac pœnam delinquentium voluit, eos haberi pro suspectis.

Datur ergo suspicio hæresis, quæ dicitur juris non præcisè, quia sit approbata a jure, sed quia sit à jure inducta favore fidei, & in pœnam delinquentium, ut ea, quæ sunt Religionis, & fidei purius conserventur, ac illibata permaneant. Sic etiam cùm diximus, quòd vehemens suspicio est, si motiva suspicionis soleant facilè, ac frequenter præseferre hæresim, intelligi debet de suspicione naturali, quæ etiam potest esse juris in hoc sensu, quòd alicubi sit in jure approbata; sed suspicio, quæ est ex juris fictione non subjicitur huic regulæ, sed ubicumque reperitur in casibus, in quibus jus voluit, illam haberi. Ideo hæc distinctio suspicionis in naturalem, & juris non est eadem cùm distinctione communi, superiùs relata, in suspicionem hominis, & juris; Nam plures suspiciones naturales sunt etiam juris in sensu illius distinctionis, quia scilicet sunt approbatæ à jure, sive in jure expressæ. Sed hic suspicio dicitur juris non tantùm quia sit in jure expressa, sed quia est in jure ficta, sive statuta.

Consultatio CXIV.

De Abusu Sacramentorum ac verborum S. Scripturæ An & quatenus in illo procedat S. Officium?

Ex dictis in superiori Consultatione deduci videtur, quòd ad S. Officium pertinet cognoscere de abusu Sacramentorum, ac de injuria illis irrogata. Quia hæc non sunt sine aliqua hæresis suspicione. At nihilominus dicendum est primò, quòd, præcisa suspicione, quæ oritur ex qualitate abusus, vel quia habetur in casibus in jure expressis, ac spectato abusu, vel injuria illata Sacramento, absolutè ac universim præcisis circumstantiis, ex hujusmodi delicto non oritur, nisi suspicio generalissima, & levissima, & talis, quòd non sufficit, ut S. Officium contra hoc delictum universaliter procedat. Quòd autem hoc delictum, etiam absolutè sumptum, inducat aliquam suspicionem hæresis, habetur ex jam dictis, patetque ex constit. 31. Pii IV. quæ incipit, *Universi Dominici gregis* contra Sacerdotes sollicitantes ad turpia in Sacra confessione, §. 4. his verbis: *Nos in animum inducere nequeuntes, quòd qui de fide catholica rectè sentiant, Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis injuriam faciant.*

At, quòd ista suspicio ex natura rei sit generalissima, & levissima probatur, quia de facto S. Officium in pluribus casibus hujusmodi abusus, aut injuriæ non procedit. Non enim procedit contra Sacerdotem absolventem sine jurisdictione, vel absolventem, cùm sit excommunicatus, etiam non toleratus, nec contra sic celebrantem Missam, nec contra Sacerdotem frangentem sigillum confessionis, nec contra mulierem sollicitantem ad turpia in actu confessionis, nec contra Confessorem sollicitantem ad turpia in ministerio aliorũ Sacramentorum, neque, secundùm aliquos, contra Sacerdotem sollicitantem in confessione ad alia delicta, præter turpia, neque in pluribus aliis casibus, de quibus infra.

Accedit, quòd ante nova jura, quæ statuunt, quòd Judices fidei cognoscant de delicto sollicitantium ad turpia, de polygamis, & aliis etiam casibus, S. Officium non cognoscebat; quia hujusmodi delicta non censebantur sapere manifestè hæresim ita, ut de illis cognoscere deberent Inquisitores. Et quidem, si, considerata sola naturali suspicione, quæ præcisa præsumptione juris, per tales abusus inducitur, illa fuisset specialis, ac sufficiens ad hoc, ut ex antiquo, & communi jure Judices fidei de illis cognoscerent, non fuisset opus, ut Pontifices per novam legem eisdem Judicibus hanc cognitionem delegarent, sed ad summum, ad tollendam aliquam dubietatem, non per modum novæ delegationis, ut fecerunt, sed per modum simplicis delegationis declarassent, eam cognitionem ad eos pertinere. Ex quibus palam fit, quòd suspicio hæresis, quæ inducitur ex abusu Sacramentorum, præcisè, & absolutè sumpto, non est manifesta, specialis, & tanti ponderis, quòd propter illam Inquisitores de hujusmodi abusu cognoscere possint, debeantque.

Hinc dicendum secundò est. Ex duplici capite Inquisitores cognoscunt de abusu Sacramentorum. Vel quia ex qualitate abusus adest specialis & gravis suspicio hæresis. Vel quia ex juris novi præsumptione in casibus à jure expressis, aut ex con-

ſuetudine hujuſmodi cognitio ad eoſdem pertineat.

Ideoque oritur hæc ſuſpicio ex fine, ob quem aliquis abutitur Sacramentis. Nam ſi quis utatur illis, ut utilibus fini, ad quem nec ratione ſanctitatis illorum, neque ratione materialis actionis habent proportionatam virtutem, niſi moralem, ex pacto cùm dæmone, ut fit in ſortilegiis, intrat ſuſpicio hæreſis juxta explicata, *in conſult. de ſortileg.* Sed quia Sacramenta ratione materiæ poſſunt verè eſſe utilia, ut aqua baptiſmi ad lavandum, Euchariſtia ad ſigillo muniendum contractus civiles, matrimonium ad pinguem dotem acquirendam; vel etiam ratione materialis actionis, & circumſtantiarum illius, ſcilicet loci, temporis, ac modi, ut confeſſio, ratione ſecreti, cum quo miniſtratur, præbet opportunitatem ad alia negotia ſimiliter tractanda, & ſic ſub Sacramentorum prætextu alia negotia tractari poſſunt; ideo ſi quis abutatur Sacramentis, ut utilibus hoc modo ad fines, etiam illicitos, ex hoc non oritur hæc ſpecialis ſuſpicio, quòd ſic abutens credat Sacramenta eſſe utilia ad res hujuſmodi. Quia non eſt hæreſis credere, quòd Sacramenta ratione materiæ, aut per accidens poſſint eſſe utilia ad hos fines, nec per ſe loquendo remanet alia ſuſpicio, niſi illa generaliſſima, & leviſſima, quia ſcilicet ſic abutens Sacramentis, credat vel non dari Sacramenta, vel licere illis abuti, niſi jus in caſibus expreſſis præſumat, ex tali abuſu ſuſpicionem hæreſis ſpecialem & conſiderabilem.

Primò igitur in abuſu Sacramentorum intrat ſuſpicio vehemens hæreſis ex parte finis, ut ſi quis illis utatur ad finem per ſe illicitum, ſicut fit in ſortilegiis ad aliquem finem ſortilegum obtinendum.

Secundò ex parte ejus, cui confertur Sacramentum intrat vehemens ſuſpicio hæreſis, ſi illud ſit incapax Sacramenti. Eoque magis, ſi id faciat ad finem illicitum, ut ſi quis baptizet mortuum, vel aſinum, vel rem inſenſatam, ut magnetem, vel imagines, vel libros, vel characteres, ac ſimilia. Talis enim reddit ſe ſuſpectum, quòd vel credat baptiſmum habere effectum, etiam in illis rebus, vel quòd ſit ſine effectu, ac res inutilis, & quòd perinde ſit baptizare hominem ac baptizare aſinum, aut ſaxum. Et quod dicitur de baptizante, dicitur etiam de conferente alia Sacramenta, ut ſi quis canem abſolveret à peccatis, vel equum communicaret, vel ſi quiſque matrimonium cum ove contraheret. Pariter ex hoc capite ſuſpectus eſt aliquando incapax ſuſcipiendi Sacramentum, ſi ſcienter illud ſuſcipiat, ut ſi Clericus in ſacris conſtitutus, vel religioſus profeſſus, etiam ſocietatis Jeſu, qui vota biennij emiſit, matrimonium, vel etiam ſponſalia contrahat. Ratio autem hujus ſuſpicionis eſt, quia hodie viget hæreſis omnium ferè hæreticorum, vota religioſa reprobantium, ac dicentium eis licere uxorem ducere, etiam ex monialibus. Hæc tamen ſuſpicio non ab omnibus judicatur vehemens. Eadem dicuntur de polygamo, de quo infra.

Tertiò ex parte eſſentiæ Sacramenti adeſt vehemens hæreſis ſuſpicio, quòd aliquis neget Sacramenta à Chriſto inſtituta, vel credat alia eſſe, quàm ſint illa, quæ Chriſtus inſtituit, ſi conficiendo Sacramenta utatur alia materia, aut forma, quam certum ſit, non eſſe à Chriſto inſtitutam, ut ſi quis baptizet in igne, vel oleo, ſi in Sacramento confirmationis non utatur chriſmate, ſed aqua; ſi conſecret non panem, ſed carnem; ſi baptizet utendo forma Arianorum in nomine Patris majoris, & Filii minoris, vel utatur alia forma hæretica, quam, de fide eſt, non eſſe à Chriſto inſtitutam. In his autem caſibus contingere poterit, quòd ſic abutens Sacramentis potiùs judicandus ſit hæreticus, quàm de hæreſi ſuſpectus.

Quartò ex parte miniſtri, ſi non habeat poteſtatem Ordinis neceſſariam ad conficienda Sacramenta, illaque audeat conficere. Qua in parte duo ſunt caſus à lege ſtatuti, in quibus ſic abutens eſt ſuſpectus, ac puniendus in S. Officio. Si nempe non ſacerdos audiat confeſſiones, vel celebret Miſſam. Quamvis enim hoc modo miniſtrans Sacramenta aliabſque neceſſaria Ordinis poteſtate non ſit ſubjectus pœnis latis à Clemente VIII in Conſtit. *Etſi alias*, & ab Urbano VIII. in Conſtit. *Apoſtolatus Officium* contra non Sacerdotes celebrantes, vel abſolventes in Sacramento pœnitentiæ, tamen univerſaliter miniſtrantes Sacramenta ſine poteſtate Ordinis, ad id neceſſaria, ſunt ſuſpecti de fide ex ratione qua utitur Gregorius XIII. in Conſtit. *Officii noſtri*, & Urbanus VIII. *in Conſtitutione citata*. Quia ſcilicet tales veritatem Catholicam, quæ ſolùm Sacerdotes, vel Epiſcopos talium Sacramentorum miniſtros eſſe docuit, facto impugnant. Eoque præcipuè quòd hiſce temporibus viget hæreſis eorum, qui hanc Ordinis poteſtatem neceſſariam eſſe negant.

Quintò ex parte ſolemnitatis, ſive ritus, quo quis utitur in conficiendo Sacramento, ut ſi quis baptizaverit, aut conſecraverit utendo ritu proprio alicujus ſectæ hæreticorum, ad ſectam illam ſignificandam inſtituto, vel ſi ritus ipſe hæreſim ſapiat. In quibus caſibus contingere poteſt quòd Sacramentum conficiens potiùs judicandus ſit hæreticus, quàm ſuſpectus de hæreſi, ut ritus ex inſtitutione hæreſim ſignificet.

Sextò ſi quis reiteraverit aliqua Sacramenta quæ iterari non poſſunt, eſt ſuſpectus, quòd contra doctrinam fidei credat talia Sacramenta poſſe amittere ſuum effectum, ac illa poſſe reiterari, ut ſiquis ritè ac rectè baptizatum rebaptizaverit, vel ordinatum iterum ad eundem ordinem promoverit. Nam licet baptizatus gratiam, quam obtinuit in baptiſmo, vel in ſuſceptione Ordinis poſſit amittere, non tamen poteſt amittere characterem impreſſum in ſuſceptione talium Sacramentorum. Defectum verò gratiæ amiſſæ juxta doctrinam fidei ſupplere debet per Sacramenta pœnitentiæ, non autem per reiterationem baptiſmi. In dubio tamen, an aliquis fuerit baptizatus, aut ordinatus poteſt ſub conditione iterum baptizari, aut iterum ad eundem Ordinem promoveri.

Septimò oritur ſuſpicio vehemens de mala credulitate circa Sacramenta ex illorum contemptu, ut ſi quis Euchariſtiam, vel Oleum Sanctum, aut ſacrum chriſma conculcet, projiciat; vel ſi ſacras Imagines percutiat, deformet, injuriaque afficiat; vel irrideat & contemnat Sacramenta.

CONSULTATIO CXV.

De Abuſu Sacramenti Baptiſmatis. Pœnæ in rebaptizantes. An & quatenus ſint apoſtatæ? An ſuſpecti de fide, & irregulares? Quid de adulto baptizato ab hæretico? Pœnæ baptizantium imagines, vel res alias. Quid de ſuſcipiente baptiſmum ab hæreticis? Quidve e chriſtiano fingente ſe infidelem ac petente baptizari ob quæſtum; An ſit illi indicenda abjuratio, & quali?

REbaptizantes, ac rebaptizatos puniendos eſſe ultimo ſupplicio, ſtatuitur *in l. 2. C. ne ſanctum bap-*

ctum baptisma reit. At cùm hoc crimen sit contra fidem, atque adeo merè Ecclesiasticum, hodie non habet locum hæc pœna, sed aliter puniuntur hujusmodi rei ab Inquisitoribus, ut per Pegnam *in direct. p.* 1. *com.* 12. Esse autem rebaptizantes apostatas à fide, & apostatarum pœnis puniendos, aiunt Farinacius *q.* 163. *n.* 18. & Carena *p.* 2. *tit.* 3. *n.* 7. sed impropriè loquuntur. Non enim ex eo, quòd aliquis erret circa fidem baptismatis est apostata, seu recedit omnino à fide Christi, ut liquet in hæreticis Arianis, qui falso baptismate utebantur, negantes Trinitatem. Neque censendi sunt hæretici, sed de hæresi suspecti, nisi aliunde constet de hæresi.

Ex jure autem Canonico in rebaptizantes, ac rebaptizatos non reperitur statuta pœna aliqua, nisi irregularitas simpliciter, quæ non modò impedit, ne quis promoveatur ad ordines, sed ne utatur ordinibus jam susceptis, nec possit in susceptis ordinibus ministrare, nec possit ad superiores promoveri. Incurritur autem hæc irregularitas ipso facto, & rebaptizatio, etiam occulta, facit rebaptizantem, ac rebaptizatum, & ministrantem baptismati irregulares, *can. Confirmandum d.* 50. *can. qui bis de consecr. d.* 4. *can. qui in qualibet*, *q.* 7. *can. Afros d.* 98. & *cit. cap.* 2. *de apost.* qui textus loquitur de acolytho qui ministravit Sacerdoti rebaptizanti. Et licet de Sacerdote rebaptizante non sit clarus tamen ex dictis a fortiori infertur, & consuetudine ita receptum, quæ est optima legum interpres, ut per Navar. *cap.* 27. *n.* 246. Avilam *de cens. p.* 7. *disp.* 1. *dub.* 1. Suarez *de sacram. disp.* 31. *sect.* 6. §. & *ratio*, Tolet *lib.* 1. *cap.* 70. §. 4. & Coninch. *disp.* 18. *dub.* 4. *n.* 35. Et procedit etiam in baptizante laicaliter, Sylvest *v. Irregularitas q.* 4. *in princ.* Angel. *eod. v. n.* 24. Cardinalis *in d. cap.* 2. *n.* 3. ibique Anchar. *n.* 2. Requiritur tamen ad dictam irregularitatem malitia gravis, scilicet mortalis peccati. Unde ignorantia inculpata excusat, Suarez *disp.* 31. *sect.* 6. §. sed quid. Non autem incurritur in foro conscientiæ ab eo, qui fictè ac sine intentione rebaptizandi exterius rebaptizat; neque ab eo, qui rebaptizat sub conditione, etiam mente concepta; nec ille, qui solùm repetit solennitates baptismi, non verò baptismi substantiam.

Sed an incurrat ille, qui rebaptizat temerè sub conditione etiam mente concepta, id est, sine dubio probabili, sive etiamsi fuerit negligens ad inquirendum, an ille, quem baptizat, fuerit priùs baptizatus: Communis sententia Canonistarum affirmat, ut testatur Salzedo ad Diaz *cap.* 15. & tenet Sayrus *lib.* 7. *cap.* 8. *n.* 23. Maiol *lib.* 3. *cap.* 14. *n.* 5. Cucchus *lib.* 5. *instit. tit.* 2. *n.* 142. & 143. Negat verò communior sententia Theologorum. Quia iste non intendit rebaptizare, neque formaliter rebaptizat.

Episcopum autem posse dispensare in hac irregularitate, tradunt Sayrus *ibid. n.* 31. ac Bonacina *de irreg. q.* 3. *pun.* 3. *n.* 9. si casus est occultus ex Tridentino *sess.* 24. *cap.* 6. *de ref.* secus si est publicus. In hoc enim solus Papa dispensat. Rebaptizatum autem ordinans est deponendus ab officio, & beneficio, *can. qui in qualibet* 1. *q.* 7. Unde damnatus de hoc crimine afficitur juris infamia, & fit irregularis.

In *can. eos*, *de consecr. d.* 4. qui est Felicis Papæ imponuntur aliæ pœnæ contra rebaptizatos, sed illæ non sunt in usu; Non incurrit tamen in hanc irregularitatem qui ignoranter, & inculpabiliter fuit rebaptizatus. Et licet contrarium deduci videatur ex *d. can. qui bis de consecrat. dist.* 4. est tamen advertendum, quòd canon ille non est conditus ab aliquo Pontifice, neque desumptus ex aliquo Concilio generali, sed ex Pœnitentiali Theodori, unde non continet legem, ut post Sotum observat Suarez *d. disp.* 3. *sect.* 6. *n.* 3. Nam hæc irregularitas non est lata propter aliquam indecentiam, vel significationem, sed ob delictum, quo cessante, non habet locum irregularitas. Quare certum est, quòd infans rebaptizatus non est irregularis, ut per Scotum *in* 4. *d.* 6. *q.* 9. Sotum etiam *in* 4. *d.* 3. *ar.* 9. Sylvest. *d. v. irregularitas q.* 4. Turrecrem *in can. quibus de consecr. d.* 4. *n.* 7. Valentia *to.* 4. *disp.* 7. *q.* 14. *pun.* 3. §. 5. Suarez *d. sect.* 6. *Sayr. oc. cit.* ac Delbene *de offic. S. Inquis. dub.* 91. *sect.* 1. Neque in foro interiori irregularitatem incurrit, qui fictè permisit se rebaptizari absque intentione suscipiendi baptismum; sic fictus hæreticus non est in foro interiori excommunicatus. Nec qui sub conditione, etiam mentali, rebaptizatur. Nec qui ex conscientia erronea, credens se esse baptizatum, cùm verè non sit baptizatus, nam verè iste non rebaptizatur. Si verò quis pluries rebaptizatur, plures numero incurrit irregularitates. Sic enim si simul rebaptizetur, & pœniteat, dispenseturque super irregularitate incursa, si tertiò rebaptizetur, fit irregularis. Neque ab irregularitate excusatur, qui permittit se rebaptizari, & intendit suscipere baptismum, licet hoc faciat ex necessitate ad vitandum aliquod imminens damnum. Nam hic in reiterationem baptismi absque coactione consentit interiùs. Et generaliter quisquis cùm malitia iterum baptizatur, fit irregularis.

Hanc autem irregularitatem non incurrit si quis pluries suscipiat Sacramentum Confirmationis aut ejusdem Ordinis. Quia non est in jure expressum, quòd reiterantes hæc sacramenta sint irregulares, Covar. *in Clem. si furiosus p.* 1. *n.* 8. Suarez *tom.* 3. *disp.* 38. *sect.* 1. & 2. Valentia *loc. cit. disp.* 7. *dub.* 5.

Irregulares etiam fiunt adulti, qui ab hæreticis baptizantur, *can. Ventum est* 1. *q.* 1. *can. qui in qualibet* 1. *q.* 7. quod tamen non habet locum in infantibus *can. placuit*, & *can. qui apud* 1. *q.* 4. per quæ jura explicandus est *d. can. qui in qualibet*, ut intelligatur de qualibet ætate adulta. Ratio autem hujus irregularitatis non est, quia baptismus collatus ab hæretico, sit dubius. Nam vel hoc dubium est frivolum, si constat, quòd baptismus fuit collatus in forma Ecclesiæ, ac servatis substantialibus, vel si verè baptismus est dubius, adest incapacitas nedum ad Ordinem, sed etiam ad reliqua Sacramenta, quo in casu baptizatus dubius debet sub conditione iterum baptizari. Sed ratio hujusmodi irregularitatis est gravitas culpæ, quam committit, qui scienter, ac voluntariè communicat cùm hæretico in susceptione baptismi. Ac ideo ubi quis absque culpa suscipit baptismum ab hæretico, hanc irregularitatem non incurrit, Suarez *de censur. disp.* 42. *sect.* 1. *in fine.* Et suscipientes hoc modo ab hæreticis Sacramentum baptismi, vel alia Sacramenta, sunt, tanquam fautores hæreticorum de fide suspecti.

Cùm igitur contra abutentes baptismo non sit expressa in jure alia pœna, puniuntur pœna arbitraria pro qualitate criminis. Suspecti quoque vehementer sunt de hæresi Anabaptistarum, & Novatianorum, de qua Baronius *anno Christi* 218. quam Donatus, & Donatistæ professi sunt, damnata in Concilio Arelatensi sub Sylvestro Papa anno 314. ut per Henriq. *lib.* 2. *de baptism. cap.* 28. *n.* 2. Baron. *tom.* 3. *pag.* 121. & tenent Anania *in d. cap.* 2. *n.* 3. *de apost.* & Glos. *in rubr. C ne Sanctum baptisma reit.* Baptizantes verò, ac rebaptizantes mortuos, imagines, libros, magnetem, alia puniuntur pœna, tri-

remium, aut longi carceris. Suscipientes autem baptismum ab hæreticis puniuntur pœnis communicantium cum hæreticis. Alij verò abusus puniuntur, vel pœnis sortilegorum, nam plerumque contingunt in ordine ad aliquod sortilegium, vel aliis pœnis arbitrariis. Ex eo autem, quòd quis differat baptizari, vel faciat, ne filii baptizentur, seclusis malis circumstantiis, non est de fide suspectus. Erit tamen de hæresi suspectus, qui absolutè nolit filium suum baptizari. Ex hoc enim præsumi potest, quòd neget necessitatem baptismi. Esset pariter quodammodo de fide suspectus, qui filio imponeret nomina propria Judæorum, vel Saracenorum, vel hæreticorum, quæ non sunt in usu apud Catholicos, multoque magis si imponeret illi cognomen hæreticorum, ut Lutheri, Calvini, Viclefi.

Quòd verò ad Christianum se fingentem infidelem, ac petentem iterum baptizari ob lucrum temporale, videtur non debere ullo modo abjurare. Cùm enim abjuratio sit detestatio hæresum, ij tantùm abjurare debent, qui aut in hæresi fuerint, aut de ipsa suspecti sunt, ut notat Pegna *p.* 3. *direct. com.* 40. Farinac. *q.* 194. *de hæres.* §. 2. *n.* 24. In hoc autem casu nulla adest suspicio de hæresi, quia non petiit iteratum baptismum, quia supponeret posse reiterari, sed usus est tali iteratione, quam cognovit malam, ut medium ad obtinendum commodum temporale.

Neque in foro exteriori adest præsumptio, aut suspicio, quod malè sentiat. Quia finis declarat intentionem. Non enim habet locum suspicio, quando constat de opposito. In hoc autem casu constat petiisse iterationem baptismi ex fine commodi temporalis, atque adeo fuisse limitatam intentionem petentis, ut non sentiret malè de fide, sed solùm ut malè operaretur. Quia intentio non se magis extendit, quàm se extendat motio finis.

Neque dicas quòd omne factum, quod potest esse materia hæresis, aut aliquando fuit, sit factum hæreticale. Nam esse id falsum, docent Paramus *lib.* 3. *de orig. Inquis. q.* 10. *n.* 72. Moura *opusc.* 1. *de. incant. sect.* 3. *cap.* 3. *n.* 3. Alioquin omnia fere peccata mortalia essent hæreticalia, quia ferè omnia habuerunt aliquem patronum, & laudatorem hæreticum; sed debet considerari, an ratione circumstantiarum, quibus vestitur, ostendat finem hæreticum, sive an ex mente erronea procedat. In casu autem præsenti circumstantiæ, quibus factum vestitur, non indicant finem erroneum, quia ex parte se fingentis infidelem concurrit maxima inopia, à qua censetur motus ad tale factum ac proinde excluditur præsumptivè quicumque alius finis,

Imò quando peccatum allicit voluntatem vel ratione delectationis, vel libidinis, vel utilitatis & commodi, non præsumitur commissum ex errore, sed ex fragilitate, ac vehementia objecti juxta objecti, & peccatoris naturam, ut tradit Castr. *de just. hæret. punit. lib.* 1. *cap.* 1. Quod debet intelligi, ut declarat Paramus *loc. cit. n.* 73. nisi abundè justa suspicio oriatur; quia nimirum appetitus sufficienter instigat ad malum, & nisi ratione finis remoti, & aliarum circumstantiarum prudenter judicetur, factum oriri ex errore mentis, ut ait Moura *ibidem n* 8. In hoc autem casu non apparet finis, aut circumstantia, ex qua possit judicari, iterationem baptismi provenisse ex aliquo errore, sed potiùs colligitur contrarium ex inopia personæ, aliisque circumstantiis.

Minùs obstat, quòd factum contineat abusum sacramenti. Quia non omnis abusus sacramentorum est factum hæreticale; alioquin omne sacrilegium circa ipsa commissum, esset factum hæreticale; sed requiritur ille abusus, quo quis utatur sacramento ad aliquem usum exteriorem profanum ac illicitum, ut ad incantationes, ad maleficia, ad inducendum aliquem ad peccatum, ut notat Moura *ubi supra n.* 16. & *cap.* 4. *n.* 36. & *cap.* 5. *n.* 18. & Trasmiera *de polygam. lib* 3. *q.* 2. *n.* 21. Unde requiritur aliquis usus exterior sacramentorum irreverentialis. Quod non contingit in hoc casu. Nam sistitur in sola, & pura sumptione iterati baptismi, neque adhibetur baptismus ad aliquem exteriorem usum irreverentialem.

Minùs etiam obstat, quòd confessio extrajudicialis non evacuat suspicionem. Quia si extrajudicialis confessio pluries repetita, vel jurata facit contra reum plenam probationem *ex cap. si cautio de fid. instrum.* & notat Abb. *ibid.* & *in cap. veniens* 2. *de testib.* Bartol. *in l. Cum scimus C. de agr. & cens.* Repertor. Inquis *v. Confessio*, Mancinus *in tract. de confess. cap.* 2. *n.* 14. ubi alii, cur non debet etiam reo prodesse ad evacuandam suspicionem, cùm Judex debeat esse pronior ad absolvendum, quàm ad condemnandum, *can. Judicas* 3. *q.* 7. *can. Judicantem* 30. *q.* 5. *l. absentem ff. de pœn.* & *l. quæstionis modum ff. de. quæstion.*

Accedit, quòd confessio ista extrajudicialis, aut etiam facta in judicio, si acceptatur, debet cùm sua qualitate acceptari à Judice ita, ut non possit acceptari, quatenus facit contra reum & non quatenus illi faveat. Nam in criminalibus confessio qualificata non potest dividi, sed cum sua qualitate debet accipi, vel respui, ut docent Cynus *in l.* 1. *C. de confes.* ibique Bald. & *in l.* 2. *de donat. ante nupt.* & *in l. siquidem C. de transact.* Bartol. *in l. Aurelius* §. *idem quæsiit ff. de lib. legat.* Alex. *cons.* 132. *vol.* 5. Archid. *in cap.* 1. *de confes. in* 6. Abb. *in cap. Cum venissent de instit.* & *in cap. bonæ* 2. *de postul. Prælat.* ubi alii. Unde si confessio iterationis baptismi ob captandam eleemosynam destinatam venientibus ad fidem Christianam, accipiatur cum sua qualitate, evacuatur per ipsam suspicio de hæresi.

Quòd autem tormenta non possint purgare suspicionem, quæ oritur ex facto, non est satis certum, cùm possint purgare indicia contra reum. Quòd si purgant suspicionem, factum non erit ampliùs hæreticale, quia non est tale, nisi quatenus inducit suspicionem hæresis. Quod præcipuè verum est, quia confessio debet accipere interpretationem ad favorem confitentis, *l. si quis intentione ff. de re judic.* & notant Doctores, ac Rota coram Turano *dec.* 23. *n.* 14. ita, ut quoad minùs fieri possit, lædat confitentem, ut notant Decius *cons.* 118. *n.* 5. Rimінald. *jun. cons.* 204. *n.* 55. *lib.* 2. ac Rota coram Caputaq. *dec.* 189. *p.* 1.

Addi etiam potest, quòd si ex facto aliqua suspicio de errore in mente oriretur, quia esset fundata in præsumptione facti, evacuari posset per alias præsumptiones contrarias. Una enim præsumptio tollit aliam, *l. Divus ff. de in integr. restit.* Contrariæ autem præsumptiones sumuntur ex qualitate personæ, quæ cùm sit vilis, & in egestate constituta, præsumi debet, quod mota sit ex commodo temporali, & cùm sit rudis, potens difficilè percipere gravitatem delicti, præsumi debet, apud ipsam prævaluisse commodum temporale. Quòd autem hæ præsumptiones prævaleant præsumptioni, quæ sumi potest ex facto, colligitur ex eo, quòd benigniores sunt. Præsumptio enim benignior est potentior, ut tradunt Bartol. *in lib. si pupillus ff. ad leg. falcid.* & alii quos sequitur

sequitur Menoch. *de præsumptio. quæst.* 29. *numero.* 5.

Eoque magis, quia præsumptio erroris, quæ oritur ex facto, generalis est, & communis cuicunque facto ejusdem generis. Præsumptio verò contra errorem est specialis, quia ducitur ex qualitate, accircumstantiis facti & personæ. Præsumptio autem specialis prævalet generali, & magis specialis minus speciali, ut tradunt Bartol. *in l. Cum de indebito ff. de probat. & in cap. quoniam, v. Et hujus conclusionis de offic. deleg.* ubi docet, illam esse præsumptionem magis specialem, quæ respicit personam. Bald. *in l. sive possidetis C. de probat.* Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *cent.* 5. *cas.* 472. *n.* 14. & 16. Et præsumptio excludens errorem est magis verisimilis, quàm præsumptio, quòd ex errore sit iteratus baptismus, præsertim si loquamur de errore pertinaci. Nam quòd absque errore iteratus sit baptismus verisimile facit ruditas personæ, quæ ignorat definitiones, quòd baptismus non sit iterabilis, inopia ipsius, quæ facit præsumere spectasse solùm ad commodum temporale. Præsumptio autem, quæ verisimilitudini magis convenit, est potentior, ut tradunt Brunus *tr. de indic. & tortur. p.* 1. *q. ult. n.* 2. & Menoch. *de casu* 472. *n.* 22.

Præterea in hoc casu concurrit præsumptio in favorem rei, ordinata ad vitandam pœnam & præsumptio pro actore, seu fisco ad infligendam pœnam. Potentior autem est præsumptio quæ stat pro reo, ut docent Craveta *cons.* 8. *n.* 9 Menoch. *ibid. n.* 2. & *de præsumpt. lib.* 1. *q* 29. *n.* 11. Quia etiam probationes rei præferuntur probationibus actoris, ut tradit Glos. *in can. si Clerici d.* 81. Abb. *in cap. ex Literis de prob.* idem Menoch. *de præsumpt. lib.* 2. *præsumpt.* 90. *ex l. favorabiliores ff. de regul. jur.* Unde quòd præsumptiones exclusivæ delicti præferantur præsumptionibus delicti inclusivis aiunt Oldrad. *cons.* 53. *n.* 3. Socin. sen. *cons.* 218. *n.* 5. & Riminald *cons.* 136. *n.* 15.

His tamen minimè obstantibus tenendum est, quod alibi dixi, scilicet hujusmodi Christianum ita fingentem, ex facto ipso, nempè ex iteratione baptismi, remanere suspectum de hæresi, nec confessionem extrajudicialem, aut judicialem evacuare suspicionem quia hæresis est occulta, & latet in mente. Quando enim factum inducit per se suspicionem hæresis, non purgatur per confessionem rei, quod non fecerit ex mala credulitate etiamsi in tormentis id asserat. Nam adhuc in foro exteriori remanet suspectus ex ipso facto, & ideo torquendus est super intentione. Quòd si nihil fateatur abjurare debet saltem de levi. Sic qui ad confingendum partum suppositum, curat rebaptizari infantem, aliàs baptizatum torquetur super intentione, abjurat de levi, & manet præ foribus Ecclesiæ cùm candela accensa, & inscriptione. Idem de eo, qui suscipit Eucharistiæ particulam, & ex ore extrahens ponit in sudariolo, asserens id facere ob debilitatem stomachi. Sic etiam ob eandem rationem indicitur polygamis & sollicitantibus in confessione abjuratio, vel de vehementi, vel de levi propter suspicionem hæresis, quam contrahunt juxta circumstantias temporis, loci, personæ, & juxta praxim Inquisitionis Romanæ, vel Hispanæ.

Effata de baptismo alibi adduximus.

Consultatio CXVI.

De Abusu Sacramenti Eucharistiæ.

QUi in Sacro Presbyteratus Ordine nequaquam constituti ausu temerario Sacrosanctum Missæ sacrificium audent celebrare etiam prima vice, vel pœnitentiæ sacramentum administrare, sunt de hæresi suspecti, & judicio Inquisitorum subjiciuntur, debentque abjurare de vehementi, & degradari, tradendi sunt Curiæ sæculari, quod importat pœnam mortis ex constitutione Pauli IV. Gregorii XIII. Clementis VIII. & Urbani VIII. quæ incipit, *Apostolatus ædificium*, ubi declaravit eas pœnas procedere etiam in minoribus viginti quinque annis, majoribus tamen viginti. Undè sequitur, quòd cùm hoc sit crimen depositione dignum, si fuerit notorium de jure, vel de facto, reddit ipso jure infamem, & irregularem.

Committunt enim crimen falsi in re gravissima, usurpantes officium, ac jurisdictionem à se prorsus alienam, & facto ipso Catholicam veritatem impugnant, hoc præsertim ævo, quo hæretici temerè audent proferre, quod etiam laici horum sacramentorum sunt ministri; Quomodo autem sint de hæresi suspecti diximus suo loco.

Pœnam autem traditionis curiæ sæculari in Inquisitione Hispana non esse in usu receptam, refert Sousa *in aphor. lib.* 1. *cap* 32. *n.* 14. & Castropal. *tr.* 4. *disp.* 8. *pun.* 16. §. 9. *n.* 1. ac Diana. *loc. cit. n.* 11. & *seq* Observat tamen idem Sousa quòd hæc pœna nunc imponenda præcipitur ab Urbano VIII non solùm per suam Constitutionem innovantem omnes alias hac de re constitutiones Pontificias sub die 23. Martii 1628. sed etiam per epistolam Cardinalis Mellini ad Inquisitorem generalem Lusitaniæ sub die 5. Martii 1622. Hoc autem crimen non esse commissum Inquisitoribus privativè quò ad Episcopos, & locorum Ordinarios, sed cumulativè tradit idem Sousa, & constat ex constitutione Clementis VIII. superiùs relata.

Sortilegus etiam, si abutatur Sacramento Eucharistiæ in sortilegio, ex decreto Pauli IV. dato in Congregatione S. Officii anno 1559. quod referunt Diana *p.* 4. *tr.* 7. ac Delbene *p.* 2. inter Bullas, & decreta spectantia ad S. Officium, tradendus est Curiæ sæculari: Idemque habetur ex decreto S. Officii quod legitur apud Locatum in fine Judicialis Inquisitorum, ut advertunt Genuensis *in prax cap.* 68. *n.* 10. Moura *de incantat. opusc.* 1. *sect.* 3. *cap.* 5. *n.* 29. ac Delbene *d. p. dub.* 30. *sect.* 8. *n.* 2. hoc tamen decretum non fuit usu receptum.

Si quis verò Sacerdos celebravit Missam super rebus aptis ad sortilegia, pœnis sortilegorum mulctatur. Si etiam Sacerdos non consecrat hostiam, & eam non consecratam exhibet populo adorandam, puniri posse per Inquisitorem, sicut & Laicum si hostiam non consecratam sumat, maximè si hoc faciat tempore mortis, ait Carena *p.* 2. *tit.* 27. *n.* 15. & *sequen.* post Lucernam Inquis. Pegnam, & Decianum, de quo, & nos *alibi.* Si etiam quis semel in anno non sumat Eucharistiam, vel non confiteatur peccata sua non est ex hoc præcisè suspectus de hæresi, ut per Farinac. *q* 178. *n.* 79. Talem verò esse, si admonitus nolit obedire, inquit Bordon. in Tribun. *cap.* 22. *n* 50. sed in hoc casu servandum est, quòd alibi tradidi de insordescente in excommunicatione lata præter causam fidei.

Præbens vinum vinaceum, vulgò *acquato* in Sacrificio Missæ, expediendus est cùm monitione.

Spontè comparens, qui ante legitimam ætatem ordinatus ter Missam celebravit, non consecrando, & particulis non consecratis alios communicavit, abjurat de levi & suspenditur ab executione suorum ordinum.

Diaconus, qui Missam sæpiùs celebravit, & confessiones audivit, spontè comparens, fit inhabilis ad ordinem presbyteratus suscipiendum, & ab executione suorum ordinum perpetuò suspenditur.

Inserviens celebranti non sacerdoti, quem scit esse talem, torquetur super intentione, abjurat de vehementi, damnatur ad triremes per quinquennium, & suspenditur perpetuò à munere inserviendi Missæ.

Contrà eum, qui in Missa adhibet hostiam priùs consecratam, eam iterum consecrando, quamque elevat, & assumit, proceditur in S. Officio.

Breve Pii IV. sub die 16. Aprilis 1562. sive 1564. emanatum, quòd aliquibus in locis possit Eucharistia ministrari laicis sub utraque specie semper displicuit Sanctæ Sedi Apostolicæ, non tamen illud hactenus revocavit. Ubi verò id servatur doceri debet populus, sub una tantùm specie integrè sumi Christum.

Contra Sacerdotem qui non consecrat panem, & vinum in Missæ sacrificio, eo quòd sit in peccato mortali, ideòque habens antè se hostiam consecrandam, extrahit è tabernaculo particulam consecratam, & verba consecrationis profert, non super hostiam, quam elevando, populo ostendit, sed super eamdem particulam consecratam, possunt Inquisitores procedere ex Bariola *in aphor. lib.* 5. §. 12. qui testatur ita tenuisse Congregationem Inquisitionis Mediolanensis 30. Aprilis 1627. ac Diana *p.* 4. *tr.* 7. *resol.* 12.

Qui abutitur sacramento Eucharistiæ, retinendo apud se hostiam sive particulam consecratam adversus arma, subjiciendus est torturæ super intentione, quam si sustinuerit, prævia abjuratione de vehementi, damnandus est ad triremes per quinquennium de quo alibi.

At quid de Sacerdote, qui oblitus consecrare hostiam exponendam pro oratione quadraginta horarum, vel processione corporis Christi, consecraret hostiam sine Missæ celebratione? Maiolus *lib.* 3. *de irregularit. cap.* 16. *n.* 4. ait, hujusmodi sacerdotem fieri irregularem; quia cùm tam apertè abutatur munere sacerdotali, videtur indignus potestate illi competente. Sed etiam videtur de hæresi suspectus. Eò maximè, quod hæretici nostri temporis rejiciunt sacros ritus, ac præcipuè damnant Canonem Missæ, quem erroribus refertum esse dicunt. Rejiciunt prætereà cæremonias, vestes, & exteriora signa quibus in Missarum celebratione Catholica Ecclesia utitur, undè in eos S. Concilium Tridentinum *sess.* 22. *de Sacrif. Missæ can.* 7. *infert anathema.* Quare qui sine Missæ celebratione hostiam consecaret, videtur facto approbare illorum errorem, atquè adeo subjicitur judicio Inquisitorum.

Animadvertendum autem est circà pœnas impositas contra non presbyteros celebrantes, eas incurrere, qui Missam incipit, quamvis verba consecrationis non proferat. In eas verò non incidit non sacerdos, qui vestibus sacerdotalibus indutus, celebrare intendit, sed non celebrat, ut per Sousam *loc. cit. n.* 5. *&* 6. Carenam *p.* 2. *tit.* 11. §. 1. *n.* 15. ac Dianam *loc. cit. resol.* 12.

Reliqua in hanc rem, vide quæ alibi diximus, v. Missa, v. Eucharistia, & v. Celebrans non promotus.

Inter sacrilegas Blasphemias, quas eructant hæretici de quibus Coccius *in thesauro* recens hæc est in Sanctissimum Missæ Sacrificium ex Dante *Cantu* 33. *de purgatorio.*

Sappi, che'l vaso, che'l serpente ruppe
Fu, e non è; ma chi n'ha colpa credda
Che vendetta di Dio non teme Zuppa.

Hunc enim locum hæreticus Anonymus exponit, ut videlicet, *Vas quod fuit, & non est*, esse Romanam Ecclesiam, designatam per bestiam illam, de qua dicitur in Apocalypsi *cap.* 17. *Fuit & non est.* Et quia *Zuppa* linguâ italicâ significat panem vino madefactum, ait hic Impius Scurra, per eam vocem significari Eucharistiam, ac sententiam Dantis esse non placari Deum sacrificiis Catholicorum sacerdotum, quæ in specie panis, & vini Domino offeruntur.

Et quidem quod attinet ad *Vas illud confractum*, an eo Romana Ecclesia designetur, alibi disceptavimus, videatur nostrum Criticon. In eo verò quod de pane & vino scripsit Dantes, nefariè hallucinatur nebulo. Nam Landinus in Dantem ex testimonio, imo caussis antiqui interpretis hujus Poetæ, & ex monumentis filii ejusdem Dantis, exque communi Florentinorum consensu docet, allusisse Dantem hoc loco ad superstitionem, quæ suo tempore vigebat Florentiæ. Existimabant enim illius ætatis homines, eos, qui homicidium perpetrassent, non posse in manus inimicorum devenire, si super occisi tumulum panem vino madefactum comedissent, atque ea de causa Cognati ejus, qui cæsus fuerat, diligenter tumulum custodiebant, ne fortè homicidæ super eum tumulum cibo illo vescerentur, antequam cædem cæde ulti essent. Ad hanc igitur sui temporis consuetudinem, sive potiùs superstionem Dantes respiciens, minatur divinam vindictam iis, qui Ecclesiam malè vivendo deformant, atque addit illis minimè profuturam superstitionem illam, quam sibi prodesse parricidæ falsò atque subratè credunt. Idem de Troianis tradit Virgilius *lib.* 5. *Æneid.* ac de Romanis Tacitus, & Apuleius, qui id vocant *cœnam novendialem*, etsi Nonius & Festus *silicernium* appellent: diciturque silicernium, cum post parentationes, circumpotationes fiebant, sive funebre convivium, Brech. *in l. cum in testamento ff. de verb. signif.* & silicernii quidem veriverbium hoc videtur liber glossematum antiquus adferre, quòd in lumine accenso silentes tantùm umbræ cernantur, Cujac. *observ. lib.* 11. *cap.* 21. Gothofred. *ad l. funeris* 37. *ff. de relig. & sumpt. fun.* De Christianis asserit S. Augustinus, quod etiam ævo suo apponebant cibos super cœmeteriis mortuorum, quem morem ipse detestatur tanquam Ethnicum, & paganum.

Consultatio CXVII.

De Abusu Sacramenti Pœnitentiæ, ubi accuratè explicatur Constitutio hac de re Gregorii XV. & casus ferè omnes ad id pertinentes.

Non promotus ad sacerdotium sacramentum Pœnitentiæ administrantem esse suspectum de hæresi, jam diximus.

Sed an Constitutiones Pontificiæ locum sibi vindicent in eo, qui non sacerdos confessionem audit, sed absolutionem non impendit? Affirmant Sousa *in opusc. de sollic. tr.* 2. *cap.* 9. *n.* 3. 4. *&* 7. *& in aphor. lib.* 1. *cap.* 33. *n.* 3. Freitas *de confess. sollic. q.* 13. *n.* 36. ac Timarch. *de confess. abut. sacram. pœnit. disp.* 7. *sect.* 2. *n.* 11. Negant verò Rodriquez *tom.* 2. *quæst. regul. q.* 28. *art.* 2. Roderic. à Cugna *de Confess. sollic. q.* 13. *n.* 14. Sanctarel. *de hæres. cap.* 42.

cap. 42. *dub. unic. n.* 5. Barbos. *in cap.* 1. *n.* 7. *de Cler. non ordin. ministr.* Jo: Sanchez *in select. disp.* 11. *n.* 36. Diana *p.* 4. *tr.* 7. *resol.* 11. Caren. *p.* 2. *tit.* 11. §. 3. *n.* 14. per rationes apud ipsos.

At quidquid sit de Constitutionibus Pontificiis, an hic casus in eis comprehendatur, certum est, quòd Urbanus VIII. declaravit sub anno 1640. in constitutione sua contra celebrantes, vel confessiones audientes non promotos ad sacrum presbyteratus Ordinem, suam intentionem fuisse, ac esse comprehendere, & comprehensos fuisse non solùm illos, qui ad presbyteratum non promoti confessiones fidelium audiunt, & absolutionem impartiuntur, sed etiam illos, qui confessiones prædictas audiunt, & absolutionis verba non proferunt.

Propositio ista: Confessio potest fieri per litteras, aut per internuncium Confessario absenti, & ab illo absente absolutionem obtinere, fuit declarata temeraria falsa, & scandalosa, & de hac propositione tractans est excommunicatus, & absolutio est reservata summo Pontifici, ut decretum 20. Junii 1602. & 27. Julii 1605. & confessio sic facta est irrita 13. Octobris 1603.

Alia ejusmodi alibi tradidimus.

Præcipuus autem abusus hujus sacramenti, est si sacerdos illo abutatur etiam semel, sollicitando in sacra confessione pœnitentem ad turpia, & inhonesta. Contra hunc abusum extat Constitutio Pii IV. sub die 16. Aprilis 1561. ac decretum editum à supremæ Inquisitionis generalibus Inquisitoribus confirmatum etiam à Clemente VIII. sub anno 1592. quæ solùm videntur habere locum in Hispaniis.

Sed anno 1612. mense Aprilis decrevit Paulus V. monendos esse Inquisitores, ut præcipiant Confessariis, quòd abstineant ab omni, & quacumque sollicitatione, aliàs procedetur contra illos. Hoc decretum ex Bariola refert Carena *p.* 2. *tit.* 6. *n.* 3. Novissimè vero Gregorius XV. sub die 10. Augusti generalem constitutionem edidit, in qua Pii IV. constitutionem confirmat, ampliatque. Illa est quæ sequitur.

Gregorius Papa XV. ad perpetuam rei memoriam. Universi dominici gregis curam, quamquam immeriti, cœlesti dispensatione gerentes, sedulò invigilare tenemur, ut ab omnibus pravis contagiis conservetur immunis, multòque majori studio providere, ut omnis pestis ab ijs avertatur, quibus alios sanandi officium est commissum, ne quod Evangelica scripta nos admonent sale infatuato non sit, in quo saliatur, & ad nihilum prosit ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.

Quoniam autem à Romanis Pontificibus, prædecessoribus nostris quibusdam in locis provisum fuit, ut impium, ac nefandum scelus, quod non solum inter Christi fideles non esse, sed nec etiam nominari debet, procul ab ijs arceatur. Videlicet ut aliquis sacerdos ad sacras audiendas confessiones deputatus, sacrosancto Pœnitentiæ sacramento, sollicitando pœnitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum pro pane aspidem porrigat, & ex cœlesti Medico infernalis veneficus, ex patre Spirituali proditor execrabilis animorum reddatur, Idcircò nos ea, quæ his perniciosissimis diaboli insidiis arcendis certis locis salubriter constituta sunt, ut nullibi desiderentur, quantum ex alto conceditur, providendum duximus.

Alias siquidem à fœl. record Pio Papa IV. prædecessore nostro emanarunt litteræ tenoris subsequentis, videlicet. Pius Papa IV. Venerabili Fratri Archiepiscopo Hispalensi, in Regnis Hispaniarum hæreticæ pravitatis Inquisitori generali. Cum, sicut nuper &c.

Igitur ut litteræ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & ubique locorum inviolabiliter observentur, motu proprio, & ex certa scientia ac matura deliberatione nostra, ac de consilio venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium contra hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum prainsertas litteras hujusmodi, ac omnia, & singula in eis contenta Apostolica autoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, illasque non solùm in prædictis Hispaniarum regnis sed in quibusvis Christiani Orbis partibus firmiter, & inviolabiliter observari præcipimus, & mandamus.

Ac præterea, ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo contra eosdem procedendi ab aliquo dubitari possit, Statuimus, decernimus, & declaramus, quod omnes & singuli Sacerdotes, tam sæculares, quam quorumuis etiam quomodolibet exemptorum, ac sedi Apostolicæ immediatè subjectorum, Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum Regulares cujuscumque dignitatis, ac præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti existant, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu sacramentalis confessionis, sive anteà, vel post immediatè, sive occasione, vel prætextu confessionis hujusmodi, etiam ipsa confessione non sequuta, sive extrà occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocumque, ubi confessiones sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint, in officio sanctæ Inquisitionis severissimè, ut infrà, puniantur. Et præterea omnes hæreticæ pravitatis Inquisitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & locorum universi Orbis Christiani, in suis quemque diœcesibus, & territoriis per has nostras litteras, etiam privativè quò ad omnes alios specialiter, ac perpetuò Judices delegamus, ut super his contra prædictos, simul, vel separatim in omnibus, prout in causis fidei juxta sacrorum Canonum formam, nec non Officii Inquisitionis hujusmodi Constitutiones, privilegia, consuetudines, & decreta diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumstantiis suspensionis, ab executione Ordinis, privationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ, & passivæ; si Regulares fuerint, exilii, damnationis ad triremes, & carceres etiam in perpetuum, absque ulla spe gratiæ, aliasque pœnas, decernant, eos quoque si pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ sæculari puniendos tradant.

Dantes etiam facultatem Venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei tam perniciosum ob probationum defectum, impunitum remaneat, cum difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indiciis & aliis adminiculis, delictum probatum esse arbitrio suo judicandi, & Curiæ sæculari, ut præfertur, reum tradendum esse, pronuncianei.

Non obstantibus omnibus, quæ dictus prædecessor in suis litteris prædictis voluit non obstare, cœterisque contrariis quibuscumque.

Mandantes omnibus Confessariis, ut suos pænitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, sive, ut præfertur, tractantes, Inquisitoribus, sive locorum Ordinariis prædictis: *Quòd si hoc officium prætermiserint,*

miserint, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denunciandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes, ut supra, iisdem locorum ordinarii, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant.

Volumus autem ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra ubique habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Quòdque eædem præsentes litteræ, sive illarum exempla ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixæ, omnes ita arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 30. Augusti 1622. Pontificatus nostri anno secundo.

In hac autem Constitutione sex propositiones, sive regulæ continentur. Prima est suspecti sunt de fide sacerdotes sollicitantes in sacra confessione pœnitentes ad turpia, & inhonesta. Id docent Pegna *in direct. p. 2. com.* 81. Decianus *lib. 6. cap. 21. n.* 42. *& cap. 23. n.* 1. *& sequen.* Navar. *cons. de hæret.* Ledesma *p.* 1. *de sacram. pœnit. cap.* 19. Farinac. *q.* 187. *n.* 28. Sanctarel. *de hæres. cap.* 44. Caren. *part.* 2. *tit.* 6. *n.* 8. Castropal. *tr.* 4. *disp.* 9. *pun.* 1. *n.* 1. Delbene *disp.* 237. *sect.* 1. *n.* 1. *& sect.* 24. aliique. Hæc autem suspicio in Inquisitione Hispana est de levi, & ideo hujusmodi sollicitantes coguntur abjurare de levi, nisi de circumstantiis major suspicio oritur; In Italica verò Inquisitione abjurant de vehementi, & ideo hæc suspicio non accipitur, ut merè naturalis, sed ut suspicio juris. Quare in hac re servanda est consuetudo Inquisitionum nec nisi præposterè Delbene *loc. cit. sect.* 24. *n.* 1. refert, Sousam *tract.* 1. *de sollicit. cap.* 18. *n.* 13. *& in aphorism. lib.* 1. *cap.* 34. *n.* 68. tenere, quod seclusis aliquibus casibus, confessarius sollicitans non sit suspectus de fide, si sollicitet paulò ante, vel paulò post Confessionem. Nam Sousa *de num.* 68. disertè asserit contrarium, & vult, quod Confessarius sollicitans in actu proximo antecedente, vel consequente Confessionem, abjurare debet, tanquam de fide suspectus. Quod etiam tenet Carena *loc. cit. n.* 75. Sollicitantem verò in Confessionario negant esse de fide suspectum Sousa *ibidem.* Carena *eo tit.* 6. *n.* 76. *& seqq.* ac Salelles *lib.* 5. *n.* 218. sed oppositum docet Delbene *d. sect.* 24. *n.* 5. *& sequen.* Quod planè certum est. Quia vel sollicitatio in confessionario non est abusus confessionis si fiat non simulando confessionem, vel si simulatur confessio, certum est, quod intercedit abusus confessionis sacramentalis, & sic intervenit suspicio hæresis, & abusus sacramenti, ideoque in omni casu, comprehenso in constitutione Pii. IV & Gregor. XV. Confessarius sollicitans est suspectus de fide.

Ex hac autem prima parte regulæ sequi videtur, quod tribunal Sancti Officii potest universim cognoscere de abusu sacramentorum. Unde Pegna *in direct. part.* 2. *com.* 82. Zechius, Moura apud Delbene *d. dub.* 237. *sect.* 8. *num.* 1. Leander *tr.* 5. *disp.* 13. *q.* 9. & apud Carenam Saucius, ac Trimarchius, quod probabile putat Castropal. *d. disput.* 9. *pun.* 6. *n.* 2. inquiunt, S. Officium procedere posse contra Confessarium, qui in Confessione sollicitat ad alia peccata, à turpibus ac inhonestis distincta. Quia ille abutitur Sacramento pœnitentiæ, Sed Carena *cit. tit.* 6. *n.* 20. de hoc dubitat, aitque rem hanc deferendam esse ad S. Congregationem. Nam ante constitutiones Apostolicas, per quas statutum est quòd Judices fidei cognoscant de sollicitantibus in sacra confessione, ad turpia, Inquisitores de hoc crimine non cognoscebant. Quare & ego quoque censeo in casibus abusus sacramentorum, non expressis in jure, Inquisitores consulere debere S. Congregationem. Nam suspicio hæresis, quam universaliter inducit hic abusus, si consideretur, ut naturalis, præcisis circumstantiis, ac in iis qui aliàs non sunt de hæresi suspecti, est valdè levis, & antiquitùs non considerabatur, ut antea diximus. Eoque præcipuè quod hic abusus in casibus à jure non expressis, est etiam rarus; Hinc antequam abusus sollicitantium in Confessione, aliique similes fuissent expressè delegati Judicibus fidei, de illis cognoscebat solus Ordinarius. Ex quo deducitur, quòd si suspicio quam inducit hic abusus, consideretur, ut est juris præsumptio, non videtur, quòd habeat locum, nisi in casibus, in quibus jus expressè præsumit.

Secunda regula desumitur ex Constitutione Pii IV. & luculentiùs ex Constitutione Gregorii XV. ea hæc est. In causa sollicitationis in confessione contra quoscumque, etiam exemptos & Regulares cujusvis dignitatis, status, gradus, & conditionis, tanquam contra suspectos de hæresi, privativè quò ad omnes alios Judices procedunt Inquisitores, & locorum Ordinarii tanquam delegati Sedis Apostolicæ, illosque puniunt prout leges & crimina postulant.

In hac regula advertendum est primò, quòd Constitutio Pii IV. edita fuit pro Regnis Hispaniarum. Directa enim fuit Archiepiscopo Hispalensi, Hispaniarum generali Inquisitori. Sed quoniam in illa decernitur absolutè quod sollicitantes ad turpia pœnitentes in actu Confessionis, sunt de hæresi suspecti, ideo ex vi dictæ constitutionis Judices fidei ubique contra hujusmodi sollicitantes procedere poterant tanquam contrà suspectos de hæresi, Pegna *d. com.* 81. *vers. Ille quoque*, Sanctarel. *de hæres. cap.* 44. *d.* 5. *n.* 1. & ex Roderico à Cugna, & Freita tradit Carena *part.* 2. *tit.* 9. *num.* 7. Nunc autem res est minimè dubia ex Constitutione Gregorii XV.

Hæc autem potestas procedendi contra Sollicitantes est delegata, ut patet ex Constitutione Gregorii, in qua hæc leguntur: *Specialiter ac perpetuo Judices delegamus.* Quod tamen quantùm ad Ordinarios intelligitur respectu exemptorum. Etenim contrà suos subditos Ordinarii ex jurisdictione ordinaria procedere possunt, qua non sunt privati per dictam Constitutionem. Cùm tamen in Hispaniis contra hæreticos, ac de hæresi suspectos soli Inquisitores procedant privativè, etiam quò ad Ordinarios ex vi Constitutionis Pii IV. & Clementis VIII. superiùs relatæ. Per constitutionem autem Gregorii XV. non derogatur hujusmodi consuetudini, ac privilegio. Quinimo Gregorius Constitutionem Pii confirmat, ut per Delbene *d. dub.* 237. *sect.* 1. *n.* 28. *& sect.* 13. *n.* 15.

Cùm verò in casibus, in quibus Inquisitor, & Ordinarius procedunt divisim, alter alteri communicare debeat processus, ubi opus sit ad plenam delicti probationem habendam, ut suo loco dictum est, hoc etiam in causa sollicitationis fieri deberet. Verùm cùm in his causis ex Constitutione Gregorii XV. solùm Eminentissimis Cardinalibus S. Congregationis S. Officii concessum est arbitrium judicandi, an ex testibus singularibus delictum sit probatum; ideo Inquisitores, & Ordinarii, inconsulta eadem S. Congregatione in dictis causis ad ulteriora, earumque definitionem procedere nequeunt, sed receptas denunciationes contra sollicitantes ad eandem S. Congregationem mittere tenentur, notificata

qualitate

qualitate denuntiatorum, ac denuntiantium, & nominatorum in testes, nec ad ulteriora procedere debent, nisi facti gravitas aliter exigat, vel periculum sit in mora. Imò nec Ordinarii Inquisitoribus, neque Inquisitores Ordinariis denunciationes, aut scripturas communicare debent, sed in singulis casibus S. Congregationem consulere tenentur, notificatis qualitatibus, ut modò diximus. Præterea nec hujusmodi causæ proponi debent coram consultoribus, sed consulenda est S. Congregatio, & juxta illius mentem examinandæ ac definiendæ. In Hispaniis causæ istæ solùm coram Ecclesiasticis Consultoribus proponuntur.

Tertia regula, quæ partim à Pio IV. integrè à Gregorio XV. habetur, hæc est: Per Judices fidei, tanquam de hæresi suspectus, pœnis in his Constitutionibus statutis puniri debet sacerdos cujuscunque sit dignitatis, Ordinis, Status, & conditionis, qui personam quamlibet ad turpia, vel inhonesta sollicitaverit, vel cum ea illicitos, aut inhonestos sermones, sive tractatus habuerit in actu sacramentalis confessionis, vel immediatè ante, aut post confessionem, vel prætextu, aut occasione Confessionis, etiam confessione non sequuta, vel extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocunque, in quo confessiones audiantur, sive ad confessionem audiendam electo, simulando ibidem confessionem audire.

In hac igitur lege, ac illius pœnis comprehenditur sollicitans, si sit sacerdos, secus si non sacerdos audiat alicujus confessionem, & se fingat sacerdotem, cùm non sit. Quia utraque constitutio loquitur de sacerdote, neque lex ista pœnalis extendi debet de persona ad personam, ut per Carenam *d. tit.* 6. *n.* 21. Sanctarel. *de hæres. cap.* 26. *n.* 9. Dian. *p.* 1. *tr.* 4. *resol.* 15. Portel. *in addit. v. sollicitare feminas n.* 14. Delben. *d. dub.* 237. *n.* 11. Bordon. *in Trib. cap.* 23. *n.* 61. Trimarch. *disp.* 7. *n.* 3. & apud eos alii plures. Iste tamen non sacerdos comprehenditur sub lege ac pœnis latis contra non promotos ad presbyteratus Ordinem pœnitentiæ sacramentum, etiam semel ministrantes, ex Constitutionibus alibi adductis.

Comprehenditur tamen sub hac lege omnis sacerdos, etiam quomodolibet exemptus, & cujusvis sit dignitatis, etiam Episcopalis, & majoris, si, ut habetur in hac regula, sollicitet ad turpia, & inhonesta. Dubium verò est, an comprehendatur sacerdos non habens jurisdictionem, & qui validè confessiones audire non potest. Sententiam negativam tenent Sousa *in aphor. lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 16. Portel. *loc. cit n.* 13. Bordon. *in Trib. cap.* 23. *n.* 64. Leander. *tom.* 1. *tr.* 5. *disp.* 13. *q.* 39. & apud eum Fagundez ac Thomas Hurtadus. Moventur, quia Pius IV. & postea Clemens VIII. & Paulus V. expressè loquuntur de sacerdote deputato ad confessiones audiendas, Gregorius verò XV. etsi dicat, *omnes & singulos sacerdotes*, hæc tamen universalis locutio limitatur ex illis verbis præcedentibus: *Ne de pœna his delinquentibus imponenda, ex dubitari possit.* Hæc enim verba referuntur ad sacerdotes delinquentes, de quibus loquutus fuit Pius IV. cujus Constitutionem confirmavit, ne de pœna illis infligenda, & de modo procedendi in his causis dubitari possit decernit, quid in eis servandum sit. Et quia expressè loquitur de sacerdotibus sollicitantibus in actu sacramentalis confessionis, vel prætextu confessionis hujusmodi, vel in loco, ubi sacramentales confessiones audiuntur. Confessio autem facta sacerdoti non habenti jurisdictionem non est, neque esse potest sacramentalis ex defectu jurisdictionis. Additur: quòd casus iste, ut sacerdos, non habens jurisdictionem, sollicitet in actu Confessionis, est valdè rarus. Leges autem accommodantur casibus, qui frequenter accidunt, *l. nam an ea ff. de legib.*

Affirmativam sequuntur Carena *d. tit.* 6. *n.* 16. Lezana *in sum. v. denunciare*, Castropal. *d. tr.* 4. *disp.* 9. *pun.* 9. *n.* 1. Diana *p.* 1. *tr.* 4. *resol.* 17. & *p.* 4. *tr.* 5. *resol.* 8. Acugna, Freitas, Trimarchius, Escobar, quos sectatur Delbene *loc. cit. sect.* 12. *n.* 2. Salelles *lib.* 1. *cap.* 16. *n.* 10. & 31. Atque ita tenendum est Nam Gregorius XV. confirmavit Constitutionem Pii IV. & qua pœna, quove ordine puniendi sint delinquentes contra illam statuere voluit, illamque ampliavit, atque extendit, ideoque comprehendit omnes sacerdotes, habentes potestatem Ordinis, nulla facta mentione de deputatione ad confessiones audiendas, atque adeo omnes, ac singulos sacerdotes sollicitantes suæ legi subjici voluit. Neque obstat, quòd confessio facta sacerdoti non habenti jurisdictionem, non sit valida, quia Gregorius XV. voluit sufficere, quòd sollicitatio fiat sub specie ac simulatione confessionis sacramentalis, ac etiamsi sollicitatio fiat prætextu confessionis, etiam confessione non sequuta. Accedit, quòd confessiones factæ sacerdoti non habenti jurisdictionem, ac publicè exposito ad illas audiendas sunt validæ, si interveniat bona fides pœnitentis. Tunc enim Ecclesia tribuit jurisdictionem, ut alibi diximus.

Non verò sub hisce Constitutionibus comprehenduntur interpretes, nunciive sollicitationis, vel illam mandantes, aut consilium dantes, etiamsi sint sacerdotes. Nam isti nec propriè sunt sollicitantes, aut tractatum inhonestum habentes in sacra Confessione, neque actiones istæ sunt actiones sacerdotales, neque ut tales veniunt sub nomine sacerdotum, ut probè tradunt Castropal. *cit. pun.* 9. *n.* 6. Carena *d. tr.* 6. *n.* 22. 38. *ac seq.* Diana *p.* 4. *tr.* 5. *resol.* 9. Fagundez *in præcep. Eccles. p.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *n.* 78. & *lib.* 6. *cap.* 12. *n.* 23. Salelles *lib.* 5. *cap.* 5. *n.* 306. & *lib.* 1. *cap.* 16. *n.* 36. Leander *tr.* 5. *disp.* 13. *q.* 36. & 4. Bordon. *in Tribun. cap.* 23. *n.* 29. & 69. ac Delben. *eo dub.* 237. *p.* 18. *n.* 14. & 18. qui non rectè pro contraria opinione quoad mandantem refert Carenam. Sic quoque nec comprehenditur sacerdos vel alius, qui sollicitat pœnitentem, dum non sibi, sed alii confitetur, ut bene notat Delbene *cit. sect.* 12. *n.* 23.

Advertendum tamen est, quod omnes isti vel mandantes, vel interpretes, vel nuncii, vel auxilium in sollicitatione præstantes, vel quomodocunque sollicitantes, aut sollicitationi cooperantes, etiamsi non sint sacerdotes, sed laici, sunt de hæresi suspecti, & ex generalibus decretis S. Inquisitionis subduntur jurisdictioni Judicum fidei. Nam idem est delictum sollicitantium, & cooperantium sollicitationi. Omnes enim cooperantur ad eundem abusum sacramenti pœnitentiæ, & iccirco aliquo modo subduntur Constitutioni Gregorianæ, si non directè, saltem reductivè, & quoad vim directivam, & ex ejus directione arbitrariis pœnis sunt puniendi, ut fusè probat Carena *loc. cit. n.* 40. & *seq.* quem sequitur Salelles *d. cap.* 5. *n.* 306. ac Bordon. *d. cap.* 23. *n.* 83.

Porrò quòd fœmina sollicitans confessarium sit de hæresi suspecta, & proinde jurisdictioni Inquisitorum subjiciatur, & abjurare debeat, tradit ex Moura, & ex Trasmiera Salelles *d. cap.* 5. *n.* 315. Quia Inquisitores ex antiquioribus Constitutionibus ad id jurisdictionem habent. Et quia in Constitutione Pij IV. & Gregorii XV. non datur de novo facultas Inquisitoribus procedendi contra sollicitantes ad turpia in confessione, sed excitatur illa, quam habebant.

At primò

At primò observandum est, quòd verba illa Gregorii: *specialiter, ac perpetuò Judices delegamus*, non important excitationem jurisdictionis, sed novam illius concessionem. A quo sensu neque aliena sunt verba Pij IV. *Committimus, & mandamus*.

Est deinde observandum, quòd cùm suspicio hæresis, quæ, sublatis malis circumstantiis oritur ex sollicitatione, vel ex multis aliis casibus circa abusum sacramentorum, non fuerit antiquitus habita in ea consideratione, ut hujusmodi causæ committerentur Inquisitoribus, sed locorum Ordinariis relinquebantur. Imò Inquisitoribus prohibitum fuerit cognoscere de sortilegiis non sapientibus hæresim manifestè; sed videntes Pontifices, quòd delicta aliqua nimis augebantur, unde opus erat rigore S. Officii ad hujusmodi delinquentes compescendum, earum cognitionem commiserunt Inquisitoribus. Sic Pius IV. priùs de jure præsumpta suspicione speciali hæresis, commisit, ac delegavit Inquisitoribus cognitionem sollicitationis ad turpia in certis casibus, quam ad plures alios casus extendit Gregorius XV. Quare Constitutiones Pontificiæ non comprehendunt hos casus, neque ad casus non expressos extendi debent, sed isti remanent in dispositione antiquioris juris, ex quo illorum cognitio pertinebat ad Ordinarios. Quod etiam statuit Urbanus VIII. anno 1631.

Quòd itaque ad personas sollicitatas regula tradita generatim est intelligenda, sive illæ sint mares, sive fœminæ. Quare sacerdos illas sollicitans sub hac lege comprehenditur. Id, quod ex Constitutione Gregorii certum omnino est, quicquid sit, an sollicitans marem comprehendatur in Constitutione Pii IV. quamvis & in illa comprehendi declaraverit Paulus V. 29. Novembris 1612. ut refert Leander *tr.* 5. *disp.* 13. *q.* 34.

Duplex autem actio principalis hic prohibetur. Sollicitatio, vel provocatio ad turpia, & inhonesti sermones, aut tractatus. Et quoad primum. Sollicitare, ut habetur ex D. Thoma 22. *q.* 49. *ar.* 9. est adhibere studium, ac diligentiam ad aliquid faciendum, vel obtinendum. Sollicitare igitur ad turpia est adhibere studium ac deligentiam ad obtinendum à pœnitentibus aliquid turpe, ac inhonestum, sive facto id fiat, sive nutu, sive verbo; ut si confessarius adulando, promittendo, blandè verbis impudicis suadendo, petendo, deprecando, studeat marem, aut fœminam inducere ad actum aliquem inhonestum, ut per Turrecrem in *can. si quis tam masculum quàm fœminam de penit. dist.* 1. & sufficit si tacitè id attentet, ut si mulierem laudet de pulchritudine, de venustate, dummodò tamen non constet, aut cum ratione præsumatur, quòd laudaverit absque intentione provocandi ad actum inhonestum, ut si diceret pœnitenti, quòd injuriam facit suæ pulchritudini, se alteri prostituendo, ut per Delben. *d. sect.* 12. *n.* 26. Leand. *d. tr.* 5. *disp.* 13. *n.* 13. Bordon. *in Tribun. cap.* 23. *n.* 69. Quamvis nec Confessarius debeat uti hac ratione, cùm non desint aliæ rationes efficaciores. Laudare autem pulchritudinem mulieris, etiam in confessione, non est per se ex objecto peccatum mortale, neque est actus per se directus ad sollicitationem ad turpia.

Quare hac in re circumstantiæ attendi debent, & ex illis judicandum. Sicut etiam si quis dixerit: Ducerem te in uxorem, si non essem sacerdos. Vel si verba amatoria proferret, quæ tamen ex usu indifferentia sunt, ac sæpe honestè proferuntur, ut si dicat mulieri: Memento mei quia te ex corde diligo, Bordon. *ibid. cap.* 27. *n.* 54. Vel si aliquid donet pœnitenti, aut aliquod verbum, aut signum proferat, quod sit dubium, unde pœnitens concipere possit se sollicitari ad turpia. In his enim, ac hujuscemodi aliis circumstantiæ considerari debent, ut ex illis deduci possit, an intercedat sollicitatio ad turpia. Nam per se loquendo donare aliquid mulieri, non est inhonestum, neque tendit ad inhonesta, sed ad conciliandam benevolentiam, vel ad satisfaciendum gratitudini ob acceptum aliquod beneficium.

Unde notandum est, quòd licet in Constitutione Gregoriana, puniatur crimen attentatum, nempe sollicitatio ad turpia, etiamsi persona sollicitata non consentiat, vel non sit deventum ad aliquem actum inhonestum, ut per Carenam supra *n.* 34. non tamen sufficit sollicitatio attentata, sed necesse est, ut sicut in aliis delictis ad incurrendam pœnam ordinariam delictum sit consummatum, ut sit nimirum completa sollicitatio in ratione sollicitationis, ut per Delben. *d. dub.* 237. *sect.* 4. *n.* 3. sunt enim multa verba, quæ sunt præparatoria ad sollicitationem, & proferuntur, ut videatur, an possit fœmina sollicitari, sed non sunt sollicitationes. Quare, licet ratione illorum possit aliquo modo puniri in S. Officio, non tamen poterit reus damnari in pœnam ordinariam. Quandoquidem ad damnandum reum in pœnam Ordinariam non sufficit sollicitatio dubia, aut præsumpta, sed requiritur sollicitatio certa, ut per Bordon. *ibidem cap.* 23. *n.* 61. ubi *num. seq.* existimat, quòd neque sit sollicitatio, si confessarius det pœnitenti donum, ut illud deferat suæ meretrici. Vel si confessarius dicat pœnitenti; accommoda mihi tuam domum, ut possim loqui cum tali muliere. Quæ tamen non placent. Dianæ *loc. cit. resol.* 45. sed verè hæc sunt sollicitationes dubiæ, ac judicandæ ex circumstantiis, quicquid in contrarium probabiliter dicat Castropal. *d. disp.* 9. *pun.* 4. *n.* 3.

Si autem Confessarius dederit pœnitenti scriptum ab eo domi legendum post confessionem, in quo eum sollicitat ad inhonesta, comprehenditur in hac Constitutione. Hæc enim est sollicitatio, in ratione sollicitationis completa, ex parte confessarii, & per hanc traditionem fit injuria Sacramento, & confessarius tunc cùm pœnitentem ad mutandam vitam in melius, & ad abstinendum à peccatis suadere debebat, eum provocat ad malum, Fagundez *in præcept. Eccles. lib.* 4. *cap.* 3. *n.* 62. Delben. *ibidem sect.* 4. *n.* 7. Leander *loc. cit. q.* 15. quare inter propositiones damnatas ab Alexandro VII. *propos.* 6. hæc habetur: Confessarius, qui in sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam, postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denunciandus. Et *n.* 7. damnatur sequens propositio. Medus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante; hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi. Si verò pœnitens verba sollicitantia non audiverit, vel non intellexerit, & confessarius id advertens ab ulteriori sollicitatione abstineat, hæc non erit sollicitatio completa, sed attentata, & ideo non habebit locum pœna ordinaria, sed mitiori erit locus.

Censetur etiam confessarius sollicitare mulierem, qui dum audit illius confessionem interiùs delectatur, aut voluntariè polluitur, idque narrat pœnitenti, Leand. *d. disp.* 13. *q.* 14. sed oppositum in hoc casu tenet Bordonus in Triban. *cap.* 23. *n.* 54. si confessarius dicat se involuntariè fuisse pollutum. Sed & hic est sermo inhonestus habitus sine causa in actu confessionis, ac de se præbens suspicionem finis inhonesti. Et similiter si in confessione ex zelotypia suam concubinam objurgat,

secus

secus verò si illam de peccato ratione peccati reprehendit, Leander, *q.* 16. Diana *d. p.* 4. *tr.* 5. *resol.* 43. Thomas Hurtad. *tr.* 4. *cap.* 8. *resol.* 10. Sed in his omnibus, ut dictum est, attendendæ sunt circumstantiæ & animadvertendum, quòd sollicitatio solùm attentata, vel dubia & præsumpta non est satis, ut reus puniatur pœna ordinaria.

Quòd verò ad secundam actionem prohibitam, illa est, inhonestos sermones, aut tractatus habere. Tractatum autem habet de aliquo agendo nedum qui proponit, aut petit, ut aliquid fiat, sed etiam qui respondendo consentit actioni, de qua tractatur, illamque approbat, & ad illam consilium præbet, aut auxilium promittit. Unde, quicquid in contrarium dixerint aliqui, spectata sola Pii IV. Constitutione, atque innixi significationi verbi *sollicitare*, indubitatum est, ex vi Constitutionis Gregorii XV. comprehendi etiam sacerdotem, qui à pœnitente sollicitatus ad turpia, consentit sollicitanti, maximè si cum illo tractet de modo adimplendi actionem turpem, ad quam sollicitatur, ut per Caren. *d. tr.* 6. *n.* 35. Dianam *p.* 4 *tr.* 5. *resol.* 11. Fagund. *de præcept. Eccles. p.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *n.* 56. *& seq.* Leander *d. disp.* 9. *q.* 20. Delben. *dub.* 233. Souram *in aphor. lib.* 1. *cap.* 34. *n.* 9. *& de sollicit. lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 8.

Unde multò magis comprehenditur Confessarius, si mutua sit sollicitatio, etiamsi pœnitens fuerit prior in sollicitando, Sousa *ubi supra*, Diana *d. tr.* 5. *resol.* 14. ac Leander *ibid. q.* 22. Quòd si confessarius renuat, nec copulæ consentiat, sed solùm in oscula, & tactus, comprehenditur nihilominus in Constitutione, sicut si invitatus à femina ad sodomiam, eam sollicitet ad copulam naturalem. Nam verè sollicitat ad turpem actum, à quo avertere debet pœnitentem. Censetur pariter sollicitator ad turpia confessarius, qui pœnitenti injungit, ut domi nuda ab ipso verberetur, quia hujusmodi actio est inhonesta, Diana *ibidem resol.* 45. ac Leander *d. disp.* 13. *q.* 17. Confessarius verò sollicitatus in confessione, si sola mente consentiens, exteriùs autem renuens, postea post confessionem adeat domum mulieris, & cum illa peccet, non comprehenditur in hac Constitutione, cùm in confessione, sive sub prætextu confessionis, aut immediatè ante, vel post confessionem mulierem non sollicitaverit, aut cum illa turpes sermones, aut tractatus habuerit, imò illi sollicitanti restiterit.

Materia verò, & objectum sollicitationis prohibitæ est actus libidinosus venereus, sive impudicus. Ex communi enim usu loquendi, verbum inhonestum, simpliciter prolatum, importat actum virtuti pudicitiæ contrarium, & ad venerem spectantem. Et in hanc significationem accipi in re præsenti, constat ex Constitutione Pii IV. & Gregorii XV.

Jam diximus, quòd in his Constitutionibus non comprehenditur confessarius sollicitans pœnitentem ad alia peccata, quæ non sunt contra pudicitiam. Quia in dictis Constitutionibus solùm expressè delegatur Judicibus fidei procedere contra sollicitantes ad venerea. In pœnalibus enim non fit extensio de delicto ad delictum, *cap. in pœnis de reg. jur.* Sed num si confessarius sollicitet pœnitentem ad peccata alterius generis, possit S. Officium contra illum procedere ex generali facultate procedendi contra suspectos de hæresi?

Asserunt Pegna *in direct. p.* 2. *d. com.* 81. Castropal. *d. tr.* 4. *disp.* 9. *p.* 6. *n.* 2. Trasmiera *de polyg. lib.* 3. *q.* 2. *n.* 46. Salelles *d. lib.* 5. *cap.* 5. *n.* 314. Zechius & Moura apud Delben. *loc. cit. sect.* 8. *n.* 1.

Negant verò Ledesma *de matrim. q.* 56. *n.* 2. Paramus *lib.* 3. *q.* 10. *n.* 121. Surnia *theor.* 197. Peyrin. *ad constit.* 4. *Gregorii XV.* §. 7. *n.* 14. Sousa *de confes. sollic. tr.* 1. *cap.* 13. *n.* 4. *&* 5. Delbene *d. sect.* 8. *n.* 1. & apud eum. Acugna, Moltesius, Venerus, Freitas, & Homobonus, traditque Bordonus *in Tribun. cap.* 23. *n.* 25. Idemque dicitur, si confessarius in ministerio aliorum sacramentorum sollicitet ad turpia, ut si prætextu ministrandi sacrum Viaticum alicui mulieri, turpia cum illa exerceat. Contra hunc enim posse Inquisitores procedere ex generalibus legibus S. Officii, vult Moura opusc. de ensalm & incant. *sect.* 3. *n.* 17. sed oppositum censent Lezana *in sum. quæst. regular. cap.* 19. *n.* 34. Peyrin. *loc. cit. n.* 17. Freitas, Acugna, & Peregrinus, quos sequitur Delbene *d. sect.* 8. *n.* 5. & Bordonus *d. cap.* 23. *n.* 33. Hæc sententia vera est, nisi Pontifex consultus aliter decernat, vel nisi alicubi sit inducta consuetudo contraria. Quare, ut sæpe diximus, consulenda est hac de re S. Congregatio.

Nec si Confessarius sollicitet duntaxat ad Venerem completam, sed etiamsi sollicitet ad actus incompletos, ut sunt oscula, & tactus impudici, punitur pœnis Constitutionis Gregorianæ; Sed quid si sollicitet ad actus venialiter malos Quia licet manum, vel pedem feminæ premere, vellicare, tangere, possit esse peccatum veniale intra genus luxuriæ, dummodo finis mortalis absit, atque periculum pollutionis, hoc tamen, si tempore administrationis sacramenti pœnitentiæ fiat, vel immediatè ante, vel immediatè post erit peccatum mortale, ac damnatum ob gravem injuriam sacramento illatam. Imò hæc quæstio est de subjecto non supponente, quòd scilicet in materia luxuriæ detur peccatum veniale ex parvitate materiæ. Hoc enim asserere est improbabile, ac esse damnatum à Clemente VIII. & Paulo V. refert Delbene *d. dub.* 237. *sect.* 3. *n.* 16. Omnis enim actus, qui est ex libidine, ac deliberatus, est contra pudicitiam. Unde ab Alexandro VII. damnatur hæc propositio: Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, ac sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.

Certum etiam est, comprehendi in hac Constitutione Confessarium, si pœnitentem sollicitet, ut ille turpia exerceat cum alio, vel ut sit mediator, ut aliquis alius turpia committat cum ipso Confessario, vel cum alio.

Primò igitur pœnas hujus Constitutionis incurrit confessarius, si in actu confessionis, dum pœnitens incepit confiteri peccata sua, eum sollicitet ad turpia, etiamsi non sequatur absolutio, vel interrumpatur confessio, ac etiamsi Confessarius sciens pœnitentem indispositum, ex hoc neget ei absolutionem, & nihilominus illum sollicitet; ac etiamsi pœnitens confiteatur non ex animo, sed ut evitet excommunicationem latam contra non confitentes semel in anno; ac etiamsi confessio ex aliqua causa sit invalida. Nam hæc etiam inducit sigilli obligationem. Et quamvis si tam pœnitens, quàm Confessarius sint in mala fide, ac sciant, confessionem ex aliquo defectu substantiali non esse sacramentalem, ac proinde confessarius in tali confessione sollicitans, pœnas contra sollicitantes in confessione sacramentali non incurrat, eas tamen incurrit. Quia sollicitat in Confessionario, simulans confessionem.

Secundò easdem pœnas incurrit confessarius, si pœnitentem sollicitet ad turpia immediatè ante, vel post confessionem. Illud autem dicitur esse immediatum confessioni, inter quod & ipsam confessionem non

nem non mediat actio diversa. Ideo si post confessionem pœnitens, vel confessarius divertitur ad aliquid extraneum, ut ad aliquid aliud faciendum, vel loquendum, & postea sequatur sollicitatio, hæc non dicitur immediata, nisi hoc diverticulum sit adeo breve, ut pro nihilo censeri debeat. Sic etiam si post sollicitationem intercedat aliqua alia actio ante confessionem, sollicitatio non est confessioni immediata.

Spatium autem hoc, intra quod, si fiat sollicitatio, incurruntur pœnæ hujus Constitutionis, aliqui sic definiunt, ut spatium ante incipiat à petitione confessionis, & sic sollicitatio facta ante petitionem confessionis, non potest dici facta immediatè ante Confessionem. Ex parte autem post incipit hoc spatium à data absolutione, & desinit postquam pœnitens recessit à confessionario, & à conspectu confessarii genuflectit in Ecclesia, ut fieri solet. Ita Bordonus *in Tribun. cap.* 23. *n.* 35. Unde pœnas hujus Constitutionis non incurrit, qui mulierem sollicitat postquam adivit domum. Imo neque si illam euntem ad domum sollicitet in itinere. Censeretur tamen sollicitatio immediata, si, data absolutione, statim pœnitentem ducat in sacrarium, vel in cubiculum prætextu dandi illi chirographum confessionis, & postea ibi eam sollicitet ad turpia. Quia talis actus pendet à confessione.

Hoc idem dicendum est, si statim post confessionem sollicitet pœnitentem, ut eat ad locum aliquem, in quo possit illam sollicitare, & ex intentione habendi cum illa turpia, si postea ibi illam sollicitat, vel cum ea turpes actus habeat. Quia licet sollicitatio sit consummata extra Confessionarium, & non immediatè, fuit tamen cum injuria sacramenti immediatè attentata, & inchoata, & postea consummata. Idipsum dicitur, si Confessarius in confessione invitavit mulierem ad confabulandum extra Confessionarium, ut per Bordon. *d. cap.* 23. *n.* 35.

Ad hoc autem, ut sollicitatio dicatur facta ante confessionem, sufficit, si præcesserit petitio confessionis, licet non sequatur confessio. Quia vel pœnitens non vult ampliùs confiteri, vel Confessarius illum non vult audire. Ideo, si postquam pœnitens petiit confiteri de præsenti, Confessarius illum sollicitet, id censetur facere immediatè ante confessionem. Secus tamen esset dicendum, si pœnitens diceret, se velle confiteri die crastina, & tunc confessarius illi dissuaderet confessionem, & suaderet Venerem. Quia tunc in pœnitente esset solùm propositum confitendi, multo tempore distinctum à tempore confessionis. At verò si pœnitens extra confessionarium, non petita confessione, nec patefacto animo confitendi, sermocinatur de aliis cum confessario, & illum sollicitet, etiamsi postea sequatur statim confessio, quæ potest sequi, si pœnitens sit dispositus, hæc confessio non censebitur immediata sollicitationi factæ, dum pœnitens de aliis tractabat cum confessario, ut per Delben. *loc. cit. sect.* 9. *n.* 6. Quia per accidens est quòd sollicitationem sequatur confessio. Et nihilominus in hoc casu considerandum erit, an verè sollicitatio facta sit occasione confessionis.

Tertiò subditur confessarius pœnis hujus Constitutionis si in confessionario, vel in loco deputato, aut electo ad confessionem audiendam, simulando confessionem pœnitentem ad turpia sollicitet. Ut autem in hoc casu sollicitans subjiciatur pœnis hujus Constitutionis, necesse est, ut interveniat simulatio confessionis. Hæc enim sunt illius verba. *Sive extra occasionem Confessionis in confessionario aut in loco quocunque, ubi confessiones sacramentales audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare &c.* Neque id pugnat cum decreto S. Congregationis sub Paulo V. emanatum die 10. Julii 1614. in quo decernitur, quòd S. Officium procedat contra Confessarios, qui extra occasionem Confessionis in Confessionario tractant de inhonestis cum mulieribus. Quod decretum ex Cotiolano referunt Diana *p.* 4 *tr.* 5. *res.* 38. Carena *p.* 2. *tr.* 6. *n.* 32. Quia cùm sollicitare in Confessionario extra occasionem confessionis possit fieri simulando, & non simulando confessionem, & si fiat non simulando confessionem, non contineat abusum sacramenti pœnitentiæ, nec inferat illi injuriam; quia locus determinatus non est de per se pertinentibus ad tale sacramentum, sed ad illud merè per accidens se habet, neque aliqua benedictione est consecratus pro audiendis confessionibus. Quod minùs distinctè expressum fuit in illo decreto, distinctiùs expressit Gregorius XV. & sic hujus Constitutionis sanctio non est contraria illi decreto, quod nec continet propositionem universalem, sed indefinitam, ad cujus comprobationem sufficit, quòd comprobetur in casu, in quo intervenit abusus sacramenti pœnitentiæ, atque adeo suspicio hæresis. Servanda igitur est Constitutio Gregorii, qui ex suscepto consilio, ac instituto ac explicatè, non autem obviam, obscurè ac supervacuè, distinguit inter simulatam, & non simulatam confessionem, ac decernit hujusmodi sollicitantes tunc subjici ejus legi ac judicio S. Officii, si sollicitant ad turpia simulando confessionem sacramentalem, Castropal. *d. tr.* 4. *disp.* 9. *pun.* 8. *n.* 4. Fagundez *lib.* 6. *in decal. cap.* 12. *n.* 19. Lezana *in sum. cap.* 19. *n.* 34. Thomas Hurtadus, ac Bosius, quos sequitur Leander *tr.* 5. *disp.* 13. *q.* 30. Bordon. *d. cap.* 23. *n.* 43. ac Delbene *d. dub.* 237. *sect.* 11. *n.* 6. Advertendum tamen est, quòd ad id non requiritur animus simulandi, sed sufficit simulatio ex parte facti, quia scilicet loquutio ipsa pœnitentis cum confessario reipsa est per speciem, atque adeo simulata confessio. Quod rectè contra Sancium advertit etiam Bordonus *d. cap.* 23. *numero.* 46.

Non esse autem simulatam confessionem ex eo præcisè, quòd pœnitens genuflexus manet ante confessarium, tradit Leander *d. disp.* 13. *q.* 31. Quia si confessarius est in aperto, & videatur, & ex ejus risu, cachinnis, & verbis elatis ac gestibus potest extrinsecus certò apparere quòd illa non sit confessio, sed confabulatio de rebus ad confessionem minimè pertinentibus, non intervenit simulata confessio. At nihilominus, nisi oppositum certò appareat, si mulier pœnitens genibus flexis loquatur cum confessario, præsumitur confiteri, & in hac re sufficit apparens confessio, quæ, si non est vera, dicenda est simulata. Ideo, si confessarius sedet in confessionario cum fœmina ante se stante, vel sedente, illam sollicitet ad turpia, non subjicitur pœnis hujus Constitutionis, neque est in S. Officio puniendus. Quia hæc non est confessio, nequidem simulata, aut per speciem, ut docent Doctores modò citati. Idem dicitur de confessario, qui post requisitam mulierem, an velit confiteri, &, ea negativè respondente, ipse, deposita stola, & à confessionario dissidente, in loco, ab eo remoto, illam sollicitat.

Contra verò ab Inquisitoribus punitur confessarius, qui mulieri coram se genuflexæ ac signo Crucis munitæ, inquit, se nolle tunc ejus confessionem audire, ac interim illam ad turpia sollicitat. Idemque dicendum, si muliere volente aliquid sibi communicare,

communicare, Confessarius eam invitat, & ducit ad Confessionarium, & simulans ejus confessionem audire illam sollicitat. Imò, etiamsi extra confessionarium simul turpes sermones habeant, & ut liberiùs de illis agere possint, conveniunt, ut adeant confessionarium, ac ibi simulata confessione colloquia illa turpia continuent.

Ex quo deducitur, quid dicendum sit de confessariis Monialium. Hi enim in S. Officio puniendi sunt, in quocumque loco sollicitent moniales ad inhonesta, etiamsi in collocutorio communi, si simulent earum confessiones audire; secus verò, si constito, quòd Moniales non confitentur ante locum deputatum ad confessiones stantes, aut sedentes, nullaque existente specie confessionis, sollicitent. In hoc tamen est discrimen, quòd in dubio, an adsit confessio vera, vel simulata, præsumitur pro confessione, si sollicitatio sit facta in loco deputato ad confessiones audiendas, & præcipuè si fiat diebus ad confessiones statutis. At si fiat in alio loco, præsumitur potiùs contrarium. *Et quoad Moniales* hoc est observandum, quòd licet Monialis sedeat, vel stet, possit ab aliis Monialibus quæ intrò vident, cognosci, quod non intervenit confessio, id tamen non sufficit, ut confessarius evitet pœnam, si extrinsecus non apparet, quòd non audit confessionem illius, cum qua loquitur. Saltem confessarius aliqua pœna puniendus est, nisi etiam extrinsecus appareat, eum non audire confessionem.

Cæterùm in hac parte non interest, an confessio sit vera, seu valida, & an pœnitens accedat ad confessionarium animo confitendi peccata, an tractandi alia, anne bona, malave fide, & an peccatum aliquod confiteatur, anne, sed sufficit, quòd sollicitatio fiat in confessionario, vel alio loco ad confessionem electo simulata confessione. Imo sufficit, si simulatio sit ex parte confessarii, contra quem lex fuit edita.

Quartò pœnis hujus Constitutionis subjicitur Confessarius, *qui occasione confessionis, sive ejus prætextu*, etiam ea non sequuta, fœminam, vel marem sollicitaverit ad turpia. Occasio est tempus actionis opportunum, quod in aggrediendo, conficiendoque negotio præcipuum habet momentum. Estque Festo, opportunitas temporis casu provenientis. Verùm & quælibet alia quovis eventu contingens opportunitas hoc nomine continetur, ut non sine causa veteres videantur occasionem divinitate donasse. Ea duo importat occasio. Temporis opportunitatem ad aliquid agendum, & causam remotam agendi, sive rem, quæ offert motivum impulsivum ad aliquid agendum, ut habetur ex citatis ab Alberico in suo dictionario Juris *v. Occasio*, & utroque modo confessio potest dici occasio sollicitandi, vel quia præbeat opportunitatem ad id faciendum, vel etiam quia præbeat motivum, ex quo confessarius se moveat ad sollicitandum, etsi hoc per accidens se habeat ad confessionem, quæ propterea non continet occasionem datam sed acceptam.

Prætextus verò est quod vulgò dicitur color quæsitus. Translatè enim positum prætexere accipitur pro obtendere, & quod vulgus itidem dicit, colorem quærere, Ulpianus *in l. illicitas de offic. Præsid.* Estque facere unum sub velamine alterius, quod non est, nec principaliter intenditur, *l. sub prætextu c. de transact.* Sollicitare igitur *sub prætextu* confessionis est sollicitare sub confessionis colore, ac specie ad turpia. Idque etiamsi revera confessio non habeatur. Est enim addita hæc clausula ad majorem præcedentium explicationem, & ad comprehendendum casum, in quo non sequitur confessio. Semper enim, dum sollicitatio fit in confessione, illa fit sub prætextu, aut occasione confessionis; sed proprius casus expressus per hanc clausulam est, quando, etiam non sequuta confessione, sollicitatio fit ejus occasione, vel sub ejus prætextu. Ideo confessor dicitur sollicitare occasione confessionis, si vocatus ad illam audiendam vel in Ecclesia, vel in domo pœnitentis, vel alibi, ipse hac occasione accepta, vel illam exhortatur ad differendam confessionem in aliud tempus, & interim eam sollicitet; vel ex quo hac occasione sumpta eam sollicitat, confessio non sequitur; vel quia pœnitens noluit ampliùs confiteri tali Confessario; vel quia sollicitationi consentiens, factusque indispositus, ut absolutionem accipiat, à confessione abstinuit. Prætextu quoque confessionis fit sollicitatio, si Confessarius vocans pœnitentem ad confessionem, vel sub colore confessionis, eum sollicitat, etsi non sequatur confessio.

Hæc autem intelligenda esse de occasione proxima & de prætextu, ac simulatione, quæ immediatè pendeat à loco, in quo auditur confessio, inquiunt post Freitam Diana *loc. cit. resol.* 37. & Bordonus *ibid. cap.* 1. 23. *n.* 58. At tenendum est, quod intelliguntur respectu pœnitentis, si ipse occasione, vel prætextu confessionis sollicitatur. Ideoque si vocatus, ut domi confessionem Magdalenæ audiat, confessarius accedens, ea occasione, sibi oblata, sollicitet Martham, non comprehenditur in hac Constitutione. Quia non sollicitavit occasione, vel prætextu confessionis Marthæ sollicitatæ. Ac ita si Regularis, ut faciliùs obtineat licentiam egrediendi e Conventu, dicat, se velle egredi ad audiendum confessionem Magdalenæ infirmæ, & adeat postea domum Marthæ ut cum ea rem turpem habeat, eum non comprehendi sub hac Constitutione, aiunt Freitas, Diana & Bordonus locis allegatis.

Ratio autem vera est, quia, ut quis incurrat pœnas hujus Constitutionis necesse est, ut ille pœnitens sit sollicitatus, cujus confessionis occasione, vel prætextu facta est sollicitatio. Idque colligitur ex illa dictione, *hujusmodi.* Priùs enim in illa damnantur, qui pœnitentem sollicitant in actu confessionis, & postea, qui occasione, vel prætextu confessionis hujusmodi sollicitant, ij scilicet, qui sollicitant pœnitentes occasione, vel prætextu eorum confessiones audiendi. Si itidem Sacerdos occasione confessionis auditæ, cognoscens mulierem esse facilem ad faciendam sui copiam, ex hoc moveatur, ut post multum tempus à confessione audita, illam sollicitet, non comprehenditur in hac Constitutione, ut rectè docet Diana *p.* 4. *resol.* 7. & Bordonus *cap.* 23. *n.* 40. Quia non sollicitavit sub colore, aut simulatione confessionis habendæ, sed per accidens ex confessione audita occasionem accepit sollicitandi extra confessionem. Quare in his casibus non committitur abusus sacramenti. Quia non datur abusus materiæ, vel formæ, vel confessionis sacramenti. Non enim irrogatur injuria sacramento, quòd aliquis per accidens accipiat occasionem male agendi extra Sacramentum. Sic etiam non censetur, quòd quis sollicitet occasione, vel prætextu confessionis, si mulier omnino extra confessionem, & confessionarium, ac sine aliqua simulatione, ac prætextu confessionis sollicitata nolit consentire, nisi confessarius promittat postea ejus confessionem audire, Quia in hoc casu solus consensus mulieris sollicitatæ dependet à confessione, non ut de præsenti, & actu, verè, vel per speciem habita, sed ut in futurum habenda post factum. Ita Bordonus *d. cap.* 23. *num.* 41.

At verò negari non potest, quin hoc in casu interveniat aliquis abusus Sacramenti; imò aliqualis ratio simoniæ, se obligare ad confessionem audiendam ex pacto, ut detur copula carnalis.

Quarta regula est. Inquisitores, ac locorum Ordinarii procedentes contra hujusmodi sollicitantes, tanquam contra suspectos de hæresi, quos culpabiles repererint, eos pro criminum qualitate ac circumstantiis puniant suspensione ab executione Ordinum, privatione beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcunque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non privatione vocis activæ, & passivæ, si Regulares fuerint, pœna exilii, damnationis ad triremes, & carceris etiam in perpetuum absque spe gratiæ, aliisque pœnis Eos quoque, si pro delicti qualitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione Curiæ seculari puniendos tradunt.

Itaque pœnæ infligendæ sollicitantibus sunt Inquisitoribus arbitrariæ, ita tamen, ut juxta delicti qualitatem imponi possint, etiam gravissimæ, ac etiam traditionis Curiæ seculari. Plura igitur consideranda sunt ad regulandum hoc arbitrium, ut si Confessarius semel tantùm, vel pluries sollicitaverit. Si marem, vel fœminam. Si monialem, vel Religiosum. Si mulierem honestam, vel impudicam. Si verbis, vel etiam vi. Si ad actus turpissimos, vel minùs turpes, aut solùm ad osculum, & tactus. Si sollicitatio obtinuit, vel non obtinuit effectum. Si in Confessionario, vel in actu Confessionis turpia executioni demandata. Si confessarius actus, ad quos sollicitavit, non esse peccata docuerit. Si, ut effectum consequatur, medicamenta inducentia somnum, vel alienationem sensuum, vel sterilitatem adhibuerit, vel etiam maleficiis usus fuerit, & ex istis damnum, vel etiam mortem intulerit, aliaque hujusmodi, ex quibus delictum, vel minui, vel augeri contigerit, atque a deo mitior, vel gravior pœna infligi debeat, attenta etiam consuetudine, & praxi Tribunalis Inquisitionis & considerato etiam, an delictum sit, an ne plenè probatum.

Ex recensitis autem pœnis, suspensio ab audiendis confessionibus regulariter omnibus imponitur, at non semper perpetua, sed aliquando imponitur ad tempus certum, vel arbitrarium, maxime si reus de delicto non sit plenè convictus, aut confessus. Sicut & aliquando suspenditur ab audiendis confessionibus mulierum tantùm. Plerumque etiam Regulares puniuntur exilio, & mandatur eorumsuperioribus ne collocent illos in locis, in quibus deliquerunt. Si verò crimen sit valde grave, damnantur ad triremes, ut si sollicitatio sit completa cum mare, idque vel in perpetuum, vel ad tempus juxta delicti qualitatem. Regulares item puniri privatione præcedentiæ, & ut teneant ultimum locum in Choro, aliisque locis, ac etiam ut eorum sententia legatur iterum in eorum Conventibus coram omnibus Religiosis, ait Castropal. *d. tr.* 4. *disp.* 9. *sect.* 11. *n.* 2. cui subdit Carena *p.* 2. *tit.* 6. *n.* 8. quòd mandatur etiam, ut sententia legatur in proximo Capitulo generali, additque Castropalaus, quòd si sollicitatio fuerit plurium pœnitentium, & Religiosus cum illis turpitudines graves commiserit, post lectam sententiam, ab omnibus Religiosis flagelletur. At Delbene *d. dub.* 237. *sect.* 14. *n.* 18. non censet improbabilem sententiam Bordoni *cap.* 23. *q.* 58. *n.* 114. existimantis, non posse præcipi: ut hujusmodi sententia legatur in Capitulo generali. Quia nullibi Inquisitoribus concessum est jus in Capitulo generali Religiosorum, & pariter volentis, quod Inquisitores non possint Religiosum privare loco suæ præcedentiæ. Quia in Constitutione Gregorii XV. hæc pœna non exprimitur.

Verùm ubi est quæstio de potestate Inquisitorum, certum est, illos has, atque alias pœnas, posse pro delictis contra fidem imponere, & in Constitutione Gregorii XV. apertè continetur, quòd Inquisitores possunt punire hujusmodi delinquentes aliis pœnis, præter memoratas in dicta Constitutione. Si autem possunt eos privare voce activa, beneficiis, & officiis, multò magis possunt illos punire minoribus pœnis, aliàs enim in concernentibus causas fidei & Capitula generalia, & Religionis Judices Inquisitoribus subjiciuntur.

Quod verò ad factum, observandum est in casibus singularibus quid expediat. Nam, cum pro hoc crimine, si sit grave, imponantur graves pœnæ, privationis vocis activæ & passivæ, ac officiorum & dignitatum, imò & carceris, etiam perpetui, ac triremium, quæ palam executioni mandantur, hæc sufficiunt ad aliorum exemplum, ut timorem illis incutiant. Si verò in aliqua Religione nimis frequens esset hoc crimen posset imponi, ut legatur sententia, etiam in Conventibus. Id semper utilius erit ad aliorum exemplum imponere pœnas graviores, quoad fieri potest. Nam si aliàs pœnæ sint leves, lectio sententiæ parum proderit, imò damnum poterit inferre. Pœnam verò privationis præcedentiæ in sedendo, loquendo posse multùm valere & pro corrigendo delinquente & pro incutiendo timore aliis, manifestum est iis, qui sciunt quanti hæc præcedentia æstimetur inter Religiosos.

Inquiunt etiam Castropalaus *d. sect.* 11. *n.* 3. ac Delbene *cit. sect.* 14. *n.* 21. quòd si reus ante duorum testium depositionem sponte se deferat, in carcerem secretum non includitur, sed lite contestata, & causa conclusa, abjurat, & ab audiendis Confessionibus suspenditur, aliisque pœnis ulterius etiamsi pluries sollicitaverit, non afficitur. Quòd si semel tantùm sollicitaverit, & ante ullius testis depositionem se detulerit, graviter reprehenditur, & ulteriùs non punitur. Idemque fit in casu, quo mulieres sollicitatæ negent se fuisse sollicitatas.

At verò dicendum est, quod etiamsi Confessarius se deferat, si hoc facit, postquam etiam semel fuerit denunciatus, proceditur contra illum, prout de jure. Si autem omnino sponte comparuit, abjurat de vehementi, & si casus sit gravis aliquando mediantibus suis superioribus removeri potest à loco commissi delicti, injuncto eisdem superioribus ut de loco habitationis certiorem reddant S. Congregationem, & nullatenus ei concedatur licentia audiendi confessiones. Hæc enim arbitraria sunt S. Congregationi.

Quando autem, & quomodo torquendus qui negat sollicitationem. Quomodo torquendus super intentione, & quomodo abjuret, jam diximus suo loco.

Quinta regula est. Ne delictum tam enorme, & quod est difficilis probationis ex defectu probationis maneat impunitum, datur facultas Eminentissimis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, generalibus Inquisitoribus, ut arbitrio suo judicent, an hoc delictum testibus singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis, sit probatum, etiam ad effectum tradendi eum brachio seculari.

Circa hanc regulam animadvertendum est primò, quòd cùm delictum sollicitationis sit enorme, nec possit probari, nisi per testes singulares, & plerumque nisi per mulieres, aut mares minores, ideo etiam ad effectum damnandi reum in pœnam ordinariam, probari potest per testes singulares, etiam mulieres, aut mares minores, accedentibus aliis

præsumptionibus,

præsumptionibus, indiciis, aut conjecturis, ut per Param. *lib.* 4. *q.* 10. *n.* 140. Sanctarel. *cap.* 44. *dub. un. concl.* 3. *n.* 4. Ricc. *p.* 2. *resol.* 440. Zanard. *tom.* 2. *cap.* 111. Peyr. *fo.* 2. *ad Constit. Gregorii XV.* §. 7. *n.* 21. Caren. *p.* 2. *tr.* 6. *n.* 51. Suar. *to.* 4. *de pœnit. disp.* 31. §. 8. *n.* 1. ac Delbene *d. dub.* 237. *sect.* 14. *n.* 2.

Secundò est animadvertendum, quòd hujusmodi testes, aliàs de jure inhabiles, non sunt omni exceptione majores, sed admittuntur cum suis imperfectionibus, & ut imperfecti, eorumque imperfectio supplenda est vel ex magna eorum multitudine, vel ex concursu aliarum præsumptionum, indiciorum, & conjecturarum. Imo Delbene *loc. cit. petit.* 1. *n.* 4. existimat, quod ne horum quidem imperfectio suppleri possit ex ipsorum numero, nisi concurrant alia adminicula, indicia, & præsumptiones. Quod probat ex Constitutione Gregorii XV, ponderando verba illa *concurrentibus indiciis*, &c. Verbum enim *concurrentibus*, quod est ablativi absoluti importat conditionem L. *si debitor* §. 1. *ff. quib. mod. pign. vel hypot. solu.* Bartol. *in l.* 1 *q.* 3. *ff. de. cond. & demonstr.* Ludovis. *dec.* 492. *n.* 7. aliique communiter. Deficiente autem conditione deficit concessio *l. Mævius & l. qui hæredi ff. de cond. & demonstr.* Necesse igitur est, quòd cum testibus singularibus simul concurrant alia adminicula, indicia, & præsumptiones. Quod probatur ex dictione *&*, ibi *& concurrentibus*, quæ requirit concursum copulatorum, Rota *dec.* 115. *n.* 8. *p.* 1. *divers.* Attamen dicitur, quòd numerus testium potest esse talis, ac tantus, quòd secum ferat indicium ac præsumptionem sufficientem ad hoc, ut Judex convincatur, & judicet delictum esse plenè probatum.

Animadvertendum tertiò est, an testes præter inhabilitatem, quam habent de jure communi ex singularitate, & sexu, sint ex alia ratione inhabiles. Atque iccirco, quòd non sit admittendum testimonium meretricum, aut vilium feminarum ex Paramo, Sousa, Acugna, & Freita, tradit Delbene *loc. cit n.* 7. Quia testes singulares admissi, debent saltem esse idonei: quod verum est ad effectum convincendi reum; ut per Sanctarel. *cap.* 44. *n.* 6. & Caren. *d. tit.* 6 *n.* 60. Meretricibus autem difficiliùs creditur, ideoque ubi hujusmodi mulieres malæ famæ denunciant, S. Officium debet denunciationes recipere, sed non ideo sunt confessarii vocandi, sed expectandum est, ut alia superveniant indicia, ut per Carenam *loc. cit. n.* 54.

Fœminam tamen, quæ sollicitationi consensit, estque socia criminis, esse testem sufficientem, neque hanc exceptionem posse illi opponi, vult idem Carena *n.* 56. Movetur, quia hujusmodi fœminæ ex decretis S. Congregationis tenentur denunciare Confessarium; ita tamen, quòd earum consensus non scribatur in actis. At respondetur, quòd id factum est non ad præbendum majorem vim earum testimonio, quàm sit illa, quæ competit de jure, sed ad consulendum honori denunciantium, & ut non retrahantur à denunciando ex eo prætextu, quòd non teneantur denunciare proprium delictum, cùm non possit negari, quin inferatur præjudicium illatum honori, si earum delictum maneat scriptum in actis. Nec sumus in casu, in quo delictum non potest per se probari, nisi per consocium, quia id non comprobatur, nisi ubi delictum non potest committi, nisi secretò, & cum socio. In nostro autem casu per accidens omnino est, quòd fœmina sollicitata consenserit, ac proinde hoc delictum per se potest probari à non socio. Ideoque tandem fatetur idem Carena, quod hoc habet magnam difficultatem. Et quidem dicendum est, quòd, nisi adsint alia indicia sufficientia testis socius criminis non sufficit ad convincendum.

Ex quibus colligitur primò, quòd unica mulier denuncians confessarium de sollicitatione, non probat semiplenè, & ideo non facit indicium ad torturam, imò neque ad carcerationem. Quia non est testis omni exceptione major. Ad torturam autem dandam requiritur, quòd delictum sit semiplenum ac probatum. Eadem ratione unius mulieris testimonium non sufficit ad carcerationem, eoque magis quia carceratio in S. Officio infert infamiam, ut per Rotam apud Cæsarem de Grassis *dec.* 184. *n.* 4. Et in dubio, stante pari qualitate, confessarius prævalet fœminæ pœnitenti, Royas *de hæret. p.* 2. *n.* 32. Simanch. *de cathol. instit. tit.* 16. *n.* 2. Carena, fusè id probans contra Canterum *d. tit.* 6. *n.* 69. & *n.* 64. aliique communiter. Sufficit tamen unicus testis, adjuncta mala fama confessarii, vel si reus, aliàs suspectus, aut pro hoc delicto aliàs punitus fuit in S. Officio, vel adsint alia indicia, aut præsumptiones, ut tradunt Doctores citati, aliique promiscuè, quorum plures refert Delbene *d. sect.* 14. *petit.* 1. *n.* 18.

Deinde colligitur, quòd ne duæ quidem mulieres honestæ plenè probant sollicitationem, quia neutra est testis omni exceptione major, & neutra semiplenè probat, Sanctarel. *de hæres. d. cap.* 44. *n.* 6. Peyrin. *ad Constit. Gregorii XV.* §. 7. *n.* 13. Carena *d. tit.* 6. *n.* 59. ac Delbene *de. petit.* 1. *n.* 10. Quicquid in contrarium dixerint Paramus *lib.* 3. *q.* 10. *n.* 152. aliique nonnulli. Cùm verò aliqui existiment ad plenam hujus delicti probationem sufficere tres mulieres fide dignas, alii dicant, requiri saltem quatuor, alii majorem numerum, res hæc arbitraria est Judici, & nisi dicta harum mulierum sint adminiculata, aliis indiciis, ac præsumptionibus, cùm aliàs ipsæ sint mulieres, & singulares, ex solo pauco earum numero, non suppletur earum defectus, maxime cùm de jure communi ex testibus singularibus non consurgat plena probatio, ut per Farinac. *in prax. q.* 64. *n.* 59. cumque in S. Officio non publicentur nomina testium, necesse est, quòd probationes ipsæ de se sint certiores, & clariores.

Denique. Animadvertendum est, quòd in hac Constitutione Gregorii XV. non habilitantur magis testes singulares, ut admittantur in S. Officio, quàm sint habilitati ex juribus antiquis ejusdem S. Tribunalis; sed Pontifex supponens de jure testes singulares, præsertim in materia sollicitationis esse admittendos, sciens verò, dubium esse, quando probent, & judicium in hoc dubio esse apud Judicem, simulque considerans facilè posse contingere, ut si maxima animadversione non observarentur qualitates denunciatorum, ac denunciantium, aliæque circumstantiæ, fieret præjudicium veritati, ac justitiæ, hoc judicium reservavit Eminentissimis Cardinalibus, generalibus Inquisitoribus. Ideoque inferiores Inquisitores receptas denunciationes contra sollicitantes ad S. Congregationem transmittere debent, ejusque mandatum expectare, antequam ad ulteriora procedant; quia illorum non est judicare, an delictum per testes singulares sit sufficienter probatum vel ad carcerationem, vel ad torturam, vel ad condemnationem. Ut tamen edoceant, certioresque faciant Eminentissimos Patres, poterunt priùs examinare testes circa indicia, conjecturas, & præsumptiones, quemadmodum etiam tenentur investigare qualitates Confessarii, ac mulierum, & marium sollicitatorum, cujus famæ sint, an denunciantes sponte venerint, an coacti, an moniti à Confessariis, & an adsint alia indicia, & quæ, ac quomodo probata,

proba, & alia hujusmodi, quæ necessaria sunt ad dirigendum arbitrium S. Congregationis.

Sexta regula est. Confessarii quos noverint fuisse ab aliis sollicitatos ad turpia, vel habuisse cum pœnitentibus tractatus inhonestos, tenentur monere de obligatione denunciandi Judicibus fidei sollicitantes, aut tractantes. Quod si hoc officium prætermiserint, aut docuerint, eos non teneri ad illos denunciandum, Ordinarii, vel Inquisitores eos punire non negligant.

In hoc autem Pontifex non imponit pœnitentibus obligationem deponendi Confessarios sollicitantes, sed illam supponit. Solùm enim mandat Confessariis, ut pœnitentes sollicitatos moneant de obligatione denunciandi sollicitantes. Hanc igitur obligationem non inducit, sed supponit. Extat autem hæc obligatio in edictis S. Congregationis S. Officii, & Inquisitorum, non ex peculiari statuto hujus Constitutionis, quicquid contra firmet Carena *d. p. 2. tr. 6 n.* 127. Hujusmodi autem edicta vim legis perpetuæ habent; quod præcipuè certum est de edicto edito à S. Congregatione Universalis Inquisitionis *sub die.* 3. *Januarii* 1623. Aliud non absimile edidit eadem S. Congregatio *sub die* 10. *Martii* 1666. ac alibi sæpe, cujus exemplar suo loco adduximus, in quo tamen assignat terminum unius mensis ad denunciandum. Quod pariter vim habet legis perpetuæ. Nam hæc edicta procedunt à Tribunali perpetuo per modum legis usque ad promulgationem novorum edictorum, ut per Suarez *de fide disp.* 20. *sect.* 4. *n.* 11. Peyr. *ad Constit.* 9. *Pauli V.* §. 2. *n.* 27. Dianam *p.* 4. *tr.* 5. *resol.* 41. Fagundez *de præc Eccles. p.* 2. *lib.* 4 *cap.* 3. *n.* 31. Leand. *tr.* 5 *disp.* 13. *q.* 59. ac Delbene *d dub.* 237. *sect.* 13. *petit.* 5. *n.* 8.

Terminus autem dierum datus ad denunciandum, non est datus, tanquam terminus obligationis ad denunciandum, quo finito, cesset obligatio, sed ut denunciatio ultra illum non differatur. Ideoque hic terminus ita currit è momento ad momentum, ut tamen nec ignoranti, neque impedito currit. Incipit verò à die notitiæ edicti, ac hæresis, vel sollicitationis, aut criminis de hæresi suspecti. Quòd autem ad ignorantem edictum aut crimen hæreticale incipit à die notitiæ supervenientis, & quoad impeditum incipit etiam à die cessantis impedimenti. Impedimentum enim legitimum æquivalet ignorantiæ, & quia pœna excommunicationis gravissima non imponitur, nisi in contumacem. Non est autem dicendus contumax, qui si cessante legitimo impedimento statim non denunciat, sed si non denunciat in termino assignato, ut per Dianam *d. resol.* 41. & post Freitam tradit Delbene *ubi supra n.* 4. Leander *d. disp.* 13 *q.* 56 Trullench *lib.* 1. *in decal. cap.* 3. *dub.* 18. *n.* 14. Quamvis possit contingere, quòd aliquis teneatur denunciare priusquam finiatur terminus, ut si ex dilatione timeatur damnum publicum, vel fuga confessarii, qui alibi quoque nociturus est. Vel si quis prævideat quòd, si non præveniat terminum, habiturum est impedimentum ad denunciandum, Leand. *d q.* 60. ac Delbene *ibid. n.* 6. Qui autem in termino non denunciat, unicam excommunicationē incurrit, etsi peccet toties, quoties potest denunciare, & non denunciat. Quia excommunicatio lata est contra non denunciantes in termino statuto, non autem contra non denunciantes toties quoties possunt, ac debent,

Hæc autem edicta universalia sunt, tam pro obligatione denunciandi, quàm pro personis delinquentibus, quæ denunciari debent. Quisquis igitur ille sit, & cujusvis dignitatis, status, gradus, & conditionis, qui sciat, vel notitiam habeat alicujus delinquentis ex nominatis in ejusmodi edictis, debet illum dènunciare S. Officio, vel loci Ordinario. In hoc autem est speciale decretum Alexandri VII. emanatum *sub die* 8. *Julii* 1660. obligans Regulares ad hanc denunciationem. Et quanquam Simanchas *de cath. instit. tit.* 39. *n.* 37. post Abulensem *q.* 3 *in cap.* 13. *Decr.* senserit, quòd filius non teneatur denunciare patrem hæreticum, & alii voluerint, quòd uxor non teneatur denunciare maritum, cui opinioni favet Genuensis *in pr. cap.* 18. *n.* 9. & Gutier. *Canon. q. lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 57. de quo nos suo loco, communis tamen ac vera sententia tenet contrariū. Eam præ cæteris tenent Pegna *in Direct. p.* 2. *com.* 15. *lit. B.* Paramus *lib.* 3. *q.* 8. *n.* 83. Farinac. *de hæres. q.* 197. *n.* 40 Suarez *de fide disp.* 20. *sect.* 4. *n.* 21. Sanctarel. *de hæres. cap.* 9. *n.* 14. Diana *p.* 1. *tr.* 4. *resol.* 4. Caren *p.* 2. *tr.* 9. *n.* 10. & apud eum Zuhius, & Cantera. Neque in hoc filius sibi præjudicat, quia filius denuncians patrem hæreticum evadit omnes pœnas prolatas in filios hæreticorum, ut per Pegnam *d. com.* 15. Sanctarel. *loc. cit. n.* 15. Suarez *d. sect.* 4. *n.* 22. & Caren. *d. tit.* 9. *n.* 11. de quo etiam & nos alibi. Non esse autem in hoc eandem rationem de hæretico, ac de suspecto de hæresi, quia ex doctrina Panormitani *in cap. inter sollicitudines n.* 6. *de purg. Canon.* dispositio loquens de hæreticis, non habet locum in suspectis de hæresi, tradit Ricciul. *de jur. person. lib.* 5. *cap.* 19. *n.* 27. & Sanctarel. *cap.* 33. *n.* 6. & ideo quòd nec filius patrem neque uxor virum, de hæresi dumtaxat suspectum teneantur denunciare, aliqui tenent. Quod probabile putat Carena *d. tit.* 9. *n.* 13. etsi oppositum judicet esse verius ex generalitate verborum quibus loquuntur edicta, allegans ad id zanchium, Lazarium, & Binsfeldium.

Ex parte verò denunciandorum pariter edicta generaliter loquuntur. Est tamen observandum, quòd in edictis generalibus editis à supremis Inquisitoribus nomine Inquisitorum, aut S. Officii comprehenditur multò magis supremum Tribunal, & nomine Ordinarii multò magis comprehenditur summus Pontifex. Et ideo satisfacit edicto etiam particulariū Inquisitorum, qui denunciat hujusmodi delinquentes supremo Tribunali. Imo si quis sit extra diœcesim, non est necesse, quòd ad diœcesim, in qua est delinquens accedat, sed sufficit, si denunciet coram Inquisitore, aut Ordinario illius diœcesis, in qua reperitur. Hoc enim sufficit ut Sacro Tribunali delictum innotescat.

Ideoque dum quæritur, an denunciandi sint Episcopi, vel Legati à Latere, aut Nuncii, aut Officiales Papæ, aut Inquisitores hæretici, vel de fide suspecti, contra quos procedere non possunt Inquisitores inferiores, licet denunciationes contra illos possint recipere, respondetur, quòd denunciandi sunt. Et quamvis Leander *d. disp.* 13. *q.* 30. & 51. ac Delbene *d. dub.* 1237. *sect.* 12. *n.* 5. *ac seq.* dicant, hos non esse denunciandos Inquisitoribus inferioribus, id tamen non admittitur. Quia si nō possunt, vel nolunt eos immediatè denunciare supremo Tribunali, tenentur eos denunciare Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis, ut delictum innotescat S. Officio. Et quia obligatio denunciandi non requirit in Judice, nisi facultatem recipiendi denunciationes juridicas. Hoc enim sufficit, ut delictum Sacro Tribunali innotescat, ut postea secundum ejus leges contra delinquentem procedatur

Non esse autem denunciandos sollicitantes, nisi de delicto sint infamati, existimarunt plures, quos referunt Diana *d. p. tr.* 4. *res.* 1. Leand. *d. disp.* 13. *q.* 5. ac Delb. *loc. cit. sect.* 13. *n.* 6. Verùm hæretici, quo magis sunt occulti, eo pejores sunt. Hinc solennitas infamiæ non ampliùs requiritur, maximè in S. Officio, in quo ex simplici denunciatione proceditur contra delinquentes. Quod puritas fidei, ac Reipublicæ bonum postulat, ne semina hæresum occultè serpant. Et ideo hæretici, ac de hæresi suspecti etiam occulti denunciandi sunt, atque adeo sollicitantes, licet non sint de delicto diffamati, Carena *d. tit.* 6. *n.* 127. Suarez *de fide disp.* 20. *sect.* 4 *n.* 7. Peyr. *ad d. const.* 9 *Pauli V.* §. 2. *n.* 25. & alii bene multi, quos refert, ac sequitur Leander *d. disp.* 13. *q.* 5.

13. q. 5. Diana *d. p.* 1. *tr.* 5. *resol.* 1. ac Delbene *d. dub.* 237. *sect.* 13. *n.* 6.

Ideoque denunciari etiam debet delinquens in materia fidei, & qui sollicitavit ad turpia juxta superiùs explicata, non obstante, quòd qui hujus criminis est conscius, illud sciat sub obligatione secreti naturalis. Quia contra bonum publicum & in damnum sacramenti Pœnitentiæ, & accedentium ad illum est, quòd sollicitantes hujusmodi non arceantur ab audiendis confessionibus, & non puniantur, ut per Carenam *d. tit.* 6. *n.* 223. Castropal. *d. tr.* 4. *disp.* 3. *pun.* 10. *n.* 5. Dian. *p.* 1. *tr.* 4. *resol.* 14. & *p.* 4 *tr.* 15. *resol.* 32. Leand. *d. disp.* 13. *q.* 45. ac Delbene *d. sect.* 13. *n.* 8. Ubi quòd verum est, etiamsi secretum sit juratum. Quod multò magis postea comprobatur, si denunciandus sit hæreticus.

Limitant tamen hoc aliqui, ut non teneatur denunciare sollicitantem vir doctus, cui consilii petendi causa sollicitatio fuit manifestata. Nam alias hæc obligatio cederet in præjudicium boni communis. Fideles enim non auderent consilium petere. Id fundatur in d. decreto Alexandri VII. sub 8. Julii 1660. quod Regulares, à quibus consilium petitur circa obligationem denunciandi, obligat solùm ad hoc, ut moneant, & obligent ad denunciandum, ibi: *At propterea eosdem debere omnes, & quoscumque etiam alios, à se consilium, ut supra petentes, monere, & obligare ad denunciandum.* Ac ita, quòd in hoc vir doctus, à quo consilium petitur, non teneatur denunciare sollicitationem cognitam, tradit Leander *d. q.* 45. post Trullench. *lib.* 1. *in decal. cap.* 3. *d. dub.* 18. *n.* 90. Trimarch. *disp.* 6. *sect.* 1. & 2. & Hurtad. *disp.* 2. *difficult.* 3.

Opinio autem illorum, qui asserebant, præmittendam esse correctionem fraternam, antequam delinquens in materia fidei denuncietur, damnata est ab Alexandro VII. in eodem decreto *sub.* 8. *Julii* 1660.

Ex hoc autem deduci videtur, quòd etiam emendatus debeat denunciari. Nam ideo videbatur, quòd præcedere deberet correctio, quia sperari poterat emendatio. Si igitur emendatus non deberet denunciari, præcedere deberet correctio, quæ, si præcedere non debet, videtur, quòd nec emendatio excuset. Sed consequentia non valet, quia non satis est spes emendationis. Et propterea multorum sententia est, quòd non sit necesse denunciare sollicitantem, quem constat esse emendatum, pro qua Leander *d. disp.* 13. citat viginti sex Doctores. Sed ex illis plures scripserunt longè ante recentiora decreta Pontificum, & loquuti sunt de obligatione denunciandi, quæ ex lege naturali, ac divina, non autem de illa, quæ oritur ex Edictis S. Officii. Ratio verò hujus opinionis, quæ est, quòd finis legis, obligantis ad denunciationem, est correctio, & emendatio delinquentis, non probat, nisi in foro animæ, vel in extrajudiciali judicio, atque in correctione fraterna, quæ solam salutem delinquentis maximè intendit. At forum judiciale intendit bonum publicum, ac impedire ac punire delicta, & per delictorum punitionem incutere timorem, non modò delinquenti, sed aliis omnibus. In delicto autem sollicitationis intendit impedire abusum sacramenti pœnitentiæ, ac præsertim ne qui sollicitavit unam, alias mulieres sollicitet, nevè alii tam horrendum crimen committant.

Qua etiam in re considerandum est, quòd non ita facilè constare potest de vera emendatione hæretici, vel suspecti de hæresi, cùm tales sæpissime correctionem fingant, vel ut magis magisque noceant, vel ut pœnas fori exterioris evadant. Nec simplex emendatio sufficit, sed requiritur perseverans, & constans, & ut talis comprobata. Nam aliter non tollitur periculum, ne sollicitans iterum delinquat. Ideo non juvat dicere cum Genuensi *in pr. d. cap.* 18. *n.* 6. Diana *d. p.* 1. *tr.* 4. *resol.* 3. ac Leandro *d. disp.* 13. *q.* 8. illum censeri emendatum, qui consequutus est aliquod Jubilæum, vel cum Felino *in cap. testimonium de testib.* & cum eodem Leandro, illum quoque censeri emendatum, qui ad Sacramentum pœnitentiæ accessit. Nam experimento compertum est, pœnitentes, & confessos sæpius recidere in eadem peccata ex humana fragilitate. Unde ex confessione, vel communione, ac Jubilæo suscepto forum exteriorem non judicat sublatum periculum relapsus, nisi per gravem pœnam incusso timore, qui, tanquam frænum coërceat delinquentes, ne iterum, atque iterum peccent.

Pariter si contingat, quòd mulier sollicitata, Confessario qui illam sollicitavit, confessa fuerit tertiò, vel quartò, & nullum signum libidinosi animi cognoverit, est aliquale signum emendationis; sed tamen non est sufficiens, quamvis ex Sousa, Diana, & Trullench. illud, ut sufficiens, referat Leander *d. q.* 8. Nam potest id evenire ex eo, quia Confessario fuerit sublata omnis spes ex constanti mulieris repulsa, quam tulit, quando priùs illam sollicitavit, & quòd interim alias pœnitentes sollicitet.

Fateor, quòd perseverantia in vita honesta per longum tempus ut per triennium, sit signum emendationis, ut ex Freita, Rivio, Farinacio, & Alciato tradit Leander *d. q.* 8. sed quomodo constare poterit alicui, quòd confessarius, qui semel aliquam sollicitavit, nullam aliam per triennium sollicitaverit, cùm hoc crimen occultissimè patretur? Solùm potest haberi aliqua conjectura ex eo, quòd nihil contra talem confessarium fuerit auditum. Quòd sanè non evenisset, si alias sollicitasset. Verisimile enim est, quòd si hoc fuisset, ab aliqua fuisset denunciatus. Sed hoc nequit ei suffragari, qui scit sollicitationem ante longum tempus; quia solùm pauci dies conceduntur pro termino ad denunciandum.

Quapropter aliorum sententia est, quòd sit obligatio denunciandi, etiam emendatum. Eam, præter antiquos, qui loquuti sunt de hæretico denunciando, tradit Suarez *de fide disp.* 20. *sect.* 4. *n.* 13. Quia hæretici fingunt se emendatos; & quia fortasse dogmatizarunt, & infecerunt alios; & quia forsan ab aliis fuerint infecti. Est autem necesse, ut hæc innotescant Judicibus fidei; illamque in hac specie sollicitationis tenent Carena *d. p.* 2. 6. *n* 128. & *tr.* 9. *n.* 29. ubi tamen oppositam sententiam indicant non carere probabilitate, Diana *d. p.* 1. *tr.* 4. *resol.* 8. Delbene *d. dub.* 237. *sect.* 13. *petit.* 2. *n.* 5. Castropal. *d. tr.* 4. *disp.* 19. *pun.* 10. *n.* 1. At de his, aliisque hujusmodi suo loco sat dictum.

Non autem excusatur à denunciando in causa fidei, qui non potest probare; quia denuncians probare non tenetur. Et in Sacro Tribunali etiam ex testibus singularibus proceditur contra hæreticum, vel de hæresi suspectum.

Neque excusatur mulier sollicitata, ex quo consenserit sollicitationi, sitque veluti socia criminis. Hanc enim teneri denunciare, quamvis non teneatur dicere, se consensisse, &, si hoc dicat, id non esse in actis scribendum, habetur ex decreto S. Congregationis Universalis Inquisitionis jussu fel. rec. Urbani VIII quòd ex Bariola refert Carena *p.* 2. *tr.* 6. *n.* 57. Non est tamen eadem ratio de hoc delicto ac de alliis delictis ad S. Officium spectantibus. Nam vigore dicti decreti S. Officium non vult cognoscere de delicto mulieris, sollicitationi consentientis; imò non vult, quòd de hoc consensu habeatur aliqua ratio, sed vult, quòd non referatur in acta, atque adeo, quòd de illo non habeatur consideratio, ac si non fuisset; sicq; mulier consentiens nulli alii periculo se exponit nisi quòd ejus delictum innotescat Inquisitori, ac Notario, si Confessarius id revelet, vel ipsa

vel ipsa id confiteri velit, absque eo tamen, quòd id scribatur in actis, & absque eo, quod Judex possit de hoc reum, vel ipsam denunciantem interrogare tanquam de re non spectante ad S. Officium, sed ubi complex in delicto hæresis, vel suspicionis de hæresi puniendus est in S. Officio, non tenetur alium complicem denunciare. Nam hoc nequit fieri, nisi simul delinquens, socius criminis denunciet seipsum, ad quod non obligatur, ut suo loco diximus.

An autem hæreticum, vel suspectum de hæresi teneatur denunciare, qui certò scit illum ab alio denunciatum fuisse in S. Officio; & an mulier sollicitata teneatur denunciare sacerdotem sollicitantem, quando certò scit, illum spontè comparuisse in S. Officio, & proprium delictum confessum fuisse, legatur Trasmiera de denunciationibus *quæst.* 3. *cap.* 2. *n.* 3. de quo & nos alibi. In partibus autem Infidelium, ubi non servatur decretum S. Officii, absolvuntur pœnitentes sollicitati, si renuant denunciare sollicitantem.

Denique ab excommunicatione denunciandi excusat metus cadens in constantem virum. Quia hæc obligatio, quatenus est ex lege positiva, non obligat cum periculo damni gravis, cujus timor cadat in constantem virum. Ita videtur sentire Pegna *in direct. p.* 2. *q.* 53. *con.* 78 ac docent Sanchez *lib.* 4. *de matr. disp.* 4. *n.* 9. Sanctarel. *de hæres. cap.* 9. *n.* 16. Peyr. *ad Constit.* 4. *Gregorii XV.* §. 9. *n.* 28. Diana *p.* 1. *tr.* 4. *resol.* 7. *& p.* 4. *tr.* 5. *resol.* 36. & signatè *resol.* 19. Scaccia *de judic. cap.* 56. *n.* 24. Farinac. *q.* 197. *n.* 53. Trullench. *lib.* 4. *in decal. cap.* 3. *disp.* 18. *n.* 86. Leander, alios referens *d. disp.* 13. *q.* 44. ac Delbene *disp.* 13. *petit.* 10.

Diximus autem, quatenus obligatio est ex lege positiva. Nam ubi fit sermo de hæretico, & simul in casu talis necessitatis, in quo lex divina obliget intuitu boni communis ad denunciandum etiam cum gravi periculo, non excusat metus cadens in virum constantem. Ideoque distinguendum est inter denunciationem hæretici, ac suspecti de hæresi, maximè ubi suspicio est ex juris fictione, ac præsumptione. Propterea Carena *d. tit.* 9. *n.* 34. non excusat ab obligatione denunciandi ratione metus, si agatur de hæretico formali dogmatizante in perniciem Reipublicæ. Tunc enim intrat obligatio ex jure divino. Excusat verò, si agatur de suspecto de hæresi. At ego subjungo, quòd etiam ubi suspicio est naturalis, sive ex natura actus, estque gravis, potest esse, quod subintret obligatio divini juris. Et ideo meliùs universim dicitur, quòd metus excusat ab hac obligatione, quatenus est ex jure positivo, non autem quatenus est ex jure divino, obligante etiam cum periculo damni gravis.

Sed quid, si cum minis fœmina sollicitet Confessarium, & ille consentiat? Ut si mulier vocans Confessarium prætextu confessionis, illi accedenti dicat, se nolle confiteri, & confessorem invitet ad turpia, illique minetur, quòd si non consentiat, clamabit, & dicet sibi vim inferri à Confessario. Hunc non esse metum cadentem in virum constantem ex Peyrino *ad Constit.* 4. *Gregorii XV.* §. 3. *n.* 9. ait Carena *d. tit.* 6. *n.* 69. Quia ex tali clamore non potest probabiliter timere aliquod damnum.

At verò licet dari possit casus, in quo Confessarius non possit probabiliter timere damnum, quia prudenter possit aliquo modo clamorem impedire, vel quia mulier non sit talis, cui competat id facere, negari tamen non potest, quin ex tali clamore, si fieret, grave damnum immineret Confessario, attenta præsertim qualitate mulieris, ac illius parentum. Sed ponamus, quod mulier sit potens, ac minetur verbera, vulnera, mortem, ac, spectatis circumstantiis, prudenter timeri possit ac debeat, quòd illa minas exequutura sit; In hoc casu existimat Delbene *d. dub.* 237. *sect.* 13 *petit.* 10. *n.* 3. Confessorem non esse denunciandum. Quia, si turpes sermones habet cum muliere, illos habet sollicitatus, non sollicitans, & in hoc Confessarius potiùs passivè se habet. Et quia durum est asserere, quòd mulier, quæ induxit Confessarium, fuitque mali causa, teneatur postea illum Judici denunciare. Quare *ibidem n.* 8. judicat non omnino improbabile cum Freita *de confes. sollic. q.* 11. *n.* 36. quòd Confessarius in hoc casu nedum sit denunciandus, sed quòd neque puniri possit per S. Officium, cùm non sit de ejus foro.

Hoc tamen ultimum nullo modo admittendum est. Nam manifestum est, quòd Confessarius prætextu confessionis committens turpia, vel illis consentiens, abutitur Sacramento pœnitentiæ, ac delinquit in Constitutionem Gregorii XV. Et licet metus, cadens in constantem virum minuat quodammodo rationem culpæ, à culpa tamen gravi non excusat, *cap. Sacris de iis, quæ vi*, & docent D. Thomas 1. 2. *q.* 6. & cum eo Theologi omnes, atque adeo non excusat ab omni pœna, at proinde mitiùs reus est puniendus. Quare denunciandus, ut puniatur ex Carena *d. tit.* 6. *n.* 95.

An autem hic Confessarius abjurare debeat, negat Sousa *lib.* 1. *aphor. cap.* 34. *n.* 28. & *de confessor. sollicit. cap.* 17. *n.* 8. Affirmat Carena *loc. cit. n.* 99. Quia qui coactus apostatat à fide sub conditione, abjurat de vehementi, vel de levi, cùm, ea coactione remota, abjurare deberet de formali. At non est eadem ratio de apostata à fide, qui extrinsecus est infidelis formalis, & plusquam hæreticus, ac de sollicitante qui solùm est de fide suspectus, suspicione quidem, ac præsumptione juris. Ubi autem constat de coactione per metum, cessat juris præsumptio. Quare considerandum relinquo sapientissimis Inquisitoribus, an cogendus sit abjurare, etiam de levi.

Quid autem, si absque verbali sollicitatione, pœnitens inter confitendum opprimatur somno, vel morbo, & Confessarius cum illo, sic sensibus destituto, turpes actus habeat? Non esse improbabile quòd Confessarius non sit denunciandus, etiamsi ipse medicinam, vel maleficia ad hoc adhibuerit, si tamen pœnitens penitus habeat sensus ligatos, ait Delbene *d. dub.* 237. *sect.* 13. *petit.* 11. Tum quia in utroque casu pœnitens est incapax tentationis, non secus ac si esset lapideus, & sic confessarius non est solllicitator, sed tentator. Et tum quia tam primus, quàm secundus casus est rarus. Leges autem accomodantur ad ea, quæ frequentiùs accidunt, *l. nam ad ea ff. de leg.*

At contrarium in utroque casu tenendum omnino est cum Leandro *d. disp.* 13. *q.* 33. Escobar *de confes. sollic. p.* 4. *q.* §. 4. 2. *n.* 29. idque non per extensionem legis, sed per comprehensionem. Nam Pius IV. cujus Constitutionem confirmat Gregorius XV. ac extendit etiam ad verba, & tractatus inhonestos, habitos etiam occasione, ac prætextu confessionis, habet pro suspectis de hæresi Confessarios abutentes Sacramento pœnitentiæ ad turpia, & qui cum pœnitente habent actus inhonestos, cùm illa tractet facto, quod pejus est, quàm verbo. Unde certum est, hoc delictum in utroque casu pertinere ad S. Officium. Quia non minùs de hæresi suspectus est, qui facto tractat turpia occasione confessionis, quàm si solo verbo; Cumque ipse Delbene minimè neget *n.* 9. quod si denuncietur Confessarius, possit S. Officium de hoc delicto cognoscere, sequitur quòd sit de pertinentibus ad S. Officium. Nam ex vi

solius

solius denunciationis delictum non sit de foro S. Officii, cùm de delictis denunciationis non cognoscat, nisi ad suum forum spectent, sed vigore ejus edictorum denunciandum est quodvis delictum, quod ad ejus forum pertinet.

Atque ita hæc regula sexta est generalis ad omnes casus in quibus pœnitens tenetur denunciare Confessarium qui sollicitavit, vel inhonestos sermones habuit cum pœnitente, etiam ex sola occasione, aut prætextu Confessionis, & Confessoris obligatio est, monere pœnitentem de ejus obligatione. Ex hoc autem non præcipitur ei, ut pœnitentem non absolvat. Verùm in hoc distinguendum est. Nam si pœnitens fuit negligens in denunciando, & jam incurrit pœnam excommunicationis reservatæ, Confessarius non potest illum absolvere ratione excommuniationis reservatæ, ne virtute quidem Bullæ Cruciatæ, neque Regulares virtute suorum privilegiorum *d. sect.* Si verò pœnitens est intra terminum à jure sibi præscriptum ad denunciandum, censet Delbene *dub. sect.* 13. *petit.* 6. *n.* 1. quòd pœnitens priùs debeat denunciare, quàm absolvatur. Sed hoc ex Constitutione Gregorii XV. vel ex edictis Inquisitorum non habetur, solùmque Confessario præcipitur, quod moneat, & doceat pœnitentem de obligatione denunciandi, nec aliud continetur pro Regularibus in memorato decreto Alexandri VII. Et ideo sufficit, quòd pœnitens habeat verum propositum denunciandi, & promittat, quòd denunciabit in termino sibi tradito. Ex hoc enim est dispositus, ut absolvatur, ut per Peyr. *ad d. Constit. Gregorii* §. 9. *n.* 24. Portel. *in addit. ad dub. regul. v. sollicitare n.* 24. Sanctarel. *de hæres. cap.* 9. *n.* 16. Dianam *p.* 1. *tr.* 4. *n.* 7. Ortiz *in sum. cap.* 24. *n.* 11. Prudentis tamen Confessarii arbitrio potest aliquando in hoc casu, spectatis circumstantiis, differri absolutio, donec præmissa fuerit denunciatio. Et in hoc sensu verum est, quod tradit Carena *p.* 2. *tit.* 9. *n.* 4.

Sed quid dicendum, si mulier sollicitata confiteatur ei, qui sollicitavit? In hoc casu Confessarium non teneri admonere pœnitentem sollicitatam, ut ipsum denunciet post Trimarch. *disp.* 14. *n.* 59. tradit Bordonus *cap.* 23. *n.* 59. Quia verisimile est, Pontificem noluisse imponere tam grave præceptum Confessori contra se ipsum. At observandum est, quòd si jam fœmina sollicitata ob non factam denunciationem est excommunicata, non potest absolvi. Si autem adhuc durat tempus denunciandi, verisimile est, quod ex lege positiva non teneatur Confessarius illam admonere de obligatione denunciandi; quia hoc esset Confessarium agere contra seipsum. Quod habetur ex verbis illis Constitutionis Gregorianæ. *Ut suos pœnitentes, quos noverit fuisse ab aliis sollicitatos.* His enim Pontifex non mandat Confessariis admonere pœnitentes de obligatione denunciandi seipsos, sed alios Confessarios, à quibus fuerunt sollicitati. Et nihilominus si confessarius in fraudem legis invitaret sollicitatam, ut sibi confiteatur, vel suaderet, ne confiteatur alteri, vel ne denunciet, vel etiam doceret, illam non teneri ad denunciandum, improbè ageret, & puniri deberet in S. Officio.

Si autem pœnitens recusat denunciare, non debet absolvi, sed debet consuli S. Congregatio, & extra Urbem Inquisitor, vel Ordinarius, qui si habent difficultatem, consulant & ipsi S. Congregationem; sin minùs, dent facultatem absolvendi pœnitentem, qui justis de causis denunciare defugit, & absolvatur sub conditione, quòd, cessantibus justis causis, teneatur denunciare, & non adire ampliùs Confessorem, à quo fuit sollicitatus.

Non est autem semper necesse, quod sollicitata personaliter adeat S. Officium, ut denunciet, sed ubi mulier sit nobilis, aut virgo, & periculum sit, quod patiatur aliquod damnum, si personaliter compareat in S. Officio, vel ex aliqua simili causa recusat denunciare per seipsam, poterit Inquisitor, vel Episcopus tribuere licentiam Confessario recipiendi depositiones mulierum, quæ consensum præstiterunt Confessariis, vel etiam illarum, quæ factis diligentiis, induci non possunt ad denunciandum in S. Officio. Parcè tamen hac facultate uti debent Ordinarii.

Est tandem animadvertendum, quòd ille tenetur denunciare hæreticum, vel suspectum de hæresi, qui scit, vel habet notitiam illius. Hæc autem notitia bebet esse personalis, scilicet de certa persona, Farinac. *q.* 197. *n.* 51. ac de delicto speciali; unde non sufficit notitia generica. Et ideo ubi quis habet notitiam de auditu non tenetur denunciare, si non recordatur à quo audiverit, vel ubi is, à quo audivit, nihil certò sciat, Carena *p.* 2. *tit.* 9. *n* 31. Vel ubi is, à quo audivit non est fide dignus, Carena ibidem, Sanctarellus *de hæres. cap.* 9. *n.* 16. Cordub. *lib.* 1. *q.* 44. *dub.* 2. Vel si audiverit à personis levibus, quia talis notitia non parit fidem, Navar. *in sum. cap.* 25. *n.* 46. Portel. *loc. cit. n.* 22. Leand. *d. disp.* 13. *q.* 57. ac Delben. *d. sect.* 13. *n.* 46. Et licet Homobonus *in consult. moral. to.* 1. *p.* 4. *resp.* 51. velit, quòd qui audivit etiam à fide dignis non teneatur denunciare denunciantem, contrarium tamen asserunt Navar. *de hæres. conf.* 3. *nu.* 1. Carena ubi supra, Rodriquez, Lessius, Reginaldus, Genuensis, Petrus, Navarra, Joannes de la Cruz, Pitigianus, quos sequitur Delbene *d. sect.* 13. *n.* 19. ac Leander *loc. cit.* Quia talis dicitur propriè habere notiam facti

Verùm in his semper distinguendum est inter hæreticum formalem, præcipuè si dogmatizet, & inter suspectum de hæresi, ac inter obligationem denunciandi, quæ est ex jure divino, & ex jure positivo. Nam potest contingere, quòd etiam, qui non habet certam notitiam de alicujus hæresi, teneatur illum denunciare ex obligatione juris divini. At ex jure positivo non tenetur denunciare, nisi qui scit, & notitiam habet. Propriè autem ex auditu quis notitiam non habet, nisi qui audivit à fide dignis. Additque Bordonus *cap.* 23. *n.* 49. quòd qui audivit aliquem sollicitasse pœnitentem, non tenetur denunciare, nisi id audiverit immediatè vel à sollicitante, vel à sollicitato. Id probat *ex l.* 2. §. *item Labeo ff. de aqu. plu. arc.* ubi dicitur, *quod audis, nescire diceris.* Quod verum est de auditu mediato, sive ab eo, qui non vidit, sed audivit & sic est auditus ex auditu, qui non tam facilè reddit fidem tutam, & prudentem, quia potest esse, quòd qui primò dixit, non fuerit fide dignus, vel ex joco id dixerit, vel quòd auditores mediati factum aliter narraverint, quàm audiverint, & sic potest esse, quòd, licet qui narrat de auditu alieno, sit fide dignus, non tamen possit credi, verum esse narratum, nisi constet, omnes, à quibus factum narratum fuit, esse fide dignos. Ideoque non ita facilè contingit, quòd qui nescit aliquid, nisi ex auditu auditus, habeat propriè notitiam ejus, quod audivit. Esttamen advertendum, *in d. l.* 2. §. *Item Labeo*, non haberi verba superiùs citata. Ex eo tamen, quòd obligatio denunciandi sollicitantem non cadit, nisi in illum, qui habet notitiam sollicitationis, cùm ex alia parte, ubi sollicitario sit dubia, nemo habet notitiam illius; nam quod est incertum non potest certo cognosci, aut prudenter credi. Et ideo, quòd non detur obligatio denunciandi

ciandi sollicitantem dubium, ait Bordonus *d. cap.* 23. *n.* 101. Et quidem dicendum est, quòd saltem sit necessaria opinio sollicitationis, vel facti, inducentis suspicionem hæresis, per quam quis judicet determinatè sic esse, licet adsit aliqualis suspicio de opposito ad hoc, ut quis dicatur habere notitiam & teneatur sollicitantem denunciare.

Advertit autem Carena *d. tr.* 9. *n.* 34. quòd, licet sit vulgata regula, legem, fundatam in præsumptione, ea cessante, non obligare, attamen in his edictis S. Officii judicium discernendi circa suspicionem de fide, quæ resultat ex præsumptione edicti, non competit Confessariis, sed Inquisitoribus.

An autem non denuncians sit de hæresi suspectus, si loquamur de non denunciante hæreticum, dicendum est, illum suspectum esse, ac inter fautores hæreticorum recensendum, ut per Repert. Inquis. *v. fautores*, Decian. *lib.* 5. *cap.* 51. *n.* 25. Pegnam *p.* 2. *com.* 78. *vers. Postremò.* Farinac. *q.* 197. *n.* 38. Sanctarel. *de hæret. cap.* 9. *n.* 19. Carena *d. tr.* 9. *n.* 41. ubi quòd maximè id locum habet in Cruce signatis, qui ex officio, ac proprio juramento hæreticos denunciare tenentur. At cùm Alphons. à Castro *de just. hæret. punit.* existimet hanc suspicionem esse violentam, hoc esse nimis rigorosum, animadvertit Pegna *d. p.* 2. *com* 81. *lit. D.* Id tamen admittit Carena *ibid. n.* 43. in casu, quo inter hæreticum, & non denunciantem sit nimia familiaritas, & amicitia. Sed hoc est etiam nimis durum. Imò non datur violenta hæresis suspicio, ex qua suspectus damnandus sit, ut hæreticus ad pœnam Ordinariam, nisi in casibus à jure expressis, ut jam dictum. At neque hæc suspicio est vehemens, ut censet Zechius *to.* 1. *tit. de fide cap.* 11. *n.* 5. nisi, ut advertit Pegna, nulla causa non revelandi, adesset, vel testis in judicio interrogatus scienter occulter veritatem.

Regulariter igitur hæc suspicio est levis. Quia rarum est, quòd quis omittat denunciare hæreticum favore hæresis, & non potiùs ex amicitia, vel ex alia causa, Carena *d. tit.* 9. *n.* 44. ex Duardo *lib* 2. *in Bullam Cœnæ q.* 57. *concl.* 1. *n.* 17. Imò, qui omittit denunciationem ex metu cadente in constantem virum, non esse de fide suspectum, inquiunt Farin. *q.* 198. *n.* 13. Sanctarel. *d. cap.* 9. *n.* 16. & Carena *n.* 45. *ubi* quòd non icciro excusantur consanguinei & uxor, & c. à suspicione de levi, nisi omittant denunciationem ex metu cadente in constantem virum, vel ex alia justa causa excusante à denunciatione, ut per Pegnam *d. com.* 81. *vers. At non videtur*, Scace. *de judic lib.* 1. *cap.* 56. *n.* 4. Farinac *d. q.* 198. *n.* 13. Isti igitur non denunciantes hæreticos, tanquam eorum fautores, torquentur & abjurant, sicut alii fautores hæreticorum. Non denunciantes verò suspectos de hæresi, non sunt de fide suspecti; alioquin enim præsumptio oriretur ex præsumptione, ut per Carenam *d. tit.* 9. *n.* 46. Puniendi tamen sunt pœnis statutis in Edictis Inquisitorum.

Confessarius verò, si in casibus, in quibus pœnitens tenetur denunciare, doceat non esse obligationem denunciandi, quia lex non obligat, punitur ut hæreticus. Si verò mala fide doceat, quòd lex in hoc casu non obliget, quia hic casus non comprehendatur sub lege, sub qua verè comprehenditur, est de fide suspectus; vel si recusantem denunciare hæreticos absolvat, est pariter de fide suspectus vehementer, quia scilicet credit, legem non obligare, nisi minuatur suspicio ex circumstantiis, aut tollatur. Si vero absolvat ob metum cadentem in virum constantem, cessat in illo hæresis suspicio, ut de omittente denunciationem dictum est. Si verò scienter & culpabiliter omittat monere pœnitentem de obligatione denunciandi, vel si absolvat eum, qui ob denunciationem neglectam, est excommunicatus, puniendus est, ut decernitur in constitutione Gregorii XV. Et quoniam est de fide suspectus, maximè si aliundè oriatur præsumptio, quòd id fecerit favore hæresis.

Est quoque advertendum, quòd Confessarii non tenentur interrogare pœnitentes, an fuerint in confessione sollicitati, neque Inquisitores debent hæc præcipere Confessariis; Sed Confessorum officium est, si pœnitentes dicant, se fuisse sollicitatos, illos monere de obligatione denunciandi. Si tamen Confessarii habeant notitiam sollicitationis poterunt, ac debebunt pœnitentes de hoc interrogare, ut eorum saluti consulant, & ne absolvant non dispositum.

Cœtera vide, quæ in hanc rem peculiari Consultatione alibi tradidi, ubi etiam varia effata, & parerga, minimè vulgaria, & quæ in consultatione denunciandi hæreticos, de hæresi suspectos, & alios suo loco dicta sunt.

CONSULTATIO CXVIII.

De Abusu Sacramenti Matrimonii, sive de Polygamia remissivè. An pertineat ad S. Officium privativè quòad forum laicum? Res judicatæ. Breve Clementis VIII. ad Proregem Neapolitanum. Et ad rem alia.

Cum hic abusus etiam frequens sit, ideo iis, quæ jam de hac re diximus *tom.* 1. & inferiùs *in consult. de Abjurationibus*, hæc subdere non gravabor.

Unum uno, eodemque tempore virum duas, vel plures Uxores habere posse, asserunt Josephus *antiquit. Judaic. lib* 17. *cap.* 1. Mos, ait, nobis est patrius, plures simul uxores habere.

Basilidis, & Carpocratis sectatores indifferentes coitus, & multas nuptias induxerunt, Irenæus *lib.* 1. *cap.* 32.

Judæorum Rabini quatuor vel quinque uxores quemque habere permittunt, Justinus *in dialogo cum Tryphone.*

Hermogenem Tertullianus arguit, quòd assiduè nuberet.

Valentinianus Imperator alteram duxit uxorem, priore superstite, nec repudiata, & quò levius posset videri facinus à se perpetratum, legem tulit, per quam cuivis duas simul uxores habere liceret. Socrates *lib.* 4. *cap.* 26.

Hugo Rex Italiæ præter conjugem suam, multas alebat concubinas, Luitprandus *lib.* 4. *cap.* 6.

Mahometus in Alcorano Azoura 8. duas, tres, aut quatuor quemlibet Uxores permittit, & aliam pro alia commutare.

Vitiza Rex Hispaniæ uxores multas, & plures concubinas domi habuit, ac Proceres Regni exemplum suum ut sequerentur, hortatus est, nec non & plebi idem impunè licere voluit, Joannes Vasæus *in chron. hispan. anno* 702.

Turcæ tot uxores ducunt, pellicesque ex mancipiorum grege numero tot deligunt, quotquot quilibet alere potest, uxores virgines accipiunt, nemine prohibente, donec quinque sibi copulaverint, Laonicus Chalcond. *de rebus Turcicis lib.* 3.

Martinus Lutherus *in explicat. Geneseos*, quam edidit anno 1525. *ad cap.* 16. quærit, utrum Christiano liceat exemplo Abrahæ plures simul uxores habere

habere, ac tandem respondet, id neque esse præceptum neque prohibitum, sed liberum. Se quidem nolle hanc novam consuetudinem introducere, sed nec improbare posse, cum exempla Patrum adhuc sint libera.

Et de vita conjugali: Si tu nolis, inquit, velit alia. Recusat uxor, veniat ancilla. Dimissa Vasthi, Estheram accipiat.

Et in propositionibus *de bigamia editis anno* 1528. *proposit.* 62. *ac seqq*: ait, apud Ethnicos fortasse scandalum fore, si Christianus plures uxores habeat, tamen inter Judæos non esse scandalum, & ideò non posse ostendi id esse illicitum.

Et proposit. 65. Nota sunt, inquit, jura Mosaica de fratris defuncti uxore, & de filia corrupta invito Patre, quæ cogunt plurium esse uxorum virum. Quæ non magis sunt abrogata, quàm reliqua omnia, id est libera, nec prohibita, nec præcepta.

Extant Lutheri, & Melanchtonis epistolæ & consilia per litteras datas quibus apertè permittunt, fasque esse pronunciant, maritum unum duas legitimas uxores habere, Staphylus *in Apologia*.

Joannes Oldendorpius, permittente Luthero, priore conjuge adhuc superstite, alteram duxit uxorem, Lindanus *in dubitatio*.

Martinum Bucerum polygamiam suis commendasse Vintoniensis testatur.

David Georgius matrimonium suos discipulos contrahere vetuit. Non enim liberum esse unum uni uxori astringi, sed alias plures habere ad augendam prolem, Bullingerus *lib.* 2. *cap.* 14.

Joannes Bocholdius Leidensis polygamiam ex professo probavit, & ipse duodecim simul uxores habuit, Gaspar Ulenbergius *causa* 9.

Hetzerus Anabaptista uno tempore tredecim simul uxores duxit, Feu. Ardentius *in lib.* 1. *Irenæi cap.* 32 & Canisius *lib.* 2. *cap.* 12 *Marialis*.

Libertini matrimonia dissolvunt quæ appellant carnalia, ubi uxor mariti sui tædium ceperit, promiscuos laudant concubitus, modo alter alterá sit contentus, id spirituale vocant matrimonium, Calvinus *de libertinis cap.* 20.

Bernardinus Ochinus *lib.* 2. *dialog.* 21 *pag.* 200. Paulus Episcopis, & Diaconis plures uxores interdicit, cæteris tacitè concedit.

Et pag. 204. Pauli mens est hæc, quòd Christianis plures uxores habere liceat, ac Episcopis non nisi singulas, nè multitudo uxorum à populi salute provocanda avocaret. Dum enim de Episcopis nominatim dicit, se velle ut unam habeant, non plures, nè, si plures habent, nimium distrahantur mundanis negotiis, facilè plures concedit cæteris. Fuit quidem in novo fœdere Episcopis interdictum, ne plures uxores haberent, non quia plures habere nefas esset, sed nè ab uxoribus distracti, corrumperentur. Quanquam illud credo, quemadmodum antiquitùs interdictum est, ne Reges haberent multos equos, hoc est multitudinem nimiam, videlicet nè equis confisi, Dei confidentia exciderent (nam alioquin multos equos habere concedebatur) ita quoque interdictum illud alterum, non de pluribus Uxoribus, sed immodica uxorum multitudine est intelligendum.

Negant tamen Sacræ Litteræ *Genesis* 2. *vers.* 24. Relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.

Matthæi 19. 4. Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Iraque jam non sunt duo, sed una caro, Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Dicunt illi. Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, & dimittere? Ait illis. Quoniam Moyses ob duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras, Ab initio autem non fuit sic.

Matthæi 5. & 19. *Marci* 10. & *Lucæ* 16. Christus declarat, eum, qui dimissa uxore, aliam duxerit, mœchari. Ex quibus testimoniis colligitur polygamiam jure Evangelico esse omnino illicitam. Nam ideo mœchari dicitur, qui dimissa priore aliam ducit, quia prior non poterat dimitti, & licet videatur dimissa coram hominibus, tamen adhuc verè est uxor illius, qui eam primò duxerat; Nam si per dimissionem desiisset esse uxor, non mœcharetur illius vir, aliam ducens, quemadmodum non mœchatur, qui priore uxore mortua, aliam ducit. Quòd si mœchatur, qui aliam ducit, vivente priore, non licet igitur plures conjuges habere, nisi adulteria licita esse velimus. Et si non licet aliam ducere, dimissa priore, multò minùs, retenta priore. Nam, si non licet, priore dimissa, aliam ducere, quia prior adhuc est uxor, at multò magis est uxor, quæ non est dimissa. Quare, vivente priore uxore, sive dimissâ, sive retentâ, illicitum est ducere aliam.

Paulus, cum de matrimonio loquitur, semper loquitur de Uxore in numero singulari. 1. *Corinth.* 7. *v.* 2. propter fornicationem unus quisque suam Uxorem habeat, & unaquæque suum virum. 27. alligatus es uxori? noli quærere solutionem.

Idem Apostolus apertissimè scribit, uxorem non posse vivente Marito alicui alteri nubere. Rom. 7. 3. vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio Viro.

Et 1. *Cor.* 7. 10. Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere. Quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.

Et 39. Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit. Quòd si dormierit vir ejus, libera est à lege, cui vult nubat.

Qui loci prohibent polygamiam ex parte fœminarum expressè, id est, prohibent, nè fœminæ sæpiùs nubant, viventibus viris prioribus; sed prohibent etiam consequenter polygamiam virorum, id est, ne viri plures simul uxores ducant. Nam licet minùs repugnet rationi, ac naturæ, ut vir plures uxores, quàm uxor plures maritos habeat, utrumque tamen rationi repugnat.

Negant quoque Sancti Patres, quorum locos tantùm demonstro, Justinus in orat. ad Antoninum, & in dialogo cum Tryphone, Irenæus *libr.* 1. *cap.* 32. Basilius Magnus *epist.* 79. *ad Amphilochium*, Epiphanius *hæresi* 80. Joannes Chrysostomus *homil* 56. *in Genesim*, & *homil.* 63. *in cap.* 19. *Matthæi*, & *libro de virginit. cap.* 44. Autor operis imperfecti in Matthæum apud Chrysostomum *homil.* 1. & *homil.* 32. Cyrillus Alexandrinus *lib.* 11. *in Genesim*, Theodoretus *quæst.* 66. *in Genesim*, & *quæst.* 84. Basilius Seleuciæ Episcopus *orat.* 3. *de Lazari resuscitatione*, Victor Antiochenus *ad cap.* 10. *Marci*; Olympiodorus *in Ecclesiastem Salomonis*, Procopius Gasæus *in cap.* 29. *Genes.* Theophylactus *ad Matth. cap.* 19. & *ad Marci cap.* 10. Joannes Cantacuzenus *apologia* 4. Tertullianus *exhortat. ad Castitat. cap.* 5. Minutius Felix *in Octavio*, Lactantius *lib.* 6. *cap.* 23. & *in epitom. divinar. instit. cap.* 8. Ambrosius *lib.* 1. *de Abraham Patriarcha cap.* 7. Hieronymus *lib.* 1. *contra Jovinianum cap.* 8. & *lib.* 2. *cap.* 6. Augustinus *de doctrina Christiana lib* 3. *cap.* 12. & *de bono Conjugali cap.* 7. & *de nuptiis*, & *concupiscentia lib.* 1. *cap.* 9. & *contra Faustum lib.* 22. *cap.*

22. *cap.* 47. Eucherius Lugdunensis *de quæstionibus difficilioribus veteris, ac novi testamenti*, Prosper Aquitanus *in cap.* 13. *ad Hebræos, & de promissionibus, & prædictionibus Dei p.* 1. *cap.* 25. Fulgentius *de fide ad Petrum cap.* 3. Hisidorus Hispalensis *de Officiis eccles. lib. secundo cap.* 19. Beda *in cap.* 19. *Matthæi*, Angelomus *in lib.* 2. *Reg. cap.* 11. Nicolaus primus *ad consulta Bulgarorum cap.* 51. Joannes Octavus *epist.* 198. Anselmus Cantuariensis *ad cap.* 19. *Matthæi*, Petrus Lombardus *lib.* 4. *dist.* 33. Innocentius Tertius *in cap. gaudemus, de divort.* Jacobus Vitriacus *dominica post Epiphaniam*, Gulielmus Alvernus *lib. de Sacram. matrim. cap.* 9. Vincentius Belvacensius *in speculo histor. lib.* 9. *cap.* 69. Bonaventura *in lib.* 4. *Sentent. dist.* 33. Durandus à S. Portiano *in lib.* 4. *sentent. dist.* 33. *q.* 1. Guido Rocherius *in Manipulo Curatorum p.* 2. *tr.* 7. *cap.* 1. Thomas Argentinensis *in lib. sentent. dist.* 33. *art.* 3. Joannes Gerson *in Dialogo de Cœlibatu Ecclesiasticorum*, Dionysius Carthusianus *ad cap.* 7. *prioris ad Corinth.* Pius secundus concilium Tridentinum *sess.* 24 *can.* 1.

Quare Uxorum pluralitas à prima matrimonii institutione, & à Christiani Sacramenti significatione aliena est, ut D. Matth. 19. ostendit ex eo, quòd Deus unum Virum, unamque Mulierem creaverit simulque conjunxerit, addens: *Erunt duo in carne una*, non tres, aut quatuor. Et dicendo: *Adhærebit uxori suæ*, repudium sustulit, ut Marci 10. clarè continetur. Legatur Augustinus *lib. de adulterin. conjug. cap.* 8. *lib. de bono conjugali cap.* 17. *& lib.* 3. *de doctrina Christiana cap.* 12. ubi demonstrat, omnem principatum natura sua diligere singularitatem, ideoque nunquam fuisse admissum, ut plures viros una mulier haberet, sed contrà, Vir plures Uxores, quia Vir caput est mulieris. Pugnare tamen Polygamiam cum domestica pace, sanctarum etiam mulierum exempla convincunt Saræ, & Agar, Liæ, & Rachelis, quarum rixas, æmulationes, & iras implacabiles, Scriptura proponit, Genes. 16. *&* 30. *&* 1. Reg. 1. Quare naturali juri polygamia repugnat. Hinc si infidelis polygamus ad Baptismum accedat, is poterit primâ uxore retenta, alias rejicere cogitur.

Quamvis autem Monogamia juri divino, & naturali, finique tam primario, quàm secundario sit accommodatissima, ideoque inter pios usque ad diluvium polygamiam fuisse non legimus, sed introductam à Lamech, imitatore Cain homicidæ Genes. 4. attamen post diluvium inspiratione divina Patriarchis innotuit, Deum propter multiplicationem generis humani, tunc penè deleti, ad tempus dispensasse, ac permisisse polygamiam quam Christus, ad primam institutionem revocando matrimonium, prorsus sustulit, Augustinus *lib.* 22. *contra Faustum cap.* 47 *d. lib.* 3. *de doctr. Christ. cap.* 12. *& de bon. conjug. cap.* 18.

Ex quibus mirum, quòd nonnemo dicat, hoc crimen polygamiæ non pertinere ad forum Ecclesiasticum, & ad S. Officium Inquisitionis, cum sit contra Sacramentum matrimonii, quod esse non possit, nisi inter unum virum, & unam uxorem juxta legem naturalem, Divinam, Evangelicam, Canonicam, & Civilem. Ideoque pertinet ad forum Ecclesiasticum, ut conservetur veritas, & sacramentum matrimonii, & non permittatur adulterium, & status peccati, estque in illo puniendum, *caus.* 34. *q.* 1. *&* 2. *cap.* 1. 2. *&* 3. *de sponsal. cap. in præsentia de sponsal. & matrim. cap. Dominus, de divort. cap. Gaudemus cum aliis*; ac etiam in Tribunali S. Inquisitionis, cùm sint delinquentes in hisce casibus suspecti de hæresi, videanturque malè sentire de sacramento matrimonii, peccando contra illud, præsertim quòd liceat Christiano ducere simul, ac tenere duas, pluresque uxores.

Et hæc sententia inter Christianos Catholicos est vetusta, & communis ferè omnium, qui de hac re tractant, ut per Lapum *in cap. accusatus n.* 2. *de hæret. in* 6. quem referunt, ac sequuntur *ibi Gemin. §. sanè n.* 2. *Franch. in cap. ad abolendum n.* 1. *de hæret.* Jo: Lupus *in cap. per vestras* .§. 18. *n.* 25. *de donat. inter vir. & uxor.* Rosella *in sum. v. hæreticus n.* 6. Gundisalvus de Villadiego S. Rotæ Auditor, *de hæret. cap.* 9. *n.* 5. Episcopus Squillacensis *de fide Cathol. cap.* 15. *n.* 2. Covar. *in* 4. *decret. p.* 2. *cap.* 7. §. 3. *n.* 6. Jacob. Septimacens. *in instit. Cathol. cap.* 40. *de matrim n.* 2. Menoch. *de arbitr. cent.* 5. *cas.* 420. *n.* 114. Arnald. Albertin. *de agnosc. assert. q*, 23. Alphonsus de Castro *de Just. hæret. punit. lib.* 1. *cap.* 2. Bermundus *de public concub. v. monemus n.* 4. aliique innumeri, ac recentiores omnes. Atquè ita servatum est, ac servatur generaliter in tota Italia, ac in tota Europa, & ubicumque sunt Inquisitores, quòd scilicet ob hujusmodi hæresis suspicionem, Sanctum Inquisitionis Officium procedat contra Polygamos. Præcipuè in Inquisitione Hispana, Lusitana, Sicula aliisque Regnis Catholicæ Majestati subjectis, & pro Regno Neapolitano extant res judicatæ, quarum tempora nunc signo. Anno 1591. anno 1608. die 21. Februarii, 8. Maii ejusdem anni, & die 8. Novembris 1607. & 27. Janvarii 1614. & die 2. Octobris ejusdem anni, & 9. Octobris ejusdem etiam anni, & die 15. Februarii 1615. & die 26. ejusdem mensis, & anni, & die prima Octobris ejusdem anni, & die 16. Maii 1626. & 14. Julii ejusdem anni, & 26. Martii 1620. & 12 Novembris ejusdem anni. Et quòd spectet privativè ad S. Officium, judicatum 1601. & 13. Octobris, & die 13. Octobris 1604. & die 7. Decembris 1606. & 28. Decembris 1607. & die 1. Februarii ejusd. anni, & 19. Julii ejusdem quoque anni, & 24. Julii, & 20. Septembris, & 7. Novembris ejusdem similiter anni, 24. Octobris 1612. & die 22. Augusti 1613. & die 19. Junii 1614. & die 26. Augusti ejusdem anni, & 4. Aprilis 1618. & 18. Octobris, & 8. Novembris ejusdem pariter anni, & die 4. Julii 1619, & 29. Augusti, ejusdem anni, & 24. Janvarii, & 7. Februarii 1622. die 7. Februarii, & 23. Augusti ejusdem anni: Ac ita, ut ab Anno 1625. usque ad hodiernam diem semper in suprema, & Universali Inquisitione fuit judicatum, & constanter executioni demandatum, quòd delictum Polygamiæ spectet ad Judices Ecclesiasticos privativè quoad Judices Sæculares. Imò sub die 20. Junii 1637. Urbanus VIII. edidit Constitutionem, qua decrevit, quòd ii, qui ementito nomine, vel cognomine, prima uxore vivente secundam ducunt, damnentur ad triremes in perpetuum, &, si fuerint inhabiles, fustigentur, & ad carceres perpetuos damnentur. Si verò pro qualitate, ac enormitate criminis, majores pœnas meruerint, etiam Curiæ sæculari, arbitrio Sanctæ Congregationis Cardinalium generalium Inquisitorum puniendi tradantur, & Paulus V. cogitavit edere constitutionem, ac in ipsa declarare, delictum Polygamiæ spectare ad S. Officium, de qua extat formula, ut eruitur ex binis decretis sub die 24. Maii, & sub 31. Julii 1607. extatque Breve Clementis VIII. directum Proregi Regni Neapolitani, qui tunc temporis erat Excellentissimus Joannes Pimentel, Comiti Beneventi quod est hujus tenoris.

Dilecte fili. Nobilis Vir, salutem. Perlatum est ad Nos non sine gravi animi nostri perturbatione, quod cùm nuper dilectus filius Curtius Palumbus Vicarius Capitularis,

Capitularis, sede Archiepiscopali vacante Ecclesiæ Neapolitanæ, de mandato etiam S. Romanæ Universalis Inquisitionis contra hæreticam pravitatem, ac nostro, Causâ in tribunali curiæ Archiepiscopalis cognitâ, quemdam Gabrielem Surianum, ob polygamiam Inquisitum, ac processatum, denique servatis servandis, prævia publica abjuratione de vehementi ad triremes per quinquennium damnasset, Joannes Franciscus à Ponte, Marchio Morconi, Regens in eadem civitate Neapolitana existens, dilectum filium Joannem Camillum Pretiosum Notarium Actuarium dicti Tribunalis, qui prius ab ipso Joanne Francisco Regente accersitus, & requisitus, & processum in causa dicti Gabrielis fabricatum ad ipsum Regentem deferre, responderat, se dictum processum à Vicario Capitulari Ecclesiæ Neapolitanæ dictæ Curiæ Judice obtinere non potuisse, per satellites Curiæ Sæcularis subitò apprehendi, ac temerè, nulliter, & de facto ad triremes educi, ibique inter captivos, & remiges mancipari fecit, immunitatem officialium, & Ministrorum S. Inquisitionis contrà hæreticam pravitatem violando, & pœnas in sacris Canonibus, ac præsertim Constitutionis fœl. rec. Pii V. incipientis, si de protegendis, ac aliorum Romanorum Pontificum, prædecessorum nostrorum Constitutionibus contentas adversus eos qui hujusmodi Officiales, & Ministros quovis modo molestant, seu perturbant, inflictas incurrendo, in maximum dicti Tribunalis S. Inquisitionis, & authoritatis Ecclesiasticæ ac nostrum contemptum, in Dei offensam & scandalum plurimorum. Nos itaque impium & temerarium hoc facinus, ut æquum est, improbantes, illudque celeri provisione omninò revocandum esse censentes, Tibi, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub divini interminatione judicii, per præsentes districtè præcipimus, & mandamus, ut præfatum Joannem Camillum ex dictis triremibus penitus solutum ac liberum dimitti, & relaxari jubeas, & cum effectu facias. Etsi autem non dubitemus, quin tu huic nostro mandato promptè obtemperaturus sis, sicut decet virum Catholicæ Religionis cultorem, ac nostræ, & Apostolicæ Sedis obsequentissimum, ob rei tamen gravitatem facere non potuimus, quin te etiam seriò moneamus, ac præcipuè pro tribunalis S. Inquisitionis autoritate, ac nostra, quam te in isto munere tueri maximè oportet, & pro ea, quam profiteris erga nos, & Apostolicam sedem fide, ac reverentia, id ipsum statim, ac omni prorsus mora, & dilatione postposita, facias, & exequaris, nè si tu, quod minimè vellemus, aliquo modo huic nostro mandato parere distuleris, ipsi hac in re adhibitis juris, & facti remediis, gravius aliquid statuere cogamur. Datum Romæ apud S. Marcum die 17. Septembris 1604.

Huic Brevi Excellentissimus Prorex summo zelo illicò paruit, jussitque solutum ac liberam relaxari dictum ministrum S. Inquisitionis, ut ex litteris Nuncii Apostolici die 20. ac 21 Septembris & 5. Octobris ejusdem anni 1604. datis luculenter constat.

Demum per alias litteras in forma Brevis idem Clemens delegavit, & commisit Ludovico Boido Alexandrino, ut contra dictum Joannem Franciscum à Ponte, & alios culpabiles processum conficeret, & ad Urbem transmitteret. Neque ob liberationem Polygami à Triremibus regiis Commissarius desistere debet à fabricatione processus, sed absque regio *Exequatur* processum fabricare debet, ad Urbem transmittendum, & à S. Congregatione relaxandum monitorium subscribendum à Cardinali generali Inquisitore contra impedientes S. Officium ad personaliter coram eadem S. Congregatione comparendum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, aliisque arbitrio &c. ad valvas Ecclesiæ Cathedralis affigendum. Etenim excusantur Officiales, ac Ministri etiam à laceratione Monitorii, quòd fuerit affixum absque exequatur Regio. At novum planè, ac insolens, & nunquam hactenus auditum, prætendi, etiam in causis, ac expeditionibus S. Officii Regium exequatur, de cujus origine, progressu, abusu legas nostram Consultationem.

Neque idcircò impeditur, quin Judex Sæcularis procedat contra hujusmodi delinquentes. Solumque excipitur, quando Inquisitor prævenerit. Nam in hoc casu, ac delicto procedit solùm ad pœnam à Sacris Canonibus statutam, absque eo, quòd Judex Sæcularis in re aliqua se immisceat, & ita quando prævenit Ordinarius Ecclesiasticus, qui debet communicare processum cum Inquisitore in causæ expeditione; sed quando Judex sæcularis procedens secundùm leges Civiles, *ut l. miles*, *§. mulier ff. de adult. L. neminem, de C. de incest. nup. L. eum qui duas, eod. de adult. L. 1. in fine, & L. quid ergo §. 1. & 2. ff. de his, qui not. infam. L. ea quæ eod. de donat. ante nupt. & in Auth. ut liceat Matri, & Aviæ, §. quia verò, Auth. hodie c. de repud. Auth. de triente, & semiss. §. consideremus, ac instit. lib. 1. tit. de nup.* cum similibus, & ex Athalarico apud Cassiodorum *lib. 9 epist.* 18. prævenit, permittitur procedere contra hos delinquentes, & Inquisitor in hoc casu curat illos sibi consignari, ut eos expediat circa id, quòd ad fidem pertinet, eos interrogando, & examinando, quid sentiant de sacramento Matrimonii, & de Monogamia, vel polygamia ac circa fidem. Quòd si hæreticos repererit cogit abjurare, tanquam hæreticos formales. Si verò remanent dumtaxat suspecti, coguntur abjurare de levi, vel de vehementi suspicione hæresis juxta quantitatem suspicionis, & qualitatem facti cum pœnitentiis Canonicis, & salutaribus, & postea restituuntur Judici Sæculari, ut suo fungatur officio, eosque puniat juxtà leges sæculares. Idque præcipuè in Regno Neapolitano, in quo non est tribunal Inquisitionis, pertinet ad Episcopum Ordinarium, qui est in hac pacifica & antiqua possessione has Causas cognoscendi sine aliqua contradictione in contrarium, quæ prævalere potuerit, cum negari nequeat, eum qui prætendit, esse licitum, ducere plures simul, vel eodem tempore uxores, errare circa fidem, & male sentire de Sacramento matrimonii.

Neque verum est quòd iactitant Judices sæculares in Regno Neapolitano in Causis mixti fori non esse locum præventioni, sed pertinere ad solos Judices sæculares, & esse in hac possessione immemorabili ex privilegiis concessis à Romanis Pontificibus & à Sede Apostolica Regibus Neapolitanis in d. Regno, atque adeo crimen Polygamiæ, quod mixtum est, cum prohibeatur tum jure Canonico tùm Civili, asserentes, Judicem Ecclesiasticum posse solùm se ingerere in causis polygamiæ, quando delinquentes tenent esse licitum, quòd eodem tempore possunt haberi plures Uxores, quo in casu certum est, illos esse hæreticos formales. Nam de his concessionibus & privilegiis non liquet, & quatenus liqueret non ita sunt ampla & copiosa, quemadmodum in animum sibi inducunt, ac revocata sunt, revocanturque in Bulla Cœnæ Domini quæ solemniter quotannis coram Oratoribus Regiis à Summo Pontifice publicatur. Quod quidem congruit cum sancto zelo, ac rectæ intentionis Regis nomine, ac re Catholici, quòd in suis Regnis, imitando suos Progenitores æternæ, & gloriosæ memoriæ, professus est, ac profitetur, S. Inquisitionis Officium, quod aliud non respicit, nisi solam animarum salutem, ac veram, & solidam conservationem Regnorum, retineri illæsum ab omni vi, ac offensione, æstimari, beneficiis affici, ac illi omnes obedientes præberi,

Et sanè,

Et sanè, omisso, quòd hæc Consuetudo immemorabilis, ac privilegium procedendi privativè in causis mixti fori nequeat probari, neque ostendi ab eisdem sæcularibus, respondetur crimen Polygamiæ non esse mixti fori. Nam Doctores citati tenent, Polygamos esse subjectos Jurisdictioni S. Inquisitionis. Quia male videntur sentire de Sacramento matrimonii, ideoque coguntur abjurare tanquam vehementer suspecti, quamvis negent pravam intentionem, cum ex facto ipso, id est, ex eo, quòd duxerint secundam Uxorem vivente prima, oritur vehemens hæresis suspicio, & propter hanc vehementem suspicionem, damnantur ad triremes juxtà praxim antiquam, & consuetudinem S. Inquisitionis.

Adducunt etiam ipsi Judices Sæculares, à se punitos fuisse multos Polygamos. At respondetur quòd, hoc admisso, sine tamen veritatis præjudicio, S. Officium nullam de hoc habuisse cognitionem, & cum illam habuerit, curavit reos sibi restitui, ut ex rebus judicatis superiùs deductis.

Addunt, in Regno Neapolitano non extare, ut præmissum est, Tribunal Inquisitionis, ac proindè in eo locum non habet Constitutio B. Pii V. *si de protegendis.* sed falluntur. Nam licet in dicto regno non extent Inquisitores delegati, extant tamen Ordinarii, qui de jure sunt Episcopi, & constitutio comprehendit etiam illos, qui offendunt ministros Episcoporum, qui munus S. Officii in sua diœcesi, aut provincia obeunt, pro ut legitur apertè in dicta Constitutione.

Contrà igitur Judices, ac ministros laicos, qui ausu temerario jurisdictionem Episcoporum in crimine Polygamiæ impediunt, prætendentes ad se pertinere privativè, quò ad dictos Episcopos, illius cognitionem, debent ipsi Episcopi pronunciare illos excommunicantes, & viriliter officio suo fungi, non obstantibus regiis Hortatoriis, decernique debet à Sacra Congregatione Monitorium contra eos, tanquam impeditores S. Officii, ad personaliter comparendum, quòd affigi debet in loco eorum residentiæ, ac mittendum ejus exemplar Nuncio Apostolico Neapolitano, ac insuper mandandum, ut procedatur ad ulteriora, & observentur termini juxta formam Monitorii. Et durante contumacia, poterit, instante Promotore fiscali, concludi in causa, ac proferri sententiam declaratoriam in hunc tenorem, Per hanc nostram declaratoriam sententiam in causa coram nobis vertente inter N. N. Promotorem fiscalem Officii S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis inquirentem, sive promoventem ex una, & N. N. Officialem sive Ministrum Curiæ sæcularis reum nominatum, & citatum ad comparendum personaliter coram uobis in nostra congregatione, sive &c. R. P. N. N. Ordinis Prædicatorum Commissario nostro, & se se expurgandum de, & super nonnullis contra ipsum militantibus, & urgentibus, ac Officium S. Inquisitionis concernentibus sub pœnis, de quibus in nostro Monitorio, partibus ex altera, pronunciamus, sententiamus, & declaramus, dictum N. N. ob non paritionem dictarum litterarum monitorialium Contra eos ad instantiam prædicti Promotoris fiscalis decretarum, & exequutarum incidisse, & incurrisse in excommunicationem Majorem latæ sententiæ, perpetua infamia, confiscationis omnium, & singulorum bonorum suorum, mobilium, & immobilium, præsentium, & futurorum, & alias pœnas in eisdem litteris monitorialibus contentas, litterasque declaratorias de super necessarias, & opportunas decernendas, relaxandas, & publicandas, mandatum executivum de ipsum ubicumque locorum repertus fuerit, capiendo, similiter decernendum, & relaxandum fore & esse, pro ut hac præsente nostra sententia decernimus, relaxamus, & publicè mandamus omni meliori modo. Ita pronunciamus, & declaramus Nos infrascripti Generales Inquisitores.

Mandari etiam poterit à Sanctissimo ut procedatur ad ulteriora, & ad publicationem interdicti, ac servari terminum, ac decerni litteras aggravatorias, easque publicari, & mandari, ut restituatur Polygamus, ac remittatur Episcopo suo, qui expeditâ causâ, illum remittat Officialibus regiis, dummodo prævenerint, & non aliter, nec alio modo, meliusque est, ut rescribatur simpliciter, ut restituant polygamum suo Episcopo ad effectum cognoscendi causam, spectantem, ad S. Officium. Mandari item poterit Episcopo, ut consignato sibi polygamo, atque accepto, absolvat præfatos Officiales, sive Ministros ab excommunicatione publicè, si tamen petierint absolutionem, quòd si dicti Officiales, & ministri, consignantes Polygamum, protestentur, non prohibetur illis quin possint protestari, Episcopi tamen non consentiant protestationibus. Restituitur nonnunquam Polygamus Nuncio Apostolico, qui neque ipse consentire debet protestationibus, mittiturque ad Urbem damnaturus ad triremes. Denique si dicti officiales, vel ministri petierint absolutionem, possunt jussu S. Congregationis publicè absolvi præ foribus Ecclesiæ.

Absolutio verò non solet concedi à Sanctissimo simpliciter, neque ad cautelam, neque cum reincidentia, sed mandari contra impedientes servari terminos ad formam monitorii, & facta relatione contra ipsos fuisse servatos terminos ad docendum se paruisse litteris monitorialibus, Sanctissimus mandat procedi ad declaratoriam cum Clausula, nisi infrà mensem paruerint, ac satisfecerint. Relatisque citationibus, ac terminis servatis per Promotorem fiscalem reproductis juribus, & facta instantia decernitur ipsos citari ad sententiam. Et facta citatione, fertur sententia, declarando ipsos incidisse in pœnas in monitorio contentas. Quòd si petierint absolutionem à prætenso incursu censurarum, petitio est rejicienda, tanquam improba. Debent enim fateri delictum, ac petere absolutionem simpliciter, aliàs procedendum ad ulteriora. Si verò coram Episcopo, vel Nuncio Apostolico personaliter comparuerint, & cum humilitate, ac simpliciter petierint absolutionem, & censuris per se incursis, absolutio iis impartiri poterit in forma Ecclesiæ consueta à Pontificali Romano præscriptam, ac præstito per eosdem juramento, quòd id, aliave hujusmodi, propter quod excommunicationem incurrerant, in posterum non committent, nec causis, aut ministris S. Officii impedimentum aliquod præstabunt, eisque pœnitentiæ salutares ex arbitrio imponantur, & absolutio poterit committi, ut detur illis domi ipsius Episcopi, vel Nuncii, convocatis Episcopis, qui Neapoli commorantur, Vicario generali, vel capitulari tribus Canonicis, nec non aliquibus superioribus insignium Religionum, præsente Notario, qui omnia in acta referat, & instrumentum Conficiat, cujus exemplar authenticum ad S. Officium Urbis transmittendum & asservandum in processu. Videatur quòd dixi hac de re in nostro Consultatione 115. *tom.* 1. *editionis Venetæ.*

Effata, sive parerga sunt. Causæ polygamiæ pertinent ad S. Officium, ac proinde cognoscuntur ab Inquisitoribus. Ubi autem ij non sunt, ab Ordinariis, qui in locis, in quibus Inquisitores sunt, tenentur processum illis communicare.

Inquisitores Lusitaniæ de hoc crimine cognoscunt privativè, etiam quò ad Episcopos.

Quamvis prætendant Judices sæculares, hujusmodi causas esse mixti fori; attamen, licet per torturam

intentio purgetur, adhuc remanet abusus sacramenti, & sacrorum rituum Ecclesiæ, qui puniendus est à S. officio.

In ejus causis falsum deponentes, puniuntur in S. officio, etiamsi sint testes spontè comparentes.

In crimine Polygamiæ, si Curia sæcularis prævenerit, Inquisitor debet examinare Polygamum in iis, quæ pertinent ad fidem, ac super intentione, illumque cogere ad abjurandum de levi, vel de vehementi, juxta facti qualitatem, postea sinat, ut Curia sæcularis, quæ prævenit in carceratione, exequatur pœnam triremium.

Quando S. Officium prævenit in captura polygamorum, eos non consignat Curiæ sæculari, sed illos punit. Si verò prævenerit Curia sæcularis, mandat Inquisitor sibi illos consignari, ut interrogentur super intentione, illosque expediat prout juris, & postea restituit.

Causa polygamiæ pertinet ad S. Officium ob suspicionem hæresis ex facto ipso resultante.

Polygamus expeditur cum abjuratione de vehementi publica, vel privata, damnatur ad triremes, & ad resarciendum damna secundæ Uxori.

Si mortua prima uxore, voluerit cum secunda contrahere, indiget dispensatione Apostolica, quæ passim conceditur.

Qui tentat ducere secundam uxorem, abjurat de levi, & manet præ foribus Ecclesiæ. Aliquando etiam damnatur ad triremes.

Petenti licentiam conversandi cum secunda prætensa uxore, ob periculum vitæ, non est annuendum.

Qui abjurat de vehementi, ac deinde cohabitat cum secunda uxore, non obstante præcepto de non cohabitando, repetit abjurationem, & damnatur ad triremes.

Nullo modo permittere debet Inquisitor, ut cognoscatur nullitas primi matrimonii coram Ordinario, antequam declaretur nullum secundum, ab ipso Inquisitore, ad quem hujusmodi causarum cognitio pertinet. Quòd si in defensionibus polygamus probabit nullitatem primi matrimonii, evadet tantùm pœnam Ordinariam, non autem pœnam illi imponendam ratione temeritatis.

Cognitio causæ ob attentatam polygamiam, & homicidium commissum in personam primæ uxoris, ad effectum contrahendi cum secunda, quò ad homicidium pertinet ad Judicem sæcularem quòd verò ad polygamiam attentatam, ad Inquisitorem, qua finita, decernit de persona rei, ita ut non deveniat ad potestatem Curiæ sæcularis, cum non sit praxis tribunalis S. Officii remittere reum ad alios Judices, nisi ab eis fuerit receptus.

Cæterùm quò ad alia sacramenta legantur errores hæreticorum apud Jodocum Coccium, in suo Thesauro Catholico, ubi adversus illos sacræ litteræ ac Patres tùm Græci, tùm Latini. Nos tantùm hæc annotavimus.

Potest Episcopo concedi licentia ministrandi sacramentum Confirmationis absque mitra.

Oleum sanctum infirmorum permittitur deferri super triremibus, pro conferenda extrema unctione, dummodo decenter & cautè custodiatur.

Propositio, quòd sacramentum extremæ unctionis possit validè ministari oleo ab Episcopo non benedicto, existimatur temeraria, & errori proxima.

Oleum enim quod est materia sacramenti extremæ unctionis debet esse benedictum ex necessitate sacramenti, ita, ut, seclusa benedictione, non valeat sacramentum. Desumitur ex Concilio Tridentino in decreto Eugenii, ubi dicitur, quia tum sacramentum est extrema unctio, cujus materia est oleum olivæ per Episcopum benedictum & ex concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.* 1. *de extrema unct. in fine*, ubi ait, intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum, ab Episcopo benedictum. Ratione autem probari non potest. Quia cum hoc dependeat è libera institutione Christi, non potest aliundè talis institutio ostendi, nisi quia sic Ecclesia intelligit, ut inquit Concilium Tridentinum.

Neque dicas ex his Conciliis convinci quidem, quòd requiratur benedictio, non autem quòd sit necessaria necessitate sacramenti.

At contrà, Concilia declarant dogmaticè, quænam sit materia sacramenti extremæ unctionis, & dicunt esse oleum benedictum, quod non esset verum nisi benedictio ingrederetur constitutionem materiæ, quia quod prædicatur in recto de subjecto, identificatur cum ipso, & si non identificatur, non potest prædicari. Et dum assignant pro materia oleum, non quomodocumque sed qualificatum per benedictionem, oportet quòd ista qualificatio pertineat ad rationem materiæ, alioquin assignarent aliquid pro materia, quod non pertineret ad materiam. Sic quia materia remota baptismi est aqua naturalis, absque eo quòd sit benedicta, quamvis ab Ecclesia soleat benedici; attamen quando Concilia assignant materiam, non dicunt esse aquam benedictam, sed aquam naturalem. Ita Concilium Florentinum in decreto pro Armenis §. *Primum omnium*, ibi materia hujus sacramenti est aqua vera, & naturalis, nec refert, frigida sit, an calida. Et Concilium Tridentinum *sect. 7. can. 2. de baptismo.* Ergo cum dicant materiam extremæ unctionis esse oleum benedictum, & non simpliciter oleum, opportet dicere, quòd oleum non benedictum non sit sufficiens materia, ita ut benedictio sit de necessitate materiæ.

Neque infertur, quòd sola aqua sit sufficiens materia pro baptismo ex eo solùm, quòd scriptura mentionem faciat solius aquæ, sed etiam quia ita fert traditio, quæ declarat scripturam. Traditio autem declarat scripturam, quòd oleum debeat esse benedictum, & ideo inferri non potest, quòd sufficiat oleum non benedictum.

Potest tamen hæc benedictio à summo Pontifice concedi simplici sacerdoti. Desumitur ex consuetudine Græcorum, apud quos, ut alibi annotavi, sacerdotes ministraturi sacramentum extremæ unctionis benedicunt oleum totiès quotiès est ministrandum, hic mos est vetustissimus, ut constat ex Euchologiis. Unde cum viguerit ante schisma, non est damnandus. Imò fuit approbatus à Clemente VIII. in instructione super ritibus Græcorum *tit. de Oleo Catechumenorum, & infirmorum* apud Arcudium *lib.* 5. *de sacram. cap.* 2. *vers. Postremò*, ubi hæc habet *non sunt cogendi presbyteri Græci olea sancta præter chrisma, ab Episcopis diœcesanis accipere, cum hujusmodi olea ab eis in ipsa oleorum, & sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu conficiantur, seu benedicantur.* Quando autem Concilium Tridentinum, ac Florentinum aiunt, oleum ab Episcopo benedictum esse materiam extremæ unctionis, intelligunt de Ministro Ordinario benedictionis, non autem de Ministro necessario pro validitate materiæ, & sacramenti. Et hæc explicatio necessaria est ad concordandam declarationem Clement. VIII. cum Conciliis, dum præcipit quòd Sacerdotes Græci sinerentur uti suo ritu benedicendi oleum pro sacramento extremæ unctionis. Unde est explicatio autoritativa, quia nascitur ex facto, & declaratione Summi Pontificis.

Consultatio CXIX.

De Abusu Verborum Sacræ Scripturæ.

QUi sacram Scripturam perperam, atque erroneè intelligit, sive interpretatur aliter, quam spiritus sancti sensus efflagitat, impropriè & largo modo, seu in lata significatione, hæreticus dicitur 24. *quæst.* 1. *can. hæreticus*, & tradit Eymeric. *in direct. p.* 2. *q.* 31. *n.* 4.

Atque hinc est, quòd S. Concilium Tridentinum sess. 4. decreto de editione, ac usu sacrorum librorum in fine, temeritatem illam reprimere volens, qua ad prophana quæque convertuntur, & torquentur verba, & sententiæ sacræ scripturæ, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones impias, & diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos, mandat, & præcipit ad tollendam hujusmodi irreverentiam & contemptum, ne, de cætero, quisquam quomodolibet verba scripturæ sacræ ad hæc, & similia audeat usurpare, & omnes hujus generis homines, temeratores, & violatores verbi Dei, juris, & arbitrii pœnis per Episcopos coerceantur; quando scilicet in sortilegiis verba sacræ scripturæ, quæ usurpantur, hæresim non saperent, alioquin pœnâ hæresis puniendi, *cap. accusatus* §. *sanè*, ibique Gloss. *de hæret. in* 6. Unde Inquisitores procedere possunt contra hujusmodi reos, ut per Pegnam *in direct. p.* 3. *com.* 17. testaturque Locatus post suas quæstiones, *Concl.* 1. quòd quidam Rocchus, Religiosus professus, cum in turpi ludo hymno, *jam lucis orto sydere*, immiscuisset nonnulla verba impudica, & actus inhonestos addidisset, fuit fustigatus in palatio S. Officii, omnibus actibus legitimis, ac voce activa, & passiva per decennium privatus, ac per triennium sexta feria jejunio afflictus. Quòd etiam refert Farinac. *de hæresi quæst.* 178. *num.* 52.

Non rarò etiam experti sunt divinum judicium usurpantes sacræ scripturæ verba in prophanos sensus, ut refert Simanchas *de Cathol. instit. tit.* 59. *n.* 17. ut de Theodota poeta, qui cum in quadam tragædia vellet aliquid ex sacris libris admiscere, ei oculos glaucomate suffusos caligasse, & cum erratum cognovisset, exorato Deo, redditam aciem. Similiter de Garzia Sancio Pacensi, qui dum furori Poetico nimium indulgeret, ac sacras Jobi lectiones profanis amoribus accommodare tentaret, justissimo Dei Judicio mente lapsus est. Scripturam quippè sacram pervertere ad confirmandum errores, gravissimum sacrilegium est, illaque abuti ad res turpes, & obscœnas gravissimum peccatum, ut per Suarez *lib* 3. *de Sacrilegio cap.* 7. *numero* 1.

Isti enim videntur quodammodo fidem facere impudentissimæ assertioni eorum, qui scripturam sacram audent appellare nasum cereum, aut regulam plumbeam, in omnes partes flexibilem; imo ad res etiam prophanas ac impias probandas, flexibiliorem, & faciliorem, quam facile est ex pedibus, aut semipedibus, aut penthemimeribus Virgilianis, epithalamia, seu quidvis aliud congerere, de quo Andrad. Canis. & Asot. *in Enchir. de eccles.* Pamel. *ad Tertull. de præscript. adversus hæreses.* Nam pleraque illa in Catholicos feralia hæreticorum dicta, & catholicorum quorumdam libelli famosi etiam in summos viros Ecclesiasticos, scripturæ dicta sunt, sed ira scripturæ, ut verba solùm compareant, res, sententia, consequentia, si animo sedato expendas, absit quàm longissimè. Quid verò est sudare in re minimè ludicra, si hoc non est? Sint enim sanè in aliis concinnandis centonibus à sententia flexus isti liberi. Habeant sibi laudem suam Centones Homerici Pulcheriæ, Virgilio cento Probæ Falconiæ, hominum ingeniosorum lusus alii, Zonaras *tom.* 3. *in Theodosio jun.* At sacræ scripturæ verba palam obtorto quasi collo trahere in alium, ac diversum à vero sensu sensum, ac, ut ipsi aiunt, instar cerei nasi, ad probanda quælibet, etiam sceleratissima, torquere, id verò nimis quàm impudens, scelestum, impium, planèque hæreticis dignum est, qui, quod dicendum obiter, in suis libris nefariæ hujus impudentiæ specimen exhibent egregium. Hi enim, hisque similes locos sacræ scripturæ cum magna confidentia ad paradoxa quædam immania, & Principibus catholicis, totique Ecclesiæ Romanæ exitiabilia detorquent. Sed hæc hactenus.

Qui autem curat sciaticam, vel potiùs eam curare prætendit verbis Sacræ Scriptura, potest dimitti prævia instructione, ac pœnitentiis salutaribus cum præcepto de abstinendo ab hisce, atque hujusmodi aliis.

Consultatio CXX.

De ortilegiis, ac Sortilegis. Quotuplex sit Sortilegium? Torreblancæ hallucinatio. Quænam dicantur ac sint sortilegia qualificata, quæ non qualificata, sive quænam sint hæreticalia, quænam simplicia?

SOrtilegia, & maleficia pro eodem quandoque accipiuntur. Nam sortilegium dicitur superstitio quædam illusoria, & maximè nociva, qua utitur homo dæmonis ministerio, ut per D. Thomam 2. 2. *q.* 95. *art.* 3. ibique Cajet. Delatorre, Suarez & alii, & habetur *in can. quæ sine salvatore* 26. *q.* 2. *ac l. nemo, & l. multi C. d. malef. & mathem.* Sortilegi autem dicuntur divinatores, & malefici, hostes humanæ salutis, *l. etsi excepta & l. fin. C. eod* Grilland. *de sortileg. cap.* 1. Farinac. *in pr. cr. q.* 28. *n.* 73. Bodinus *de dæmonom. lib.* 1. *cap.* 1. Scaccia *de judic. lib.* 1. *cap.* 12. Carena *p.* 2. *tit.* 12. Malleus, Remigius, Victoria, Nider, Nazarius, Sylvester de strigibus, aliique plures.

Sortilegium autem strictè sumptum à sorte desumitur, & accipitur pro arte divinandi, ut notavit Grilland. *loc. cit. cap.* 2. *n.* 1. & hoc modo sumit textus hoc verbum *in can. sortilegi sunt* 26. *q.* 1. at generaliter sumptum dicitur tam de divinatoriis, quàm etiam de superstitionibus ad maleficia, vel ad amorem. Unde sub hoc nomine continentur Incantatores, Divinatores, striges seu Lamiæ, Sortilegi, Idololatræ, Magi, Arioli, Aruspices, aliique, de quibus Zanchinus *de hæret. cap.* 22. Delrius *Magic. lib.* 2. & 3. Remig. *de dæmonolog.*

Duplex est. Hæreticale, ac simplex. Hanc distinctionem tradunt Eymeric. *in direct. p.* 2. *q.* 42. ibique Pegna, Scaccia, Farinacius, Masinus, Delrius, Paramus, Locatus, Simancha, Malleus, Delatorre, Navarrus, Clarus, Suarez, Royas, Castrius, Grillandus, Carena, qui omnes pro certo sumunt, sortilegia alia esse qualificata sive hæreticalia, alia non qualificata, sive non hæreticalia, sed simplicia.

At Delrius, & Torreblanca *lib.* 3. *cap.* 8. tertium invehunt membrum sortilegii, scilicet hæretici. Aiunt enim, hæreticale significare tam quod sapit hæresim, quàm quòd hæreticum est. Sed hæreticum dicitur factum, quòd veritati catholicæ repugnat, non formaliter, sed materialiter; quia est materia, circa quam

intellectus

intellectus aberrans, versatur in hæretico errore. Ad factum autem sapiens hæresim sufficit, ut qui asseret fieri posse, quòd facit, ejus propositio sapiat hæresim. Verbi gratia. Si quis sacramentalia misceret usibus profanis circa pactum expressum, vel invocationem expressam dæmonis, factum ageret sapiens hæresim; quia, si diceret, hoc fieri oportere seu licere, hæc assertio saperet hæresim.

Hæc tamen distinctio rejicitur. Tum quia insolens ac nova est. Tum quia non necessaria, falsoque nititur fundamento, videlicet miscere sacramentalia usibus profanis circa pactum expressum, vel invocationem expressam dæmonis, facere factum, sapiens hæresim tantùm; quia, si diceret, hoc fieri oportere, seu licere, hæc assertio saperet hæresim. Nam est hæresis manifesta asserere licitum esse alium, quam Deum invocare, vel ejus Sanctos, ut ejus amicos, ac præcipuè hæreticum est invocare dæmonem, Dei hostiem, ut docet Pegna cum Eymerico *d. p.* 2. *q.* 42. Nec abuti sacramentalibus, ut aqua benedicta, in usibus vanis vel superstitiosis præcisè est hæreticale, & qualificatum experimentum, ut pluries decisum in sacra Congregatione supremæ Inquisitionis. Nec ullo modo sortilegium potest esse qualificatum, aut hæreticale, quod non involvit propositionem hæreticam. Aliàs enim non posset reo indici abjuratio, quæ tantùm propter hæresim indicitur, quam implicat sortilegium qualificatum, non propter suspicionem propositionis suspectæ. Atque ita satis scitè Arauxo *p.* 1. *disp.* 2. *de attib. theolog. dub.* 7. inquiens, hæresim sapiunt in dicto, vel facto aliquæ superstitiones. Ex quibus colligitur probabiliter, intellectum eas operantis, versari in aliquo errore, vel sensu hæreticali, ut si quis rebaptizet aliquem scienter, sic & adorantes dæmones, illosque invocantes. Ideoque Moura *sect.* 3. *cap.* 1. *in fine*, jure succenset Farinac, ac Delrio, dicentibus, sortilegium posse esse hæreticale, & non sapere hæresim, rectèque addit cum Pegna & Suarez, factum hæreticum non facere utentem formaliter hæreticum, sed suspectum.

Quinimo difficultas est apud Doctores, an imponi debeat abjuratio proferenti propositiones erroneas, evidenter illatas ex una de fide, & altera nota lumine naturali, quæ propterea dicuntur de fide in secundo gradu, vel propositiones catholicæ aut theologicæ apud alios. Plerique negant; quia talis non est habendus, pro vero hæretico sed tantum pro hæretico præsumpto. Ita Cano *lib.* 12. *de loc. theol.* Bannes 2. 2. *q.* 1. Castropalaus, Sanchez, quos refert, ac sequitur Carena. Nam poterit fortasse quis credere quicquid per Ecclesiam revelatum est cum negatione alicujus propositionis theologicæ, vel de fide in secundo gradu, vel quia principio evidenti non assentiatur, vel quia credat, rectè non inferri ex principio de fide, & altero, naturali lumine evidenti. Haberetur tamen pro hæretico præsumpto ut ait idem Bannes, quem alii sequuntur, nominatim Castropal. *p.* 1. *tr.* 4. *disp.* 3. *pun.* 2. Sanchez *in decal. lib.* 2. *cap.* 8. Carena *tit.* 1. §. 6. Diana *p.* 4. *tr.* 8. *resol.* 79. ubi alii. Quia nemo præsumitur negare principium evidens lumine naturæ, neque illationem rectam ex præmissis. Quare concludunt nonnulli, quòd si talis esset philosophus, & perseveraret, esset puniendus, tanquam hæreticus, negans principium à Deo revelatum. Videatur Pegna. Sed aliquando viri docti coacti sunt ad retractationem hujusmodi propositionum, illasque revocare, non autem abjurare dignis de causis.

Si autem emendetur codex Delrii, & pro *circa pactum* legendum *citra pactum*; tunc adhuc est, esse de fide, non licere miscere sacramentalia, sive divina usibus profanis, præcipuè ad pravum finem, ut abuti sacra scriptura, Pater noster, vel aqua benedicta ad captandum improbum amorem. Tunc enim reus prætensus posset rectè interrogari de credulitate, an crediderit, credatve, licitum esse abuti sacramentalibus aut rebus, verbisque divinis ad pravum finem, ut ad mœchandum, & sic est experimentum qualificatum.

Addendum etiam contra Delrium, Carenam, Pegnam. Delatorre, Farinacium, Scacciam, & Arauxo 2. *p.* 1. *dub.* 3. ac nonnullos alios, non esse sortilegium qualificatum, superstitiosè ac vanè, citra pactum cum dæmone expressum, uti aqua, vel cera benedicta, agno paschali benedicto, imo & Pater noster juxta praxim supremæ Inquisitionis, ac meritò quidem. Nam aliàs, qui deferret chartam, in qua esset exaratum Pater noster, vel Evangelium S. Joannis, vel aliud hujusmodi ac diceret, quòd certò non offenderetur ab inimicis. quod vanum, & superstitiosum est, ac subderet, quòd debeat recitari quotidie in aurora, vel in mutatione Lunæ, aut cum alia circumstantia vana, esset experimentum qualificatum, & talis debet abjurare de vehementi cum pœnis tali abjurationi annexis. Et tamen, nisi aliud addatur, hujusmodi rei expediuntur ferè omnes cum pœnitentiis salutaribus, sicut & committentes alias superstiones simplices.

Imò plures existimant, hæc non pertinere ad S. Officium. Quod etiam videtur colligi *ex cap. accusatus de hæret. in* 6. *ubi Glossa.* Verùm hodie in his etiam S. Officium procedit, cum in iis pactum supponatur implicitum cum dæmone, ut alibi diximus, & fuit decisum in Curia Archiepiscopali Neapolitana in causa cujusdam vetulæ octogenariæ, quæ hujusmodi simplicia sortilegia committebat ad sanandum infirmitates, teste Riccio *tom.* 2. *dec.* 144. Unde tales debere denunciari S. Officio, tradit Bonacina *de legib. disp.* 3. *quæst.* 5. *pun.* 4. *n.* 18. testaturque Carena, ita observari Cremonæ, subde, & in aliis tribunalibus fidei. Nec hodie post Constitutionem Sixti V. adversus astrologiam judiciariam est ampliùs dubitandum, ut alibi probavimus. Unde, hac visa Constitutione, & quòd anno 1518. à supremo Tribunali fuerit iterum indicta ejus observatio singulis Inquisitoribus, Torreblanca revocavit sententiam, & affirmativæ adhæsit *in appendice ad cap.* 9. *lib.* 3. Quod etiam fecit Moura *sect.* 3. etsi tantùm dicat de sapientibus hæresim, licet non manifestè. Quod tamen ad eundem sensum alibi reduximus. In citato autem *cap. accusatus*, solùm decernitur, quòd in favorem fidei quædam divinationes non habent cultum dæmonum manifestum ex interpretatione Cajetani.

Hisque suffragatur D. Thomas *loc. cit. & quæst.* 92. *ar.* 2. *ad* 3. ubi ad ultimum genus superstitionis reducit superstitionem simplicem aliquarum observationum. Et *quæst.* 95. *ar.* 2. vanam vocat superstitionem inquisitionem futurorum, ex operatione dæmonum provenientem absque expressa dæmonum invocatione, sed solùm quia dæmones se ingerunt vanis inquisitionibus futurorum, ut mentes hominum implicent vanitate. Quod confirmat Cajetanus ibidem. Sic etiam probat Carena *ibidem n.* 5. Inquisitores esse Judices competentes in sortilegiis sanitatis, quæ ab Hispanis *Ensalmos* dicuntur. Quod est medicamentum infirmo adhibendum per psalmos, & orationes, de quo plura nos alibi.

Sortilegium autem qualificatum, aut hæreticale primùm verè dicetur apud omnes, nominatim Pegnam Delrium, Carenam, Delatorre, Farinacium, & Arauxum, atque alios, dum exempli gratia reiteratur baptismus, vel baptizantur imagines, vel magnes, vel cadaver hominis, vel brutum, vel quidvis aliud incapax sacramenti. Factum enim hoc reddit suspectum operantem, quòd credat licitum esse reiterare

baptiſmum, vel bruta baptizare, ut per Farinac. *de hæret. q.* 181. *n.* 23. *& ſeq.* Scacc. *de judic. lib.* 1 *cap.* 12. Pegn. *com.* 67. *verſ. postremò generaliter*, Leon. *in theſ. for. Eccleſ. cap.* 36. *n.* 10. Delrium *lib.* 5. *magic. ſect.* 15. *ac* Delatorre, & alios.

Secundò, hæreticale etiam ſortilegium eſt, quod fit cum invocatione, vel adoratione dæmonum, ſive latria, ſive dulia ſoli Deo, & Sanctis debita. Dicitur autem honorari dæmon dulia, ſi vocaretur ſanctus, vel Beatus, vel ei genuflecteretur, vel preces funderentur, luminaria accenderentur, thus, aliaque aromata offerrentur, immolaretur aliquod animal, vel ſanguis proprius, de quibus Eymeric. *p.* 2. *q.* 43. ibique Pegna, Scaccia ubi *ſupra*, Leon. *loc. cit.* & Carena *d. tit.* 12 *p.* 2. §. 4. Idem dicas de uſu ſpeculi ad præſciendum futura cum oblatione candelæ, quæ adorationem ſignificat. Item ſi miſceatur chryſma, aut aliquid aliorum Sacramentorum, eſt hæreticale, non quidem ſola aqua benedicta, quamvis ſit materia Sacramenti baptiſmi, niſi magus ea utatur ad pravum finem. Sic & abutens Scripturæ ſacra.

Tertiò eſt quoque ſortilegium hæreticale expoſcere à dæmone, quæ ſoli Deo ſunt propria, ut mortuorum reſurrectionem, cæci nati illuminationem, veram & propriam creationem, prædicere futura, quæ non cognoſcuntur in cauſis determinatis, ac præcipuè certò cognoſcere actus liberos voluntatis, ac id genus alia, ut per Pegnam cum Eymerico, Farinacium, Delatorre, & Carenam locis allegatis.

His adde Sanctorum imagines conculcare, Sacramentis abuti, cruces dejicere, & quæcunque ſortilegia patrata ab habentibus pactum cum dæmone expreſſum, etſi talia non eſſent ex parte operis; ut ſi à dæmone peteretur, ut revelaret quod quis furatus eſt, & quod ipſe probè novit, cui patent univerſa quæ ad naturalem ordinem ſpectant. Imò ſine expreſſo pacto ſi hæc, atque alia, quæ dæmon poteſt, petantur ab illo deprecativè, ut per Eymericum, & Pegnam ibidem, Zanardum *in ſum. tom.* 2 *cap.* 64. Genuenſem *in pr. cap.* 18. *num.* 11. & Carenam *loc. cit.* Secus ſi imperative licet hoc ex genere ſuo ſit lethale ut ex Caietano & aliis jam diximus, quia eſt contra fidelitatem Deo debitam, ut vero Domino, Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *cap.* 19. Bincfeldius *in com. l. eorum C. de maleſ. q.* 2. Graff. *tom.* 1. *deciſ. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 8. Farinac. qui alios conſtipat *d. q.* 181. *de hæreſi*, ac Delrius, aliique communiter, tametſi videatur contrarius Oldradus *conſ.* 2. Tiraquellus *de piis cauſ. n.* 3. Geminian. *conſ.* 54. Albertin. *in rubr. de hæret.* Clarus §. *hæreſis n.* 25. & Caietanus *in d. q.* 95. *ar.* 4. qui tamen concordantur cum primis à Delatorre *in d. q.* 95. *ar.* 4. *diſp.* 2. Et quidem Caietanus *loc. cit.* de inquiſitione per occurſum dæmonis per accidens, & tranſeunter ex D. Thoma loquutus eſt, non de invocatione, aut deprecatione, importante cultum materialiter tantùm, theologicè loquendo, ut ipſe Caietanus proteſtatur ad finem ejuſdem Commentarii.

Quare non eſt audiendus Torreblanca, qui plura adverſus hanc doctrinam inaniter fundit, præcipuè, quòd is, qui hæreticalia facta profitetur, ſed pravam intentionem negat, tanquam pertinacem negativum eſſe Curiæ ſeculari tradendum. Et quod peius eſt citat Turrecrematam, & alios, qui de hæretico impœnitente, & negativo loquuntur, vel, ut Eymericus, mox adducendus, ait, de renuente ſatisfacere, prout de jure. Conſtat enim in S. Tribunali plerumque factorum hæreticalium patratores rectè reſpondere de fide, hoc eſt, nunquam ſe crediſſe, illa licere, neque idcirco traduntur brachio ſeculari, ſed, abjurata hæreſi de levi, vel de vehementi juxta qualitatem indiciorum, ac circumſtantiarum, condemnantur vel ad triremes, vel ad carceres per aliquot annos juxta gravitatem delicti, conſideratis aliis circumſtantiis, præcipuè perſonæ delinquentis. Et quid eſt, quòd condemnetur ut relapſus, quem ne conſtat quidem fuiſſe ſimpliciter hæreticum, niſi profiteretur, & prædicaret, iſta eſſe licita, ſed ſolùm habentem præſumptiones juris, quæ ſanè probationes ſunt ad ſuſpicandum, non autem ad convincendum?

Nec alicujus momenti ſunt, quæ Torreblanca ſubdit, nempe fortiora ſunt facta ad demonſtrandum animum, quàm verba, *l. noſtra proviſione C. de teſtam. l.* 3. §. *falſus.* Nam ex factis & geſtis exterioribus animus, & voluntas intelligitur, *l. nutum ff. de leg.* 3. *& cap. vidua de reg. jur.* Rei namque qualitas intentionem agentis demonſtrat, *l. non codicillum C. de teſtam.* Quia qualis eſt actus, talis eſt judicandus animus, cùm plus ſit factis demonſtrare, quàm verbis enucleare, *l. reprehendenda C. de inſtit. & ſubſtit.*

Nam hæc valent ad declarandum crimina, quæ in facto conſiſtunt, non autem in verbis. Et ſanè qui occidit, ſuam intentionem magis oſtendit, quàm qui minatur occidere. Secus autem eſt de peccatis verborum, ac intentionis illa proferentis, qualis eſt blaſphemia, ac hæreſis. Quare ex factis tantùm præſumptio juris oritur. Si quidem talis præſumitur animus, qualia ſunt facta, *can. exiſtimant* 12. *q.* 3. *can. cavete* 22. *q.* 5. Cum enim factum eſt damnatum, & malum præſumitur mala intentione factum, *l. ſi non convicii C. de injur. & famos. libel. cap.* 1. *de præſumpt.* Panorm. *in cap. cum te n.* 29. *de re jud. & in cap. cum ad hæc n.* 1. *&* 3. *de appel.* facitque textus *in l. nam ludus, & in l. item Mela ad leg. Aquil.* At de primis verum eſt, majorem animi voluntatem, ac deliberationem declarare facta quàm verba, *cap. cum filii de hæret. cap. contra chriſtianos eod. tit. in* 6 *cap. dilecti de appel.* Hæreſis autem non in opere, ſed in mentis errore conſiſtit, *can. hæreſis, & can. hæreticus* 24. *q.* 3. D. Thomas 2. 2. *q.* 11. *ar.* 2. ubi Caietanus, Bannes, Aragonus, ac docent communiter Doctores. Fateor tamen, quòd Eccleſia non judicat de occultis, *cap. ſicut, cap. tua nos de ſimon.* Solus enim Deus cognitor eſt cordis, *can. nunc quidem de pœnit. diſt.* 1. ſed ex ſignis animum interpretatur, *can. qui viderit* 26. *quæſt.* 5. *cap. nuper de bigam. & l. dolum C. de dol.*

Proſequitur Torreblanca ibidem alia inconſultè aſſerere, ut, ſapere hæreſim dicitur, quando actus ex ſe divinitatem aliquam creaturæ tribuit, ut, qui dæmonem, tanquam Deum conſulit, vel ei exhibet cultum latriæ, eum tanquam Deum adorando; à dæmonibus petere edoceri de rebus, quæ ſunt Deo reſervatæ, invocare dæmonem ad faciendum, quod ipſe neque ſcire, neque facere poteſt, ut revelare futura, ſuſcitare mortuos. Hæc enim, inquit, ſapiunt hæreſim manifeſtam. Non autem, ſubjungit, invocare dæmones ad furta cognoſcendum, aut qui hoſtiam non conſecratam populo adorandam proponit, & ſuper hoſtiam conſecratam celebrat ad malum finem, & alia hujuſmodi.

At profecto hæc omnia inducunt ſuſpicionem hæreſis manifeſtæ, quòd ſcilicet licitum ſit prædicta exercere. Quòd eſt hæreticum. Suſpicio enim hæreſis conſideratur propriè reflectendo ſupra actum delinquentis. Unde interrogatio circa hujuſmodi ſortilegos ita fit ſemper. An credant, vel crediderint, licitum eſſe, *v. g.* iterari baptiſmum, abuti ad malum finem ſacra ſcriptura, invocare dæmonem, etiam in ordine ad ea, quæ non ſunt Dei propria, licet in hoc non terminetur hæreſis præfata ex parte objecti materialis. Propoſitio autem ſapiens hæreſim multùm diſtat ab hæreticali. Suſpicio autem hæreſis per abjurationem diluitur. Ideoque Eymericus *in direct. p.* 2. *q.* 43. enumeratis pluribus factis hæreticalibus, addit ex D.

Thoma *in 2. sent. dist. 7. art. fin.* in aliis operibus magicis complementum operis virtute dæmonis expectatur. In omnibus enim est apostasia à fide propter pactum initum cum dæmone vel verbo tenus, si invocatio intersit, vel facto aliquo, etiamsi sacrificia desint.

Respondet primùm Torreblanca, D. Thomam agere de sortilegiis tantùm hæreticalibus. Sed longè fallitur, neque hoc Eymericus, & Pegna ibidem tradunt *com. 68.* ut eis Torreblanca imponit, sed hæreticale accipiunt generali modo, licet quandoque hæresim importet objectivè, ac directè, & non solùm oblique.

Deinde respondet, apostasiam quandoque dicere transgressionem præcepti tantùm, *cap. si quis venerit, cap. illud de major. & obed. Glos. in cap. 1. de apost.* At quicquid sit de apostasia variè accepta, id certum est, quòd in hoc casu D. Thomas loquitur de apostasia, saltem implicita, à fide. Nec requiritur operari contra latriam erga dæmonem ad hoc, ut factum sit hæreticale, quemadmodum falsò existimat Torreblanca, licet hoc majorem exprimat errorem.

Subditque, non esse hæreticalia per se Astrologiam, Physiognomiam, Chiromantiam, Augurium, sortilegium, & similia, improbans Eymericum *p. 2. q. 43.* dicentem; quidam sunt sortilegi, & divinatores meri, ut qui ex manus delineamentis divinant, & judicant de effectibus naturalibus, & conditionibus hominum. Nam, inquit Torreblanca, Chiromantia in multis casibus naturalibus permissa est. Insuper ait, non est hæreticale, dæmonem invocare, ut mulierem ad libidinem tentet, & in amorem alliciat, quia hoc non est hæreticum. Similiter ait, neque miscere reliquias sanctorum ad maleficia, quia non est contra latriam, sed contra duliæ venerationem; nec Imagines B. Virginis vel aliorum sanctorum in terram prosternere, calcare, & injuriis afficere.

Movetur, quia hæresis tantùm est in intellectu cum pertinacia ex Turre cremata *in sum. p. 2. lib. 4. cap. 1.* D. Antonino *p. 2. tit. 12. cap. 5.* Simancha *de cath. instit. cap. 31.* ac D. Augustino *1. de Trinit.* dicente: Errare potero, sed hæreticus non ero. Sic enim excusatur Marcellinus Papa, qui tempore Domitiani, & Maximiani à Paganis compulsus idolo thurificavit, ut habetur *in can. nunc autem d. 21.* & Osius, Episcopus Cordubensis Concilio Niceni Præsidens, à Pagano compulsus idolis genuflexit, mente tamen fideli, ut pluribus comprobat Bernardus Alderete *lib. 1. antiq. Hispan. cap. 4.* & D. Cyprianus fuit in errore de rebaptizatione materialiter tantùm, *can. si quis inquit 1. q. 1.* & D. Paulus doctrinam, D. Petri, Principis Apostolorum reprehendit, quia Petrus sentiebat legalia non esse servanda; & Augustinus, ac Hieronymus passim sibi contradicunt, ut habetur *in can. 1. dist. 26.* ubi Glossa inquit: Male sentiebat hic Hieronymus. Latè D. Augustinus *lib. de bono conjug. cap. 18.* Villadiego *de hæret. q. 7. numero 7.*

At in his quoque oscitans aberrat Torreblanca. Non enim distinguit inter hominem hæreticum, & factum hæreticale. Primum dicit errorem intellectus, ac pertinaciam. Secundum verò inducit suspicionem hæresis, ut quòd prædicta operans, credat, illis uti licitum esse. Cyprianus ergo materialiter tantùm protulit hæresim. Sic Augustinus & Hieronymus, si hæreses protulerint, & apud aliquos Osius, de quo Villega *in vita Salomonis*, & nos *alibi*, aliis credentibus in senectute animo hæresi adhæsisse. Quod de Petro nullo modo est affirmandum, cum fuerit jam confirmatus in fide. Marcellinus verò factum hæreticale commisit, unde publicè abjuravit, licet hæreticus non fuerit. Alibique probavimus Astrologiam, & Physiognomiam verè judiciatiam, quæ est stricto modo divinatio, inducere suspicionem hæresis. Et de hac loquitur Eymericus, ita declarante Pegna *ibidem schol. 49.* his verbis: Pars hæc Astrologiæ judiciariæ, quæ interrogatoria vocatur, cùm nulla nitatur ratione naturali, tota superstitiosa est, ac illicita, quæ tunc etiam sapiet hæresim, quando certò aliquid pronunciare audebit ex his, quæ naturaliter sciri non possunt. Non ergo loquitur Eymericus de chiromantia physica, & naturali. Fateor tamen, non esse formaliter, & ex parte termini hæreticum, dæmonem invocare ad libidinem, Imagines B. Virginis, & alia, quæ memorat Torreblanca, scelere aliquo contaminare. Est verò hæreticum affirmare, quòd illa liceant, & hujus hæresis suspectus sit, qui talia committit. Et de hoc formaliter interrogatur in processu de factis hæreticalibus.

Consultatio CXXI.

Utrum sapiat hæresim manifestam invocatio dæmonis ad ea, quæ ipse scire, vel facere potest? Ubi Torreblancæ, ac aliorum aberrationes. Ubi iterum de sortilegiis hæreticalibus, & simplicibus.

Asserit Torreblanca *lib. 3. cap. 8.* non esse sortilegium hæreticale invocare dæmonem, ut mulierem ad libidinem tentet, vel in amorem pelliciat. Quia non est hæreticum per se. Nam Dominus eum vocat tentatorem *Matth. 4.* Nec spernere Imagines B. Virginis, nec populo ostendere ad adorandum hostiam non consecratam & similia, quæ non important hæresim formaliter ex parte termini. Et ad id falsò citat D. Thomam.

Alii quærunt, an quoties constet de pacto dæmonis expresso, sortilegium, sapiat hæresim manifestè, & sic subjiciatur Inquisitoribus, etiam ante Sixti V. Constitutionem adversus Astrologos. Tunc enim propter *cap. accusatur de hæret. in 6.* multorum opinio vigebat, quòd non subjicerentur Inquisitorum judicio sortilegia committentes, quæ non sapiebant hæresim manifestè, ut tenet Eymeric. *p. 2. q. 43.* afferens Archidiaconum, Joannem Anduam, & Jo. Monachum *in d. cap. accusatus §. sanè, & v. manifestè*, & tradunt Grillandus *de sortil. q. 10. n. 7.* & Oldradus, aliique Juristæ. Movebantur, quia dæmon invocatur solùm ad ea, quæ eum scire, aut facere posse, fides non negat. Siquidem ipsemet concursus, & amicitia cum dæmone, præcisa à negatione articuli fidei, licet sit enorme scelus, nihil tamen, ut sic, involvit, ex quo manifestus hæresis sapor justè percipi queat.

Referuntur etiam à Moura pro hac sententia Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. cap. 19.* Sanchez *in decal. lib. 2. cap. 25.* Delrius *magic. lib. 5. sect. 15.* licet videatur postea revocare sententiam, Farinac. *quæst. 181. n. 5. & 34. & 50. & 54. & seq. ac 72. & 81.* ubi in utramque partem videtur inclinare, tandem verò *n 85.* cum Simancha, & Menochio fatetur, dæmonis invocationem facere vehementer suspectum, licet tradat, quòd suspicio de pacto, etiam tacito cum dæmone, non sit factum hæreticale, subdit Inquisitoribus, & carceri.

Contrarium tenent, atque observant communiter Inquisitores post Eymericum *in direct. ibid. §. 3.* ubi ejus Scholiastes *schol. 49.* declarat, quæ sint sortilegia, quæ sapiunt hæresim manifestè his verbis: *Omnia illa sortilegia sapiunt manifestam hæresim, quæ cum aliquo dicto, vel nota, vel facto hæreticali: Hoc enim sufficit,*

sufficit, exerceatur, ut si quis in sortilegio amatorio Deum abnegaret, & Ecclesiæ Sacramenta, vel in eodem sortilegio admisceret Ecclesiæ Sacramenta.

Illa itidem sortilegia, divinationes, sive maleficia sapiunt hæresim manifestè, ac reddunt operantem de hæresi suspectum, in quibus admiscentur non modò Ecclesiæ Sacramenta, verùm etiam res, quas Theologi appellant, sacramentales. Quod intellige juxta jam dicta. Ideo enim, subdit Pegna, hæc reddunt operantem suspectum, quoniam, nisi crederet, talia sacramenta, vel sacramentalia habere virtutem ad maleficiorum operationem, non adhibuisset illa. Unde Inquisitores curabunt hos diligenter de credulitate interrogare.

Postremò ait, generaliter omnia illa crimina sapiunt hæresim manifestè, quæ natura sua præseferunt aliquid, quod est hæresis manifesta, ut baptizare imagines præsefert, quòd illæ sint capaces sacramenti baptismatis, preces nefarias dæmonibus fundere, aut illis sacrificare, idolis genua flectere, & similia præseferunt idololatriam, & manifestam hæresim sapiunt, quamvis nullum factum per se sit hæresis.

Tales enim, inquit Eymericus *loc. cit.* ut hæretici sunt habendi. Quòd si voluerint pœnitere, & abjurare quæ sapiunt hæresim manifestè, & satisfactionem congruam exhibere, sunt per Judices fidei ad misericordiam admittendi; si verò pœnitere noluerint, ut hæretici impœnitentes tradendi sunt Curiæ seculari, animadversione debitâ puniendi juxta *cap. ad abolendam §. præsenti de hæret.* Non quia sortilegi, vel divinatores meri sint, sed quia hæreticalia in his sortilegiis, ac divinationibus committentes, dicuntur sortilegi hæreticales.

Et *cap.* 44. idem Eymericus non solùm prima conclusione, ut hæreticos puniendos statuit tribuentes honorem latriæ dæmonibus, sed etiam si duliæ tantùm, vel hyperduliæ; imo etsi invocent absque aliqua adoratione, adhuc, ut hæreticos judicio Ecclesiæ esse habendos, quod factum videlicet decernit, etiamsi petatur à dæmone, quod non excedit ejus facultatem; sicut enim invocantes Mahumetum, ut prophetam, sunt hæretici habendi, ita & multò magis invocantes dæmonem. Idque comprobatur ex D. Thoma *in* 2. *dist.* 7. *art. ult.* his verbis alibi relatis. In omnibus namque est apostasia à fide propter pactum initum cum dæmone, vel verbo tenus, si invocatio intersit, vel facto aliquo, etiamsi sacrificia desint. Non enim potest homo duobus dominis servire *Marc* 8.

Ideo Augustinus apud eundem Eymericum hos vocat infideles, ac superstitiosos, & Albertus Magnus *in eundem lib. secundo sentent. eadem d.* 7. *ar. ult.* ait: Si autem invocatio non fit nisi opere simplici, tunc est apostasia operis; quia illud opus expectatur à dæmone. Cùm autem expectatur aliquid à dæmone, vel aliquid accipere per ipsum, semper est fidei contumelia, & ideo apostasia, saltem inducens fidei suspicionem. Ac idem sentiunt S. Bonaventura & Alensis *in dictum sententiarum locum*, Panorm. *in cap.* 1. *n.* 4. *de sortileg.* Castrius *lib.* 1. *cap.* 18. *de just. hæret. pun.* Glossa communiter approbata *in d. cap. accusatus de hæretic. in* 6. Simanch. *de cath. instit. tit.* 26. Royas, Squillacensis, Carrerius, Carena, & Moura *de ensalm cap.* 5. *sect.* 3. afferens Barbatiam, & Sylvestrum *v. hæresis* 2. *n.* 5. dicentem ita omnes sentire, ac ita observari, ac Theologos alios, & Juristas, ac item Bullam Joannis XXII. in qua, postquam prædictos omnes invocatores, artemque magicam docentes, eaque utentes vocaverit solo nomine christianos, quia, relicto primo veritatis lumine, fœdus ineunt cum morte, pactumque cum Inferno, submittit excommunicationi ipso facto, aliisque pœnis quas, ait, de jure merentur hæretici per suos competentes Judices, præter bonorum confiscationem duntaxat.

Nec refragatur Sanchez & Suarez apud Mouram *loc. cit.* dicentes hanc Bullam non esse sufficienter promulgatam. Quia non reperitur in Bullario. Nam reperitur inter Extravagantes, extatque apud Doctores, & in Directorio Inquisitorum, ac præsumitur promulgata, ideoque non potest dari excusatio ex ignorantia. His accedit Bulla Julii II. & Adriani VI. relatæ à Pegna, in quibus licet agatur de assumentibus dæmonem in suum dominum cum erroribus contra fidem, videtur tamen etiam extendi ad quoscumque incantatores, ac dæmonum invocatores, ac in illis decernitur, eos omnes subjacere jurisdictioni Inquisitorum, ut de fide suspectos. Et Pius IV. in Bulla, quæ incipit, *Nuntiatum est nobis*, simpliciter statuit, hæreticum esse expectare responsa à dæmone. In Concilio item Carthaginensi relato *in can. Episcopi* 26. *q.* 5. perspicuè habetur dæmonum invocatores esse hæreticos. Nec dissentiunt jura civilia, quæ omnes illos, ut hæreticos puniunt, & docent communiter etiam recentiores, nominatim Candidus, Trullench. Ghetius, Diana, Duardus *in Bull. Cœnæ*, Perer. *apud Mouram loc. cit. cap.* 3. *sect.* 2. *n.* 6. alios referens, Azor *p.* 1. *lib.* 9. *cap.* 26. *q.* 4. Delacruz, Faustus, Augustinus Anconitanus *de potest. Eccles. ar.* 1. *q.* 48. Malleus *p.* 1. *q.* 14. Nider *in comp. malefic.* ubi alios item, ac Bullas Pontificias adducit, Constitutio Sixti V. in qua, ut hæretici damnantur includentes dæmonem in annulis, phialis, ac similibus. Idemque affirmat de perquirentibus furta, & alia secreta in speculis, quos omnes, ut vehementer de hæresi suspectos subjicit Inquisitoribus, in qua indefinitè quidem subjiciuntur privativè quoad seculares, non autem quoad Episcopos omnia magica sortilegia. Indefinita enim æquipollent universali, *extravag. Unam sanctam de major. & obed.*

Neque adversatur Cajetanus 2. 2. *q.* 95. *art.* 4. inquiens, recursum ad dæmonem non sapere hæresim manifestè, quatenus potest ab invocante denudari ab idolatria, & hæresi. Nam loquitur de intentione operantis. Potest enim esse, quòd non credat licitè hæc fieri, ideo non abjurat de formali tales operatores, sed de vehementi, vel de levi, quia intentio operantis præsumitur talis, quale est opus, quòd operatur, *L. si non conviciis C. de injur.* ubi Glos. Quòd injurianti incumbit onus probandi, non habuisse intentionem injuriandi, *cap.* 1. *de præsumpt.* ibique Glossa, ubi quòd mittens lanceas, & sagittas in mortem, & generaliter quodvis delictum in dubio præsumitur dolo factum, tum ex illo Christi, ab operibus eorum cognoscetis eos, & ex illo Philosophi, qualis quisque est, talia dicit, & facit. Quemadmodum enim opera exprimunt mentem operantis, ita & ejus intentionem. Ideoque Caietanus ibidem subdit. Hæc autem accipe dicta theologicè, quoniam non me impedio, an juris intentio sit, quòd contra sortilegos cum injuria sacramentorum Inquisitores procedant. Gaudeat unaquæque scientia suis terminis. Declarant verò se magis Caietanus in *sum. v. Incantatio*, & alibi.

Displicet tamen pro hac doctrina confirmanda ratio à Moura tradita. Quoniam, ait, omne delictum valde enorme, non invitans, voluntatem ex se ad sui patrationem, vel saltem eam retrahens, præsumitur commissum ex errore intellectus. Displicet inquam. Nam ex proprio arbitrio movetur homo aliquando in odium Dei, quo non est aliud majus, retrahens voluntatem, cùm Deus suapte natura sit summè amabilis, & tamen id non sapit hæresim. A dæmone autem trahitur homo commodo utilitatis, vel voluptatis.

Minusque placet quod *cap.* 3. *sect.* 3. tradit idem Moura,

Moura, nempe: Omne delictum valde enorme, per se loquendo, in qualibet materia reddere delinquentem suspectum de hæresi. Adducit Henriquez & Simancham, ut in eo, qui cum fœminis consanguineis, affinibus, monialibus, aliisque id genus facilè committetur, & in eo, qui juramenta scelerata edit. Henriquez tradit exemplum in peccato nefando, Pegna in eo, qui absque necessitate vescitur carnibus ab Ecclesia vetitis, vel raro divinis officiis interest, peculiariter Missæ, vel sacramenta non recipit, vel non jejunat, cùm possit, ac tenetur, vel deierat frequenter. Nam bestialitas non pertinet ad S. Officium, etiam in Hispania, teste Moura, cùm tamen sit enormior vitio nefando, etiam in genere luxuriæ, ut docet D. Thomas 2. 2. *q.* 154. *ar.* 12. *ad* 4. ubi ad hunc sensum cum Glossa exponit illud Genesis 27. de Josepho: Accusavit fratres suos de crimine pessimo. Quia scilicet cum pecoribus miscebantur. Nec scelus nefandum reddit suspectum de hæresi. Unde illud perpetrantes non abjurant in Inquisitione Hispana. Et quamvis antiqua diplomata pontificia loquantur tantùm de nefando crimine pro Hispania, ob propensionem ad illud, potest tamen id à fortiori accipere interpretationem pro crimine bestialitatis. Certum autem est in S. Tribunali plures sponte comparentes, ac se accusantes de bestialitate, expediuntur absque abjuratione, & ad pares cum literis testimonialibus dimittuntur ob timorem, ne accusentur, & puniantur ex ea ratione, quòd bestialitas enormior est scelere nefando.

Ratio igitur vera est, quia non licet ad dæmonem recurrere, illumque invocare. Præsumitur enim sic invocantes credere, id licitum esse. Facta siquidem hæc mentem manifestant facientis, quemadmodum dicta ex Aristotele *lib.* 1. *de interpret.* de quo Paramus *lib.* 3. *de orig. Inquis. q.* 9. Ac licet expressiùs illam significent verba, quippe quæ sunt signa formalia, & instituta per se tantùm ad significandum, facta autem nequaquam; Hæc tamen possunt ad idem significandum adhiberi, ac ita dicuntur signa instrumentalia. Imo possunt quandoque ex circumstantiis expressè significare mentem. Quo pacto intelligendus est Chrysostomus *in psalm.* 13. per quem Simanch. *de cathol. instit. tit.* 30. quanto facta sunt potentiora ad persuadendum, tanto factis, quàm dictis Deum negare, gravius est. Ideoque ait Moura, factum impositum ad significandum formaliter, significat non solùm factum hæreticale, vel hæreticum, aut sapiens hæresim, sed hæresim ipsam, sicut transitus vel reditus ad ritus Judaicos probatus convincit de credulitate hæretica *ex cap. contra Christianos de hæret. in* 6. Sicque comprobatur, plus esse facto quàm verbo delinquere, *L. Paulus ff. rem ratam hab.*

Quomodo autem facta significent mentem hæresi corruptam difficilè explicatur. Ducens simul duas uxores, solicitans ad turpia in sacra confessione sunt quidem suspecti, quòd credant, id licere. At cur non potiùs dicamus, hæc libidinem, non hæresim præseferre ad quam homo suapte natura trahitur, & est adeo proclivis?

Delrius *lib.* 5. *sect.* 15. §. *axioma primum*, inquit, factum hæreticum, sive hæreticale dici, quia qui teneret, posse fieri id, quod fit, esset hæreticus, v. g. rebaptizare puerum. At modus iste dicendi non sustinetur. Sic enim quodlibet peccatum esset hæreticum. Nam qui diceret fornicationem esse licitam, esset hæreticus.

Sotus *in tract. de hæres.* docet, illud peccatum esse hæreticale, vel hæreticum, quod aliqui hæretici laudarunt, vel non esse peccatum asseruerunt. Quod meritò reprobatur à Castrio, Paramo, & Moura. Quia rarissimum est peccatum, quòd non habuerit aliquem patronum hæreticum.

Castrius ait, suspectum reddere de hæresi peccatum quod non movet voluntatem ob delectationem vel utilitatem, sed indifferenter se habet, ut deferre galerum viridem potiùs, quàm luteum, ideo ad intellectus errorem recurrendum. Quòd approbat Moura. Sed rejicitur, nam apud ipsum Sodomia, apud omnes polygamia, & sollicitatio ad turpia in sacra Confessione reddunt operantem suspectum, & tamen voluntas plerunque movetur ad hæc scelera ex concupiscentiæ delectatione.

Ludovicus Correa *in manuscripto apud Mouram* autumat, non reddere suspectum duas simul accipere uxores, ac similia ex libidine profecta, sed divinationes, & maleficia. His enim, nisi quis crederet non uteretur remediis ad assequendum desiderata ut insinuat Castrius. Sed exploditur. Nam primum est contra Constitutiones Pontificias, præcipuè contra Constitutionem Gregorii XV. & contra praxim S. Officii, ac Doctores communiter. Et quoad secundum posset dici, agentem non uti illis, quia sint licita, aut quia veneficia virtutem naturalem habeant ad effectus intentos, sed quia sciunt gaudere dæmones sacrilegiis, eaque velut in pretium exigere ad obtinendum effectus desideratos, ii, qui ad illos confugiunt, quia depauperati in auri fictione, vel ad assequendum amasiam, vel favores Principum, & sic vel ex commodo, vel ex concupiscentia moventur. Sic etiam nonnulli celebrantes Missæ Sacrificium, ad sacerdotium non promoti moventur ex necessitate victus, aliqui ex vanitate, & jactantia, & tamen traduntur ab Inquisitoribus Curiæ seculari, præmissa abjuratione. Imo blasphemans hæreticaliter ex vehementi passione, quasi ab ea obcæcatus pro prima vice tantùm non judicatur suspectus de hæresi, cùm tamen blasphemia opponatur veritati fidei. Nam est hæreticalis.

In his igitur attendendæ sunt grassantes hæreses, damnum imminens fidei, & sacramentis, aliæque circumstantiæ, temporis, loci, ac personarum & periculorum, ex quibus Pontifices casus aliquos deferunt ad S. Tribunal Inquisitionis. Hinc quia Pius IV. cognovit quòd in Hispaniam, præsertim Hispalim multa mala invehebat abusus Sacramenti Pœnitentiæ, decrevit, illum esse casum S. Officii, & imposuit graves pœnas abutentibus, quas confirmavit & auxit pro toto Orbe christiano, etiam ad ultimum supplicium Gregorius XV. Ita etiam sacerdos dum se parat ad celebrandum Missam, aut ministrandum sacram Eucharistiam. Ideo præsumitur, quòd sicut tales non credunt in sacramento pœnitentiæ, ita videtur oriri eadem suspicio, contra abutentes sacramento Eucharistiæ. Unde si in hoc intercederet abusus, sine dubio esset casus S. Officii à simili, sive à pari, vel à minori ad majus, licet major commoditas sit in abusu sacramenti pœnitentiæ, ideo remedium præsentaneum. Hinc etiam quia maximum damnum Ecclesiæ, ac proli Christianæ affert polygamia, declararunt summi Pontifices illam in S. Officio puniendam, quamvis plerumque ex concupiscentia committatur. Sic de comedentibus carnes diebus ab Ecclesia vetitis, etsi à gula sæpius trahantur. De fornicatione autem non est statutum, illam esse casum S. Officii. Quoniam est valde commune hoc peccatum, & liquidò constat, non committi, nisi ex fragilitate, non autem ex hæresi Lutherana. In Hispania verò crimen nefandum est causa mixti fori, pertinens etiam ad S. Officium. Semper verò abjuratio est contra hæresis, ut patet ex ejus formula apud Masinum *in suo Arsenali.* Et in memorato casu faciliùs oritur suspicio Idololatriæ, vel adorationis dæmonis. Ideo D. Thomas *ad cap.* 3. *Isaiæ* concludit, semper esse peccatum inquirere à dæmone, & apostasiam à

fide, ut inquit Augustinus. Et 2. 2. *q.* 95. *ar.* 2. *in corp.* & ad 2. docet, divinationem factam ope dæmonis spectare ad ejus cultum, quatenus aliquis utitur quodam pacto tacito vel expresso cum illo, & ad superstitionem pertinere, non solùm cùm sacrificium dæmonibus offertur per idololatriam, sed etiam cùm aliquis assumit auxilium dæmonum ad aliquid faciendum, vel cognoscendum. Quod tradit luculenter Augustinus relatus *in can. non observetis* 26. *q.* 7. & sequitur Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *cap.* 8. ubi diligenter more suo id his verbis expendit: *Quo pacto recurrere ad dæmonem pro bono aliquo impetrando, est casus protestativus, & recognitivus excellentiæ divinæ in dæmone.* Idque confirmat Academia Parisiensis, damnans ut errorem, hanc propositionem. Quòd inire pactum cum dæmonibus tacitum, vel expressum, non sit idololatria, vel species idololatriæ. Origenes apud Simancham *cit. tit.* 21. inquiens maleficia, auguria, divinationes, phylacteria, & incantationes esse diaboli seductiones, irrisiones, & idololatriæ fæces. Unde ipse Simanchas ex D. Thoma, & Caietano fatetur invocationem dæmonis spectare ad apostasiam, & infidelitatem, etiam ad revelandum furta, & similia, & ex Malleo *p.* 1. *q.* 14. qui ait, esse semper apostasiam operis, quia in omnibus est fidei contumelia, eo quòd expectatur à dæmone, quod à solo Deo est sperandum. Idipsum asserit Augustinus Anconitanus *loc cit.* id probans, quia est actus contra abrenunciationem Satanæ emissam in baptismo, & ex vi operis est desertio fidei in eo protestatæ. Comprobatque ex Damasceno, quoniam ejusdem est rem creare, & de illa providere. Quare eo ipso, quòd quis ad dæmonis providentiam recurrit, simul protestatur illius esse creatorem. Guilandus quoque, agens de præfatis observationibus, etsi alibi contrarium videatur sentire, attamen *lib.* 2. *de sortileg. q.* 3. *n.* 17. sic veritatem fatetur, ac profitetur: Dæmon, ait, adeo subtiliter operatur, ut etiam per sacerdotes in sacrificio Missæ extorqueat sibi cultum. Ad hoc enim cuncta dirigit versipellis, & cum vehementer præsumatur hoc non latere supplicantem, ac efficaciter desiderantem obtinere bona à dæmone, præsumitur etiam consentire. Id, quod annotavit *Repertorium Inquis. v. dæmon*, dum ait, quòd fœderatus cum dæmone facilè trahitur ad infidelitatem, ut ostendit Alensis apud Eymericum; reddens rationem, quia dæmon, caput superbiæ, summoperè ab omnibus adorari desiderat; unde vanitatibus avidissimè deditis taliter persuadet, & talibus modis eos allicit, ut sacrificium, vel reverentiam ei exhibeant. Et in summa, inquit, quòd dæmon non respondet, nisi super pacto, ut apertiùs exprimunt Castrius, Suarez, Petrius, Moura, Delatorre ac ipse Torreblanca, quibus addo Molinam *in manuscripto* apud Mouram, ubi agitur de apostasia à fide, quam lamiæ plerunque sub initio perfidè profitentur. *Idem*, inquit, *dico de quocumque alio, qui pactum haberet cum dæmone, eique se traderet. Tales enim cum minimum, valde suspecti sunt in fide, & regulariter solent à fide apostatare, & dæmonem in suum Dominum assumere, eique adorationem, & cultum tribuere, &c.* Igitur jure ac merito, ut vehementer suspecti de fide condemnantur, quamvis rectè respondeant de intentione interrogati in processu.

Ex quibus carè colligitur contra Torreblancam, & alios, sortilegia hæc esse qualificata, & hæresim sapientia manifestam. De quibus vide plura apud Mouram *sect. ult.* & nos *alibi.*

Consultatio CXXII.

An sit sortilegium qualificatum sive hæreticale, quod committitur cum ossibus mortuorum, acceptis ex aliquo cœmeterio?

Quid de sortilegio ad sanitatem cum hostia non consecrata? Præsertim celebrando Missas super illa, cui tamen non applicantur verba consecrationis à sacerdote; imo quandoque sacerdos nescit, an adsit talis hostia.

Quidve de sortilegio amatorio!

Quid de sortilegio, in quo sanctitas alicujus Sancti canonizati in dubium revocatur, ut si invocatur in sortilegio Sanctus aliquis sub conditione, si Sanctus es?

Et utrum sit sortilegium hæreticale uti nominibus, & characteribus, ac signis ignotis, præcipuè nominibus Angelorum, præter Michaëlem, Gabrielem, & Raphaëlem?

Ad primum videtur affirmativè respondendum. Quia ossa illa sunt pars corporis humani, solenni ritu ab Ecclesia benedicti, dum Ecclesiasticæ sepulturæ traderetur. Et ita tenent aliqui viri pii.

At contrarium tenendum est, si præcisè casus iste consideretur. Non enim à sepultura solenni accipit cadaver humanum aliquam consecrationem. Imo & sacramentalium usus superstitiosus non qualificat sortilegium. Abuti enim superstitiosè capillis mulieris, non importat qualificationem, quamvis capilli sint pars corporis benedicti in baptismo, & in Confirmatione ab Episcopo, sacro chrismate inuncti. Unde tales abutentes aliqua parte corporis humani juxta superstitionem simplicem expediuntur.

Ad secundum. Affirmativè respondet Scaccia *de judic. lib.* 1. *cap.* 12. addens, se nescire, quomodo salvari possint à lapsu Oldradus, Farinacius, & Guilandus, qui contrarium tenuerunt. Nam sortilegus illa hostia utitur, quia fuerunt super ea celebratæ Missæ, & ideo intendit virtutem missarum miscere in sortilegio. Et licet hostia non sit consecrata, tamen adhibetur in sortilegio propter missas super illam celebratas. Ideo dicendum, sortilegum re sacra abuti. Nisi enim crederet Missas hostiæ virtutem addere, missas super ea recitari non curasset.

Hanc sententiam sequitur Carena *lib.* 2. *tit.* 12. § 8. adducens pro se Zanardum, qui tamen alium casum affert, nempe hostiam non consecratam in aëra sursum cum spretu projicere ad solvendum maleficium, etsi super illa hostia non sint celebratæ Missæ.

Et profectò verum est, tale factum esse hæreticale, etiam in foro exteriori, si appareant signa manifesta quòd in contemptum Missæ, vel sacramenti Eucharistiæ id egerit. Contemnere enim sacramenta, est factum hæreticale, aliàs non judicabitur, ut hæreticale. Quare sacerdotes recentes, qui missarum cœremonias addiscunt, elevant hostiam absque periculo criminis, cùm nulla appareat, neque adsit circumstantia contemptus.

Oppositum tamen censent Doctores allegati à Scaccia & Locatus *in judic. Inquis. v. sacerdos n.* 4. ac Delrius *lib.* 5. *magic. sect.* 15. & Delatorre, addens, dummodo rectè sentiat sortilegus de præsentia Corporis Christi in sacramento, nec crediderit hostiam,

Missas, & sacramentum altaris aliquam vim habere ad effectus magicos. Hæc sententia, inquit, probabilis est, si de hac ejus intentione, & credulitate constet. Nam quandiu non constat, mihi quidem videtur de hæresi maximè suspectus. Et hæc pars est sine dubio probabilior. Tum quia in hoc casu intervenit abusus alicujus sacramenti, vel sacramentalis ab Episcopo consecrati, ut est oleum sanctum chrismatis, & illa hostia non consecrata nihil habet sanctitatis, etsi instituta sit in ordine ad consecrationem, ut sit illius materia. Tum quia illa passim utuntur ad alios usus, ut ad sigillandum Epistolas. Tum quia panis triticeus est materia sufficiens Eucharistiæ. Tum quia abuti simpliciter aqua benedicta, quæ est materia sacramenti baptismi, non est superstitio qualificata.

Id tamen certum, quòd si Missæ ordinarentur ad aliquod peccatum, ut ad sortilegium amatorium, videtur abusus Missarum, & sic esset qualificatum, non autem propter hostiam non consecratam. Nec debet constare de credulitate, & intentione recta alicujus operantis ad hoc, ut judicemus rectè de illo. Nam semper per se rectè suspicari debemus de proximo, imo ut malè de eo suspicemur, præsertim de hæresi, magnæ res debent nos permovere. Nec credulitas, aut intentio operantis tollit, quin factum sit hæreticale. Ut enim diximus, committens sortilegium hæreticale, quamvis rectè super intentione respondeat, abjurat tamen de vehementi.

Atque ex his respondetur iis, quæ tradit Scaccia. Loquitur enim de Missis ordinatis ad sortilegium qui est abusus Missæ. Non ergo propter hostiam non consecratam. Zanardus verò arguit de hostia non consecrata. Nam in quacumque hostia reperitur Crux Christi, quæ ubicunque & in quacunque materia reperiatur, semper est adoranda adoratione latriæ, ut docent Theologi *in 3. dist. 9. & in 3. p. q. 25. art. 4.* & nos *alibi*. Et confirmat primò, quia sæpe non rem, sed significatum inspicimus. At quæcunque hostia, sive consecrata, sive minimè, semper repræsentat sacrosanctum missæ sacrificium. Unde illam spernere, est communiter spernere sacramentum altaris. Deinde quia, si sortilegus non intellexisset derogare sacramento altaris, cur potiùs hostiam, quàm rem aliam selegisset? Eoque magis, addit Carena quia Diabolus, primus inventor omnium sortilegiorum, præsumitur id facere in odium & contemptum tam sacramenti altaris, quam Sacrificii Missæ. Quibus subiungit Delatorre, Nisi crederent ex loco sacro, ut alia consideratione, res sacras habere vim ad effectum magicum, ea hostia, vel illis rebus non uterentur.

Ex his respondetur ad primam confirmationem, quòd, considerata hostia, ut repræsentat Crucem Christi, si sperneretur, esset factum hæreticale, sicut & qualibet alia imago Christi in quacunque materia est adoranda, secus materialiter. Et ad secundam, ideo superstitio est simplex, quia hostia illa utitur potiùs, quàm alia re non qualificata, quia non est adhuc consecrata. Si autem sciretur fuisse tale sortilegium inventum à dæmone, & ab eo edoctos magos cum aliquo pacto, jam ob hanc causam tantùm, ut opponit Delrius, esset hæreticale. Quòd autem subjungit Delatorre, probat duntaxat superstitiosum esse actum illum, non autem per se qualificatum, aut hæreticale.

Neque dicas, quòd forma sacramenti Eucharistiæ adhibita in sortilegio ex communi sententia reddit illud qualificatum. Idem igitur dicendum est de alia parte integrante ejusdem sacramenti, id est de hostia non consecrata, quæ ita est materia sacramenti, quòd moraliter pro Eucharistia tantummodo est de se destinata, & non est sicut aqua, & oleum respectu sacramenti baptismi, & Confirmationis, quæ de se sunt materiæ communes, tam ad sacra quàm ad profana.

Nam respondetur, diversam esse rationem de forma & materia sacramentorum, ut patet inductivè. Forma enim determinativa est, & consecrativa. Materia verò ante formam indifferens est, ut constat in pane, & aqua, & oleo, & hostia non consecrata, deserviente ad obsignandum litteras. Quòd non fit per accidens, ut credit Delrius, sed per se moraliter, cum liberè posset quilibet illa uti ad alios effectus absque scrupulo, etsi multæ hostiæ deserviant sacrificio Missæ.

Quare ita concludimus. Ex parte hostiæ non consecratæ, ut sic, & præcisè, non potest esse sacrilegium qualificatum, sed tantùm si sit contemptus imaginis, vel Missæ abusus. Et ex parte abusus Missæ solùm est probabilis sententia affirmativa, de qua nunc non quæritur, sed de hostia non consecrata. Unde Arauxo sic ait: Etiam sapit hæresim, si res non sacræ, quæ tamen ad sacrum non destinantur, ut hostia non consecrata, adhibeantur in loco sacro putà in altari, quia si non crederent hi superstitiosi ex loco sacro, vel alia ratione hujusmodi res sacras vim habere ad magicum effectum ex hostia, vel aliis, hujusmodi rebus non uterentur. Hoc autem argumentum potest confici circa quamlibet superstitionem simplicissimam, ut in aurora dicere ter Pater noster, vel in mutatione Lunæ. Si enim non crederent valere, non dicerent sub illis circumstantiis sic applicantibus amuletum, vel scriptum cum Evangelio S. Joannis contra justam torturam, & similes superstitiones simplices, de quibus vidi ego dubitare officiales aliquos an ad S. Officium spectent, contendentes proponere Qualificatoribus, an ad S. Officium spectarent, id est saperent hæresim, antequam Inquisitor causam assumeret. Modò est novus usus, plura decreta, & Extravagans præfata Sixti V. Unde cessat omnis dubitatio. Hæc Arauxo.

Sed tantùm animo sortilegus ordinat Missam, ad sanitatem superstitiosè acquirendum, sacerdote etiam nesciente subesse hostiam non consecrandam. Unde qualificationem quæ in foro exteriori attenditur, assequi non potest.

Ad tertium. Si interveniat abusus sacramentorum, invocatio dæmonis per verba deprecativa, ut ex Oldrado tradit Eymericus, præter aliàs dicta, sortilegium sine dubio erit hæreticale. Item si sortilegus crederet, maleficia, vel dæmonem posse cogere alicujus viri, vel mulieris voluntatem ad amorem, tunc esset hæreticus, & si hujus signa præ se ferret in sortilegio, ipsum esset hæreticale, ut notant Pegna, & Grillandus *de sortil. q.* 10. *n.* 14. Castrius *lib.* 1. *de just. hæret. punit. cap.* 15. Carena *loc. cit.* §. 7. aliique post Eymericum *in direct. p.* 2. *q.* 43.

Exceptis autem his casibus, partem negativam tenent plures Doctores apud Pegnam, & Carenam ibidem. Quia per hæc sortilegia postulatur à dæmone auxilium ad tentandum, quòd est ipsius proprium, cùm *Matth.* 4. tentator appelletur. Tentat autem suggerendo, & movendo modis aliàs declaratis. Ita Jo. Andr. *ad speculator. tit. de sortil. & in cap. accusatus §. sanè de hæret. in 6.* ibique Geminianus, Franchus, alii, & Carrer. *de hæret. n.* 23. alios referens. Sed insistendum est alibi dictis de invocatione dæmonum.

Ad quartum. Difficultas est inter Theologos *in 3. dist.* 25. *& in* 2. 2. *tr. de fide*, in quo gradu sit hæc propositio; Summus Pontifex non potest errare in Canonizatione Sanctorum. Nam Suarez *de fide disp.* 5. *sect.* 8. *n.* 8. ait, hanc propositionem non esse de

fide,

fide, sed tantùm impiam, & temerariam. D. Thomas, Cajetanus *in tr. de Indulg. ad Julium III. cap.* 8. Cano *lib.* 5. *de loc. theolog. ad finem*, Grenados 2. 2. Arauxo, aliique plures tenent, piè tantùm credendum esse, Papam non errare in Canonizatione Sanctorum cùm fit in materia facti, & testimoniis Sanctum aliquem declarer. Alii censent, id esse de fide in primo, vel secundò gradu, existimantes materiam esse morum, vel doctrinæ. Ita Valentia 2. 2. *disp.* 5. *pun.* 7. *q.* 6. Pitigianus *in* 3. *sent. dist.* 25. *q.* 2. *ar.* 5. & Castropal. *tom.* 1. *disp.* 1. *pun.* 5. §. 4. qui alios adducunt, quibus & ego adstipulor, de quo *alibi.*

Ex his igitur juxta tertiam sententiam dicendum est, hujusmodi sortilegium esse formaliter hæreticale, & juxta primam, licet non sit hæreticale, puniretur tamen sortilegus ille ob conditionem impiam, & temeritatem maximam, eoque magis, si Sanctus fuisset jam communiter acceptus à tota Ecclesia. Ut enim ait Augustinus, insolentissimæ insaniæ est disputare, an sit faciendum, quod tota facit Ecclesia. De quo Bellarminus *tom* 1. *disp.* 7. *lib.* 1. *cap.* 9. & Gravina.

Arauxus *disp.* 2. *par.* 1. *dub. ult.* temerarium esse ait, negare B. Virginem cum corpore in cœlum assumptam. Quia contra communem consensum Patrum, sed non ut fidei rem asserentium & totius Ecclesiæ externam protestationem; asseveratur sine ullo rationabili fundamento. Quod non obstat, subdit, quominus habeat aliam graviorem censuram annexam, erroris scilicet, aut errori proximam, quatenus ex illa sequeretur, Ecclesiam Catholicam errare posse in festis Sanctorum, quæ solemni celebrat ritu, atque in eo, quod celebrandum omnibus suis fidelibus proponit, & in his, quæ in divino canit Officio. Quæ plenè omnia erronea sunt.

Quod autem ibi subjungit, temerarium esse negare fidem historiis Sanctorum communiter receptis, maximè illis, quæ in divinis Officiis narrantur, intelligendum est juxta dicta ex Cano, ac Delatorre in controversia de Traiano. Historiæ namque proponuntur in Breviario ex autoribus ibi nominatis ante lectiones, & sæpius immutatæ fuerunt, ob subortas difficultates. Comprobatur autem quod ait Arauxus, de iis, quæ certò accipiuntur, & canuntur à tota Ecclesia, ut præfationes, & similia.

Ad quintum. Intelligitur quæstio, nullo alio intercedente pacto expresso cum dæmone, vel sacramenti abusu, & ita existimantur sortilegia, non autem hæreticalia. Sub illis namque figuris, & characteribus, quæ ex sui natura nulla pollent virtute, superstitiosum aliquid repræsentatur. Unde sunt à Deo prohibita Levit. 19. ac ita Pegna *in com.* 68. *p.* 2. Simanchas *de cath. instit.* 63. Farinac. *de delict. & pœn. q.* 20. *n.* 97. *& seq. ac de hæres. q.* 181. 30. alios citans, Azor *instit. moral. lib.* 19. *cap.* 26. *q.* 6. *pag.* 1. Torreblanca *de magica operat. lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 26. Anania *de natur. dæmon. lib.* 2. Carena & alii.

Quoad nomina autem Angelorum plura diximus suo loco, suspecta nimirum esse omnia nomina Angelorum præter recensita in Concilio Romano sub Zacharia Papa apud Baronium anno 745. *n.* 37. de quo, præter alios legas Arauxum *in tract. de Angelis*, & Cornelium à Lapide *in cap.* 1. *Apocal. vers.* 4.

Hoc certum, nomina Gop, Giber, Gadebrùs notante Anania, esse nomina dæmonum. Idem dixerunt Patres in eodem Concilio de aliis nominibus, de quibus nos dicto loco. Quare sortilegia cum prædictis nominibus erunt qualificata, ut pote cum expressa dæmonis invocatione.

Consultatio CXXIII.

An Ordinarii, ac Inquisitores in causis sortilegiorum sint Iudices privativè quoad Laicos? Quomodo procedendum sit contra divinatores, sortilegos, strigas, & maleficas? Ubi de hac re instructio pro Episcopis, & Inquisitoribus.

AD primum. Plura diximus alibi, sed quoniam res hæc est frequens, & gravis, ideo nonnulla sunt vel repetenda, vel addenda.

Crimen hæresis esse merè Ecclesiasticum, & quidem privativè quod laicos, ipsa rei natura manifestat. Nam fides est virtus theologica, respiciens directè ac per se finem gratuitum supernaturalem, & quæ directè pertinet ad illud jus pascendi oves Christi, quod Christus dedit Petro Joan. 21. verbis illis. *Pasce oves meas.* Unde, quod laici non possint de hoc crimine cognoscere, statutum est *in cap. Ut Inquisitionis de hæret. in* 6. ac docent Theologi, & Canonistæ communiter. Atque adeo etiam cognoscere de crimine, quod hæresim sapit, pertinet ad Judicem Ecclesiasticum, etiam privativè quoad laicos. Quod plenè certum est, ubi crimen sapit hæresim manifestè. Quòd autem Ordinarii, ac Inquisitores possint cognoscere de divinationibus, ac sortilegiis, definitur *in cap. accusatus,* §. *sanè de hæret. in* 6. Et quòd hæc cognitio spectet ad Judicem Ecclesiasticum privativè quoad laicum ex eo liquet, quoniam illius Judicis est cognoscere de suspicione delicti, sive de delicto præsumpto, cujus est cognoscere de vero delicto. Quid est enim causæ, cur Judex cognoscat de delicto præsumpto, si reperiens suspicionem, ac præsumptionem delicti esse veram, non posset delinquentem punire? Præterea ideo cognoscitur de suspicione, sive præsumptione delicti, ut videatur si delictum est verum, ac ut delinquens saltem puniatur, tanquam suspectus, vel præsumptus. Cùm igitur crimen hæresis sit crimen Ecclesiasticum, sequitur idem dicendum de omni delicto, quod sapit hæresim manifestè. Atque ita docent Char. *in* §. *hæresis vers. successivè quæro*, Carena *p.* 2. *tr.* 12. *n.* 146. Diana *p.* 4. *tr.* 7. *resol.* 10. estque secundùm mentem Doctorum, quos congerit Farinac. *q.* 181. *n.* 93.

Ideoque Carena *loc. cit.* ait, quòd ubi Judex laicus in aliquo reo de alio delicto reperit sortilegium aliquod taciturnitatis, sive contra torturam, si illud est qualificatum, & hæreticale, sive sapiens manifestè hæresim, Judex laicus non potest de illo cognoscere. Et *n.* 148. addit, quòd etiam in dubio, an sortilegium sit qualificatum, ejus cognitio pertinet ad Inquisitores, citans ad id Freitas, Dianam, Leonium, ac Regentem à Ponte. Et cùm *n.* 150. animadvertisset, sortilegium taciturnitatis posse considerari, vel ut continet manifestam suspicionem hæresis, vel ut est impeditivum torturæ, & *n.* 152. cumque etiam *n.* 152. annotasset, aliquando etiam in S. Officio hujusmodi distinctiones admitti, ut observat Genuensis in *pr. cap.* 84. *n.* 13. subdit tamen, quòd ipse non admitteret illam distinctionem, uti Judex. Et quidem non est admittenda. Nam, illa admissa, Judex Laicus facile de omni facto hæreticali cognosceret. Quandoquidem Doctores absolutè docent, quòd cognoscere de sortilegiis qualificatis pertinet ad Inquisitores privativè quoad laicos. Sed præcipua ratio est, quia malus effectus, sive delictum, ex hæresi proveniens, aggravat delictum hæresis, vel si hæresim causat, est hæreticale, & ideo de tali delicto, quod est effectus hæresis, vel hæresim causat, non potest

potest cognoscere, nisi Judex, ad quem pertinet de hæresi judicare.

Poterit tamen in hoc Judex Laicus ex tali sortilegio accipere judicium contra sortilegum, de alio delicto inquisitum, ac interrogare reum cur sortilegas scripturas, vel aliud sortilegium apud se retineat, & à quo illud habuit, & quibus tradidit? ad effectum cognoscendi mandatarium, vel alios complices, & ad reddendum validius illud judicium, & aggravandi magis reum in delicto principali, ut per Carenam *ibidem n.* 154.

Difficultas igitur est, ubi sortilegium non sapit manifestè hæresim, an cognoscere de illo pertineat ad Ordinarios, & Inquisitores privativè quoad laicos. Negare videtur Fermosinus *in cap. ad abolendam q.* 2. *de hæret.* ubi citat inter alios Delrium, *lib.* 5. *sect.* 2. Sanchez *in decal. lib.* 2. *cap.* 39. *n.* 92. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *cap.* 19. *n.* 11. & Farinac. *q.* 20. *à n.* 79. qui tamen id non dicunt, sed solùm asserunt ex novo jure hoc judicium Inquisitoribus competere. Id autem hodie spectare ad Inquisitores, & regulam textus *in d. cap. Accusatus de hæret. in* 6. esse per jus novum correctam, est sanè indubitatum. Nam non modò id multis in casibus fuit concessum, præsertim contra maleficia ab Innocentio VIII. in Constit. cujus initium, *summis*, data sub anno 1484. à Leone X. in Constit. *Honestis* sub anno 1521. contra maleficos, & sortilegos, ab Adriano VI. in Constit. *Dudum* sub anno 1523. & antea ab Alexandro IV. in Constit. *quod super* 1258. quas refert Pegna post Directorium, sed etiam à Sixto V. Constit. quæ incipit, *Cœli & Terræ*, quam confirmavit Urbanus VIII. in Constit. *Inscrutabilis*, ex quibus habetur, posse Inquisitores ubique terrarum cognoscere de divinationibus omnibus, ac de sortilegiis.

Idque convincit ratio. Nulla enim datur divinatio, vel sortilegium non sapiens hæresim & non tribuens dæmoni cultum, aliquo modo divinum ex dæmonis immediata, vel mediata institutione, pactio neque. Et licet hujusmodi suspicio, ac hæresis sapor non sit manifestus sed implicitus, & latens, non tamen ita latet, ut ex ratione apud doctos homines id non sit, vel non debeat esse manifestum. Nam institutio, ut, ad effectum intentum obtinendum, adhibeantur res, quæ naturaliter illum causare nequeant, non est à Deo. In his enim neque nomen ejus invocatur, neque ex fiducia divini auxilii expectatur effectus, imo in hisce rebus vanis invocare Deum, est illum quodammodo tentare. Aliàs enim, ubi ex justa causa Deus in hujusmodi rebus invocatur, ut aliquando fit, ipso mandante, vel inspirante, a sanctis viris, nullum adest sortilegium, & Deus hujusmodi sortilegia, divinationes, vanasque observationes prohibet. Est itaque manifestum institutionem vanarum observationum, in quibus per res inefficaces, ac inutiles expectatur effectus, non esse à Deo. Est igitur à dæmone.

Deinde, cùm hujusmodi res vanæ, ac inutiles in causando non possint adhiberi, ut causæ, & tamen non sit verisimile, quòd adhibeantur omnino inutiliter, consequitur, quòd adhibeantur, ut signa à dæmone instituta, ut deducit D. Thomas 2. 2. *q.* 96. *ar.* 1. 2. & 3. Quænam autem erit illorum significatio? Nequit excogitari, quòd sit aliud, quàm aliquid pertinens ad dæmonis cultum. Nam, etiamsi dicatur, quòd hæc sunt signa obtinendi effectum intentum, cum tamen signa, à dæmone, divinitatem & cultum divinum effectante, sint instituta non possumus aliud ex hoc conjicere, nisi quòd illa sint signa consequendi effectum ex efficacitate invocationis dæmonis, ac per ejus auxilium, & quatenus dæmon ex affectata divinitate, ac divino cultu, hæc signa instituit, ut signa alicujus divini cultus, à se intenti, qui hæc signa instituit, ut homines, saltem implicitè, atque occultè ipsum, ut Deum æstiment. Non potest ergo negari, quin per has vanas observationes exhibeatur dæmoni cultus, qui sit præsumptivè divinus, atque adeo sapiunt aliquo modo hæresim, ac proinde ex ipsa rei natura crimen hoc est Ecclesiasticum, ejusque cognitio, ac punitio pertinet ad Judices Ecclesiasticos, & ad Inquisitores, quorum munus est cognoscere de hæresi, ac hæresis suspicione, unde meritò Pontifices constituerunt, quòd Inquisitores de his inquirere, ac judicare possint.

Dubium tamen est, an hoc tempore hæc inquisitio, & cognitio spectet ad Judices Ecclesiasticos, ac præsertim ad Inquisitores privativè quoad laicos? Hujusmodi cognitionem esse mixti fori, & dari locum præventioni, existimant Clarus *d.* §. *hæresis*, Freitas *in addit. ad Acugnam q.* 5. *n.* 35. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *cap.* 19. *n.* 11. Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 38. *n.* 82. Sousa *lib.* 1. *aphor. cap.* 58. *n.* 4. ac Delbene *p.* 2. *dub.* 228. *sect.* 2. *n.* 8. & *dub.* 229. *sect.* 6. *n.* 5. Moventur, quòd in sortilegiis simplicibus nulla sit hæresis suspicio. Contra verò, quòd cognitio sortilegiorum, etiam simplicium, sive quæ non sapiunt hæresim manifestè, spectet ad Inquisitores privativè ad laicos, tradunt Scaccia *de judic. lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 53. Carena *p.* 2. *tit.* 12. *n.* 140. ubi ex Paponio *arestor. Franc. lib.* 22. *tit.* 3. *arest.* 2. refert, quòd judicatum fuit tres mulieres sortilegas remittendas esse ad Episcopum Parmensem. Et iterum *num.* 147. refert ex mandato S. Congregationis Romanæ ac universalis Inquisitionis quemdam Prætorem, eo quòd quasdam sortilegas, quæ sortilegia non qualificata commiserant, carcerari fecerat, fuisse, quia sponte in S. Officio comparuerat, benignè receptum, absolutum tamen ab excommunicatione lata contra turbantes jurisdictionem S. Officii.

Hæc sententia, tanquam certa, tenenda est. Fundantur enim Doctores prioris opinionis in eo, quòd hujusmodi sortilegia non qualificata nullo modo sapiant hæresim, & sic aiunt, quòd quando nulla est hæresis suspicio in sortilegiis, eorum cognitio est mixti fori. Sentiunt ergo, quòd ubi adsit suspicio hæresis, cognitio sortilegiorum pertinet ad Inquisitores privativè ad laicos. At non dari sortilegium, quòd non sapiat hæresim, probatum est. Ex hoc igitur confirmatur hæc sententia. Nam ubi Inquisitoribus datur jurisdictio ratione hæresis, vel ejus suspicionis, jurisdictio non potest intelligi, nisi data privativè quoad laicos. Quia delictum sapiens hæresim per se est Ecclesiasticum privativè quoad laicos. Et ita hoc delictum quo majus est ex specie sua, eo magis aggravat hæresim, redditque illam peiorem. Unde ejus cognititio intrinsecè pertinet ad judicium contra hæresim. Cognitio autem omnium sortilegiorum est commissa Inquisitoribus ratione hæresis, aut ejus suspicionis à Sixto V. *in cit. Constit.* verbis illis: *aliisque sortilegiis, ac superstitionibus non sine dæmonum saltem occulta societate, aut tacita pactione operam dare.* Et infra: *Quòd dæmonum præstigiis, ac dolis, tum qui divinant, tum qui divinationem expetunt illusi, ac delusi miserrimè reperiuntur.* Ex quibus constat, Sixtum respexisse etiam ad sortilegia, quæ tacitam, & occultam dæmonis invocationem, & amicitiam continent, quoniam hæc tacita invocatio, vel amicitia cum dæmone, fidei hoste, ac divinum cultum affectante, sit fidei contraria, & suspicionem aliquam contra fidem contineat.

Neque dicas, quòd ex communi Doctorum opinione jurisdictio de novo alteri concessa, intelligitur data cumulativè, non privativè quoad alios, qui antea illam

tea illam habeant. Cùm igitur laici haberent jurisdictionem, ut possent cognoscere de sortilegiis non qualificatis, quòd de jure cognoscere non poterant Inquisitores, dicendum est, quòd jurisdictio de jure novo illis concessa, intelligi debeat cumulativè, ut notatur *in L. 1. C. de offic. Præt.* & tradunt Menoch. *de præsumpt. lib. 3. præsumpt.* 38. & Carena *d. tit.* 12. *num.* 141.

Nam respondetur, conclusionem illam non comprobari ubi nova concessio jurisdictionis evertit fundamentum jurisdictionis, quæ alteri competebat. Jurisdictio autem cognoscendi de sortilegiis non qualificatis poterat competere laicis ex suppositione, quòd illa nullo modo saperent hæresim, & sic non essent crimina merè Ecclesiastica. Sed cùm modò summi Pontifices sentiant, quòd in omni sortilegio, saltem tacitè, ac implicitè, invocetur dæmon, qui saltem tacitè coli ab hominibus affectat, ideo cum sortilegia, etiam non qualificata sapiant hæresim, quamvis non omnino manifestè, cessat in hoc laicorum jurisdictio.

Præterea, quisnam laicis concessit jurisdictionem cognoscendi de sortilegiis? Nonne illam habuerunt, atque habent è jure Canonico? Neque *in d. cap. accusatus de hæret. in* 6. dicitur, quòd Inquisitores hujusmodi sortilegiorum cognitionem relinquant laicis, sed iis, quibus de jure id competit. Supposito autem, quòd sortilegia omnia quodammodo sapiant hæresim, jam sortilegia omnia crimen hæresis involverent, ideoque non potuit jus civile tribuere laicis jurisdictionem cognoscendi de hoc crimine, merè Ecclesiastico. Itaque dum Pontifices voluerunt, Inquisitores cognoscere de hujusmodi sortilegiis, tanquam ea quæ suspicionem aliquam, & saporem hæresis continent, declararunt, hoc crimen esse merè Ecclesiasticum, & jurisdictionem cognoscendi de illo pertinere ad Judices Ecclesiasticos, à jure ad id deputatos privativè quoad laicos.

At nunquid Inquisitor possit contra sortilegos non modò inquirere, sed etiam causam terminare per sententiam sine Episcopo, vel Episcopus sine Inquisitore, non obstante *cap. per hoc de hæret. in* in 6. de quo nos alibi? Carena ad utrunque affirmativè respondet *p.* 2. *d. tit.* 12. & signatè *n.* 170. ex Constitutione Alex. VI. *Cum acceperimus*, relata à Pegna, dicit, quòd in causis lamiarum soli sine interventu Episcoporum possunt processus formare, illas damnare, & causas hujusmodi terminare. Quod & voluit Pegna *in addit. ad Lucernam Inquisit. tr. de strigis, vers. quod si quæras*, ubi quòd tutius est, quòd ipsi in hoc crimine procedant sicut in aliis, requisito Episcopo juxta juris dispositionem. Hoc ipsum sentit Delbene *p.* 2. *dub.* 206. *pet.* 7. ubi, quòd Inquisitores Hispaniæ simul cum Episcopo etiam in causis lamiarum procedunt.

Sic etiam *n.* 141. idem Carena *de Episcopis* ait, quòd ex Constitutione citata Sixti V. non fuit Episcopis sublata illa facultas cognoscendi de sortilegiis non hæreticalibus, sive non qualificatis, superstitionibus, & retentione librorum prohibitorum & hujusmodi causas terminandi, non requisitis Inquisitoribus, quam ante dictam Constitutionem habebant. Idque ex illo principio, quòd facultas, de novo alicui concessa, intelligitur concessa cumulativè, non privativè. Allegat ad hoc Leon. *in thes. for. Eccles. p.* 3. *cap.* 56. *de sort. n.* 22. *& seq.* ubi quòd ita declaravit S. Congregatiotio S. Officii 21. Decembris 1602.

Itaque Inquisitores cognoscent de omnibus necromantibus, aruspicibus, ariolis, geomantibus, chiromantibus, lamiis, incantatoribus, & quomodolibet artes illicitas divinandi, vel sortilegia exercentibus. Unde etiam de Ægyptiacis mulieribus, vulgo Zingaris, si superstitiosa operentur, Villadieg. *in polit. cap.* 5. §. 20. *n.* 36. Bobadil. item *in polit. lib.* 2. *cap.* 17. *n.* 74. Navar. *cap.* 11. *n.* 31. & Carena *d. tit.* 12. *n.* 162. *& n.* 164. ubi quòd ipse non vidit ab Inquisitoribus Italiæ procedi contra illas ex hoc præcisè, quòd dent, ut aiunt, *la buona ventura.* Quia in illis partibus hoc recipitur cum risu, & joci causa, nullusque est, quamvis simplex, qui illis præstet fidem.

Ad secundum. Antequam contra aliquem procedatur, constare debet de corpore delicti. Quod est de jure certum, de quo nos alibi. In crimine tamen hæresis, quæ est mentale delictum, non est necesse, ad inquirendum contra sacrilegos, quòd constet de illorum hæresi, sed ex sola confessione sortilegi potest ille damnari, Albertin. *de agnoscend. q.* 25. *n.* 1. Clar. *in §. hæresi, q.* 4. *vers. scias tamen*, Farinac. *q.* 2. *n.* 25. *&* 26. Paramus *q.* 6. *de inquis. in causa fidei n.* 28. *lib.* 3. & Carena *loc. cit. n.* 172.

At verò cùm hæresis, ut est delictum merè occultum, non subsit judicio forensi Ecclesiæ, sed solùm hæresis exterior, vel exteriùs aliquo modo se prodens, dicendum est, quòd etiam ad inquirendum in hoc crimine debet constare vel de exteriori hæresi, vel de aliquo dicto, vel facto, quòd inducat suspicionem hæresis. Sicut igitur in aliis delictis, si relinquant post se effectum, ante omnia debet constare de corpore delicti, ita & in crimine hæresis, & sortilegii, effectum post se relinquentis, ut tradunt Albertin. *d. q.* 25. *n.* 24. Farinac. *ibidem n.* 26. Param. *eo loco n.* 81. Delrius *magic. lib.* 5. *sect.* 15. *&* 16. & Carena *d. tit.* 12. *n.* 173. Ideoque in maleficio constare debet, *v. g.* de puero occiso, de infirmitate hominis. Nec sufficit probare effectum in seipso, sed necesse, est quòd constet, illum esse ex sortilegio, ut quòd mors ex maleficio causata sit, aliter non erit probatum corpus delicti: Quia S. Officium non cognoscit de solo homicidio, vel damno dato, sed de sortilegio, & de hæreticali delicto.

Si verò sortilegium post se non relinquit effectum, licet Delrius *d. sect.* 16. Bisfeldius *com. in l. nemo C. de malef. q.* 1. *concl.* 2. Valentia 2. 2. *disp.* 6. *q.* 13. *pun.* 4. Farinac. *in addit. ad q.* 2. *num.* 26. & Carena *ibidem num.* 175. sentiant sortilegum ex sola sua confessione posse damnari, etiam non constito de corpore delicti, oppositum tamen verius est. Semper enim probari debet corpus delicti eo modo, quo probari potest, saltem per conjecturas leves, ut per Scacc. *de judic. cap.* 83. *num.* 11. Giurb. *decis.* 37. *num.* 21. Et præcipuè, quoad fieri potest, constare debet de corpore delicti ante torturam, & ante sententiam.

Verum autem est, quòd cùm sortilegium sit crimen difficilis probationis, sufficit, si probetur per indicia. Hæc enim probatio sufficit in delictis difficilis probationis, quale est sortilegium, quod abditè committi solet; ideo sufficit, quòd illius habeatur illa notitia, quæ ex natura rei haberi potest, ut per Delrium *loc. cit.* Farin. *d. q.* 2. *num.* 6. & Caren. *ubi supra num.* 174. De indiciis autem, ex quibus crimen sortilegii probari potest, latè tractant Binsfeldius *loc. cit.* Delrius *ibidem sect.* 3. *&* 4. Carena *d. tit.* 12. *n.* 177. *& seqq*, ac nos *suo loco.*

Igitur antequam Judex procedat ad carcerationem sortilegi, vel lamiæ, considerare debet, an corpus delicti sit sufficienter probatum. Non licet enim Judici à captura incipere, nisi sufficientia indicia præcesserint, ut per Eymeric *p.* 3. *num.* 73. *ibique* Pegna *com.* 17. Farinac. *q.* 27. *num.* 111. Sousa *in aphor. lib.* 2. *cap.* 26. *n.* 5. & Caren. *d. tit.* 12. *n.* 206.

Est autem in Inquisitione contra sortilegos maximè necessaria perquisitio domus lamiæ, aut sortilegi

tilegi facienda in actu capturæ, & ut fiat inventarium, in quo describantur omnia illa, quæ facere possunt ad causam tam contra, quàm pro reo, & hæc per Notarium S. Officij describi debent in præsentia Jnquisitoris, vel eius Vicarij, remotis sortilegi consanguineis, & familiaribus, ne fiat fraus, Ambrosin. *in proces. informat. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 5. Masinus *in prax. p.* 7. & Carena *ibidem n.* 207.

Ubi autem Lamiæ fateantur apostasiam à fide, & quòd iverint ad ludos dæmoniacos, non sit contentus Iudex earum confessione, sed diligenter interroget, ac investiget, an sint aliquæ circumstantiæ, quæ comprobari possint, & si eas repererit, curet comprobare, Masin. *ibidem*, & Carena *n.* 217.

Si autem sortilegus est sufficienter indiciatus, si neget, torquendus est. Sic ille, apud quem inventa sunt instrumenta perpetrandi sortilegia, ut Pentacula &c. vel res aptæ ad sortilegia, ut charta virgo &c. vel libri sortilegiorum, torquetur super illorum usu. Ex quo enim quis habet apud se res huiusmodi, præsumitur illum fuisse illis usum. Sic enim doctorem bonæ famæ ex mandato S. Congregationis S. Officij fuisse tortum super usu pentaculi apud eum reperti, refert ex Genuensi Carena *loco sæpius memorato n.* 110.

An autem, & quomodo torquendi sint sortilegi super complicibus quando, & quatenus abiurare debeant, quæ pro illis impositæ sint pœnæ, & alia in hanc rem, lege quæ suo loco diximus de tortura, de abiuratione, ac de pœnis.

Instructio pro construendis processibus in causis strigum, sortilegorum, & maleficorum, ex qua plura in suo Arsenali Masinus, & Carena in sua praxi S. Officij decerpsit, hec ipsa est.

Experientia rerum magistra apertè docet, gravissimos quotidie committi errores à diversis Ordinariis, Vicariis, & Inquisitoribus, sed præcipuè à secularibus Iudicibus, se in huiusmodi contra jus intromittentibus in formandis processibus contra striges, sive lamias, & maleficas in grave præiudicium tam iustitiæ, quam huiusmodi mulierum inquisitarum; cùm longo tempore observatum fuerit, plures huiusmodi processus non ritè ac iuridicè formatos, imò plerunque necesse fuisse quamplures Iudices reprehendere, & multos, & impertinentes modos habitos in formandis processibus, reis interrogandis, excessivis torturis inferendis ita, ut quandoque contigerit iniustas, & iniquas proferri sententias, etiam ultimi supplicij, sive traditionis brachio seculari, & reipsa compertum est, multos Iudices ita faciles, & proclives fuisse ob leve, aut minimum indicium credere aliquam talem esse strigem, & nihil omnino prætermisisse ab huiusmodi muliere, etiam modis illicitis, talem confessionem extorquere, cum tot tamen, tantisque inverisimilitudinibus, varietatibus, & contrarietatibus, ut super tali confessione nulla aut modica vis fieri posset. Quapropter, ut tam Ordinarij, & eorum Vicarij, quàm Inquisitores de cætero magis cauti esse possint in conficiendis huiusmodi processibus, infrascripta diligenter, & accuratè præ oculis habeant, & considerent.

Error præcipuus omnium ferè Iudicum in hac materia est, devenire nedum ad inquisitionem, & carcerationem, sed sæpe etiam ad torturam contra aliquam mulierem de maleficio imputatam, quamvis non constet de corpore delicti, sive maleficij, & tamen in iure indubitatum est, ad tales actus deveniri minimè posse, nisi priùs de huiusmodi corpore constet, cùm agatur de delicto cuius vestigia remanent. Corpus autem delicti non dicitur probatum, prout multi Iudices videntur præsupponere, ex eo quòd prætensus maleficiatus sit, vel fuerit infirmus, sive decesserit. Clarum est enim, quod infirmitas, & mors regulariter ex maleficio non proveniunt:

Ideo oportet, exquisitas diligentias iudiciales adhibere, examinare medicos, qui infirmum curarunt, illos diligenter interrogando de qualitate infirmitatis, & an ex arte medicinæ dignoscere possint, infirmitatem esse, vel esse posse naturalem, illos etiam interrogando circa totam seriem, & accidentia ipsius infirmatis in principio, & omnia fusiùs in processum redigere ad hoc, ut si fortè aliquis medicus per imperitiam, prout multoties evenit, nescisset qualitatem morbi judicare, & propterea judicasset, non esse naturalem, sed ex maleficio provenire, alius medicus magis peritus, habita notitia omnium accidentium eiusdem infirmitatis, & eius progressus, licet infirmum non viderit, possit cognoscere, an talis infirmitas ex morbo naturali, nec ne provenire potuerit. Et ulteriùs maximè congruum esset ad eundem effectum iudicialiter examinare familiares infirmi pro habenda notitia principij infirmitatis, & eius progressus. Ex hoc enim apparebit, an conveniant depositiones medicorum, & familiarium circa accidentia infirmitatis, & sic tutius poterit fieri iudicium à Iudice, an constet de corpore maleficij.

Quòd si ex huiusmodi diligentiis Iudicis apparebit infirmitatem esse, vel fuisse naturalem, proculdubio procedere non debet contra accusatam de tali maleficio. Si verò medici periti clarè iudicaverint esse, vel esse posse probabiliter maleficium, tunc Iudex securiùs cogitare poterit de inquisitione formanda contra accusatam de tali maleficio,

Insuper antequam Iudex deveniat ad carcerationem prætensæ maleficæ debet diligenter rimari cuncta indicia, quæ sunt contra illam, neque ex sola denunciatione prætensi maleficiati, & eius attinentium esse faciles ad carcerationem, nisi simul allegetur aliqua probabilis causa, ob quam animus Iudicis rationabiliter moveri possit ad credendum, quòd mulier accusata, tale maleficium committere voluerit, & eiusdem causæ aliquam probationem, vel saltem non leve indicium habeat, antequam ad carcerationem deveniat.

Advertat præcipuè Iudex in ipso actu carcerationis diligentem facere perquisitionem in domo mulieris inquisitæ, & talem inquisitionem vel per ipsum, aut Vicarium idoneum faciat, adhibito Notario, ac testibus; nec huismodi perquisitioni interveniant personæ attinentes, aut familiares prætensi maleficiati, ne contingat, prout aliquando suspicatum est, dolosè aliqua supponi, maleficium denotantia, in grave præjudicium inquisitæ. Et in dicta inquisitione annotentur diligenter per Notarium omnia reperta in domo, & captis, non solùm quæ possunt iuvare intentionem Fisci, sed etiam quæ possunt iuvare ream, inquirant, ut imagines Sanctorum, Coronæ, divina Officia, libri devotionum, schedulæ Communionis, aqua, & palmæ benedictæ, aliaque similia, singillatim illa describendo in inventario perquisitionis conficiendo. Nec sint faciles Judices ad firmiter credendum aliqua reperta, prout oleum in vasculis, pinguedo, pulveres, & hujusmodi alia esse apta ad maleficium; sed faciant illa considerari à peritis ad effectum, ut dignoscantur, an deservire possint ad alium finem, quàm maleficij.

Multoties evenit, quòd familiares prætensi maleficiati, credentes maleficium intus anaclinterium, cervical, pulvillos lecti ipsius infirmi, & cùm inveniat involucra, quæ videntur ad maleficium apta, illa deferunt ad Iudicem, qui super hoc maximum facit fundamentum, ad effectum probandi maleficium. Et in hoc debet esse multùm vigilans & circumspectus Judex. Facilè enim evenire potest, ut talia à familiaribus infirmi supposita fuerint, ut sic faciliùs Judex inducatur ad credendum maleficium, & ad procedendnm contra aliquam personam.

Præterea Judex bene advertere debet qualitatem repertorum in hujusmdi lectis. Cùm enim anaclinteria, & alia præfata conficiantur ex pluma, aut lana, & quotidie intermisceantur, & involvatur, dum lectus prosternitur,

sternitur, facilè evenire potest, ut spatio alicujus temporis fiant quædam involucra, quæ videantur præ se ferre suspicionem maleficij, & tamen naturaliter contingere possunt. Ultra quod in actu hujusmodi confectionis anaclinteriorum, aliorumque prædictorum ex incuria culcitrarij, aliqua intermisceri potuerunt, ex quibus hujusmodi involucra ex se confecta fuerint.

Et ideo si perquirerentur singulorum lecti, præcipuè ex pluma confecti facilè in aliquibus similia involucra reperirentur. Nec etiam est mirum, quòd in huiusmodi lectis quandoque reperiantur acus. Nam ubi sunt mulieres, acus ubique abundant, & facile est, quod per accidens spatio alicuius temporis multæ acus in huiusmodi rebus includantur.

Neque forsan abs re est considerare, dæmonem aliquando talia supponere potuisse absque participatione, & assensu alicuius, ut deinde credatur maleficium commissum, & sic aliqua persona injustè damnum patiatur, quemadmodum videmus in actu exorcismi nonnullorum obsessorum, qui videntur evomere acus, clavos, & diversa involucra, quæ tamen impossibile est obsessos in corpore habere, prout non habent; sed dæmon in illo actu talia supponit ad os obsessi, ut fortè credatur obsessum esse maleficiatum, & aliquis inde iniquè molestetur. Ex quibus patet, quam circumspectus debeat esse Judex circa hujusmodi reperta, cùm facilè vel potuerint supponi, vel esse naturalia, vel facta opera dæmonis, sive alicujus ministerio.

Consueverunt, parum quidem prudenter, multi exorcistæ juxta non bonam, quo ad hoc, theoricam autoris flagelli dæmonum interrogare dæmonem in exorcismis, quomodo ingressus fuerit corpus obsessi, & an ex maleficio, & quis huiusmodi maleficium commiserit? Unde dæmon, pater mendacij, & inimicus quietis humanæ sæpe respondet, se ingressum esse corpus obsessi ex maleficio facto à tali persona, in tali cibo, sive potu, & ut dæmon magis certum reddat exorcistam, & alios de hac re, supponit evomenda ab obsesso talia similia illi rei, in qua dixit maleficium factum fuisse, & alia pleraque, ut supra dictum est.

Hinc sæpius observatum fuit aliquos Judices formare processus contra prætensos maleficos nominatos à dæmone, ut supra, tanquam si ex dicto dæmonis probentur præmissa. Vnde super huiusmodi processibus nulla vis facta fuit ab hac S. Congregatione, imo semper reprehensi fuerunt exorcistæ, dæmonem, ut supra interrogantes, & Judices, qui super dæmonis responsione processum formarunt. Et utinam non reperirentur aliqui Exorcistæ, qui parum fideliter officium tam pium exercentes, multas imposturas confingant: Hinc est, ut quandoque plures fuerint privati munere exorcizandi.

Aliqui Judices opinantur, at perperam quidem, quòd eo ipso, quòd aliquis reperitur obsessus, id ex maleficio provenerit, & ex hoc solo iniustè formant processus contra personas aliquo modo obsessis infestas, vel aliunde indiciatas. Quod est maximè absurdum. Cui enim dubium est, quòd sine maleficio ex permissione Dei, possit dæmon vexare corpus alicuius? Caveant itaque omnino Judices, ne ex sola obsessione dæmonis conficiant processus super maleficio, imo etiam sint cauti, ne decipiantur ab aliquibus, qui in præmissis imposturam committunt, & diversimodè se obsessos esse simulant. Sæpe enim huiusmodi impostores reperiuntur.

Non sint faciles Judices ad faciendum magnam vim contra aliquam personam, uti strigem, & maleficam ex indicio famæ. Quamvis enim aliàs famæ indicium sit magni momenti attamen in ista materia ob odium commune, quod habetur in striges, contra quas omnes unanimiter clamant, facillimè insurgit huiusmodi fama contra aliquam mulierem, præcipuè quando est vetula, & turpis formæ. Unde vel modicum fundamentum super tali fama fiat, vel valde diligens Iudex interroget testes, à quanto tempore ortum habuerit, & à quibus, & ex qua occasione. Hinc enim forsan sæpè ex processu aparebit, famam esse indicium modici momẽti.

Ulteriùs advertendum est, quemadmodum mulierum genus est maximè superstitiosum, & sortilegiis præsertim amatoriis deditum, non tamen sequi, quòd si aliqua mulier sortilegia, vel incantationes, vel ad sanandum maleficia, vel ad cogendum voluntatem hominum, vel ad alium quemcunquè finem fecerit: Ergo est strix, sive sortilega formalis. Potest enim esse sortilegium sine apostasia formali ad dæmonẽ, licet non careat suspicione apostasiæ, vel levi, vel vehementi iuxta qualitates sortilegiorum annotatas in *cap. accusatus* §. *Sanè de hæret. in 6*. Et ideo bonus Iudex dum format processum contra aliquam mulierem confessam vel convictam de huiusmodi sortilegiis, non sit facilis ad concipiendum in animo suo, quòd sit apostata formalis ad dæmonem, licet hoc esse possit; sed quando, deveniet ad torturam contra hanc mulierem, illam in genere interroget, an habuerit pactum cum dæmone iuxta ea, quæ inferiùs dicentur de modo torquendi. Et ad hoc maximè advertere debent Judices, quia multi in hoc decipiuntur, falsò putantes, quòd huiusmodi sortilegia fieri non possint sine apostasia formali ad dæmonem, & hinc oriuntur maxima præjudicia mulieribus inquisitis de huiusmodi sortilegiis. Judices enim minùs periti, vel aliàs nimis faciles ex lectione aliquando librorum de sortilegiis, & strigibus tractantium, hoc falsò præsupposito decepti nullam viam relinquunt, etiam indebitam, pro extorquenda confessione mulierum, quæ sæpissime ob diversos malos, & illicitos modos habitos, tandem inducuntur ad fatendum ea, que fortè nunquam excogitarunt.

Ut igitur hæc mala evitentur observandæ sunt sequentes regulæ.

Jn primis, quoad fieri potest, non permittant mulierem carceratam ob maleficium, aut sortilegium, quempiam alloqui; & si plures reperiantur mulieres de hac re carceratæ, non permitantur simul colloqui, sed retineantur in carceribus separatis. Quia multæ sæpe convenerunt falsum fateri contra seipsas in materia apostasiæ, putantes hoc modo è carceribus eximi.

Nullo modo permittant Judices, quòd custos carceris, aut quivis alius ille sit, mulieribus sic carceratis suggerat, quid fateri debeant cùm examinatæ fuerint. Multoties enim compertum est, quòd mulieres huiusmodi suasionibus impulsæ, aut etiam sæpe ob impunitatem promissam, quæ tamen nunquam eis promitti deberet, fassæ fuerint id, quod nec quidem somniarunt.

Judices nunquam alloquantur huiusmodi carceratas de meritis causæ, nisi iudicialiter, eas examinando.

Nullas omnino suggestiones in illis interrogandis omnino faciant, sed ab initio interrogent, an sciant, vel præsumant causam examinis, sive carcerationis. Deinde de inimicitiis, & de causis inimicitiarum. Postea possunt interrogare de cursu earum vitæ, de frequentatione sacramentorum, quis fuerit earum Confessarius, & de aliis similibus, ex quibus detegi possit bona, vel mala earum vita, & conditio. Item in genere possunt interrogare, an sciant, aliquod sortilegium & ad quem effectum, & an unquam hujusmodi, vel aliud sortilegium executioni demandaverint. Et, si negaverint, possunt fieri alia interrogatoria in genere paulatim, eis objiciendo, quòd deponitur in processu ipsas scire, aut commisisse tale & tale sortilegium. Et tandem si omnia negant, possunt eis in diversis interrogatoriis paulatim obiici, quæ in processu contra ipsas habentur, circumscriptis tamen nominibus, & cognominibus testium, & circumstantiis, ex quibus in notitiam devenire possit, qui sint testes; ac tandem completo processu informativo, si adhuc persistant in negativa, concedatur facultas repetendi testes processus offensivi. Quæ repetitio, ut validè ac legitimè fiat, formandi prius

sunt

sunt articuli pro parte Fisci super capitibus, quæ pro Fisco prætenduntur, & copia dictorum articulorum danda ipsis inquisitis, assignando eis advocatum, & procuratorem idoneum, etiam ex Officio, quando inquisitæ vel ob paupertatem, vel alia de causa illos non habeant, eisdemque tempus congruum detur ad dandum interrogatoria, quo elapso, fiat repetitio. Facta repetitione detur eisdem terminus ad faciendas defensiones, detur etiam eisdem copia processus; & factis defensionibus, seu elapso termino ad illas faciendas, Judices convocent Congregationem Consultorum peritorum, in qua per extensum, vel summariè processus legatur, subtractis nominibus, cognominibus, & circũstantiis testium; &, si de modo expeditionis causæ non sint concordes, aut causa sit gravis, vel ratione delicti, vel ratione personæ, non deveniatur ad torturam, nisi consulta Sacra Congregatione supremæ Inquisitionis Romanæ, ad quã mitti debeat copia integri processus, tam offensivi, quàm defensivi. Et cùm videretur Judicibus ex voto suæ Congregationis sine difficult. ad torturã deveniri posse, quia indicia essent urgentia, advertant, ne in ipsa tortura interrogentur inquisitæ de delicto, in specie, quod prætenditur, sed tantùm, antequam, deveniatur ad decretum torturæ, objiciantur eis iterum indicia, quæ in processu habentur, & postea in actu torturæ interrogentur tantùm, ut dicant veritatem de ijs, super quibus fuerunt interrogatæ, & si fateri cœperint, non suggeratur eis aliquid, sed tantùm recipiantur, & scribantur verba præcisa earum confessionis, interrogando postea in genere super ulteriori veritate.

Advertant, ne tortura detur cum squassationibus, aut cum aliquo pondere, sive baculo ad pedes, sed sit simplex elevatio in torturæ funibus, aut sit simplex tortura alterius generis tormentorum, quando tormento funis torqueri non possunt.

Non sint faciles Judices ad repetitionem torturæ, nisi causa sit gravissima: quo casu iam erit consulenda S. Congregatio, ut dictum est.

Nullatenus abradantur aliqui pili, vel capilli ipsarum mulierum, nec vim faciant Judices contra inquisitas in quodam indicio ab aliquibus Doctoribus considerato, videlicet quando forsan hujusmodi mulieres, maximè in tortura, non emittunt lacrymas.

Tortura nunquam excedat tempus unius horæ, nec facilè per horam tortura inferatur, nisi ex gravitate causæ, & urgentibus indiciis simul, & in fine examinis annotetur tempus, quo in tormento manserunt.

Maximè est advertendum, quòd in eventum, in quem hujusmodi mulieres apostasiam ad dæmonem, & accessum ad ludos dæmoniacos faterentur, quo casu corpus delicti aliunde probari non potest, quàm per propriam confessionem, curandum est sine minima suggestione, ut hujusmodi mulieres totam seriem facti à semetipsis recenseant, & quomodo ab initio ad id inductæ fuerint, de tempore, & aliis circumstantiis. Nam hoc modo videri poterit, an confessio hujusmodi apostasiæ, & accessus ad ludos, verisimilis sit, nec ne; & casu, quo fateantur aliqua particularia, sive circumstantias quæ verificari possint, omnino Judices diligentes sint pro iis verificandis, quia sic magis verisimiles reddentur confessiones circa apostasiam & accessus ad ludos, aliàs, si tales circumstantiæ adductæ falsæ comperirentur, dubitari posset de veritate hujusmodi confessionis, forsan secutæ, vel vi torturæ, quæ est remedium fallax, vel suggestione alicujus, vel tædio carceris, vel quia sic crederent faciliùs sibi indulgendum esse, prout aliquando compertum est hisce rationibus mulieres fassas esse falsò apostasiam, & accessus ad prædictos ludos. Et, ut faciliùs Judices possint se abstinere à quacunque suggestione, quando mulieres incipiunt fateri talem apostasiam, forsan meliùs esset, ut tunc Judices obliviscerentur eorum, quæ dicunt Doctores quidam in ista materia; quia sæpe visum est, quòd Judices in ordine ad ea, quæ præleguntur apud Doctores, multa præjudicia inferunt his mulieribus.

Et quatenus tales mulieres fateantur apostasiam, & accessus ad ludos, & nominent complices in hujusmodi ludis, nullo modo procedatur contra hujusmodi complices. Quia cùm talis accessus plerumque per illusionem contingere possit, justitia non postulat, quòd contra complices cognitos, & visos per illusionem procedatur.

Omnino Judices scribere faciant in processu interrogatoria omnia per extensum, ab ipsis Iudicibus facta, ut ex lectura processus appareat qualia illa fuerint, & an adsint suggestiones. Cum maximo enim abusu, ac præjudicio consueverunt aliqui Iudices scribi facere: *ad opportunam interrogationem respondit*; vel, *aliàs respondit*.

Multi Iudices deveniunt ad formandos processus similes, absque eo quòd appareat ex processu, quale fuerit primum judicium, & unde provenerit, sed processus sic incipiunt: *Cùm ad aures devenerit*, sive, aliàs, *Præcedente fama publica*, &c. Caveant igitur Iudices ab isto errore, & semper examinent in principio processus personam, sive personas, quæ ad aures primò aliquid dixerunt, vel quomodo talis fama ad ejus notitiam pervenerit, & cuncta seriatim in processum redigant, ita ut nihil omnino omittatur.

Plerunque contingere potest, quod infantes decedant ex suffocatione in lectis pauperum matrum, & nutricum, unde prohibetur matribus, & nutricibus, ne in suis lectis, sed in cunabulis separatis infantes retineant. Ideo prudentes Judices bene advertant, quia secuta aliquando simili suffocatione, ne illa detegatur, matres, & nutrices propalant infantes occisos esse à strigibus.

In hujusmodi causis, & processibus formandis, omnino serventur taxæ aliàs transmissæ de mandato S. Congregationis, & quando mulieres præsertim sunt pauperes, caveant Iudices ab earum bonorum expilatione.

Sententiarum formulæ in causa hæresis videantur apud Farinacium de *hæres. qu.* 185. *num.* 17. *ac seqq.*

CONSULTATIO CXXIV.

De Sacrosancto desertæ, ac violatæ Fidei-Christianæ, impiæ, & sacrilegæ in ea inconstantiæ Tribunali, in quo præcipua Christianæ fides Mysteria, ipsamque Christianam religionem adversus Atheos, Ethnicos, Judæos, atque hæreticos propugnatur.

De Inquisitoribus, deque eorum Vicariis & Commissariis, eorumque dignitate, ac potestate, ubi, ferè dixerim, omnia quæ ad S. Officium inquisitionis pertinent, quæ facere, quævè non facere ij possunt per saturam, sive per effata, Aphorismos, & axiomata, recisis extranearum quæstionum silvis, breviter, sed clarè, solidè, ac certò ex vera sententia pro usu quotidiano, juxta theoricam, ac praxim decernuntur.

COmmunis planè sententia est inter alia Episcoporum munera, & functiones illud esse proprium, ac præcipuum, greges sibi commissos fidei dogmata doceant, & eos ab impiorum hominum, & Hæreticorum pravis, ac venenatis doctrinis diligenter custodiant, atque tueantur: sed ob varias Episcopalis officij curas, & negocia quibus sæpenumero implicatur Episcopus, ita ut par eis esse non possit, vel propter Episcoporum absentiam, vel etiam aliquorum ignaviam, vel imperitiam, commissum est à sede Apostolica munus inquirendi, & animadvertẽdi in hæreticos certis quibusdam Iudicibus, quos ad id Negocij Pontifices Romani deputarunt, quosque ob id Sacros & Apostolicos Inquisitores appellamus. Ex historiis autem eclesiasticis docemur hoc muneris quadam ex parte primum D. Dominico fuisse mandatum circa annum Domini 1208. quid quid alii, præsertim

tim Cistercienses secùs dixerint: Is enim suum Episcopum ex Hispania comitatus contra Albigensium, & aliorum perfidorum hominum errores, qui tunc sensim in Ecclesiam ex inferorum latebris irrepere cœperant, fidem Christi in Tolosanis partibus egregiè promulgavit, cujus crebris concionibus, & Catholica doctrina, vitæque exemplo mirabili, multi ad Ecclesiæ gremium per veram cordis pœnitentiam redibant. Et ideo ut salutaribus pœnitentiis impositis eos redeuntes posset absolvere, plenam ad id facultatem à Romano Pontifice impetravit, quod munus postea S. Petrus vitæ Sanctitate, doctrina, & martyrio clarus, instituti Dominicani alumnus egregiè, ac intrepidè, quod ejus martyrium declaravit, per Longobardiam præstitit. Undè factum est, ut deindè per Italiam, Hispaniam, Siciliam, & Sardiniam Inquisitorum munere Dominicani fratres, qui vitæ moribus, & litterarum scientia florebant, functi fuerint, quod etiamnum majore ex parte per Italiam exequuntur & obeunt. In Tuscia enim autoritate Romani Pontificis, Franciscanæ familiæ fratribus hæc provincia demandata est.

In Hispania verò tota Ferdinandus Aragoniæ, & Castellæ Rex Catholicus ejus nominis quintus circa annum Domini millesimum quadringentesimum octogesimum quartum aut sextum postulavit, ut Inquisitorum munere se se Dominicani fratres abdicarent, ac ita Romani Pontificis autoritate commissum est clericis sæcularibus, Canonum, ac Legum peritis. Quare jussu regio, & pontificio concessu demandata est cura constituendi sacræ Inquisitionis officium Cardinali Mendozio, qui adhibito multorum doctorum hominum consilio leges composuit, ordinem præscripsit, quem singuli Inquisitores in Hispania observare deberent, quem servant etiam ii Inquisitores, qui ad Siciliam, & Sardiniam, ac Indiam, Hispaniarum Regi subjectas insulas, & provincias destinantur.

Id igitur muneris jure communi Episcopis convenit. Nam eo ipso, quòd Episcopi sunt, salutaria dominico gregi sibi commisso ministrare pabula debent, lupos à caulis ovium arcere, extirpare hæreses, Hæreticos convincere, denique omne bonum christiani gregis, ac populi promovere. Unde jure canonico bis in anno Concilia Episcopalia in Ecclesia cogi, & celebrari deberent, ut inter se invicem Episcopi dogmata pietatis conferrent; Et in Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio definierunt Patres, si quis Episcopus super expurgando, de cœtero, de sua diœcesi hæreticæ pravitatis fermento negligens fuerit, cum id certis indiciis apparuerit, Episcopali munere privetur, & loco ipsius alter substituatur idoneus, qui velit, ac possit hæreticam confundere pravitatem. Quæ longè antè sancita fuerunt in Concilio Milevitano *cant.* 25. & Concilio Toletano II. *can.* 2.

Olim itaque Jure communi Canonico Inquisitorum munus conveniebat solis Episcopis, qui in omnes Hæreticos non exemptos, tanquam ordinarii Judices inquirebant, in exemptos verò, tanquam Judices à Romano Pontifice delegati, quorum munus hodie quoque præstant in iis Provinciis, in quibus non sunt Inquisitores Apostolici speciali autoritate Romani Pontificis constituti, ut in Gallia, Germania, Polonia. Ubi verò locorum Inquisitores Apostolicos Romani Pontificis autoritas creavit, non in universum Episcoporum ordinaria jurisdictio est abrogata, qui utrique possunt simul, aut seorsim de hæresi cognoscere per Clem. I. de hæret. exemplo forsan Romanorum, quorum Magistratus nonnunquam Respublica ecclesiastica imitata est. Apud enim Romanos Quæstores præerant præcipuè rebus capitalibus, quia, ut inquit Fenestella, & Pomponius in *l.* 2. §. iisdem temporibus de *orig. jur.* de capite civis Romani injussu populi non erat permissum Consulibus dicere. Propterà Quæstores constituebantur à populo, qui in capitalibus præessent, hique appellabantur Quæstores parricidii, quorum etiam meminit Lex duodecim tabularum. Provincias sortiebantur, quod, ut Ulpianus *in leg.* I. *de offic. Quæstor.* factum est Decimo, Druso, & Porcina Consulibus. Primùm Patritii creati, posteà indifferenter Patritii, & Plebei, & Asconio referente, Senatoris administratio erat, quæstorem fieri in provincia.

Hæc autem autoritas Inquisitores in causis S. Officii est major autoritate Ordinarii, quando Ordinarius ordinaria tantum, non autem autoritate quoque delegata procedit, quia in causis fidei Inquisitor est præcipuus Judex, ac delegatus summi Pontificis, cujus personam repræsentat *ex d. Clem.* I. *eo* §. *propter de hæret. & can. præcipimus d.* 93. traduntque Eymer. *in direct. part.* 3. *q.* 4. ibique *Pegna com.* 53. Jo. Andr. Gemin. ac cœteri communiter *in cap. ne aliqui de hæret. in* 6. Sylvest. *v. hæresis* 2. *q.* I. *n.* 2. Alciat. *in rubr. de offic. vic. n.* 19. Molin. *de just. tit.* 5. *disp.* 28. *n.* 4. Scacc. *de judic. lib.* I. *cap.* 67. *n.* 5. Novar. *cons.* I. *de offic. judic. delegat. n.* I. Simanch. *de cathol. instit. tit.* 34. *n.* 4. Butr. *in cap. legatos de offic. legat.* Narbon. *in* 3. *p. recopil. lib.* 4. *tit.* I. *leg.* 20. *gloss.* 22. *n.* 79. Zanard. *in direct. p.* 2. *præcept.* I. *cap.* 6. Moscou. *de majest. milit. eccles. lib.* I. *p.* I. *cap.* II. Homob. *de stat. p.* I. *cap.* 8. Torrebl. *de Magia lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 2. *& seqq.* aliique passim contra nonnullos, quos sequuntur Canter. *in quæst. crimin. cap.* 2. *de probat. per test. q.* I. *n.* 65. & Portecar. *in allegat. pro jurisd. Inquis. n.* 48. delegatus autem in officio sibi Commisso junior est quocumque Ordinario juxta *cap. sane de offic. & potest. judic. deleg. cap. studuisti. de offic. leb. ac l. fin. ff. de offic. ejus, cui mand. est jurisd. & l. si prætor. eod. tit.* Quinimmo addit Autor Repertorii Inquis. *v. delegatus* §. *delegatus* Ordinarium ipsum Inquisitoris mandato obedire debere, quia non solum gerit vices summi Pontificis, sed etiam ejus locum tenet, *can. si quis Episcopus* 2. *q.* 6. *& can. ult. d.* 93. Pegna, & alii quos ipse allegat *com.* 54.

Si verò Inquisitor, & Episcopus, in hæreticos, vel de hæresi suspectos, exemptos ab Episcopo, inquirant autoritate delegata, uterque est paris potestatis quia uterque eam habent à Romano Pontifice. Unde si Episcopus, & Inquisitor aliquem citant, ut coram se compareat, de fide ac religione responsurus, citatus ille coram utroque se sistere debet, si diversa sint tempora ipsius citationis. Sed si eadem tempora fuerint, sistere se debet coram Inquisitore, ut probant Eymer. *p.* 3. *q.* 5. & Pegn. *com.* 54. Panorm. *in cap. significasti n.* I. *&* 5. *de offic. deleg. & in cap. ult. n.* 10. *de consuet. & in cap. si quis contra n.* 2. *de for. comp. & in cap. pro illorum n.* 15. *de præb.* Nam, ut diximus, Inquisitor gerit vicem Romani Pontificis in causa sibi speciatim delegata, ideoque ipsi, velut Pontificis locum sustinenti, obtemperandum est, quolibet alio Judice posthabito. Quod etiam docent Symanch *de cathol. instit. tit.* 25. *n.* 5. Farinac. *loc. cit. n.* 87. *& seqq.* & Paulus *ibid. p.* 13. *n.* 3.

Verùm, cum *ex cap. accusatus de hæret. in* 6. Sacrum Inquisitionis officium sit summè privilegiatum, videtur habere ordinariam, & delegatam jurisdictionem in favorabilibus. Quare hodiè ex consuetudine generali remedium est etiam ordinarium, & propterea potest in omnibus delictis sibi commendatis, publicis, ac privatis ex officio inquirere, ut tradunt Albertin *in l. ea quidem vers. consuetudo tamen. C. de accus.* ubi etiam *Bald. n.* 44. Jo: Andr. *in cap. fœlicis. de pœn. lib.* 6 Cuman. *Cons.* 176. Vitalin. *de malefic. rubr. de Inquis. n.* 6. Anan. *in cap. qualiter n.* 9. *de accus.* Bos. *in tit. de inquisit. n.* 8. Gomez. *var. resol. tom.* 3. *tit. de delict. cap.* I. quòd extendit etiam ad delicta privata, & prosequuntur Clar. *in prax. crim. quæst.* 3. Decian. *cons.* 18. *numero* 193. Monticel. *in pr. reg.* I: *numero*

num. 61. Cened. *in pr. tit. de inquisit.* Directorium, Carena, Paramus, Moura, Molina, Torreblanca, & alii ab his citati. Undè potestas Inquisitoris, ut talis, est major potestate Ordinarii; æqualis autem, si Ordinarius procedat, tanquam delegatus Sedis Apostolicæ, ut cum Episcopus procedit contra prædicatorem regularem, proferentem propositiones scandalosas, temerarias, & hujusmodi alias, est delegatus Sedis Apostolicæ ex S. Concilio Trid. *sess.* 5. *cap.* 1. *de refor.* si autem contrà sæcularem, etiam presbyterum, procedit ut Ordinarius.

Quo autem tempore creari cœperint Inquisitores, docet Pegn. *in* 3. *p. direct. theol* 43. *&* *lib.* 8. *de pœn. hæret. in princ.* Eorum autoritatem contra hæreticos Concilium Viennense ampliavit apud Baronium ann. 1312 *n.* 21 summi quoque Pontificis delegati sunt illi Inquisitores, qui non eliguntur immediatè ab ipso summo Pontifice, sed ab aliis, ut ji, qui eliguntur à Generali Hispaniarum Inquisitore. Nam etiam etsi à Sede Apostolica jurisdictionem accipiunt, ut patet ex litteris Urbani, & Clementsi IV. relatis à Pegna in fine directorii, probatque multis rationibus Palaus *p.* 1. *tr.* 4. *disp.* 8. *pun.* 12. §. 2. *n.* 4. ac docent Eymericus, Locatus, Repertorium, Zechius, Royas, & Farinacius *de hæresi q.* 186. *n.* 41.

Ex litteris Apostolicis Urbani IV. ad Inquisitores ann. 1261. & 1265. Inquisitor debet esse conversatione honestus, prudentià circumspectus, constantia firmus, sacræ fidei doctrinæ eminenter eruditus, ac virtutibus circumfultus. Unde potius Theologus, quam Jurisperitus est eligendus *ex* Cano. *lib.* 8. *cap.* 7. *de loc. theol.* Bruno *lib.* 4. *de hæret. cap.* 1. Cajet. 2. 2. *q.* 185. *art.* 3. Zanard. *in sum p.* 1. *cap.* 6. *q.* 12. licet potius esse debeat jurisconsultus, quam theologus asserant Symanch. *loc. cit. tit.* 41. *num.* 3. Scacc. *d. lib.* 1. *cap.* 87. *n.* 10. Dian, *p.* 5. *tr.* 10. *res.* 7. *&* *p.* 4. *tr.* 8. *res.* 52, Azor. *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 18. *qu.* 5. At si fieri posset, is esset eligendus, qui juris, ac theologiæ bene peritus sit, sin minus consuetudo cujusque provinciæ servetur.

Quòd attinet ad ejus ætatem, olim nemo poterat in Inquisitorem eligi, nisi annum quadragesimum attigisset ex Clem. *nolentes de hæret.* Unde talis esse debet ex Eym. *p.* 3. *q.* 3. ibique Pegna *com.* 51. Farinac: *de hæres. q.* 186. *numero* 46. Zanardus *loc. cit. p.* 1. *cap.* 6. *q.* 12. Sanctarel. *de hæres. cap.* 40. *dub.* 1. *concl.* 5. *n.* 5. Castropal. *p.* 1. *tr.* 4. *disp.* 8. *pun.* 12. *numero* 24. Verùm hæc ætas antiquitus requirebatur, quando Inquisitores eligebantur à Generalibus, & Provincialibus Sancti Dominici, & S. Francisci, ut constat ex rescriptis Innocentii IV. & Clementis IV. apud Eymer. *d. q.* 3. & alios. Sed hodie cum Inquisitores eligantur immediatè à Summo Pontifice, vel à S. Congregatione Em. Card. supremæ Inquisitionis, qui non ligantur dispositione dictæ Clementinæ, ideo necesse non est, ut Inquisitor eligatur ætatis 40. annorum. Unde Caren. *p.* 1. *tit.* 5. §. 4. *numero* 16. refert, S. Congregationem deputasse Cremonæ Inquisitorem, qui vix excesserat annum trigesimum, & Castropalaus *loc. cit.* aliique testantur in Hispania Inquisitores creari, si annum trigesimum compleverint. Id ipsum servari in Lusitania, refert Sousa *in aphor. lib.* 1. *cap.* 1. *numero* 8. Quod fieri quidem puto ex speciali summi Pontificis concessione.

Porrò Inquisitores Regulares in iis, quæ spectant ad S. Officium non subduntur Prælatis sui Ordinis, sed solis Emin. Cardinalibus supremæ Inquisitionis ex privilegio Alexandri IV. Clementis IV. & Urbani IV. apud Eymer. *d. p.* 3. *q.* 11. Quia etiam ipsi sunt in causis fidei delegati summi Pontificis, illiusque personam repræsentant ut *ex can. præcipimus d.* 93. probant Pegna *in d. qu.* 11. *com.* 60. Royas *de hæret. p.* 2. *numero* 418. & Decian. *in tr. crim. lib.* 5. *cap.* 22. *numero* 33. Undè si deliquerint in iis, quæ ad S. Officium pertinent, non sunt puniendi à superioribus sui Ordinis, sed à dictis Em. Cardinalibus. In aliis vero delictis extra S. Officium, possunt quidem contra eos inquirere, non tamen illos punire, sed debent captam cognitionem ad dictos Eminentissimos mittere, ut ab ipsis sententia feratur Farinac. *de hæres. q.* 186. *numero* 128. Castrop. *d. p.* 1. *tr.* 4. *disp.* 8. *pun.* 12. §. 2. *numero* 23. Caren. *p.* 1. *tit.* 5. §. 8. *numero* 72. & Dian. *p.* 4. *tr.* 8. *resol.* 53. *&* *p.* 5. *tr.* 10. *resol.* 132.

Ob eamdem rationem quòd sunt delegati Pontificis, ac ejus personam repræsentant, debetur eis in ordine ad sibi subditos titulus Reverendissimi Patris, ut per Param. *de orig. S. Inquisit. lib.* 3. *q.* 11. *numero* 23. *& seqq.* Caren. *loc. cit.* §. 6. *numero* 51. Ac præcedentia supra Vicarios Generales Episcoporum, nedùm in causis S. Officii, sed etiam extra ipsas, & in omni loco, qua de re Nos infrà, & alibi; Nam præcedentia debetur habenti majorem dignitatem, ut probant Frecc. *de Subfeud. lib.* 2. *tit. quis dicatur Dux numero* 46. Cyriac *contr. form. tom.* 2. *contr.* 201. *numero* 73. Fab. de Ann. *cons.* 40. *numero* 14. Inquisitores autem majorem habent dignitatem, quàm Vicarii Generales Episcoporum, quia Inquisitores repræsentant summum Pontificem, Vicarii Episcopos. Quare iidem Vicarii subduntur Inquisitoribus in causis ad tribunal S. Officii spectantibus, quia Jurisdictio Inquisitorum extenditur contra omnes, qui ab ea non sunt expressè excepti, quales sunt Episcopi, non autem eorum Vicarii; Ideoque tanquam delegati Apostolici præcedunt in subscribendis sententiis, & aliis actibus S. Officii Vicarios, & alios Ministros Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, nec non Auditores Nunciorum Apostolicorum. Notat tamen Carena *d. p.* 1. *tit.* 4. §. 7. *numero* 67. Quòd si Vicarius Episcopi sederet in Synodo cum suis Clericis, tunc Inquisitores non deberent eum præcedere, nam ibi resideret, uti suorum Clericorum caput. De aliis eorum præcedentiis alibi dictum est.

Posse autem Inquisitores habere familiam armatam, alibi docuimus. Posse etiam habere carceres proprios pro reis S. Officii constat ex *cap. ut Inquisitionis de hæret. in* 6. & tradunt Eymer *d. p.* 3. *q.* 58. ubi Pegna *com.* 107. Sed, quamvis ex jure Canonico carcer detur, non solùm ad custodiam, sed etiam ad pœnam, ut *cap. quamvis de pœn in* 6. Conrad. Brun. *lib.* 5. *de hæret. cap.* 12. Locat. *v. carcer*; Inquisitores tamen carcerem proprium habere possunt ad custodiam tantùm, quò verò ad pœnam illum habent communem cum Episcopis. Quia non potest Inquisitor sine Episcopo, neque Episcopus sine Inquisitore condemnare reum ad carcerem perpetuum, vel ad tempus, neque in duriorem carcerem conjicere, qui sit magis ad pœnam quàm ad custodiam ex Clement. 1. *de hæret.* ut notat Pegna *loc. cit.*

At, si reus securus non esset in loco mitiori, tunc ad arctiorem per solum Inquisitorem potest transferri. Quia hoc fieret ad custodiam, non ad pœnam ex Paulo de Leazardo, Zabarel. Imol. & aliis *in Clem. multorum de hæret.* unde notat Pegna *ubi supra*, quòd si immineret fuga, vel colloquium, aut aliorum perversio, vel aliud quidpiam hujusmodi, quod in detrimentum veritatis verteretur, tunc solus Inquisitor, non requisito Episcopo, reum posset arctiori, & obscuriori loco occludere. Cavendum tamen, ne tanta sit carceris asperitas, ut delinquens in eo moriatur. Tunc enim qui hoc decreverit irregularis

gularis fieret, ut firmant Abb. *in cap. à nobis de Apost. & in cap. qualiter, & quando de accus.* Zabarel. *in clem. un. de homic.* Locat. *d. v. Carcer num.* 6. Pegn. *com.* 107. *verf. verumtamen.* Unde *com.* 108. *verf. ad hac* subdit, quod Inquisitores bis singulis mensibus tenentur visitare vinctos, & ab eis quærere, an necessaria ipsis ministrentur; & an bene, an autem secus se habeant? sique occasio, aut necessitas postulaverit tèr, quatervè id facere, non erit indecorum, immo quandoque necessarium. Et ita etiam docet Symanch. *de cath. instit. tit.* 16. *num.* 13.

Interpretari quoque possunt Inquisitores statuta contra hæreticos, eorumque fautores, ut per Eymer. *dec. p.* 3. 86. ex litteris Alexandri IV. Idemque tenet Campeg. *ad Zanchin. cap.* 16. *verf. rursus arbitrium* Judicis. Addit tamen Pegna *com.* 135. id fortassis, & si versum sit ex stricta juris ratione, tutius tamen esse in re tam gravi adhibere Episcoporum consilium ubi commodè adhiberi poterit, aliàs urgente causa solus forsan Inquisitor poterit id præstare.

Quòd verò ad edicta, certum est posse Inquisitores inconsulto Episcopo, quoties opportuerit publicare edicta contra hæreticos, eorumque complices, fautores, receptatores, ac defensores, quibus jubeant sub pœna anathematis, universos id delictum revelare. Ita docent Eymer. *d. p. numero* 52. *in forma admonit. de hæret. revel.* Royas *de hæret. p.* 2. *de privil. Inquis. numero* 415. Zanchin. *de hæret. cap.* 21. *nu.* 2. Pegn. *loc. cit. verf. rursus non modò.* Quod usu etiam comprobatur.

Si autem Ordinarius edicta hujusmodi publicaverit, non potest Inquisitor illa revocare, sed potest confirmare. Sic enim Episcopus, & Inquisitor fortiùs contra Religionis hostes pugnabunt.

Possunt etiam Inquisitores nova condere statuta in suis diœcesibus, augendo pœnas ex rescripto Innocentii IV. relato à Pegna *d. p.* 3. *com.* 155. *verf. ad hæc paucis*, traditque etiam Royas *loc. cit. numero* 440. Nam si Episcopus in sua diœcesi statuta condere potest contra Hæreticos, Blasphemos, Sortilegos, & alios hujusmodi, ut ab his sceleribus acerbitate pœnarum homines avocentur per *text. in cap.* 2. *§. statuto de constit. in* 6. ibique Gloss. & Doctores communiter, multò magis contra eosdem id poterunt Inquisitores, qui in causa hæresis, aut majorem, aut saltem æqualem habent cum Episcopis Iurisdictionem. Advertit tamen Pegna loc. cit. consultius esse, ut in hoc casu Inquisitores Episcoporum consilium adhibeant, vel, quod tutius est, Supremum S. Inquisitionis Romanæ Senatum consulant, à quo in rebus gravibus in fidei causis nunquam est discedendum.

Quinimmo possunt Inquisitores post sententiam pronunciatam, rei pœnitentiam mitigare, aggravare, vel commutare, ita docente Eymer. *d. p.* 3. *numero* 194. *in fin.* In forma enim sententiæ id sibi reservant. Aiunt siquidem *Retinentes nobis ex certa scientia, & expressè, quod possimus liberè dictam sententiam, seu pœnitentiam mitigare, aggravare, commutare, tollere totaliter, vel in parte, si, & quando, & prout Nobis, toties, quoties, videbitur faciendum.* Quo in loco notat Pegna *com.* 44. hoc esse Inquisitorum privilegium, ut etiam post sententiam eorum jurisdictio in eadem causa non expiret. Hoc idem docent Guido Fulcod. *in consult. ad Inquisit. quæst.* 13. & Archid. *in cap. ut Commissi de hæret. in* 6. Quod cautum fuit in Concilio Narbonensi *cap.* 7. & in Concilio Bitterrensi *cap.* 22.

Verùm tenendum est non posse Inquisitores commutare pœnas impositas reis, inconsultâ Sacra Emin. Cardinalium congregatione. Quare in sententiis ferendis non sibi, sed Eminentissimis S. Congregationis Cardinalibus hujusmodi facultatem reservare debent.

Ac etiam possunt Inquisitores in causis fidei summariè, ac de plano procedere absque Advocatorum, ac Judiciorum strepitu, & figura. Ita enim statuerunt Alexander IV. in sua Constit. quæ incipit *Cupientes ut Inquisitionis negotium*, anno 1251. Urbanus IV. in Constit. *licet ex omnibus* 1261. Bonifacius VIII. in *cap. statuta de hæret. in* 6. ut referunt Eymer. *d. part.* 3. *qu.* 54. & ibi Pegn. *com.* 103. inquiens hoc esse magnum, ac singulare privilegium. Nam Judex, qui potest simpliciter ac de plano procedere, non cogitur omnem ordinem judiciarium servare. Id enim operatur ut si quidpiam omissum sit ex ordine juris, non idcirco processus vitietur, ut ex Gloss. *in d. cap. statuta V. figura*, dummodo substantialia causæ, ac judicii non omittantur, quæ sunt citationes, juramenti præstatio de veritate dicenda, probationes legitimæ, exceptiones utiles, appellationes necessariæ, induciæ, sive termini competentes, & hujusmodi alia, sine quibus, aut verè delictum probari non posset, aut Reus non valeret se justè defendere. Hæç enim, & si quæ sunt similia prohiberi non possunt ab Inquisitoribus virtute hujus amplissimi privilegii.

Habentque Inquisitores facultatem absolvendi hæreticum pœnitentem ab excommunicatione in foro externo, ex privilegio ipsis concesso à Gregorio IX. quod incipit, *Ille humani generis*, ab Innoçentio IV. quod incipit, *Tunc potissimè*, & à Clemente IV. ut refert Pegna *d. p.* 3. *com.* 141. ac testantur Eymericus *ibidem numero* 58. *& quæst.* 92. Locatus *verb. absolvere num.* 11. Repertor. Inquis. *v. absolutio §. sed nunc*, & Symanch. *tit.* 37 *numero* 1.

In foro tamen conscientiæ Inquisitor potest tantùm absolvere ab hæresi, quando, causâ cognitâ, pronunciatur sententia, & reus in utroque foro absolvitur. Et licet Inquisitorem hanc facultatem habere etiam in foro conscientiæ, quando Hæreticus est occultus, nec coram ipso denunciatus, sed secretè suam hæresim illi confitetur; unde posse in foro conscientiæ illum absolvere asserant Sanchez. *in decalog. lib.* 4. *cap.* 12. *num.* 1. Dian. *p.* 5. *tr.* 8. *resol.* 19. *& p.* 1. *tr.* 5. *resol.* 5. Delbene *de offic. Inquis. p.* 1. *dub.* 59. *numero* 1. *& seqq.* Communiter tamen alii negant. Quia Inquisitores sunt Judices in solo foro externo constituti, quorum munus est, delicta inquirere, ac delinquentes judicialiter punire. Unde rei S. Officii ad confessiones sacramentales libenter admitti non debent, ne Inquisitionis Officium deludatur, contemnaturque pœnitentiæ Sacramentum. Nam si Inquisitor audiret aliquem in confessione sacramentali, & ille errorem suum confiteretur, si postea denunciaretur, vel accusaretur, & Inquisitor judicialiter inquireret, factumque detegeretur, tunc reus imponeret Inquisitori, quòd secretum confessionis sacramentalis revelaverit.

Solùm ergo Reus crimen suum detegere debet coram Inquisitore in foro judiciali, ejus notario confessionem recipiente, sique totaliter crimen est secretum, secretè Inquisitor in eodem foro eum absolvat injuncta aliqua pœnitentia salutari. Quòd si prius denunciatus, & accusatus fuerat, mitiùs cum eo procedat, quia venit non vocatus. Atque ita docent Eymericus, & Pegna *comm.* 22. *num.* 59. Compeg. *ad Zanchin. cap.* 34. Locat. *v. absolvere num.* 7. Sanchez. *loc. cit. num.* 3. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *p. disp.* 43. *sect.* 1. *numero* 5. *& de fid. disp.* 21. *sect.* 4. *num.* 15. Sanctarel. *de Hæres. cap.* 4. *dub.* 7. *num.* 31. Farinac. *eod. tr. quæst.* 12. *num.* 52. & 54. Zechius *in sum. part.* 1. *tit. de fide, rubr. de hæres. cap.* 11. *numero* 18. Novar. *in singul. conclus.* 4. *numero* 2. Caren. *p.* 2. *tit.* 2. *§.* 7. *numero* 61. Ricciul. *de jur. person. lib.* 5. *cap.* 15. *num.* 13. Valer. *in differ.*

in differ. utr. for. v. hæresis diff. 3. *numero* 3. Ricc. *p.* 2. *dec.* 579. *numero* 5. & declaravit S. Congregatio apud Barbos. *sess.* 24. *cap.* 6. *Concil. Trid.* per hæc verba *Episcopus, aut Inquisitor absolvere non possunt Hæreticum in foro conscientiæ*, de quo, & nos aliàs, ubi asseruimus non posse Inquisitores absolvere ab hæresi in foro conscientiæ, posse tamen absolvere in utroque foro, non autem in foro conscientiæ tantùm.

Quæ facultas Inquisitoribus data, hæreticos pœnitentes, & à nullo Judice inquisitos extrajudicialiter absolvendi, consistit in eo quòd possint ad secretam abjurationem, & secretam pœnitentiam illos admittere, & eosdem remittere ad proprium confessarium, ut ab illo sacramentaliter absolvantur, juxta Clem. 1. *de hæret.* & sic absolutio valebit in foro conscientiæ, & in foro externo judiciali, cùm oriatur à jurisdictione in tali foro, ut notat Riccius *loc. cit. cap.* 14. *numero* 1. *&* 2. ubi addit hanc facultatem non esse revocatam per Bullam Cœnæ. Quòd etiam alii docent. In Regnis tamen Hispaniarum, ac Siciliæ Inquisitores habere facultatem absolvendi ab hæresi, non solùm in foro externo, & judiciali, sed etiam in foro conscientiæ, & interno cum plerisque Doctoribus affirmat Diana *d. p.* 5. *tr.* 8. *resol.* 19. *&* 20. *& d. p.* 1. *tr.* 5. *resol.* 3. *& p.* 4. *tr.* 8. *resol.* 35.

An autem Inquisitores possint delegare facultatem absolvendi hæreticum occultum in foro conscientiæ, variant opiniones. Campeg. *in addit. ad cap.* 34. Zanchin *vers. cum itaque negat.* Symanchas *d. tit.* 3. *numero* 5. ait id esse maximè dubium. Henriques *lib.* 6. *de pœn. cap.* 7. *numero* 3. ait, hanc facultatem non posse concedi à quolibet Inquisitore, sed à toto Consistorio. Supponit enim, Inquisitorum jurisdictionem non in quolibet Inquisitore, sed in toto consessu esse. Sanchez verò *in decal. lib.* 2. *cap.* 12. *numero* 4. Freit. *in addit. ad tr. de confess. sollicit. numero* 16. Homobon. *de exam. eccles. p.* 2. *tr.* 11. *cap.* 6. *q.* 11. Villalob: *in sum. tom.* 2. *tr.* 1. *diff.* 12. *numero* 7. *&* Dian. *d. p.* 5. *tr.* 10. *resol.* 19. *& p.* 1. *tr.* 5. *resol.* 3. disertè affirmant. Nam Episcopus vigore Concilii Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. potest facultatem absolvendi hæreticum occultum in foro conscientiæ confessario concedere, nec per Bullam Cœnæ illi hæc potestas sublata fuit, ut tradunt Navar. *in sum. cap.* 29. *numero* 260. *& lib.* 5. *cons. in prim. edit. tit. de sentent. excomm. cons.* 15. *quæst.* 1. Guittier. *quæst. can. lib.* 1. *cap.* 13. *ad fin.* Henriq. *lib.* 6. *de pœn. cap.* 14. *numero* 7. Bagnez *in* 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 4. *dub.* 2. *post* 2. *conclus. arg.* 3. ibique Aragon *art.* 3. *concl.* 10. Eman. Sa *verb. Episcopus, numero* 37. ac cœteri, quos citat Sanchez *in decal. lib.* 2. *cap.* 11. *numero* 27. Inquisitores autem, & Episcopi quoad privilegia æquiparantur, nec minora privilegia reperiuntur concessa Inquisitoribus, quàm Episcopis, ut tradunt Gratian. *discept. for. tom.* 2. *cap.* 240. *numero* 35. *& cap.* 341. *numero* 11. Royas *de hæret. part.* 2. *numero* 409. Param. *de Origin. Sanctæ Inquisitionis, pluribus in locis*, Caren. *part.* 1. *tit.* 14. §. 5. *numero* 19. Carleval. *de for. compet. lib. prim. tit. prim. disp.* 2. *quæst.* 6. *sect.* 6. *numero* 508. *ac seqq.* Atque adeo, sicut Episcopi possunt delegare alicui confessario facultatem absolvendi in foro conscientiæ hæreticum externum & occultum, ita & Inquisitores.

Et quamvis aliqui apud Sanchez *loc. cit. numero* 26. sustinent hanc facultatem Episcopis per Bullam Cœnæ esse revocatam, supradicti tamen Doctores respondent, ut notat Diana *d. p.* 5. *tr.* 8. *resol.* 15. *numero* 3. *&* 4. *& p.* 1. *tr.* 5. *resol.* 2. quòd in Bulla Cœnæ non fit mencio expressa Concilii Tridentini. Quod quidem esset necessarium, ut censeatur illi derogatum, per Text. *in cap. ex parte. de Capel. Monach.* ibique gloss. *v. nulla mentio cap. nonnulli de rescript.* ubi etiam gloss. *v. fecerunt mentionem.* Nec B. Pius V. Gregorius XIII. & Clemens VIII. contrarium declararunt. Nam ut ait Sousa in Bulla Cœnæ *cap.* 23. *disp.* 100. *concl.* 3. *numero* 7. *&* Fagundez *de præcept. Eccles. lib.* 8. *cap.* 8. *numero* 32. *& seq.* de illis pontificiis declarationibus non constat authenticè, cùmque sit res tam gravis, & scientibus Pontificibus controversa, deberet expressè declarari, ad tollendum laqueos animarum.

At tenendum est consequenter ad dicta, Inquisitores, & Episcopos sicuti non possunt absolvere ab hæresi in foro conscientiæ, ita nec talem facultatem possunt alteri concedere. Nemo enim dat quod non habet. Facultatem verò Episcopis concessam à S. Concilio Tridentino *loc. cit.* esse revocatam alibi Luculenter probavimus.

Vices suas possunt Inquisitores aliis delegare per Text. *in cap. ut commissi.* §. *committendi de hæret. in* 6. & in Clem. 1. *&* 2. *eod. tit.* & per constit. Clementis VII. ac Pii II. & docent Eymeric. *in direct. d. p.* 3. *quæst.* 13. ac ibi Pegna *com.* 62. aliique communiter. Quia sunt delegati summi Pontificis, ut dictum est. Delegatus autem Principis potest subdelegare *l. à Judice. C. de judic. deleg.* Solusque Inquisitor potest in Officio sibi tradito plures Vicarios, seù Commissarios instituere in sua Diœcesi plures civitates continente, ut per Eymeric *in forma instit. Commiss. d. p.* 3. *num.* 37. & ex rescripto Urbani IV. *Licet & omnibus*, & tradunt Gundisalvus *de hæret. quæst.* 7. *numero* 13. Comens. *in Lucerna v. Inquisitor* §. 2. Royas *p.* 2. *numero* 429. & Pegna *com.* 10. *numero* 37. & alii. Hodiè tamen Inquisitores non possunt eligere Vicarios, nisi ex Licentia S. Congregationis, illosque deputare nequeunt nisi in Locis in quibus resident Vicarii foranei Curiæ Episcopalis, & deputantur dumtaxat pro denunciationibus recipiendis; Nam integros processus non possunt absque licentia Inquisitoris formare ex decreto Sacræ Congregationis S. Officii sub die 4. Maii 1610. eligereque debent in Vicarium, & Notarium Fratres permanentes in Conventu, ut Scriptum Inquisitori Cremonæ 28. Novembris 1592.

Admonet tamen Symanchas *de Cathol. instit. tit.* 64. *numero* 11. testium examen ab ipso Inquisitore debere fieri, nec alteri esse committendum, nisi in aliquo casu gravi, & urgenti, quando ipsi Testes ad Inquisitorem accedere facilè possunt, neque Inquisitor ad illos. Quia quæ ab Inquisitoribus fiunt maturiùs, ac prudentiùs facta esse præsumuntur, quàm quæ fiunt ab eorum substitutis. Et ita in Hispania cautum est in instructione edita sub anno 1484. *cap.* 17. Et multò minùs debent Inquisitores commissariis committere, sententias pronunciare, præcipuè adversus relapsos, ac impœnitentes. Id certum, non posse Inquisitorem dare facultatem suo Vicario, sivè Commissario subdelegato, ut ille alium subdeleget, ut docent Gloss. *in d. cap. super quæstionem* §. *Porrò V. transfert de offic. iud. deleg.* & in *cap. cum causam v. delegatus de appell.* & alii *com.* 64. ne detur processus in infinitum.

Prohibitio autem legendi, ac retinendi Libros hæreticorum comprehendit Inquisitores, eorumque Vicarios, sive commissarios, nisi eis ab Apostolica Sede, vel à sacra Congregatione Inquisitionis fuerit concessa facultas: ut per Ricciul. *de jur. person. lib.* 5. *cap.* 25. *numero* 4. Suar. *de fide disp.* 20. *sect.* 2. *numero* 28. Sanchez *in decal. lib.* 2. *cap.* 10. *numero* 46. Azor. *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *quæst.* 13. Fagund. *in decal. lib.* 1. *cap.* 14. *numero* 22. Quia in Bulla Cœnæ omnia privilegia legendi hujusmodi Libros revocantur, &

cantur, & Summus Pontifex sibi reservat hanc facultatem concedere, non obstantibus constitutionibus Julii III. Pauli IV. & Pii IV. in quibus expressè habetur quòd nemini licitum est legere libros hæreticorum, quacumque fulgeat dignitate, exceptis Inquisitoribus, & commissariis à Sede Apostolica deputatis. In eis enim nihil de novo Inquisitoribus conceditur, sed tantùm facultates, ac licentiæ, si quas antea habebant, eis non revocnatur, quod etiam observat Caren. *p.* 2. *tit.* 10. §. 1. *numero* 13. ac rejectis Pegna, Duardo, Naldo, Farina. Graffio, Bonacina, Zanardo, Torreblanca, Sousa, & Diana *d. p.* 5. *tr.* 10. *resol.* 137. *& p.* 4. *tr.* 8. *resol.* 46.

Multoque minùs Inquisitores facultatem habent concedendi aliis licentiam legendi libros hæreticorum. Nam summus Pontifex expressè sibi reservavit hanc licentiam concedere in dicta Bulla Cœnæ. Neque habet ampliùs facultatem concedendi licentiam legendi libros prohibitos. Possunt tamen viris doctis, ac piis concedere licentiam legendi libros suspectos donec corrigantur. Ipsi verò possunt libros prohibitos legere.

Nequeunt Inquisitores, aliique S. Officii Ministri excommunicari absque speciali sedis Apostolicæ licentia, à Prelatis etiam sedis Apostolicæ delegatis, ex privilegio eis concesso ab Alexandro IV. anno 1259. ab Urbano IV. anno 1261. & à Clemente IV. ut testantur Eymeric. *in direct. d. p.* 3. *q.* 9. Pegna *com.* 70. & Caren. *p.* 1. *tit.* 5. §. 13. *numero* 87. licet in dictis constitutionibus solùm exprimantur Inquisitores, Notarii & Scriptores, tamen hoc privilegium extenditur ad omnes S. Officii Ministros, nempè ad Advocatos, ad Procuratorem fiscalem, ad Consultores, ad carcerum custodes, & alios Ministros necessarios. Tum favore fidei, & tum quia eadem juris ratio reperitur in his Ministris, quàm in illis. Hoc tamen privilegio gaudent quandiù in prosecutione sui Officii fuerint, sive quandiu actu inservi-verint. Amotis enim ab officio, cessat privilegium, quia cessat causa, *l. addicere* §. *Quamvis ff. de jure patr. & cap. cùm cessante de appell.*

Ad quid si Inquisitor, aliique inservientes S. Officio sint obligati ad solvendam pensionem in forma Cameræ? Respondet Pegna *loco cit* non posse contrà eorum personas aliquam actionem intentari aut excommunicationem ferri, durante officio, absque expressa Romani Pontificis facultate faciente de hoc privilegio mentionem, ac illud revocando. Neque obstat, Inquisitorem, atque alios Ministros obligando se in forma Cameræ, huic privilegio renunciasse. Nam quando privilegium est potiùs concessum toti Ordini, quàm privatis personis, illi renunciari non potest, *cap. si diligenti de for. comp.* ibique Gloss. & omnes. Dictum autem privilegium concessum est toti Ordini, sivè Collegis Ministrorum S. Officii propter publicam autoritatem, ac fidei favorem, ideoque non potest à particulari in sui præjudicium renunciari. At nihilominus posse excommunicari inservientes S. Officio ob non solutam pensionem, non obstante Bulla Urbani IV. incipiente: *Nè Inquisitionis negotium* declaravit sæpiùs S. Congregatio Eminentissim. Cardinalium supremæ Inquisitionis, præcipuè sub die 3. Februarii 1609. ac 11. ejusdem, fuitque significatum Auditori Cameræ Apostolicæ. Quod intelligo, si tanquam simplices Pensionarii, non autem tanquam Inquisitores, ac Ministri S. Officii excommunicentur.

Possunt autem Inquisitor, ejusque socius se mutuò ab excommunicatione absolvere, & in irregularitate dispensare in iis tantùm casibus, in quibus possunt eorum superiores absolvere, & dispensare, ex Constitutione Urbani IV. quæ incipit: *Ut negocium fidei* anno 1261. Quò verò ad facultatem absolvendi, excipe tres casus, in quibus se mutuò absolvere non possunt. Primus est, quando omiserunt procedere contrà quem procedere debuerant: *Ex cap. cùm multorum* §. *verùm de hæret.* omissio autem esse debet non solùm contrà justitiam, sed etiam contra conscientiam, & scientiam ipsius Inquisitoris, ita ut sciat, esse procedendum, & ex amore, vel odio, prece, vel precio non procedat. Secundus est, nè prætextu officii Inquisitionis quibusvis modis illicitis ab aliquibus pecuniam extorqueant, nec scienter attentent Ecclesiarum bona ob Clericorum delictum occasione prædicti officii fisco, etiam Ecclesiæ applicare; ut Clem. *Nolentes* §. *etiam ipsorum de hæret.* Tertius est, cum alicui hæreseos crimen falsò imposuerint, aut dixerint, eum impedivisse S. Officium, qui revera non impedivit, ut in Clem. 1. *de hæret.* §. *verum.*

Non possunt tamen Inquisitores cum aliis dispensare in irregularitate contracta ob hæresim occultam. Quanquam enim constitutio Clementis VII. incip. *cùm sicut* §. *Vobis etiam*, id concedat Inquisitoribus pro solo conscientiæ foro, ac ita sentiant Mandos. *de signat grat. v. absolutio ab hæresi.* Zech. *in summ. Trin. de fid. cap.* 11. *numero* 16. Henriq. *lib.* 14. *de irregul. cap.* 18. *numero* 2. hoc tamen privilegium vel fuit revocatum per alias posteriores Pontificum constitutiones, ut ait Pegna *d. p.* 3. *com.* 175. vel fuit personale, non autem perpetuum, neque usu receptum, ut inquit Suarez *tom.* 5. *in* 3. *p. disp.* 43. *sect.* 1. *numero* 5. Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 25. *numero* 19. Dian. *d. p.* 5. *tr.* 10. *resol.* 136. *& p.* 4. *tr.* 8. *resol.* 85. & B. Pius V. anno 1567. prohibuit dispensare, ut sacerdotes hæretici pœnitentes missam celebrarent: teste Sanctarello *de hæres. cap.* 25. *dub.* 1. *numero* 6. Quinimmo non posse Inquisitores cum expeditis in S. Officio dispensare super irregularitate, sed illos remittere ad sedem Apostolicam, decrevit S. Congregatio S. Officii sub die 24. Novembris 1606.

Possunt quidem Inquisitores, eorumque Ministri absentes percipere distributiones quotidianas, ac si essent præsentes. Ita enim iis concessum est in multis summorum Pontificum constitutionibus: ut referunt Sanctarel *lib.* 1. *var. resol. q.* 11. *numero* 5. Carena *p.* 1. *tit.* 5. §. 13. *numero* 93. & alii, quos sequitur Dian. *d. p.* 5. *tr.* 10. *resol.* 135. *& p.* 4. *tr.* 8. *resol.* 71. Et præcipuè iis conceditur in suis præbendis, & dignitatibus pro præsentibus haberi, ac integros fructus suarum præbendarum simul cum quotidianis distributionibus percipere, idque favore fidei à Paulo III. & Pio V. ut aiunt Armendar. *in Recop. leg.* Royas *singul.* 96. *& de hæret. p.* 2. *numero* 420. Navar. *lib.* 2. *tit.* 23. *leg.* 2. §. 2. *numero* 7. & ita declarasse S. Congregationem testatur Garz. *de Benef. tom.* 1. *p.* 3. *cap.* 2. *numero* 356. quæ sic etiam decrevit: Canonici gaudent distributionibus quotidianis suorum Canonicatuum pro tempore, quo actu interfuerint negociis S. Officii velutè Congregationibus, examinibus, vel torturæ reorum. Ita pro Canonicis Patavii 20. Junii 1596. & Scriptum Episcopo, ac Inquisitori dictæ civitatis 22. Junii ejusdem anni. Idem pro Canonicis Comensibus 9. Maii 1600. & hoc si tantùm sint consultores; sed si interveniant pro Fiscali, vel Notario, sunt exempti à servitio Ecclesiæ, percipiuntque distributiones quotidianas, ac si eidem Ecclesiæ actu inservirent, & 26. Julii 1612. & 1. Aprilis 1626. & sub die 16. Septembris 1610. & pro Vicario S. Officii Vercellensis Canonico, quòd quando actu inservit S. Officio, debeat gaudere distributionibus, fuit declaratum sub anno 1633. & Paulus Papa V. decrevit, quòd Canonici pro tempore deputati ad inserviendum Officio S. Inquisitionis

quisitionis pro Inquisitoribus, Fiscalibus, vel Notariis sint exempti à servitio Ecclesiæ, ac percipiant distributiones quotidianas, ac si actu eidem Ecclesiæ inservirent. Consultores verò tantùm sunt exempti pro tempore, quo actu serviunt S. Officio, ut sub die 27. Octobris 1605. Cumque Inquisitor Ferrariæ significasset, Canonicos Cathedralis dictæ Civitatis prætendere, quòd Vicarius Generalis ejusdem civitatis, qui est Canonicus, & Præpositus dictæ Cathedralis, non lucretur distributiones quotidianas suorum beneficiorum pro illo tempore, quo intersit Congregationibus S. Officii, decretum, ut Inquisitor notificet Canonicis, dictum Canonicum debere gaudere distributionibus quotidianis, quandò inservit S. Officio, ut anno 1640. fol. 167. Hoc tamen est advertendum, quòd quando hujusmodi Ministri ob residentiam non possunt incumbere negociis S. Officii, providere debet Inquisitor de aliis Ministris non obligatis ad residentiam, ut scriptum anno 1633. Inquisitori pro duobus Canonicis Monticelli Parmen. Diœcesis, Vicario, scilicet, & Notario S. Officii, qui petebant lucrari distributiones quotidianas, quando actu inservierint S. Officio.

Nam sunt etiam Inquisitores, eorumque Ministri immunes ab omnibus vectigalibus, datiis, gabellis, & gravaminibus ex lege Federici Imperatoris, cujus verba refert Pegna *d. p. 3. com. 2. lit. F.* quæ sunt hujusmodi: *Mandantes vobis, ut dictum Inquisitorem, ejus socios, Notarios, & familiares, ac eorum res, & bona ab hujusmodi guidagiis, datiis, portibus, ac ab aliis oneribus, & gravaminibus liberos & expeditos esse faciatis, non permittentes, eos pro hujusmodi aliquid solvere, aut eis aliquod damnum à quocunque inferri, sivè pro personis, sivè pro rebus. Quinimmò provideatis eisdem de securis transitis, & portu, ac custodia, aut guidagio, sicut per eundem Inquisitorem fueritis requisiti.* Idemque asserunt Royas *de hæret. p. 2. numero 421.* & Caren. *loc. cit.* & declaravit sæpiùs S. Officii, Inquisitores esse immunes ab onere contributionis pro munitione Regni, sivè Ditionis, in qua degunt. Undè noluit sanctissimus, illos teneri ne quidem ad notificanda bona, & Pensiones Inquisitionum, quemadmodum, præcipiebat edictum Episcopi Laudensis 5. Februarii 1626.

Consultatio CXXV.

De Inquisitorum Jurisdictione, ac exemptione.

Eorum jurisdictio extenditur adversus omnes in hæresis crimine delinquentes, præter infrascriptos, qui ab eorum Jurisdictione sunt exempti. Possuntque procedere non solùm contra hæreticos, sed etiam contra eorum credentes, receptatores, defensores, fautores, nec non contra infamatos, vel suspectos de hæresi, & contra impedientes, seu retardantes directè, vel indirectè S. Officii negotium: ut constat *ex cap. ut officium de hæret. in 6. & ex cap. excommunicamus §. credentes eod. tit.* atque ex literis Clementis, & Urbani IV. & probant Eymeric. *d. p. 3. q. 65. & seq.* ibique Pegn. *com. 94. & 95.* Gemin. *in cap. nè alique de hæret. in 6. & cæteri.*

Sunt autem exempti summus Pontifex. Ita ferunt tituli illi: *caput Ecclesiæ, Magister fidelium, Pater Patrum.* Neque enim caput subjacere debet membris, vel discipulis Magister, aut Pater filiis. *Ecclesia Romana,* ut est apud S. Maximum ad Abbatem Thalassium, *quæ ab olim huc usque utpote senior cunctarum, quæ sub cœlo sunt, Ecclesiarum, omnibus præest, hoc certè canonicè tam à Conciliis, & Apostolis, quàm ab horum summo principatu consecuta, & in sortem adepta, nullis omnino propter Pontificatus provectionem scriptis, aut Synodicarum editionibus chartarum subjecta, sicut etiam in his omnes ex æquo ei secundùm jus sacerdotale subjecti consistunt.* Cadunt ista in Romanam Ecclesiam ratione Pontificis, de quo illud fortissimè de more Ennodius in Apologet. *Aliorum fortè hominum causas Deus voluerit per homines terminare, Sedis istius Præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio. Voluit D. Petri Apostoli successores cœlo tantùm debere innocentiam, & subtilissimæ discussionis indagini inviolatam exhibere conscientiam.*

Insigniter in eandem sententiam disputat Adrianus Primus *Ep. 7. ad Carolum Magnum*, fortissimè præterea, & liberrimè Stephanus Papa scribens ad Basilium Imperatorem, eumque increpans, quòd Marinum prædecessorem suum judicare ausus esset. Habentur literæ in calce octavæ Synodi. Idemque professæ sunt variæ Synodi, ut Synnussana sub Marcellino, & Romana sub Sylvestro, quarum illud fuit quasi effatum: *Prima Sedes à nemine judicatur.* Allegat eos locos Bernardus *in Apologet. pro excommunicatione Gregorii VII. sub initio*, & præiverat Nicolaus Primus *epist. ad Michaelem.* Idem contestatus est Sixtus Papa calumniam passus, quòd consecratam stuprasset. Tametsi enim voluit rem discuti coram Valentiniano, & Clero ac populo, tamen contestatus est, se ab omni humano judicio esse exemptum, ut habent acta accusationis Sixti, quæ exhibet Baronius anno Christi 433. *numero* 31. Idem fecit Leo III. coram Corolo Magno, ut scribit Monachus Sangallensis *lib. 1. vit. Caroli cap.* 28. Plura in hanc rem adducunt Lindanus *lib. 4. Panopl. c. 86.* Azor. *tom. 1. lib. 4. cap. 7. q. 6.* Valentia *2. 2. disp. 5. q. 11. pun. 1.* Bermundus Chover. *ad tit. Concord. de publ. concub. v. vel alterius præeminentia.* Bellarmin. *lib. 2. de Ponif. cap. 26.* optimè Antonius Augustinus *ad canonem 52. alias 56.* ex traditis Ingelramo ab Adriano Papa.

Et in hac parte, ut & in aliis plerisque Pontificatus novæ legis superat antiquum. Nam fortassis Pontifex Hæbræus poterat judicio humano subjacere, quod monstrare videtur exemplum Abjatharis à Salomone damnati, nisi Salomon, quatenùs Propheta, & specialiter à Deo delegatus illud judicium exercuit. Vel nisi indebitam jurisdictionem sibi atrogavit. Est enim res dubia, nec constat de justitia facti. Videndus Gomitolus *lib. 1. respons. moral. qu. 93. à num.* 21 Becan. *Opusc. de primat. Eccles. c. 2. à numero* 36. qui etiam universè de Aaronici Pontificis exemptione à Regio judicio, & potestate fusè disserit *opusc. de Pontif. vet. testam. cap. 8. q. 7.*

Quidquid tamen fuerit de Pontifice Judæorum, constat, Christianum Pontificem non modò à quovis cujuscunquè laici judicio planè liberum esse, quod pleniùs monstrant Molin. *de just. disp.* 31 *concl.* 4. & Suar. *lib. 4. defens. fid. cap. 4. & seqq* Sed etiam subducitur judicio cuicunquè humano. Cùm etiam Hincmarus Ep. 6. *cap. 33.* & 34. quoscunquè Pontifices inferiores sæcularis cujusvis potestatis judicio subducit, quantò magis supremum? Cùm enim quidam ex Imperiali edicto exularet, contundit illum Hincmarus allegato loco S. Leonis *ad Anatolium Ep. 54.* & Gelasij *ad Anastasium*, ac Lege Augustorum Valentiniani, Theodosij, & Arcadij de Episcopis, quibus asseritur, *aliam esse rerum secularium rationem, aliam divinarum & nunquam inveniri de Pontificibus nisi Ecclesiam judicasse. Et non esse humanarum legum de talibus ferre sententiam absque Ecclesiæ, principaliter, constitutis, Pontificibus* &c.

In contrarium tamen opponuntur quædam damnationes Pontificum, ut Marcellini in Concilio Synuessano, Honorij in sexta Synodo, Eugenij IV. in Concilio

cilio Basileensi, & Gregorij XII. Joannis XXIII. ac Benedicti XIII. in Concilio Constantiensi.

Sed hæc omnia sunt parvi momenti. Nàm quod ad Marcellinum attinet, verior sententia est, totam narrationem de Marcellini crimine, & damnatione esse fabulosam, ut, retractata priori sua sententia, censuit Belarmin. *in recognit. lib. 4. de Pontif. cap.* 8. adducens S. Augustinum, ac Theodoretum. Subscripserunt alii apud Baronium *anno* 302. *&* 303. de qua re infra. Si tamen placeat narrationi de Marcellini damnatione judicio vulgatæ fidem præstare, dici poterit, vel Marcellinum damnatum esse à Concilio, præmissa per eum renunciatione Pontificatus, quod primò dixerat Bellarminus *lib.* 2. *de Concil. cap.* 19. reclamante tamen Baronio anno 304. Vel certè dicendum erit, Marcellinum non esse judicialiter à Concilio damnatum, sed ipsomet Marcellino ad exemplum, ac sui peccati expiationem se ab officio quasi suspensum pronunciante, Concilium tulisse sententiam declaratoriam criminis,& approbativam mulctæ ab ipsomet Marcellino sibi impositæ. Jam quòd sexta Synodus damnarit Honorium, assumentum est Græcanicum, malignè sextæ Synodo attextum.

Nullius verò fuit momenti, quòd Concilium Basileense initio legitimum, postea autem digressis Legatis Pontificiis, ac præcipuis Episcopis, & in eorum locum subductis presbyteris jam Conciliabulum,attentavit adversus Eugenium, tunc Florentiæ cum Græcis, & Latinis in Concilio Oecumenico sedentem & ab Ecclesia universa pro vero Pontifice cognitum. At quod fecit Concilium Constantiense judicans de tribus simul sedentibus Pontificibus, rectè habuit. Omnes enim erant incerti Pontifices, & nullus eorum credebatur legitimè electus, in quo eventu potest Ecclesia sibi de certo, & indubitato capite prospicere, ut tunc factum est, depositis omnibus illis Pontificibus, & Martino V. Canonicè suffecto. Nos autem tantùm negamus, Pontificem moraliter certum, & indubitatum posse humano ulli judicio invitum subijci. Tametsi verò Pontifex Romanus à nullo judicari potest, nihil tamen vetat, eum demissè, cùm res ferret admoneri, ut benè notavit Bernardus *Epist. ad Adalbertum* prolato suo S. Leonis, qui allegat exemplum S. Petri à B. Paulo admoniti in negocio circumcisionis.

Ad rem igitur quod attinet. Inquisitores sunt delegati summi Pontificis, atque adeo inferiores. Inferior autem suum superiorem judicare non valet, *ex can. inferior. d.* 22.*& L. ille, à quo ff. ad Trebell.* sed in hoc casu cognitio spectabit ad legitimum Concilium generale. Nam licet, quandiu est Papa, à nemine possit puniri, si tamen fiat hæreticus, potest à Concilio generali hæreticus declarari. In quo casu de facto immediatè à Christo deponitur, quemadmodum & de facto, eligentibus Cardinalibus, Papa immediatè à Christo potestatem recipit. Eisdem enim causis, quibus res gignitur, etiam destruitur, depositusque manet inferior, sicque poterit postea ab Ecclesia puniri, ut per Cajet. *de author. Papæ cap.* 18. *& seq. Can. lib.* 4. *de loc. theol. cap. ult. ad* 12. Sot. *in* 4. *dist. d.* 22. *part.* 2. *art.* 2. Cordub. *libro* 4. *quæst.* 11. & alios.

Annotandum autem est, Romanum Pontificem docentem ex Cathedra errare non posse. Ita habetur ex titulis illis quibus Pontifex denominatur, *immobilis basis fidei crepido, & firmamentum immobile.* Item ex titulo *Capitis Ecclesiæ universalis.* Nam si hoc caput, prout tale errare posset, Ecclesia tota, quæ ejus ductum sequi tenetur, impingeret in errorem, sicque portæ inferi, id est hæreses & errores, ut exposuit D. Hieronymus, prævalerent adversus eam, rescisso Christi promisso. Rationes in hanc rem accumulat Canus *lib.* 6. *de loc. theol. cap.* 7. sed illa est firmissima, quæ petitur ex illo Christi ad Petrum oraculo: *rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Quod ex mente Patrum ad B. Petri successores extenditur. Certa verò tot sæculorum experientia confirmavit, Christum esse exauditum, cùm jam per tot sæcula, quibus res Christiana stat, ad Romanam Sedem nunquam potuerit accessum habere perfidia, ut loquitur S. Cyprianus *ep.* 55. *num.* 91. ubi Pamelius sinceræ semper, ac incorruptæ Romanorum Pontificum doctrinæ testimonia congerit. Sed illud illustre, quod perhibuit Lucius I. *ad quem* S. Cyprianus aliquando scripsit. *Hæc sancta*, inquit agens cum Galliæ, ac Hispaniæ Episcopis, *& Apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per Dei Omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticis novitatibus depravanda succubuit, sed ut in exordio normam fidei Apostolicæ percepit ab auctoribus suis, Apostolorum Christi principibus, illibata fine tenus manet, secundùm ipsius Domini salvatoris divinam pollicitationem, qui discipulorum suorum Principi in suis fatus est Evangeliis, Ecce Satanas expetivit, ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum; Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma frates tuos.* Quomodò autem confirmare posset in fide fratres suos Pontifex, si labe hæresis infectus esset?

Itaque Romanus Pontifex potitur privilegio infallibilitatis in doctrina de rebus fidei. Quod intelligendum est de Pontifice, prout agit Pastorem universalem, & obit munus capitis Ecclesiæ, docens ex Cathedra. Hoc autem facere censetur, cum proponit aliquid tanquam ex fide credendum, vel honestè faciendum ab omnibus Christianis, volens ad id credendum astringere universam Ecclesiam, ut rectè exponit Valentia 2. 2. *disp.* 1. *qu.* 1. *pun.* 7.§.40. Undè intelligitur, quædam nonnullorum Pontificum pronunciata privatim data non manasse ab eis ex Cathedra,& posse repudiari: exempli gratia, Nicolaus I. ex privato sensu, non ut Ecclesiæ totius Magister, dixit baptismum collatum in solo nomine Iesu validum esse, etiamsi non exprimantur omnes personæ S.S. Trinitatis, quod tamen probatior sententia affirmat esse necessarium ad baptismi valorrem. Nam quòd aliqui in nomine Jesu baptizati leguntur, sensus est, baptizatos fuisse juxtà Christi institutionem, ut benè exponit Eulogius apud Photium cod. 280. & Ferrandus sub finem Epistolæ primæ ad Anatolium, nec non Facundus *lib.* 1. *c.* 3. similiter Stephanus II. in quibusdam responsis datis Carisiaci *num.* 11. ait de presbytero, qui in vino baptizarat defectu aquæ, *nulla ei adscribatur culpa, infantes sic permaneant in ipso baptismo.* Quæ videntur ferre materiam baptismi posse esse vinum, contrà exploratam Concilij Tridentini definitionem Quanquàm nihil est necesse admodum laborare pro responso, quod non est evidens, à Pontifice manasse, vel quod absquè truncatione referri non est exploratum.

Quare intolerabiliter Castro *lib.* 1. *contra hæres. cap.* 4. dixit, Pontificem, etiam quatenus Pontificem, atque adeo prout ex Cathedra loquentem, errare posse, & reipsa aliquando erasse. Quæ enim erit anchora fidei nostræ, si Pontifex prout ex Cathedra docens, errare possit? Habet hic profectò locum ratiocinatio Gelasii I. *ep.* 8. quæ est ad Anastasium Imperatorem *Hoc est*, inquit, *quod Sedes Apostolica magnopere cavet, ut quia mundo radix est, Apostol gloriosa confessio nulla rima pravitatis, nulla prorsus contagione maculetur. Nam si, quod Deus advertat, quodque fieri non posse confidimus, tale aliquid proveniret, unde cuiquam resistere auderemus errori? vel undè correctionem errantibus posceremus?* Quòd si Mosaicus Pontifex in lege veteri potitus est infallibiliate in docendo ex Moysis Cathedra ut, ex communi sententia

tentia tradit Becan. *c.* 11. *Analog.* quantò justius erit idem admittere de capite Christianæ Ecclesiæ docente ex cathedra S. Petri?

Nec oportet esse sollicitum, an adhibuerit diligentiam debitam, & contulerit rem cum peritis, ut optimè admonuit Cunerus Petri *lib. de firmit. Cathedræ Petri sub finem.* Nam eo ipso, quòd Deus permittit, doctrinam proponi cum auctoritate, supponendum est, eam ritè esse discussam à proponente, qui si pro negotii qualitate non adhibeat peritos, peccare poterit, doctrina tamen non erit minus certa ob assistentiam Spiritus Sancti, promissam huic doctori, etiamsi soli, ut bene attigit Bernardus in Apolog. *pro decretis Romanæ Synodi sub Gregorio VII. cap.* 23.

Non est tamen negandum, quin Pontifex privatim spectatus errare possit circa res fidei, non modò ex ignorantia, quod unum concedunt Pighius *lib.* 4. *hierar. Eccles. c.* 8. Bellarm. *de Pontif. lib.* 4. *c.* 6. Suar. *tr.* 1. *de fid. disp.* 10. *sect.* 6. *numero* 11. Sed etiam, quod illi diffitentur, errando cum contumacia, ita, ut possit Pontifex privatim esse hæreticus, etiam exteriùs. Quod rectè admittunt Cajet. *tom.* 1. *Opusc. tract.* 2. *p.* 2. *cap.* 13. Duvallius *tr. de Pontif. disp.* 2. *qu.* 1. & Torres *tom.* 1. *in* 2. 2. *disp.* 16. *dub.* 1. Nec est certè ulla Christi promissio de ea Pontificis prout hominis privati indefectibilitate in fide. Idque voluit Ecbertus ser. 10. adversus Catharos, cùm pro indefectibilitate Romanæ Sedis quoad fidem acriter pugnans, addit, si aliquis Romanorum Pontificum in fide erravit, nempè privatim, etiamsi exteriùs, illicò à Deo vel ob, tritum esse morte præpopera, quod ait Leoni Papæ tempore Arianorum accidisse, ut habent acta S. Hilarii, vel ab Ecclesia gradu motum, & in ordinem redactum esse, quod ait accidisse cuidam alteri, quem non nominat, nec revera nominare potest, quia nullus est. Quæ enim Dei benignitas fuit, nullus unquam Pontifex verus, & indubitatus erravit circa fidem, etiam ut privata persona: Non enim S. Marcellinus, & Melchiades accusati idololatriæ à Petiliano Donatista apud S. Augustinum lib. contrà eum de unico baptismo *cap.* 16. Nam fuisse calumniam à Donatistis confictam, tradit satis apertè eo loco S. Augustinus. Et licet casus Marcellini in acta, & tabulas ecclesiasticas irrepserit, Baronius tamen anno 302. & Bellarminus *in recognit. lib.* 4. *de Pontif. cap.* 8. non vanis conjecturis ostendunt, ea acta per Donatistas postmodum fuisse conficta, tot omnibus ævi illius à S. Augustino ad magnum usque Constantinum retro claris Patribus, fuisse incomperta, tametsi posteà Nicolaus 1. *ep. ad Michael. Imper.* & alii quidam Latinorum ex falsis actis passim vulgatis abducti sint in errorem, & calumniæ de lapsu Marcellini sint astipulati. Dixi quidam Latinorum, nam apud Græcos, tametsi Romanæ Ecclesiæ infensissimos hostes, altum est de Marcellini lapsu silentium, sed ejus per tempus persecutionis illustria decora, atque triumphos tantùm recensent, ut videre est apud Eusebium *lib.* 7. *hist. cap.* 26. & apud Theodoretum *lib.* 1. *hist. cap.* 3. Non Liberius, pro quo apud Ecbertum Leo habetur. Is quidem à plerisque insimulatus erroris est. Sed purgavit eum Baronius anno illo 357. & 367. ac Sanderus *lib.* 7. *visib. Monarch. à numero* 121. & Coccius *tom.* 1. *lib.* 7. *art.* 11. Non Felix, quem item purgat Baronius anno illo 357. & Cocius *ibidem ar.* 12. Non Anastasius II. quem Gratianus *dist.* 19. *can. ult.* est criminatus. Purgat autem eum accuratè Pighius *lib.* 4. *Hierarch. cap.* 8. & Covar. *lib.* 4. *var. cap.* 13. Non Honorius I. cui hæresim impingit Canus *lib.* 6. *de loc. cap. ult. sub finem.* ac Franciscus Junianus *opusc. de sexta Synodo*, & Hieronymus à Rua *contr.* 3. *schol. initio.* Purgant verò eum Joannes Papa *apud Anastasium initio Collectaneorum* S. Maximus *in disp. contra Pyrrhum.* Bellarminus *lib.* 4. *de Pontif. cap.* 11. Baronius *anno* 633. & 681. Andreas Schottus *ad cod.* 19. *Photii.* Coccius *tom.* 1. *lib.* 7. *art.* 13. Duvallius *tr. de Pontif. p.* 2. *quæst.* 4. Non Joannes XXII. malignè à Calvino allatratus, quem benè purgat Sanderus *lib.* 7. *visib. Monarch. à numero* 1006. Non Bonifacius VIII. ut jactarunt ejus hostes decepti imposturis cujusdam Petri Flottæ, qui ei falsas Epistolas supposuit, magis intentus ad favendum commodis suis, quam ad serviendum veritati; ut Henricus Spondanus annotavit, agens de ejus diabolico studio, ut in simili loquitur S. Bernardus *ep.* 282. Non denique ulli alii Pontifices, in quam rem plenè Bellarminus *loc. cit. à cap.* 8. & Azor. *tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 4. *q.* 3. ac Franciscus Agricola *de primatu Petri cap.* 21.

Et hanc ob causam usu receptum non fuisse, ut Romæ sub Sacrum post Evangelium cantaretur symbolum, contrà quàm alibi jam factum olim, scribit Berno Augiensis *lib. de reb. ad miss. spect. cap.* 2. Hanc enim causam omissi sub Sacrum symboli fidei à Romanis presbyteris, interroganti S. Henrico I. Imperatori redditam esse, testatur qui aderat Berno, addens tamen, Imperatorem Benedicto VIII. tunc Pontifici, ut morem ubivis alibi vigentem tandem post mille annos, agebatur enim annus Christi 1014. in Romanam Ecclesiam induceret, consilium ex optima mente conceptum. Tamen ea patens, & expressa contestatio inconcussæ omnium retrò Pontificum fidei, si retenta fuisset, appositissimè quoque signasset posteris Pontificum ad finem usque mundi sufficiendorum intemeratam semper fidem. Et hanc ob causam Romanos Pontifices visos semper esse dignissimos, quibus aliæ Ecclesiæ adhærerent, notavit Walfridus Strabo *lib. de reb. Eccles. cap.* 22.

Longè verò aliter accidit quoad innumeros aliarum quantumvis sedium Antistites, etiam Patriarchas. Nam plerique Patriarcharum aut hæretici, aut etiam hæresiarchæ fuerunt. Inter Constantinopolitanos Macedonius, Acacius. Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus, Anastasius, notati sunt hæreseos, ut mirum non sit, si Ecclesia illa tot hæresibus fermentata, de fermento immolans, pro fermento tam acriter certet, ut monuit Rupertus *lib.* 2. *de offic. cap.* 62. contrà, Sedes Romana, quia semper pura, semper à fermento hæreseos abjuncta, sacrificat in azymis sinceritatis, & veritatis. Accuratè errores, & nequitias variorum Præsulum Constantinopolitanorum prosequitur S. Leo IX. *ep.* 1. quæ est ad Michaelem, & Leonem. Nec hæreticos tantùm, sed etiam hæresiarchas sedisse Constantinopoli, notat S. Gregorius *lib.* 4. *indict.* 13. *ep.* 32. Similiter Joannes VIII. *ep.* 75. *Credimus, quòd jam vos non lateat, nunquam Apostolicam B. Petri Sedem ab aliis sedibus reprehensam, cùm ipsa alias omnes, & præcipuè Constantinopolitanam, sæpissimè reprehendens, aut ab errore liberaverit, aut certè in iis, qui resipiscere noluerunt, sententiæ suæ judicio condemnaverit.* Inter Præsules Alexandrinos notati sunt hæreseos Gregorius, Georgius, Lucius omnes Ariani; item Dioscorus, Timotheus, Aelurus, Petrus Mogus. Inter Antiochenos hæretici fuerunt Paulus Samosatenus, Eulabius, Euzoius, Joannes, Domnus, Petrus Cnaphæus, Macarius. Inter Hierosolymitanos forduerunt hæresibus Joannes Originista, Sallustius, Arsenius, Heraclius, Hilarius, ut liceat profectò, his prospectis, gratulari Romanæ Ecclesiæ suorum Pontificum in fide constantiam, adhibitis verbis Hieronymi *ep.* 57. alloquentis Damasum Papam: *Profligato à sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta Patrum servatur hæreditas &c.*

Cœterum probabile est, Papam, etiam ut personam

nam privatam, non posse esse hæreticum, ut per Doctores, quos sequitur Pighius *eo lib.* 4. *Hierarch. Eccles. cap.* 8. quorum sententiam, tanquam piam, sequitur Bellarm. *d. lib.* 4. *de summ. Pontif. cap.* 8. & 11. *sub finem.* Suarez *de fid. disp.* 10. *sect.* 6. *num.* 11. quatenus ait, sibi magis pium, magisque probabile videri, posse quidem Papam, ut privatam personam, errare ex ignorantia, non tamen ex contumacia. Nec enim ullus Pontifex adhuc fuit hæreticus, sicuti probat idem Bellarm. *cit. cap.* 8 & *seqq.* Quamvis Papam, ut privatam personam, sivè ut privatum Doctorem esse posse hæreticum, teneant Cajet. *opusc.* 1. *de author. Pap. cap.* 15. Sot. *loc. cit.* Can. *lib.* 6. *de loc. theol. cap.* 12. Castr. *de just. hæret. punit. lib.* 1. *cap.* 6. & *lib.* 2. *cap.* 22. Turrecrem. *lib.* 2. *cap.* 101. Valent. *in analys. fidei*, & Tumian *de fid. disp.* 16. *dub.* 1. subdens, hanc opinionem nunc temporis esse communem. Et quidem cum res dnntaxat facti agitur, posse Pontifici obrepere falsitatem, quippè homini, notius est, quàm ut moneri oporteat, & facillimum id esse ob innumeras, quibus distrahitur, curas, scitè docet Petrus Cellensis *lib.* 8. *ep.* 16.

Eximuntur etiam Nuncii, & Officiales Apostolici, qui vices Summi Pontificis in aliquibus causis, sivè causa gerunt, & quorum officium circa negocia Sedis Apostolicæ versatur. Liquet ex Literis Joannis XXII. ut ait Eymeric. *q.* 26. & *extravag. cùm Matthæus de hæret.* utque observat Pegna *com.* 75. Zanard. *in direct. theol. p.* 2. *cap.* 6. *q.* 12. Suar. *de fid. disp.* 30. *sect.* 4. *numero* 26. Molin. *tr.* 5. *de just. disp.* 28. *numero* 20. & alii, quos citat, & sequitur Dian. *d. p.* 5. *tr.* 10. *resol.* 10. & *p.* 4. *tr.* 8. *resol.* 24. Qui etiam docent, non comprehendi in hac exemptione Officiales Apostolicos, & Nuncios, qui mittuntur, & dantur ad decidendas causas inter partes, quæ ad Sedem Apostolicam non pertinent, sed privatorum utilitatem respiciunt.

Eximuntur item ab Inquisitorum jurisdictione Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, & Cardinales. Adversus enim istos procedere, ac judicare in causis fidei non valent, nisi expressè, & speciatim detur eis facultas, ex *cap. Inquisitores de hæret. in* 6. ac docent Eymer. *quæst.* 27. Pegn. *com.* 76. Gondisal. *de hæret. q.* 7. *numero.* 15. Symanch. *de cathol. instit. tit.* 25. *numero* 7. & 8. Repert. Inquis. *v. Episcopus* §. *ad secundum*, Zanard. *chid. quæst.* 22. Dian. *loc. cit. resol.* 11 & *p.* 4. *tr.* 8. *resol.* 21. Acugna *de confess. sollic. quæst.* 12. *num.* 7. & 11. Qui etiam affirmant, nomine Episcopi venire omnes sic consecratos, etiam Titulares, quia hi sunt veri Episcopi, ac verè dignitatem Episcopalem habent, ac etiam electos, & à Sede Apostolica confirmatos, etiamsi consecrati non sint, quia & hi verè jurisdictionem Episcopalem habent, non sic electos, sed nondum à Sede Apostolica confirmatos. Possunt verò Inquisitores recipere dicta testium adversus Episcopos & eorum crimina Sedi Apostolicæ denunciare. Nam non alia via possunt scire, vel invenire, Episcopos esse hæreticos, aut de hæresi suspectos. Qui enim non est Judex, potest recipere in reum testimonia, ut ea ad proprium Judicem mittat, *l.* 1. *in princ. ff. de re mil. l. D. Adrianus ff. de cust. reor. l.* 1. *c. de exhib. reis* & *d. cap. cum Matthæus, vers. volumus de hæres.* Item possunt Episcopum suspectum, si clarè cognitus sit hæreticus, & multò magis si clarè dilatione carcerationis periculum sit in mora, ut quia interim alios seducit, in carceres conjicere, & ad Pontificem mittere. Quia tunc ex epieicheia casus censetur exceptus, ut per Symanch. Molinam, Pegnam, Farinacium, Decianum, & alios apud Delbene *de offic. S. Inquis. p.* 2. *dub.* 195. *sect.* 30. *numero* 5. *Quod si eis specialiter &c.* Contra verò Cardinales non possunt Inquisitores sine speciali mandato aliquid sibi denunciatum accipere absque licentia speciali Summi Pontificis. Neque Judices in processibus apponere possunt quidpiam particulare in personam Cardinalis, nisi de mandato Sanctissimi, etiamsi rei illud spontè deponant. Et Judex quidam, qui multa interrogatoria fecit circà personam cujusdam Cardinalis S. Officii privatus fuit officio, & facultate judicandi ubique locorum, ac in omnibus causis. Cardinalis causa spectans ad S. Officium committi solet per Sanctissimum quatuor ex Cardinalibus generalibus Inquisitoribus, qui unà cum Commissario S. Officii vice Sanctissimi audiunt, cognoscunt, & examini intersunt, ac usque ad conclusionem procedunt, & omnia referunt Sanctitati Suæ. Cardinalis verò famulus denunciatus comprehenditur extra palatium, deindè fit verbum cum dicto Cardinali.

Pariter eximuntur Inquisitores, contrà quos neque alii Inquisitores procedere possunt in causa hæresis, sed recipere debent informationes contra eos, ac Summo Pontifici eas mittere. Plurimum enim iis deferri debet ob reverentiam Summi Pontificis, cujus personam repræsentant, & Sedis Apostolicæ, cujus sunt Officiales, ac etiam quia par in parem jurisdictionem non habet, ut per Suar. *de fid. d. disp.* 20. *sect.* 4. *numero* 16. Zech *in summ. to.* 1. *de hæres. cap.* 11. *numero* 13. Eymer. *q.* 30. Pegn. *com.* 79. Azor. *p.* 1. *lib.* 8. *q.* 14. Locat. *v. Inquisitor. numero* 13. & *v. Episcopus. numero* 2. ac Dian. *d. p.* 5. *tr.* 10. *resol.* 13. & *p.* 4. *tr.* 8. *resol.* 25.

Si tamen manifestissima esset Inquisitoris hæresis, ut si contrà fidem prædicaret, aut scriberet, aut prædicari, & scribi permitteret, aut hæreticos comprehensos impunitos dimitteret, hisque similia perpetraret, quæ in manifestum fidei detrimentum converterentur, nec facilè Summus Pontifex posset consuli, & intereà fides periclitaretur, liceret tunc Episcopo in Inquisitorem agere. Quod admittunt Gemin. *in d. cap. Inquisitores num.* 5. *de hæret. in* 6. Locat. *ibid.* Repert. Inquis. *v. Episcopus* §. 1. Royas *singul.* 109. Qua in re cauti, ac prudentes esse debent Episcopi, ne ad hæc deveniant, nisi perquàm consultè, ac mediatè causis maturo consilio perpensis.

Nullo autem modo sunt citandi, vel quoquo modo coram aliquo alio Judice tradendi, nisi coram S. Congregatione supremæ Inquisitionis. Quòd si secus fiat, Judices, Procuratores, Notarii, etiam Auditores Cameræ, retineri debent in S. Officio, dimittendi cum monitione, ac suspensione à suis Officiis. Possuntque coram se civiliter citare debitores S. Officii, ac illos cogere ad solvendum. Sunt enim in hujusmodi causis legitimi Judices tam activè, quàm passivè. Et possunt contra denegantes suas prærogativas, quorum sunt in possessione, procedere, ut si denegetur eis in Missa osculandum Evangelium, thurificatio triplici ductu, osculum pacis, ac hujusmodi alia. Non debent tamen cognitionem aliarum causarum, etiam cum præcepto suorum Generalium, ac Superiorum accipere, idque ut faciliùs causis S. Officii possint incumbere. Neque sunt executores mandatorum cujuscunque alterius Judicis, etiam Auditoris Cameræ Apostolicæ, nisi S. Congregationis duntaxat. Et tam ipsi, quam eorum Vicarii sunt subjecti Custodibus Conventuum in iis, quæ spectant ad disciplinam regularem, ideoque illos venerari tenentur.

Procedere possunt contrà quoscunque Religiosos, etiam exemptos, ac etiam contrà eorum Religionum, ac Ordinum etiam Militarium Prælatos, etiam Generales de hæresi inquisitos, non obstante eorum prærogativa

rogativa dignitatis, *ex cap. ut officium* §. *denique de hæret. n.* 6. & ex rescripto Clementis VII. *cùm sicut* Pii IV. *Pastoris æterni* & ex constitutione Pauli V. in qua interdicitur Prælatis regularibus cognoscere suos subditos de hæresi. Solumque *in d. cap. Inquisitores* excipiuntur Episcopi, atque adeo comprehenduntur Generales Religionum, ex regula *l. siquidem* §. *fin. ff. de pen. leg.* Quod tradunt Delbene *in cap.* 1. *q.* 7. *de hæret. in* 6. Freytas *in addit. ad tract.* Roder. *de confess. sollic. q.* 12. *numero* 20. est contra Rodriguez *in quæst. regul. tom.* 2. *q.* 81. *art.* 1. Peyrin. *tom.* 2. *in constit. Pauli V.* §. 1. *num.* 2. Dian. *d. p.* 5. *tr.* 10. *resol.* 12. *& p.* 4. *tr.* 8. *resol.* 23. aliosque Authores Regulares, qui excipiunt Generales Religionum, qui certè hac in re non habent idem privilegium, quod habent Episcopi speciatim excepti *in d. cap. Inquisitores.*

Quamvis insuper possint Inquisitores in crimine hæresis procedere contra Reges, Principes, Duces, aliosque Laicos cujuscunque sint conditionis, dignitatis, & gradus, *ex d. cap. ut officium* §. *denique de hæret. in* 6. & ex Literis Clementis, & Urbani IV. quæ incipiunt, *Præ cunctis*, & tradunt Eymer. *d. p.* 3. *q.* 31. ibique Pegn. *com.* 8. Param. *lib.* 3. *q.* 5. *num.* 24. Symanch. *de Cathol. instit. cap.* 34. *num.* 32. & Caren. *de hæret. num.* 85. Tutius tamen est, ut quando est procedendum adversus Reges, ac Regales Personas, quales sunt magni Duces, supremi Principes, Marchiones, ac similes, vel adversus eos, qui Regibus adstant, uti sunt Consiliarii, Senatores, vel contrà alios Magnates, vel Gubernatores, sivè Proreges, Consules, ac Magistratus, sivè sint hæretici, sivè de hæresi suspecti, priùs consulatur Summus Pontifex, vel supremum Tribunal, & modo ab eo præscripto contrà illos procedatur, ut admonent etiam Eymer. *q.* 31. Pegn. *com.* 80. Molin. *de just. tr.* 5. *disp.* 28. *num.* 22. Suar. *de fid. disp.* 20. *sect.* 4. *nu.* 24. Cenedo *collect.* 14. *num.* 2. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 18. *q.* 13. cùm alioquin infelices exitus sequi consueverint.

Et quidem inter alias pœnas contra Principes hæreticos inflictas tollitur eis Principatus, & datur occupanti Principi Catholico, quando Catholicus Princeps hæreticus factus est, nec admonitus vult resipiscere, vel sub se patitur hæreticos vivere subditos, factus ità erroris particeps. Quare antè moneri debere statuit *cap. excommunicamus de hæret.* deindè excommunicari, nec excommunicatio etiam valeret, nisi præcedente admonitione *cap. sacro. de sent. excomm.* Rursus post excommunicationem jus exigit Principum contumaciam non satisfaciendi per annum antequam terra illorum occupantibus exponatur. Postremò occupationem non quibuscunque permitit, sed iis tantùm, qui occupatam ab hæresibus expurgent. Refert Guichard. *lib.* 11. *historiarum sui temporis*, Julium II. summum Pontificem edictum in Ludovicum XII. Regem Galliæ pronunciasse, quo cum, & quotquot ei studerent, omnibus schismaticorum, & hæreticorum pœnis subjiciebat, facta cuique potestate fortunas, regna, resque illorum invadendi, ex quo secuta fuerit Regni Navarræ occupatio. Vide Joannem Tillium *in Chron. Galliar.* & Paulum Jovium *lib.* 4. B. Pius V. quoque Regnum Angliæ proscripsit, prædæque exposuit ob hæresim anno Domini 1569. cujus sententiam posteà anno sequenti Joannes Feltonus vir nobilis Londini ad fores Episcopii publicè juxta summum Templum affixit, qui posteà comprehensus, damnatus, in cratem injectus, suspensus fuit, funeque ei semivivo execto, multa deindè tormenta expertus, ut scribit Sander. *lib.* 7. *de visib. Monarch.* & Bzov. *in vita Pii V. anno* 1570. ubi ejus sententiam excommunicationis, & privationis profert.

Valdè certè metuenda est hæc Regnorum censura, & in qua gravissimæ, ac immedicabiles præcedere debeant hæreses, vel aliæ causæ, quæ non solùm Principes, sed etiam populum inficiant, alioquin si ex sola causa, vel delicto, ut contumacia Principis tanta maledictione prædæ cujusque populus exponatur, medicina tantum abest ut proficiat, quin contrà aditum infinitis, & irreparabilibus malis dabit, cùm mutatio rerum publicarum, & principatuum soleat turbare ita statum publicum, & privatum, ut antequam consistere possit, quiescere, ac in tranquillum pervenire statum, boni cum malis pereant, & mali deteriores reddantur, & ira in furorem, furor in desperationem, contumacia in hæresim, & schisma, schisma in Atheismum transeat, omitto exempla plura, Sufficit Anglia maximè anteà Catholica, quæ ob crimen adulterii Regis Henrici, primùm ob repudiatam legitimam uxorem, non concessa secunda, lapsa ob Regem contumacem in schisma contrà summum Pontificem, dehinc ob excommunicationem, & interdictum in hæresim, & post expositionem ejus in prædam, in tantam sævitiam, ut crudelior persecutio christianorum ferè nunquam extiterit. Sunt planè summi Pontifices, qui & prævidere debent, Reges impiissimos etiam habere gladium, & socios impietatis, quibus hostiliter aggressi ab extraneis, quibus terra illorum exponitur, & cogunt bonos in defensionem patriæ armari, undè tot cædes bonorum cum malis, tot viduarum, orfanorum, ac incendiorum, oppressionum, cadaverum reliquiæ luctuosissimæ.

Quid autem possint Inquisitores in familiares S. Officii, alibi tradidimus.

Consultatio CXXVI.

Quinam dicantur hæretici, Apostatæ à fide, Schismatici, receptatores, hæreticorum, defensores fautores, suspecti de hæresi, qui jurisdictioni Inquisitorum subjiciuntur?

Hæretici, contra quos jurisdictionem habent Inquisitores, dicuntur ii, qui habent aliquem errorem in intellectu contra fidem cum pertinacia, ut docent omnes cum D. Thoma 2. 2. *q.* 11. *ar.* 2. Ac is, qui pertinaciter dubitat de rebus fidei, etiamsi in tali dubitatione parvo tempore persistat, eoque magis, si plus inclinaret in doctrinam Catholicæ fidei contrariam, etiamsi non de tota Christiana Religione, sed de uno tantùm articulo fidei tenaciter dubitaret, ut pariter docet D. Thom. *loc. cit. quæst.* 3. *ar.* 3. Is item, qui dubitat de iis, quæ ab Ecclesia definita sunt, & post legitimam admonitionem, deliberato animo in dubitatione persistit; Nam in dubium non sunt revocanda, quæ semel pro fide, ac veritate Catholica Ecclesia definivit, ut ait Gelasius Papa, & refertur *in can. majores.* 24. *quæst.* 1. & D. Thom. *p.* 1. *quæst.* 32. *art.* 4. Ille etiam, qui pertinaciter non credit, vel existimat, verum non esse aliquid, quod in Sacra Scriptura

ra continetur, ut docet quoque D. Thom. *d. p.* 1. *q:* 102. *ar.* 1. & probat Ricciul. *de jur. perſ. lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 4.

Hæreticus etiam dicitur apoſtata à fide, qui fidem Chriſtianam, quam in baptiſmo promiſit, relinquit, & tranſit ad Judæos, Turcas, Saracenos, Idololatras, & hæreticos. Et qui id facit ex libidine, vel deſperatione, animo non relinquendi catholicam fidem, ut Apoſtata reputatur. Nam quod ad Eccleſiam apoſtata eſt, ut per Farinac. *de hæreſ. quæſt.* 183.

Schiſmaticus quoque hæreticus cenſetur, eſtque is qui ab unitate Eccleſiæ Romanæ ſe dividit, & determinationibus Eccleſiæ de fide factis pertinaciter credere non vult, ideoque hæreticus habendus eſt, quod teſtatur Eymer. *p.* 2. *direct. qu.* 48. *numero* 4. Pegn. *com.* 73. & Farinac. *qu.* 184. *numero* 8. *& ſeq.* Vel ſaltèm ſuſpectus de hæreſi, ideoque cogendus eſt abjurare ſchiſma. Principes verò ad fidem converſi, dum interim procuratur unio cum Eccleſia Catholica non poſſunt tuta conſcientia communicare cum ſuis Schiſmaticis, nequè ab illis Euchariſtiam, & abſolutionem à peccatis aliaque Sacramenta ſuſcipere. Neque eis licet fundare, vel dotare interim Monaſteria, vel Eccleſias Schiſmaticorum, neque poſſunt intereſſe ſacris, ac cœremonijs illorum, eaſque obſervare juxtà morem gentis; neque jurare poſſunt, ſe velle retinere fidem ſuorum patrum, illamque ſuis ſubditis conſervare. Neque confirmare juramento ſtatuta fidei Catholicæ contraria. Neque legere libros ſchiſmaticorum ſuorum, ne illos quidem, qui Religionem Catholicam ex profeſſo non impugnant. Neque poſſunt Principes Catholici ab Epiſcopis ſchiſmaticis coronari, benedici, & Sacramento Euchariſtiæ more ſchiſmaticorum refici. Neque veſci poſſunt carnibus die ſabbathi, & jejunare feria quarta more eorundem Schiſmaticorum. Nequè illorum Templa viſitare, ſacra audire ac eorum ritibus intereſſe prætextu, quòd aliàs non agnoſcerentur pro legitimis Dominis, ac ſubeſſet periculum perturbationis rerum.

Electi autem in Reges Schismaticorum, non poſſunt coronari ab Epiſcopo Schiſmatico, Schiſmaticorum ritu, licet aliquibus videatur, id poſſe fieri, ſi non intervenerit ſacra Unctio. In caſu tamen neceſſitatis poteſt concedi licentia recipiendi coronam ab Epiſcopo Græco Eccleſiæ Catholicæ Romanæ unito.

Hæreticorum autem credentes, qui etiam juriſdictioni Inquiſitorum ſubduntur, ſunt primò qui credunt hæreticorum erroribus. Et ij propriè dicuntur hæretici. Secundò qui nulla hæreſi infecti ſunt, ſed credunt, hæreticos eſſe viros probos, & habere bonam fidem, qui dicuntur habere hæreticorum perfidiam non explicitam, ſed implicitam. Tertiò ij, qui licet profiteantur, ſe non credere, quod hæretici credunt explicitè, tamen verbis, vel factis illis adhærent, quia eos viſitant, literas hinc inde mittunt, pluriès eorum ſermones, & Conciones audiunt, eorum libros retinent, ac legunt, in eorum conventicula conveniunt, quæ ad ritum eorum pertinent, perpetrant, aguntque ſimilia, per quæ de hæreſi ſuſpecti vehementer, vel leviter redduntur, ſecundùm quod majora, vel minora in eis indicia apparent, ut per Eymeric. *p.* 2. *qu.* 50. *num.* 1. Duard. *in Bull. Cœnæ lib.* 2. *can.* 1. *quæſt.* 26. *num.* 2. Royas *de hæret. qu.* 1. *num.* 296. *& ſeq.* Suar. *de fid. diſp.* 24. *ſect.* 1. *num.* 1. Sanch. *in decal. lib.* 2. *cap.* 10. *numero* 2. Farinac. *de hæreſ. quæſt.* 182. *numero* 121. *& ſeq.* Azor. *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 15. *q.* 1. & alios.

Receptatores autem hæreticorum ab Inquiſitore puniendi, ij ſunt, & dicuntur, qui ſcientes, aliquem eſſe hæreticum, latenter eum receptant, ne ad manus Eccleſiæ perveniat, etiamſi ſemel tantùm ſic eum receptaverint, ſuntque excommunicati juxtà *cap. Excommunicamus primo §. credentes, de hæret.* Qui verò ignorans, aliquem eſſe hæreticum, illum receptaret, nec diceretur hæretici receptator, nec puniendus eſſet pœnis ſtatutis contrà hæreticorum receptatores. In dubio tamen hæc ignorantia eſt præſumenda, idèoque Fiſco incumbit onus probandi ſcientiam in receptatore, dummodo non conſtet notoriè, receptatum eſſe hæreticum. In hoc enim caſu onus eſſet receptatoris probandi ſuam ignorantiam. Quòd ſi receptaret conſanguineum hæreticum, non excuſaretur à tota pœna ſed mitiùs eſſet puniendus, habita ratione gradus conſanguinitatis. Idemque dicendum de receptantibus amicos ſummos. Vinculum enim amicitiæ potens eſt, ac prævalidum, nequè inferius ulla ex parte ſanguinis viribus. Et amicitia ipſa quædam fraternitas eſt. *L. Verum. ff. pro ſocio.* & annotant Socin. *conſ.* 263. & Jas. *in l. quæ dotis. ff. ſolut. matr.* Pegn. *conſt.* 87. *verſ. nunquid autem & ſeq.* Ità etiam qui metu mortis hæreticum receptat, ne ab eo occidatur, in receptationis pœnas non incurrit, quia non receptat hæreticum, ut hæreticum, ſed ut vitam ſuam tueatur, & Leges humanæ non obligant in Conſcientia cum certo, vel probabili vitæ periculo, nec eſt credibile, Eccleſiam velle cum tanto rigore obligare, ut per Suar. *de legib. diſp.* 4. *ſect. tertia, numero* 13. & Duard. *in Bull. Cœnæ lib.* 1. *quæſt.* 3. *numero* 9. *& cap,* 2. *quæſt, ſecunda num.* 19.

Defenſores verò hæreticorum, contra quos etiam Iuriſdictionem habent Inquiſitores, primò ſunt, qui defendunt errores, & hi manifeſtè hæretici ſunt, imò hæreticis deteriores, quia non ſolùm pertinaciter errant, ſed etiam offendicula errandi aliis parant. Secundò ſunt, qui non defendunt eorum errores, ſed perſonas, qui quavis ratione ſtudent, & curant, ne hæretici in manus Inquiſitorun veniant, aut ne denuncientur, vel ne deferantur ad Inquiſitores eorum hæreſes, vel nè eorum prava dogmata examinentur, nevè, interrogentur, vel quovis modo eorum comprehenſionem, animadverſionem, condemnationem, ſupplicium, ac pœnam impediunt, vel prohibent, ne in eos inquiratur, ne capiantur vel captos audent potentia, viribus, armis, aut fraude è manibus capientium eripere, aut Inquiſitorum manus impedire, vel illorum ſententiam non exequi. Hi omnes hæreticorum defenſores dicuntur & ſunt de hæreſi ſuſpecti vehementer, vel leviter, juxtà defenſionis qualitatem, ac Juriſdictioni Inquiſitorum ſubduntur, ab eiſque puniuntur, ac ſunt excommunicati in Bulla Cœnæ, & in *dict. cap. excommunicamus primò §. Credentes. de hæret.* Suntque etiam infames, ſicut credentes, receptatores, & fautores, ac omnibus officiis publicis privandi ex d. *cap. Excommunicamus & ex cap. Quincunque §. heretici. de hære. in* 6. & ex Conſtitutionibus Innocentii IV. quæ incipiunt, *Ad extirpandas*, & Pauli IV. incip. *Cum ex Apoſtolatus*, aliorumque Pontificum. ut annotat Pegn. inter literas Apoſtolicas,

Comprehenduntur quoque ſub dicto nomine defenſorum, Advocati, & Procuratores, qui ſine Inquiſitorum licentia, & in caſibus non permiſſis patrocinium hæreticis præſtant, qui etiam ſunt de hæreſi ſuſpecti, ac uti tales poſſunt contra eos Inquiſitores

sitores procedere, ut tradunt Sanctarel. *de hæres. cap.* 11. *dub.* 2. *numero* 21. Duard. *loc. cit. numero* 9. & Farinac. *quæst.* 197. *numer.* 55. qui enumerat dictos casus non permissos. Non tamen incurrunt excommunicationem, nec alias pœnas contra hæreticorum defendentes impositas, qui hæreticos defendunt extra causam hæresis, quia hæc est justa hominis defensio, & illa solùm est injusta, & in conscientia prohibita, qua quis scienter hæreticum, ut hæreticum defendit, ut docent Cajet. *in sum. v. Excommunicatio, cap. primo.* Navar. *in man. cap.* 27. *numero* 55. Azor. *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 15. *quæst.* 6. Farinacius, Duardus *loc. cit. & alii.*

Fautores autem hæreticorum jurisdictioni Inquisitorum etiam subjecti ij sunt, qui vel omissione, & negligentia, vel facto, & cooperatione, vel verbis, & consilio hæreticis favorem præstant. Omissione & negligentia fautores hæreticorum sunt primò Episcopi, Inquisitores, & eorum ministri, qui possunt ac tenentur ratione officii contra hæreticos procedere, eosque punire, & contra illos non procedunt, neque eos puniunt. Isti excommunicationem incurrunt, ac per triennium Episcopi suspenduntur, & si id faciant ex odio, vel amore, vel ob lucrum temporale excommunicationem incurrunt summo Pontifici reservatam ex *Clem.* 1. §. *Verùm de hæret.* ibique Glos. *v. fraudulenter*, Imol. *numero* 3. Zabarel. *numero secundo & seq.* Anchar. *numer.* 11. Cajetan. *d. v. Excommunicatio, cap. tertio* Navar. *ibidem numero* 100. Et si prædicti in puniendis hæretici, fuerint negligentes, deponi debent ab officio Episcopali *ex d. cap. Excommunicamus* §. *Volumus de hæret.* ut præter alios docet Pegn. *par.* 2. *com.* 2. *vers. Episcopi ergo.*

Secundò qui tenentur hæreticos accusare, vel denunciare, & id non faciunt, vel dant aliquid ad hæreticos non denunciandum, vel legitimè ab Inquisitoribus de hæreticis requisiti, illos celant, & veritatem dissimulant, ut per Sayr. de *censur. lib.* 3. *cap.* 5. & 7.

Tertiò qui hæreticos ab hæresi revocare possunt, & non revocant, *arg. can. Ubi potest* 24. *quæst.* 3. *& arg. cap.* 2. *de hæret.* & ibi Glos. *v. non revocat.* Immo Felinus alijque Canonistæ ex illo textu deducunt, quòd hæreticus censendus sit, qui ex negligentia hæreticum ab hæresi revocare omittit. Quod intelligendum est de Episcopis, & Prælatis, ac Magistratibus, non autem de privatis hominibus, qui solùm sub excommunicationis pœna tenentur illos accusare, aut denunciare, vel revelare, ut cum aliis annotat Pegna *d. com.* 2. *vers. Si de Episcopis.*

Quartò domini seculares, & officiales ministri, qui omittunt hæreticum inquirere, & comprehendere, ut per *Caiet. loc. cit. cap.* 2. Anan. *in d. cap. excommunicamus* §. *credentes num.* 14. Vel qui negligentes sunt in extirpandis hæreticis à terris suis, ut per Pegn. *ibidem. ex in cap. secundo de hæret.* Vel requisiti, ac moniti ab Ecclesia, ut faciant custodias, in quibus hæretici custodiantur, & in gratiam hæreticorum non faciunt, Sayrus *d. cap.* 5. *numero* 7. Vel dare nolunt milites ad comprehendendum hæreticos. Vel requisiti ab Inquisitoribus, nolunt illos comprehendere, Navar. *cons.* 14. *de hæret.* Graff. *lib.* 4. *decis. cap.* 18. *num.* 12. & Sayr. *loc. cit.*

Facto autem, & cooperatione hæreticorum fautores sunt, qui pecunias, alimenta, arma, aliaque auxilia eis subministrant, ut notant Anchar. *in cap.* 2. *de hæret. in* 6. *numero* 5. ac Gemin. *num.* 12. *Ost. in sum. de hæret.* §. *qua pœna num.* 10. *& seq.* Sylvest. *v. hæresi* 1. *numero* 10. Vel illis favent, ut è carcore fugiant, vel in manus Inquisitorum non deveniant, ut patet ex Constit. Innocentis IV. & Clementis IV. quæ incipiunt *Ad extirpanda* apud Pegnam. Vel impediunt Episcopos, & Inquisitores, ne illos puniant, ut *ex cap. accusatos* §. Sacerdotes *de hæret. in* 6. *& ex constit, Innocentis* IV. quæ incipit *malitia hujus temporis*, & Urbani IV, incip. *Licet ex omnibus*, & Calixti III. cujus initium est' *Injunctum nobis*, apud Pegnam, & notat Eymer. *part.* 1. *quæst.* 54, *numero* 5. & alij, quos sequitur Azor. *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 15. *quæ.* 6. Vel offendentes ministros, & Officiales S. Inquisitionis, ut liquet ex constit. B. Pij V. *Si de protegendis.*

Fautores etiam hæreticorum sunt, qui se fingunt esse hæreticos, quos Inquisitores procurant comprehendere, ut sic pro veris hæreticis se submittentes, veros hæreticos liberent. Sed isti tales debent ad perpetuum carcerem condemnari eorumque bona proscribi. *ex d. constit. ad extirpanda* Clementis IV.

Sunt quoque fautores hæreticorum, qui processus contra hæreticum formatos lacerat, testes examinatos verberat, vel è manibus justitiæ, aut è carcere hæreticum eruunt, ut tradunt Eymer. *p.* 2. *quæst.* 54. ibique Pegn. *com.* 7. & Navar. *cons.* 14 *de hæret. num.* 3. Qui Inquisitorem vexant, perturbant, & injuria afficiunt, ut hæreticum liberet, Eymer. & Pegna *loc. cit.* qui hæreticos venerantur, comitantur, visitant, illisque munera mittunt, Eymer. *quæst.* 56. *numero* 7. Locat. in *judic. Inquis. v. suspicio num.* 3. aliique. Ac ij, qui sepeliunt in loco Sacro hæreticos vel eorum fautores, defensores, receptatores vel credentes, ut *ex cap. secundo de hæret. in* 6. & *ex constit. Innocentij IV.* incip. *Noverit universitas*, apud Pegnam.

Consilio & verbis hæreticorum fautores sunt, qui pro eis intercedunt, vel supplicant, aut veniam petunt, ac impediunt Officium S. Inquisitionis, vel Inquisitorum famam lædunt, dicentes, injustè contra hæreticos procedere, nec hæreticos esse ita malos, quales dicuntur, nec deberi tam graviter puniri, vel illos esse laude, & honore dignos & id genus alia, ut per Archid. *in cap. quemcunque num.* 6. *de hæret. libro* 6. ibique Jo. Andr. *numero* 5. Gemin. *numero* 10. & 11. Sylvest. *d. v. hæresis* 1. *numero* 10. Graff. *libro* 2. *decis. cap.* 9. *num.* 11. Et qui hæreticos monent, ut se abscondant, ne comprehendantur vel ut comprehensi è carceribus fugiant, vel docent modum, quo se falsò defendant, vel quo veritatem celent, vel hæresim negent, ut per Eymer. *d. p.* 2. *qu.* 56. *numero quarto*, ibique Pegna *com.* 80. Symanch. *de cathol. instit. tit.* 15. *numero* 11. Decian. *in tr. crim. libro quinto, cap.* 51. *numero* 16. Qui omnes hæreticorum fautores sunt, ac de hæresi suspecti, ut notant Repert. Inquis. *v.* credentes, *vers. Sed circumscripta*, Eymericus, & Pegna *loc. cit.* Calder. *in tr. de hæret, rubr, de hæret. credentibus numero* 11. suntque excommunicati in Bulla Cœnæ & in constit. Martini V. quæ incipit *Inter cuncta*, & Paul. IV. incip. *Cùm ex Apostolatus Officio* apud Pegnam. Quòd si tanquam fautores hæreticorum fuerint ab Episcopo, vel Inquisitore excommunicati, & per annum in Excommunicatione perstiterint, debent, ut hæretici haberi, ac ut tales condemnari, *cap. ut inquisitionis* § *prohibemus de hæreticis in sexto capite excommunicamus*

municamus §. *credentes de hæret.* & *cap. Cum contumacia eod. tit. in* 6. docentque *Ost. in sum tit. de hæret.* §. *qualiter deprehendantur numero* 1. Eymer. *dec. p.* 2. *quæst.* 47. *numero* 3. ac Pegna *com.* 72.

Suspecti verò de hæresi, qui Inquisitorum jurisdictioni subduntur ij sunt primò qui impediunt S. Inquisitionis Officium, ut patet ex Constit. Clementis, & Urbani IV. & *in cap. Statutum de hæret. in* 6. & tradunt Eymer. *d. p.* 2. *quæst.* 54. ibique Pegna *com.* 79. Locat. *in Judic. Inquis. v. suspicio, numero* 11. Campeg. *ad Zanchin. in tr. de hæret. cap.* 20. *lit. A. v. suspicio.*

Secundò, qui cum hæreticis conversantur, vel hæreticorum conciones audiunt, vel eos receptant, defendunt, vel favent, vel visitant, aut eis munera mittunt, vel cum eis confœderationem contrahunt, vel eos in loco sacro sepeliunt, ut docent Eymer. *qu.* 50. 51. & 56. Pegn. *Com.* 75. 76. & 81. Repert. Inquis. *v. hæreticus*, & *v. defensores*, Azor. *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 15. *quæst.* 1. & *seq.* Royas *sing.* 175. *num* 4. *alijque.*

Tertiò qui hæreticum non revelant, Eymer. *d. p.* 2. *qu.* 55. Pegn. *com.* 88. Repert. Inquis. *v. fautores v. Item in judicatione.* Vel in causa hæresis examini se subijcere nolunt, Eymer. *p.* 3. *q.* 62. Pegn. *com.* 111. Vel qui priùs de se, vel de aliis hæresim confessi fuerunt, & postea negant, ut *ex cap. litteras de præsumpt.* ibique Canonistæ.

Quartò qui in locis, ubi Catholici permistim cum hæreticis non vivunt, matrimonium cum hæreticis ineunt, Glos. *in cap. decrevit de hæret. in* 6. ac ibi Gemin. & Jo. Andr. traditque Canter. *in quæst. crim. rubr. de hæret. cap.* 1. *numero* 1. Vel polygami qui duas uxores eodem tempore viventes ducunt, Eymer. *d. p.* 2. *quæst.* 56. Pegna *com.* 81. Castr. *libro primo de just. hæret. punit. cap. primo.* Menoch. *de præsumpt. lib.* 5. *præsumpt.* 6 *numero* 37. Graff. *libro quinto dec. cap.* 18. *numero* 16. Vel qui sæpe mulieres consanguineas, vel affines vel commatres, vel moniales carnaliter cognoscunt, ut docent Doctores, quos sæquitur Symanch. *tit.* 50. *num.* 3.

Quintò Regulares professi, vel Clerici seculares in sacris constituti matrimonium contrahentes, sive publicè, sive secretò, qui etiam sunt ipso jure excommunicati *in Clem.* 1. *de consangu.* & *affin.* & notant Rodrig. *tom.* 3. *quæst. regul.* 1. *art.* 1. Menoch. *ea præsumpt.* 6. *num.* 35. Vel apostatæ à religione, negligentes ad eam redire, ac per annum persistentes in excommunicatione; Eymer. *d. p.* 2. *quæst.* 49. ac ibi Pegna, Locat. *in judic. v. Apostata numero* 1. Decian. *in tr. crim. libro* 5. *cap.* 71. *num.* 2.

Sextò qui Christi fidem ore negant, sed non corde ut docent Eymer. *p.* 1. *quæst.* 9. Pegna *com.* 24. Etiamsi metu mortis aliquis compulsus quidpiam fidei contrarium affirmaret absque errore intellectus, quia hominibus verba patent, non mentis affectus, & Ecclesia judicat de externis, ut per Symanch. *tit.* 12. *num.* 36. Repert. Inquis. *de hæret. qu.* 13. *numero* 67. Azor. d. *lib.* 8. *cap.* 9. *quæst.* 9. Vel propositiones hæreticas, vel quæ hæresim sapiunt, vel scandalosas, ac temerarias proferunt, Eymer. *d. p.* 2. *quæst.* 2. Pegna *com.* 27. Vel horrenda juramenta, execrabiles blasphemias, verba impudicissima frequenter dicunt, Eymer. *quæst.* 41. Pegna *com.* 66. Locat. *in judic. v. blasphemia numero quinto* Zanard. *in sum. part. secunda cap.* 64.

Septimò qui libros hæreticorum legunt, vel retinent, etiamsi illos non legant, Doctores, quos sequitur Decian. *in tr. crim. libro* 5. *cap.* 37. *nu.* 55. & *cap.* 46. *numero* 32. & patet ex Constit. Pij IV. incip. *Dominici gregis.* Vel scienter legentes, aut retinentes, aut imprimentes, seu quomodolibet defendentes libros hæresim continentes, vel de religione tractantes absque licentia, ut ex Bulla Cœnæ, ibique Duard. *quæst.* 39. & 40. Similiter legentes, aut retinentes, vel imprimentes libros schismaticorum, uti probant Suar. *de fid. disp.* 20. *sect.* 2. *numero* 11. Sanctarel. *de hæres. cap.* 13. *numero* 17. Etiam manuscriptos, ut notat Barbos. *in cap. fraternitati num.* 3. *de hæret.* Vel legentes scholia hæreticorum ad libros Catholicorum, ut per Duard. *ibidem quæst.* 43. Sanch. *in decal. libro* 2. *cap.* 10. *numero* 25. Vel legentes libros Armenorum, & Græcorum, Sousa *in aphorism. Inquis. libro primo cap.* 21. *numero* 20. Castropal. *tom.* 1. *tr.* 4. *disp.* 2. §. *primo, numero primo* Item legentes, ac retinentes libros prohibitos propter obscœnitates lascivas, & contra bonos mores, ut constat ex litteris Cardinalis Millini ad Inquisitorem Cremonæ, quas refert Carena *p.* 2. *tit.* 10. §. 2. *num.* 19.

Octavò qui singulis annis sua peccata non confitentur, neque Sacram Eucharistiam recipiunt, diebus festis Missam non audiunt, diebus jejunij non jejunant, vel diebus vetitis carnes absque necessitate comedunt, Eymer. *d. p.* 2. *quæst.* §. Pegna *com.* 80. Zabarel. *in d. cap. Excommunicamus* 1. *de hæret. in fine*, ibique Felin. *numero* 4. Anan. *in cap. ad abolendam numero* 4. *eod. tit.* ubi etiam Felin. *numero* 2. Repert. Inquis. *v. cognoscere, vers. sed an Judex*, & *v. præsumptio, v. Credentes, v. Confessio*, Duard. *loc. cit. can.* 1. *qu.* 33. *num.* 7.

Nonò Sacerdotes sollicitantes ad inhonesta in Sacramento pœnitentiæ, aut illicitos ac turpes sermones aut tractatus habentes sive pro se, sive pro alijs in actu Sacramentalis confessionis, sive ante, vel post immediatè, sive occasione vel prætextu confessionis, etiam ipsa confessione non sequuta, sive extra occasionem confessionis in confessionario, aut in quocunque loco, ubi confessiones sacramentales audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibi confessiones audire, ut ex Constitut. Gregorij XV. edita anno 1622.

Decimò qui non ordinati Sacerdotes Missam celebrant, aut confessiones audiunt, sunt de hæresi vehementer suspecti ex Constit. Gregorij XIII. & Clementis VIII. editis anno 1574. & 1601. Et ob tam immane facinus sunt ab Inquisitoribus, & Ordinariis degradandi, & Curiæ seculari tradendi ex Constit. Urbani VIII. Sic etiam sunt de hæresi vehementer suspecti sacerdotes, qui missam celebrantes non consecrant, vel ex defectu intentionis, vel ex omissione formæ consecrationis. Nam qui sic celebrat est idololatra quod ad actum externum, & alios idololatrare facit exstrinsecè, & materialiter. Vel hostiam consecratam de novo consecrat; nam in illa non ampliùs est substantia panis, & ideo non est materia apta ad novam consecrationem, ut per Oldrad. *cons.* 208. Bartol. *in aphrorism. lit.* 5. *v. Sacerdos* §. 12. Vel rebaptizantes baptizatos, aut baptizantes imagines, magnetem, animal brutum, aut cadaver hominis mortui, ut notant Pegna *com.* 67. Farinac. *de hæres. quæst.* 181. *numero* 23. Delrius *disquis. mag. libro* 5. *sect.* 15. *vers. dico quartò.*

Undecimo exercentes Astrologiæ iudiciariæ artem, prædicentes non sine pacto saltem tacito dæmonis pendentia

pendentia ex libero arbitrio, & futuros casus fortuitos, etiamsi asserant, & protestentur, se id certò non affirmare. Vel scienter legentes, aut retinentes libros, scripta, opera, tractatus, vel chartas Astrologiæ iudiciariæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, & aliarum huiusmodi divinationum, vel artis magicæ, aut quibus sortilegia, veneficia, auguria, aruspicia, vel incantationes ac superstitiones continentur. Tunc enim incurrunt excommunicationem latam in Iudice, ut statuit Sixtus V. in. Constit. *Cœli & terræ Creator*: sed hæc excommunicatio non est reservata. Verùm si in his libris vel scriptis pronuncietur certò de futuris contingentibus, seu actibus hominum ex astris, vel alijs rebus creatis, tanquam ex causa, seu ratione necessarij influxus, seu coactionis arbitrij humani, vel asseritur cognosci secreta cordium, seu actus purè internos, vel asseritur effectus supernaturales posse cognosci in causis naturalibus, ut prædicere profitentes ex astris mysteria nostræ fidei, ut quòd Christus nasciturus erat ex Virgine, ac similia, nam mysteria nostræ fidei pendent ex solo Dei decreto, tunc incurrunt tam autores, & credentes, quàm tenentes vel legentes scienter in excommunicationem latam *in can.* 1. *Bullæ Cœnæ*. Quia talis Doctrina est hæreticalis, ac proinde puniuntur in S. Officio. Item si asseratur, huiusmodi artem Astrologiæ iudiciariæ non esse ab Ecclesia improbatam. Vel revelantes res præteritas, aut præsentes omnino occultas, ut docent Suar. de Relig. *lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 27. Sanch. *in decal. lib.* 2. *cap.* 38. *n.* 28. Vel si quis per media superstitiosa inquirit de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, vel de vita, & morte Romani Pontificis pro tempore existentis, vel eius consanguineorum usque ad tertium gradum, verbi gratia consulendo super his Ariolos, Aruspices, Vaticinatores, vel Astrologos &c.

Vel si quis talia iudicia recipiat etiam sponte sibi oblata, vel eis utatur, vel scienter ea retineat, vel alteri ostendat. Vel si quis talia iudicia, seu pronunciationes faciat, etiamsi asserendo se non certò affirmare, vel à se facta retineat, vel det alijs, vel ostendat, aut de eis verbo, aut scripto, etiam improbando tractet. Tales enim delinquentes tam seculares, quàm Ecclesiastici, Episcopis inferiores, omnes incurruut eo ipso pœnas excommunicationis, & reatus læsæ Maiestatis, scilicet confiscationis bonorum, etiam feudalium & privationis beneficiorum, dignitatum, Officiorum Ecclesiasticorum, & inhabilitates ad prædicta, & Ecclesiastici degradandi sunt, & Curiæ seculari tradendi ad pœnam corporalem ibidem statutam. Episcopi verò, & ijs maiores Prælati incurrunt pœnam excommunicationis, ac privationis Ecclesiarum, & beneficiorum, & inhabilitatem ad huiusmodi.

Cognitio harum causarum reservata est Romæ, Vicario, & Auditori Cameræ. Extra verò in Provincijs, Legatis & Nuncijs. In alijs autem locis Ordinarijs locorum, & ubique etiam Inquisitoribus contra hæreticam pravitatem. Dictæ pœnæ non procedunt contra inquirentes de affinibus Papæ, quia non continentur nomine consanguineorum, maximè in pœnalibus.

Absolutio dictarum excommunicationum ita fuit in Brevi reformationis S. Pœnitentiariæ ab eodem Vrbano VIII. reservata, ut S. Pœnitentiaria non possit absolvere prædictos inquirentes per media præfata. Et huiusmodi crimen, si fuerit notorium de iure, vel de facto, reddit infamem, atque adeo irregularem.

Circulatores, verò, qui se Astrologos iactitant, torquendi sunt tribus ictibus funis.

Duodecimò sortilegi, divinatores, magi, striges, & alij, qui pactum cum dæmone expressum, vel tacitum injerunt, vel in suis sortilegijs admiscent aliqua, quæ hæresim sapiunt. Ut si dæmonibus honorem latriæ, vel duliæ tribuunt, aut sacrificia offerunt, vel Deum abnegant, & Ecclesiæ Sacramenta, vel in eodem sortilegio admiscent Oleum Sanctum, sacram Eucharistiam, vel verba Sacramentorum, vel Sacramentalia, ut aquam benedictam, cereum paschalem, vel candelas de arundine, vel Sanctorum reliquias, vel agnos Dei benedictos, vel verba Sacræ Scripturæ, aliasve Ecclesiæ orationes, ut notant Pegna *com.* 79. Scacc. *de judic. libro primo cap.* 12. Farinac. *de hæres. quæst.* 181. *numero* 2 *& seq.* ac Delrius *loc. cit.* Hinc sortilegia qualificata committentes non absolvuntur in foro conscientiæ, sed disponuntur ad deponendum in S. Officio. Incurrentes verò in sortilegia simplicia possunt absolvi.

Porrò qui abutitur Sacramento Altaris, retinendo apud se hostiam consecratam adversus arma, torquendus est super intentione. Si autem torturam sustinuerit, prævia abjuratione de vehementi, damnandus est ad triremes per quinquennium. Hac de re extat decretum Pauli IV. relatum à Locato *in Jud. Inquis.* in quo delinquentes hujusmodi traduntur brachio sæculari. At non fuit usu receptum. Qui verò curat, vel curare se jactat ischiade affectos verbis Sacræ Scripturæ, Orationibus, & Crucibus, dicens id facere virtute insita suæ Genti, immo omnibus incolis sui loci, poterit dimitti prævia instructione, ac pœnitentiis salutaribus, cum præcepto de se abstinendo ab hisce, atque hujusmodi aliis.

Maleficis verò ac strigibus asserentibus se vidisse tales, etiam eos nominando, in diabolicis ludis, non creditur in illorum præjudicium, cùm id habeatur pro illusione. Prævia verò abjuratione de formali in S. Officio comburuntur à Curia sæculari. Percutientes autem vel offendentes ipsarum aliquam, prætextu, quòd sit malefica puniuntur in S. Officio, etiamsi id in illius odium non commiserint. Carceratæ à Curia sæculari debent remitti ad S. Officium pro causa Apostasiæ, quâ cognitâ, restituuntur eidem Curiæ sæculari, debitis pœnis puniendæ.

Tertiodecimò qui Sanctorum imagines conculcant, fœdant, Cruces deiiciunt, conculcant, sacramentis abutuntur, dæmonibus thura adolent, sacrificia offerunt, cultum tribuunt, se eis devovent, obedientiam promittunt, characteres, & signa in suis corporibus imprimunt, eorum nomina scripta honoris causa secum deferunt, sanguinis proprii scriptione illis inservire se adstringunt, hujusmodique alia perpetrant, sunt hæretici, vel de hæresi suspecti, ut firmant Eymer. *par. secunda quæst.* 43. ibique Pegna, Suar. *tom. primo de relig. libr.* 2. *cap.* 19. *numer.* 10. Farinac. *de hæres. qu.* 181. *num.* 68. *& sequen.*

De appellantibus à Papa ad futurum Concilium generale alibi diximus.

An autem, & quatenus qui pluries eodem die celebravit extra diem Natalis Domini, sit de hæresi suspectus, alibi tradidi.

Consultatio CXXVII.

De Iurisdictione Inquisitoris in suos familiares, in confugientes ad Ecclesiam, in absentes, in delinquentes in loco alterius Inquisitoris, vel Episcopi, in Apostatas ab Ordine, vel à Religione, in quæstuarios, in Mortuos, & alios,

INquisitorum jurisdictionem extendi ad causas criminales suorum familiarium, ita ut alii Judices sæculares non possint se ingerere in illis, sed solùm possint illos comprehendere, & comprehensos Inquisitoribus remittere, docent Symanch. *de Cathol. instit. tit.* 14. *rubr. de ministr. num.* 16. Royas *Sing.* 101. Param. *de orig. S. Inquis lib.* 5. *quæst.* 6. *num.* 27. Farinac *de hæres. qu.* 186. *num.* 38. Castropal. *tom.* 1. *tr.* 4. *disp.* 8. *pun.* 12. *num.* 9. Delbene *de Offic. S. Inquis. tom.* 2. *dub.* 145. *sect.* 16. Alphons. à Narbon. *tom.* 2. *in* 3. *p. recopil. lib.* 4. *tit.* 1. §. 20. Diana *p.* 5. *tr.* 10. *resol.* 21. *& p.* 1. *tr.* 2. *resol.* 136. *aliàs* 135. ac Cæteri.

Probant quia ex privilegio Joannis XXII. Inquisitores possunt tenere familiam armatam, cujus nomine veniunt non solùm Consultores, Fiscales, Advocati, Notarii, Satellites, sed etiam omnes alii familiares, ut tradunt Zanard. *in direct. Confess. p.* 2. *præcept.* 1. *cap.* 6. *quæst.* 3. Farinac. *quæst.* 128. *nu.* 90. & alii, ac proinde eorum Jurisdictio in illos est Ecclesiastica, non autem sæcularis. Atque hinc est, quòd Inquisitores gaudent iisdem privilegiis, ac Episcopi, ut firmant Carleval. *de for. comp. lib.* 1. *tit.* 1. *disp.* 2. *q. sect.* 6. *num.* 508. *& sequen.* Gratian. *tom.* 2. *discept. cap.* 240. *num.* 35. *& cap.* 342. *num.* 11. Royas *de hæret. p.* 2. *num.* 409 Param. *de orig. Inquis. pluribus in locis.* Episcopi autem cognoscunt causas criminales suorum familiarium juxta communem opinionem, pro qua dictus Carleval. allegat viginti quatuor Doctores, & inter eos plurimos Ministros Regios, ut notat Carena *p.* 1. *tit.* 14. §. 5. *num.* 20. Ergo & ipsi quoque Inquisitores causas criminales suorum familiarium cognoscere & judicare possunt.

Ab hac vero iurisdictione excipiuntur iidem Symanchas, Royas, Paramus, Farinacius, & Castropalaus locis citatis committentes crimen læsæ Maiestatis, rebellionis, seditionis publicæ, proditionis, raptus, mandatorum regalium despectus, effractionis seu violationis Ecclesiæ, aut monasterii, incendiarii, ac denique committentes crimen nefandum, ne aliqui prætextu exemptionis audeant hæc committere.

In causis autem civilibus Castropalaus *d. n.* 9. opinatur, Inquisitores solum habere iurisditionem respectu Officialium, qui sunt à secretis. Ii enim solum conveniri à creditoribus, & convenire debitores possunt coram Inquisitoribus, non autem Officiales externi. Sed quod in Regno Valentiæ possint Inquisitores in causis etiam civilibus suorum familiarium omnium procedere, sintque Iudices competentes asserunt Royas *p.* 2. *de hæret. n.* 422. Hieronymus de Leo *dec.* 2. *Regni Vallent.* Et quod ita quoque observetur in Regnis Aragoniæ, Cataloniæ, & Maioricarum, testatur Narbona *in recop. lib.* 4. *tit.* 1. *leg.* 20. *n.* 14. *& gloss.* 6. *n.* 2. & ita etiam in Regno Siciliæ, affirmant Param. *ibid. lib.* 3. *q.* 6. *n.* 27. Diana *p.* 5. *tr.* 10. *resol.* 22. *& p.* 4. *tr.* 8. *resol.* 55. Delben. *de offic. Inquis. tom.* 2. *dub.* 195. *sect.* 16. *n.* 5. *& seq.* Idque tum ex iure municipali illius Regni; tùm ex privilegiis, ac decisionibus, summorum Pontificum; tum ex Concordatis inter Regem & Inquisitores sub anno 1580. ut annotant citati Doctores, qui etiam tradunt in Regno Siciliæ, hoc privilegio non solùm gaudere familiares supradicti, sed etiam eorum uxores, tàm vivente marito, quam eo mortuo donec in viduitate permanserint. In aliis vero Civitatibus, ac Provinciis erit observanda consuetudo, ut ait Carena *part.* 5. *tit.* 14. §. 5. *n.* 22.

Huius exemptionis ratio reddi potest. Quia, *cum nemo suis stipendiis militare cogatur* juxta illud Apostoli ad Corinth. 9. istisque familiaribus non dentur stipendia, æquum sanè fuit eos aliquibus prærogativis decorari, nempè exemptione fori sæcularis, instar familiæ Episcoporum, & facultate arma deferendi ex Inquisitorum licentia, quemadmodum etiam illa deferre possunt familiares Episcopi.

Verùm in hac re ita tenendum est salvis privilegiis, & consuetudinibus, si quæ alibi sunt, Inquisitores in causis familiarium & officialium S. Officii, ad illud tamen non spectantibus, tam Civilibus, quam Criminalibus activè ac passivè, hodie se ingerere non possunt, sed illarum cognitionem suis Judicibus competentibus ac Ordinariis relinquere debent; solum autem incumbere debent causis, ac rebus pertinentibus ad Fidem, aut ab ea dependentibus juxta dispositionem Sacrorum Canonum, & constitutionum Apostolicarum excepta tamen cognitione causarum Officialium, & familiarium, qui aliquo modo delinquunt in officio sibi commisso: Et casu quo habeant aliquid relevans in contrarium, tenentur certiorem reddere S. Congregationem, ut ex ejus decreto approbato ab Urbano VIII. quod huc iterum, ut in suum locum placuit adducere.

Habent Inquisitores jurisdictionem extrahendi ab Ecclesia non solùm hæreticos, sed etiam de hæresi vehementer suspectos. Quia ji immunitate non gaudent ut alibi probavimus, quia delinquunt contra Ecclesiam, eam evertendo. Sunt rei læsæ majestatis divinæ. Et immunitas non conceditur contra potestatem ecclesiæ. Punitio autem criminis hæresis spectat ad potestatem Ecclesiæ, ad quam solùm spectat judicare de hæresi *cap. accusatus* §. *ultim. cap. statuimus* 1. *cap. ut officium* §. *ult. & cap. ut inquisitionis* §. *prohibemus de hæret. in* 6. & ex Constit. 1. Innocentii IV. & Constit. 11. Julii III. ac docent Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *cap.* 10. Decian. *lib.* 5. *cap.* 42. *& lib.* 6. *cap.* 28. Lugo *de fid. disp.* 24. & Farinac *de carcer. q.* 28.

Quod quidem ampliatur, ut non solùm procedat contra hæreticos declaratos, ac denunciatos ab Ecclesia, sed etiam contrà non declaratos, neque denunciatos. Quia in Constitutione Gregorii XIV. excipiuntur absque ulla distinctione omnes hæretici, atque adhuc non declarati, neque denuntiati. Procedit etiam nedum contra hæreticos affirmativos, qui dictis, vel factis ostendunt errorem fidei, quem habent in intellectu, ac pertinaciam in voluntate, sed etiam contra hæreticos negativos, qui coram Judice fidei per legitimos testes sunt convicti, sed non confessi, & in negativa constanter perseverant, verbis, & factis fidem Catholicam profitentes, & verbis, & factis hæreses detestantes. Nam ji quamdiu in *d.* negativa persistunt, hæretici sunt censendi, & ut tales condemnandi per Judicem Ecclesiasticum, ad quos illi pertinent, ut docet Host. *in summ. tit. de hæret.* §. *qualiter*, Eymeric *p.* 2. *q.* 34. Calder. *cons.* 2. *tit. de hæret.* Repert. Inquis. *v. negaviva* §. *si tamen*, Symanch. *tit.* 48. *numer.* 25 *& seqq.* ac Doctores communiter, quos sequitur Pegna *in p.* 3. *schol.* 66.

Item

Item procedit non solùm contra illos, qui formaliter, ac verè sunt hæretici, sed etiam contra hæreticos præsumptivos, idest contra illos, qui præsumptione violenta juris hæretici reputantur, ut docet Pegna *p. 2. schol. 45. vers. gravissima est.* Nam juris præsumptiones, verè ac propriè probationes dicuntur *l. fin. in fin. ff. de probat.* Jason. *in l. 1. n. 9. cod. de milit. testam. & in leg. Licet Imperator, num. 8. ff. de leg. 1.*

Hæc autem præsumptio interdum oritur ex verbis, aliquando ex factis hæreticalibus. Verba enim, & facta sunt signa indicantia interiorem mentis conceptum ex Aristotele *lib. 1. de interpret. & ex l. si non convitii cod. de injur.* Ex verbis autem oritur præsumptio violenta, quòd aliquis sit hæreticus, quando publicè prædicat vel deffendit errorem, qui directè repugnat articulis fidei, aut Ecclesiæ definitionibus, aut Sacris Litteris, ut habetur *in cap. super quibusdam de verb. signif.* ac docet Ugol. *in exposit. Bull. Cœn. p. 2. c. 1. vers. Credentes, in princ. num. 1.* Eymeric. *p. 2. q. 35.* & Pegna *schol. 21.* ubi tradit septem regulas ad cognoscendum propositiones hæreticas.

Ex factis verò oritur præsumptio violenta de jure, quòd aliquis sit hæreticus. Primò si transeat ad ritus Judæorum, se circumcidendo, vel ad ritus Saracenorum, aut aliorum quorumuis infidelium. Hoc enim factum indicat hominem hæreticum, vel apostatam *cap. contra Christianos de hæret. in 6.* Secundò, si citatus ad respondendum de fide velut suspectus in ea, non comparuit, & in excommunicatione per annum perseveraverit animo pertinaci. Hic enim anno elapso, hæreticus ex hoc facto reputatur, ac veluti talis damnatur, *cap. cum contumacia de hæret. lib. 6.* Tertiò qui deficiunt in purgatione canonica, quam in causa fidei sibi indictam, præstare non potuerunt, tamquam hæretici condemnantur, *cap. inter sollicitudines de purgat. canon.* Quartò, qui post abjuratam hæresim, de qua convictus fuerat, cum hæreticis communicat, hæreticus reputatur, *cap. accusatus § ille quoque de hæret. in 6.* Quintò, qui cùm esset sanæ mentis in corporis infirmitate constitutus petiit hæreticum consolatorem, hæreticus habetur.

Ex his autem factis prima sunt illa, in quibus error manifestè exprimitur, & nullo modo possunt in bonam partem recipi. Ut si quis spontè dæmones advocaret, Idolis genua flecteret, ritu Judæorum circumcideretur, conciones hæreticorum frequenter audiret. Ex his enim ac similibus factis oritur violenta præsumptio contrà delinquentes, quòd sint hæretici. Et quamvis de ipsorum intentione formaliter non constet, potest tamen contra eos procedi, tamquam contra hæreticos, ut docet Albertinus *in tract. de agnoscend. assertionib. q. 32. num. 17. q. 34. num. 35. & q. 36. num. 18.* quem sequitur Pegna *Schol. 45. à d. vers. gravissima est.* Sunt etiam alia verba, vel facta, ex quibus aliquando vehementes, aliquando leves oriuntur hæresis suspiciones, de quibus Albertin. *loc. cit. q. 30. num. 60. ac sequen.* Symanch. *tit. 31. num. 14. & 15.* Eymeric. *p. 2. q. 55. & sequen.* ibique Pegna *Schol. 56. & 57. ac in 3. p. schol. 31. à vers. sunt jam alia facta.*

Procedit hoc itidem contra credentes hæreticis. Nam & ji sunt quoque hæretici, ut liquet *ex cap. penul. §. fin. de hæret.* Ideoque immunitate ecclesiastica non gaudent; Ac etiam contra Apostatas à Christiana fide. Hi enim in re non differunt ab hæreticis, ut desumitur ex D. Thoma *in 2. 2. quæst. 12. art. 1.* ac docet Suar. *tom. 5. de censur. disp. 21. sect. 2. num. 3.* Ugolin. *loc. cit p. 2. cap. 1. vers. & à Christiana fide apostatas §. 1. num. 1.* Et contra Schismaticos, quando Schisma habet hæresim conjunctam, ita quod ab Ecclesia sint divisi non solùm quò ad obedientiam, sed etiam quò ad fidem. Ut quia nolunt credere determinationibus Ecclesiæ de fide factis. Hi enim ut hæretici habendi sunt, ut docet Eymer. *in d. p. 2. q. 48. num. 4.* Secus verò quando schisma non haberet hæresim conjunctam, & Schismatici quò ad solam tantùm obedientiam essent divisi. Tunc enim ji non sunt habendi, ut hæretici, cum non habeant errorem in intellectu, neque pertinaciam in voluntate, ac per consequens immunitate Ecclesiastica gauderent.

Quò verò ad vehementer suspectos de hæresi contra quos judicio Inquisitores procedendum est ad comprehensionem, patet, quia error hæresis consistit in intellectu, qui declarari non potest, nisi per ipsius Rei confessionem, sicque requirit ejus examen, atque adeo quotiescumque delinquens hæresis suspicionem vehementer incurrit, ob favorem fidei, & ob bonum publicum, ne pestifera hæc lues latenter in aliorum perniciem, & Ecclesiæ damnum serpat, ab Ecclesia extrahendus est, ut Inquisitorum examini subjiciatur. Nam contra eum, veluti contra hæreticum procedi potest, quamvis de ejus intentione formaliter non constet. Atque ita docent Pegna *in annot. ad 2. p. direct. schol. 9. §. qui autem* Ambrosin. *de immun. cap 8. num. 10* Mar. Italia *eod. tit. lib. 1. cap. 5. §. 6. num. 59. & 140.* Farinac. *eod. argum. cap. 13. num. 175.* qui de inconcussa praxi testatur Curtell. *eod. tract. lib. 1. quæst. 38.* Lezan *in summ. v. Immunitas num. 14.* Lugo *loc. cit. disp. 25.* Dian. *p. 9. tr. 1. resol. 40. & p. 1. tr. 1. resol. 38.* Bonac. *disp. 3. quæst. 7. de immunit. pun. 4. num. 21.* Delben. *cap. 16. de immunit. dub. 22. num. 9.* Et declaravit generaliter de quocumque suspecto Sta. Congregatio S. Officii sub die 31. Augusti 1627. his verbis: *Hæretici, ac suspecti de hæresi possunt in Ecclesia capi, & ab illa extrahi.* Quia hujusmodi delinquentes non gaudent immunitate ecclesiastica. Quod scriptum fuit Episcopo Rhegiensi, qui consuluit, an id facere potuerit Inquisitor dictæ Civitatis extrahendo ab Ecclesia quemdam Blasphemum.

Neque obstat Gambacurta *lib. 5. cap. 38. num. 4.* qui hoc negat, sumpta paritate ex aliis delictis exceptis, in quibus suspicio non sufficit, ut reus Ecclesiæ immunitate non gaudeat, qua de re nos alibi. Primò quia id verum forsitan esset, quando suspicio esset levis. Nam ex levi suspicione non est ad Rei comprehensionem deveniendum, ut docet Pegna *d. schol. 9. §. Cœterum in fine, & p. 3. schol. 18. §. dixi vero.* Secundò quia sic absolutè, ac generaliter declaravit S. Congregatio.

Quòd autem ad absentes licet de jure civili non condemnetur definitivè reus in criminalibus, nisi usque ad relegationem *ex leg. absentem ff. de pœn. & ex leg. absentem Cod. de accusat.* Quia potest esse ut absens aliquam habeat justam causam se defendendi, in quo casu Jurisconsultus ait, *satius esse impunitum relinquere facinus nocentis, quam innocentem damnare*; dictæ tamen leges locum non habent in crimine læsæ majestatis humanæ, ut annotat Farinac. *de inquis. q. 11. num. 1.* multoque minùs in crimine Læsæ Majestatis Divinæ, atque adeo neque in causis ad S. Officium spectantibus, ut per Eymer. *p. 3. in 13. mod. termin. process.* ibique Pegna *comm. 33.* idem Farinac. *de hæres. q. 185. num. 93. & seq.* ubi multos allegat, Sous. *in aphorism. inquis. lib. 2. cap. 49.* ac Dian. *p. 5. tr. 10. resol. 35. & part. 4. tract. 5. resol. 89.*

Forma autem condemnandi hujusmodi reum absentem, si in actis S. Officii delictum plenè probatum non est, vel evidentia facti, vel propria confessione, neque sufficientibus testibus, ita ut delinquens non sit de hæresi convictus, sed tantùm de ea aggravatus,

hæc est. Citatur publicè in Ecclesia ut intra triginta dies compareat sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quæ Citatio tribus vicibus fit, iuxta formam *cap. cum contumacia de haret. in 6.* Quòd si in termino præfixo non comparuerit, excommunicatur, & si in excommunicatione per annum insorduerit, ut hæreticus formalis condemnatur, ejusque effigies, seu statua Curiæ sæculari comburenda traditur. ita Pegna *loc. cit. comm.* 49. Farinac. *ibid. numer.* 94. *ac seq.* Param. *de Orig. S. Inquis. lib.* 3. *quæst.* 4. *numer.* 6. *& seqq.* Castropal. *p.* 1. *tr.* 4. *disq.* 8. *pun.* 16. §. 3. *numero* 1. aliique. Ad hujus tamen rei defensionem admittitur excusator, allegans, reum sic citatum non posse intra terminum assignatum comparere. Et pro qualitate excusationum solet terminus prorogari ad comparendum, ut probat exemplo Castropal. *ubi supra num.* 2.

Si verò reus absens est plenè in actis S. Officii convictus de hæresi, tunc non est necesse d. formam servare, sed ordinato processu nulloque anno expectato, citatur, & ad sententiam proceditur, Symanch. *tit.* 45. *num.* 4. Scacc. *de judic. lib.* 1. *cap.* 98. *num.* 4. ac citati Doctores in suis locis.

Si autem reus contumax moriatur intrà annum, & ejus delictum plenè, & concludenter probatum non sit, sed contra illum, tamquam contra suspectum, procedebatur, tunc sistendum est, neque ulteriùs ad condemnationem deveniendum, nisi superveniant claræ, ac legitimæ probationes, ut docet Farinac. *quæst.* 197. *num.* 103.

Si autem obierit transacto anno contumaciæ, communior sententia est, condemnari posse, si probationes contra eum sufficerent, ad illum tamquam hæreticum condemnandum, Farinac. *ibid. num.* 93. Decian. *de tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 57. *num.* 6. Clar. *in prax.* §. *hæresis numer.* 19.

Ac insuper si reus absens, sic condemnatus, postea comparuerit, etiam post ejus statuam vel effigiem combustam, audiendus est ad probandam suam innocentiam, aut justum impedimentum non comparendi intra annum. Quia S. Officii Inquisitionis Tribunal, quocumque tempore concurrente, si reus compareat, semper illum audit. Est enim plenissimum pietate, ac misericordia erga quoscumque reos.

Certum etiam est, posse ac debere Inquisitorem procedere ad comprehensionem Rei præsentis qui extrà suam jurisdictionem deliquit, ne impunitus evadat, neve alios suo crimine commaculet. An verò possit ad ulteriora contra illum procedere, dubitatur. Videtur enim remittendum esse ad Judicem loci, in quo deliquit, cùm ibi sint punienda delicta, ubi sunt commissa, *cap. ult. de for. compet. cap.* 1. *de rapt. canon. semper* 3. *q.* 6. *& auth. ut nulli judic.* §. *si verò, & in l. capitalium.* §. *famosos, ff. de pœn.* Nam punitio delinquentis in loco delicti aliis transit in exemplum, & delictum faciliùs probatur in loco, ubi commissum est, quàm in alio, *Auth. ut omnes obediant judic.* Et quia Judex loci, in quo delictum est perpetratum, acquisivit jurisdictionem supra reum, ut possit illam exercere eum puniendo.

Hisce tamen minimè attentis, tenendum est, in crimine hæresis hanc remissionem locum non habere, sed posse hæreticum puniri ubicumque repertus fuerit. Docent hoc Paulus de Leazar. Et Zabarel *in Clem. pastoralis* §. *denique de sent. & re judic.* Guidopap. *dec.* 202. *numero* 2. Gondisalv. *de hæret. q.* 8. & alii, quos refert Covarr. *in pr. quæst. cap.* 11. *num.* 2. Quia hæreticus ubique delinquit, *l. Arriani, & leg. Manichæos. Cod. de hæret.* Jo. Andr. *in cap. ut commissi de hæret. in* 6. inquiens, hæreticus, ubicumque est malè credens, ibi peccat, ideoque ibidem puniri potest.

At licet hoc verum sit, nihilominus, si Inquisitor loci, in quo commissum est delictum, petat sibi remitti reum absentem, est ei remittendus, quamquam necesse non sit, ut tradunt Guido Fulcod. *in Consult. ad Inquisit. q.* 5. Covarr. *loc. cit. d. cap.* 11. *num.* 12. Royas *in singul.* 174. Pegn. *p.* 3. *comm.* 33. Quæ remissio fieri debet, etiamsi hæreticus publicè utrobique peccavit.

Annotat verò Pegna, quod in tali casu meliùs esset adjungere illi pœnitentiam iterabilem faciendam in iis locis, in quibus deliquit, ut in iisdem satisfaciat. Et ita etiam sentit Guido Fulcod. *loc. citat.* Multoque magis est remittendus, si in primo loco professus sit hæresim per actum exteriorem publicè, & in secundo occultè. Nam ad locum majoris delicti reus remittendus est, *l. si cui* §. *cum sacrilegium ff. de accusat.*

Ut autem hæc remissio jure fieri possit, non nulla sunt observanda ex Pegna eo loco, *vers. His ita constitutis.* Primò ut Inquisitori requisito constet de crimine extrà suam Diœcesim commisso. Quia non debet sine causa cognita reum remittere, ut tradit Cardinal. *in d. Clemen. pastoralis de sent. & re judic.* Secundò ut ei constet, crimen esse commissum in territorio Judicis requirentis, *l.* 1. *Cod ubi de crim. agi oport.* Tertiò, quòd non commiserit idem, vel aliud crimen in territorio Inquisitoris apud quem detinetur. Nam antequam remittatur debet ibi de tali crimine puniri, *leg. cui* §. *fin. & leg. fin. ff. de accusat.* Quartò, ut delictum sit grave. Quia pro minimo fieri non debet remissio, ut probat Gemin. *in cap. cum sit Romana* §. *contrahentes num.* 17. *de for. compet. in* 6. Et ideo pro levi hæresis suspicione non est facienda remissio. Quintò, non est necesse, ut remissio petatur inter subditos ejusdem Imperii, Nam Inquisitor à quocumque Inquisitore cujusvis provinviæ remissionem petere potest. Quia omnes sunt Romani Pontificis delegati, & crimen est merè ecclesiasticum, ratione cujus Inquisitores nulli Domino temporali subduntur. Sextò, licet exigatur, quòd remissio petatur fieri à minori Tribunali ad majus, vel saltem ab æquali, ut firmat Oldrad. *cons.* 134. Id tamen in crimine hæresis locum non habet. Quia justum est, ut in quo loco reus deliquit, pœnas luat. Quòd probant Royas *sing.* 174 *ex dicta auth. ut nulli judic. ff. de pœn.* Septimò, etsi remissio fieri debeat de condemnando, non autem de punito, & condemnato, ut per Bald. *in l. executorem Cod. de execut. Rei judic.* In hoc tamen crimine etiam in condemnato in uno loco remissio fieri potest, quia pœnitentia hujus criminis est iterabilis, ac imponi potest, ut fiat in diversis locis, ut tradit Zanchin. *de hæret. cap.* 8. *n.* 7. Guido Fulcod. *loc. cit. qu.* 5.

Ille autem dicitur apostata ab Ordine, sive à statu clericali, qui cùm ordinatus sit in sacris, deserit statum clericalem, vel cùm ordinatus sit in minoribus, vel saltem prima tonsura initiatus, beneficium obtinens deserit statum Clericalem, simul intendens beneficium retinere. Utroque casu peccat mortaliter, & puniri poterit ut apostata. Si autem in minoribus existens, beneficiumque non habens, deserit statum clericalem, non est Apostata, neque de hoc puniri potest. Dimittens verò habitum clericalem animo deserendi omnino statum illum, amittit omne privilegium clericale, etiam Canonis. Excommunicationem autem incurrit Clericus in sacris Apostata, contrahendo matrimonium, sed non est reservata, & potest absolvi post separationem, neque sufficit ad hanc pœnam matrimonium fictè contractum:

Neque

Neque contrahit suspensionem Clericus in sacris matrimonium contrahendo. Neque infamiam ipso jure incurrit Clericus in sacris Apostata, id est, qui deposito habitu clericali, vivit ut laicus. Est tamen infamiâ facti, quæ tollitur per pœnitentiam, & triennalem vitæ emendationem. In sacris uxorem ducens, non contrahit infamiam juris, sed facti. Item contrahit irregularitatem ex defectu ob bigamiam similitudinariam, super qua potest Episcopus dispensare post pœnitentiam, & vitæ emendationem, scilicet triennalem. Non tamen beneficiorum ecclesiasticorum privationem ipso facto incurrunt, ut fert sententia magis communis apud Sanch. *de matrimon: lib.* 7. *disp.* 43. *n.* 4. sed hæc & hujusmodi alia non sunt hujus loci.

Apostata verò à statu regulari is propriè est, qui in totum deserit statum religiosum. Undè distinguitur ab emansore, ac errone, & transeunte ad aliam Religionem sine licentia, & à fugitivo, qui non sunt apostatæ propriè dicti, ideoque non incurrunt in pœnas apostatis statutas, nisi tamen in certis casibus, quibus pro foro exteriori statutum est, ut tanquam apostatæ puniantur. Dicitur autem apostata propriè, etiamsi habitum retineat, si animo statum religiosum deserat, & ab obedientia recedat. Cum relegatis comprehensus non punitur in S. Officio, sicut neque simplex apostata punitur in S. Officio, sed à suis superioribus. Eius autem bona acquiruntur Religioni, & reditus debet recipi à suo Generali. Pœnas in huiusmodi apostatas latas recenset Thesaur. *in pr. v. Apostasia* 2.

Ratione apostasiæ tantùm à statu regulari Inquisitores non procedunt contra Regulares apostatas. Quia ut tales non censentur hæretici, neque de hæresi suspecti, ideoque judicio Inquisitorum non subjiciuntur. Verùm quia huiusmodidi apostatæ sunt excommunicati *cap. ut periculosa ne cler. vel monach in* 6. si in excommunicatione, & apostasia per annum animo indurato insorduerint, & ad Religionem redire noluerint, tam Inquisitores, quàm Episcopi contra eos procedere possunt. Quia tunc de hæresi suspecti, sunt juxta *cap. gravem de pœnit.* Et tradit Eymer. *p.* 2. *q.* 49. ibique Pegna *com.* 74. Duard. *in Bul. Cœn. lib.* 2. *can.* 1. *q.* 17. *num.* 32. Sanctarel. *de hæres. cap.* 41. *num.* 5. Peyrin. *tom.* 2. *in Constit. Pauli V. num.* 13. Dian. *p.* 5. *tr.* 12. *resol.* 3. *num.* 8. *& p.* 4. *tr.* 7. *resol.* 3. & Pellizar. *tom.* 2. *tr.* 8. *cap.* 8. *sect.* 3. *n.* 60.

Possunt etiam contra eos procedere intra annum in tribus casibus, tanquam de hæresi vehementer suspectos. Primò si à Religione transeant ad partes hæreticorum, vel cum eis communicent, vel aliquo modo eorum errores autorizent. Secundò si habitum regularem lacerent, conculcent, & blasphemias contra Religiones evomant. Hæc enim, ac, similia indicant male sentire de statu religioso. Tertiò si aliquid faciant contra determinationes Ecclesiæ, ut si uxores ducant, si cùm excommunicati sint, missam celebrent, si carnes diebus vetitis comedant, & similia, ut notat Zanard. *in direct. theolog. p.* 2. *præc.* 1. *cap.* 5. *§* 19.

Et quidem quod ad ordinatos in sacris ordinibus, & Regulares professos matrimonium contrahentes, etsi praxis Inquisitionis Hispanæ sit huiusmodi reis abiurationem de levi imponere, nisi qualitas personæ, & circumstantiæ concurrerrent, ut necesse esset ad abiurandum de vehementi illos cogere, ut si Clericus in sacris, vel Religiosus professus esset de provincia infecta Lutheranæ hæresis; nam tunc persona redderetur suspecta respectu suæ religionis, ut testantur Castropal. *d. p.* 1. *tr.* 4. *disp.* 8. *pun.* 16. *§.* 8. *n.* 2. Symanch. *de. cathol. instit. tit.* 40. *n.* 6. & in enchirid. *tit.* 12. *n.* 6. Diana *p.* 5. *tr.* 12, *resol.* 5. *n.* 3. *& p.* 4. *tr.* 7, *resol.* 5. *n.* 3. In Italia tamen, alijsque locis dicti rei abiurare solent de vehementi; quia male sentiunt de Ecclesiæ Sacramentis; ac sunt de hæresi vehementer suspecti, ut per Pegnam *p.* 2. *com.* 81. *vers. de eo.* Facinac. *de hæres. q.* 178. *n.* 68. & Caren. *p.* 2. *tit.* 17. § 3. *n.* 10.

Idemque dicendum est de marito, qui uxore vivente, sacros Ordines suscepit, nisi ipsa in monasterio de illius consensu priùs ingressa fuerit & professionem emiserit. Nam eadem pœna punitur, qui post sacros ordines susceptos uxorem ducit ac qui post consummatum matrimonium sacros ordines recipit. Parum enim refert, an matrimonium Ordines sacros subsequatur, vel illos præcedat, cùm in utroque casu & sacramento matrimonij, & sacrorum Ordinum, & Clericorum cœlibatu par fiat iniuria, ut observant Symanch. *cit. tit.* 40. *rubr. de matrim. n.* 14. Facinac. *q.* 183. *n.* 74. *&* Caren. *loc. cit. n.* 12.

Quid verò dicendum sit, quando Clericus in sacris, vel Religiosus professus non matrimonium, sed tantum sponsalia contrahit? Riccius *in prax. var. resol:* 373. negat crimen hoc spectare ad Inquisitores. Nam aliud est matrimonium, aliud promissio matrimonij; Aliud illud contrahere, aliud promissio de illo contrahendo *cap. penul. de elect. in* 6. *ubi Glos. v. exprimendum.*

Sed hoc minimè obstante verior sententia est ac usu recepta in tribunali S. Inquisitionis, quòd sic contrahens sponsalia, ut suspectus de hæresi subjiciatur foro & iudicio Inquisitorum. Eam tradunt Costa *de remed subsid. remed.* 15. *n.* 18. qui alios constipat, Diana *d. p.* 5. *tr.* 12. *resol.* 4. *n.* 10. *& p.* 4. *tr.* 7. *resol.* 4. *n* 10. Caren. *d. p.* 2. *tit.* 5. *§.* 6. *n.* 33. Idemque assero de eo, qui fictè matrimonium contrahit. Nam certum est, quod ij verè volunt uxorem ducere, & sic abuti Sacramento matrimonij, ex quo abusu oritur suspicio hæresis. Et licet in effectu non ducant tunc uxorem, dum tamen contrahunt sponsalia, ostendunt, quod sint dispositi ad illam ducendam. Quod sufficit, ut censeantur de hæresi suspecti. Nam crimen hæresis, etiam sola mente, & prava intentione perficitur, ut probat Menoch. *de arbitr. cas.* 370. *n.* 7.

Quæstuarii verò in aliquibus casibus subijciuntur Inquisitoris iurisdictioni. Primò prædicatores quæstuarij, qui in fidei negotio, quod ad illos nullatenus pertinet, se ingerunt, gentes ad se audiendum congregant, vel quomodolibet impedimentum S. Inquisitioni afferunt *cap. ut Officium § composcendi de haret. in* 6. Eymeric *p.* 3. *q.* 37. & Pegna *com.* 86. Secundò, qui prætextu indulgentiarum, vel facultatum à sede Apostolica concessarum, eleemosynas mendicant. Isti enim iuxta Constit. 30. & 99. B. Pij V. ab Inquisitoribus, & Episcopis puniri possunt, ut notat Passarin. *tom.* 2. *q:* 187. *n.* 61. Tertiò qui ex pacto, vel principali fine aliquid lucrandi, quærunt reliquias, aliasque res sacras vendere, locare, tradere, vel ostendere. Quia, ut docet Navar. *in sum. cap.* 17. *n.* 169. *& in can. inter verba* 11. *q.* 3. *concl.* 4. *& in com. can. cum minister* 23. *q.* 5. *& de orat. cap.* 6. *n.* 15. turpis quæstus dicitur, qui quæritur ex venditione, locatione, traditione, vel ostensione reliquiarum, aliorunque Sacrorum cum pacto, vel fine principali ob id aliquid recipiendi. Secus verò quando principaliter hoc fit ob honorem, ac reverentiam Sanctorum, & minùs principaliter, ut inde aliquid recipiatur.

Quæstuarij autem cum nominibus neophytorum puniuntur ab Ordinario, ut scriptum fuit Inquisitori Perusiæ sub die 14. Augusti 1624. Quæstuarij verò cum falsis litteris sub nomine Conversorum ad fidem catholicam puniuntur in S. Officio, ut decretum 27. novembris eiusdem anni, & 11. februarij 1625. Et duo quæstuarij sub fictis nominibus hæreticorum ad fidem catholicam conversorum fuerunt verberibus affecti, &

mulctati exilio à tota ditione ecclesiastica sub anno 1634. Superioribus autem Religionum ritè denunciatum est, ne committant laicis, aut Ecclesiasticis personis quæstuationem cum publicatione Indulgentiarum, de qua denunciatione certiorata fuit S. Congregatio S. Officij anno 1639. neve mittant per Italiam quæstuarios sub quovis privilegio, nisi fuerit illis concessum in specie, ac singulis vicibus per diploma Sanctitatis suæ, ut decretum anno 1640.

Possuntque Inquisitores procedere etiam contra mortuos hæreticos. Nam regula illa tradita *in l. 2. & 3. C. si reus, vel accusator mortuus fuerit, l. ult. C. de bon. eor. qui sibi mort. conscisc. l. in Senatus. §. si propter mortem ff. ad senat. consult. ac alibi*, morte delinquentis extingui etiam delictum, omnemque actionem contra illud, sive inquisitio sit intentata, sive intentanda ita, ut post mortem nullus accusari, vel condemnari possit, quia mortui divino iudicio sunt subjecti, non humano, ut notatur *in can. quorundam d. 23. & in can. ex epistola ibid.* non obtinet in crimine læsæ maiestatis divinæ & humanæ. Quia ob immanitatem facinoris, & ad maiorem illius detestationem, non extinguitur morte delinquentis, *cap. accusatus §. fin. de hæret. in 6. cap. filij, ibique Glos. eod. tit. & cap. siquis Episcopus eod.* ac ibi communiter Doctores, & probant Symanch. *tit. 18. n. 1. & seq.* Decian. *tr. crim. lib. 5. cap. 67. n. 1.* Pegna *p. 3. com. 93.* Param. *de orig. S. Inquisit. lib. 3. quæst. 4. nu. 78. & seq.* Farinac. *de hær. q. 197. n. 80.*

Facultas enim Inquisitoris procedendi contra hæreticum semper durat, nec unquam extinguitur. Unde quocunque tempore detectum fuerit, ac legitimè constiterit aliquem decessisse hæreticum, potest Inquisitor agere contra eum, ac declarare illum excommunicatum, atque inhibere, ne preces fiant, neve suffragia pro illius anima offerantur, utque cadaver exhumetur, comburaturque. Quia ne quidem mortuus hæreticus in loco sacro, & cum catholicis communicare potest. Qua de re suo loco. Et ita docent Pegna *loc. cit.* Sanchez *in decal. lib. 2 cap. 22. num. 38 & seq.* Symanch. *ubi supra numero 14. Et in enchirid. tit. 62. numero 7.* Param. *loc. cit. numero 83.* & Carena *par. 2. tit. 19. §. 2. numero 6.*

Contra suspectos verò de hæresi, etiam vehementer, non possunt Inquisitores procedere post eorum mortem. Nam hæresis suspicio, quantumvis vehemens sit, morte extinguitur, ut colligitur *ex d. cap. accusatos §. si verò de hæret. in 6.* & firmant Pegna *ibidem vers. alterum caput*, Symanch. *de cathol. instit. d. tit. 4. de accusat. num. 5. & tit. 18. de defunctis num. 13. & tit. 46. de pœnis. num. 77.* Royas *singul. 134. num. 11. & seq.* Caren. *loc. cit. §. 3. numero 7.* Farinac. *d. qu. 197. num. 104.* aliique communiter contra Paramum *lib. 3. de orig. Inquis. rubr. de ordin. judicij. num. 84.* At si de hæresi suspecti hæreticos vel eorum errores defenderint, possunt adversus eos, etiam post mortem Inquisitores procedere, quia isti pari jure cum hæreticis censetur, Zanchin. *de hæret. cap. 24.* Pegna *in d. p. 3. com. 92. vers. Cæterum.*

An autem contra hæreticorum credentes mortuos possint Inquisitores procedere? Negat Gondisal. *in tr. de hæret. q. 22. n. 8.* Affirmat Pegna *loc. cit. vers. sed in credentibus.* Quia in Concilio Bicteriensi *cap. 18.* ita *in d. cap. accus. §. si verò.* cum agitur de extincto crimine post mortem, solùm habetur sermo de fautoribus, receptatoribus, ac defensoribus, nullumque legitur verbum de credentibus. Ergo eorum crimen per mortem haud omnino extinguitur. Ab hac opinione non esse recedendum ait Pegna in illis, qui verè ac propriè hæreticorum credentes tam ex verbis, quàm ex factis judicantur, non autem in illis, qui impropriè credentes dicuntur.

Cur autem id fiat, ea ratio est, quia multi dum vivunt pro catholicis habentur, sed post mortem deteguntur hæretici, cujus rei exempla profert Pegna *loc. cit. vers neque enim incognitum est*; ideoque ratio postulat contra eos ab Inquisitoribus procedi, ut eorum memoria damnetur, bona proscribantur, eorum ossa exhumentur, ac extra locum sacrum proijciantur, & comburantur, ceu tradit Zanchin. *de hæret. cap. 24.* & notatur in instruct. Hispalensi anno 1484. *cap. 20.* Reliqua ad rem hanc in Consultatione de defensione hæretici defuncti.

Hac ipsa ratione possunt Inquisitores procedere contra scienter sepelientes hæreticos, vel eorum credentes, fautores, ac cæteros huiusmodi in loco sacro, quia sunt de hæresi suspecti. Nam qui scienter sepelit hæreticos, vel eorum credentes, receptatores, fautores ac defendentes, sunt ipso jure excommunicati juxta *Clem. 1. de sepult. & cap. quicunque de hæret. in 6.* nec absolutionis beneficium merentur, nisi propriis manibus publicè extumulent, ac proijciant huiusmodi corpora damnatorum, & locus ille perpetua careat sepultura, ut ait Pontifex.

Ex quibus patet, Ecclesiam, tanquam de hæresi suspectos persequi ac damnare eos, qui scienter sepeliunt hæreticos, vel eorum credentes, ac hujusmodi alios: quia facto indicant, & profiteri videntur, aut non debuisse Ecclesiam tales sepultura privare, aut pro eis esse orandum more Catholicorum, aut hujusmodi aliud; unde suspicio hæresis procul dubio oriatur. Eoque præsertim quia in eodem *cap.* quicunque, decernitur *Usque ad satisfactionem idoneam excommunicationis sententiæ se noverint subiacere.* Satisfactio autem idonea intelligitur abjuratio, purgatioque canonica *ex cap. ad abolendam §. præsentia, & ex cap. excommunicamus 1. §. qui autem de hæret. in 6.* Nam ille idoneè S. Officio satisfacit qui abjurat, vel se purgat, & mandata sibi iniuncta, exequitur, ut videtur sentire Archid. *in d. cap. quicunque v. idoneam*, ac proinde hujusmodi sepelientes sunt de hæresi suspecti, ac subijciuntur Inquisitorum jurisdictioni. Quod etiam docet Pegna *d. p. 3. com. 89. vers. quare verius est.*

Quinam verò per scienter sepelientes comprehendantur, aliqui aiunt solùm contineri propriis manibus sepelientem, ut Bonac. *de censur. in partic. disp. 1. quæst. 2. pun. 30. numero 6.* sequutus Navarrum *cap. 27. numero 51.* Henriquez & Cajetanum, qui tamen loquuntur in diversis terminis, scilicet *Clem. 1. de sepult.* Rationem afferunt, quia hi soli propriè dicuntur sepelire. Verba enim, quæ pœnam important, in rigoroso sensu accipi debent. Alij dicunt contineri sepelientem proprijs manibus inferendo cadaver in sepulchrum, ac etiam mandantem sepeliri, non autem aliter cooperantes, ut fodiendo, deferendo ad locum, cantando, associando, ut Suarez *disp. 12. de censur. sect. 4. numero 10. & disp. 23. sect. 4. numero 42.* Coninch. *de sacram. disp. 14. dub. 8. numero 68.* Filiuc. *tr. 12. cap. 5. numero 111.* Mercerus *de sacram. in 3. p. q. 21. dub. 7.* Megal. *in 3. p. lib. 2. cap. 6. q. 1. nu. 15.* ac Diana *p. 5. tr. 1. resol. 71. & p. 4. tr. 9. resol. 98.*

Verius tamen ac tutius est, contineri omnes cooperantes ad horum Ecclesiasticam sepulturam. Et primò continentur effodientes, gestantes feretrum, deponentes cadaver, item mandantes ac deferentes, crucem, clerici officij divinis, seu precibus funus ducentes & comitantes aliique cum luminibus associantes. Clerici itidem permittentes, cum ex officio tenerentur impedire, ut in simili docet *Glos. in d. Clem. 1. v. sepelire*, ibique Ancharanus, quos sequitur Franc. de Platea *in tr. de excom. §. 5. num. 14.* & Faber *de censur. in 4. sent. d. 21. qu. 1. disp. 4. num. 188.*

Et

Et facit, quòd etiamsi aliter dicant Doctores multi supracitati in casu *Clem.* 1. *de sepult.* restringentes magis significationem, illud tamen potest ibi forsitan procedere, quia ibi textus utitur particula *eos*, *qui*, & particula *sepelire*, &c. quæ sunt minùs universales. At in *d. cap. quicunque*, utitur textus particula *quicunque*, quæ de sui natura est valde generalis, & continet eos, qui aliàs non continerentur, Dec. *cons.* 113. *numero* 4. Seraph. *dec.* 980. *numero* 8. & utitur particula *tradere sepulturæ*, quæ latiùs patet. Nam continet admittentes, & funus ducentes, ut Doctores communiter in cap. quia in omnibus de usur. ubi textus eadem particula *tradere* usus est, ibique Abb. *numero* 2. ubi explicat de ijs, qui intersunt, & Anan. *numero primo* explicat de admittentibus, & eodem modo explicat Sayr. *libro quarto de censur. cap.* 15. *numer.* 5. ac Diaz *cap.* 117. *prax. canon.* eandem particulam positam *in cap. excommunicamus* §. *credentes de hæret.* explicat de omnibus interessentibus.

Ac etiam textus *in d. cap. quicunque*, procedat de hæreticis, & complicibus prædictis, etiam non denunciatis nominatim? Verius videtur sufficere si sit ipsorum crimen notorium, ut per Avil. *de censur. p.* 2. *cap.* 6. *disp.* 10. *dub.* 1. *concl.* 3. *in fin.* Filiuc. *tr.* 22. *numero.* 229. Pegna de lib. 3. *schol.* 111. *col.* 1. *& ult.* Sanch. *in decal. lib.* 2. *cap.* 9. *numero* 7. qui dicunt, non incurri hanc censuram, tanquam ob communicationem cum excommunicato, sed ob violationem præcepti facti sub pœna hujus censuræ, quamvis alii multi teneant, requiri, quòd fuerint prædicta eorum crimina, vel excommunicatio nominatim declarata, propter Extravag. Martini V. ut per Symanch. *cathol. instit. tit.* 18. *de defunct. numero* 9. Navar. *cons.* 10. *de hæret. qu.* 4. Suar. *de censur. d. disp.* 12. *sect.* 4. *num.* 11. Laym. *lib.* 5. *de sacrif. miss. cap.* 5. *numero* 8. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 13. *quæst.* 6. Sepeliens itaitaque, ut supra, hæreticum. vel fautores &c. fit suspectus de hæresi, & tenetur abjurare, ac se purgare ut per Pegnam. *d. part.* 3. *qu.* 40. *numero* 89. *ac lib.* 3. *schol.* 111. *col.* 3. & Farinac. *de hæres. quæst.* 142. *numer.* 49.

Consultatio CXXVIII.

De Inquisitorum jurisdictione in Judæos, & Infideles. In eos, qui ipsis injurias, & contumelias in Regulares imponunt. Quomodo ea illis concessa cum Episcopis, quando expiret. Del eorum remotione ab officio, & translatione ab uno ad alium locum. In quas pœnas, ob quas causas & quatenus incurrant, & à quo absolvi possint?

QUamvis Judæi, ac Infideles verè, ac propriè hæretici non dicantur, quia non dicitur hæreticus, qui non est baptizatus, neque dicitur ab Ecclesia divisus, qui nunquam in ejus gremio fuit, quare D. Paulus testatur 1. ad Corinth. 5. Judæos esse extra Ecclesiam Dei, dum ait: *Quid mihi de his, qui foris sunt*, hoc est de Judæis, *judicare?* & docent Royas *sing.* 37. *n.* 5. *& de hæret. p.* 2. *n.* 471. Albertin. *eod. tit. qu.* 6. *n.* 12. Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *can.* 1. *quæst.* 21. Farinac. *de hæres. qu.* 178. *numero* 128. alijque communiter; negari tamen non potest, quin saltem impropriè vocari possint hæretici ac puniri tanquam hæretici, ut per Jo. Andr. *in cap. firmissimè, numero* 3. *de hæret.* Duard. *loc. cit. num.* 5. Farinac. *d. quæst.* 178. *num.* 130, qui alios citat. Hinc est, quòd Inquisitores non habent jurisdictionem in Judæos, & Infideles, ex eo tantùm quòd tales, sunt; sed ex eo, quòd nobiscum in nonnullis casibus conveniunt, in quibus eorum jurisdictioni subiiciuntur, ut patet in Extravag. Innocentij IV. incip. *Turbato corde*, & expressiùs ex Constit. Gregorij XIII. *Antiqua Judæorum*, edita sub anno 1581. ubi Summus Pontifex declarat casus particulares, in quibus Inquisitores possunt contra Judæos ac Infideles procedere.

Primus est, *Si quis Judæus, aut Infidelis ex ijs, quæ circa fidem cum illis nobis sunt communia, veluti Deum unum, & æternum, omnipotentem, creatorem omnium visibilium & invisibilium, & similia non esse asseruerit, prædicaverit, vel privatim alicui insinuaverit.* In his enim nobiscum Judæi ac Infideles conveniunt in credendo, ideoque à Christianis non distinguuntur, eaque impugnando, dicuntur directè christianam fidem impugnare, & consequenter subijciuntur Inquisitorum jurisdictioni.

Secundus *Si dæmones invocaverit, consuluerit, aut responsa acceperit, ad illosve sacrificia, aut preces ad divinationem, aliamque causam direxerit, aut aliquid eis immolaverit, vel thuris, alteriusve rei fumigationes obtulerit, aut aliàs quævis impietatis obsequia præstiterit.* Quia in hoc etiam nobiscum Judæi, & Infideles conveniunt. Solus enim Deus adorandus est, illique soli preces fundendæ sunt, ac ipse solus futura novit. Dum ergo dicta, vel facta hæc negant, ab Inquisitoribus puniendi sunt.

Tertius. *Si Christianos verbo, vel facto, vel exemplo, aut quovis alio modo nefaria hujusmodi docuerit, vel ad ea perpetranda perduxerit vel perducere attentaverit.* In hoc casu tam hæc nefaria docentes, quàm illa addiscentes gravi pœna ab Inquisitoribus puniendi sunt, ut notat Zanchin. *de hæret. cap.* 3. *num.* 6. Royas *eod. tr. part.* 2. *assert.* 43. & Caren. *p.* 2. *tit.* 14. §. 8. *num.* 21.

Quartus. *Si Salvatorem, & D. N. Jesum Christum purum hominem, vel etiam peccatorem fuisse, matremve Dei non esse virginem, & alias hujusmodi blasphemias, quæ per se hæreticæ dici solent, in christianæ fidei ignominiam, contemptum, aut corruptionem, impiè protulerint.* Nam in his delinquunt, contemnendo, fidem nostram, & blasphemant hæreticaliter in contumeliam Christi, & Ecclesiæ, ideoque subduntur Inquisitoribus, ut per Decian. *in tr. crim. lib.* 5. *cap.* 14. *numero secundo* Royas *p.* 1. *num* 557. *& p.* 2. *asser.* 22. *num.* 68. Farinac. *quæst.* 178. *num.* 133. *Albertin. de agnoscend. assert. cath. qu.* 22. *numer.* 63. Alphons. à Castr. *de just. hæret. pun. libro primo cap.* 12. *in fin.* Lazar. *de blasphem. quæst.* 6. *numero* 10. alijque.

Quintus. *Si cujusvis eorum opera, auxilio, consilio, vel favore aliquis christianus à fide discesserit, quamque semel susceperat abnegaverit, vel ad Judæorum, seu aliorum infidelium ritus, cæremonias, superstitiones, vel impias sectas transierit, vel redierit, seu in hæresim aliquam inciderit, aut qui, ut Christi fidem abneget, seu in hæresim incidat, opem, consilium, favoremve quomodocunque præstiterit.* Tales enim sunt tanquam fautores hæreticorum judicandi. Quia vel ad hæresim amplectendam, & ad fidem catholicam deserendam Christianos suadent, atque inducunt, vel ut conversi ex Judæis, & Christiani effecti, ad eorum ritum redeant, consilium, auxilium, & favorem præstant. Quod etiam decreverat antea Nicolaus IV. in d. Extravag. *Turbato corde*, relata ab Eymerico *quæst.* 44. & Pegna *com.* 69.

Sextus. *Si quis cathecumenum, vel quemcunque ex Judæis*

Judæis, aut Infidelibus, Deo inspirante, ad fidem Christi venire volentem, post declaratam intentionem, nutu, verbo, facto, aut quocunque alio modo, à fide, vel fidei instructione, aut sacri baptismi susceptione retrahere, avertere, vel dehortari, aut ne ad fidem veniat, & novo regenerationis lavacro abluatur quovis modo impediverit. In hoc etiam casu procedere poterant ante dictam Constitutionem Gregorianam, ut ex Baldo *cons.* 315. *n.* 1. *vol.* 1. *& cons. seq.* Marquardo de Judæis *p.* 2. *cap.* 9. *num.* 3. Deciano *d. lib.* 5. *cap.* 12. *num.* 8. *& cap.* 14. *num.* 2. Farinac. *d. quæst.* 178. *numero* 143. & Caren. *d. p.* 2. *tit.* 14. §. 11. *num.* 26.

Septimus, *Si apostatas, seu hæreticos scienter domi receptaverint, aluerint, occultaverint, vel eis quomodolibet opem, auxilium, vel favorem præstiterint.* Quòd possint Inquisitores contra istos procedere tradunt etiam Symanch. *de Cathol. instit. tit.* 35. *numero* 11. Pegna *com.* 76. *vers. Judæi verò, & com.* 77. *vers. Judæi propterea*, Farinacius, qui alios allegat *cit. q.* 178. *num.* 103. *& quæst.* 282. *num.* 66.

Octavus. *Si libros hæreticos, vel thalmudicos, aut alios judaicos damnatos, vel alias prohibitos, retinuerint, divulgaverint, vel in quæcunque loca detulerint, aut ad eam rem opem suam accommodaverint.* De hac prohibitione extat etiam Constitutio Innocentij IV. cuius initium *Impia Judæorum*, & gravis Constitutio Clementis VIII. quæ incipit, *Cum Hebræorum malitia*, & decretum S. Congregationis supremæ Inquisitionis incip. *Cum sicut nuper.* post Directorium Inquisitorum, ac dicunt Pegna *in* 2. *p. direct. com.* 3. Bursat. *cons.* 90. *num.* 4. *vol.* 1. Farinac. *quæst.* 180. *num.* 10. *& nos alibi* fusè.

Nonus. *Si christianos deriserint, redemptionisque nostræ Hostiam salutarem in ara Crucis immolatam, Christum Dominum ludibrio habentes, quandocunque, maximè verò in sacro Parasceves die, agnum, seu ovem, vel quid aliud cruci affixerint, aut appenderint, & in eam consputaverint, seu quomodocunque contra eam fecerint.* Id etiam annotant Ricciul. *de jur. person. lib.* 1. *cap.* 52. *num.* 7. Sous. *in aphorism. Inquis. lib.* 1. *cap.* 37. *à num.* 10. Scortia *in Bul. Pontif. theor.* 347. Azor. *tom* 1. *lib.* 8. *cap.* 22 *quæst.* 12. Campeg. *ad Zachin. cap.* 36. *lit. B.* Symanch. *tit.* 35. Canter. *in quæst. crim. cap.* 1. *de hæret. num.* 72. *& Caren p.* 2. *tit.* 14. §. 14. *nu.* 30. *in fine.*

Decimus. *Si nutrices christianas contra Sacrorum Canonum statuta, diversorumque Pontificum sanctiones retinuerint, aut eas retinent die, qua receperunt sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum lac, una, vel pluribus diebus in latrinas, cloacas, & alia loca effundere coegerint.* De hisce Judæis cogentibus nutrices lac in cloacas effundere post sumptum corpus Christi agit textus *in cap. & si Judæus de Judæis*, & tradit Calderin. *cons.* 2. *de Jud.* & Campeg. *ad Zanchin. cap.* 36. §. *delinquens.* Neque licitum est Judæis retinere nutrices extra suas domos, ut pluribus relatis probant Sanch. *lib.* 2. *in decal. cap.* 31. *numer.* 13. & Ricciul. *loc. cit. lib.* 2. *cap.* 28. *nume.* 17. Tum quia sive in domo propria, sive extra illam retineantur nutrices, semper ob familiaritatem adest periculum subversionis. Et tum quia est contra decorem christianæ Religionis, ut nos, qui sumus filij liberæ, serviamus filiis ancillæ, qui sunt Judæi, quæ est ratio *d. cap. Etsi Judæos.* Unde Riciullus *numero* 12. & Sanch. *nu.* 20. locis citatis firmant, non posse Principes seculares, neque Episcopos dispensare, ut à Judæis nutrix christiana extra domum retineatur.

Undecimò. *Possunt etiam Inquisitores procedere contra Iudæos abradentes in Bibliis verba, quæ Christo convenire possunt, vel tripudiantes, ornatiùsque incedentes feria* 6. *Parasceves*, ut docent Alexand. *cons.* 233. *numer.* 6. *vol.* 6. & Lazar. *de blasph. quæst.* 2. *numer.* 33.

Duodecimò. *Possunt procedere contra Judæos, sibi ignem accendi facientes a christianis in die sabbati, vel eis utentes in servitijs vilibus, ac similiter contra Christianos inservientes. Nam hæc omnia tendunt in decorem cultus judaici & in ludibrium Religionis Christianæ. Sic enim Judæi, se Christianis superiores ostendunt in ijs quæ possunt*: Et ita cavetur in Constit. Nicolai V. quæ incipit *super gregem Domini* §. *Nec possunt*, edita anno 1447. testatur Ricciul. *d. lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 18. & sic pluries decrevit S. Congregatio supremæ Inquisitionis ut refert Carena *par.* 2. *tit.* 14. §. 16. *numero* 37.

Tertiodecimò. *Pœnæ, quibus puniendi sunt prædicti Judæi, ac Infideles hujusmodi delicta perpetrantes, sunt privatio communionis cum Christianis, pœna pecuniaria, pœna carceris, & pœna verberationis. Si verò scelus sit atrox, etiam relinqui poterunt Curiæ seculari.* Nam quoties pœna relinquitur arbitrio Judicis, ut fit in dicta Constitutione Gregorij XIII. si crimen sit ingens, Judex potest arbitrium extendere ad pœnam capitalem, ut per Zanchin. *de hæret. cap.* 36. *n.* 4. Repert. Inquis. *v. Judæus* §. *sed circa prædicta*, Pegnam *p.* 2. *com.* 69. Castrop. *tom.* 1. *tr.* 4. *disp.* 8. *pun.* 16. *numer.* 1. Farinac. *d. q.* 178. *num.* 146. & Dian. *p.* 5. *tr.* 12. *resol.* 2. *& p.* 4 *tr.* 7. *resol.* 2.

Plura de Judæis plurimis in locis à nobis dicta sunt, eos adi.

Pariter possunt Inquisitores procedere contra Iudæos transeuntes ad Saracenos, & contra ipsos Infideles in illis quidem casibus, in quibus Iudæi ac Infideles abnegant dictis, vel factis illa, quæ cum Christianis conveniunt, & credere tenentur, de quibus supra. Quia licet Eclesia contra Infideles non habeat iudicium quoad pœnam spiritualem eis infligendam, habet tamen iudicium super aliquos Infideles quoad pœnam temporalem, ut per D. Thom. 2. 2. *q.* 10. *ar.* 9. *ad* 2. Ostiensem, & alios cum Innoc. *in cap. quod super his de vot.* & tradunt Eymer *p.* 2. *q.* 46. ibique Pegna *com.* 71. *vers. si ergo*, Alphons. à Castro *lib.* 2. *de iust. hæret. punit. cap.* 14. *vers. prima igitur belli causa*, & alij communiter.

Idque maximè quod ad Judæos. Constat namque quod quamplurima in lege Saracenorum continentur, quæ veritati sacræ Sripturæ non adversantur, & Iudæis, ac nobis communia sunt. Quare sicuti puniri debent Iudæi colentes Idola, vel Sacrificia illis offerentes, aut dæmones invocantes, ita puniendi sunt, si ad aliam sectam transeant, in cuius ritu contineantur contraria ijs, quæ Iudæi nobiscum tenent. Hoc tuentur citati Doctores, quibus addo Campeg. *ad Zanchin. de hæret. cap.* 36. *lit. B.* Carenam *d. tit.* 14. §. 6. *nu.* 18. Dianam *d. p.* 5. *tr.* 12. *resol.* 2. *num.* 7. *& p.* 4. *tr.* 7. *resol.* 2. *num.* 7. Quod certum puto post adductam Constitutionem Gregorianam, dum in ea expressè tribuitur Inquisitoribus potestas contra Judæos negantes quæ habent communia circa fidem cum Christianis. Unde contraria sententia nunc sustineri non potest. Pœna autem acerbior Judæis imponenda est pecuniaria, ut ait Pegna *loc. cit.* Sunt enim genus hominum avarissimum.

Possuntque Inquisitores punire eos, qui ipsos afficiunt injuria, præcipuè si injuria est publicè illata. Quia, licet nemo sit sui ipsius Judex neque in causa propria, nihilominus tamen quando injuria illata redundat contra bonum publicum, & in contemptum propriæ iurisdictionis, tunc Iudex procedere potest contra se afficientes iniuria, quia sic potiùs tuetur iura suæ potestatis, quàm suæ personæ honorem, ut

probat

probat Carena *d.p.* 2 *tit.* 17. §. 8. *&* 9. *n.* 27. *& seq.* Qui autem Inquisitorem iniuriat, offendit S. Inquisitionis Officium, quod eò est cœteris venerabilius, quo sanctius, ut per Zanchin. *de hæret. cap.* 31. ibique Campeg, Symanch. *de cathol. instit. tit.* 34. *num.* 28. Farinac. *de hæres. quæst.* 182. *num.* 79. *& seq.* Carena *loc. cit.* ubi notat, qua pœna talis injurians sit puniendus. Quod sanè intelligendum est de injuria verbali, nam quod ad injurias reales extat Constitutio B. Pij V. *si de protegendis.*

Regulares similiter de hæresi suspecti subijciuntur Inquisitorum jurisdictioni. Quia licet olim ex Indulto Clementis. VII. Carmelitis concesso, Regulares essent exempti in casu hæresis ab Inquisitoribus, eorumque Prælatis, etiam in his casibus, subjecti essent, hoc tamen privilegium abrogatum fuit à Paulo V. in sua Const incip. *Romanus Pontifex*, edita 1. Septembris 1606. in qua decrevit, similes causas solùm spectare ad Tribunal S. Officij, ac præcepit sub gravibus pœnis tam Prælatis Religionum, quàm ipsis subditis, ut Religiosos de hæresi suspectos denuncient Inquisitoribus, aut Ordinarijs locorum, ut tradunt etiam ex ipsis Regularibus Lezan. *in sum. tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 18. Peyrin. *tr.* 2. *in const.* 27. *Pauli V.* Polliz. *tom.* 2. *tr.* 8. *cap.* 6. *sect.* 1. *num.* 14. Bordon. *tom.* 1. *cap.* 27. *num.* 26. *& seq.* ubi probat, Inquisitores posse ac debere denunciationes quoque contra ipsos Religionum Generales recipere, ne eorum delicta remaneant impunita, perperam subdens contra eos non posse ultra procedere, sed admonendum esse supremum Tribunal, ut doceat quid agendum, de quo alibi dictum.

Porrò Jurisdictio Inquisitorum est eis concessa cumulativè, non autem privativè cum Episcopis. Episcopi enim procedunt de jure communi non solùm contra suspectos de hæresi, sed etiam contra hæreticos, per textum in cap. præsidentes, cap. statutum, cap. ut Inquisitionis de hæret. in 6. Immo contra prædictos procedere possunt seorsum ab Inquisitoribus, ut liquet *ex cap. per hoc de hæret. in* 6. Ideoque jurisdictio Inquisitorum nullo modo præjudicat jurisdictioni Episcoporum, & censetur concessa cumulativè, non privativè juxta ea, quæ docent Glossa, & Panorm. *in cap. ad abolendam de hæret.* Scacc *de judic. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 67. *num.* 9. Decian. *tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 21. *num.* 10. Sylvest. *v. hæreticus* 2. *num.* 10. Royas *sing.* 28. *num.* 2. Gondisalv. *de hæret. qu.* 7. *numero* 9. Symanch *de cathol. instit. tit.* 25. *num.* 4. Diana *par.* 1. *tr.* 10. *resol.* 3. *& p.* 4. *tr.* 8. *resol.* 2. & Farinac. *de hæres. quæst.* 186. *num.* 38.

In Inquisitione verò Hispanica inductum est, ut de hæresi soli Inquisitores cognoscant, & Episcopi sive per se, sive per suos Vicarios Inquisitoribus assistant, nec possint separatim ab Inquisitoribus de causis hæreticalibus cognoscere ac denunciationes, sibi factas, teneantur ad ipsos Inquisitores remittere, ut tradunt Sanctarel. *de hæres. cap.* 40. *dub.* 2. *num.* 15. Molin. *de just. tr.* 5. *disp.* 28. *num.* 12. *& seq.* ac Diana *loc. cit.* & alij, quos ipse allegat.

Nec solùm jurisdictio Inquisitorum non expirat ob mortem delegantis, sed etiam extenditur ad negotia nondum cœpta, & de novo exorta, ut scribit Clemens IV. Inquisitoribus hæreticæ pravitatis *in cap. Ne aliqui de hæret. in* 9. *his verbis. Ne aliqui dubitationem excitantes, in dubium revocent, an Officium Inquisitionis hæreticæ pravitatis sollicitudini vestræ certos limites ab Apostolica sede commissum, expiret per mortem Romani Pontificis, qui commisit, præsenti declaramus edicto, ipsum Officium non solum quod ad negocia vivente mandatore incepta, immo etiam quantùm ad integra, & non cœpta, & quod plus est, quantùm ad ea, quæ tunc nequaquam emerserant, in favorem fidei post committentis obitum per durare.* Traditque Eymeric. *p.* 3. *direct. qu.* 7. ibiq; Pegna *com.* 56. in verum esse quocunque modo sit Inquisitor constitutus sive ad beneplacitum Sedis Apostocæ, sive Romani Pontificis non expirare ejus officium morte delegantis, donec aut expressè, ac nominatim fuerit revocatus, aut nisi in litteris creationis contrarium caveretur. Idque propter singularem fidei favorem, ne incidat aliquis casus, in quo aut in hæreticos non inquiratur, aut eorum punitio vel omitattur, vel differatur. Quod etiam docent Zech. *in sum p.* 1. *tit. de fid. rubr. de hæres. cap.* 12. *num.* 13. *Azor. p.* 1. *cap.* 28. *qu.* 7. Farinac. *de hæres. qu.* 186. *num.* 20. Castropal. *p.* 1. *tr.* 4. *disp.* 8. *pun.* 12. §. 2. *num.* 16. & Diana *p.* 5. *tr.* 10. *resol.* 2. *& p.* 4. *tr.* 8. *resol.* 19.

Et quamvis olim Inquisitores nedum à Summo Pontifice, sed etiam à Ministro Generali ac Provinciali Ordinum S. Dominici & S. Francisci eligebantur, & ab eisdem etiam poterant de loco ad locum transferri, ac removeri, quando id sibi visum fuerit expedire, ut constat ex Constit. Innocentij IV. edita anno 1254. quæ incipit, *licet ex omnibus* & Clementis IV. edita anno 1265 quæ est ejusdem initii, traditque Pegna *p.* 3. *com.* 58. Farinac. *de hæres. qu.* 186. *num.* 32. & alij. Nunc tamen Inquisitores pro tota Italia eliguntur ab Eminentissimis Cardinalibus S. Congregationis supremæ Inquisitionis, & in Hispania ab Inquisitore generali, & ideo ab istis, & à summo Pontifice, quando eis expedire visum fuerit, possunt removeri ab Officio, vel à loco ad locum transferri.

Absque ulla tamen causa nec aliunde transferri, neque ab officio removeri possunt. Tum quia in decretis & Constitutionibus, in quibus potestas conceditur Inquisitores mutandi ac removendi, semper adduntur illa verba: Si ita expedire visum fuerit, vel si ita vobis videbitur. Quæ verba, ut cum alijs probant Menoch. *lib. de arbitr. qu.* 8. *num.* 5. & Pegna *p.* 3. *com.* 59. important boni viri arbitrium, jure, causaque rationabili regulatum. Et tum quia sic Inquisitoris officium diligentiùs exercetur, fideique negotia exactiùs actitantur, & magis Inquisitores reverentur, ut observant Eymer. *d. p.* 3. *quæst.* 10. Pegna *d. com.* 59. Locat. *in judicial. v. Inquisitor num.* 38. *& num.* 40. Farinac. *q.* 186. *n.* 35. Azor. *loc. cit.* Zech. *ibid. cap.* 11. *num.* 13. & Castropal. *ubi supra num.* 20.

Causæ verò, ob quas Inquisitores transferri possunt de loco ad locum sunt, Prima quando Inquisitor est ad negotia fidei exercendum valde aptus, & locus, ubi manet non indiget persona ita solerti, sicut indiget alter locus. Secunda quando contra eum suscitatæ sunt rixæ, & odia capitalia, quia processit contra nobiles ac insignes personas, & timetur de illius damno, & de aliquo scandalo. Tertia quando non bene se habet cum illius loci Principe. In istis duobus posterioribus casibus erit Inquisitor de meliori Inquisitione providendus ne videatur puniri ubi non meretur.

Ad removendum verò Inquisitorem ab officio, requiritur vel impotentia, vel negligentia, vel iniquitas. Impotentia est causa sufficiens. Quia officium datur, ut exerceatur. Qui autem illud exercere non valet, removendus est. Impotens autem dicitur primò infirmus modo perpetuo, vel quasi perpetuo, quia ob infirmitatem ad tempus constitui potest Vicarius, qui ejus impotentiam suppleat, sicuti etiam si justa de causa pro limitato tempore ipse Inquisitor absens esset. Secundò senex qui rectum judicium amisit, aliàs minimè. Tertiò ignarus, qui nesciat ea, quæ ad exercendum hoc officium expostulantur.

Secunda causa est negligentia, quæ in quolibet Officio sufficiens est ad removendum eum, qui illam committit *per can. si qui Episcopi* 1. *qu.* 1. *l. ult. ff. ubi pupil. educ. deb.* cum aliis, ac do ent Glos. *in cap. Excommunicamus de hæret.* Bald. & Jas. *in l. argentarius* §. *ult. ff. de*

ff. de eden. In hac autem negligentia incurreret Inquisitor, si contra hæreticos, deque hæresi suspectos vel non procederet, vel non debito tempore, ita ut reus fugam arriperet, aut interim hæresim disseminaret. Et sive Episcopus, sive Inquisitor negligens fuerit in hæreticos inquirendos, ac puniendos, eius negligentia gravis fuerit, pœnam fautoris hæretici etiam incurrit *ex can. qui potest obviare 23. qu. 3. cap. quanta de sent. excom.* & notat Farinac. *d. q.* 186. Rebuf. *in expos. Bul. Cæn. art. 1. v. fautores*, ubi probat, illos incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ.

Cùmque *d. Clem.* 1. §. *Verum*, statutum sit, quod si odij, gratiæ, vel amoris, lucri, aut commodi temporalis obtentu, contra justitiam, & suam conscientiam Episcopus, aut Inquisitor, aut alii ab eis substituti, ad executionem S. Officii omiserint contra quemquam procedere, ubi fuerit procedendum super hæretica pravitate, aut obtentu eodem pravitatem ipsam, vel impedimentum Officii sui alicui imponendo, eum super hoc præsumpserint quoquo modo vexare, Episcopus, aut Episcopo superior suspensionis ab officio per triennium, alij verò excommunicationis sententiam ipso facto incurrant; à qua quidem excommunicatione, nisi per Romanum Pontificem, excepto mortis articulo, & tunc satisfactione præmissa, absolutionis beneficium nequeant obtinere, nullo in hac parte privilegio suffragante.

Ideo annotandum est, quod suspensio contra Episcopos lata, hìc expressè non reservatur; tamen cùm sit lata ad certum tempus, intra illud est de jure communi Papæ reservata, ut per *Glos. in d. Clem. I verb. Excommunicationis sententia*, Suar. *de censur. disp.* 29. *sect.* 1. *num.* 15. Gutier. *can. quæst. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 6.

Nec dictas pœnas incurrunt prædicti, si omittant procedere non odio, vel favore, sed rationabili timore alicujus mali, sive damni, sive scandali. *Glos. ibid. v. obtenta &* Imol. *num.* 17. Vitæ *nu.* 162. Locat. *v. Ital. Inquisitor num.* 19. Et similiter non incurrit has pœnas, qui ex ignorantia procedere omittit, sed qui cùm intelligeret, & sciret esse procedendum odio, vel amore, vel pretio, vel prece, contra justitiam & conscientiam propriam omiserunt procedere, ubi fuerat procedendum aut processerunt cùm non debuissent. Dictas autem pœnas incurrunt etiam ob actum internum, id est odij, vel amoris. Vel quia lex potest punire ac punit hìc actum exteriorem, de se malum gestum cum tali intentione mala, ut per Suar. *de censur. disp.* 4. *sect.* 2. *numer.* 21. qui ideo putat, non fore locum huic pœnæ, si Inquisitor imponat pœnam justam, etiamsi rigorosam; vel secundum alios lex hìc punit actum internum, quatenus actus internus est ratio actus exterioris, exterioremque moderatur, afficit, depravat, & corrumpit, ut in hac specie docet Salas *de legib. disp.* 9. *sect.* 1. *num.* 7. Cajetan. *in sum. v. Excommunicatio cap.* 3. & Sayr. *in clau reg. lib.* 3. *cap.* 6. *in fine.*

Tertia causa est iniquitas, quando scilicet in suo Officio tam sacro, tamque ab omni iniquitate alieno deliquit, ut quia exempli gratia pecuniam, vel quidpiam aliud pretio æstimabile prætextu S. Officij extorsit, ut habetur in *d. Clem. v. pecuniam de hæret.* vel quovis alio crimine, sit infectus, præcipuè si scandalum generat. Inquisitoris enim officium exigit viros honestate, prudentia, doctrina, omnique virtute conspicuos, juxta Constit. Urbani IV. *præ Cunctis.*

Unde Inquisitores sub prætextu Officij pecuniam extorquentes incurrunt pœnam excommunicationis ipso facto, à qua absolvi non possunt, nisi in articulo mortis, & facta restitutione. Ita decernitur *in Clem.* 2. *de hæreticis*, ibique notat Glossa & Anchar. *in* 3. *notab. num.* 5. Zabarel. *in sum.* §. *Inquisitoribus*, ac Sylvest. *v. hæreticus* §. 2. *num.* 13. & alij cum Sanch. *in decal. lib.* 2. *cap.* 20. 3. Item privantur officio, ac puniuntur aliis pœnis arbitrio suorum Prælatorum ut ex eadem Clementina. Nunc verò consequenter ad dicta puniantur arbitrio S. Congregationis Inquisitionis Romanæ.

Et licet textus *in d. Clem.* 2. videatur loqui solùm de Commissariis Inquisitorum, & Episcoporum S. Officium exercentium, communis tamen sententia intelligit hanc pœnalem Constitutionem etiam procedere contra ipsos Inquisitores, si ipsi concutiant, seu pecunias extorqueant injustè, ut per Suar. *de censur. disp.* 23. *sect.* 5. *numero* 24. Glos. *in d. Clem. notab.* 2. ibique Imol. Vitalin. & Anchar. *numer.* 5. Augel. *v. excommunicatio* 7. *cas.* 42. Sylvest. *eodem. verb.* 9. *cas.* 42. *numero* 81. At Episcopi, alijque Prælati Episcopalem jurisdictionem habentes, eorumque Vicarij Capitulares, sede vacante, *in d. Clem.* non continentur, quia non sunt ibi expressi, neque in genere, neque in specie, & non continentur in odiosis nomine Inquisitorum, ut per Sanch. *loc. cit. num.* 6. Pœnæ enim non sunt extendendæ ultra casus & personas expressas, *cap.* 15. *is qui de sent. excom. in* 6. Fortè quia Episcoporum dignitati summus Pontifex deferre voluit, *cap.* 2. *de offic. deleg. in* 6. Nec dici potest, eos includi nomine Inquisitorum. Quia Episcopi solent speciatim nominari in omnibus ad S. Officium spectantibus. Eò vel maximè, quia textus exprimit Commissarios Inquisitorum, & Episcoporum. Quod non fieret, si Episcopi nomine Inquisitorum comprehenderentur.

Id tamen limitatur, ut *d. Clem.* 2. solùm puniat crimen concussionis, scilicet extorsionis prætextu hujus publici Officij, non autem si extorsio fiat alio prætextu, ut notat Vitalin. *ibi num.* 49. & Suar. *loc. cit.* Neque procedit, si reus sponte offerat munus, ut mitius tractetur, quàm ipse mereatur, Sanchez *ibidem.* Neque esset locus pœnæ, si quis offerret munus Inquisitori ad redimendam injustam vexationem, si tamen illa vexatio non inferretur ad effectum pecuniæ extorquendæ, sivè muneris. Quia id non est crimen concussionis, ut per Vitalinum, & Suarez locis citatis, & Sanctarel. *de hæres. cap.* 40. *num.* 29. *in fin.*

Notandum autem est, quod ista excommunicatio non est reservata, satisfacta parte. Quod observat etiam Vitalin. *in d. Clem. num.* 99. ibique Cardinal, *v. Inquisitoribus num.* 5. ac Imol. *num.* 9. Suar. *loc. cit. num.* 27. Sanch. *ibid. num.* 18. & Farinac. *ubi supra numer.* 143. ac alij, licet contrarium sustineant Eymer. *d. p.* 3. *q.* 24. ibique Pegna *com.* 73. ubi aiunt hanc absolutionem esse Papæ reservatam, præterquam in mortis articulo. Satisfactio autem consistit in simplici restitutione, vel illius depositione in loco tuto, ac apud fidum Confessarium, ut ipse restituat, si creditor sit absens, ut per Sanch. *loc. cit. numer.* 18. Et quamvis textus d. Clem. prohibeat, irritetque omnem remissionem sive condonationem restitutionis, non tamen prohibet retrodationem, quam concussus faceret Officiali post satisfactionem ac realem restitutionem sibi factam, ut in simili de distributionibus tradit Bonac. *de hor. canon. qu.* 5. *pun.* 4. *num.* 10. Si tamen Inquisitores, & Commissarij sint pauperes, nec restituere valeant, possunt absolvi, non facta restitutione. Nam illa restitutionis conditio est intelligenda, si extorquentes possint restituere; unde quando paupertas excusat, poterunt absolvi ex doctrina Gloss. *in d. Clem. v. satisfecerint*, Imola *ibid. num.* 7. *&* 9. Zabarel. *in* 1. *oppos. numero* 5. Vitalin. *numero* 92. Anton. *p.* 3. *tit.* 24. *cap.* 8. Sylvestr. *d. v. excommunicatio* 5. *cas.* 4. *qu.* 17. *& seq.* Navar. *cap.* 27. *num.* 142. Sanchez *loc. cit. nu.* 19. & Farinacius *ubi supra num.* 142.

CONSULTATIO CXXIX.

De Inquisitorum Vicarijs, sive Commissarijs. A quo eligantur. Quas conditiones habere debeant. Quot Inquisitor instituere possit. Quosve. Quibus gaudeant privilegiis. A quo recipiant jurisdictionem. Quam facultatem subdelegare possint. De eorum præcedentia; & exemptione ab observantijs regularibus, ac remotione de loco ad locum. Eorumq; jurisdictio quando expiret, ubi demum de Inquisitoribus eorumq; Vicarijs, sive Commissarijs plura effata proferuntur, aliqua de Consultoribus.

Isti eliguntur à summo Pontifice, vel à supremo S. Inquisitionis Tribunali, ac eligi etiam possunt ab ipsis Inquisitoribus. Cùm enim Inquisitores sint delegati summi Pontificis, habent facultatem alios delegandi, ut superiùs dictum est ex *cap. ne aliqui de hæret. in 6. ex cap. super quæstionem de offic. Iud. deleg.* & ex Constit. Clementis VII. *Cùm sicut*, tradu ntque Eymer. *p. 3. q. 13.* ibique Pegna *com. 62.* Dec. *in cap. Cùm causam. de appel. notab. 4.* Zanchin. *de hæret. cap. 30.* ibique Campeg. Royas *sing. 97.* ac cœteri. Quæ facultas ita conceditur, ut Inquisitor ipse solus absque sui Ordinis Prælatis possit Vicarios, sive Commissarios sibi instituere, ut firmant Eymer. *q. 14.* & Pegna *com. 63.*

At nihilominus hodie Inquisitores non possunt eligere Vicarios, nisi de licentia S. Congregationis, ut decretum sub die 4. Maij 1610. Illosque deputare non possunt, nisi in locis, in quibus resident Vicarij foranei Curiæ Episcopalis, & deputantur tantùm pro denunciationibus recipiendis, quia integros processus non possunt sine licentia Inquisitoris construere, ut decretum eodem die ac anno.

Conditiones autem, quas debent habere his paucis verbis expressit Clemens VII. in d. Cóstitutione. *Decernimus insuper, ut vestros Vicarios, seu Commissarios instituere valeatis, viros vestra sententia providos, aptos, & idoneos dummodo ætatis trigesimum annum attigerint.* Quandoquidem minor ætas in his requiritur, quàm in Inquisitoribus, quia rarò eis committitur integra Inquisitorum potestas.

Possunt plures Vicarii institui, quando Inquisitoris Provincia multas continet civitates, & loca, ita tamen, ut non excedant numerum Vicariorum foraneorum, quos Episcopus deputat in sua diœcesi. Quia numerus, quem prudens Episcopus arbitratus est sufficere in sua diœcesi, multò magis sufficiet ad S. Officium Inquisitionis, in quo minor numerus causarum agitari solet quàm in Episcopi Tribunali, ut etiam observat Carena *p. 1. tit. 11. n. 4.*

Possuntque institui Vicarii Regulares alterius Ordinis, ac etiam Clerici seculares. In Constitutionibus enim Pij II. *Cum dudum*, & in citata Clementis VII. ac in *Clem. 2. de hæret.* non exprimitur, quòd Vicarii, sive Commissarij assumantur ex Ordine ipsius Inquisitoris, ideoque olim in Inquisitorum arbitrio erat eligere hos vicarios alterius Ordinis Regulares, vel Clericos seculares, dummodo haberent adductas conditiones, quamvis non deessent sui Ordinis viri periti, ac idonei ad hoc munus exercendum, ut annotavit Bordon. *tom. 1. cap. 39. num. 7.*

Non omnes tamen in omnibus gaudent eadem facultate, neque eisdem privilegijs. Nam Vicarij electi à Sede Apostolica, quamvis sint subdelegati, habent eandem cum delegato facultatem, & prærogativam, *l. ult. C. ut dignit. ord. servet. & l. suggerente C. de Offic. eius, qui vicem Iudic. obtin.* & tradunt Abb. & Dec. *in cap. sanè 2. de offic. deleg.* Atque adeo sicut Inquisitor, qui est delegatus Sedis Apostolicæ superior est Ordinario, eiusque citatio in causis fidei prævalet citationi Episcopi, ita etiam superior est Vicarius, sive Commissarius S. Officij electus à summo Pontifice, ac ejus citatio prævalere debet citationi Ordinarij. Quia licet sit subdelegatus, non est tamen subdelegatus à delegato, sed à summo Pontifice, & iccirco par est utriusque privilegium, & facultas, ut asserit Pegna *p. 3. com. 54. vers.* Quare in proposito.

Vicarij verò, sive Commissarij ab Inquisitore electi, neq; Ordinario præferútur, neq; indistinctè omnibus alijs privilegijs gaudent, quibus fruitur ipse Inquisitor, ut ibidem ait Pegna. Unde Bartolus probat, Vicerectorem constitutum à Rectore, non gaudere privilegijs ac immunitatibus Rectoris. Contrarium tuetur Castropal. *p. 1. tr. 4. disp. 8. pun. 13. n. 5.* firmans, Vicarium, sive Commissariú, sive electum à Pontifice, sive ab ipso Inquisitore, præferendum esse Ordinario. Quia, inquit, subdelegatus delegati Pontificis, summum ipsum Pontificem repræsentat, vicesque ipsius gerit, sicut ipse delegatus. Ergo privilegijs ejus gaudet. Idipsum, ait, docere Molinam *de iust. tr. 5. disp. 28. n. 17.* sed perperam. Supponunt enim Inquisitoré Ordinario præferri. Quod supra negavimus.

Jurisdictionem autem ij recipiunt non ab Inquisitore, sed à Sede Apostolica. Quia, ut notat Carena *p. 1. tit. 7. §. 5. n. 16.* S. Congregatio Em. Cardinalium supremæ Inquisitionis decrevit, quòd hujusmodi Vicarij eligantur, sive nominentur ab Inquisitoribus, sed confirmari debeant ab ipsa S. Congregatione; ideoque ab ipsa S. Congregatione jurisdictioné in causis fidei exercendam recipiunt. Quia concessio facultatis exercendi jurisdictioné tribuitur confirmanti, ut probant Canonistæ *in cap. si Apostolicæ de præb. in 6.* & Natta *consf. 669. n. 16.*

Possunt sanè Inquisitores hujusmodi Vicarijs facultates omnes sibi cócessas subdelegare. Quia delegatus Principis potest alteri vices suas plenè committere *ex cap. super quæstionum de Offic. Iud. deleg.* & *ex l. à Iudice C. de deleg. & ex l. à Iudice C. de judic.* Quare possunt eis committere, ut recipiant à quibuscunque denunciationes, vel accusationes contra quoscunque ac liberè procedere valeant ad inquirendum, ad testes examinandum, ad reos citandum, compræhendendum, eorum confessiones recipiendum easque scrutinandum, ac probandum, ad cogendum testes, ac generatim omnia facere, quæ ab ipsis Inquisitoribus fieri possent, si ibi personaliter adessent, ut docent Eymer. *in forma constituendi Commissarios p. 3. direct. n. 37. q. 15.* & constat. *ex cap. Ut commissi §. committendi de hæret. in 6.* & Constit. Urbani IV. incip. *licet ex omnibus*, ac firmant Pegna *d. n. 37. com. 10. & com. 64.* Locat. *in Iudicial. v. Inquisitor n. 4.* Calderin. *de hæret. rubr. de Offic. Vicar. n. 1. & seq.* ac spectato rigore juris possunt eis committere prolationem sententiæ definitivæ, ut docent ibidem Pegna, & Farinac. cum alijs *q. 186. nu. 29.* Molina *d. tr. 5. disp. 28. n. 8.* Azor. *p. 1. lib. 8. c. 8. qu. 10. &* Castropal. *p. 1. tr. 4. disp. 8. pun. 12. §. 2. num. 12.*

Verum, quamvis hoc ita sit, nunquam tamen Inquisitores suis Vicarijs, sive Commissarijs committere debent sententias ferre, præsertim adversus relapsos ac impœnitéres. Quia, cùm agatur de judicio capitali, indiget altiori examine, quàm eo, quod fieri potest per Vicarium juxta ea, quæ *alibi* dixi. Unde dicti Vicarij neminem debent carceribus mancipare non auditis Inquisitoribus, nisi urgeret necessitas, ut si periculum esset in mora.

Nequeunt autem prædicti Vicarij, sive Commissarij facultatem sibi concessam ab Inquisitoribus, subdelegare alijs, neque in totum, neq; in partem. Quia lex, quæ delegatis à Principe concedit facultatem subdelegandi, non concedit ipsis, subdelegatis, ut possint alios subdelegare, cùm privilegium subdelegandi sit personale, quod in alios transferri non potest *ex cap. privilegium de regul. jur. in 6.* & annotant Gloss. *in d. cap. super quæstionum §. porro v. transferri, de offic. Iudic. deleg. & in cap. Cum causam v. delegatus de appel.* Archid. *in cap. quamvis* & Jo. Andr. *in cap. 15 cui de offic. deleg. in 6.* ac Bartol. *in l. is, qui pro emptione ff. de usucap.* tradunt q; Pegna *p. 3. com. 64.* Molin. *loc. cit. n. 8.* Azor. *ib. q. 10.* & Castrop *ubi supra n. 13.*

Gaudent tamen privilegio, se invicem ab excommunicatione absolvendi, ac dispensandi ab irregularitate, ex Pegna

Pegna *d.p.3.com.*72. ubi postquam probavit hoc privilegio gaudere Inquisitores ex concessione Urbani IV. anno 1261. ut referunt Repertor. Inquis. *v. Irregularitas §. si tamen*, Campeg. *apud Zanchin. cap.*31 Royas *de haeret. p.2.n.*423. statim subdit. An autem hoc privilegiũ Commissarijs etiam Inquisitorum competat, dubitari potest. Id verius est, competere favore fidei. Ac id ipsum docet Dian. *p.* 5. *tr.* 10. *resol.* 69. *& p.4. tr.* 2. *resol.*102. Incurrerent autem irregularitatem tam Inquisitores, quàm eorum Vicarij, sive Commissarij, si conijcerent reum sive in custodiam, sive in pœnam in carcerem tam severum squalidom, ac horrendom ut ille ibi moreretur, ut tradunt Pegna com. 107. *vers. verum tamen*, Zabarel. *in clem. un. de homic.* Abb. *in cap. à nobis de apostat. & in cap. qualiter & quando de accus.* & Locat. *in Judicial. v. Carcer num.* 6.

Quòd verò ad illorum præcedentiam, cùm hodie dicti Inquisitorũ Vicarij eligantur à S. Congregatione supremæ Inquisitionis, certum pluribus Autoribus videtur, præcedere Vicarios generales Episcoporũ; quia electi à majori præferuntur electis à minori, & inferiori, ut docet Anchar. *in cap. per tuas de major.* Menoch. *conf.*126. *n.*34. Nact. *conf.*637. *n.*14. *&* 41 Gratian. *discept.* 845. *n.* 34. Nulli autem dubium est, omnes Episcopos inferiores esse dicto supremo Tribunali. Atque adeo certum etiam est, Inquisitorum Vicarios præcedere Episcoporum Vicarios generales.

Eos verò Vicarios qui per modum provisionis in locũ præmortui, vel ab officio remoti, constituuntur ab Inquisitoribus, præferendos non esse inquiunt Vicariis Episcopalibus. Tum quia eliguntur ab inferiori, & ad tempus, isti autem à digniori, & permanenter. Et tum etiam quia proveniens naturaliter anteponitur venienti ex accidenti *l. qui habet ff. de tutel.* Vicarii autem Episcopales sunt naturaliter ac per essentiam tales, Inquisitorum verò Vicarij casualiter ac per accidens, ac proinde illi debent istis præcedere Ita tradunt Carena *p. tit.*7. §.2. *n.* 10. & Bordon. *tom.*1. *cap.*39 *n.* 4. *&* 5. *in fine*. At, quæ sit de hac re nostra sententia, alibi ostendimus, & in sequentibus effatis indicabimus.

Hujusmodi autem Vicarij non sunt exempti ab illis observantijs, quæ non impediunt S. Officij exercitium, à quibus ne ipsi quidem Inquisitores exempti sunt. Immò debent, quod ad fieri potest, observantias regulares custodire, ac se se cum communi aliorum Fratrum sui Ordinis vita accõmodare, scientes, quòd quantò diligentiùs illas custodiverint, tantò majorem probis viris æstimationem sui adijcient, malis terrorem incutient.

Neque possunt, si Regulares sunt, à suis Superioribus Regularibus de loco ad locum removeri, quia nequeunt eos impedire ab officio eis tradito, & ne procedant in causis fidei. Nam in hoc eis non subiiciuntur, sed summo Pontifici, solusque Inquisitor potest removere ac deponere Vicarium, sive Commissarium à se institutum, ut tradunt Eymer. *d. p.*3. *q.* 17. ibique Pegn. *con.* 66. Locat. *v. Vicarius n.* 1. Comensis *in Lucern. Inquisitor. v. Inquisitor n.* 2. *& alij.*

Non autem eorum jurisdictio expirat morte Inquisitoris; quia instituuntur ab Inquisitore, non tanquam ab ipsius persona, sed tanquam delegato à summo Pontifice, eisque jurisdictio autoritate Apostolica conceditur, cùm confirmantur à supremo Tribunali Inquisitionis, per quam confirmationem eorum facultas perpetuatur, ideoque neque per mortem, neque per quamcunq; Inquisitoris remotionem expirat, ut præ cœteris tradunt Symanch. *de Cathol. instit. tit.* 34. *n.*14. Royas *sing.* 114. *n.* 3. Azor. *d. lib.* 8. *q.* 7. & Caren. *loc. cit.* Id quod etiam de jure procedit. Nam Vicarius electus, etiam post mortem Superioris, durat, ut *ex cap.* 1. *de offic. Vicar. in* 6. & ex *Clem. ne in agro de stat. monach.* & firmat Navar. *conf.* 12. *de elect.* Quia potiùs à jure, quam ab homine potestatem recipit. Jus autem non moritur. Quod multò magis comprobari debet de Inquisitorum Vicarijs, ne per mortem Inquisitoris aliquod detrimentum Officium Inquisitionis patiatur, & fidei causæ periclitentur. Ac ita in praxi observatum fuisse in civitate Papiensi, testatur Carena *d. p.*1. *tit.*7. §.5. *n.*17.

Effata de Inquisitoribus, eorumque Vicarijs hæc sunt:

Cardinales sex deputantur pro habenda Congregatione super negotiis S. Officij. Pius IV. motu suo proprio sub 4. nonas Augusti anno 5. disponit, ut ad minus semel in hebdomada conveniant in domum antiquioris Cardinalis, causarum decisioni incumbant, illasque terminent prout ipsis, vel majori parti visum fuerit. Contra ab ipsis decreta de nullitate, aut invaliditate jurisdictionis excipi non possit, ac si coram omnibus, etiam ipso summo Pontifice facta forent.

Cardinales generales Inquisitores deputati per motum proprium Pij IV. sub pridie Kal. Novembris anno 3. possunt contra Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, & Cardinales, ac alios Præsules inquirere, testes, atque alias probationes recipere, ac examinare, processus integrè usque ad sententiam exclusivè formare, & concludere. Quod etiam habetur in Bulla ejusdem pridie Idus octobris anno 3. Possuntq; etiam procedere per edictum, quando non adest tutus accessus, ex Bulla ejusdem 7. idus Aprilis anno 4.

Cardinales duo ex deputatis constituunt Congregationem, & quod ab ipsis statuitur, habetur firmum ac si omnes Cardinales deputati interfuissent, ut etiam habetur ex motu proprio B. Pij V.

Cardinales subscribunt sententiis contra quoscumque, præter in Episcopos latas, ac si decretum definitivum factum fuerit coram Sanctissimo. Ita etiam decreta facta coram Sanctissimo ponuntur sub nomine Em. Cardinalium, ut statuit B. Pius V. 14. martij 1566.

Cardinales, cœterique officiales suffragium ferentes in causis S. Officij, etiamsi interveniat pœna sanguinis, irregularitatem non incurrunt, &, quatenus opus sit cum eis dispensavit in tortura danda idem Pius V. die 9. Octobris 1570.

Cardinales, & quicunque alij Officiales interessentes Congregationibus S. Officij, debent servare secretum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Est tamen restricta ad ea, quæ propalantur in damnum S. Officij, vel præjudicium negotiorum.

Iidem Cardinales, Consultores, alijque omnes inservientes S. Officio, ac interessentes Congregationibus, debent sub initio præstare iuramentum de fidelitate ac silentio præstando sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, à qua non possunt absolvi, nisi à summo Pontifice, vel ejus successore. Idem B. Pius V. 25. Januarij 1560. Qui ampliùs decrevit, ut præter sententiam excommunicationis, quam ipso facto incurrunt revelantes S. Officij secreta, & quæ dicuntur in Congregationibus, puniantur ac si offendissent propriam ejus personam, ut 31. Januarij 1566.

Cardinales generales Inquisitores, Consultores, & Officiales pro tempore inservientes Congregationibus S. Officij coram Smo. vel Cardinalibus non possunt certiores reddere alios Cardinales absentes de negotiis in Congregationibus tractatis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, à qua nonnisi à Ste. Sua possunt absolvi, & silentium prædictũ est servandum etiam post publicatum processum, nullusque ex ipsis Cardinalibus potest concedere licentiam loquendi de ijs, quæ concernunt causas reorum. Et Urbanus VIII. jussit, Illud sub eisdem pœnis servari circa ea, quæ in Congregationibus coram Ste. Sua dicuntur, etiam occasione alicujus discursus, non spectantis ad causas S. Officij 20. Iunij 1630.

Unus ex Cardinalibus deputatis eligitur à Smo. ad recipiendũ litteras undecumque venientes & receptas tenetur alijs Collegis communicare, ac juxta Congregationis decreta respondere. At si factum celeri expeditione indigeret, potest ipse solus respondere, & responsionem in proxima tenetur Congregatione alijs Collegis referre.

Cardinalis unus, quando periculum est in mora, potest, consultis illis, quos judicaverit esse consulendos, decernere comprehensionem alicujus Rei, & in proxima Congregatione tenetur aliis communicare quid actum fuerit.

Congregatio S. Officii coram Sanctita Sua fit qualibet hebdomada, feria quinta, nisi justè impediatur, etiam non intimata.

Cardinales generales Inquisitores vigore motus propij Pij IV. habent facultatem legendi libros prohibitos, & illam alijs communicandi.

Pro Cardinalium, & Consultorum S. Officij defunctorum animabus celebrantur exequiæ jussu Gregorij XIV. cùm interventu aliorum Cardinalium, & Consultorum, ac pompa funebri arbitratu Cardinalium. Solet tamen pro Cardinalibus sumptus fieri scutorum 50. pro Consultoribus 30.

Hæredes Cardinalium generalium Inquisitorum, Consultorum, & aliorum Officialium S. Officij pro tempore decedentium, statim post eorum mortem tenentur sub pœna excommunicationis consignare quascunque scripturas, ad S. Officium quomodolibet spectantes, eidem S. Officio.

Inquisitores præcedunt Præsidentes Conventuum, non tamen in mensa, & Capituiis ab eisdem Præsidentibus convocatis. In omnibus tamen actibus publicis, & privatis habent locum post Priores, & Guardianos monasteriorum, in quibus sunt Inquisitores.

Tam Inquisitores, quàm alij delegati S. Officij nihil pro reorum constitutis, ac pro ijs, quæ in favorem Fisci producuntur, recipere debent, sed gratis omnia expedire. Nec pro sportulis aut quovis decreto aliquid omnino accipere possunt.

Non debent extrahere è diœcesibus Episcoporum reos S. Officij, nisi ex magna causa, vel de licentia S. Congregationis: Sed Vicarios deputent, qui simul cum Ordinarijs causas eorum tractent atque expediat.

Illi Inquisitores, qui diœcesanos Episcopi alterius civitatis sub sua jurisdictione habent, facere debent, ut dictus Episcopus constituat Vicarium, qui causis suorum diœcesanorum assistat, aliàs absque alicuius interventu illas expedire possunt. Quando autem habentur Congregationes super hujusmodi causis, opportunè moneant eos, qui interesse debent.

Extra propriam diœcesim non se transferant, neque ad ullum accedant Capitulum generale, aut Provinciale, nisi cum licentia S. Congregationis, exceptis Magistris in S. Theologia, & Patribus Provinciæ, qui vigore suarum Constitutionũ habent votum in electione.

Transmittere debent omnes sententias ad S. Officium Urbis, non autem processus, nisi in arduis. Summarium verò ante expeditionem, & responsum expectent.

In sententiis ferendis apponant clausulam *Nobis reservamus*. Quia cùm ab ipsis, vel à Vicarijs Episcopalibus promulgantur, mitigatio pœnarum utrisque est reservanda.

In sententijs minorum non possunt apponere clausulam *citra pœnam relapsus* absque speciali commissione S. Congregationis.

Nullo modo faciant, vel permittant imprimi informationes, summaria, & cœtera in causis S. Officij.

Apud se retinere debent originalia librorum impressorum, ac imprimendorum.

Debent ipsimet sententias pronunciare in causis, quæ fiunt à suis Vicarijs.

Parere non debent litteris S. Pœnitentiariæ in causis S. Officij.

Ipsi ac ipsorum Vicarij equitantes pro examinandis testibus ad defensionem, habere debent equum & victum, Uti tamen debent moderato numero personarum, ne partes graventur.

Curent, ne in communicandis processibus cum Episcopis, & eorum Vicarijs nomina testium, ac denunciantium propalentur.

Nequeunt impedire Ordinarios, quin publicent edicta contra hæreticos, vel alios absque sua sua licentia.

Possunt sibi consignari facere inventarium librorum bibliothecarum.

Non possunt, neque debent applicare pœnas, sive mulctas pecuniarias provenientes occasione processuum, & causarum S. Officio, vel alijs locis, nisi priùs certiore reddita S. Congregatione. Possunt quidem citare sub pœnis pecuniarijs, illas tamen exigere nequeunt absque mandato S. Congregationis.

In carceribus S. Officij non possunt recipere alios carceratos, ne Regulares quidem, pro causis pertinentibus ad illorum Superiores, neque illis uti debent ad custodiam quorumvis reorum, nisi sint rei S. Officij.

Possunt ferre sententias contra sponte comparentes, illosque sine Ordinariorum interventu expedire. In illis verò causis, in quibus construitur processus, debent servare Clement. 1. *de hæret.*

Non debent, neque possunt in suum commodum exigere mercedem custodiæ captivorum, sed dari debet ijs, qui actu inserviunt eidem custodiæ.

Possunt concedere licentias accedendi ad partes hæreticorum. Pro hujusmodi autem licentijs nihil omnino recipiant, tametsi tutius sit, ut consulant S. Congregationem.

Non debent se ingerere in concedendis licentiis imprimendi Indulgentiarum Brevia, sive illorum summarium, neque Brevia Apostolica.

Possunt cum licentia S. Congregationis exercere Officium Prioratus.

Providere debent, ne Judæi dent Christianis panes azymos, quos in eorum paschate conficiunt.

Non tenentur jussa S. Congregationis sibi transmissa cum Ordinarijs communicare, nisi juxta rerum qualitatem, ac litterarum tenorem.

Litteris commendatitijs quarumcumque personarum in causis S. Officij respondere non possunt, illasque minimi faciant in expediendis causis.

Tenentur mittere summaria processuum, ac rerum ad S. Congregationem cum participatione Vicarij Episcopi, & è contra Vicarius etiam illa mittere debet cum participatione Inquisitorum.

Quando morantur Romæ, accedere debent ad S. Congregationem Emin Cardinalium S. Officij.

Ipsi, non autem Ordinarij, eligant Fiscalem S. Officij.

Propter publicationem edicti rigorosi non prohibentur publicare edictum gratiosum, quod ipsi sub initio suorum Officiorum publicare solent.

Non habent facultatem concedendi licentiam nutricibus Christianis lactandi filios Judæorum, nequidem sub conditione, quòd in domibus eorum non pernoctent, neque comedant.

Publicare debent edictum S. Officij seorsum ab Episcopis. Cum licentia S. Congregationis possunt vocati exercere munus convocatoris in quadragesima, proviso tamen officio.

Ipsorũ bona non spectantia ad S. Officium, post eorum obitũ dividuntur juxta Constitutiones Religionis.

Nequeunt examinare Moniales, nisi facto verbo cum Episcopo.

Debent conficere librum accepti, & expensi, nec non regestum mandatorum solutionis expensarum, quarum rationes quotannis tenentur mittere ad S. Cõgregationem, ad quam tenentur etiam mittere taxam mercedum, quam servare debent.

Ipsis præfigitur ab Episcopis taxa expensarum ordinariarum. Pro extraordinarijs verò obtinenda est licentia à S. Congregatione.

Accedentes ad loca, ubi non sunt Conventus sui ordinis, in quibus morari possint, manere debent in Conventu alicuius Religionis, & rationem expensarum habere.

Tenentur initio accessus ad exercendum Officium præstare juramentum secreti servandi in causis, ac negotiis S. Officij, & ad S. Congregationem mittere instrumentum authenticum iuramenti præstiti, ac rogati à Notario S. Officij.

Possunt, servando silentii iuramentum, tuta conscientia communicare negocia S. Officij cum Vicarijs Episcoporum, licet ipsi præstent juramentum de non communicando ejusmodi negotia, nisi cum Ordinarijs, & Consultoribus,

Possunt quoque conferre cum aliis Inquisitoribus per modum consulendi super negotiis S. Officii, non obstante juramento silentij servandi.

Tenentur præsentari facere præcepta, & citationes S. Officii à Cursoribus, & Mandatarijs Curiæ Episcopalis, vel secularis, non autem à Fratribus tertiariis.

Tenentur servare secretum, etiam causis finitis. Non enim possunt revelare ea, quæ pertinent ad S. Officium in ejus, ac testium præjudicium.

In petendo brachio seculari à Principibus pro S. Officio, debent exprimere in genere tantùm causas, non autem illarum merita, nec nomina testium communicare,

Possunt emittere præcepta sub pœnis pecuniarijs.

Debent quotannis mittere ad S. Congregationem summarium causarum, quæ à se expediuntur, ac summarium denunciationum, & in eis gestorum.

Ipsis ac eorum ministris regularibus tenetur Conventus victum subministrare.

Non habent facultatem benedicendi altaris toralia, aliumque sacrificalem apparatum.

Procedere possunt contra Christianos inservientes Judæis, & contra Judæos Christianorum servitiis utentes,

Quamvis decedant extra claustra, non iccirco subjacent spolio, quod fit à Camera Apostolica.

In causis gravibus non debent devenire ad torturam, neque ad alios actus irretractabiles, inconsulta S. Congregatione, nisi rei, ac temporis circumstantiæ aliud permiserint.

Electi Provinciales vel debent relinquere Officium, vel Provincialatum non accipere. Rarò enim conceditur, ut, retento officio, possint tale munus exercere. Immo hanc ob causam deputatur alius Provincialis autoritate Apostolica; quod aliquando fuit permissum, denegatum verò sæpius, jussumque Generali, ut alium Provincialem deputaret autoritate Apostolica.

Interdum creantur à Pontifice magistri Provinciarum cum omnibus juribus Provinciæ.

Tenere non debent homines armatos ad custodiam S. Officij, cùm id non sit necessarium.

Non debent permittere, ut summaria processuum fiant à Consultoribus expensis reorum.

Servare debent cum Episcopis *Clem multorum de hæret.* licet expeditiones sint à se faciendæ jussu S. Congregationis.

Non procedunt contra caupones ministrantes carnes diebus prohibitis, sed contra eos procedit Ordinarius. Sicut nec procedunt contra meretrices habentes copulam cum Judæis, licet quandoque insimul procedere possint, de quo alibi.

Tenentur communicare processum cum Ordinario ante torturam. Non tamen tenentur remittere illius autographum ad domum Episcopi, neque è contra Episcopus ad domum Inquisitoris, sed communicatio, & exhibitio processus debet fieri in loco, in quo est constructus.

In summariis, quæ mittere debent ad S. Congregationem apponere debent nomina propria reorum, non autem ficta.

Non debent absque beneplacito S. Congregationis imponere, ac exigere mulctas pecuniarias, cùm talis impositio sit prohibita.

In publicandis edictis servare debent formam solitam, nihil addendo, vel minuendo, quod alteret rei substantiam. Quando verò ipsis contigerit publicare nova edicta, sive aliquid novi addere edicto generali, certiorem reddant S. Congregationem.

Omnes prohibere debent, ne sui Vicarij regulares pro sententijs, examine testium, decreto, sive actu, aut alio quocunque titulo, vel prætextu aliquid recipiant, sed gratis omnia expediantur.

Transmittere nequeunt Religiosos, damnatos ad carcerem formalem, ad carceres eorum Conventuum, inconsulta S. Congregatione.

Possunt unà cum Episcopis mitigare, & commutare pœnas impositas damnatis pro S. Officio in sententiis latis ab Episcopo, & Inquisitore. Ad utrumque enim commutatio spectat. Quod quidem observandum est tam in processu facto in Curia Episcopali, quàm in S. Officio. Commutare tamen illa non possunt in pœnas pecuniarias, inconsulta S. Congregatione, sine cujus licentia tales mulctæ imponi non possunt.

Incumbere debent revisioni librorum imprimendorum, ne in litteris dedicatoriis Autores majoribus, ac ineptis, & absurdis titulis utantur, quàm pro dignitate merentur ij, quibus dedicant.

Non possunt, neque debent accedere ad monasteria monialium, nisi ob causam S. Officij, cùm sint etiam comprehensi in constitutione Clementis VIII. in hanc rem edita.

Non tenentur notos facere Episcopo ministros S. Officij, necessariò deputandos, nisi ex urbanitate,

Nequeunt procedere ad exequutionem pœnarum in Bulla *si de protegendis* contentarum, inconsulta S. Congregatione.

Non pertinet ad ipsos prohibitio ludi alearum, ac similium, licet hac de causa multi blasphement, contra quos tamen possunt, ac debent procedere.

Concedere possunt arbitrio suo licentiam deferendi arma sine restrictione facultatis, tam circa numerum, quàm circa qualitatem personarum aut locorum, & sine beneplacito Officialium Curiæ secularis, quibus detur, atque ostendatur index personarum juxta solitum. Non debent tamen illarum numerum augere absque necessitate. Nihil etiam ab illis, ne minimum quidem, accipiant. Personis idoneis arma concedant, nunquam verò ijs, qui fovent inimicitias.

Debent ex se manu propria, si possunt, scribere litteras, ac cœtera omnia.

Possunt punire Regulares ad S. Officium recurrentes, & nihil relevans deponentes, illosque sic punitos ad eorum superiores remittere.

Ipsi ac eorum Vicarij sub pœnis privationis Officij, nulli alij transmittere possunt copiam processuum, aut litteras concernentes negotia S. Officij, nisi Eminentissimo Cardinali, summo Inquisitori, ac secretario S. Officii cum inscriptione à tergo ultra titulum ordinarium *Pro S. Officio.*

Administrantes alienam hæreditatem tenentur reddere rationem administrationis Commissario R. Fabricæ, si tanquam simplices administratores, & non uti Inquisitores cogantur illam reddere.

Non conceditur eis facultas absolvendi à casibus in Bulla

in Bulla Cœnæ reservatis, neque ab alijs delictis in foro conscientiæ.

Non possunt excedere numerum quinquagesimum familiarium sub pœna privationis Officij, vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrenda, tenenturque eligere personas aptas, ac bonæ famæ, earumque nomina mittere S. Congregationi. Consultores verò novos nequeunt deputare absque licentia S. Congregationis, & ubi sunt, ipsorum numerum reducere debent ad septem, & tam ipsis Consultoribus, quàm ministris S. Officij concedere debent licentiam deferendi arma gratis. Insuper eligere debent novum Fiscalem, unum Procuratorem, reorum Notarium unum, ac unum Depositarium ubi S. Officium habet reditus. Consultores verò habitare debent in Civitatibus, in quibus ipsi Inquisitores resident, & in locis, in quibus ipsorum Vicarij causas cognoscunt. In aliis verò locis satis est, quod Vicarij habeant unum Notarium pro recipiendis denunciationibus.

Mandatis fori secularis, expeditis contra familiares S. Officij apponere debent suum *Exequatur*.

Non possunt uti pro Vicarijs, ac Notarijs S. Officii Fratribus Ordinis Minorum Observantium sine licentia S. Congregationis.

Inquisitores non sunt citandi, vel aliquo modo coram aliquo alio Judice trahendi, nisi coram S. Congregatione. Unde notarius si monitorium contra Inquisitorem subscripserit retineri debet in S. Officio, & postea dimitti cum monitione, ac suspendi ab officio. Procurator qui illud procuravit pariter ab officio suspendendus, & cœteri notarii vocandi, sunt ad S. Officium, eisque significandum, ut moneant suos substitutos, ne monitoria, mandata aliudve contra Inquisitores subscribant, & expediant, alioquin ipsi punientur.

De ministris verò & Inquisitoribus S. Officii Hispaniarum, & ab ipso dependentibus, hæc accipe.

Inquisitores committentes vitium nefandum non possunt procedere, neque in hujusmodi causis se ingerere.

Inquisitoribus Siciliæ in cognitione criminis nefandi nihil adimendum, nihilque de novo concedendum est.

Inquisitoribus Siciliæ Sanctissimus concessit indulgentias stationum Urbis pro tempore Adventus, & Quadragesimæ in Capella secreta S. Inquisitionis, nec non Indulgentiam plenariam pro contritis, & confessis, qui abjurationibus publicè faciendis interfuerint 3. Maij 1596.

In S. Officio Lusitaniæ recepta est opinio affirmativa, quod per tales singulares probatur aliquem esse hæreticum, possitque imponi pœna ordinaria, & ita servatur in praxi, quando reus habet contra se multos testes, qui concordant in substantia *n.* 9. Judaismi, quamvis deponant de differentibus actibus, & discordent in tempore ac loco, & quando testes sunt fide digni. De qua re nos *alibi*.

Contra Hispanos non adimplentes pœnitentias, sive indiciatos fugitivos ad Urbem, exhibentur quæ contra illos opponuntur, in quibus administratur justitia. Nam Curia Romana non remittit.

Aliquando tamen possunt remitti unà cum suis, depositionibus, Inquisitori majori Hispaniarum, & commendatur, ne eorum fuga, stante accessu ad S. Officium Urbis illis non imputetur in delictum.

Fugientes à carceribus S. Officii Hispaniarum & Portugalliæ tractantur, uti fugitivi, alij verò uti recurrentes ad Sedem Apostolicam. At in casu particulari videndum, an tales fugitivi à carceribus soleant remitti.

Et adverte, quòd remittuntur tantùm, qui fugiunt à carceribus, non illi, qui fugiunt ante carcerationem.

Inquisitor major in Regno Portugalliæ deputatur per Breve, sic instante Rege Hispaniarum 3. Julij 1604. & 15. ejusdem. Ipseque Inquisitor instat expediri Breve suæ deputationis 4. Augusti 1604.

Inquisitores, alijque ministri S. Officij Hispaniarum habent indultum percipiendi reditus ac distributiones quotidianas suorum Beneficiorum & Canonicatuum pro tempore, quo actu inserviunt.

Canonici Goæ pro tempore deputati ad inserviendum S. Officio Inquisitionis pro Inquisitoribus Fiscalibus, sive Notarijs sunt exempti à servitio Ecclesiæ, & percipiunt distributiones quotidianas ac si actu eidem Ecclesiæ interfuerint. Consultores verò sunt exempti pro tempore, quo actu inservIunt S. Officio.

Ad Inquisitores Portugalliæ extenditur decretum B. Pij V. ut suffragium ferentes in causis S. Officij non incurrant irregularitatem, prout factum fuit cum Inquisitoribus Hispaniarum sub die 29. Novembris 1607. & 3. Januarij 1608.

Decretum Pauli IV. sub die 30. *Aprilis* 1556. *contra Lusitanos venientes* in Italiam, & judaizantes, non comprehendit Hispanos judaizantes 29. Septembris 1611.

Inquisitor Portugaliæ & Collector significare debent discessum judaizantium ex illo Regno eorumque accessum in Italiam, ut commodiùs observari, ac sisti possint.

Inquisitor maior Lusitaniæ consuluit, an convicti, sive confessi de crimine nefando contra quos in Lusitania ex Bulla Pii V. proceditur eo modo, quo contra hæreticos, debeant in primo lapsu tradi curiæ sæculari, vel potius eis condonari pœna mortis, pro ut fit cum hæreticis: Sanctissimus mandavit ei responderi hoc intelligi de modo procedendi, pœnam vero huius criminis remanere in terminis iuris, 24. februarii 1622.

In cognitione sollicitationis in S. Confessione, nihil innovandum in præiudicium Ordinariorum, qui secundùm Canones, & Constitutionem Gregorii XV. procedere possunt: Immo tam Ordinarii, quam Inquisitores ad expeditionem huiusmodi causarum non debent devenire, nisi communicatis indiciis, si quæ adsint, in utroque foro, ne delicta ob defectum probationum remaneant impunita.

Poterit concedi facultas Inquisitori maiori Hispaniarum dandi licentiam personis doctis ac piis retinendi, atque legendi libros prohibitos ad effectum Confutandi hæreses, & errores in illis contentos, ad tempus limitatum, iniuncto tamen eis, ut ostendant, quid scribant, & si non satisfaciant, dictam licentiam eis adimat, nullamque declaret. Quò ad facultatem concedendi huiusmodi licentiam, hominibus è vulgo non est concedenda.

Pro Inquisitore maiori Hispaniarum fuit declaratum Breve Pauli IV. & Pii IV. quo ei conceditur facultas procedendi contra Sacerdotes sæculares, & Regulares sollicitantes in Confessione, intelligi privativè, & non cumulativè quò ad superiores Regularium.

Iudaismus in Regno Portugaliæ propagatur occasione matrimoniorum inter Christianos novos, ac veteres: An autem Christianis novis administranda sint Sacramenta? (timendum enim est nè simulatè sint conversi:) At deponendum est scrupulum, quia isti non sunt privandi sacramentis nisi clarè, ac legitimè, constet de contrario. Nec placuit modus propositus, ejiciendi dictos Christianos è Regno, ne alibi errores effundant. Monendusque Nuncius Apostolicus nè cum Rege ageret de illorum propagatione, & ne dicti Iudaizantes ad honores promoveantur. Nihilque, hac de re innovandum in præjudicium S. Officii, inscio

summo Pontifice. Purgatio enim dicti Regni à Iudaiſmo eſt reſervata iudicio Sedis Apoſtolicæ, ideoque non debet per miniſtros Regios tractari.

Inquiſitores Italiæ procedere poſſunt in ſuis diœceſibus contra Hiſpanos, comedentes carnes feriâ ſextâ, vigore Bullæ Cruciatæ.

Summus Pontifex diſpenſat ſuper defectu ætatis unius anni, ut quis munus Inquiſitoris S. Officii in Regnis Hiſpaniarum, ad quod fuit electus, obtinere poſſit, non obſtantibus decretis, Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſivè ſtatutis Tribunalis S. Inquiſitionis dictorum Regnorum, à S. Sede Apoſtolica confirmatis.

Inquiſitor, & Epiſcopus Patavinus curare debent, ut obſerventur Ultramontani, qui Patavii commorantur cauſa ſtudii, ac ſecretò hæreticè vivunt, & ut Catholici dictæ nationis habeant eccleſiam & ſacerdotem proprium, in quam ipſi convenire poſſint, ibique eis concio habeatur. Nec quiſquam promoveatur ad gradum doctoratus abſque fidei profeſſione, nevè Parochi, & Rectores Eccleſiarum, aliique Religioſi poſſint illos ſepelire in Eccleſiis, niſi habeatur fides quòd defunctus ſua peccata confeſſus fuerit, ſacramque Communionem ſuſceperit tempore ab eccleſia Catholica præſcripto.

Inquiſitores procedunt contra effractores Carcerum in quibus detinentur rei S. Officii.

Inquiſitor in cauſa hæreſis procedere poteſt ad abiurationem, & pœnam, idem quoque facere poteſt in cauſa ſuſpicionis; licet nonnemo aſſerat, in cauſa ſuſpicionis Inquiſitorem poſſe procedere ad abiurationem, non autem ad pœnam.

Inquiſitor deputat Cuſtodem carcerum S. Officii.

Inquiſitor viſitat naves Turcarum, ſi ſuſpicetur Chriſtianos pueros ad ipſorum partes deferri: 18. Iulii 1592.

Magis expedit terminari cauſas per abiurationes, quàm per pœnas pecuniarias, à quibus Inquiſitores debent propterea abſtinere.

Monendi Inquiſitores ut abſtineant afficere reos S. Officii tormento ignis.

Pro Inquiſitore ſive melius Miniſtro S. Officii Neapolitani hæc ſequentia exhibeo.

Hic agit negotia S. Congregationis S. Officii in Civitate Neapolitana. Fuit hoc introductum tempore Pauli IV. Recipit ſponte comparentes, & alios recuſantes comparere in Curia Archiepiſcopali. Nihil agit abſque iuſſu S. Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium.

Non debet in Cauſis ſibi commiſſis, & committendis requirere autoritatem Proregis, ad quem recurrere tantùm debet pro captura Laicorum, vel eorum tranſmiſſione ad Urbem, vel aliis in caſibus, in quibus pro capturis, & executionibus opus ſit brachio ſæculari. Sufficit enim, quod cum ſcientia Archiepiſcopi ſuam exerceat iuriſdictionem.

Præter receptionem denunciationum nihil debet agere, inconſulta S. Congregatione. Eſt enim miniſter in recipiendis denunciationibus, non autem in exequendo.

Eſt delegatus ad ſingulas cauſas, non ad univerſitatem cauſarum. Imò debet cauſas ſibi delegandas ſine interventu Ordinarii cognoſcere.

Non communicat eidem Ordinario cauſas ſibi delegatas niſi de mandato S. Congregationis. Et tunc, ſi debet Congregationibus intervenire fit Congregatio particularis pro illis cauſis tractandis. In aliis autem Congregationibus, quæ habentur ab Archiepiſcopo pro aliis Cauſis S. Officii, non intervenit.

Contra indiciatos, ac pro aliis criminibus carceribus mancipatos in Curia Archiepiſcopali communicat indicia Archiepiſcopo.

Ei conſignantur litteræ, ac proceſſus S. Officii gratis.

Miniſter S. Officii Epiſcopus in ſupſcriptione ſententiarum præcedit Vicarium Archiepiſcopi, licet ſit & iſte Epiſcopus 28. Decembris 1608. quia eſt delegatus S. Congregationis ſolus tamen in cauſis delegatis ſententiam publicat, & ſubſcribit.

Deputat Curſorem inſervientem in Cauſis S. Officii, ac Notarium peculiarem ad ſervandum ſecretum, datque licentiam Officialibus S. Officii deferendi ea arma quæ deferunt executores Curiæ Sæcularis.

Miniſter pro. S. Officio Neapolitano carceribus mancipat indiciatos de pertinentibus ad S. Officium, & carceribus mancipati in Civitate Neapolitana, & in toto Regno, abſque ulla difficultate Romam tranſmittuntur ad carceres S. Inquiſitionis, nec fit aliqua diſtinctio, an ſint Laici, anvè eccleſiaſtici. Nuncius verò Apoſtolicus id procurat ſumptibus Cameræ Apoſtolicæ.

Prælati Regni Neapolitani, quando petunt brachium, & auxilium, pro cauſis S. Officii, non poſſunt neque debent exprimere Proregi Neapolitano qualitatem negotii, & potiſſimùm, ne hoc pretextu introducatur *Regium exquatur*.

Non debet peti à Prorege Neapolitano Regium exequatur pro exequendis monitoriis, & aliis mandatis S. Officii contra quoſcumque. Et contra Officiales Regios proceditur, illo non requiſito.

Cognoſcit Cauſas Polygamiæ, etiam eorum, qui à Curia ſæculari fuerant ob hoc crimen verberibus affecti.

Facit abſque difficultate perquiſitiones.

Non debet permittere moleſtari à Regente Vicariæ, prætendente cognoſcere cauſam Polygami ſponte comparentis coram Archiepiſcopo, & ab eo abſoluti, quatenus tamen non ſit præventus indiciis in Curia Seculari.

Neque permittere debet quod pœna triremium per quinquennium, impoſita à S. Officio polygamis, reducatur ad triennium à Miniſtris Regiis, prætendentibus id facere poſſe cum omnibus condemnandis ob huiuſmodi crimen à Iudicibus Eccleſiaſticis. At proviſum, & conſuetudine etiam inductum, ne pœnæ impoſitæ ab Ordinario, vel a S. Officio polygamis aliiſque inquiſitis moderationem recipiant, aut habeant aliquam moram à Miniſtris Regiis.

Quando Miniſtri Regii ad Miniſtrum S. Officii recurrerint pro aliquo laico carceribus mancipato ab Epiſcopis Regni, ſtatim illa ſcribere debet Epiſcopo pro ſciendis meritis Cauſæ, quæ ſi ſit Cauſa S. Officii, illam Regiis ſignificet, non tamen merita Cauſæ aperiat. Quod ſi non eſt Cauſa S. Officii, ſcribat Epiſcopo, ut deſiſtat à moleſtando carceribus mancipatum, ut evitentur contentiones inter Epiſcopos, & Regios, qui ſæpè hac de re conqueruntur. Ideoque ſi Miniſter præfatus ab Epiſcopis relationem alicuius Cauſæ ad S. Officium ſpectantis petat, ipſi illam certiorem reddere tenentur.

Prorex Neapolitanus vir pietate, ac fide Chriſtiana illuſtris, acriter reprehendere debet ſuos miniſtros inſultantes Miniſtros S. Officij, eiſque præcipere, ut illi veniam peterent, eoſque mittat ad Nuncium Apoſtolicum, ut illos in carcerem conjiciat, ac puniat, donec reperiatur ſatelles executor inſultationis, qui repertus, publicè in Eccleſia poterit abſolviter fune tortorio affici, condonata ei pœna triremium.

Epiſcopi in Regno ſunt Inquiſitores ordinarij tantùm

Titulus Inquiſitoris tributus aliquando Miniſtro S. Officij in Regno Neapolitano, nunquam diſplicuit Miniſtris Regiis, ſed populo tantùm ac plebli. Unde ijdem miniſtri ſæpe illum appellant Inquiſitorem.

Cauſa

Causam impressoris, qui librum absque licentia superiorum imprimit, potest cognosere cumulativè tam minister S. Officii, quàm Archiepiscopus.

Minister S. Officij potest juxta solitum absque licentia Ministrorum Regiorum carceribus mancipare laicos ex causa S. Officij. Sed nisi causæ sint graves, & capturæ necessariæ, ad ipsas devenire non debet, irrequisita S. Congregatione. Et in hac possessione antiquissima existit. Quando verò agitur de Ministris, & Officialibus Regijs, aliisque personis, & causis qualificatis, certiorem reddere tenetur S. Congregationem; à qua recipere debet mandatum. Et remisso demum à Rege Catholico hoc negotio ad Consilium Italiæ, hoc ad favorem S. Officij decrevit. Unde Minister S. Officij, petito brachio, sed non expresso nomine personæ, quæ comprehendi debet, huius rei possessionem continet, non obstante prætensione Regiorum circa specificationem personarum, quæ carceribus mancipandæ sunt, saltem ad aures, & inter plures. Nam id irrogaret præiudicium causis, & secreto S. Officij.

Ministro S. Officij Neapolitani conceditur, ut domi suæ habere possit sacellum, in quo missæ Sacrificium celebretur, & per litteras datur ei hæc licentia.

Si Archiepiscopus prævenerit in causa polygamiæ, Minister illi relinquit causæ cognitionem, & communicat indicia, quæ habet.

Conceditur eidem Inquisitori, sive Ministro facultas recipiendi, & absolvendi in utroque foro hæreticos Neapolim accedentes, ac brevi discessuros prævia instructione.

Nihil innovat, inconsulta S. Congregatione, circa deputationem Officialium.

Potest comprehendere, carceribus tradere, & ad Urbem mittere, qui abutuntur nomine S. Officij.

Potest visitare autoritate propria carceres Archiepiscopales, & in eis carceratos pro S. Officio, custodemque dictorum carcerum, si delinquat in suo munere, punire, cùm olim Cardinalis Aquaviva Archipiscopus Neapolitanus iussu Sacræ Congregationis construi fecerit separatos carceres, in quibus detinerentur rei pro S. Officio tam ad ipsius Archiepiscopi, quàm Ministri S. Congregationis requisitionem. Ideo cùm carceres sint proprij S. Officij, non potest asseri, quòd rei, qui nomine supremi Tribunalis S. Officij, in illis custodiuntur detineantur ex mera liberalitate Archiepiscopi. Custos verò carcerum debet obedire nedum Archiepiscopo, verùm etiam Ministro S. Congregationis in ijs, quæ pertinent ad eius carceratos. Unde si in Officio suo deliquerit, potest Minister autoritate propria illum punire, nec tenetur adire Vicarium Archiepiscopi, quia licet dictus Minister non habeat titulum Inquisitoris, est tamen in causis sibi commissis, & committendis delegatus S. Congregationis, quam repræsentat, & sic est maior quocunque Iudice Ordinario,

Offendens dictum Ministrum, offendit sacram ipsam Congregationem, & censuræ, ac pœnæ impositæ contra impedientes S. Officium, militant etiam adversus Episcopos, & Archiepiscopos.

In casu, quo carceratus in Curia Archiepiscopali Neapolitana pro S. Officio committat aliquod delictum, poterit coniunctim tam ab Archipiescopo, quàm à Ministro deputari persona idonea ad construendum processum super delicto, illiusque exemplum ad S. Congregationem mitti.

Servare debet solitam praxim S. Officij circa instantiam Inquisitorum Siciliæ, qui instabant, ut ratificentur denunciationes ad eos transmissas contra polygamum coram honestis personis, & concessio anni 1607. non debet trahi in exemplum.

In formula iuramenti præstandi ab Advocatis, & Procuratoribus reorum S. Officij addere debet, quòd, expedita causa, restituant S. Officio exempla processuum, & scripturarum, & quòd in autographis informationum facti & iuris apud eos existentibus, deleantur nomina personarum, ac semel in mense saltem sibi ostendi faciat à Notario index exemplorum processuum pro defensionibus reorum, & quibus illa dederit.

Non est necessarium, ut quoties Minister opus habuerit actorum, vel Scripturarum Curiæ Archiepiscopalis, S. Congregatio scribat Archiepiscopo, sed satis est, si nomine S. Congregationis Minister ipse ea petat. Et Archiepiscopus consignare debet vel exempla, vel autographa scripturarum, ac processuum Ministro S. Officij iuxta eius petitiones & in casibus à iure permissis, cum hac tamen conditione, ut quotiescumque Minister autographis usus fuerit, dimisso exemplo collationato in actis S. Officij, illa restituat Tribunali Archiepiscopi. Non verò debet petere autographa processuum, inconsulta S. Congregatione, cùm iuxta stilum S. Officij regulariter sufficiant exempla authentica actorum.

Minister manutenere se debet in quasi possessione, quam habet, præcedendi Episcopos, & Archiepiscopos Regni se antiquiores, etiam in rebus non spectantibus ad iurisdictionem S. Officij.

Debet sibi obedientiam exhiberi facere non solùm à Vicarijs, sed etiam ab Episcopis Regni in causis sibi delegatis à S. Congregatione.

Non deputat Consultores, Officiales, aut Ministros sine expressa licentia S. Congregationis. At de his hactenus.

Vicarius verò Episcopalis, præsente Episcopo, in Congregationibus non habet votum decisivum, sed tantum Consultivum. Absente verò Episcopo, habet etiam decisivum. Ideo cum Episcopo potest etiam Congregationibus interesse ipse Vicarius.

Vicarius Episcopalis in subscribendis sententijs, licentijs librorum, & alijs, præcedit Vicarium S. Officij.

Vicarius S. Officij potest exercere Officium, si sit triginta annorum, & potest ferre sententias absolutorias absque Vicario Episcopi.

Vicarij S. Officij non debent devenire ad sententias, vel ad rigorosum examen, neque ad alium actum irretractabilem, Inquisitore irrequisito, & non certiorato. Non enim possunt integros processus formare, nisi de speciali commissione. Tenentur etiam ex praxi certiores reddere Inquisitores, eorumque mandata exequi, non autem immediatè scribere ad S. Congregationem.

Vicarij S. Officij sunt immunes à solutione litterarum concernentium materiam S. Officij, & deputantur tantum in locis, in quibus resident Vicarij foranei Curiæ Episcopalis.

Vicarij S. Officij quando debent egredi e Conventu pro negotijs S. Officij, non tenentur hoc notificare Priori Conventus.

Vicarij S. Officij an sint exempti à iurisdictione Ordinariorum? fuit dictum, nihil esse resolvendum in genere, sed iuxta casuum contingentiam procedendum.

Vicarius Episcopi præstet iuramentum secreti servandi coram Episcopo, & Inquisitore coniunctim.

Vicarij S. Officij à Provinciali cum licentia S. Congregationis, & cum consensu Inquisitorum, à quibus sunt deputati, removentur.

Vicarijs S. Officij computatur tempus, quo inserviunt S. Officio pro tempore, quo munus Lectoris exercere deberent in Religione.

Vicarij S. Officij non forment processus, inconsulto Inquisitore, sed tantùm recipiant denunciationes, & reddant certiorem ipsum Inquisitorem. Neque habent facultatem subijciendi reos torturæ.

Vicarios S. Officij, delinquentes contra Constitu-

tiones Religionis, & bonos mores an possit corrigere Provinciales Lombardiæ, Sanctissimus mandavit servari ordines generales S. Congregationis.

Vicarij S. Officij præcedunt Vicarios Episcopi quando Episcopus est præsens in Congregatione. Quod obtinet ubi intervenit tantùm Vicarius, & non Inquisitor.

Vicarij S.Officij non amoveantur ab illo sine cuius licētia nequeunt novi deputari Generali, nisi priùs facto verbo in S. Congregatione ut successor deputari possit.

Vicarium S. Officij præcedit Prior Conventus Consultor, qui etiam præcedit Lectoren primarium Consultorem.

Vicarius Episcopalis, si non potest Congregationibus, & aliis S. Officij actibus interesse non potest alium in suum locum substituere, sed Inquisitor solus procedat: alia sparsim.

Consultatio CXXX.

De Inquisitorum Consultoribus. Quales esse debeant. A quo eligendi. In quibus casibus ab Inquisitoribus vocandi. Quænam eorum suffragia, merces; Obligatio, ac pœna in non servando secreto. A quo puniendi. Eorum privilegia. Quatenus esse possint Advocati fiscales S. Officij, vel reorum, Ubi ad rem effata.

Quemadmodum non mediocris est temeritatis suo tantum iudicio velle cuncta Reipublicæ negotia administrare, ita quoque summæ est imprudentiæ promiscuè Consiliarios ad consultandum admittere, nulla habita donorum naturæ & animi ratione. Natura enim suum cuique ac genuinum quiddam ingeneravit. Ideoque Siracides Eccles. 37. non omnia omnibus expedire ait.

Sint itaque Consultores S. Officij viri graves, probi iudicij, diligentes, ita, ut se pares negotijs ostendant, senes potiùs, quàm iuvenes, qui tamen virtute, integritate, prudentia præstent, veritatis amantes, ac studiosi, constantes. Nihil enim est, quod tam deceat quàm in omni regerenda, consilioque capiendo servare constantiam. Sint denique probatæ vitæ, Doctores theologi, vel Canonistæ aut Jurisperiti fidi fideique Catholicæ Zelatores, quorum sententia utique necessaria sit, Sententia etenim absque adstipulatore solitaria, molimine proprio facilè labitur, atque deerrat. Quæ verò Consultorum cautionibus comprobatur, tutò ipsa constituitur. In huiusmodi autem electionibus virtus semper præ oculis habenda est. Alij esse debent Theologi, ut propositionum gradus, & qualitates rectè expendantur. Alij Doctores utriusque iuris, ut in ordine iudiciario ritè ac rectè absolvantur absolvendi, damnentur condemnandi, eligique possunt non solùm Ecclesiastici seculares & regulares, sed etiam laici etiam coniugati, nam etiam laici qualis fuit Carena ipse, in causis Ecclesiasticis ac spiritualibus consilium dare possunt, ut ait Innoc. *in cap.* 2. *iudic.* ibique Ostiens. ac cœteri. Quod non procedit in Regno Lusitaniæ, quia ibi Consultores habent votum decisivum & in sententijs se subscribunt, teste Sousa *in aphorism. S. Offic. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 14. Eligi etiam possunt plures, quia, ut ait Salomon proverb. *cap.* 11. *&* 24 Erit salus ubi multa consilia sunt, & annotat Pegna *in direct. p.* 3. *com.* 126. *vers. Cœterum.* Nec in ijs requiritur ætas 40. *annorum*, Sous. *lib.* 1. *aph. cap.* 1. *n. n.* 14.

Regulariter eligi possunt ab Inquisitoribus, quia ipsi cognoscunt, quinam sint ad hoc munus idonei, refertque Carena *p.* 1. *tit.* 8. §. 1. *n.* 3. *&* 4. in multis civitatibus de facto ab eis deputari. Hodie tamen in omnibus ferè Civitatibus tam Consultores, quàm Advocatus fiscalis, & Notarius nominantur ab Inquisitoribus, & eliguntur ab Em. Cardinalibus supremæ Inquisitionis, & sæpe etiam absque Inquisitorum nominatione eliguntur ab ipsa S. Congregatione, à qua dependent, & sine cuius licentia nequeunt novi deputari, neque ab Inquisitoribus removeri possunt; nam actus tribuitur confirmanti, ut probat Surd. *cons.* 385. *n.* 33. *vol.* 3. *&* Boron. *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 2. Et si renunciare voluerint, eisdem Cardinalibus facienda est renunciatio, iuxta doctrinam Bartol. *in l. fin. C. de à cap. defens. civit.* Renunciatio enim Officij fit in manibus illius, qui illud contulit, ut per Gemin. *cons.* 127. Nec solùm vocandi sunt quando ferenda est sententia condemnatoria, sed etiam in absolutoria, ut docet Brun. *lib.* 4. *de hæret. cap.* 10. & Pegna *loc. cit. vers. periti verò*, ubi addit, non modò vocandos esse cùm sententiæ ferendæ sunt, verùm etiam quoties in alijs iudicijs occurrit aliqua difficultas, vel circa testes, vel circa delatos, aut in alijs quibuscunque articulis. Solent enim emergere dubia, an testes bene probent? an reus torquendus sit? an ob eius verba, vel facta sit vehementer, vel leviter de hæresi suspectus? an sit condemnandus, anve absolvendus? & his similia. Quibus in casibus possunt quoque Inquisitores cogere, si oportuerit, Consultores, ut sibi assistant, & consilium præbeant. Quod probat Eymer. *d. p.* 3. *direct. q.* 77. *ex cap. ut commissi* §. *advocandi de hæret. in* 6. & præsertim ante rei sententiam debent illos requirere. Verùm si causas minimè graves Inquisitores, inauditis Consultoribus, expedirent, non iccirco male se gererent, sed validè sententiam ferrent. Quia in tali casu consilium præsumitur præcipi, ut licitè actus fiat, non ut validè. Unde *in cit. cap. Ut commissi* dicitur, *Vocandos esse peritos prout expedierit.* Non ergo vocandi quando ab Inquisitoribus iudicatur, non expedire.

Quamvis autem de iure communi non sit prohibitum, patrem & filium esse simul Consultores, sicut nec duos fratres, tamen admitti non debent ob periculum, quod alterius votum non sit omnino liberum. Et ideo, S. Congregatione inconsulta, hos Inquisitores eligere non debent, quæ si eos admiserit, solet rescribere, ut ambo simul non conveniant.

Eorum suffragia in Regno Lusitaniæ sunt decisiva, ex Sousa *loc. cit. & lib.* 2. *cap.* 36. *n.* 9. Et ita esse dicendum in alijs locis, affirmant Decian. *lib.* 5. *cap.* 14. *n.* 10. Zanard. in *direct. theol. p.* 2. *cap.* 6. *q.* 42. Albertin. q. 26. *cond. l.* 15. Homobon. *de statib. p.* 1. *cap.* 6. Et docent esse periculosum, ac reprehensione dignum, Inquisitores in tribus à suffragio Consultorum dissentire. Primò, quando cum Consultoribus consentit Episcopus. Secundò, quando omnes Consultores sunt eiusdem suffragij. Tertiò, quando maior pars consentit erga innocentiam inquisiti. Etenim *cap. Statuta de hæret. in* 6. iubet, quòd Inquisitores sententias ferant de consilio peritorum. Ubi autem lex iubet aliquid fieri de consilio, vel ex consilio alicuius, illius consilium est petendum, ac sequendum, ut per Eymer. *p.* 3. *q.* 78. Albert. *in cap. quoniam q.* 10. *de hæret. & de agnosc. d. q.* 26. *n.* 11.

At verò alij communiter docent, Consultorum suffragia in hoc Sacro Tribunali esse tantùm consultiva, non autem decisiva. Ita Bartol. *in aphorism. litt. V. verb. vota Consultorum*, Lucern. Inquis. *v. Advocatus* 4. ibique Pegn. *in annot.* Zech. *in sum. tom.* 1. *de hæret. cap.* 11. *n.* 14. Royas *eod. tit. p.* 1. *n.* 409. *iuncto. n.* 422. ubi notat per Proceres supremæ, ac generalis Inquisitionis hoc esse declaratum, & iam usu, & consuetudine receptum, Farinac. *de hæres. q.* 185. *n.* 193. Diana *p.* 4. *tr.* 8. *res.* 38. Caren. *loc. cit. n.* 52. Salell.

lib. 1.

*lib.*1.*cap.* 2. *n.* 22. & *p.* 2.*n.* 166. Symanch. *tit.* 41. *n.* 14. Bursat. *lib.* 1. *cons.* 90. *n.* 36. *&* 49. Trevisan. *lib.* 2. *dec.* 35. *n.* 1. *alijque.* Est indubitatum, ac confirmatum praxi, ac litteris S. Congregationis apud Carenam *p.* 1.*tit.* 8. *n.* 53. Nullibi enim in iure legitur decretum, quod huiusmodi suffragium sit decisivum. Et regula illa communiter reijcitur. Solùm enim videtur importare necessitatem saltem petendi consilium. Ideoque advocandi sunt, prout expedierit, qui modus loquendi non importat necessitatem, sed arbitrium Inquisitorum. Et ita etiam habetur ex instructione Maduliana apud Pegnam.

Consultius tamen, & tutius esse, non discedere à Consultorum suffragio, monet Pegna *loc. cit.* quod Carena *n.* 54. approbat, ut Inquisitor sine ratione non discedat à suffragio Consultorum. Quod sanè verissimum puto. Quia Inquisitorum arbitrium debet in hoc esse rationabile. Unde si non adsit ratio, ex qua ostendatur Consultorum suffragium discedere à veritate iuris, non debet Inquisitor illud reijcere. Hoc enim esset recedere à veritate, & à regulis iuris. Fateor tamen, dari casus, in quibus Inquisitor, salva conscientia, non potest sequi suffragium Consultorum. Cæterum etiam in casu, in quo suffragia sint conformia & etiamsi cum illis conveniat Episcopus, Inquisitor conscientiæ suæ consulere debet, & tunc poterit consulere supremum Tribunal S. Inquisitionis, illique statum causæ proponere, & eius definitionem expectare.

Nam Inquisitorem, si erret, nec coram Deo, nec coram hominibus excusari, sed puniendum esse, non obstante, quòd Consultorum suffragio ductus fuerit in definiendis causis fidei, tradunt Pegna *in.p.*3. *direct. com.* 126. Royas *de hæret. n.* 424. Farin. *d. q.* 185. *n.* 194. & Caren. *d. tit.* 8.*n.* 56. *& seq.* Debet itaque Inquisitor ipse merita causæ perpendere, ac diligenter examinare, nam ipse Deo, ac hominibus rationem redere debet de actionibus suis, absque eo, quòd excusetur, quòd vota Consultorum sequutus fuerit. Et propterea finge, quòd Episcopus, & Inquisitor procedant ad sententiam non solùm se non conformando suffragio Consultorum, sed neque eos ad consilium evocando, sententia est valida, Diana *d. tr.* 8. *resol.* 38. & Carena *loc. cit. n.* 55. quia ut dictum est arbitrarium sit Inquisitoribus Consultores evocare. Quidquid contra dixerit Castropal. *tr.* 4. *dispo.* 8. *pun.* 11. *n.* 3.

Quando tamen Inquisitores sunt Theologi, illos discedendos non esse à Consultorum iuris peritorum suffragijs, & quando sunt iuris Doctores in causis fidei à suffragijs Theologorum in notandis propositionibus hæreticis, & catholicis, earumque qualitatibus expendendis, docent Pegna *d. p.* 3. *com.* 127. *vers. Cùm verò Inquisitores*, Bariola *ubi supra*, & Diana *p.* 5. *tr.* 12. *resol.* 38. *n.* 4.

Nullam autem pro suis consilijs, & laboribus petere possunt mercedem. Quia licet Advocatus, ac juris Doctor non teneatur gratis consulere in causis forensibus ac temporalibus *ex cap. non licet* 69. 11. *q.* 3. Consultores tamen S. Officij gratis consulere & laborare debent, quia eorum consilia, & labores ordinantur ad bonum Spirituale christianæ Reipublicæ, & ad conservationem catholicæ fidei ad quæ quilibet fidelis gratis tenetur. Unde si aliquis pretium reciperet, reus esset peccati mortalis, putans sibi licere pretio facere, quod gratis exhibere tenetur, faciens iniuriam fidei catholicæ, quam gratis propugnare debet.

Non est autem huiusmodi Consultoribus dandus totus processus, nec publicanda sunt nomina testium, vel circumstantiæ ex quibus testes possint cognosci, sed datur summarium processus, vel eius summarium coram eis legitur, ut per Farinac. *d. q.* 185. *n.* 196. & sic iuxta textum *in cap. fin. de hæret.* merita processus, & causæ dantur, seu integer processus dari dicitur, dato integro summario ipsius, & verum est quod tradunt Eymer. *p.* 3. *q.* 78. ibique Pegna *com.* 80. & Carena *d. tit.* 8. *n.* 46. Viso autem processu, eorum partes sunt examinare, an intentio Fisci sit probata, vel potius elisa ex probationibus & exceptionibus rei, & postea secundum suam conscientiam, Dei iudicium præ occulis habentes, suffragium ferre.

Tenentur autem servare secretum in causis S. Officij. Unde in actu, quo recipiuntur in Consultores, iurant servare secretum de rebus in Congregatione pertractandis, ac de ijs, quæ concernunt causas S. Officij sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda à qua non possunt absolvi, nisi à Summo Pontifice. Immo, licet hoc iuramentum non emitterent, adhuc tamen ad custodiendum secretum tenentur ex multis legibus, quæ iubent, ne causæ fidei propalentur ob ingens periculum, quod inde nasci potest. Quare *in cap. statutum* §. *& ut eorumdem de hæret. in* 6. statuitur, ut etiam Inquisitores Consultoribus indicere possint secretum in dictis causis S. Officij sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. Taciturnitas enim in Consultore huius Tribunalis, sicut & in quovis Consiliario necessaria est, cùm ea sit optimum, atque tutissimum rerum administrandarum vinculum.

Et quidem consilium, inquit Festus Pompeius, à silentio dictum, quo maximè innititur. Parum enim est rectè deliberare, censere, atque consulere, nisi arcana consilia silentio obsignentur. Ideo tam nescire quædam, quàm scire oportet. Unde, quod universè Siracides ait *Ecclesiast.* 20. hic etiam obtinet. *Homo sapiens tacebit usque ad tempus, lascivus autem, & imprudens non servabit tempus.* Illud historici effatum imbibendum: *Res magnæ sustineri ab eo non possunt, cui tacere grave est.* Q. Curt. lib. 4. Laudantur hac in re Persæ, apud quos nemo consiliorum particeps erat, præter Optimates taciturnos ac fidos, apud quos & silentij quoque Numen colebatur. Immo veteri eorum disciplina arcana Regum vitæ periculo custodiri sanxerunt. Egyptijs lex erat, quæ iubebat abscindi illi linguam, qui arcana Reipublicæ, quæ tecta esse debent, alicui detexisset. Et meritò; nam in cassum sunt consilia, si antequam exequaris, detegantur. Apud Romanos verò consiliorum renunciatores aut vivi exurebantur, aut furca suspendebantur, quanquam supervacanea eiusmodi lex fuisse videatur propter ratum, probatumque in eis silentium, quippe quorum Curia in tanto alioqui numero Senatorum, silentio sic undique clausa fuit, ut non dicam unum, sed neminem audisse crederes, quod tam multorum auribus fuerat commissum, ut ait Val. Max. *lib.* 2. *cap.* 2. Quin etiam singulorum pectora æquè silentij salubritate munita. Exemplo sit Pompeius, qui dum legationis Officio fungeretur, à Gentio Rege interceptus, cùm Senatus consilia prodere iuberetur, ardenti lucernæ admotum digitum cremandum præbuit, eaque patientia Regi simul, & desperationem tormentis quidquam ex se cognoscendi excussit, & expetendæ populi Romani amicitiæ magnam cupiditatem ingeneravit. Mirus profectò, ac stupendus viri animus tali taciturnitate obfirmatus. In Senatu igitur S. Tribunalis gesta, dicta, iudicata æterno silentio teguntor. Nihil iniussu Pontificis summi revelante. Hoc ipsum secretum servare iurant ipsi Inquisitores, Episcopi & Eminentissimi Cardinales supremæ Inquisitionis. Quòd si Consultores violent secretum, puniri possunt per Inquisitores, & haberi tanquam impedientes S. Officium, ut per Pegnam *d. par.* 3. *com.* 291.

Ob hoc tamen juramentum non prohibentur Consultores extra Congregationem inter se loqui & cum ministris S. Officij, qui simile juramentum de secreto servando præstiterunt, alijs tamen non audientibus, de

meritis causarum in Congregatione sibi propositarum ut per Zanardum, *Lucernam Inquis. loc. cit.* & Bardon. *d. tom.* 1. *cap.* 38. *num.* 24. Notat etiam Carena *p.* 1. *tit.* 8. §. 1. *num.* 63. quod, lata & publicata sententia, Consultor potest dicere: Ego fui in tali voto, dummodo non adsit scandalum, & illi, quibus Consultor votum suum revelat non possint in cognitionem voti aliorum Consultorum devenire, neque adsit periculum ex tali revelatione excitandi rixas, & contentiones. Vota verò aliorum nunquam ei licet revelare. Summoperè igitur caveri debet, ne fiat aliquod præjudicium causis S. Officij. Forma autem juramenti præstandi habetur apud Masinum *in praxi p.* 9.

Præter autem Consultores eliguntur Qualificatores Theologi, qui examinent propositiones, & discernant, quæ sint hæreticæ, vel erroneæ, vel temerariæ, aut sapientes hæresim, vel scandalosæ. Horum tamen Qualificatorum major necessitas est in Hispania. ubi Inquisitores sunt Jurisconsulti. Sed in Italia, ubi Inquisitores sunt Theologi, & ex ipsis Consultoribus, aliqui etiam sunt Theologi, rariùs consuluntur Qualificatores.

In hanc rem parerga. Tam Eminentissimi Cardinales, quàm cœteri Officiales suffragium ferentes in causis S. Officij etiamsi interveniat pœna sanguinis, irregularitatem non contrahunt.

Debent servare secretum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Et tamen restricta ad ea, quæ propalantur in præjudicium S. Officij.

Debent ab initio præstare juramentum de fidelitate ac silentio servando sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, à qua non possunt, nisi à Summo Pontifice absolvi.

Revelantes S. Officij secreta, & quæ dicuntur in Congregationibus, præter excommunicationem, quam ipso Facto incurrunt, puniuntur ac si offendissent propriam personam Summi Pontificis.

Ipsi Cardinales ne possunt quidem reddere certiores alios Cardinales absentes de rebus in Congregationibus tractatis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, cuius absolutio est pariter Summo Pontifici reservata. Quod silentium servare debent, etiam post publicatum processum, ita ut nemo ex Cardinalibus generalibus Inquisitoribus possit Officialibus, alijsve concedere licentiam, ut loquantur de ijs, quæ dictas causas concernunt.

Servari debet sub eisdem pœnis circa ea, quæ in Congregationibus coram ipso Pontifice dicuntur, etiam occasione alicujus sermonis non spectantis ad causas S. Officij.

In causis S Officij servandum est secretum, etiam ipsis causis finitis.

In rebus S. Officij tenentur secretum etiam servare inter se conjuges, quando fuit eis injunctum cum juramento.

Is, cui sub Sigillo secreti naturalis fuit commissum homicidium patraturum in personam Inquisitorum vel Consultorum S. Officij, potest cogi ad veritatem fatendam.

Quod verò ad Consultorum punitionem, si deliquerint, vel talis Consultor, etiam regularis, delinquit in officio S. Inquisitionis, & ab Inquisitore puniendus est; quia ratione illius officij eximitur à suo Superiore ordinario, fitque subditus ipsi Inquisitori sicut parochus regularis ratione Officij parochialis fit subditus Episcopo *cap.* 1. *& cap.* 9. *de privil. in* 6. & Concil. Trid. *sess. cap de reform.* Quisque enim fit de foro alterius ratione delicti dependentis ab illius jurisdictione *cap. fin. de for. compet.*

Vel delinquit extra hoc officium in regularibus observantijs, & puniendus est à suo superiore regulari à cujus subjectione non eximitur ob officium Consultoris. Alioquin sequeretur, quòd posset omnino se eximere à subjectione sui Prælati, quodque nullatenus teneretur ei obedire, quia subjectio major est quod ad superioris punitionem, quàm quod ad regularem observantiam, & disciplinam; majorque ac efficacior est subjectio Regularis erga suum superiorem, quæ oritur ex obligatione naturali perpetua voti obedientiæ, quàm erga Inquisitorem, cujus subjectio est accidentalis ad tempus, amovibilis. De Consultoribus verò secularibus alibi dictum est, ac mox dicetur.

Privilegia verò Consultorum S. Officij hæc sunt. Si Consultor est Canonicus, dum actu est in Congregationibus S. Officij, vel est absens ex causa ad S. Officium spectante, lucratur distributiones, quæ debentur solis interessentibus. Nam si hæ distributiones dantur Clerico absenti pro evidenti utilitate Ecclesiæ, ut *ex cap. un. de Cleric. non resid. in* 6. multò magis dari debent Consultori, qui est absens pro necessitate defensionis causæ fidei in destructionem hæresis.

Gaudent etiam privilegio fori Tribunalis S. Officij in causis criminalibus, & in multis locis etiam in civilibus, ut cùm de iurisdictione Inquisitorum iam diximus. Assistentes verò non solùm in causis hæresis, sed etiam in quacunque causa criminali, quæ coram Inquisitore tractatur suffragium possunt ferre contra reos, quo damnentur, etiam usque ad mutilationem membri, & ad pœnam capitalem inclusivè absque alicuius censuræ, vel irregularitatis incursu, ex Constit. Pauli IV. edita 29. Aprilis 1557. confirmata à B. Pio V. ut testantur Locatus *in judicial. Inquis. tit. de decretis*, Pegna *p.* 2. *direct. com.* 20. *vers. Quanquam autem.*

Possunt non ad libitum, sed ex rationabili causa impunè deferre arma. Nam Inquisitores habent privilegium habendi familiam armatam ex Clem. *nolentes de hæret.* & ex Constit. Ioannis XXII. In eorum autem familia numerantur Consultores.

Quotiescunque consilium præstant, vel Congregationi aut abiurationi assistunt, indulgentiam trium annorum lucrantur ex Constit. 16. Alexandri IV. Et si in prosequutione sui Officij mortem obierint plenam indulgentiam consequuntur ex Constit. Urbani IV. Immo Masinus *in suo Arsinali fol.* 11. ait, quòd Consultores alijve in quolibet actu ad causas S. Officij spectante, indulgentiam omnium peccatorum adipiscuntur ex Concilio Lateranensi sub Innountio III. & ex Brevi Pauli V. dato 29. Julij 1611. Quod etiam notat Bordon. *loc. cit.*

Regulares sunt etiam exempti à superioribus suis in ijs, quæ pertinent ad S. Officium, nec possunt impediri, quin accedant ad Congregationem, vel ad abiurationem reorum neve exequantur quæ ab Inquisitoribus eis imponuntur. Neque removeri possunt à Conventu ad Conventum quando Inquisitores indigent eorum consilio. Verùm si ipse Consultor sponte removeri vellet, potest alibi discedere, ac etiam renunciare Consultoris Officium, quod non confertur invito, neque ab invito exercetur.

Et quamvis aliqui voluerint, quod ex Consultoribus aliquis esse possit Advocatus fiscalis S. Officij, vel Advocatus reorum ex praxi, quam probat Carena *p.* 1. *tit.* 9. §. 2. *n.* 19. *& seq.* eligique soleat ab Em. Cardinalibus supremæ Inquisitionis, possitque alter ex Consultoribus esse rei advocatus ad ipsius petitionem, ut inquiunt Sousa *in aphorism. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 8. Caren. *loc. cit. tit.* 10. §. 1. *n.* 4. qui etiam testatur sæpe vidisse in rei advocatum aliquem ex Consultoribus deputari, quo in casu non posse Officium Consultoris exercere, neque ipsius suffragium in tali causa ferre, ijdem Doctores dicunt. Nihilominus ex decreto S. Universalis Inquisitionis Consultores S. Officij non possunt fungi Officio Advocati reorum eiusdem S. Officij, ut de-

ut decretum 4. Aprilis 1601. Neque munus Procuratoris eorundem reorum suscipere, ut etiam decretum 10. Februarij 1707.

Effata sunt huiusmodi. Consultores non possunt accipere sportulas pro ferendis suis suffragijs in causis S. Officij.

In expediendis causis non in scriptis, sed ore tenus ferre debent suffragia.

Debent gratis interesse Congregationibus.

Non debent eis dari autographa processuum reorum, sed tantùm summaria causarum, suppressis reorum ac testium nominibus.

Non sunt gravandi oneribus militaribus.

Debent summaria processuum, causis propositis ac expeditis, ad S. Officium deferre.

Lucrantur distributiones funebres, Quando non possunt actu funeri ac mortuarijs interesse. Inquisitor tamen Congregationes habere non debet, quando funera fiunt.

Extra Urbem non habent facultatem legendi libros prohibitos.

Pro tempore, quo Congregationibus intersunt, lucrantur distributiones quotidianas.

Debent sedere in locis suæ dignitatis, non autem secundùm antianitatem. Et is, qui est Protonotarius non gaudet privilegijs Protonotariorum, nisi incedat in habitu. Ubi verò est consuetudo quòd sedeant secundum antianitatem nullo habito respectu ad Dignitates, non est immutanda.

Eorum hæredes tenentur post illorum mortem sub pœna excommunicationis tradere quascumqne scripturas ad S. Officium quomodolibet spectantes ad S. Officium.

Ipsis, ipsorumque famulis inservientibus conceditur licentia deferendi arma, non autem eorum consanguineis, neque affinibus loco familiarium.

Deputari non possunt pœnitentiarij Cathedralium, ne pœnitentes ob suspicionem S. Officij retrahantur à confessione peccatorum.

Novi non possunt deputari absque licentia S. Congregationis, & ubi sunt eorum numerus reducendus est ad septem.

Debent habitare in civitatibus, in quibus resident Inquisitores.

Habent facultatem sibi eligendi unum famulum, qui deferat arma. Id tamen non permittitur Consultoribus regularibus.

Consultores, Commissarii, Qualificatores in Hispanijs non gaudent indulto exemptionis à residentia, ministris S. Officij concesso, nisi morantes in proprijs locis, ubi, habent residentiam, & pro illis horis tantùm quibus actu exercentur in negotijs S. Officij; Nec debent deputari Consultores, Commissarij, vel Qualificatores extra loca, & Civitates, in quibus ratione suorum beneficiorum tenentur residere. Solus tamen Commissarius, tanquam valde impeditus, gaudet huiusmodi exemptione ex tolerantia, sive concordia inita cum Ecclesiijs.

In præcedentia inter Consultores Canonicos Cathedralis, & Consultores Regulares in ferendo suffragium in Congregationibus S. Officij servari debet consuetudo.

Contra Consultores S. Officij Neapolitani Archiepiscopus non exercet suam iurisdictionem in causis criminalibus, neque in civilibus.

Reliqua cum de familiaribus S. Officij disseremus.

CONSULTATIO CXXXI.

De Advocato fiscali S. Officij. De ejus necessitate. A quo eligatur, & qualis. Eius munus. In quibus actibus præsens esse debeat. Qua de causa recusari possit, tanquam suspectus. De eius iuramento calumniæ; Deque eius appellatione à sententia Inquisitorum, ac de obligatione recipiendi depositiones testium, tam contra inquisitum, quàm pro Inquisito.

NEcessariò in Tribunali S. Inquisitionis dandus est Advocatus, sive Procurator fiscalis. Dum enim in omnibus causis, in quibus de utilitate ac iure Fisci agitur, sive causæ sint civiles, sive criminales deputatur Advocatus fiscalis ex Imperatorum statutis, isque dicitur, qui causas agit publicas, & principes, & ea, ex quibus etiam compendia in Fiscum deferuntur, qui accusat, & defendit in quantum Reipublicæ interest sine periculo calumniæ. *L. Fisci Advocatus* 3. *C. de Advoc. Fisc.* multò magis necessariò deputandus est in S. Tribunali, in quo agitur de christianæ & catholicæ fidei conservatione ac defensione contra hæreticas pravitates. Qua de re nemo dubitat, ut advertunt Symanch. *de Cathol. instit. tit.* 53. Param. *de orig. S. Inquisition. lib.* 3. *quæst.* 9. *numero* 15. alijque communiter.

Et sicut in alijs Tribunalibus civilibus, & criminalibus Advocati fiscales à Principe creantur, ut notant Mathil. *libro quinto de Magistrat. cap. octavo numero* 85. Tap. *in jure Regni Neapol. lib. secundo de offic. Advoc. & Procur. Fiscal. numero duodecimo*, ita in Sac. Tribunali eligitur à summo Pontifice, vel à suprema S. Officij Congregatione, ut per Caren. *p.* 1. *tit.* 9. *§.* 2. *numero* 19. Verùm hodie Inquisitores eligunt Fiscalem S. Officij, ut declaratum à S. Congregatione 17. Martij 1606.

Esse autem debet vir probatæ vitæ, zelator fidei, juris peritus, ac præcipuè versatus in cognitione delictorum ad S. Officium spectantium, pœnarum & Constitutionum quæ in materijs Tribunalis editæ sunt.

Ac sicuti etiam Advocatis fiscalibus Principis maximè commendatur Principis jurisdictio, ut notat Bobadil. *in polit. lib.* 2. *cap.* 12. *numero* 4. ita quoque Advocatis fiscalibus S. Officii diligentissimè commendatur jurisdictio S. Tribunalis. Eorum autem munus est porrigere accusationes contra hæreticos post assumptam summariam informationem contra eos, dicta testium exquirere, libros denunciationum revolvere, ut quos reos cognoverint, possint coram Inquisitoribus instare, ut carceribus mancipentur, ac debitis pœnis mulctentur; processus, qui contra reos instituuntur, diligenter scrutari, ut relationis tempore possint tam in facto, quàm in jure, quæ requiruntur allegare; ac denique coram Inquisitoribus instare debet, ut edicta fidei sæpius promulgentur.

Porro praxis S. Inquisitionis in Regnis Hispaniarum est, ut ait Carena *loc. cit. §.* 4. *numero* 39. ex Symancha *tit.* 53. *numero* 10. quòd Fiscalis, si vult in Con-

in Congregatione præsens esse relationi actorum & ibi allegare in jure & in facto, id ei conceditur. Abest verò cum testium dicta scribuntur, rataque habentur, & cum Judices, & Consultores de sententia ferenda deliberant. Quod est magis conforme dispositioni juris communis, secundum quam cùm testes examinantur, vel repetuntur, vel per eos ratæ habentur depositiones, non potest Advocatus fiscalis esse præsens, quemadmodum nec potest præsens esse cùm reus torquetur, ut pluribus allegatis probat Afflict. *in Constit. Regn. lib.* 1. *rubr.* 61. *in constit. questiones nu.* 5. *& seq.* Quia sicut in examine testium, abesse debent partes, & in actu torturæ accusator, ita debent abesse Advocati partium, & accusatoris, ideoque in Regnis Hispaniarum ex allegata consuetudine abest Fiscalis cùm dicta testium scribuntur, vel rata habentur.

. Verùm in S. Inquisitionis Tribunali hæc non servantur. Nam licet examini testium Advocatus fiscalis non intersit, nisi ab Inquisitore vocatus, attamen ex decreto peculiari S. Congregationis supremæ Inquisitionis, ut ex literis Cardinalis Mellini sub die 27. Iulij 1618. interest examini testium ad defensionem, eorumque repetitioni, ac etiam esse debet præsens Congregationibus, dum causa agitur, semperque esse præsens torturæ unà cum Inquisitore, qui sedet medius inter Vicarium generalem à dextris, & Advocatum fiscalem à sinistris. Quare Dauza *de pugn. Doctor: tit. de offic. Fisci numero* 111. ait, quòd licet doctrina Afflicti in jure sit vera, ipse tamen semper vidit contrarium observari. Idemque vidisse testatur Carena *loc. cit. numero* 42. *& seq.* ubi ait, quòd si ipse esset Inquisitor nunquam ad torturam deveniret sine Advocato fiscali, qui si abesset, deputaret alium Officialem Tribunalis pro illo actu.

Quanquam autem in foro seculari, in quo Advocatus fiscalis habet in causis suffragium decisivum, possit tanquam suspectus recusari, sicut quilibet ex cœteris Judicibus, ut præ alijs latè probat Tap. *loc. cit. tit.* 33. *de suspic. Official.* Ubi tamen non habet suffragium decisivum, sed tantum intervenit in informatione processus, in testium examine, in rei tortura, & alijs actibus judicialibus, plerique docent, non posse in hoc casu Advocatum fiscalem ut suspectum recusari, ut Peguer. *decisione* 262. licet alij sustineant, quòd etiamsi suffragium non habeat decisivum, adhuc ut suspectus recusari possit, ut Rovit. *in pragm. Regn. tit. de suspic. Official. pragm. quinto numero* 2. & Mastril. *decis.* 414. *vol.* 3. In Tribunali autem S. Officij Advocatus fiscalis non habet suffragium decisivum, cùm nec illud habeant Consultores. Solus enim Inquisitor & Episcopus causas S. Inquisitionis decidunt, ideoque suspiciones Advocati Fiscalis non sunt ex regula admittendæ, eò magis quando eliguntur ad id munus à summo Pontifice, vel à supremo Cardinalium Senatu. Hujusmodi autem Officiales à Principe electi, recusari sine urgenti causa non possunt, *l. un. ff. de Offic. Præf. Pretor.* probatque Cubed. *decis.* 20. *numero* 7. *par.* 1. Si tamen contra Advocatum fiscalem allegaretur, & probaretur inimicitia capitalis, ille debet à tali causa abstinere, & Inquisitor alium Advocatum fiscalem surrogare. Quod etiam tradit Caren. *d. par.* 1. *tit.* 9. §. 6. *numero* 60. *& seq.* Quibus autem ex causis oriatur capitalis inimicitia, tradit Pegna *par.* 3. *com.* 116. & nos *alibi* fusè.

Debet autem Advocatus sive Procurator fiscalis S. Officij juramentum calumniæ præstare si reus ab ipso petierit. Nam hoc juramentum in omnibus judiciis, & causis præstari solet quotiescumque una pars ab altera illud petat ut ex auth. *principales C. de jurejur. cap. fin. de jurejur. cap. dudum* 2. *de elect.* Jure siquidem civili, ut malitijs & calumniis contentiosorum obvietur, summa ratione, ac publicæ utilitatis causa inductum est, quòd tam Actor, quàm Reus statim post litis contestationem teneantur præstare juramentum calumniæ *libro secundo cum auth. seq. C. de jur. propter calum.* juncta Glos. *v. calumniæ in cap.* 1. *eodem* & junctis ijs, quæ tradit Specul. *de juram. calum.* §. *Nunc dicamus*, quibus in locis hæc habentur pleniùs expressis etiam omnibus requisitis istius juramenti sive ab Actore, sive à Reo præstandi. Eodem insuper civili jure constitutum est, quòd hujusmodi jusiurandum calumniæ non possit à partibus litigantibus invicem remitti, cùm in favorem publicum inductum sit per *libr. secund.* §. *sed quia veremur* 4. *C. de jurejur. propter calumn.* ubi Bartol. id notat, ac ita demum hoc procedere declarat, si partes velint illud expressè remittere, secus si tacitè. Id enim bene ab iis fieri posse *per textum in capit.* 1. *eodem tit. in* 6. Præterea juramentum etiam istud per consuetudinem contrariam tolli non posse jure canonico cautum est, *cap. cœterum*, ubi notat Panorm. *numero* 13. *de juram. cal.* Cuius rei ratio est, quòd talis consuetudo omnino esset irrationabilis *arg. eorum quæ traduntur à Glos. ibidem v. veritatem in d. cap. cœterum*, ubi dicitur, juramentum calumniæ inventum esse gratia dicendæ veritatis & ut timore ejus temeritas contentiosorum hominum in lites facilè proruentium compesci posset. Finis namque juramenti hujusmodi est litium facilior, & promptior terminatio. Nam sacramenti timore contentiosa litigantium instantia compescitur. Unde patet, si consuetudo contrarium inducat, quòd hæc contra veritatem fundat, & calumnias excitet, ideoque statuto non tollitur, nisi fortè ingens ejus ratio de novo emergens reddi possit, qualem adducit Panorm. *in d. capit. cœterum num.* 9.

Facta igitur coram Judice litis contestatione non aliter Actori, vel Reo suis allegationibus uti permittitur, nisi sacramento propter calumniam dato. Statim ergo post litem contestatam juratur de calumnia vitanda *cap.* 1. *cap. cùm causam de juram. calum. d. l.* 2. *in princ. C. de jurejur. propter cal. & semel tantum in tota lite.* Calumniari autem est falsa crimina intendere *lib.* 1. *in princ. ad Turpil.* vel per meras frustrationes negotium differre, vel per fraudem alios litibus vexare, inde & calumniatores appellati sunt, qui per fraudem, & frustrationem alios vexarent litibus *l. si calumnietur ff. de verb. & rer. signif.* & calumnia pro omni petitione injusta, aut pro accusatione falsa & pro omni malitia hic accipitur, Glos. *in clem.* 1. *de sent. & re jud. in notab.* Sicque apud Justinianum generaliter scriptum §. 1. *in proœm. Instit. Ut per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat.* Dicitur & juramentum malitiæ *cap.* 2. §. *fin. de jurament. cal. in* 6. Inde & calumnia dicta est illa frustratio, & vexatio litibus facta, quæ, ut restringatur, & veritas causæ manifestetur, & calumniosa petitio, ac defensio evitetur, inductum est, ut diximus, hujusmodi calumniæ juramentum. Utraque igitur pars jurat de calumnia vitanda, & non quod sciat, sed quod credat se justam causam faccere: Est autem hoc juramentum

non

non de scientia, sed de credulitate, & iccirco nullus poterit conqueri, quòd compellatur dejerare.

Ergo similiter hoc juramentum præstandum est ab Advocato, sive Procuratore ipsius rei ob dictam rationem, ne veritas occultetur. Quòd si ille jurare recusaverit, cadit à causa, & actione advocandi, sive procurandi, & reus habetur pro confesso, ac per sententiam condemnatur *lege* 2. §. *quod si reus* C. *de jurejur. propter calum. cap. fin. de juram. calum.* §. *primo* & observat cum aliis Ricc. *decis.* 56. *Cur. Neapol.* sed hæc pœna non habet locum in causis beneficialibus, ne exinde detur vitiosus ingressus, neque in criminalibus, in quibus non fictæ, sed luce meridiana clariores probationes requiruntur Castr. *in legem secundam* §. *quod si actor numero* 5. C. *de jurejur. propt. calumn.* ubi & alij, uti sunt probationes, quæ fiunt in S. Officio, neque ipso jure committitur, neque ad hæredes transit, nisi sententia declaratoria intervenerit, Gail. *obs.* 86. *libri primi per totam.*

Potest tamen Advocatus, sive Procurator S. Officij appellare ab Inquisitorum sententia. Fiscum enim posse appellare in causa criminali à sententia contra se lata, nulla lege prohibetur. Immò habere speciale privilegium faciendi irritare sententiam contra se latam, probatur *ex leg.* 1. *C. de sent. contra Fiscum lat.* Et quòd possit appellare à sententia lata pro Rei libertate, licet libertas sit favorabilis, colligitur *ex l. istud* 2. *de appel.* Quia Fiscus de jure communi appellat, ut docent de Franch. *decisione* 148. *numero* 6. & 7. & *decis.* 270. Grammat. *decis.* 14. Jamfred. *dec.* 29. Thoming. *decisione* 21. & alij, quos sequitur Ricc. *loc. cit. dec.* 81. ubi refert pluries in Curia Archiepiscopali post Rei appellationem ad Papam, fuisse à delegato revocatam sententiam Curiæ, & Fiscum appellasse, ad ejusque instantiam fuisse iterum causam commissam. In omnibus itaque casibus, in quibus dari potest appellatio, concedi etiam debet Advocato, & Procuratori fiscali S. Officij, dum nulla de jure reperiatur in hoc S. Tribunali illius prohibitio. Quod etiam asserit Carena *p.* 1. *tit.* 9. §. 5. *num.* 50.

Tenetur autem idem Advocatus, sive Procurator fiscalis recipere depositiones testium, tam quæ sunt contra inquisitum, quàm quæ in illius defensionem, ex illa juris conclusione, quod dictum testis accipiendum est cum omnibus suis qualitatibus. Quod intelligendum est quatenus illæ qualitates respiciant factum. Nam depositio testis censetur individua, nec potest partim acceptari, partim reijci, sed aut in totum acceptari, aut in totum reijci; ut docent Alex. *cons.* 87. *numero* 1. *vol.* 1. Jason *in l. Pomponius* 13. §. *cum quis numero* 13. *ff. de acquir. possess. ac cœteri.* Si verò illæ qualitates non sint juris, nec jus respiciant, possunt utique reprobari, impugnari, ac reijci, licet in parte principali, acceptentur ut probat cum Iasone & aliis Ricc. *loc. alleg. decis.* 88. Quia talis reprobatio, sive impugnatio fit à lege, non ab homine, lex enim illas reddit invalidas, & nullas. Neque est absurdum acceptare partem, quæ approbatur à lege, & reprobare eam; quæ reprobatur.

Insuper depositiones testium eatenus attenduntur, quatenus factum respiciunt. Testis enim deponere debet de ijs, quæ sensu corporeo percipiuntur, & sic quæ sunt facti, *cap. testes*, ibique Glos. *v. qui noverunt, & viderunt* 3. *quæst.* 9. & *l. qui testamento* 20. §. & *veteres ff. de testam.* ubi Bartol. *numero* 1. Iason *in lib.* 1. *numer.* 15. *ff. si cert. petat.* Mascard. *de probat. concl.* 1166. *numero* 4. non vero de ijs, quæ sunt juris, & non pendent ab ejus potestate *l. confessionibus ff. de intent. act. l. Neratius* §. *fin. ff. ad Aquil.* Grammat. *dec.* 81. *numero primo* Decian. *cons.* 10. *numero* 84. Menoch. *cons.* 948. *numero* 34. Surd. *cons.* 5. *numero* 42. & *cons.* 552. *numero* 23. alijque. Ac proindè omne id, quod de jure à testibus refertur in ea parte, quæ de jure non subsistit, potest ab Advocato, & Procuratore fiscali S. Officij reijci ac impugnari.

CONSULTATIO CXXXII.

De Advocato, & Procuratore hæretici, ac suspecti de hæresi; ejus munus. Quis, qualisve. Quid de hæretico pertinaci. Cui dandus. Quatenus & à qua sententia possit appellare, ac recusare Inquisitorem.

ET sanè inquisitus vel est de hæresi confessus, vel convictus, vel nec confessus, neque convictus. Si primo modo nulla est obligatio, aut necessitas ei concedendi Advocatum, neque Procuratorem, neque alias defensiones, ut per Eymer. *par.* 3. *direct. de defens. reor. numero* 117. ibique Pegna *com.* 28. *sub initio*, Campeg. *ad Zanchin. de hæret. cap.* 9. *vers. judiciorum vero*, Locat. *in Iudicial. v. defensiones numero* 1. & alij. Nam Advocatus, & Procurator conceduntur, quando reus defendi potest. Quare si reus per propriam confessionem, vel per testium probationes est de crimine convictus, defendi non potest. In notorijs enim, & manifestis delictis non dantur defensiones. Nulla autem clarior, aut efficacior probatio reperiri potest, quàm rei confessio, ut tradunt Roman. *cons.* 329. *numero* 11. Alex. *libro primo cons.* 13. Felin. *in cap.* 1. *de except.* & *in cap. Cum super de re judic.* & Bald. *in auth. Sed novo jure C. si certum petat.*

Et quanquam in aliis delictis sola delinquentis confessio non sufficiat, nisi etiam de corpore delicti constet *ex lib.* 1. §. *Item illud ff. ad S. C.* Bald. *in auth. Sed novo jure C. de serv. fugit.* & Angel. *in leg.* 1. *C. de confes.* In crimine tamen hæresis ex sola Rei confessione ad eius condemnationem procedi potest. Quia cum crimen hæresis mente committatur, & in animo lateat, nequit manifestiùs probari, quàm per propriam Rei confessionem, ut notat Bald. *in l. siquis non dicam C. de Episcop. & Cler.*

Verum quia Tribunal S. Officij Inquisitionis est summè misericors, & quia defensiones sunt de jure naturæ *l. ut vim ff. de just. & jur. l. quoties C. de precib. Imper. offer. Clem. pastoralis* §. *cœterum de sent. & re judic.* & quia etiam contra propriam confessionem possunt multa opponi, ut docent Clar. *in pr. tr.* §. *fin. q.* 55. & 64. Pegna *loc. cit.* & alij, ideo, non obstante propria confessione, offerri solent inquisito, etiam confesso, aut convicto defensiones, & Advocatus, ne unquam injustè se condemnatum conqueratur, ut per Symanch. *de cathol. instit. tit.* 17. *de confes. reor. nu-*

mero 53. *& seq.* Pegna *d. com.* 28. *vers. Et quanquam.*

Si verò inquisitus non sit de hæresi confessus, neque convictus, dandus est ei Advocatus, qui non sit de fide suspectus, neque ex malo genere natus, sed ab originarijs Christianis stirpem ducat, ut notat Pegna *eod. loc. vers. Ut ergo.* Sit etiam vir probus, utriusque juris peritus, & in rebus ad S. Officium spectantibus apprimè versatus, qui antequam Rei defensionem suscipiat, jurare debet, se fideliter juxta veritatem eum defensurum, & religiosè custoditurum secretum eorum, quæ audiet, videbitque ad S. Officium spectantia. Talis autem Advocatus nullo modo est reo denegandus, si illum petierit. Non permittitur tamen defensiones fieri extra carceres, sed debent fieri in carceribus secretis. Interdum verò potest permitti, etiamsi causa sit gravis. Neque ipsis danda est copia processus offensivi, nisi facta per ipsos obligatione de illa restituenda post expeditionem causæ. Unde Inquisitores in formula juramenti præstandi ab Advocatis, & Procuratoribus reorum S. Officij addere debent, quòd expedita causa, restituant S. Officio copias processuum, & scripturarum, & quòd in originalibus informationibus facti & juris apud eos existentibus deleantur nomina personarum.

Hujus autem Advocati munus est totis viribus reo persuadere, ut veritatem fateatur, & commissum crimen Inquisitori manifestet, pœnitentiam humiliter postulet, ac quidquid reus responderit Fiscali manifestare, legitimis tantummodo modis reum defendere, sique cognoscat ejus causam esse injustam, omnino eam deserere, in juris allegationibus brevem esse, sequi modum Advocati fiscalis ac post expletam suam advocationem restituere processum, sibi ab Inquisitore consignatum. Quod annotant Sousa *in aphor. libro* 2. *cap.* 30. *numero* 10. Castropal. *p.* 1. *tr.* 4. *disp.* 8. *pun.* 6. *numero* 5. Caren. *p.* 1. *tit.* 10. §. 2. *numero* 6. *& seq.* tradiderat antea Symanch. *de cathol. instit. tit.* 5. *rubr. de Advocatis nu.* 3. *&* 4. *&* Locat. *v. Advocatus num.* 1.

Quòd si non adesset, qui reum defendere vellet, poterit Inquisitor censuris compellere Advocatum ut in illius causa patrocinetur, ut firmant Bobadil. *in polit. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 103. Carena *loc. alleg. num.* 9. Narbon. *in recopil. lib.* 4. *tit.* 1. *leg.* 20. *glos.* 22. *num.* 63. Diana *p.* 5. *tr.* 10. *resol.* 53. *num.* 5. Et iste Advocatus mercedem accipiet à reo, si pauper non sit, si verò sit pauper, tenetur patrocinari gratis, ut per Symanch. *loc. cit. num.* 6. *&* 7. Carena *ibidem. num.* 10. & ita servatur in praxi. Pluraque alia vide alibi, cùm de carceratis ageremus.

Non obstat *cap. fin. de hæret. in* 6. in quo conceditur Inquisitoribus, ut absque strepitu judicij, & absque Advocato in causis fidei procedere possint. Nam, ut jam diximus, Inquisitores absque Advocato procedere possunt in illis causis, in quibus Rei sunt confessi & convicti, ac eorum defensiones nedum necessariæ non sunt, sed superfluæ. Nec *in dicto cap. fin.* prohibetur, ne concedatur Advocatus, ubi rationabiliter concedendus est, ut notat Farinac. *de hæres. quæst.* 197. *numero* 72. *& seqq.* & Castropal. *loc. cit.*

Si verò constet, reum esse hæreticum pertinacem, non potest Advocatus ejus causæ patrocinari. Nam *in d. cap. fin* prohibetur, ne Advocatus hæretico patrocinium præstet. Esset enim defensor hæretici, ut tradunt Anchar. *in cap. si adversus, numero secundo de hæret.* Repertor Inquis. *d. v. Advocatus*, Sylvest. *v. hæresis* 1. *numero decimo.* Tolet. *libro primo sect.* 4. Ugolin. *in Bul. Cœn. v. Fautores in* 1. *claus. numero* 6. Graff. *lib.* 4. *decis. cap.* 18. *numero* 34. atque adeo esset excommunicatus in dicta Bulla Cœnæ, essetque etiam infamis, ut patet *ex d. cap: si adversus*, & docent ibi Ost. *not.* 2. Io. Andr. *numero* 2. *& seq.*

Potest etiam inquisito de hæresi, præter Advocatum, concedi Procurator, ut nonnulli affirmant, teste Pegna *p.* 3. *com.* 28. *vers. Ac quantum ad hoc crimen*, ita, ut quæ de Advocato dicta sunt, eadem, aiunt, dicenda esse de Procuratore. Ipse tamen Pegna, Locatus *in Iudicial. v. Procurator numero* 2. Castropal. *ibidem*, Diana *loc. cit.* docent, raró concedendum esse Procuratorem inquisito de hæresi, quia sufficit ei Advocatus ad Procuratoris munus subeundum. Immo ipsi Inquisitores videntur esse reorum Procuratores, cùm ex officio fiant eorum defensiones. Si tamen reus illum petierit, non potest Inquisitor illum negare, ut voluit Repertor. *v. Procurator*, §. *Inquisitores tenentur*, ut ejusdem conditionis ac Advocatus.

Debet autem inquisito in S. Officio dari Curator si esset minor vigintiquinque annorum, alioquin processus esset nullus, ac ita, ut si minor crimen commissum confiteretur, etiam sponte, & cum juramento sine Curatore, talis confessio ei non præjudicaret. Quia id omne, quod in judicio fit à minori absque Curatoris facultate, ipso jure irritum est, *l. Clerum C. de auct. præst.* docentque Corn. *cons.* 198. *lib.* 4. Afflict. *dec.* 208. Alex. *cons.* 115. Gomez *tom.* 3. *de delict. cap.* 1. *nu.* 64. Pegna *d. com.* 28. *vers. de hoc Curatore*, Instructio Madriliana anni 1561. cap. 25. Monticel. *in pr. crim. reg.* 10. *num.* 17. Royas *de hæret. p.* 2. *numero* 318. Locat. *in pr. Inquisit. v. Curator*, Guazzin. *lib.* 1. *defens.* 30. *cap.* 4. *nu.* 21. Diana *d. p.* 5. *tr.* 11. *resol.* 31. Idque ne minor vel ob imperitiam, vel ob juvenilem ætatem aliquid dicat, vel taceat, quod ei nocere possit.

Curatoris autem officium erit sua autoritate, ac præsentia personam minoris inquisiti legitimare ad respondendum, an scilicet interrogandus sit, an præstare debeat juramentum de veritate dicenda. Non tamen esse debet præsens, quando inquisitus super facto proprio responder, quia respondere debet secundum propriam notitiam, non autem ab alio subministratam, ut probat Gomez. *loc. cit. num.* 65 Neque ejus præsentia requiritur in minoris tortura, sed tantùm in decisione, an sit vel ne torquendus, ut firmat Anton. de Bell. *lib.* 2. *var. qu.* 13. *nu.* 17. Diana *loc. cit.* Curator autem esse non potest pater, nam in causis criminalibus filij non est administrator, ut ait Bartol. *in l. fin. §. ff. de verb. oblig.* Et quia regulariter pater est suspectus, ut potiùs filio, quàm fidei, ac religioni faveat. Denique minori carcerato in S. Officio solet dari Curator, ut coram illo sua dicta ratificet, nisi tamen consuetudo procedendi sit contraria ex decreto S. Congregationis S. Officij.

Non potest autem Advocatus inquisiti in S. Officio in eius defensionem appellare ab Inquisitorum sententia definitiva, quia nulla conceditur hæreticis appellatio. Cùm enim appellationis remedium detur ad defensionem Rei, & ad probandam ejus innocentiam, *cap. cùm speciali §. & porrò, & cap. ad nostram de appel.* ac nemo in S. Officio de hæresi damnatus, nisi vel sit confessus, vel legitimè convictus, dum innocens ampliùs probari non possit, neque concedenda est ei appellatio.

pellatio. A sententia quippe definitiva in causa fidei nunquam datur appellatio, in favorem ipsius fidei, & in odium hæreticorum, ne judicium prorogetur, *cap. ut inquisitionis de hæret. in* 6. Unde Federicus Imperator *in l. commissi. nobis* §. *septimo* ita decrevit : *Omne insuper proclamationis & appellationis beneficium ab hæreticis, & receptatoribus & fautoribus eorundem, penitus amovemus.*

Quare data definitiva sententia contra reum, de hæresi convictum, statim executioni mandari debet, nec expectandus terminus dierum decem, à jure concessum, ut appellari possit, cùm appellatio esse non possit. Atque ita docent Eymeric. *p.* 3. *direct. nu.* 125. ibique Pegna *com.* 31. *vers. sed hæc dubitatio.* Locat. *in judicial v. appellare, & v. sententia nu.* 3. Royas *singul.* 179 *nu.* 2. Decian *in tr. crim. lib.* 5. *cap.* 20. *nu.* 26. Param. *de orig. S. Inquis. lib.* 3. *quæst.* 4. *n.* 58. Castropal. *p.* 1. *tr.* 4. *disp.* 8. §. 7. *nu.* 1. Diana *d. p.* 5. *tr.* 10. *resol.* 61. & 62. *ac* Delbene *de Offic. Inquis. to.* 1. *dub.* 188. *nu.* 3.

Potest tamen condemnatus de hæresi per definitivam sententiam, non quidem per viam appellationis, sed per viam querelæ ac supplicationis superiorem adire, ut sententiam revocet. Quod nedum probabilius censent cum Royas *singul* 23. *n.* 5. Felino *in cap. ad abolendam nu.* 3. *de hæret. in* 6. Farinacio *de hæres. quæst.* 185. *num.* 233. & alii, quos ipse citat, Castropal. *loc. cit. nu.* 2. Delbene *ibid. num.* 5. & seq. sed etiam bengnius. Tum quia in aliis casibus, in quibus non admittitur appellandi facultas, non censetur interdictus reversus ad Principem, maximè in causis, quæ sunt magni præjudicii, ut docent Glos. *in cap. ex litteris v. supplicavit de in integr. restit.* Decian. *cons.* 533. *num.* 2. Paris. *lib.* 4. *cons.* 164. *num.* 18. Marsil. *singul.* 88. Menoch. *de arb. quæst.* 70. *n.* 18. Roland *cons.* 94. *nu.* 1. aliique. Tum quia non est prohibitum superiori Judici recognoscere de prætensa injusta sententia, & illam, si ipse ita judicabit, revocare, & tum quia ipsemet Judex superior potest sententiam latam à seipso, iterum recognoscere, & si injustam invenerit, revocare, ac irritam declarare. Ergo idem à fortiori fieri poterit in sententia lata à Judice inferiori ad superiorem, licet contrariam sententiam tradant Carrera *de hæret. num.* 130. Symanch *de Cathol. instit. tit.* 6. *nu.* 2. ac Diana *loc. cit. resol.* 62. *num.* 5. Quia eadem, ait, ratio, per quam textus *in d. cap. inquisitionis* denegat hæreticis appellationem, militat etiam, ut eis denegetur per viam querelæ ac supplicationis.

A sententia verò interlocutoria conceditur appellatio, ut per Eymer. *p.* 3. *direct. num.* 121. ibique Pegna *com.* 31. Royas *sing.* 19. & alios. Quia sententiæ interlocutoriæ, sive decreta decernuntur ad investigandam veritatem, an reus commiserit hæresim. Ideoque dum id non est certum, non est deneganda appellationis defensio. Requiritur tamen, quòd in appellatione assignetur causa, quæ sit rationabilis, non frivola, aliàs appellatio non subsistit per textum *in cap. ut debitus, cap. cum remissam, cap. cum sit Romana de appel.* & tradunt Pegna *loc. cit.* Vitalin. *in Clem. appellant de appel. numer.* 24. & *seq.* Farinac. *de var. quæst. numer.* 158. *ac de hæres. quæst.* 185. *num.* 232. & Castropal. *d. p.* 1. *tr.* 4. *disp.* 8. § 7. *num.* 4.

Hinc à decreto torturæ dari potest appellatio, quia est actus interlocutorius ad eruendam veritatem, ut per Pegnam *loc. cit.* Symanch. *in enchirid. tit.* 52. *rubr. de torm. num.* 11. & *tit.* 63. *rubr. de appel. numer.* 2. Farinac. *d. quæst.* 185. *num.* 139. Et quamvis regulariter per appellationem ad sententia interlocutoria non ligentur manus Judicis, sed possit in causa procedere donec à superiore inhibeatur, id tamen fallit in decreto torturæ, quia continet damnum irreparabile, ut cum aliis probat Facinac. *quæst* 38. *nu.* 12. Dummodo evidenter non constet, frivolam esse causam appellationis; tunc enim omnino rejicienda est appellatio, & procedendum ad torturam, ut tradunt textus *in cap. cum appellat. de appel. in* 6. & *in l.* 2. *ff. de appel. recip. loc. cit.* ubi refert instructionem Madrilianam annni 1561. ac docent Farinac *de hæres. d. quæst.* 185. *nu.* 235. & Castropal *ibid. n.* 5.

Si igitur constet manifestè, causam esse frivolam, idem Judex debet illam cognoscere. Si verò dubium sit, an causa sit frivola, anve legitima sive sit dubium juris, sive facti, Judex, à quo supersedere debet, & expectare quid Judex ad quem decrevit, ne periculo exponatur, ut innocens gravetur in iis, quæ irrevocabilia sunt. Quod etiam docet Pegna *ibidem* Farinac *d. q.* 38. *n.* 3. & Castropal. *d. n.* 5. *in fine.*

Ab hisce autem interlocutorijs sententijs, sive decretis in causis fidei datis ab Inquisitoribus, appellatur ad summum Pontificem, sive ad supremum S. Congregationis Cardinalium Tribunal S. Inquisitionis. Nam appellatio facienda est à delegato ad delegantem *ex cap. super quæstione* §. *porro de Offic. deleg. l. Imperator ff. de appel. l. præcipimus* §. *huic C. de appel.* Et similiter si sententia lata sit ab Episcopo & Inquisitore simul. Quia cùm procedant tunc, tanquam delegati Apostolici, ad sedem Apostolicam est appellandum. Idemque est, quando Episcopus, ut delegatus procedit contra exemptos.

Quando autem, non ut delegatus, sed ut Judex Ordinarius procedit, appellandum etiam esse ad sedem Apostolicam, docent Pegna, & Farin. *d. q.* 185. *numero* 240. Quia causæ graves à supremo Tribunali terminandæ sunt juxta *cap. majores de baptism.* At verò Castropal. *d. pun.* 7. *numero* 6. quam sequitur Delben. *d. tom.* 1. *dub.* 190. *numero* 5. quibus adstipulor, existimant non carere probabilitate, posse in hoc casu appellari etiam ad Metropolitanum, sicut in alijs causis *juxta cap. si duobus de appel. cap. quoties, & cap. ad Romanam* 2. *quæst.* 6. Nam judicare de legitimitate appellationis, ac de causa ob quam appellatur, non est ita gravis, ut sedis Apostolicæ, sive summi Pontificis autoritatem requirat, aliàs enim ne in prima quidem instantia ab Episcopis judicari ac determinari posset. Quod planè falsum est. Si fortè controversia esset, an hoc, vel illud sit de fide, utique hujus quæstionis determinatio ad Pontificem spectaret, quia gravis ac toti Ecclesiæ necessaria. Sed quando controversia potiùs est de facto, quàm de jure nullumque jus involvit, nempe an talis deliquerit contra fidem, decisio hujus quæstionis non est ita Ecclesiæ necessaria, ut à solo Pontifice, non autem ab alijs decidi possit. Id ipsum ergo dicendum est de causa appellationis.

Appellatione autem admissa, si ex alia nova causa, hæresisque suspicione fuerit reus ipse denunciatus, potest adversus eum in hac nova causa Inquisitor procedere. Nam appellatio solùm suspendit exercitium jurisdictionis in illa appellationis

causa, non autem in alia, nisi causa appellationis fuerit suspicio Judicis. Nam tunc non poterit Iudex reum compellere ad respondendum, quia appellatio suspicionis Iudicis procedit in omnibus causis. Verum si delictum, noviter denunciatum, ita esset grave ac manifestum, ut ex ipsa gravitate, & manifestatione reus esset convictus, posset non obstante appellatione prioris delicti, adversus eum procedere, secundò illum condemnare, ut decernit *textus in cap. proposuit de appel.*

Potest demum Inquisitor, ut suspectus recusari ut per Eymer. *p.* 3. *num.* 120. *tit. de recus. Inquis.* ibique Pegna *com.* 30. Symanch. *de cath. instit. tit.* 17. *num.* 51. *& seq.* Comens. *in lucern. Inquis. v. recusatio* Tabien. *in sum. v. Inquisitio* §. 4. *numero* §. Castropal. *d. p.* 1. *tr.* 4. *disp.* 8. *pun.* 8. Hanc sententiam summo jure veriorem esse, ac tenendam ait Pegna, eamque Madriliana instructio videtur definisse anno 1561. *cap.* 15. quia est tutior, & magis removet à S. Tribunali omnem iniquitatis suspicionem, estque in praxi recepta. Quamvis contrariam spectata Iudicum probitate, honestiorem dicant Archidiaconus *in cap. quia plerique de offic. Ordin. in* 6. Rip. *de pest. p.* 3. *numero* 140. Menoch. *libr.* 1. *de arbitr. qu.* 37. *numero* 4. & Roya *singul.* 100. *& de hæret. p.* 2. *tit. de privil. Inquisit. num.* 435.

Quare gravis causa ad hanc recusatiouem requiritur. Nam Inquisitoris officium non conceditur nisi prudentia, doctrina, & virtute præditis, & consequenter ex levi causa suspectus non est præsumendus, ut notat Farinac. *de hæres. d. qu.* 185. *numero* 236. Causa autem gravis existimatur inimicitia capitalis. Quomodo autem auferatur causa suspicionis, & recusatio, tradit Eymer. *loc. cit.* Quod Pegna nec reprobat, neque approbat. Quia potius pertinet ad jus appellandi, quam ad Inquisitorem recusandum.

Recusatione Inquisitoris jam adducta, licet de rigore juris arbitri essent eligendi, unus ex parte Iudicis recusati, alter ex parte Iudicis recusantis, qui de causa recusationis recognoscerent juxta *cap. suspicionis de offic. deleg. & cap. Cum speciali de appel.* traditque Locat. *in Judicial. v. recusatio*, decentius tamen, & honestius est, ne judicium eludatur, & negocium catholicæ fidei proferatur in dies, nec causa, & occasio recusandi Inquisitorem facile captetur, ut arbitri non eligantur, sed causa recusationis ad supremum Inquisitionis Tribunal deferatur, ibique summatim recognita, Inquisitor recusatus vel reijciatur, vel admittatur, confirmeturque, ut annotat Pegna *loc. cit.* qui etiam testatur, ita servari in Hispania ex Madriliana instructione anni 1561. *cap.* 52.

TOMI PRIMI
FINIS.

